UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv, Theologiæ Professoris, Cvrsvs Philosophicvs

Ad Vnvm Corpvs Redactvs

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ Theologiæ Professoris Tomvs II

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-95526

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 935a.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PHILOSOPHIÆ
R. P.
FRANCISCI
DE OVIEDO
MADRITANI
SOCIETATIS IESV
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS
TOMVS II.
COMPLECTENS LIBROS DE ANIMA, ET METAPHYSICAM.
SECVNDA EDITIO
Ab Authore aucta, & à pluribus quibus scatebat, mendis expurgata.

LVGDVNI,
Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD,
& CLAVDII RIGAVD.

M. DC. LI.

CONTROVERSIÆ ANIMASTICÆ.

AVCTORE

R.P. FRANCISCO DE OVIEDO
E' SOCIETATE IESV.

PROOEMIVM.

PROGREDITVR noſtra diſputatio cum Philoſopho ad agendum iam de Corpore Animato, de quo Ariſtoteles in libris de Anima, quorum materiem explicare in his noſtris Controuerſiis opus erit.

Vocant nonnulli in quæſtionem, an libri de Anima agant de corpore animato, an de ipſa anima? quod neque animo contentionis amico poterit diſputationis materiem miniſtrare: Expoſcebat enim totius Philoſophiæ ordo Ariſtotelem de corpore animato in præſentiarum diſputare: egerat enim in libris Phyſicorum, de corpore in communi; in libris de cælo, de corpore incorruptibili; in libris de generatione, & corruptione, de corpore generabili, & corruptibili: Nunc iam obiectum librorum Phyſicorum, quod in libris de cælo, & generatione ad certas ſpecies contraxerat, iterùm magis contrahit ad ſpeciem corporis animati. Verumtamen, ſicut in libris de corpore generabili, & corruptibili, de generatione, & corruptione ſemper agitur, & de ortu, & interitu, ſeu de generatione, & corruptione inſcribuntur, quia omnia quæ ſpecialiter corpori generabili, & corruptibili conueniunt, ſunt per ordinem ad generationem, & corruptionem: ſic in libris de corpore animato, de anima ſemper ſermo inſtituitur, & *libri de anima* ab omnibus vocantur, quia omnia propria corporis animati ratione animæ, per quam conſtituitur, illi conueniunt. Mitto non poſſe agi de corpore animato, quin agatur de anima, quæ eſt illius eſſentialis, & præcipua pars.

Nec maioris momenti eſt quæſtio alia; an videlicet ad Animaſticum pertineat agere de anima ſeparata. Stant nonnulli pro negatiua parte, quia anima ſeparata non componit ens naturale, ac proinde eſt extra obiectum totius Philoſophiæ, quod intra terminos totius naturalis corporis continetur. Magis ad veritatem accedunt qui aſſerunt animam ſeparatam pertinere ad Philoſophiam, & ad hanc illius partem, quia eidem animæ, quæ adiuncta materiæ corpus animatum conſtituit, ſtatus ſeparationis contingit, ac proinde de hoc ſtatu debet agere Philoſophus, ſicut de accidenti proprij obiecti Animæ, videlicet potentis totum natutale conſtituere. Res eſt, vt iam dixi, parui momenti, in qua qui vellet primum retinere dicendi modum, poſſet reſpondere agere de anima ſeparata, & de ſtatu ſeparationis modo prædicto ſemper eſſe agere de anima quatenus dicit ordinem ad coniunctionem cum materia, quod non eſt agere de animâ ſeparatâ præcisè vt ſeparatâ; ſed de anima ſeparatâ, quatenus eſt quædam anima potens cum materia Totum ſubſtantiale componere.

CONTROVERSIA PRIMA.

De Anima, & de eius informatione.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid ſit Anima.

1 ARISTOTELES *lib. 2. de anima, cap. 1. text. 6.* Animam his verbis definit: Anima eſt *actus primus corporis naturalis, potentia vitam habentis, tale autem, quod vtique ſit inſtrumentale.* Ex qua definitione communi conſenſu hanc depromunt Philoſophi:

Actus primus corporis phyſici, & organici, potentiâ vitam habentis. Ly *phyſici*, ſubſtituitur loco *naturalis*, quod Ariſtoteles poſuit in ſua definitione, & ly *organici*, ſubſtituitur loco illius complexi, *tale autem quod vtique ſit inſtrumentale*, quod idem ſignificat, ac ſi diceretur; tale autem quod organicum, & ita rectè totum reſoluitur in illud obliquum *organici*, poſitum in definitione, quam vulgus circumfert.

Ratio *actus primi*, in definitione poſita, communis eſt 2
viuentibus, & non viuentibus, quia omnia compoſita

substantialia constant materiâ,& formâ,quæ actus primus dicitur ; & ita particula illa *actus primus*, locum generis obtinet in hac definitione. Actus primus, respectu secundi,dicitur : Tamen non semper respectu secundi eodem modo accepti. Actus primus, apprimè dicitur Virtus quædam,seu potentia ad effectum, respectu proprij exercitij, seu productionis effectus : In hoc sensu dicitur anima actus primus, respectu actionum vitalium, quia est prior illis, & tenens se per modum actus primi ad tales actiones ipsam in actu secundo intelligendi, & amandi constituentes. Alio modo dicitur actus primus, hoc est, primarius,respectu actus secundarij, qui primarius dicitur, non quia sit virtus productiua respectu illius, in ordine ad quem dicitur primus, aut primarius,sicut ipse actus secundarius non dicitur talis, quia dependeat à primario, tanquam à virtute producente, sed actus primarius dicitur, quia reliqui actus ad ipsum ordinantur,& secundarij dicuntur reliqui actus,qui ad alium dicuntur. Hac ratione quælibet forma substantialis,dicitur primarius actus materiæ, respectu quantitatis, quæ dicitur secundarius, licèt non producatur à forma, quia quantitas ex natura sua ordinatur ad formam substantialem, & substantia non ordinatur ad quantitatem. Vtramque rationem actus primi,reperiri in anima certum est, quia est actus primus, & virtus productiua suarum operationum, & est forma substantialis, primò informans materiam, & constituens compositum. Affirmo tamen, in definitione ly *actus primus*, non significare actum primum primo modo sumptum,videlicet virtutem naturâ priorem effectu, quia si hoc sibi vellet particula illa *actus primus*, anima non esset dicenda actus primus corporis ; siue corporis nomine totum compositum, siue materia prima significetur, quia anima, neque virtus est productiua materiæ primæ,nec totius compositi,neque aliquam causalitatem propriam exercet,respectu materiæ, vel compositi;potiùs deberet dici actus primus operationum, respectu quarum anima proprièe, & strictè est prior naturâ. Significat ergo particula illa, *actus primus* posita in definitione, idem quod primarius actus, seu substantialis forma,cuius conceptum explicui *primo Physicorum*, *controuers.3.* vbi egi de conceptu metaphysico formæ substantialis, provt distinctæ à conceptu metaphysico aliùs compartis essentialis, videlicet materiæ.

3 Circa particulam illam *corporis*, occurrit dubium, quid intelligatur nomine *corporis*, an materia prima ? an totum compositum ? Nonnulli nomine *corporis* intelligunt totum compositum,non secundùm omnes gradus viuentis, quos habet ab anima, formaliter vt anima, sed tantùm secundùm illos, quos habet ab anima, vt forma constitutiua compositi corporei,abstrahentis à viuenti,& non viuenti. Huius opinionis meminit Angelicus Doctor ad caput primum *libri secundi de Anima*, & in 1. *sententiarum, dist.25. q.1. art. 1. ad 2.* eámque corporis acceptionem refert Noster Suarez *tom.1. Metaphys.disp.15.sect.10. num.15.& in 3.p. tom.3. disp.51. sect.4.*

Alij nomine *corporis* totum compositum animatum intelligunt, cuius anima est actus primus constitutiuus.

Alij volunt nomine *corporis* intelligi,in hac definitione materiam primam connotando organa apta ad actiones vitæ obeundas. Sic Argentin. *in 4.dist.13.q.1.art.1.* Gregor. *in 2.dist.16. qu. 2.*

Alij nomine *corporis* intelligunt nudam materiam primam. Ita Conimbr. *lib.2.de anima, cap.1 q.1. art. 1.* Posset etiam dici,iuxta Scoti opinionem,nomine *corporis* intelligi materiam primam informatam formâ corporeitatis distinctâ ab anima.

4 Displicet prima explicatio, quæ nomine *corporis* vocat corpus metaphysicè sumptum abstrahens ab animato & inanimato ; quia hæc definitio non datur per conceptus metaphysicos,sed per physicas entitates, quales sunt forma animastica, & totum, vel compositum, quod constat ex ipsis terminis definitionis, & clariùs ex toto contextu Aristotelis *cap.1 cit.* Deinde si hac ratione sumeretur corpus, non posset dici respectu illius anima actus corporis organici, quia corpus metaphysicè sumptum, abstrahens ab animato, & inanimato, non est organicum, neque in illo ratio aliqua organici, neque radicalis,neque formalis reperitur. Vltimam explicationem non omninò reiicerem, si formam corporeitatis cum Scoto admitterem ; in mea tamen,& communi sententia, quæ formam hanc relegat,illa expositio locum non inuenit.

Conimbric.loc.cit.& ex illis plures alij reiiciunt expositionem Soncinatis, quia ratio organica explicatur illâ particula *organici*, ac proinde contineri nequit in præcedenti *corporis*. Hæc impugnatio leuis ponderis est, illius enim auctores non intendunt particulam *corporis*,præcisè sumptam significare deorganizationem,sed inquirunt,cuius corporis dicatur actus anima in definitione proposita; & respondent dici actum materiæ connotantis deorganizationem,siue hæc connotatio significetur per particulam *corporis* connotantis aliam *organici*,siue per vtramque,quod parum ad rem attinet. 5

Nomine *corporis*, posse intelligi, tum materiam primam tum totum compositum,si tantùm attendatur ad verba in definitione posita, quàm plurimi censent, quia anima est actus constitutiuus compositi cuius dicitur forma propriissimâ,& strictâ acceptione,dicimus enim,anima rationalis est forma hominis. Similiter est actus informans materiâ, quæ dicitur potentia respectu illius, & tam corpus quàm materia sunt organica, & illorum actus,actus corporis organici dici potest. Hæc explicatio difficultatem patitur non leuem, quam à n.15. expendam. 6

De mente Philosophi fert communis sententia nomine *corporis*,materiam primam intelligi.Ita Conimbr.suprà, Hurtad & Arriaga,& communiter recentiores, explicantes hanc definitionem. Probat Hurtadus hanc conclusionem ex 1. *Polit.c.3 ad medium*, vbi hæc Aristoteles : *Prauorum quidem,aut prauè dispositorum,sæpè inuenitur corpus imperare animo*, de quibus verbis nomine *corporis* materiam significari vult Hurtado, & ex hac significatione desumit ad probandum, nomine *corporis*, in definitione eodem modo animam significari. Si liceret in hoc loco ex acceptione *corporis* argumentum facere,ad explicandam particulâ *corporis*, in definitione animæ positam, dicerem ego. nomen *corporis* in prædicta definitione totum compositum importare,quod planè importat in verbis ab Hurtado relatis. Cùm enim dicit Aristoteles corpus imperare animo, non dicit materiam primam animo imperare : quod enim imperium habere potest materia prima secundùm se sumpta respectu animæ sed totum ipsum compositum, seu ipsam animam,provt elicientem actus vitales corporeos, qui ex natura sua dependent à corpore;sicuti sunt actus sensuum externorum,& internorum,appetitúsque interni materialis,imperare eidem animæ,hoc est illam trahere,& allicere ad actus appetitus rationalis, ita vt hæc eligat, non secundùm id, quod ratio proponit, sed secundùm illud,ad quod appetitus inclinat. Do tamen hoc,aliísque quàm plurimis testimoniis Aristotelem nomine *corporis* materiam primam significare, si testimonia illa desumpta non sunt ex ipso contextu definitionis, ad rem non sunt, quia cùm nomen *corpus* ex se æquè benè possit poni ad significandú totum compositum,& materiam primam,potuit Aristoteles illo vti in vno loco ad materiam primam, & in alio ad totum compositum significandum. Ex qua doctrina rectè respondent Conimbricenses aliis, qui intendunt probare nomen *corporis*,in definitione animæ significare totú compositum. Neque hæc solutio posset adhiberi ad testimonia, quæ ex ipso contextu definitionis desumuntur, quia non licebat Aristoteli vti eodem nomine in diuersis significationibus agenti de eadem materia, & sub eodem capite, eadémque contextura vtenti.

Nomine *corporis* Aristotelem intellexisse materiam primam efficaciter suadent plura testimonia ex contextu definitionis desumpta. Sic enim habet textu 4. *Quoniam autem& corpus huiusmodi vitâ habens non erit vtique corpus anima, non enim est eorum,quæ in subiecto corpus,magis autem sicut subiectũ,& materia est.* Quæ verba toti cõposito nullatenus aptari possunt,& apprimè materiæ quadrant, quæ est primũ subiectum. Ex text.7. immediatè post definitionem animæ hoc habet:*Vnde non oportet quærere si vnũ,& omnia,& corpus, sicut neque ceram & figuram, neque omnino vniuscuiusque materiam, & id,cuius est materia.* Quibus verbis supponit Arist. tanquam certum, animam distingui à corpore, sicuti figura à cera,quæ est mutua distinctio formæ à subiecto,& nõ distinctio inadæquata, quæ est inter formam, & compositum,cera enim, & figura non ita se habent, sed sicuti materia,& forma,quod explicat Philosophus per illa extrema verba:*Et ita cuius materia.* Et text.10.sic habet:*Sed sicut oculus,& pupilla & visus & ibi omnia, & corpus animal.* Quibus verbis exprimit compositionem ex corpore, & anima, hoc est,ex materia, & anima, quia ex toto composito 8

nulla

nulla sit compositio; quod constat ex comparatione facta à Philosopho, in compositione ex pupilla, & visu, seu potentia visiua; pupilla enim non est totum compositum, sed subiectum, quod cum potentia oculum componit. Constat etiam ex ipso contextu aliquando Philosophum nomine *totius* materiam significasse, nomen enim oculus, quo hic compositum significat desumpserat text. 9. ad materiam illius significandam, his verbis: *Hic enim* (de visu loquitur) *est substantia* (hoc est forma) *oculi, quæ secundùm rationem; oculus autem materia, visus est.*

9 Obiicies primò Aristotelem textu 8. Vbi hæc habet: *Vniuersaliter igitur dictum est, quid sit anima, substantia enim, quæ secundùm rationem, hoc autem est, quod quid erat esse huiusmodi corporis.* Ergo Aristoteles nomine *corporis* non intellexit materiam primam, nam forma non est, *quod quid erat esse* materiæ; sed compositi. Respondeo, formam dici *quod quid esse materiæ*; non quia sit de essentia illius, vel constitutiua ipsius materiæ, sed quia est actus illam determinans ad subsstantiale compositum constituendum.

10 Obiicies secundò: Lapis non dicitur constare corpore, & forma, etsi ex materia, & forma componatur: ergo materia non est idem cum corpore. Resp. materiam habere rationem corporis propriè, & philosophicè loquendo, inualuit tamen vsus, vt hoc tantùm nomine gaudeat materia organica, vel totum compositum adæquatum.

11 Obiicies tertiò. Actus primus est idem, ac id, quod est de primo conceptu materiæ; ergo non est actus primus respectu illius. Respondet Arriaga; animam esse de primo conceptu materiæ, non constitutiuo, sed completiuo. Displicet solutio, quia anima non est de conceptu constitutiuo materiæ, neque completiuo in esse materiæ, sed de conceptu constitutiuo totius, & complente simul cum materia essentiam compositi, sicuti materia est de conceptu totius, & de conceptu cõplente simul cum forma essentiam compositi. Melius respondetur negando primum illud antecedens; hic enim actus primus non sumitur pro primo conceptu alicuius rei, licet aliquando terminus iste hanc significationem sortiatur, sed pro illo, quod est primarius terminus potentiæ, cuius dicitur actus, & hac ratione anima iure optimo dicitur actus primus materiæ.

12 Per particulam *physici*, seu *naturalis* excluditur materia, seu compositum artificiale, quorum anima non est forma constitutiua, neque actus, illud tanquam potentiam recipiens. *Organici*, id est, dispositi per temperamentum heterogeneum in ordine ad diuersas partes subiecti, iuxta exigentiam determinatam formæ. Hæc deorganizatio tantùm conuenit viuentibus, licet enim cælum, Iaspis, & alia huiusmodi composita habeant diuersum temperamentum in partibus diuersis, nihilominus hæc diuersa temperatura in partibus diuersis deorganizationem non constituit, quia non est certo ordine, ac fixa regula præscripta in omnibus corporibus eiusdem speciei; sed hoc habet hanc mixtionem temperamentorum in suis partibus, & illud aliam, & non omnes iaspides eosdem colores, vno ordine habent dispositos. Neque cælum, quod hæc astra habet in tanta distantia, exigit illa non habere alio modo disposita; neque hæc numero astra, & non plura, neque pauciora in se habere. Cadauer deorganizationem habet relictam ex forma præcedenti, quam forma cadaueris potiùs destruit, quàm exigit. Forma embryonis, si specialis est forma, deorganizationem habet, non quam exigat ratione sui, sed quæ exigitur ad formam viuentis illi successuram.

13 Volunt Conimbricenses verbum *organicum*, idem valere ac potentia vitam habentis, quod tradunt loco citato ex Themistio, Alex. Philop. D. Thoma & aliis. Mihi tamen difficile est hoc admittere, licet enim rectè inferatur ex deorganizatione potentia ad vitam, quam exprimunt verba illa, *potentia vitam habentis*, quæcunque illa sit, realiter tamen maximoperè differunt deorganizatio, quæ consistit in temperamento qualitatum, cum tanta quantitate, & sub tali figura, & potentia ad vitam subsstantialem, vel accidentalem.

14 *Potentia vitam habentis.* Explicabitur, quæ sit hæc potentia, si prius terminum illius inuestigemus. Duplex est vita, quædam *substantialis*, & per modum actus primi, atque potentiæ; alia *accidentalis*, per modum actus secundi atque actionis. Iuxta explicationem à nobis datam de particula *corporis* in definitione posita, non possunt vlteriora de vita accidentali actus secundi explicari, quia materia prima non est potentia, neque in potentia esse dicitur ad vitam accidentalem, actionésque vitales, videlicet intellectionem, visionem corpoream, reliquasque huiusmodi operationes aliquo modo exercendas: ergo verba illa intelligenda sunt de vita subsstãtiali, hoc est, de vita ad modum actus primi principij vitalium actionum, cuius ratio conuenit animæ, ad quam materia est in potentia tanquam primum subiectum ad formam per quam informatur.

His positis: dico potentiam illam, quæ in definitione 15
exprimitur, non esse actiuam neque passiuam, quia materia prima non habet potentiam actiuam ad formam subsstantialem, neque potentia passiua est de ratione constitutiua materiæ, sicuti neque de conceptu constitutiuo formæ non est posse recipi in materia, vt probaui 1. *Physicorum controu.* 2. & 3. Affirmo insuper potentiam illam esse terminatiuam vnionis ad formam per modum partis materialis, seu subiecti, vel potentiæ perfectibilis, cuius conceptum explicui latè loco citato. Conclusio probanda est ex ibi dictis, vbi probaui hanc tantùm potentiam esse essentialem & constitutiuam materiæ, respectu formæ. Dices hanc esse potentiam, quam habet ad omnes formas etiam non viuentium; ad formas tamen viuentium indigere alia potentia magis speciali. Respondeo per eandem potentiam, respicere materiam formas viuentium & non viuentium, omnes collectiuè tanquam actum adæquatum, & singulas diuisiuè, tanquam actus inadæquatos; connotare tamen in ordine ad formas viuentium deorganizationem, quam non connotat in ordine ad alias formas.

Si nomine *corporis* intelligeretur totum compositum, vi- 16
ta in definitione significata esset vita in actu secundo, hoc est, actiones reales, ad quas compositum est in potentia, & non ad formam, quam in se habet, & cum qua inadæquatè identificatur. Intelligeretur etiam potentia actiua, quam habet verum compositum respectu suarum actionum, non verò passiua, quia passio, vt probabo *contr.* 2. *de Anim.* non est de conceptu actionis vitalis, seu vitæ in actu secundo: ac proinde neque potentia ad illam, ad vitam in actu primo pertinebit, neque viués vt viuens formaliter in actu primo importabit potentiam recipiendi. Similiter viuens in actu primo dicit formaliter potentiam sibi vniendi actionem vitalem, quia de ratione vitæ in actu secundo, est immanentia per vnionem ad principium à quo fluit, vt probabo loco nuper citato, & ita illud *in potentia*, non solùm virtutem actiuam, sed terminatiuam vnionis ad vitam in actu secundo, si nomine *corporis* totum compositum intelligatur, necessariò importabit.

Plotinus *lib.* 2. *Enn.* 4. definitionem hanc reprehendit, & 17
Proclus in Timæum *cap.* 5. Aristotelem vellicat, quod non docuerit, quid sit anima, sed cuius, sit nempe corporis organici. Neque absque fundamento credo ab his Philosophis Aristotelem carpi, licet enim explicando cuiusnam subiecti anima sit forma, aliquo modo illius natura explicetur, quia per respectum tale subiectum videlicet organicum differat à reliquis formis, quæ non habent rationem animæ; tamen satis ignota manet adhuc animi natura, ex eo præcisè quod nouerimus exigere corpus organicum. Neque de illa particula *potentia vitam habentis* meritò dici potest cum Proclo, potiùs esse explicationem corporis, quod habet animam, quàm ipsius animæ, illa enim explicat naturam corporis, & non deseruit ad explicandam naturam ipsius animæ, idem enim est dicere corpus potentiâ vitam habens, ac dicere corpus, seu materia cuius potentia respicit vitam tanquam actum, quod optimè explicat rationem illius corporis, seu illius potentiæ; quia dicere, anima est actus potentiæ cuius actus est vita, non est explicare actum per subiectum, sed explicare etiá subiectum per actum: est enim dicere anima est actus corporis organici, quod corpus organicum est potentia ad vitam; vbi duplex intercedit explicatio; vna animi per ordinem ad corpus organicũ, alia corporis organici per ordinem ad animã nomine vitæ significatam. Quod si dicas explicationem corporis esse remotè explicationem animæ, quia ex cognitione corporis, ad quod dicit ordinem anima, venimus in cognitionẽ ipsius animæ, frustra hæc explicatio animæ remota traditur in ipsa definitione animæ: cum enim in illa definitum sit anima, anima debet esse immediatè explicata, & non alia entitas. Deinde ineptè explicatur anima per corpus, rursus explicandum per eandem rationem, per quã potuit explicari immediatè, sicuti

si quis rogaret : Quid est forma hominis? & responderet aliquis : Est actus materiæ, cuius forma est principium ratiocinandi tunc frustrà per subiectum definiretur anima. Faciliùs enim diceretur: Anima est forma, quæ se habet, vt principium ratiocinandi. Vltimò contra hanc definitionem obiicio, illam explicare animam per subiectum explicandum per aliud difficilius explicatu ipsa anima, videlicet per vitam, cuius conceptus ignotior est conceptu animæ, ac proinde de primo ad vltimum explicatur anima per aliquid illa magis ignotum.

18 Propter hanc rationem (si Philosophi auctoritas non intercederet) existimo definitionem meliùs explicari de potentia ad vitam accidentalem, quam habet totum compositum, quod nomine *corporis* potest significari, ita vt hunc sensum haberet definitio : *Anima est actus constitutiuus compositi potentis elicere vitales actiones.* Quæ definitio optima est, & essentialis animæ, cui essentialis debet esse respectus ad subiectũ, quem dicunt reliquæ formæ, cum quibus vniuocè conuenit, & virtus productiua formalis, vel radicalis actionum vitalium, per quam primò differt à reliquis formis non viuentium. Si tamen standum est definitioni traditæ à Philosopho, adhuc dici potest, particulam illam *potentia vitam habentis*, non esse positã à Philosopho tanquam quid pertinens essentialiter ad definitionem, quod probo ex text. 7. Vbi sic animã definit : *Si autem aliquid commune in omni anima oportet dicere, erit vtique primus actus corporis naturalis instrumentalis. Vnde non oportet*, &c. Quibus verbis ait Aristot. se animam in communi definire, & nunquam meminit illius particulæ *potentia vitam habentis*; sed tantùm illam definit per ordinem ad corpus organicum, per quem rectè ab omnibus differt, nulla enim forma non viuentis, deorganizationem ratione sui exigit.

19 Definitionem traditam à Philosopho esse essentialem censent ferè omnes, quibus ego non omnino acquiesco: licet enim esse principium actionum vitalium sit de illius essentia, vt suprà dixi ; ordo tamen ad deorganizationem rationem essentiæ metaphysicæ non participat, non enim quidquid est identificatum cum forma est de illius essentia, ac proinde ex hoc capite non probatur ordinem ad deorganizationem esse essentialem animæ, & oppositum probare intendo, ex hoc quod deorganizatio non est intenta ab anima per se ipsam, sed per operationes ad quas deseruit. Ex quo infero exigentiam deorganizationis dimanare à potentiis exigentibus deorganizationem ad operandum, & ita esse prædicatum secundarium ortum ab alio primario, quod rationem habet essentiæ, quia est, quod prius in re concipitur, & aliorum radix, & per quod anima, ab aliis formis sufficienter distinguitur. Ex quibus infero hanc definitionem, *actus corporis physici & organici potentia vitam habentis*, inuoluere exigentiam ad deorganizationem, quæ est prædicatum ad essentiam metaphysicam animæ non spectans. Potentia autem ad vitam, si nomine *corporis* materia prima intelligatur potens informari vita substantiali, non se tenet ex parte animæ, neque est prædicatum illius, sed est potentia materiæ primæ, quæ ipsa potens est informari anima, ac proinde in hac definitione tantùm inuenio rationem illam communem actus primi respicientis materiam animæ essentialem, ac proinde totam hanc definitionem descriptiuam vocarem, sicuti descriptiuam dicimus hanc hominis definitionem *animal risibile*, licet prædicatum *animal* multis commune, sit homini essentiale.

20 Alia definitio desumitur ex Arist. lib. 2. de anima cap. 2. vbi his verbis rationem animæ explicat text. 24. *Anima autem id est, quo viuimus, & sentimus, & mouemur & intelligimus.* Quæ definitio si collectiuè, & absolutè intelligatur, tantùm animæ rationali conuenire potest, nulla enim præter ipsam his omnibus fungitur actionibus, neque disiunctiuè intelligenda est, disiunctio enim vitium est in definitione posita, neque rectè disiungũtur propriè loquendo hæc animi munera, nunquam enim in anima principium ratiocinandi disiungitur à principio sentiendi, neque principium sentiendi à principio vegetandi, licet à contrario, principium vegetandi disiungatur à principio sentiendi, & principium sentiendi à principio ratiocinandi. Aristoteles hanc definitionem per distributionem accommodam explicauit, scilicet ; anima vegetatiua est, quo vegetamur, sensitiua, quo sentimus, & vegetamur ; rationalis, quo vegetamur, sentimus, & intelligimus. Sed neque hæc explicatio placet: iuxta illam enim non vna definitio animæ in communi, sed triplex definitio triplicis animæ traderetur.

Intelligenda est definitio (si propria non me mens fefellit) in hunc sensum. Anima est principium, quo exercentur hæ omnes actiones vbicunq; exercentur; quod verissimum est, & de conceptu animæ abstrahentis à vegetatiua, sensitiua, & rationali optimè verificatur. Verum enim est animam vt sic esse principium omnium actionum, quæ ex his omnibus annumeratis fiunt in proprio subiecto: Quam explicationem olim in re longè grauioris momenti dedit August. lib. 4. contra Iulianum c. 8. & epist. 107. de Prædest. Sanctorum cap. 8. quem sequuti sunt Prosp. ad capita Gallorum Obiect. 4. Fulgent. de Incarn. & grat. cap. 31. illi propositioni vniuersali traditæ à S. Paulo 1. ad Thimoth. 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, id est, Deus vult saluos fieri omnes homines, qui saluantur; & nullus fit saluus, nisi ex voluntate Dei. Quam expositionem explicat vulgari exemplo, quo dicimus, hic magister docet omnes pueros huius ciuitatis, id est, qui docentur, ab hoc magistro docentur; quod est dicere: nullus puer docetur ab alio, nisi ab hoc magistro. Sic in nostro casu; anima est, id, quo facimus omnes operationes vegetandi, mouendi, sentiendi, & ratiocinandi, quas facimus, quod æquiualet: nullã ex his operationibus facimus, quam non faciamus animâ, tanquam principio effectiuo illarum. Et iuxta hanc interpretationem optimè quadrat hæc definitio animæ in communi, & cuicunque animæ vegetatiuæ, sensitiuæ, & rationali, quia de ratione cuiusque animæ est, esse principium omnium operationum, quæ ex his fiunt, in composito quod informat. 21

Contra hanc definitionem obiiciunt alij, Aristotelem posuisse particulam *quo viuimus*, quæ est generica respectu illorum, quæ postea adiunxit, ac proinde perperam omes illas adiunxit, idem enim est dicere, anima est, id, quo viuimus, & sentimus, ac si dixerit, anima est id, quo sentimus, & videmus; sicut enim visio est species sensationis, sic sensatio species vitæ in actu secundo. Non vrget obiectio, est enim vulgaris loquendi modus, rationem generican sumi ad significandam speciem imperfectiorem, sic animal vocamus indiuiduum speciei valdè imperfectæ, ex his, quæ sub genere animalis continentur. Hoc loquendi modo vsus est Philosophus in hac definitione, cùm enim ex omnibus speciebus vitalis actionis, vegetatio sit imperfectior, illam nomine generis appellauit, idémque iuxta hunc loquendi modum sonant hæc definitionis verba : actus, quo viuimus, &c. ac si diceretur : actus, quo vegetamur, sentimus, &c. 22

Circa particulam, *quo mouemur*, poterat esse quæstio, an per illam explicaretur specialis gradus viuentis, & ratio specialis animæ distinctæ à sensitiua: cui quæstioni negatiuè respondendum est, quia motus localis non est actio vitalis, ac proinde non illi correspondet specialis ratio vitæ, neque animæ, quæ essentialiter est vita; deinde quia etiamsi motus localis esset actio vitalis, anima locomotiua non distingueretur à sensitiua, quia virtus locomotiua nũquam à virtute sensitiua separatur; quodcũque enim animal habet virtutem mouendi se, quod patebit in quocunque animali, quod si pungatur, statim contrahit se, & ipso motu testimonium dat vitæ, qua gaudet, quod si daretur aliquod animal quod nullam virtutem haberet se locomouendi, nullo modo possemus dignoscere, illud esse animal, & vita potiri, quia non ex alio capite possumus cognoscere, an hoc corpus sit equus vel equi cadauer, nisi quia videmus hoc moueri & illud nullatenus posse motum aliquem exhibere. 23

Neque deorganizatio sufficiens est argumentum ad vitam sensitiuam inferendam, quia communis est omni viuenti, etiam non sensitiuo. Posuit Aristoteles in definitione animæ virtutem locomotiuam, quia etiamsi terminum vitalem non respiciat, illius tamẽ effectus vitam supponit, in viuentibus enim motus localis vitalibus actionibus dirigitur, tum etiam gradum sensitiui, & locomotiui assignauit, ne imperitum vulgus existimaret, aliqua animalia, quæ vix motum localem habent, & nunquam spatium adæquatum quod acquirunt relinquunt, sensitiua non esse, non quia necessum esset gradum illum locomotiui recensere, expresè enim docet Aristoteles animam adæquatè definiri per principium vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi, sic enim ait eodem lib. 2. de anima cap. 2. text. 18. *Anima est horum quæ dicta sunt, principium, & his definita est vegetatiuo, sensitiuo, & cogitatiuo motu.* Quibus verbis apertè probatur, 24

quod

quod dicebam suprà, videlicet verbum *sentimus*, in definitione positum, importare virtutem vegetatiuam, & verbum *mouemur*, non esse necessariò in definitione ponendũ.

24 Censent Conimbricenses hanc definitionem datam esse propter causam finalem, quia operationes sunt fines animæ, sicuti omnes effectus sui principij, vnde dimanauit illud vulgare Axioma: *esse est propter operari*, quod tradit Aristoteles *lib. 2. de Cælo cap. 3. text. 17. & 2. Physic. cap. 7.* Plurimi hunc dicendi modum reiiciunt ex eo quod accidentia finis animæ esse nequeant; non enim ordinatur substantia ad accidentia, sed accidentia ad substantiam tanquam finem, in quem ordinantur, & cui intenduntur, quem respiciunt. Alij dicunt operationes animæ posse esse finem, quo anima consequitur finem *cuius*, respicientem ipsam animam tanquam finem *cui*, ita vt integer, & totalis finis conflatur ex animâ, operatione, & subiecto: ex anima tanquam ex fine *cui*; ex subiecto tanquam ex fine *cuius*; ex operatione tanquam ex fine *quo*. Homo enim natus est, vt cognoscat Deum, ipsúmque sibi tanquam finem consequatur, mediâ operatione tanquam fine *quo*. Hæc omnia ad definitionem Philosophi explicandam, necessaria non sunt. Ideo illis omissis Affirmo hanc definitionem esse traditam per principium operationum indistinctum realiter ab anima, imò & formaliter, quia potentiæ ab anima adhuc formaliter non distinguuntur, quod si distinguerentur, intelligenda esset hæc definitio de principio radicali, quod est idem formaliter cum anima, quod principium explicatur relatè ad suos effectus, quia nõ possumus expressè potẽtiam aliquam cognoscere nisi cum ordine ad effectus expressam. Ex quo constat non esse datam per causam finalem, quia principium operationum identificatum formaliter cum operante non potest esse finis sui ipsius; nihil enim in se ipsum tanquam in finem ordinatur. Neque vulgaris loquendi modus, quo dicimus *esse est propter operari*, probat operationes esse finem sui principij, sæpe enim effectus seu euentus nomine *finis* significatur, vt indubitatum est apud omnes interpretes, etiam sacrarum literarum.

25 Circa distinctionem harum definitionum, dico maximoperè distingui, si prior detur per ordinem ad materiam organicam, vt vitam in actu primo, quia hæc datur per ordinem ad totum compositum, & vitam in actu secundo, si verò prior definitio detur per ordinem ad compositum, quod forma constituit, & ad vitam accidentalem, cuius principium est effectiuum, nullam poterimus in his definitionibus distinctionem reperire, quia hæc posterior per illud, *quo viuimus*, importat respectum ad compositum constitutum, & ad vitam accidentalem, quam potest compositum per animam sumptam per principium effectiuum exercere. Aristotelem demonstrasse priorem definitionem per hanc posteriorem affirmant illius interpretes, quam demonstrationem ex his, quæ Aristoteles cap. 2. tradit, ita componunt: *Principium, quo viuimus, sentimus, & intelligimus, est actus primus corporis organici; sed anima est principium, quo viuimus, sentimus, & intelligimus: ergo est actus primus corporis organici.* Ex Aristotelis interpretibus quidam sentiunt, hanc demonstrationem esse à posteriori, quia datur per effectus animæ. Alij tenent hanc demonstrationem esse à priori; hi sunt omnes Græci expositores, quos sequutus est Albertus Magnus, quorum sententia mihi magis placet, falsum enim est fundamentum oppositæ; posterior enim definitio non datur per effectus animæ, neque per suas operationes; sed per principium illarum. Deinde etiamsi daretur per effectus, posset esse à priori non respectu ipsius animæ, quâ effectus posteriores sunt, sed respectu deorganizationis, quæ est propter actus futuros, & essentialiter ad illos ordinatur. Huius sententiæ fudamentum esse debet, priùs esse in anima habere principium, & virtutem effectiuam actionum, quam habere deorganizationem in materia, & illam exigere, ac proinde hæc deorganizatio demonstrata per principium operationis demonstratur per aliquod prius illa, & consequenter à priori.

Punctum II.

Explicatur diuisio animæ in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem.

1 Diuisio omnis dicit membra diuidentia re, vel nomine opposita, & ita in hac diuisione oportet explicare an illius membra re, vel ratione opponantur, & quomodo hæ animæ inter se ordinentur, separabiles sint, & connexæ? Gradus animæ minùs perfectus separabilis est à perfectiori, quod docuit Aristoteles lib. 2. de anima cap. 1. & sæpe alibi, satisque ipsâ experientia compertum est. Primò vegetatiuam separari à sensitiua, & rationali, in plantis apertum est, vt docuit Aristoteles lib. 1. de Plantis, & lib. 5. de Generat. animalium cap. 1. vbi ait: animalia dum dormiunt vitâ plantæ viuere, plantas verò non posse esse somni capaces, quia expergisci nequeunt, neque sentire: Et D. Augustinus sermone 27. de verbis Apostol. sic ait: *Nobis viuere cum arboribus & frutetis commune est. Nam vitis viuit cùm viret: moritur cum arescit, sed vita ista non habet sensum.* & lib. 2. de mor. Manich. irridet Manichæos, qui sensum & rationem arboribus tribuebant: & libro de Hæresibus cap. 46. & lib. de vera Religione cap. 55. sic habet: *Non sit nobis cultus illius vitæ, qua dicuntur arbores viuere, quoniam nullus sensus in illa est.* & lib. de quantitate animæ cap. 33. contrariam sententiam vocat *impietatem rusticam, & errorem sacrilegum, magis ligneam opinionem, quàm sint ipsæ arbores, quibus patrocinium præstet.* Clamitat experientia, quâ videmus durissimis ictibus absque sensationis indicio arbores concuti. Neque sensuum organa habent aliqua apta ad sensationes exercendas, sed nimis terrestria, densa ac proinde ad omnem sensationem ineptissima sunt.

2 Neque minùs certum est, gradum sensitiui existentem in brutis separari à gradu rationalis tantùm in homine existenti. Duo includit hæc conclusio: primum, gradum ratiocinandi non esse in brutis: secundum, in ipsis existere gradum sentiendi. Vtrumque testatur Scriptura in Psal. 31. *Nolite fieri sicut equus, & mulus: in quibus non est intellectus.* & Isaiæ 1. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Et vtrumque in Philosophia ratum est. Hominem tantùm præditum esse intellectu testatus est Philosophus 7. Politic. cap. 13. in homine, & brutis esse vitam sensitiuam passim docet in hoc 2. lib. de anima, & sæpe alibi. Experientia ipsa idem conuincit, in brutis enim, neque loquutionem, neque libertatem, aut alia signa intellectionis inuenimus, sed omnia instinctu fieri cognoscimus, cùm videmus omnia eiusdem speciei omnino eodem modo operari. Quod si in aliquibus nonnulla vmbra discursus appareat, non in ipsius rationis vsum, sed in altissimam sui auctoris prouidentiam, quæ omnibus creaturis natiuam inclinationem, & propensionem indidit ad ipsarum conseruationem aptam, vilem, & necessariam, refundenda est.

3 Gradus animæ perfectiores ab imperfectioribus non separari, videlicet rationale à vegetatiuo, & sensitiuo; sensitiuum à vegetatiuo, experientiâ compertum est, vt docuit Aristoteles lib. 2. de anima cap. 2. text. 15. his verbis: *Sed hæc siquidem vis* (de vegetatiua loquitur) *à cæteris seiungi, separarique potest, cæteræ autem in ipsis mortalibus ab ista nequeunt separari.* & cap. 3 *Quibus mortalibus inest ratio, his sunt continua, & cætera cuncta.* Neque limitatio illa animæ in corpore mortali adducta ab Aristotele propter intelligentias necessaria est, quia omnis anima est actus corporis mortalis, & licet in Angelo separetur gradus rationalis, à gradu sensitiui, Angelus est substantia simplex completa, nos autem loquimur de anima, quæ est substantia incompleta ordinata ad componendum totum cum corpore, cui vnitur, vt mediis corporis materialibus organis sensationes eliciat, ad intellectiones deseruientes, vt discurrit D. Thom. 1. parte, quæst. 51.

4 Ex his constat quod si anima diuidatur in animam vegetatiuam tantùm, & in vegetatiuam & sensitiuam; & in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, membra diuidentia re opponi, & esse realiter distincta. Si autem anima diuidatur in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, ita vt quodlibet membrum diuidens tantùm dicat gradum in illo contentum præscindentem ab omni alio, & à negatione illius, & imperfectiores contrahibiles per perfectiores, & per negationem aliorum perfectiorum v.g. gradum vegetatiuum contrahibilem per vegetatiuum plantæ, quod dicit negationem sensitiui, & per vegetatiuum animalis, quod dicit gradum sensitiui, indifferentem omnino ad vtramque differentiam, tunc membra diuidentia non opponuntur re, quia possunt in eamdem entitatem materialem coincidere; opponuntur tamen ratione, quia semper hi gradus formaliter distinguũtur per ordinem ad diuersas

operationes specie distinctas, separabiles in aliis subiectis, etiamsi in aliquo separari nequeant, sicuti formaliter distinguuntur prædicatum animalis & rationalis per ordinem ad operationes, quæ separantur in equo, licet in homine separari nequeant.

5 Si hac ratione membra diuidentia sumantur, anima vegetatiua communis est omnibus animabus viuentium, & in omnibus eiusdem speciei; & anima sensitiua communis est brutis & homini, & in vtrisque eiusdem speciei. Secundum illam rationem præcisam vegetatiui, gradus animalis est eiusdem speciei in homine, & equo in statu præcisionis, in quo non dicit rationale, neque irrationale; sic gradus vegetandi in statu præcisionis, in quo non dicit vegetatiuum plantæ, aut animalis, rationem sensitiui, aut negationem eiusdem, omninò eiusdem rationis est in omnibus animabus; & gradus sensitiui in statu præcisionis, in quo non dicit sensitiuum bruti, vel hominis, neque gradum rationalis & negationem eiusdem, est omninò indifferens vt contrahatur ad brutum, & hominem per differentias constitutiuas illorum, per quas in statu contractionis differet specie, sicuti differunt homo & equus.

6 Gradum rationalem & sensitiuum contineri sub conceptu viuentis, & ita formam rationalem, & sensitiuam verè esse animam, nemo in dubium vertet: De vegetatiua posset esse nonnulla dubitatio an propriè rationem animæ participaret, sed iuxta Theologiam certum est, & iuxta Philosophiam certius formam vegetatiuam esse viuentem, & gradum vegetatiuum viuens constituere, ita formam vegetatiuam verè inducere rationem animæ, negare nefas est. Vegetatiua esse viuentia constat ex Paulo 1. Corinth. cap. 15. *Tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur.* Vbi plantæ productionem Paulus viuificationem appellat. Et quod per viuificationem producitur, viuere dicitur. Quod expendit Augustinus lib. 1. de Ciuit. cap. 20. his verbis: *Hoc genus rerum* (id est plantarum) *quamuis non sentiat, vivit, ac per hoc potest mori, & occidi.* Et annectit illud Psalm. 77. *Et occidit in grandine vineas eorum.* Et D. Dionysius cap. 6. de diuinis nominibus sic scribit: *ex ipsa* (hoc est, de Dei vita) *& animantes & omnes plantæ iuxta extremam vitæ harmoniam, vt viuant acceperunt.* Iterum in fine eiusdem capitis: *Ex ipsa viuificantur & consouentur, & animantes cunctæ atque arbores, & siue spiritualem dixeris, siue rationalem, siue sensitiuam, siue vegetatiuam, ex ipsa viuit.* Probatur eadem conclusio ratione desumptâ ex operatione nutritiua, quæ conuenit animæ vegetatiuæ, qua se nutrit per intùs sumptionem, ad quam requiritur forma quædam distincta in specie à reliquis, quas dicimus esse formas inanimatorum, quam vitam in actu primo, & animam vocamus, quia est principium vegetationis, quæ est vitalis actio & vita in actu secundo. Formam vegetatiuam esse principium vegetationis nullus negauit, principium autem actionis vitalis esse vitam, & animam dici, si in forma consistit, est etiam compertum omnibus. Restabat vt quis diceret; Vegetationem non esse vitalem actionem, qui tantùm de vocis significatione contenderet, vt ex Clemente Alexandrino doctè notauit Suarez lib. 1. de anima cap. 4. num 12. quia non negaret actionem vegetandi fieri per intùs sumptionem, & exigere diuersa organa, vt à composito procederet, cui illius terminus vnitur, quæ sunt prædicata, quibus doctores Scholastici hoc nomen actionis vitalis accommodant. Vocis autem significatio sumenda est ex communi vsu, & prima impositione ab omnibus recepta. Ex dictis præcedenti numero constat nullum ex tribus membris diuidentibus esse extra rationem diuisi. Restat modò examinare an omnia adæquent diuisum, itavt nulla sit anima, quæ intra hæc tria membra animæ non contineatur. Præcipua ratio dubitandi sumitur ex definitione Aristotelis: *Anima est, quo viuimus, mouemur, sentimus, & intelligimus.* Ex qua definitione quatuor genera animatorum annumerant communiter Scholastici, vegetatiuum, sensitiuum, locomotiuum, & intellectiuum; ergo tot animarum genera debent recenseri, non enim possunt multiplicari animata, sine animarum multiplicatione, præcipuè cùm hæc multiplicatio sit secundùm gradus metaphysicos, qui totam suam multiplicitatem à formis desumunt.

7 Vrgeo. Ideo gradus sensitiuus constituit animam diuersam ab illa, quam constituit vegetatiuus, quia gradus vegetatiuus separatur à sensitiuo in plantis, etiamsi in animalibus sensitiuus non separetur à vegetatiuo, sic similiter sensitiuus gradus separatur à locomotiuo, etiamsi locomotiuus gradus à sensitiuo non separetur: ergo distinctus gradus animæ, & distinctam animam in specie constituet gradus locomotiuus ab illa, quam constituit gradus vegetatiuus.

Patres Conimbricenses lib. 2. de anima capite 3. quæst. 2. art. 2. in fine, respondent animata esse quatuor, si illorum differentia sumatur à vita accidentali illorum; quòd si à vita substantiali desumatur, tantùm reperiri tria animatorum genera, videlicet vegetatiuum, sensitiuum & rationale. Displicet Conimbricensium solutio, quia vita substantialis distinguitur per ordinem ad vitam accidentalem, & ex eo quod diuersam vitam accidentalem reperiamus in hoc viuenti, seu in hac anima, inferimus vitam substantialem esse diuersam, neque aliud nobis suppetit caput, ex quo possimus diuersitatem vitæ substantialis inferre nisi ex diuersitate vitæ accidentalis, semper enim ex diuersis operationibus specie distinctis, principia distingui colligimus. 8

Respondeo potentiam sensitiuam nunquam separari à locomotiua, neque dari aliquod animal, quod se mouere localiter non possit, nam quodcunque habens facultatem internam & externam sentiendi, iuxta suam capacitatem virtutem habet se mouendi: si facultas sentiendi perfecta sit, virtus locomotiua perfecta erit, & poterit viuens se perfectè mouere gradiendo, vel volando, saltando, aut natando, vel reptando: si autem virtus sensitiua imperfecta sit, saltem poterit viuens se comprimere, & dilatare, & ita locum mutare saltem inadæquatum, & tardè, adæquatum, quia omne viuens sensitiuum dolorem sentit, & per motum localem signa doloris, & sensationis exprimit, quod si hæc signa non exhiberet, non possemus illud esse sensitiuum dignoscere, deorganizatio enim sensitiuam virtutem non arguit, quia est communis etiam non sensitiuis, neque effectum alium habet sensatio, ex quo à posteriori illam cognoscere possimus. Posità inseparatione etiam non mutuâ inter virtutem sensitiuam, & locomotiuam facile est defendere virtutem locomotiuam, etiam radicalem non constituere diuersum gradum animati, neque animæ virtute sensitiua, quia animæ & animata non multiplicantur per potentias inseparabiles, sed per illas, quæ in aliquo saltem separantur. Hac ratione potentia sensitiua, & appetitiua diuersam animam, aut diuersum viuens non constituunt, quia nunquam inter se separantur. Iuxta hanc doctrinam notum tibi erit diuisionem factam à Platone in Timeo, animæ, in concupiscibilem, irascibilem, & rationalē, secundùm duo priora membra diuidentia non dicere animas inter se diuersas, sed vnicam tantùm potētiam, videlicet appetitiuā, quæ ratione aliquorū actuum, quos potest elicere, concupiscibilis dicitur, & ratione aliorum irascibilis, quæ potentia reperitur in anima sensitiua, & rationali: in hac spiritualis; & materialis in alia. Ex principio supradicto, etsi vulgò tria tantùm genera animarum & quatuor animatorum recenseantur; quinque potētiarum genera communa viuentibus connumerantur. Videlicet vegetatiua, sensitiua, locomotiua, cognoscitiua, & volitiua.

Patet etiam virtutem locomotiuam non posse constituere diuersum gradum viuentis, aut animæ siue ab illa separari possit sensitiua, siue non possit, quia non est potentia respiciens terminum vitalem, motus enim localis non est vitalis actio secundùm se, licèt motus formaliter vt progressiuus vitam dicat, quæ supponitur ad motum localem secundùm se, ratione cuius progressiuus appellatur, quia motus progressiuus solùm difiert à non progressiuo, ex eo quòd procedat à vita, hæc tamen vita, quam supponit, in brutis est vita sensitiua, & in homine rationalis quando motus imperatur ab actu voluntatis, quando verò tantùm imperatur à phantasmatibus, vt in somnis contingit talis motus supponit vitam sensitiuam, & ita nunquam potest specialem vitam constituere, quia secundùm se nullam dicit, & illa, quam supponit semper est sensitiua, vel rationalis. 10

Ad auctoritatem Philosophi definientis vitam per gradus sentiendi, & se locomouendi tanquam per gradus distinctos, dicendum est hos gradus assignatos fuisse ab Aristotele ad aliquam differentiam constituendam inter animalia quæ habent virtutem locomotiuam perfectam, & alia, quæ hanc virtem imperfectam habent, quæ adeo tardè, & ita per exiguum spatium mouentur, vt vix moueri dicantur, & possint dici impotentia ad talem motum; sicuti quælibet virtus, seu potentia debilis impotentia ab 11

Aristotele

Aristotele appellatur, quæ differentia sufficiens non est ad assignandum gradum specialem viuentis à sensitiuo essentialiter distinctum. Neque nouum est in Philosopho inter differentias essentiales plures accidentales reperiri permixtas.

12 Alia difficultas desumitur ex aliquibus viuentibus, quæ tantùm habent virtutem tactiuam separatam ab aliis potentiis sensuum externorum, sicuti illam Talpa habere dicitur. Pro quibus statuendus est gradus diuersus viuentis, sicuti statuitur pro vegetatiuis & sensitiuis; sicut enim separatio virtutis vegetatiuæ à virtute sensitiua fundamentum præbet, vt diuersus gradus constituatur respondens potentiæ vegetatiuæ, ita separatio virtutis tactiuæ à virtutes visiua, fundamentum exhibet, vt constituatur gradus diuersus correspondens potentiæ tactiuæ à gradu respondente virtuti visiuæ, auditiuæ, *&c.*

13 Propter hanc rationem Philosophus *lib. 2. de anima c. 2.* distinguit gradum medium viuentium inter plantas & animalia perfecta quem *planti-animal* appellat, quia non est tantùm planta, cùm participet sensum tactus, neque simpliciter animal, cùm non habeat quinque sensus, neque gradum sensitiui simpliciter participet. Paradoxum est talem gradum medium constituere absque vlla ratione, aut necessitate, & à mente Aristotelis & omnium Philosophorum alienum. Aliter meliùs respondetur: Gradum sensitiui tantùm dicere viuens sentiens sensu interno, & aliquo externo sensu, & ita communem esse Talpæ vnicum sensum externum habenti, & aliis animalibus quinque sensibus gaudentibus. Hac ratione diuisio animæ in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem optimè est adæquata, licet non sit in species atomas, quia anima sensitiua rursus est diuisibilis in sensitiuam vnico tantùm sensu, & in sensitiuam pluribus sensibus; & sensitiua pluribus sensibus, in sensitiuam equi, & leonis, *&c.* Idem dico de diuisione animati in vegetatiuum, sensitiuum, & rationale. Ex quo inferes de ratione animalis vt sic, non esse habere quinque sensus, sed tantùm internum & externum, vel vnum, aut plures, quia anima tantùm dicit formaliter viuens sensitiuum; sensitiuum autem non dicit plures sensus externos, quia viuens, quod potest sentire vno sensu externo, & alio interno, absolutè, & simpliciter dicitur potens sentire, seu sensitiuum.

14 Constat ex his diuisionem animæ in vegetiuam, sensitiuam, & rationalem esse adæquatam, & iustam. Restat modò explicare an sit generis in species, vel analogi in analogata. Auerroës lib. 3. de anima text. 7. Themistius, & Simplicius text. 1 & 7. affirmant hanc diuisionem esse analogi in analogata, ex eo quòd animus rationalis rationem animæ inæqualiter & minùs perfectè participet, quàm reliquæ animæ, etsi secundum suam entitatem perfectior. Si fundamentum horum Philosophorum sit animam rationalem propriè non esse formam, illorũ sententia errorem in fide continet. Si admittant animam rationalem esse verè formam, omnino est improbabilis ex puris Philosophiæ principiis, quia anima rationalis est principium actionum propriissimè vitalium, siquidem est principium actionis vegetatiuæ, & sensitiuæ, in quibus conuenit cum aliis animis, quas propriè tales dici admittũt hi Philosophi. Deinde est principium intellectionis, & volitionis quæ propriissimè vitales sunt: ergo si anima rationalis habet veram & propriam rationem formæ, vt Catholicè sentiendum est, & ratione probatur, propriissimam rationem animæ continet. Demum definitio animæ optimè & propriissimè quadrat animæ rationali: ergo propriissimè rationem animæ retinet. Expende vtramque animæ definitionem, & argumento alio non indigebis.

15 Rationes horum Philosophorum nullius sunt momẽti. Arguebant: Animus rationalis non communicat materiæ totum suum esse, quia ita se cõmunicat, vt in suo esse subsistat: ergo non est vera forma. Resp. animam rationalem se totam communicare materiæ, etiamsi propriam subsistentiam habeat, quia secundum se totam materiæ vnitur, & formam materiæ communicari nihil aliud est, quàm vniri materiæ, cum qua totum componit, vt dicebam contra Caietanum punct. 3. §. 3. n. 25. Secundò arguũt ex modo producendi, quia anima diuerso modo producitur, ac reliquæ formæ. Resp. animam produci per creationem, & reliquas formas per generationem; hoc tamen ad rationem formæ neque animæ in communi nihil referre, quia de ratione formæ est vniri subiecto, non verò ab illo dependere. Tertiò arguunt: anima rationalis operatur independenter à subiecto: ergo non est verè forma. Resp. distinguendo antecedens, operatur independenter à subiecto in statu separationis, concedo: in statu vnionis, nego. Deinde nego consequentiam, quia non est de ratione formæ operari dependenter à subiecto in quocunque statu, sed operari dependenter ab illo in statu vnionis, hoc est, dum est subiecto vnitã.

16 Iandunus *lib. 2. de anima, quæst. 3.* Alexand. *libr. de sensu, & sensibili, in principio.* Albert. *2. de anima cap. 5.* docent hanc diuisionem esse analogam ex fundamento oppositõ, videlicet quod tantùm anima rationalis est verè, & propriè anima, quia ipsa tantùm viuit, quod probant ex eo quod illa, & non alia operetur propter finem. Hoc fundamentũ nullius est ponderis, & multa inuoluit gratis, & falsò dicta, vnum est reliquas animas non viuere, aliud est de ratione vitæ esse operari propter finem, quia etiamsi de ratione vitæ sit viuens se posse mouere, quod examinabo Contr. 2. Punct. 1. hoc non est intelligendum de motu morali mediã cognitione, & bonitate mouente per modum finis, sed sufficit viuens se ipsum mouere motu physico, sicuti mouentur plantæ per nutritionẽ & bruta per sensationes externas, & per internas, quæ aliquo modo conueniẽtiam obiecti respiciunt, etsi non liberè per propensionem naturæ dependenter à cognitione obiectum repræsentãte.

17 Dupliciter potest sumi hæc diuisio: primò si gradus vegetandi communis omnibus animis se teneat ex parte diuisi, & anima vegetatiua diuidatur in vegetatiuam tantùm; & in vegetatiuam & sensitiuam tantùm; & in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem simul. Secundo modo potest sumi diuisio, ita vt gradus vegetatiui non se teneat ex parte diuisi, sed sit vnum ex membris diuidentibus. & diuidatur ratio animæ metaphysicè constituta per formam viuentis, seu corporis organici, in animam vegetatiuã, sensitiuam, & rationalem, ita vt membra diuidentia dicant rationem positiuam in ordine ad suos actus & abstrahant à negatione aliorum prædicatorum, quæ se habent vt compartes, vel (vt sic loquar) commembra diuidentia huius diuisi. Priori modo diuisione sumpta, membra diuidentia re opponuntur, & dicunt formam plantæ, bruti, atque hominis. Posteriori modo sumpta, opponuntur ratione, & omnia membra diuidentia in animam rationalem coincidũt.

18 Affirmo hanc diuisionem esse generis in species, quoquo modo sumatur. Fauet huic opinioni communis consensus Philosophorum, qui hanc diuisionem absque vlla distinctione generis in species appellat: & Angelicus Doctor *2. contra gentes cap. 60.* vbi ex professo illam esse vniuocam probat, & hanc esse Aristotelis mentẽ probat Ferrara ibidem. Diuisionem priori modo sumptam esse vniuocam & generis in species, sic probo. Membra diuidentia sunt species animæ & essentialiter opposita, & essentialiter participant rationem communẽ animæ: ergo illa diuisio est generis in species: priorem partem antecedenits, solus negare poterit, qui dicat, plantam, & brutum specie non distingui, & brutum & hominem esse eiusdem speciei: posteriorem ostendo ex definitione animæ quæ essentialiter cuilibet ex his speciebus conuenit, omnes enim sunt actus corporis physici, & organici, & omnes sunt principium operationem vitalium.

19 Diuisionem posteriori modo sumptam esse generis in species, licèt non realiter, ratione tamen oppositas: probo. Gradus vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi sumpti præcisè, & distincti formaliter distinctione præcisiuã, conueniunt formaliter in hoc quod est esse principium actionũ vitalium: differunt essentialiter in ratione talis principij, per quam quilibet illorũ contrahitur per ordinẽ ad actus specie diuersos, ad quos dicunt ordinẽ: ergo illa diuisio est totius potentialis quod contrahitur per partes potestatiuas, in quibus essentialiter includitur contractum per differentias essentialiter oppositas: ergo est diuisio generis in species. Neque impedit hos gradus coincidere in eandẽ animam, videlicet rationalem vniuocatione diuisi, quia gradus realiter identificati possunt formaliter specie differre, & conuenire in aliquo prædicato communi, sicuti potentia volitiua & intellectiua etiam in opinione, quæ illas ab anima non distinguit formaliter inter se differunt, per ordinem ad actus essentialiter differentes, & cõueniũt essentialiter in ratione potentiæ vitalis, realiterque in eãdem animam coincidunt. Hæc dixerim propter Patrem Soar, qui lib. 1. de anima, c. 2. n. 19. ob hanc coincidentiam

graduum

graduum in eandem physicam entitatem existimauit diuisionem hanc posteriori modo acceptam non posse esse vniuocam.

Punctum III.

De anima rationali, & eius informatione.

§. I.

Varij errores referuntur.

1 PLato, quàmpluréſque alij antiqui Philoſophi cenſuêre animam non eſſe formam informantem, ſed aſſiſtentem, & quaſi aurigam corporis. Ita Ariſtoteles loquitur de anima Cæli, *lib.2. de Cælo c.12.& 2.* vbi animam appellat intelligentiam, licet non informantem, ſed aſſiſtentem.

2 Senſêre alij animam non eſſe ſubſtantiam ſed accidens, vel accidentium harmoniam, ſeu temperamentum. Ita refert ex Epicuro,& aliis Plutarchus lib.4. de Placitis c.3. in hunc errorem lapſus eſt Galenus lib. de locis affectis cap.6. teſte D.Thoma in quæſtione, *diſp. de anima artic. 1. lib.2.contra gentes cap.63.* Galenum ſequuti ſunt peretiſſimi Medici quem errorem antiqui Hæretici docuêre, videlicet Carpocatres, Epiphanes, Prodicus,& Caiani, atque Antitactæ, vt refert Theodoretus in lib. de diuinis decretis. Nonobſtante interpretatione D. Thomæ, ſentiunt alij Galenum in hac re varium fuiſſe, & nihil conſtitutum habuiſſe, quod ſequeretur in hac re, vt ipſe indicat lib.de natura facultatis, ſubſtantiæ & lib.3. de vſu partium, vbi ait ſe ignorare, quid ſit anima.

3 Zeno animam rationalem igneam eſſe exiſtimauit; Anaximander, Anaximenes, & Anaxagoras aërem eſſe dixêre, in quem errorem propendit Varro, qui hæc ſcripſit, referente Lactantio Firmiano lib. de opificio Dei: *Anima eſt aër conceptus in ore, deferuefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffuſus in corpus.*

4 Corporeum finxêre noſtrum animum Cleanthes, Chryſippus, quamplurésque Stoicæ familiæ alumni. In eundem errorem incidit Apollinaris Alexandrinus, vti refertur Hiſtoriâ tripartitâ cap.34. & Tertullianus lib.de anima, de carne Chriſti, teſte D.Auguſtino *epiſt.157. & lib. de Hæreſibus in 86.* vbi declarat de propria corporeitate eſſe loquutum,& illum impugnat *lib.1.Gen.ad liter. cap.24.* licet eundem benignè interpretetur dicentem Deum eſſe corporeum, quaſi diceret Deum eſſe ſubſtantiam verè ſubſiſtentem & non fictam.

5 Refert Irenæus lib.1. aduerſus Hæreſes cap. 24. Carpocratem, & Theodoretus in lib. de Diuin. decret. Cerdonem,& D.Auguſtinus lib.de Hæreſibus cap.46.& 70.Gnoſticos, Manichæos, & Priſcillianiſtas, qui in eam amentiâ incidere, vt aſſererent animum rationalem eſſe particulam diuinæ mentis, ex Dei ſubſtantia prognatum. Quod videtur ſeſiſſe Philo Iudæus in lib. inſcripto *quòd deterius potiori inſidietur.*

6 Fuit Origenis error 1. *Periarchon c.5. & 8.& lib. 2. cap.8.* qui docuit noſtrum animum ab Angelis non diſtingui.

7 Luciferani, vt refertur in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus, errarunt exiſtimantes animos ex ſemine propagari.

8 Seleucius,& Hermias vt conſtat ex lib. Hiſtoriæ tripartitæ cap.11. ſenſêre animas rationales non à Deo, ſed ab Angelis creari.

9 Errauit ſimiliter Origenes, teſte Epiphanio epiſt. ad Ioannem Hieroſolymitanum Epiſcopum, qui aſſeruit animas ante infuſionem in corpus peccaſſe, in pœnámque peccati, in corpora tanquam in carceres fuiſſe detruſas; quem errorem ſecutus eſt Priſcillianus.

10 Alius fuit error aſſerentium dari in omnibus hominibus vnam animam,& intellectum, qui ipſis aſſiſtat, vt Solis lumen huic vniuerſo; in hoc fuiſſe Ariſtotelem affirmat Theophraſtes, Simplicius, & Auerroës, qui eum ſequutus eſt,& variis argumentis defendit.

11 Empedocles, Pythagoras,& Plato fabuloſam quandam tranſanimationem induxêre, aſſerentes animas hominum in aliena corpora demigrare. Diſſentiunt auctores, an Plato poſuerit tranſmigrationem animarum in corpora belluina, an in humana dumtaxat. Legantur Conimbricenſes *lib.2.de anima cap.1.quæſt.7.art.1.* Fuit etiam error circa animæ immortalitatem, de quo dicam Controu. vltima de anima ſeparata.

§. II.

Dogmata Catholica contra præcedentes errores.

PRimus error Platonis damnatus fuit in Concilio Vien- 12
nenſi ſub Clemente V. in Clementina vnica, §. *Porrò* de ſumma Trinit. *Doctrinam ſeu poſitionem* (verba ſunt ex Clementina) *temerè aſſerentem, aut vertentem in dubium, quòd ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectiuæ, verè ac per ſe humani corporis non ſit forma, vt erroneam, & veritati Catholicæ inimicam prædicto approbante Concilio reprobamus.* Et infrà decernit, *vt quiſquis deinceps aſſerere, defendere, aut tenere pertinaciter præſumpſerit quòd anima rationalis non ſit forma corporis per ſe, & eſſentialiter, tanquam hæreticus ſit cenſendus.* Quam definitionem amplectitur Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 8. quæ tacitè declarat doctrinam Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. in cap. *Firmiter* de ſumma Trinitate, dicentis Deum ab æterno vtramque creaturam condidiſſe, ſpiritualem, & corpoream, deinde hominem ſpiritu,& corpore conſtitutum. Tradidit eandem veritatem Athanaſius in ſymbolo illis verbis: *Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo*, &c. Tradunt eandem veritatem omnes ſancti Patres præcipuè in illud Geneſeos, *inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Gregorius lib.14. Moralium cap.7. Irenæus lib.5. cap.7. Gregorius Nyſſenus orat.13. de reſurrectione. Tertull. de reſurrectione carnis, cap.34. Cyprianus ſerm. de reſurrectione Chriſti. Ambroſ. in libr. de bono mortis cap.9. & 10.

Eadem veritas ratione probatur in primis, quia nulla 13
eſt repugnantia in eo quòd detur compoſitum ex ſubiecto materiali, & formâ ſpirituali: ergo nullum eſt poſitiuũ fundamentum vt negetur tale compoſitum. Deinde de facto dari, & hoc eſſe hominem probatur ex operationibus intellectus, & voluntatis, quæ fiunt ab eodem principio in ipſo homine, à quo fiunt reliquæ vitales actiones materiales, veluti nutritio,& ſenſationes: ſed nutritio, & ſenſatio fiunt à forma: ergo & intellectio, & volitio fiunt ab anima rationali; ergo anima rationalis eſt vera forma. Huic rationi non acquieſcit Arriaga diſp.1.ſect.2 qui cenſet non efficaciter conuincere vnionem animæ, quia ſufficere poſſet aſſiſtentia localis, vt has operationes exerceret in materia. Contrà: ſi hæc aſſiſtentia ſufficeret, ſequeretur penetratis duobus hominibus poſſe vnius animum in materia alicuius hominis ſenſationes elicere. Imò ſine vlla penetratione quando duæ manus diſtinctorum hominum tanguntur, poſſet animus aſſiſtens materiæ huius hominis, ſenſationem producere in manu alterius, quia ad productionem actiuàm non requiritur penetratio, ſed ſufficit approximatio: ergo ſi ad ſenſatioees eliciendas non requiritur informatio, ex nullo capite requiretur penetratio, ſed approximatio ſufficiet.

Tandem probatur noſtra concluſio à paritate omnium 14
formarum,& ex expulſione formæ præexiſtentis ad aduentum rationalis, quæ non intercederet, ſi rationalis non informaret, quia forma non informans, ſed aſſiſtens, non opponitur cum informante. Neque indiuiſibilitas, ſubſiſtentia, aut ſeparabilitas animæ rationalis informationem impediunt, quia plures cenſent materiales formas perfectorum animalium indiuiſibiles eſſe,& rectè poteſt forma indiuiſibilis diuiſibili ſubiecto vniri. Subſiſtentia eodem modo compoſſibilis eſt cum vnione ad ſubiectum, quia tantùm infert incommunicabilitatem alteri vt ſuppoſito, non vt ſubiecto. Separabilitas ad rem non eſt, quid enim refert animam eſſe vnitam intercedente vnione, & illa deficiente in tempore diuerſo animam non eſſe vnitam ſed ſeparatam?

Secundum errorem Galeni & aliorum aſſerentium ani- 15
mam non eſſe ſubſtantiam ſed accidens, reiicit tota Philoſophia, quæ formas ſubſtantiales conſtituit in compoſitis, quæ in homine potiori ratione adſtruenda eſt propter mirabiliores ipſius operationes, & propter teſtimonia Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quæ probant animam eſſe ſubſtantiam. Expende ſupradicta contra primum errorem, & plura alia contra ſequentes afferenda, & ſi placet lege Diuum Gregorium Nyſſenum diſp. de anima, de hac re luculenter differentem.

Tertio & quarto errori dicenti animam eſſe igneam, 16
aëream, corpoream, refragãtur plura Scripturæ,& Patrum teſtimonia. Plura poſſunt adduci quibus anima in Scriptura

ſpiritus

spiritus vocatur, Lucæ 1. *Magnificat anima mea Dominum: & exultauit spiritus meus.* Matthæi 25. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Et cap. 27. *Emisit spiritum*, id est animam. Et Pauli 1 ad Corinth. 2. *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt nemo cognouit, nisi Spiritus Dei.* Aliáque innumera testimonia pro eadem veritate possunt adduci. Eadem veritas definita est in Concilio Lateran. sub Innocent. III. in cap. *Firmiter* de summa Trinit. vbi de Deo sic habet: *Sua omnipotenti virtute ab æterno vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem & corpoream, Angelicam videlicet & mundanam, & deinde humanam quasi communem, ex spiritu & corpore constantem.* Eandem veritatem docuit Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 8. dicens non minùs certum esse animam rationalem esse incorpoream, quàm esse immortalem, & à corpore independentem, animam autem rationalem esse immortalem sanctum est fide, quod ostendam Controuersi. vlt. Suffragantur eidem veritati omnes Patres, Ambrosius veritatem hanc probat ex primo Geneseos, *Inspirauit in faciem eius*, &c. Dionysius capite quarto de Diuinis Nominibus, Damascenus libro secundo de fide Orthodoxa, capite duodecimo, & libro tertio, capite decimosexto Gregorius Magnus libro quarto, Dialog. capite quinto, & libro secundo Moral. capite secundo, Nazianz. Apolog. cap. 2.

17 Non me latet nomen *Spiritus* non semper in Scriptura ad rem Spiritualem explanandam desumi, sæpè enim pro rebus materialibus desumitur. Ecclesiastic. capite tertio, numero vigesimoprimo: *Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus iumentorum descendat deorsum?* Desumpsi tamen ad conclusionem probandam testimonia Scripturæ, quæ Patres explanant de re spirituali, materiali opposita. Ratione Theologica probatur cóclusio ex visione Dei cuius rationalis animus est capax, quam capacitatẽ habere nequit materialis forma, vt prima Parte probant Theologi. Ratione naturali probatur ex cognitione rerum spiritualium, ex discursu, quo anima vnum infert ex alio, ex actibus reflexis, quibus anima seipsam, & proprios ipsius actus dignoscit. Ex perfectissima libertate, quá gaudet voluntas, ex voluptate, quam capit animus in ipsis rebus spiritualibus excogitandis, quas omnes rationes doctè, & eruditè expendit Pater Suarius lib. 1. de anima, cap. 9. ex Aristotele, D. Thoma, & aliis Patribus.

18 Quintus error Priscillianistarum asserentium animas esse particulas Diuinæ mentis, damnatus fuit in Concilio Braccarensi primo, capite quinto, & à Leone Primo. Epistola nonagesimá primá, capite primo: & contra illum arguit Magnus Ecclesiæ Pater Augustinus in libro de Origine animæ, capite secundo, & in illius sectatores corguit: Si anima esset Diuinæ mentis particula, vel Deus mutationi subiiceretur, quod ab illius infinita natura alienum est, vel anima esset incapax mutationis, atque ita neque deficeret in deterius, neque in melius proficeret, nec aliquid in semetipsa, quod primò non habuit inciperet habere, vel quod prius habebat desineret. Eandem amentiá irridet Chrysostomus homiliá secundá in caput secundum Geneseos, Athanasius libro de quæstionibus, capite de Anima, cuius confutationem adducit Diuus Thomas primá parte, quæstione nonagesima, articulo primo; & libro secundo contra Gentes, capite octogesimo quinto. Eundem errorem confutant testimonia omnia, quibus dicitur Deum condidisse animam, quæ si aliquid esset ad Deum intrinsecè pertinens, cùm ipse sit increatus, & æternus, non posset à Deo in tempore produci.

19 Sextum errorem Origenis, asserentis animam rationalem ab Angelis specie non distingui, reiicit Diuus Thomas 1 parte, quæstione septuagesima quinta, articulo septimo, & in disputatis quæstionibus de anima, articulo septimo ad primum, & secundo contra Gentes, capite nonagesimoquarto, & facilè conuincitur ex diuerso modo operandi, quem habet anima, ab Angelo; Angelus enim cognoscit per simplicem intuitum, vt docet Diuus Dionysius capite septimo de Diuinis nominibus, anima verò cognoscit per apprehensionem, compositionem, & discursum cognitionémque ex obiectis, & sensationibus materialibus deductam.

20 Septimum errorem Luciferianorum asserentium animas ex semine propagari damnant D. Augustinus libro de hæres. cap. 86. & D. Thomas 2. contra Gentes, cap. 86. Idémque 1. part. q. 118. art. 2. non solùm errorem, sed hæresim vocant. Opposita veritas habetur in Decretis 32. q. 2. cap. *Moyses*, & traditur communiter à Patribus.

Octauum errorem Seleuci, & aliorum asserentium animas rationales creari, non à Deo; sed ab Angelo damnant Ecclesiæ Patres, qui tanquam veritatem Catholicam tradunt animas rationales à Deo creari: Hieronymus in Epist. 17. ad Damasum, quæ scribitur *Explanatio symboli*, & in Apologia ad Pammachium aduersùs Hæreses Ioannis Hierosolymitani, vbi ait, Ecclesiasticam esse sententiam Deum nouas quotidie animas conceptis iam corporibus infundere. Ambrosius lib. de Noe, & arcâ. Chrysostomus homil. 23. in varia loca Matthæi, Bernardus sermone 27. in Cantica Eandem veritatem statuit Philosophia, iuxta quam nulla creatura potest aliam creare. 21

Nonum Origenis errorem asserentis animam rationalem priùs tempore creari quàm corpori vniatur damnat Leo I. epist. 3. contra errores Priscillianistarum, & Concilium Constantinopolitanum V. act. 11. in Epist. Sophronij, & ratione Philosophica reiicitur, quia animus rationalis est forma corporis, vt suprà probatum est: ergo petit produci cum vnione ad corpus; ergo non potest naturaliter produci priùs tempore quàm corpus. 22

Decimum errorem Auerrois asserentis omnibus hominibus vnicum esse intellectum assistentem damnat Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 8. his verbis: *Damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse, & vnicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes, cum illa non solùm verè per se & essentialiter homini corporis forma existat, verùm & immortalis, & pro corporum multitudine singulariter multiplicabilis, multiplicata, & multiplicanda sit.* Et ratione facilè reiicitur, quia si omnibus hominibus esset idem intellectus, intellectiones omnes à communi omnium intellectu procederent, & ita omnes idem intelligerent, eodem modo, & in omni tempore. 23

Vndecimus error Pythagoræ in anilem fabulam transiit, refellitur testimonio suprà adducto, & testimoniis, quæ probant animam creari eodem tempore, quo materiæ vnitur, neq; ratione speciali sunt impugnanda illa, quæ communi hominum repugnant sensui. 24

§. III.

Concertatio inter Catholicos dirimitur.

HAbenda est iam quæstio cum Doctoribus Catholicis de modo, quo rationalis anima corpus informat, in qua re præcipuè cum Caietano Doctores agunt quem referunt 1. p. quæst. 76. art. . in respons. ad primum, dicentem animam rationalem informare corpus secundùm gradum sentiendi; non secundùm gradum ratiocinandi. Hæc sententia si secundùm communem modum, quo refertur intelligenda sit, nullo probabili innititur fundamento, anima enim secundùm eandem indiuisibilem entitatem realem est sensitiua, & est rationalis, ergo non potest informare materiam secundùm vnam rationem, & non secundùm aliam. Probo consequentiam: animam informare materiam nihil aliud est quàm illi esse vnitam, sed non potest esse vnita secundùm vnam rationem & non secundùm aliam: ergo. Maiorem omnes admittunt; minorem facilè probo: Vnio non potest præscindere inter prædicata realia realiter identificata: ergo si terminatur ad vnum prædicatum, terminatur ad aliud, quod est identificatum cum illo, aliàs terminaretur, & non terminaretur ad eandem entitatem, & posset similis præcisio in ista rei productione reperiri, & produci vnum prædicatum, & non aliud cum illo identificatum: non enim minùs physicè attingitur terminus vnionis vnione, quàm terminus actionis actione. Vide quæ scribo Controu. 4. punct. 8. vbi probo hanc præcisionem, adhuc in cognitione abstractiua, non posse reperiri respectu prædicatorum, quæ in re sunt idem, tantùm abest, vt in vnione, vel aliis entitatibus non intentionalibus, sed physicis, reperiatur, quod nullus prorsus Dialecticus admittet. 25

Dices: Anima rationalis non communicat materiæ prædicatum rationalis: ergo non illi vnitur vt talis. Insto; anima non communicat materiæ prædicatum formæ; neq; prædicatum sensitiuæ aut vegetatiuæ, ergo non vnitur quatenus forma, neque quatenus vegetatiua, aut sensitiua. Resp. negando consequentiam; nulla enim forma communicat subiecto propriam naturam, neque prædicatum aliquod, illud impingendo subiecto per identitatem, sed tantùm 26

tantùm terminando secundùm tale prædicatum, & secundùm se, totam vnionem, attingendo materiam primam tanquam aliud vnionis extremum; & hac ratione anima rationalis communicat subiecto prædicatum rationalis, quia secundùm prædicatum rationalis terminat vnionem respicientem materiam tanquam aliud terminum.

27 Hurtad. disp.... sect. 5. explicat hanc sententiam de reduplicatione facta per intellectum potentem apprehendere animum vnitum physicè secundùm omnia sua prædicata non vniri secundùm prædicatum rationalis materiæ, quia non exercet operationes rationis in materia, quo sensu potest dici animum non vniri ossibus quatenus sensitiuum, quia non elicit in ossibus sensationes: sed neque secundùm hanc explicationem subsistere potest hæc opinio, quia etiamsi anima non exerceat operationes in subiecto, potest intelligi illi vnita secundùm prædicatum illud, quo potés est tales operationes exercere, vniri enim secundùm prædicatum rationalis, non est exercere ratiocinationem in subiecto, cui vnitur, sed terminare vnionẽ secundùm virtutẽ intrinsecam, quam habet anima secum identificatam ad tales operationes exercendas, sicuti vniri animam vt sensitiuam non est sensationem exercere, sed vniri secundùm virtutẽ sensitiuam quod est idem ac virtutem illam esse vnionis terminum, sicuti omnes affirmant animum rationalem vt sensitiuum vniri ossibus, etiamsi sensationes in ossibus non exerceat. Sed esto non dicatur vniri animus secundùm illam virtutem cuius actiones à materia non dependet; adhuc dici deberet animam vt rationalem, esse vnitam quia exercet actus ratiocinandi in cerebro, à cuius dispositionibus dependet ad operationes rationales exercendas, quibus deficientibus, illas non potest exercere, vt patet in amentibus, & delirantibus. Quod autem non exerceat has operationes in omnibus partibus corporis, nihil refert, quia etiam non exercet omnes operationes sentiendi in toto corpore, & nihilominus dicitur vniri, vt sensitiua, ergo dicetur, vt rationalis, vnita, etiamsi operationes ratiocinandi in toto corpore non exerceat.

28 Rursus probo animum vt rationalem vniri. Animus rationalis constituit humanam naturam rationaliter viuentem, vt omnes fatentur, & constat ex Concilio Constantinopolitano VI. in epist. Sophronij quæ habetur actione 11. & actione 13. approbata est, & definita vt fidei orthodoxæ consona, in qua dicitur Verbum sumpsisse carnem humanam non solùm quomodocumque viuentem, sed etiã rationalitatem, & intellectualitatem: ergo anima vt rationalis vnitur subiecto, & est forma compositi. Probo cõsequentiam: forma non potest constituere compositum tale secundùm illam rationem, secundùm quam non est forma illius, & non est vnita materiæ: ergo si communicat composito prædicatum rationalis, secundùm prædicatum rationale est forma compositi, & est vnita materiæ. Antecedens probo. Eatenus forma se toti communicat quatenus est forma illius, & illud componit simul cum materia, ergo secundùm rationem, secundùm quam non est forma illius, neque est vnita materiæ, non se potest toti communicare: ergo si communicatur quatenus rationalis, erit quatenus rationalis vnita. Probat hæc ratio adhuc per intellectum quomodocumque præscindentem animam vt rationalem vniri, quia formalissimè per illum homo intelligitur essentialiter rationalis, & non potest intelligi anima formaliter communicans hoc prædicatum, si non intelligatur secundùm illud vnita: ergo debet intelligi vnita secundùm hoc prædicatum, quia nequit anima se communicare secundùm aliquod prædicatum, secundùm quod non sit formaliter vnita, quia tota illius communicatio consistit in vnione media qua se toti communicat, & compositum tale constituit.

29 Aliter potest benignius explicari Caietanus: ipse enim loco citato asserit animam intellectiuam secundùm essentiam esse actum corporis; non autem secundùm potentiam, quia anima intellectiua, in quantum potens est intelligere, non est perfectio corporis, cùm intelligere in corpore non suscipiat. Et subdit postea animam intellectiuam esse formam corporis. Ex quo auctores inferunt sensisse Caietanum, animam vt vegetatiuam, & sensitiuam esse formam corporis & non secundùm gradum ratiocinandi. Intelligi tamen possunt quæ docet Caietanus de anima, vt proximè, & formaliter intellectiua per potentiam illi superadditam, secundùm quam non est forma corporis, quia intellectus superadditus non respicit materiam tanquam subiectum, cui immediatè sit vniendus, sed tantùm ipsam animam cui tantùm immediatè vnitu, & ex qua educitur. Quod si potentiæ superadditæ in animonon ponantur, adhuc posset nonnullam explicationi empati Caietani sententia, si illas formaliter distinguere mus ab ipsa anima in qua intellectus præscinderet gradum rationalis tanquam radicem potentiæ intellectinæ, etsi identificatæ cum ipsa anima, posset enim dici animam vniri secundùm gradum rationalis, quem toti communicat, non tamen in ordine ad nostrum intellectum, secundùm rationem formalem potentiæ intellectiuæ; in sententia verò, quæ adhùc formaliter potentiam intellectiuam ab animo non distinguit, locum habere nequit modus loquendi Caietani, verùm à Caietano exigendum non est, vt ipse suas loquutiones aliorum sententiis accommoder, satis illi erit si iuxta sua principia consequenter loquatur.

Tertiò. Durius in hac re loquutus est Ferrara secundo contra Gentes cap. quinquagesimo octauo, dubitat. vlt. §. *Ad primum horum dicendum*, vbi hæc habet: *Anima intellectiua vt sic, non est actus corporis, sed tantùm in quantum virtute continet vegetatiuam, & sensitiuam, eo quod non vnitur materiæ nisi propter vires sensitiuas, quibus ad intelligendum indiget, & ideo si ponatur à vegetatiua, & sensitiua in homine distincta, vt pote habens tantùm quod intellectiua est, nullius corporis est actus.* Quæ verba mitissimâ indigent interpretatione, vt in verum explicari possint, & cohæreant cum dogmate tradito in Clementina cap. *Firmiter*, de summa Trinit. vbi definitur animum rationalem verè esse hominis formam; legantur verba Clementinæ supra adducta. 30

PVNCTVM IV.

Quæ partes informentur animo?

MAior difficultas est de sanguine an informetur formâ rationali in homine, & formâ viuentis in aliis animantibus. Negat Pater Suarez tom. 3. in 3. partem disp. 151. sect. 3. §. *Altera pars*. Vasquez tom. 1. in 3. part. disp. 136. n. 2. Conimbr. 1. de generatione c. 4. q. 14. & alij apud ipsos. 1

Oppositam sententiam defendit Hurtad. disp. 1. sect. 6. pro qua refert D. Thomam, & Caietanum, & Arriag. disp.... sect. 9. subsect. 2. & alij apud istum. In hanc sententiam magis inclinor, non propter rationem aliquam efficacem, quam pro illa inuenerim, existimo enim vtramque facillimè posse defendi, & neutram efficaciter probari, sed propter aliqua testimonia, quæ adducit Hurtado ex Scriptura, & Tridentin. & propter auctoritatem Augustini adiuncta testimonio Leuit. vbi dicitur cap. 17. *Animam omnis carnis in sanguine esse*. Super quod D. August. q. 57. in Leuit. ait: *Aliquid vitale est in sanguine, quia per ipsum maximè in hac carne viuit: ipsam vitam corporis vocauit animam.* Hæc Augustinus: quibus vitam, quæ est anima, sanguini tribuit. Deinde sanguinem hominis informari animo rationali, sic probo: sanguis est vera pars hominis: ergo informatur animâ rationali, consequentia est legitima: nam cùm sanguis non sit materia, neque forma, non potest esse pars essentialis: ergo si est pars debet esse pars integralis, sed omnis pars integralis informatur formâ totius; ergo sanguis si est pars informatur forma hominis. Tota difficultas est in hac probatione antecedentis, videlicet, quòd sanguis sit pars; hoc in primis suadetur, quia homo sine sanguine esset mancus & mutilus: ergo sanguis est pars: consequentia probatur: si sanguis non esset pars, homo penitus exanguis haberet omnes partes integrales, & essentiales: ergo esset integer; ergo non mancus, neque mutilus: Antecedens, non aliam fortiorem probationem habet, quàm ipsam apprehensionem; quis enim dicet hominem exanguem, integrum esse? si autem quis id intrepidè affirmet, existimo non facilè conuincendum fore, quia quod aliqui adducunt in confirmationem huius antecedentis, videlicet hominem exanguem ineptum esse ad omnes actiones viuentis, & sine illo conseruari non posse, licèt verum sit, non tamen efficaciter probat intentum, idem enim accideret homini non habenti aërem ad respirandum, & tamen aër non est pars corporis. 2

Idem antecedens videlicet sanguinem esse partem hominis efficaciùs probatur auctoritate Innocentij III. in quadam Extrauagante, de celebratione Missarum, vbi docet 3

aquam

aquam, & sanguinem fluxisse de corpore Christi, vt ostenderet Christi corpus habuisse quatuor humores pertinentes ad veram hominis constitutionem: ergo si pertinent ad constitutionem hominis sunt partes illius: ergo & sanguis est pars hominis. Idem probatur ex Tridentin. sess. 13. cap. 3. Vbi postquam definit corpus ex vi verborum esse sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi eorumdem, corpus tamen & sanguinem simul esse, tàm sub specie panis, quàm sub specie vini id fieri dicit; verba sunt Concilij: *Vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis surrexit non amplius moriturus inter se copulantur.* Quibus verbis expresè docet Concilium sanguinem esse partem corporis Christi, cùm asserat comitari corpus ex vi connexionis qua partes illius copulantur. Abstineo ab aliis rationibus, quibus hæc conclusio solet probari, existimo enim omnes alias esse inefficaces: talis est quæ desumitur ex vnione Verbi ad sanguinem, quia melior pars Theologorum asserit Verbum posse vniri creaturæ irrationali, ac proinde non rectè infertur: Verbum fuit vnitũ sanguini: ergo sãguis est informatus animo rationali.

4 Obiicies primò. Sanguis non est vnitus reliquis partibus corporis; ergo non est informatus animo rationali. Respondeo, negando antecedens, assero enim plures partes sanguinis esse vnitas iecori, ratione quarum totus sanguis inter se vnitus corpori viuentis vnitur.

5 Obiicies secundò. Sanguis est alimentum. Respondeo sanguinem non esse alimentum totius viuentis adæquatè sumpti, quia hoc includit sanguinem; sanguis autem alimentum est partium solidarum viuentium, neque est inconueniens partes quasdam viuentis ali ex alia parte, sanguine videlicet, quia cùm sint partes heterogeneæ, potest caro alterare compartem aliam, videlicet sanguinem, introducendo in materia illius proprium carnis temperamentum, quo præcisè sanguis, qui est fluidus, fiet solidus, & habebit rationem carnis, si partes heterogeneæ sunt intrinsecè eiusdem rationis, vel si sunt diuersæ rationis cum diuerso temperamento introducetur pars alia diuersæ rationis. Nec mirum est vnam partem formæ viuentis esse incompossibilem cum alia diuersæ rationis, cùm inter formas adæquatas eiusdem speciei, & eiusdem omninò rationis, hæc incompossibilitas intercedat.

6 Obiicies tertiò. Sanguis habet eandem formam quando est intra corpus, ac quando est extra illud, sed quando est extrà, non est animatum: ergo neque quando est intrà. Respondeo negando antecedens, sanguis enim extra corpus in ipso instanti quo separatur à sanguine intra corpus remanente amittit formam viuentis, cuius non leuis est coniectura amissio coloris sanguinis, quæ eiusdem amissionem sequitur.

7 Obiicies quartò. Si sanguis est informatus formâ hominis, ergo sanguis est corpus illius, ergo ex vi verborum est sub specie panis: consequens non potest admitti; ergo neque antecedens. Respondeo nomine *corporis* non intelligi quodcunque corpus metaphysicè sumptum, sed corpus solidum, quod à sanguine distinguitur, qui nomine *corporis* non significatur, præcipuè in consecratione panis, in qua ponitur corpus per modum cibi, sanguis autem non est per modum cibi, sed per modum potus.

8 Contra hunc dicendi modum, quem adducit Hurtado insurgit Neotericus quidam hac ratione. Mustum etiamsi extra vuam non sit per modum cibi, sed per modum potus, dum tamen est intra vuam, est per modum cibi: ergo etiam sanguis dum est intra carnem erit per modum cibi. Hæc obiectio non est contra Hurtad. sed contra institutionem mysterij directè opponitur, in illo enim instituta est conuersio vini in sanguinem Christi per modum potus, & tamen non ponitur sanguis Christi extra carnem, sed intra carnem: ergo si sanguis intra carnem non est per modum potus non ponitur sanguis ex vi verborum sub speciebus vini per modum potus. Videant recentiores quid inferunt, & quàm absurdè arguunt. Respondeo, magis fluidum esse sanguinem intra venas quàm mustum intra vuam, & ita hoc non est per modum potus intra vuas. In hoc argumento amplius nõ est immorandũ, ea enim quæ ex morali existimatione dependẽt non sunt rationibus metaphysicis examinãda.

9 Addo tamen prædictum argumentum eamdem vim habere, & eodem modo procedere in materia Eucharistica, etiamsi dicatur sanguinem non viuere, ac proinde abs re hic adducitur, quia sanguis, etiamsi habeat formam non viuentis, æquè erit corpus, ac si formam viuentis habeat, deinde in quacunque opinione sanguis dicitur sanguis hominis, intra cuius carnem continetur. Ergo cùm sanguis inclusus intra carnem Christi dicatur, & verè sit Christi, & ad illum pertinens, & ex alia parte sit corpus, dicetur corpus Christi: ergo demonstrabitur his verbis: *Corpus meum* à Christo prolatis. En teneris respondere verbum *corpus* non significare in consecratione corpus metaphysicè sumptum; sed corpus solidum, quod fluido, & cum sanguine opponitur, quæ conclusio optima est, & æquè in vtràque sententiâ subiicitur.

Obiicitur quartò. Sanguis augetur per iuxtapositionem: ergo non est viuens. Nego antecedens. Vnde enim constat augeri per iuxtà positionem, an quia fluidum? minimè; quædam enim solida augentur per iuxtapositionem, alia verò per intùs sumptionem: ergo idem in fluidis continget, in quibus nulla poterit dari ratio, propter quam non possint per intus sumptionem augeri. 10

Dicendum est secundò, ossa animari; sunt enim partes valde præcipuæ hominis, ex defectu enim cuiusuis ossis homo dicitur mancus: sunt enim ossa tota structura hominis, sine quibus consistere non valet. 11

Dicendum est tertiò, dentes animari. Hanc conclusionem infero ex præcedenti, sunt enim eiusdem rationis cum reliquis ossibus, deinde eam probo: dentes non augentur per iuxtapositionem; sed per intùs sumptionem, quia pars dentium, quæ est extra carnem, & in puero est angustior, in eodem adolescente fit latior, & augetur, illi autem parti non applicatur materia per iuxtapositionem vt augeatur. Si autem inquiras quomodo dentes cum carne continuentur. Respondeo, continuari per quasdam fibras carneas, quibus à reliquis partibus carnis dependent. 12

Obiicies. Dentes non habent terminum accretionis, quod probatur, quia continuâ illorum attritione plures eorum partes deperdi necessum est, & tamen non videmus illos fieri minores: ergo continuò crescunt, adhuc in senibus, quod non contingit in reliquis ossibus. Respond. reliqua ossa non continuò augeri, quia perueniunt ad propriam magnitudinem, quam cùm non deperdant, neque possunt ad productiorem se extendere quantitatem, neque hac extensione indigent: dentes verò cùm continuò admittant quantitatem illam, quæ est terminus accretionis illorum, proinde nutriuntur vt substantiam deperditam per nutritionem resarciant: neque ex hoc infertur non habere terminum accretionis, hic enim non consistit in eo quod certo tempore transacto augeri non possit entitas, quæ terminum habet, sed in eo quod non possit certam magnitudinem excedere, vt patet in carne quæ terminum magnitudinis habet, & adhuc in valdè senibus augetur. 13

Dicendum est quartò, plumas auium viuere: probatur hæc conclusio, quia plumæ auium augentur per intùs sumptionem, & non per iuxtapositionem, quod ostendit proportio, quâ omnes plumæ partes augentur, quæ non potest fieri per iuxtapositionem, quia extremæ partes non possunt augeri per iuxtapositionẽ, aliàs auulsæ ab auibus augerẽtur. 14

Dicendum est quintò. Capillos non viuere: hanc conclusionem præcipuè trado ex eo quod nullum indicium vitæ in capillis inueniam, neque fundamentum, vt eam illis concedam: deinde quia homo caluitie laborans non dicitur mancus, quod signum est capillos non esse partes hominis, sed excrementa quædam, quæ in proprium ornatum ordinauit natura. Deinde idem suadetur ex illorum augmento, quod maximum esse solet, sunt enim aliqui equi, qui crinibus solùm verrere possunt, qnod signum est nullum terminum habere determinatum.

Obiicit Arriaga experientiam, quâ constat nonnullos homines instantis mortis metu correptos intra spatium vnius noctis incanuisse, quæ mutatio repugnaret, si capilli non haberent poros, per quos vitaliter qualitates, & humores fugerent. Licet enim vsque ad capilli radices humores traherentur nen possent immutare capillum, præsertim longum. Ego sanè aculeum huius obiectionis non percipio, ad quid enim necessarij sunt pori in capillis, vt qualitatem fugant, quâ breuissimo tempore canescant? qualitas enim nullis indiget poris, vt totum commeet capillum, quia hæc non occupat spatium distinctum à quantitate capillorum. Deinde etiamsi capilli poros habeant, per quos illam qualitatem attrahant, vnde infertur hanc attractionem esse vitalem? nonne cùm lana humiditatem corporis contigui attrahit, & lignum partes aquæ applicatæ per poros, talis attractio dicenda est vitalis? Certè si hoc 15

dicatur,noua viuentia hac experientia cognoscemus.Respondeo,illos homines canescere per productionem cuiusdam qualitatis prius productæ in capillorum radicibus, & deinde diffusæ per partes distantiores ab humore, vel qualitate in carne hominis residente.

17 Aliam experientiam cuiusdam vnguenti cuius attactu capilli repentè canescunt, quam pro nostra sententia sibi obiecerat Arriaga, in proprium fauorem vult conuerti, quæ negari posset, non enim facilè inuenies, qui eam viderit,quia tamen illius difficultas nullius est momenti, in ea resoluenda non immoror:tantùm moneo eodem modo illi responderi,ac argumento suprà facto respondi.

18 Dicendum est sextò. Vngues non viuere. Hæc conclusio est contra Hurtadum & Arriagam,docentes medios vngues, quibus digiti operiuntur viuentes esse;non verò extremas illorum partes quæ digitis supereminent. Ego sanè differentiam inter medias, & extremas vnguium partes non inuenio,pars enim quæ nunc est media successu temporis fit extrema,vt patebit,si in medio vngue punctum signes,quod postea in extrema illius parte inuenies. Deinde partes mediæ ac extremæ habent eadem omnino accidentia, neque in illis signum aliquod diuisionis inuenies:ergo sunt vnitæ,ergo sub eadem forma. Meam conclusionem probo, quia vngues nullum habent indicium vitæ: deinde crescunt per iuxta positionem,vt constat experientia per signa terminorum puncti dicta modò;deinde quia si duo signes semper æquè distabunt; qui modus augendi est proprius non viuentium, neque homo mancus dicetur ex eo quod careat vnguibus.

19 Obiicit Arriaga: Ex eo quod ossa non sentiant, non licet inferri non esse viuentia:ergo ex eo quod vngues nõ augeantur per intùs sumptionem, id non licebit inferri. Resp. quod etiamsi ossa non sentiant, habent tamen proprietates alias,ex quibus infertur esse viuentia:si verò ossibus demas augmentum per intùs sumptionem nullum vitæ indicium in illis remanet.

20 Dicendum est septimò, semen non viuere. Probatur, quia non est pars hominis,non enim dicitur mancus puer, in quo nondum semen est elabotatum, deinde quia semen non est datum in ordine ad viuens, in quo formatur; sed in ordine ad generationem aliûs viuentis, ex quo infertur non esse partem hominis, qui illud elaborat, pars enim est in ordine ad totum cuius est pars. Aliam rationem adducit Hurt.desumptam ex Arist.2.de Generat.animalium c.3.ante finem,vbi de semine hæc scripsit:*Nam illud quoque excrementum est,habetque omnes partes potentia,actu nullam*:ergo semen est excrementum,& non pars hominis:ergo non habet vitam. Quod autem luxuriosi sint debiles & macri, non est quia semen animatur;sed quia sanguinem, qui vitam habebat, insumunt in semine elaborando. Spadones verò mancos esse dicimus, non quia careant semine, sed quia carent neruis,quibus semen elaboratur.

21 Dicendum est octauò,lac non viuere.Probatur hæc cõclusio eisdem omnino rationibus,ac præcedens,datum est enim à natura intuitu prolis,non intuitu illud elaborantis, neque virgo in qua lac non est formatum, manca dicitur. Deinde lac est excrementum, non verò vt aliqui putant sanguis nimis coctus,quia sanguis est valde calidus,lac verò nimis frigidum.

PVNCTVM V.

An Animus rationalis indiuisibilis sit.

1 PRobant multi animum rationalem esse indiuisibilem, ex eo quod spiritualis sit, de qua ratione iudicium ferre non poterimus,neque exactè Puncti difficultatem examinare, si prius non præmiserimus quid importet conceptus *spiritus*, quid conceptus *corporis* in tota sua latitudine accepti vt distincti ab omni ente spirituali.

§. I.

Quomodo alij rationem corporis & spiritus definiant.

2 HVrtadus disput.4.de anima, sect.5. asserit corpus esse *quod componitur ex partibus integrantibus extensiuè, aut pertinet ad eam compositionem.* Hanc definitionem desumpsit ex nostro Vasquez, qui 1.part. quæst.11. disp.188.n. 30. ægrè fert Patrem Suarez constituisse præsentiam Angeli ex partibusintegrantibus compositam. Contra hanc sententiam plures insurgunt recentiores, qui Patrem Suarez patronum compellant disput.4.metaph.sect.1.& latiùs de Angelis lib.4.cap.1.cum illo pugnaciter defendentes non esse de conceptu rei spiritualis carere partibus,in quas integraliter diuidi possit. Cum Suario, & recentioribus eo, quorum sententiam sic probo: Gratia habitualis constat partibus integrantibus intensiuis;ergo sunt possibiles plures gradus gratiæ spiritualis,& inter se distincti pertinentes ad vnam compositionem saltem intensiuam, & de facto datur spiritualis gratia diuisibilis in partes intensas. Concedunt aduersarij,& ex concessis infero: ergo potest dari entitas spiritualis diuisibilis in partes extensiuè diuisibiles. Hic totus argumenti cardo;probo consequentiam: intensio & extensio in qualitate tantùm differunt per ordinem ad subiectum;gradus enim, qui vniti eidem subiecto indiuisibiliter sumpti intensi dicuntur, per diuersas subiecti partes distributi dicuntur extensi: ergo gradus qui intensionem constituunt, possunt extensionem constituere; probo:gradus qui vniuntur eidem subiecto indiuisibiliter sumpto,possunt vniri diuersis partibus subiecti,quia per se essentialiter non sunt hi gradus ita inter se connexi, vt petant eandem subiecti partem, vel idem subiectum omnes simul informare, neque per se ipsos vniuntur huic subiecto: ergo hi gradus de facto informantes idem indiuisibile subiectum possent per diuersa subiecta distribui, ex duobus enim gradibus gratiæ,qui sunt modò in anima huius iusti posset vnus esse in eadem anima, & alter in anima aliûs iusti:ergo possent etiam in diuersis subiecti partibus subiectari:ergo possent compositionem integralé extensiuè constituere. Vrgeo:vnio partium subiecti recipientis formam non potest reddere subiectum incapax recipiendi partes formæ,quas sine vnione recipere posset,sed duo subiecta spiritualia,si non essent vnita, & quodlibet illorum esset totum adæquatum possent recipere duos gradus gratiæ:ergo etiamsi essent vnita,eosdem possent recipere,& ita possent illi gradus esse in diuersis partibus subiecti distributi.

Dices repugnare subiectum diuisibile potens recipere gradus distinctos gratiæ secundum distinctas sui partes. Contrà:non repugnat qualitas secundùm suam entitatem diuisibilis in plures partes:non repugnat subiectum in se diuisibile.Recurris ad distinctionem compositionis intensiuæ &extensiuæ,sed non tutè:Gratia secundùm suam entitatem præcisè consideratam compositionem habet, non secundùm se intensiuam,vt ab extensiua distinguitur, quia gradus gratiæ inter se vniti si à subiecto abstrahantur,compositionem faciunt non intensiuam,quia intensio subiecti connotat: ergo sicuti non repugnat qualitas secundùm se composita ex partibus, non repugnabit substantia secundùm se diuisibilis in diuersas partes.Ex hac ratione infero compositionem omnem, siue extensiuam, siue intensiuam intrinsecè eiusdem omnino esse rationis,& tantùm extrinsecè,& accidentaliter differre.Vrgeo in sententia veriori, quæ omnibus entitatibus præsentias distinctas impertitur; gratia intensa, vt octo, habet præsentiam diuisibilem in octo partes, quarum quælibet distincto gradui gratiæ correspondet;ergo hæc præsentia haberet compositionem in ordine ad subiectum,non intensiuam,quia non omnes partes gratiæ idem indiuisibile subiectum respicerent: ergo extensiuam: compositio enim extensiua non consistit in partibus correspondentibus diuersis spatij partibus sed diuersis partibus subiecti:si enim modò huius papyri quantitas tota penetraretur,non ideo partes respondétes diuersis illius partibus non eandem compositionem extensiuam in ordine ad subiectum retinerent. Quod si velis compositionem extensiuam non solùm entitatiuam subiecti, sed localem importare, dabo gratiam à subiecto separatá cuius gradus Deus potest ponere vnum extra alterum localiter,& ita illius præsentiæ partes extensionem entitatiuã & localem subiecti habebunt.Tandé vrgeo:etsi forma spiritualis non possit educi ex materiali subiecto,tamé potest illi vniri,vt patet in anima rationali:ergo poterit Deus gratiam spiritualem creare,& illã vnire subiecto materiali diuisibili cũ correspondentia partiũ gratię ad partes subiecti, & ita compositionẽ integralem extẽsiuam constituet. Plerique eandem sententiam impugnant ex præsentia Angeli,quæ per diuersas sui partes,in quas est diuisibilis,diuersas spatij partes respicit, verũtamen facile probatu nõ est,

præsentiam

præsentiam Angeli has partes distinctas continere,& non esse simplicem & indiuisibilem secundum se totam, totum diuisibile spatium, & singulas illius partes respicientem.

4 Efficacissimè ad hominem eandem sententiam contra Hurtado impugno: Vnio animæ rationalis subiectatur in materia,& est spiritualis in sententia Hurt. sed hæc vnio habet partes reales distinctas,diuersas materiæ partes respicientes;ergo vnio hæc spiritualis diuisibilis est in diuersas partes integrantes.Negat minorem Hurt.quam sic probo:Si vnio animæ ad materiam esset impartibilis,in qualibet hominis diminutione deperderetur tota illius vnio.& alia aduenireț. Similiter in qualibet augmentatione noua totalis vnio produceretur, & antiqua corrumperetur:ergo ex qualibet minima augmentatione, & diminutione resultaret alius homo, non solùm integraliter: sed etiam essentialiter,quia resultaret alia vnio, quæ est de hominis essentia.Has illationes admittit Hurt.disp.5.Physic.sect.7. subs.1.n.121.quarum illatum consequens falsum esse ostẽdo.Nutritio non prouenit ab anima secundum se, anima enim separata non causat nutritionem: ergo prouenit ab homine:ergo supponit hominem tanquam principium illius:ergo supponit vnionem constituentem hominem,sed non potest supponere vnionem, ad quam terminatur & cuius est productio: ergo supponit vnionem aliunde productam,non aliam nisi præexistentem: ergo vnio præexistens non corrumpitur in illo instãti temporis,in quo alia producitur,nihil enim potest corrumpi in instanti in quo supponitur prius naturâ, quia in illo iam supponitur existens,& implicat aliquid corrumpi in instanti temporis,in quo existens supponitur:ergo in illo instanti,in quo est nutritio existit duplex vnio adæquata,vna ex parte principij, & alia ex parte termini quod absurdum est;vel ex vnione antiqua & producta fit vnio adæquata diuisibilis in partes.

5 Respondeti posset ex doctrina Hurtadi; in homine reperiri duplicem vnionem, quandam ex parte materiæ diuisibilem in partes materiales;aliam ex parte formæ, ex quibus vnio diuisibilis tenens se ex parte materiæ augenda per aliam partem vnionis se tenet ex parte principij nutritiui ad partem vnionis materialis producendam in augmentatione,& ad vnionem totalem spiritualem tenẽtem se ex parte formæ in eadem augmentatione producẽda.Hoc effugium non habent,qui duplicem vnionem non concedunt,sicuti Pater Vasquez,&alij,sed iam illud etiam Hurtado præcludo. Ad nutritionẽ debet supponi ex parte principij homo essentialiter,peromnia quæ illi sunt essentialia, sed si admittatur in homine duplex vnio, non sufficienter,& adæquatè constituitur per vnicam vnionem, sed essentialiter dicit vtramque, ergo vtraque vnio debet supponi ex parte principij actionis nutritiuæ, & non sufficit supponi vnionem tenentem se ex parte materiæ.

6 De hac re acutè recentiores latè egere, quorum opiniones referre, satis esset operosum, quia tot sententias quot capita inuenio, omnes tamen ad duas classes reducuntur. Prima est illorum, qui per extensionem localem rationem corporis explicant. Secunda eorum, qui per dependentiam à quantitate, seu materiâ primâ corporeum constituunt. Primi in indiuisibile quantitatis reiiciendi sunt, quod non habet extensionem, & est corporeum. Dicunt aduersarij indiuisibile quantitatiuum ordinari ad extensionem. Non satisfaciet solutio opinantibus totum ex indiuisibilibus componi;quia secundùm hãc sententiam, indiuisibile etiam præcisum ab omni alio, & à corpore totam essentiam retinet quantitatis, ac proinde, licet possit cum alio indiuisibili totum componere per se non ordinatur essentialiter ad illud cùm quo extensionem constituit, quia sicut non dicimus vnam partem integralem essentialiter ordinari ad aliam,sic in hac sententia vnũ punctum quantitatis ad aliud essentialiter non ordinatur. Secundò concedunt multi ex recentioribus possibile esse totum corporeum completum,quod nullam habeat compositionem integralem,nec extensionẽ.Possent dicere hoc totum & illud indiuisibile,fieri impenetrabile,quam solutionem impugnabunt obiectiones, quæ contra propriam sententiam adducam,quibus solutiones nostræ in hac sententia sic explicata non poterunt adhiberi.

7 Auctores secundæ classis impugnandi sunt, quia actio creatiua caloris non dependet à quantitate, neque à materia prima mediatè,neque immediatè,suum enim respicit calorem tanquam terminum, neque medio illo potest à subiecto dependere,cùm potiùs calorem ipsum independentem ab omni subiecto constituat, & positâ creatione caloris existit calor omnino independens à quantitate, & à materia prima.Hanc impugnationem,&præcedentẽ passim apud recẽtiores reperies:aliter ego sentẽtiã impugno. Phantasma materiale eleuatũ ab intellectu spirituali producit in intellectu speciem impressam,vel expressam spiritualem:ergo actio productiua talis speciei, quæ spiritualis est,& in anima recipitur, pendet à phantasmate:ergo à re corporea:ergo entitas spiritualis potest dependere ab entitate materiali.Forsan hæc phantasmata si aliquibus recẽtioribus apparuissent,deterruissent illos ab hoc dicẽdi modo.Respondebit aliquis dependentiam in genere efficientis à quantitate,non obesse rationi spiritus, neque rationẽ corporis constituere. Contrà: Nulla definitio huius differentiæ meminit, sed omnes rationem corporis explicant per dependentiã à quantitate,seu à re quanta,& quia actio terminatur ad rem quantam,vel corpoream(v.g.calorem) corporea dicitur: ergo potiori iure deberet dici quanta, quia dimanat tanquam à principio, à re quanta, si in hac dependentia ratio corporis consisteret;dependentia enim ab efficiente proprior est,quàm à termino.

§. II.

Definitio rei spiritualis, & corporeæ iuxta propriam sententiam.

8 SIc ego rationem corporis in tota sua latitudine vt distincti ab spiritu definio. *Entitas, cui in statu, qui naturaliter illi potest accidere, formaliter ratione intrinseci repugnat penetratio cum alia eiusdem speciei omnino à se diuisa.* Illud autem *intrinsecè*,intelligo ratione ipsius entitatis, vel ratione aliûs entitatis,quæ illi intrinseca sit,siue sit terminus extrinsecus, siue subiectum,quod dicitur intrinsecum formæ, non verò ratione agentis, quod extrinsecè se habet respectu actionis, nam licet actio intrinsecè referatur ad agens, refertur intrinsecè tanquam ad terminum extrinsecum, in ordine ad quem extrinseca dicitur. Ratio spiritus definienda est: *Entitas, cui in statu, qui illi potest naturaliter contingere, non repugnat formaliter ratione intrinseci penetratio cum alia entitate eiusdem speciei omnino à se diuisa.* Definitiones has maiori explicatione existimo non indigere,nihil enim in illis ambiguum, neque obscurum video, nulla enim res corporea poterit assignari,quæ priori definitione non comprehendatur,neque spiritualis, quæ posterius conceptum subterfugiat. Vtrumque ex argumentorum solutione clarè constabit.

9 Obiicies primò. Species impressæ diuersorum obiectorum & illarum actiones productiuæ existentes in eadem parte aëris,sunt penetratæ,& eiusdem speciei,quando obiecta specie non differunt:ergo potest dari entitas corporea penetrabilis cum alia eiusdem speciei omnino à se diuisa. Respondeo, has omnes entitates non esse omnino à se diuisas,si sunt in eadem parte subiecti, si autem sunt in diuersa parte,penetrari non poterunt. Obserua non posse hanc adhibere solutionem,qui per impenetrationem cum alia re eiusdem speciei conceptum corporis explicant, & omnimodam diuisionem inter extrema non exposcunt.

10 Obiicies secundò. Actio spiritualis,ex vi cuius producitur species impressa, vel expressa à phantasmate; non potest penetrari cum alia actione eiusdem speciei omnino à se diuisa:ergo non rectè definiuimus conceptum rei spiritualis. Respondeo,hanc actionem ex se & ratione termini, atque subiecti penetrabilem esse cum alia quacunque eiusdẽ speciei omnino ab illa diuisa,fieri tamen impenetrabilem ratione principij actiui,à quo dependet, quod non est esse impenetrabilem ratione intrinseci, cùm principium actiuum extrinsecum sit, ac proinde totam rationem spiritus in se continet, cùm ratione sui & ratione omnium,quæ illi intrinseca sunt, penetrationis sit capax. Actionem hanc fieri impenetrabilẽ ratione principij actiui,probatur & explicatur facilè: Actio debet esse approximata phantasmati à quo procedit:sed duo phãtasmata omnino à se diuisa existentia in diuersis viuentibus non possunt non distare:ergo actiones ab illis procedentes,& quę necessariò sunt illis intimè præsentes, quia intimam præsentiam habent cum anima,quæ idem subiectum informat, ex quo phantasma educitur, non possunt non distare:

ergo fiunt hæ actiones impenetrabiles ratione principij actiui, neq; aliud est caput, ex quo illis penetratio repugnet.

11 Obiicies tertiò. Modus vnionis potest esse in anima, in qua si recipiatur necessariò spiritualis erit, & non poterit penetrari cum alio modo vnionis ab illo diuiso ratione materiæ, quam respicit vt extremum vniendum: ergo ratione termini intrinseci erit impenetrabilis: ergo non rectè definimus rationem spiritus per non repugnantiam penetrationis ratione intrinseci cum re eiusdem speciei omnino ab alia diuisâ. Respondeo negando modum vnionis inter materiam, & formam hominis posse esse spiritualem, & in anima recipi. Neque vis argumenti peculiariter in hac sententia hanc responsionem extorquet: Idem enim tenentur dicere, qui conceptum corporis per dependentiam à re corporea explicant: Et Arriaga, qui modum vnionis dixit esse in anima, coactus est asserere materialem esse, & rem materialem in subiecto spirituali recipi. Hurtadus verò, qui illum spiritualem constituit, vi consequentiæ ductus concessit animam in qualibet augmentatione, & diminutione totam amittere vnionem, & consequenter in singulis instantibus, quibus fit mutatio, vel augmentatio corrumpi hunc hominem, & alium assurgere.

12 Obiicies quartò. Actio creatiua caloris potest penetrari cum alia actione creatiua caloris omninò à se diuisa, & tamen est corpòrea: ergo nostra corporis definitio apta non est. Probo antecedens: Actio creatiua caloris extrahit calorem à quantitate, sed calor sine quantitate existens potest penetrari cum alio calore: ergo & actiones terminatæ ad vtrumque calorem. Resp. actionem creatiuã terminatam ad calorem extrahere terminum à quantitate tanquam à subiecto inhæsionis, non verò impedire vnionem eiusdem caloris à quantitate, quam exigit calor, siue sit creatus, siue eductus ex eo præcisè quod sit corporeus, ac proinde calori, etiam suppositâ creatione, non potest naturaliter contingere separatio à quantitate, ac proinde neque penetrabilitas cum alio calore etiam creato, qui eandem exigit quantitatem: quod si calori etiam creato non potest naturaliter contingere penetratio, neque creationi contingere poterit. Aduerte me non dixisse rem corpoream naturaliter existentem non posse penetrari, sed non posse rem corpoream penetrari in statu, qui illi naturaliter contingere potest, quæ valde differunt, quia materia prima supernaturaliter quantitate priuata naturaliter existit, & posset penetrari cum alia materia eodem modo se habente, non tamen posset penetrari in statu, qui naturaliter illi contingere potest, quia non potest naturaliter contingere materiam esse sine quantitate, etiamsi quantitate supernaturaliter ablatâ, naturaliter, hoc est, sine nouo miraculo conseruetur. Idem dicito de forma materiali, etiam indiuisibili, quæ independenter à subiecto posset naturaliter creari, hæc enim vel esset radix quantitatis recepta in se ipsa, vel saltem peteret quantitati vniri, vel per se ipsam esset impenetrabilis.

13 Vrgebis adhuc: etiamsi hæ entitates vnionem petant ad quantitatem, poterunt naturaliter hac vnione carere sicuti aqua caret frigiditate, quam expoſcit. ergo naturaliter potest cõtingere his entitatibus status, in quo possint penetrari. Respondeo negando antecedens: ad exemplum desumptum ex separatione quæ naturaliter contingit inter aquam & frigiditatem, dico disparem esse rationem, quia dum aqua expoſcit frigiditatem est aliud agens naturale fortius exigens expellere frigiditatem ab aqua, & de facto illam naturaliter expellit, & ita contingit aquam naturaliter absque natiua frigiditate remanere; dum verò hæc entitas quantitatem sibi vniendam expoſcit, nulla alia reperitur, quæ intendat impedire vnionem quantitatis cum illa, vel illam iam vnitam destruere. Ex quo fit non posse naturaliter entitatem, quæ quantitatẽ expoſcit, illa carere.

14 Obiicies quintò. Præsentia, quam habet Angelus Michaël Romæ, non potest penetrari cum præsentia, quam habet Raphaël, vel alius Angelus eiusdem speciei Compluti, & tamen hæ præsentiæ sunt eiusdem speciei, & spirituales, ergo datur entitas spiritualis impenetrabilis ratione sui cum alia eiusdem speciei omnino à se diuisa. Respondeo has præsentias non esse impenetrabiles, ex eo quod vna pellat aliam ab spatio, quod respicit, non enim ex eo quod præsentia Gabrielis modò respiciat hoc spatium impeditur præsentia, quam habet Raphaël Romæ, ne illud respiciat, quia etiamsi præsentia Gabrielis non existeret, non posset illud respicere, sed ex eo quòd sint immobiles per accidens illis contingit impenetratio, non verò formaliter per incompossibilitatem, seu resistentiam inter ipsas præsentias in ordine ad idem spatium. Addo præsentiam Gabrielis existentis in quocunque spatio penetrari cum aliis pluribus eiusdem speciei.

Obiicies sextò. Præsentia definitiua, quam habet Chri- 15
stus in Eucharistia est corporea, & est penetrata: ergo.
Respondeo in sententia admittente præsentiam circumscriptiuam, & definitiuam specie non distingui, præsentiam definitiuam dicere multas circumscriptiuas supernaturaliter penetratas; in opinione verò præsentias has distinguente, præsentia definitiua quantitatis Eucharisticæ est entitatiuè indiuisibilis, & ita in se nullam habet penetrationem, neque cum alia aliud subiectum afficiente naturaliter poterit penetrari.

Obiicies septimò. Anima rationalis vnita corpori non 16
potest vniri cum alia anima rationali alij corpori vnitæ: ergo entitas spiritualis non potest penetrari cum alia spirituali animâ à se diuisâ. Respondeo de ratione entitatis spiritualis non esse posse penetrari in omni statu, qui illi naturaliter contingere potest, sed in aliquo, quod conuenit animæ rationali, quæ potest penetrari cum alia in statu separationis, qui naturaliter illi contingit.

§. III.

Animam rationalem indiuisibilem esse ostendo.

ABstinendum est iuxta dicta à ratione, quam plures 17
desumunt, desumpta ab animæ spiritualitate, cùm dixerimus rem spitualem posse partibus constare.

Sit prima conclusio: Anima rationalis non est com- 18
posita ex partibus essentialibus, materiâ videlicet & formâ: assentiunt omnes Doctores, & ex nostris conclusionem probat Hurtad. vbi affirmat oppositam esse improbabilem Arriag. disput. 1. sect. 5. num. 178. Lege Suarez sect. 14. citata. Ratio sit: Anima rationalis est forma respiciens subiectum, cum quo totum componit: ergo ipsa subiectum non habet, neque ex illo componitur. Probo consequentiam: forma est entitas incompleta: ergo non indiget subiecto, ex quo componatur, neque illud potest habere, quia si forma componeretur ex subiecto & forma, rursus illa forma ex qua componitur, ex alia forma, & ex alio subiecto posset componi, & sic in infinitum formæ procederent. Secundò de ratione materiæ substantialis compositi est, esse puram potentiam, & primum subiectum nullam in sua entitate formam includens: ergo de ratione formæ eiusdem substantialis compositi est esse purum actum, & id quod primò informat nihil in se includens potentiæ, seu subiecti quod alio informetur.

Respondet Arriaga: ex hoc capite rem non euidenter 19
probari, quia posset dici animum rationalem compositum esse ex materia, & forma, nihilominus esse entitatem incompletam, quia ordinaretur ad componendum compositum constans duplici materiâ, quadam materiali, & alia spirituali, & hæc subiectari in illa, ita vt materia spiritualis sit veluti forma materiæ materialis, & subiectum formæ spiritualis. Mea quidem sententia nulla maior euidentia excogitari potest, quàm illa quæ cogit ad has chimæras confingendas, vt argumenti robur aliquo modo declinari possit Chimæricum esse compositum, ad quod confugit Arriaga, vt prædicto argumento euidentiam neget, sic probo: Si demus compositum ex materia & forma esse entitatem incompletam, quia ordinatur ad aliud compositum constans duabus materiis, de illo composito constanti forma & duabus materiis eodem modo asseram esse entitatem incompletam, quia ordinatur ad componendum aliud quod petit constitui ex forma, & tribus materiis, & sic in infinitum; non enim maiori fundamento fingis compositum ex duabus materiis, quàm ego illud ex tribus constans confingo; imò tu ex proprio cerebro compositum istud machinaris, ego verò in composito à te facto fundamentum habeo ad meum compositum statuendum.

Deinde multiplicitatem hanc materierum impugno, ex 20
definitione materiæ traditâ ab Aristotele: *Primum subiectum ex quo*, &c. Illa autem materia spiritualis non esset primum subiectum, reciperetur enim in alio: deinde si illa materia esset, simul cum materia corporea suas operationes exerceret: ergo ex hoc capite illa materia spiritualis non esset necessaria; neque ad hoc vt forma spiritualis educatur ex illa, hæc enim creatur: ergo ex nullo capite; deinde

etiamsi

etiamsi possibile esset tale compositum, sine fundamento diceretur animum rationalem hanc compositionem habere, ac proinde absolutè negari debet, sicut negamus Angelos, qui de facto dantur, esse compositos, etiamsi asseramus possibile esse totum substantiale spirituale ex materia, & forma compositum.

21 Dicendum est secundò, animam rationalem carere partibus integrantibus, & esse entitatem omninò indiuisibilem: Hæc conclusio à nullo Catholico est hucvsque negata, & probatur ex immortalitate animæ, quia si anima esset diuisibilis, & haberet partes diuersas, & in diuersis partibus, quando per diminutionem, vel sectionem brachij, aliúsve partis diuisionem aliquid hominis corrumpitur, pars illa animæ, quæ correspondebat materiæ vel corrumperetur, vel saltem maneret separata à subiecto, vtrumque est inconueniens, quia si corrumperetur sequeretur animum rationalem non esse incorruptibilem: si verò pars illa maneret separata à subiecto, inquiro, vbinam esset? & an pars illa, quæ separaretur ab homine existente in peccato damnaretur, & pars quæ ab eodem existente in gratia esset separata salua fieret? & an ex partibus eiusdem animæ quædam æternis suppliciis essent addictæ, aliæ verò æternâ perfruerentur felicitate?

22 Licèt nobiscum in hac re sentiat Arriaga, non vult tamen prædictæ rationi acquiescere: asserit respondeti posse partem animæ separatam à materia per diminutionem seu corruptionem partis integralis hominis, manere intra corpus non illud informans, sed tantùm vt sit vnita alteri parti eiusdem animæ corpus informanti. Contra hanc solutionem sic insurgo: pars illa quæ amisit vnionem non informat corpus: ergo quantumuis dicatur esse intra corpus tantùm potest significari illi esse intimè præsentem localiter: ergo pars illa non informans est in statu separationis, quia per præsentiam localem animæ non vnitæ in spatio, in quo est corpus, non amittit suum statum separationis: ergo pars illa poterit operari independenter à corpore: ergo in homine erunt partes quædam animæ quæ dependeant secundùm suas operationes à corpore, & aliæ quæ independenter à corpore operantur.

23 Nec valet si dicas: partes separatas esse minimas, ac proinde operari non posse, quia in iam sene continuâ diminutione plures partes animæ fuerunt separatæ à materia, ac proinde plures sunt partes, quæ in illo possunt independenter operari; Cùm verò omnes sint inter se vnitæ, portio illa animæ quæ non est corpori vnita sufficientem diuisibilitatem entitatiuam habebit ad operandum. Dices, partes animæ separatas in diminutione facta in hoc instanti, seu in hac parte corporis reuniri in augmentatione facta in alio instanti, vel in alia parte corporis, ac proinde partes separatas numquam habere diuisibilitatem sufficientem ad operandum. In primis hæc solutio adhiberi nó potest in abscissione brachij, in qua simul plures partes animæ amittunt vnionem, quin viuens partium illâ fracturam recuperet. Deinde illam impugno, quia si augmentatio fit per extractionem partium non vnitarum à corpore, sequitur infantem habere multò plures partes non vnitas quàm vnitas corpori, quia multo plures sunt partes materiæ, ad quas se extendunt partes illæ, quas sine vnione intra corpus confingis per augmentationem, quàm illæ, quas in corpusculo infans habet materiæ vnitas: ergo anima infantis recens nati poterit independenter à corpore operari, secundùm partes illas, quas habet corpori non vnitas. Longum esset insectari solutiones varias, quæ sine fundamento contra bonam Philosophiam adhiberi possunt, sicut enim fundamentum nullum habent: ita omni carent termino. Addo hanc sententiam aliquantulùm incidere in errorem Platonis asserentis animam esse actú assistentem, & non informantem, qui damnatus est in Concilio Viennensi, vt suprà vidimus Controuers. 1. punct. 2. §. 2. quia admittit plures partes animi rationalis non informantes sed tantùm localiter præsentes, quas in sene, vel in infante probaui fore plures partibus vnitis & informantibus.

24 Ait insuper Arriaga respondeti posse prædictæ rationi, animam habere partes integrantes, omnes tamen esse vnitas cuilibet indiuisibili parti subiecti, ac proinde etiamsi amittant vnionem cum hac parte subiecti, illam retinent cum aliis, sicut nos modo philosophamur de anima indiuisibili. Contrà tamen, quia vel quælibet pars formæ est sufficiens informare partem subiecti, cui correspondet adæquatè independenter ab alia, vel non? si est sufficiens, ad quid aliæ partes animæ in eamdem partem subiecti cõfluunt? Deinde subiectum illas non admittet, quia cùm sufficienter informetur hac parte animæ, non poterit aliâ recipere, sicut non potest recipere plures formas, ex eo quod vna adæquatè informetur: Si non est sufficiens, imperfectiores partes tribuit animæ rationali, quàm formæ ligni, in ligno enim pars simplex formæ sufficiens est informare partem subiecti sibi respondentem sine consortio alterius, quod non concedis partibus rationalis animæ. Deinde constituis animam rationalem intensam, sicut albedinem, ponis enim plures partes illius in eodem indiuisibili subiecto, quarum quælibet præstat eumdem effectum, eiusdem rationis, ac omnes simul.

25 Aliter dici posset animum rationalem fuisse creatum cum omnibus partibus necessariis ad deorganizationem, siue homogeneis, siue heterogeneis & in nutritione easdé extendi & replicari in diuersis subiectis, sicuti nos dicimus de tota anima rationali. Contrà: eadem pars diuisibilis animæ potest secundum hunc dicendi modum extendi ad nouas partes subiecti, in augmentatione, & contrahi ad pauciores in diminutione, est enim de vtroque motu eadem ratio; ergo meliùs poterit tota anima indiuisibilis extendi, & contrahi ad maius & minus subiectum, quia perfectior est tota indiuisibilis anima, quam vna pars animæ diuisibilis: ergo potiori iure hæc replicatio formæ in diuersis partibus subiecti formæ indiuisibili debet concedi, quam parti diuisibilis formæ. Secundò si immediatè post primam hominis conditionem, in qua forma esset producta cum omnibus partibus, quarum singulæ singulis subiecti partibus responderet, aliqua diminutio viuenti contingeret. illa pars formæ, cuius materiam deperdebat compositum. contrahenda esset ad aliquam partem materiæ iam sufficienter informatam aliâ parte formæ, quod cõtingere non posset, quia materia sufficienter informata formam aliam saltem naturaliter non admittit. Dicet aliquis, viuens nullam posse pati diminutioné in his partibus, quas in prima conditione acquisiuit, non alia maiori vel saltem æquali augmentatione præmissâ, quia in prima productione cõstituitur forma in minimo materiæ requisitæ, à quo si aliquid auferatur tota substantia viuentis corrumpitur. Non contemnenda solutio, verumtamen satis firma non est, quia, licet certum sit formas viuentium minimum habere determinatum, in quo possunt produci, & non in minori subiecto, verumtamen non est certum ipsas semper in minimo produci. Mitto contra hunc dicendi modum speciem chimæræ præ se ferre, dari animam rationalem diuisibilem cum singulis partibus respondentibus singulis subiecti partibus, quarum aliquæ in prima pueri augmentatione replicentur in subiecto, & non aliæ, & postea in adolescentia, & in adulta ætate, quædam sint ter, aliæ quater, & aliæ sexies in diuersis subiecti partibus repetitæ.

26 Obiic. primò. Anima rationalis potest esse per nos in plu ribus partibus subiecti: ergo poterit esse in aliis & aliis pluribus: ergo poterit indiuisibilis anima rationalis informare ingentem materiæ molum. Resp. negando consequentiam. Ratio propter quam consequens illatum contingere non potest, quia anima rationalis petit corpus organicum, quarum partes tantùm in se cum aliqua latitudine distantiam exigunt, quam excedere nequeunt per augmentum, neque illam per materiæ decrementum non adimplere, quia de ratione corporis organici est terminos magnitudinis & paruitatis habere.

27 Obiic secundò. Anima rationalis est eadem in brachio & in pede: ergo potest se mouere duplici motu contrario pede deorsum, & brachio sursum. Respondeo duplicem esse opinionem circa præsentiam animæ rationalis; Vna affirmat illius præsentiam esse diuisibilem, ita vt diuersa sit pars præsentiæ quam habet in pede ab illa quam habet in brachio. Altera tenet eam habere indiuisibilem præsentiam in brachio & pede, & in omnibus partibus corporis simplicissimam esse. In opinione asserente præsentiam animæ esse diuisibilem, dicendum animam moueri duplici motu inadæquato, seu duplici parte motus, vna sursum, & deorsum aterâ, cùm videmus hominem brachium leuare & pedem deprimere quia sicuti præsentia quam habet anima in brachio est præsentia inadæquata, ita motus quo mouetur in brachio inadæquatus est: neque est inconueniés asserere animam per diuersas partes præsentiæ

moueri sursum & deorsum, cùm necessariò dicendum sit moueri per diuersa spatia, cùm videmus moueri per spatium in quo mouetur pes, & brachium, quæ partialiter sunt diuersa, sicuti præsentiæ illis correspondentes, diuersæ partialiter sunt. In sententia quæ præsentiam animæ indiuisibilem constituit, etiamsi videamus brachium sursum moueri; & pedem deorsum in eodem tempore, non debemus duplicem motum adhuc partialem admittere, quia vbi non sunt partes præsentiæ diuersæ, non possunt esse diuersæ partes motus, sed dicendum est eodem indiuisibili motu moueri brachium sursum, & pedem deorsum, sicuti eâdem indiuisibili præsentiâ, anima constituitur in spatiis, quorum acquisitio, motus sursum, & deorsum dicuntur. Secundùm hanc sententiam cùm manus mouetur immoto toto corpore, corrumpitur non solùm præsentia, quam habebat anima in manu sed etiam in pede, quia necessum est corrumpi præsentiam animæ, quæ erat in manu, & hæc eadem indiuisibilis est cum præsentia, quam eadem anima habet in pede, & non potest vna sine alia corrumpi, vel, vt propriùs loquar, eadem corrumpi, & non corrumpi, quia præsentia quam habet anima in manu & in pede eadem est, & alia dici nequit. Est etiam præsentia diuersa, quam acquirit manus, cùm mouetur circa idemmet spatium quando pes in eodem tempore per diuersa mouetur spatia, quia cùm anima constituenda sit per eande nmet indiuisibilem præsentiam in spatio pedis, & manus, præsentia manus, & pedis, & tota indiuisibilis animæ præsentia indiuisibiliter sumitur à toto spatio, quod occupat anima in pede, & in manu & in reliquis corporis partibus.

28 Obiicies. Anima indiuisibilis potest informare subiectum diuisibile: ergo potest etiam idem subiectum informare, etiamsi esset diuisum. quia non informaret plus subiecti, si informaret duo subiecta diuersa, quàm informat quando est vnita subiecto ex illis duobus vnitis compositio. Respondeo negando consequentiam, & instо, in Angelo, qui potest esse in spatio diuisibili, & non potest esse in spatio iam diuisis, ex quibus idem diuisibile spatium componebatur. Rationem propter quam anima rationalis non possit informare duo subiecta diuisa, quæ informat vnita, communiter assignant Philosophi, quia anima informans duo subiecta diuisa simpliciter constitueret duo composita. Non acquiesco huic rationi, quia duo illa subiecta totalia non plus substantiæ haberent, quàm habet vnum totale compositum ex duobus illis subiectis vnitis & informatis eâdem formâ, denominatio autem vnius, vel multiplicis substantiæ præcisè sumpta non dicit maiorem perfectionem, non enim maior perfectio est in duabus aquis diuisis quarum quælibet totalis dicitur, quàm in eisdem vnitis, quâ posita vnione partiales dicuntur. Respondeo animam rationalem non posse informare duplex subiectum diuisum, quia informatio animæ ad quamlibet partem petit totam hominis deorganizationem existentem in subiecto vnito, itavt non possit dari talis informatio si non detur tota deorganizatio requisita ad illam in subiecto vnito, quia partes viuentes, etsi accidentaliter, & extrinsecè tantùm heterogeneæ, petunt habere inter se vnionem, ex quo fit animam existentem in subiecto quantumuis exiguo, necessariò esse in subiecto habente deorganizationem capitis, & cordis, &c. Ex quo fit non posse esse inalio, quia in illo etiam deberet habere deorganizationem capitis, & eiusdem partium, & eadem forma substantialis vnicam tantùm deorganizationem capitis exigit in suo subiecto, neque duplicem potest naturaliter habere.

92 Si obiicias in præsentia Angeli hanc non reperiri deorganizationem, & nihilominus non posse esse in duplici spatio diuiso, seu non immediato, videlicet in duplici angulo huius cubiculi, si non sit in medio, & potest simul in toto cubiculo, & qualibet parte spatij intra illud contentum: ergo independenter à deorganizatione reddenda est ratio propter quam anima rationalis non possit informare subiecta diuisa, quæ potest vnita. Respondeo non leue esse fundamentum ad affirmandum præsentiam Angeli esse indiuisibilem, ne ex diuisibilitate illius inferatur Angelum posse esse in duplici spatio etiam non continuo, quod si defendatur præsentiam Angeli diuisibilem esse, posset responderi partes præsentiæ Angelicæ esse immediatè, & per se vnitas vnione idétificata cu ipsis extremis, quæ dicuntur vnita, ac proinde non posse existere partes huius præsentiæ sine vnione ad alias, & ita Angelum præsentari spatio vnito, cuius partibus inter se distantibus præsentari nequit, quin simul medio interiacenti præsentetur. Quod difficile puto. Quapropter dum alia non tibi via superest, quâ prædicto argumento satisfacias, satius erit illo vti ad probandum præsentiam Angeli esse indiuisibilem.

PVNCTVM VI.

De diuisibilitate materialium animarum.

PLantarum, atque animalium imperfectorum animas 1
diuisibiles esse Philosophi omnes moderni fatentur; & ex antiquis vix vllus ab hac sententia dissentit: pro oppositа referuntur Plato, Simplicius, Caietanus, Thienensis, & Senensis, Hugo apud nostros Conimbr. lib. 2. de anima cap. 1. quæst. 8. Circa animas brutorum perfectorum est maior dissensio inter Doctores. Animas brutorum esse indiuisibiles, sentiunt quàm plures Thomistæ, Caietan. *quæst. 76. art. 8.* Heru. *in 1. sententiarum dist. 8. q. 4.* Bonauent. *in 1. distinct. 8. in 2. p. distinctionis quæst 3.* Alensis *lib. 7. ad Metaphys. ad text. 56.* Eandem tradidit noster Suarez *lib. 1. de anima cap. 13. num. 9.* opere posthumo, non tamen lucem videret hæc opinio, ni fulgentissima illius auctoris mundo esset extincta, eam enim vitæ superstes retractauerat disput. 15. Metaphys. sect. 10. num. 32. & in eodem lib. de anima cap. 2. num. 19. probabilissimum censet animas inviuentibus omnibus præter hominem diuisibiles esse, vbi meminit, id quod obiter dixerat dicta sectione 10. Metaph. num. 40. & id supponit manifestè, dum probat animas brutorum perfectorum habere partes heterogeneas.

Sententiam asserentem brutorum animas diuisibiles esse 2
tutantur Scotus *in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 1.* Durand. *in 1. dist. 8. secunda parte distinctionis quæst. 3. num. 10.* Capreolus *in 2. dist. quæst. 1.* Marsi. *in 2. q. 11. art. 1. & 1. degenerat. quæst. 11. & 12.* Petrus de Mantua *tract. de 1. & vlt. instanti.* Suarez *in Metaphysic. loco suprà citato.* Toletus *lib. 2. cap. 2. quæst. 5.* Pereir. *lib. 6. Philosophiæ, cap. 3.* Hurt. *disp. 2. sect. 4.* Arriaga *disp. 1. sect. 6. subs. 9.*

PRIMA CONCLVSIO. Animæ plantarum, & animalium imperfectorum diuisibiles sunt Probatio sumenda est ex rationibus, quibus conclusione sequenti probabo brutorum perfectorum animas partibus componi; specialem pro hac cõclusione adhibeo. Diuisâ arbore remanet anima in vtraque parte illius, sed nõ potest eademmet indiuisibilis in duplici subiecto diuiso permanere: ergo permanet secundùm diuersas partes, in quas totalis forma per diuisionem resolvitur: ergo ante diuisionem illas continebat. Idem argumentum fit in lacerta, cuius dimidium corpus diuisum mouetur, & sentit dum pupgitur, quod quotidie experimur. Et D. Augustinus testatur lib. de quantitate animæ cap. 31. se vidisse in agro Lygurino vermiculum multipedem quem stylo percussum vnus ex discipulis eiusdem Augustini in duas partes secuit, quarum vtraque in diuersa loca fugiebat, quod fieri non posset, si vtraque pars vermiculi anima non foueretur. Quæ spiritibus vitalibus tribui nequeunt, quia sensatio essentialiter ab anima dependet, & reptationis motus animam supponit ex parte principij in animalibus imperfectis, sicuti in homine, & aliis brutis progressiuus motus. 3

Huic argumento nulla superest solutio, nisi dicatur in 4
diuisione horum viuentium corrumpi animam informantem materiam illam vnitam, & duplicem aliam produci informantem duplicem materiam diuisam. Hanc reiicio solutionem, quia si semel in animantibus admitteretur pro defendenda indiuisibilitate animarum, liceret vti illâ ad defendendum omnes materiales formas non viuentium indiuisibiles esse, posset enim dici formam ignis esse indiuisibilem, & totam corrumpi igne diuiso, produci tamen aliam in singulis partibus illius, ita vt semper remaneant cum forma ignis, imò faciliùs posset in his formis solutio subsistere, quia cùm in qualibet parte materiæ diuisi ignis remaneant omnes dispositiones requisitæ ad ignem, facilè posset in singulis forma ignis produci, neque impugnationem pateretur solutio, quam in illam pro formis, de quibus agimus iam adhibeo. Quando diuiditur lacerta, cauda à corpore præcisa non habet omnia organa requisita, neque omnes præmias dispositiones ad formâ viuentis: ergo nõ potest in illius materia noua viuêtis forma produci ad exigentiam dispositionum, quia non exigunt formam

formam quousque sint omnes dispositiones ad illam requisitæ:ergo nullum est agens quod exigat productionem nouæ formæ: ergo Deus non illam producet, quia Deus naturaliter loquendo nullum effectum naturalem producit,nisi ad exigentiam causarum naturalium; ergo à nullo agenti producetur, quia quando lacertam ferri ictu diuidimus,nullum est agens naturale quod valeat lacertæ formam producere. Ex primo antecedenti omnia per legitimam veniunt consequentiam: Inter organa requisita ad productionem formæ lacertæ necessariò annumeranda est deorganizatio ad caput, stomachum, aliásque partes magis præcipuas viuētis,aliàs naturaliter viuens primò produceretur sine aliqua illarum:ergo deficiēte totā illā deorganizatione deficit adæquata dispositio,quæ exigit productionem formæ viuentis. Idem dicito de arbore quæ non producitur sine deorganizatione ad radices, sine qua in ramo secto illius forma conseruatur, vt patet in ramo,qui alij arbori insertus non solùm in flores, verum etiam in fructus erumpit.

5 Secvnda conclvsio. Formæ brutorum perfectorum constant partibus integrantibus. Probanda est conclusio ex dictis lib.1. Physic. Controu.3.part.4.vbi probaui formas materiales educi ex potentia materiæ, & produci dependenter ab illa tanquam à vera causa materiali: quo supposito sic argumentor.Forma materialis equi sufficienter dependet à materia, quam informat in primo instanti generationis: ergo illa materia à qua dependet in primo instanti generationis, est causa materialis adæquata respectu formæ:ergo quando augetur equus,non potest eademmet forma dependere à noua parte materiæ,quæ viuenti accrescit. Prior consequutio euidens est, posteriorem probo. Posità dependentiā adæquatā, non potest effectus aliam naturaliter habere,alias naturaliter haberet duplicem dependentiam adæquatam ab eadem causa:ergo posita dependentia adæquata formæ equi à materia;quam acquisiuit in primo instanti generationis non potest habere dependentiam à materia acquisita per nutritionem: ergo producenda est noua alia pars formæ quæ incipiat dependere à noua materia:ergo equus iam nutritus constat partibus formæ: ergo ante nutritionem, etsi paucioribus,tamen partibus formæ componebatur, quia forma per augmentationem acquisita eiusdem rationis est cum forma in primo instanti generationis producta.

6 Dices formam sufficienter dependere à materia, quam acquisiuit in primo instanti generationis per passionem qua dependebat ab illa inadæquatè per aliam dependentiam,seu causalitatem:sicut calor adæquatè dependens ab hoc igne in hoc instanti, incipit in sequenti,in quo applicatur alius ignis,à quo semel cum præexistente conseruatur, dependere inadæquatè ab illo per aliam causalitatem indiuisibiliter ab vtroque igne dimanantem. Similiter materia, quæ antea adæquatè formam sustinebat, alia aduenīente poterit passiuum concursum attemperare & simul cum materia aduenīente per passionem indiuisibiliter vtramque materiam recipientem causæ tantùm inadæquatæ munus exercere.

7 Do adductam Doctrinam in exemplo de conseruatione agentis attemperantis suum concursum præsente alio in ordine ad conseruationem,& ostendo in nostro casu locum habere non posse. Actio illa augmentatiua identificata cum passione per quam forma dependet à materia acquisita, dependet efficienter à forma quæ est principium augmentationis: ergo supponit priorem naturā formam existentem,& productam:ergo supponit priorē naturā actionem qua producitur forma:ergo supponit illam actionem existentem in illo instanti,in quo est prior natura actione augmentatiua:ergo in eodem instanti temporis est duplex actio;actio productiua formæ,quæ supponitur ad actionem augmentatiuam,& actio augmentatiua,quæ supponit formam à qua processit, & actionem productiuam formæ:ergo in eodem instanti temporis est duplex actio, quarum vna vt distincta ab alia sufficiens est vt forma producatur, & conseruetur, ex vi cuius supponitur forma conseruata in instanti, in quo exercet actionem nutritiuam priùs natura quam illam exerceat: ergo per aduentum nouæ dependentiæ à noua parte materiæ, seu nouæ actionis identificatæ cum passione non desinit depēdentia,seu actio idētificata cum passione,quā habebat forma,sed coëxist tempore,& est prior natura nutritione,seu actione aduenīēte.

8 Non vult Arriaga rationem hanc conuincentem esse, qui ait disp.1.sect.4.subsect.19. posse dici formam in primo instanti augmentationis non dependere à materia noua, sed in sequentibus, in quibus fieri potest attemperatio concursus supradicta. Vellem ego vt cùm rationes has infringere intendit Arriaga fortiores, alias excogitasset, quibus sententiam,quam defendendam suscepit sustinere posset,sed totus in alienis rationibus euertendis,propriam non meditatus, suam sententiam omni fundamento destitutam relinquit. Probo Arriagam nihil prædicto argumento respondisse. Si in primo instanti augmentationis forma informat subiectum,à quo non dependet,cur idem subiectum eodem modo non informabit in secundo instāti absque vlla dependentia? Quæ ratio excogitari potest vt forma in secundo augmentationis instanti petat dependere à subiecto,quod in primo informauit absque illa dependentia?Certè nullam inueniet Arriaga; & ex hoc tantùm capite illius solutio reiicienda esset, est enim non solùm fundamento destituta, verùm etiam difficilè possunt cohærere quæ inuoluit, hanc enim firmam puto esse illationem: Forma in primo instanti, in quo fit nutritio informat nouum subiectum absque vlla dependentia ab illo: ergo in sequentibus poterit informare idem subiectum eodem modo absque illa dependentia: ergo falsa est doctrina, quam Arriagæ solutio continet videlicet formam non dependere in primo instanti nutritionis à noua materia acquisita, & dependere in aliis posterioribus instantibus.

Sed esto. Non dependeat forma in primo instanti nutritionis à noua materia, neque de hoc instanti agamus. Probo pro instanti sequenti integrum manere argumentū iam factum. In quocunque instanti forma incipiat dependere à noua materia,& concursum attemperare passioilla quam tu dicis attemperatam, quæ in genere causæ materialis prouenit à materia,procedit efficienter à forma: ergo in illo instanti, in quo est, supponit formam priorem naturā:ergo supponit formam productam: ergo supponit actionem productiuam formæ: ergo in illo instanti datur duplex actio productiua formæ,vna prior illā,quæ supponitur ad actionem illam, per quam forma incipit dependere à nouo subiecto;alia posterior ipsā forma,quæ ab illa procedit, & per quam incipit dependere à nouo subiecto. Eu nihil præstat solutio Arriagæ, & illius doctrina admissa redit idem omninò argumentum, quod expendebam. 9

Ex eadem doctrina aliud argumentum clarius, & non inefficacius efformo:Augmentatio terminatur ad formam dependentem à subiecto: ergo ex vi augmentationis forma existit,& conseruatur,quia eadem indiuisibili actione qua forma dependet à subiecto in genere causæ materialis, dependet ab efficiente in genere causæ efficientis:sed talis actio, seu augmentatio prouenit ab eadem anima: ergo secundùm eandem omnino indiuisibilem entitatem prouenit ab anima tanquam à principio efficienti,& terminatur ad ipsam tanquam ad effectum,cùm secundum hanc opinionem anima sit indiuisibilis, & non possit in illa reperiri aliquid quod se habeat per modū principij,& aliud distinctum, quod se teneat ex parte effectus:ergo eademmet indiuisibilis entitas est causa conseruatiua sui ipsius, & à se ipsa dependet in genere causæ efficientis,quod auctores Philosophiæ abhorrent. 10

Aliter posset prædictis argumentis responderi:Animam per augmentationem vniri nouæ materiæ, non tamen dependere ab illa;sed tantùm à materia, quam acquisiuit in primo instanti generationis. In primis hæc solutio adhiberi non potest à Thomistis præcipuis huius sententiæ patronis, quia illi asserunt formas materiales informare subiectum per dependentiam ab illo, ac proinde secundùm hanc sententiam implicat formam materialem informare subiectum à quo non dependet. 11

In omnium tandem doctrina solutionem reiicio,& primò contra illam obiicio destitutam esse omni fundamento;quia absque illo dicitur formam equi dependere à quibusdam subiecti partibus, ex his quas informat & non ab aliis quas eodem modo informat. Secundò ex hac solutione infertur deperdita minima parte materiæ ex illis, quas viuens acquisiuit in primo instanti generationis corrumpi totam formam viuent s;quantumuis aliunde augeatur.Sequelam probo:Perdita quacunque minima parte perditur actio conseruatiua animæ dependenter ab illa materia: ergo saltem deperditur aliquid dependentiæ,quam forma 12

habebat à materia:sed tantùm habebat dependentiam sufficientem ad existendum : ergo quacunque illius parte deperdita, non manet cum dependentia à materia sufficienti ad existendum : ergo neque ipsa forma permanere potest,quia non potest existere materialis forma deficiente dependentiá à materia, maximè cum realiter dependentia à materia & ab efficienti sit eademmet, & nulla possit subrogari loco dependentiæ deperditæ, quia forma non potest dependere à materia ad quam per nutritioné denuo se extendit ; neque aliud sit agens à quo noua descendat actio loco illius, quæ periit corruptione partis materiæ acquisitæ primo generationis instanti: infertur ergo necessariò animam corrumpendam esse deficiente minima parte materiæ,ex his quas prima generatione acquisiuit. Quod si aliquis consequens admittat, inferam ex illo nullum sensitiuum perfectum posse per biduum durasse, quod ab ipso deglutiri sensuũ euidentia non permittet : consequens probatur ex eo quod fœtus recenter formatus patitur ab externis ambientibus, ita vt ferè semper sit in continua augmentatione,& diminutione : ergo non poterit primæ suę conditioni proximus tot acquisisse partes per nutritionem,vt semper diminutio contingat in partibus per augmentationem acquisitis, & non aliquando in partibus materiæ à prima sua generatione habitis, præcipuè cùm nutritio non fiat secundùm omnes partes minimas viuentis,vt dicebam lib de generatione, & valde contingens sit, & moraliter necessarium aliquando fieri diminutionem in parte, cui nulla aduenit accretio.

13 Nonnulli arguunt in animis animalium perfectorum à paritate animarum imperfectorum, quæ coniectura sufficiens esset, vt probabiliter posset defendi, si alia nobis efficaciora non suppeterent, cum vix vllum pro oppositа sententia,quod efficaciam aliam habeat,possit adduci, vt constabit ex posteà pro illa adducendis.

14 Tertia conclvsio. Possibilis est anima vegetatiua,& sensitiua indiuisibilis secundùm partes integrantes. Huic conclusioni suffragantur Conimbricenses libro 2. de anima cap. 1.quæst.8. Vbi problematicè defendunt vtramquu partem contradictionis circa diuisibilitatem animarum animalium perfectorum, & Arriaga loco suprà citato,vbi affirmat non repugnare formam materialem indiuisibilem;& omnes auctores,tenentes brutorum animas indiuisibles esse.Probo hanc conclusionem ex duobus principiis,quæ propriis locis probaui. Primum est, indiuisibilitatem non repugnare rei materiali. Secundum, formas materiales creari posse:quibuspositis sic arguo:Indiuisibilitas non repugnat animæ vegetatiuæ, aut sensitiuæ ratione corporeitatis,nec ratione nutritionis,quia hæc fieri potest absque vlla dependen:ia formæ à materia, quæ diuisibilitatem arguit in brutis, quæ de facto dantur:ergo ex nullo capite repugnat materialis anima indiuisibilis integraliter.

15 Refert Hurtadus disp. 2. sect. 4. num. 110. ex Aristotele arietem abscisso capite aliquantulum progressiuè ambulasse, & ex Galeno victimas extractis extis aliquando ambulasse progressiuè, & ex nostro Iosepho de Acosta lib.5. hist. Indicæ. cap. 2. Hispa num quendam extracto corde à barbaris, vt immolaretur falsis Diis, dixisse, *Caualleros muertos me han* : qui casus non probant animarum diuisibilitatem, vt patet in homine, qui in his casibus non visa fuerunt signa animæ existentis in vtraque parte diuisa, sed tantùm in altera earum, quod fieri potuit in breuissimo tempore, quo anima conseruari potuit sine deorganizatione requisita in omnibus partibus.

16 Obiiciunt Thomistæ : Si equus percutiatur in capite, pedes mouet : ergo est eadem anima in pede & in capite. Resp. in pede & in capite esse eaudem animam secundùm diuersas partes diuisibiles, quod sufficit,vt percusso capite equus pedé moueat,quia sensatio in capite producta immediatè,vel mediis speciebus producit internã seusationem, quá potentia appetitiua actum elicit imperantẽ motum in toto corpore,in fauorem partis læsæ & omnium partium, quibus periculum imminet damni, quod illarum compars patitur,quia partes eiusdem animæ connexionẽ habent,& quælibet petit aliarum existentiã ad sui conseruationem. Adde quod si hoc argumentum alicuius esset momenti, eadem modo probaret animas imperfectorum animalium esse indiuisibiles, quia si pede offendas caudam colubri, statim caput erigit in defensionem caudæ.

17 Obiicies secundò : Lacerta diuisa per aliquod tempus continet vitam in vtraque parte diuisa;equus verò neque per instans vitam potest retinere in duplici parte diuisa: ergo ex eo est,quod lacerta diuisibili potita est anima, & equus indiuisibili gaudet. Respondeo negando consequentiam : Disparitas prouenit non ex diuisibilitate, aut indiuisibilitate animarum, sed ex eo quod anima equina magis dependeat à deorganizatione partium heterogenearum,quàm animæ aliorum animalium perfectorum. Hac de causa partes animæ, quæ minorem habent deorganizationem facilius diutiúsque diuisæ conseruantur, & partes animæ maiorem habentis deorganizationem siue perfectioris siue imperfectioris, neque breuissima temporis mensurá possunt non vnitæ conseruari.

Pvnctvm VII.

An animæ diuisibiles partes habeant heterogeneas intrinsecè,an tantùm extrinsecè.

Viuentium animas in diuersis materiæ partibus diuersa obire numera certum est, animal enim oculis videt,& auribus audit,quæ sunt partes diuersæ,in quibus has operationes diuersas exercet anima,in viuentibus materialibus, quæ statuimus habere formas diuisibiles secundùm diuersas partes eiusdem animæ ; pars enim, quæ in oculis visionem efficit, distinguitur à parte quæ in organo auditus auditionem producit : inquirimus, an hæ diuersæ operationes proueniant non tantùm à diuersis partibus animæ quæ ratione diuersorum instrumentorum,seu diuersarum deorganizationum tenentium se ex parte materiæ diuersa eliciant operationes, etiamsi omninò eandem virtutem intrinsecam habeant,& pars existens in oculis posset auditionem elicere si haberet deorganizationem requisitam ad hanc sensationem,cui deorganizationi per se non repugnat,quia eadem quæ est in organo visus, potuit esse in organo auditus, ita vt intrinsecè pars formæ existentis in hac parte sit homogenea cum parte existente in alia:at verò pars formæ, quæ est in organo auditus illam deorganizationem petat cum qua potest elicare operationem, non verò cum alia organizatione operationem distinctam ab ea quam exercet in hac parte subiecti, vt intrinsecè hæc pars formæ sit hæterogenea cum alia ? 1

Propter hanc diuersam operationem non tantùm in viuentibus materialibus, verum etiam in homine diuersas partes animæ constituebat Plato relatus à Galeno 5. & 6. de placitis;ponebat enim animam concupiscibilem,quam dicebat esse in hepate;& animam irascibilem in corde cuius munus est cohibere concupiscibilem:tertiam rationalem cõstituebat in cerebro,quasi in arce ad regendum,gubernandum,& imperandum. Eundem errorem est amplexatus Pythagoras,diuersum tamen in loquendi modo,docebat enim omnes tres animas totales esse in homine assignatas:Plato autem non tres animas, sed vnam ex tribus partialibus constitutam assignabat. Referuntur etiam Aristot.3 de anima,text.90. Cic.1.Tuscul. Platonem sequutus cum Galeno,Tertull.in tom.3.lib.de anima, c.24. & lib.de resurrectione carnis : Philo Iud.lib de eo *quod deterius potiori insidiari soleat* & lib.1.Alleg.pag.36. & lib.2 pag.54. Simon Porcius lib. de m. humana, cap.20. Fundamentum quo hæc sententia tribuitur Aristoteli,est,quia secundùm eum anima tantum est in corde,quod insinuat lib.de communi animalium motu.in fine,vbi hæc habet: *Quocirca non est opus in quocumque membro animæ inesse,sed cùm in certo principio consistat,reliqua membra,quod illi adiungantur vniunt,atque officia per naturam obeunt sua.* 2

Fuit alia sententia quæ ponebat vnam animam in corpore totum informantem, præter illam tamen diuersas partiales animas in partibus heterogeneis. Hanc opinionem quàm plures Medici sunt sequuti,quos refert Nisus text.78. eam tenet Antonius Andreas 7.Metaph.q.17.Venetus 2.de anima, q. 32. 3

Tertia sententia probata inter auctores classicos docet viuentibus materialibus dari vnicam animam constantem partibus intrinsecè heterogeneis.Ex antiquis tenent hanc sententiam Ioannes Andr. 7. Metaph. q. 17. Paul. Venet. lib.2.de anima cap.5, Neph. lib.1. de generat. text.26. ex modernis illam tenet Hurt.disp.2.sect.5. subs.3 qui ait eam tradidisse Magnum Suarez disput. 15. Metaph. S.8. num.31. Ego tamen hanc sect. video num. 20. clausam, nec in illa verbum de hac re inuenio. Eundem refert disp.46. sect.1. n.41. 4

n.41. Vbi de intensione qualitatis accidentalis, non de diuisione substantialis animæ agit sapientissimus Pater. Eundem pro hac sententia refert Arriaga disp. 15. Methaph. sect.10.n.3.vbi vix rationem dubitandi attigit, eam tamen passim tradit eadem sect. 10. n.32. & n. 40. ipsámque fusè docet grauissimus Pater lib.1.de anima c.4.n.3. & eodem lib. cap.2. n.19. Eandem sententiam tradit Pereira lib. 6. Philosophiæ cap.6.

5 Quarta sententia communis inter Thomistas tenet partes animæ diuisibilis in omnibus viuentibus esse homogeneas. Ita tenet Bañes libr.1. de generat. q.7. art. 4. Sot.5. Physic.q.3. ad 8. Caiet.apud Conimbr.1.de generat.cap.4. q.22. art.2. quibus adde Arriagam disp.1. sect.6. subsect.2. num. 404.

6 Dicendum est partes viuentis ex se non esse intrinsecè heterogeneas: sed eádem partem quæ est in capite potuisse esse in pede, & partem animæ quæ est in osse, & tantùm nutritionem exercet, potuisse in carne sensationem elicere. Hanc conclusionem probo. Si pars animæ quæ os constituit tantùm haberet virtutem nutritiuam, & pars quæ carnem componit, nutritiuam, & sensitiuam, forma carnis, & forma ossis distinguerentur in specie: ergo non possent vniri. Respondetur communiter distingui specie incompletâ, non tamen specie completâ, quid autem sit specie incompletâ differre rectè explicat Hurtad. sect.5.n.116. ait enim has partes dici distingui specie incompletâ, non quia absolutè non sunt diuersarum specierum, eodem enim modo differunt, ac equus & leo, sed quia sunt entitates incompletæ per se ordinatæ ad aliam tertiam speciem componendam, quod resultat, quia vna sine alia subsistere non valeat: equus verò & leo specie completâ differre dicuntur, quia equus potest existere sine leone, & leo sine equo, neque inter se ordinantur ad tertiam entitatem componendam vt oculis sentimus.

7 Contra hanc solutionem sic insurgo: sanguis ordinatur ad componendam speciem viuentis sensitiui simul cum carne: ergo quantumuis specie distinguatur à carne diceretur distingui specie incompletâ: ergo etiamsi non informetur animâ & specie differat à carne animata, poterit cum carne vniri, quod omnes negant: ergo non potest dari vnio inter entitates species distinctas, etiamsi sint incompletæ, & ordinatæ ad componendam aliam tertiam speciem.

8 Respondent alij partem animæ exigentem temperamentum ossis sensitiuam esse, & virtutem habere elicitiuam sensationis, non posse tamen in osse ad actum secundum reduci ex defectu temperamenti. Hanc solutionem faciliùs reiicio. Nulla forma est cui repugnet temperamentum requisitum ad operationes, quas potest elicere: ergo si pars formæ quæ est in osse virtutè habet sentiendi, cápax est temperamenti, cum quo potest fieri sensatio, & non exigit temperamentum cum quo sensationem fieri repugnat: ergo dicendum est partem animæ existentem in osse indifferentem esse ad temperamentum carnis, in quo potest fieri sensatio, & determinatè non exigere temperamentum ossis, sub quo sensatio repugnat, vel tenendum talem partem animæ virtutem non habere ad sensationem eliciendam.

9 Secundò eandem conclusionem probo: diuersitas operationum in diuersis partibus materiæ potest oriri ex diuersis temperamentis. quibus partes animæ eiusdem rationis diuersas exercent operationes, & hæc temperamenta diuersa possunt prouenire ab anima habente partes eiusdem omnino rationis & substantialiter homogeneas: ergo ad diuersas obeundas actiones in diuersis partibus materiæ non requiruntur partes diuersæ seu heterogeneæ. Maior est certa; & euidenter probatur in homine, in quo eadem indiuisibilis anima in diuersis materiæ partibus diuersas exercet operationes ratione duersorum temperamentorum: ergo potiori iure diuersæ partes animæ eiusdem rationis poterunt ratione diuersorum temperamentorum diuersa obire munera. Tota argumenti difficultas est in minori propositione, quam sic probo: Potest anima habens partes homogeneas exigere inter has distribui temperamenta diuersa, & vnam esse in pede, & aliam esse in capite: ergo possunt diuersa temperamenta oriri ab anima habente partes homogeneas. Antecedens probo: Anima omnino indiuisibilis petit subiecti diuersa temperamenta: ergo anima diuisibilis in partes homogeneas potest petere temperamenta heterogenea, & habere partes distributas per caput, corpus, & pedes, licet nulla pars ex se magis petat esse in pede, quàm in capite.

Eandem conclusionem clariùs confirmo in sententia, 10
quæ constituit partes heterogeneas. Plures partes sunt homogeneæ inter se, caro enim, quæ est facile eiusdem omnino rationis est cum carne quæ est in pede, & caro quæ est in brachio detro eiusdem rationis est cum carne quæ est in brachio sinistro: ergo ex se caro quæ est in facie potuit esse in pede, & è contra; & similiter caro quæ est in brachio dextro potuit esse in sinistro: ergo vtraque pars carnis faciei & pedis potuit ex se esse in pede, & vtraque pars carnis brachij dextri & sinistri potuit esse in sinistro brachio, & in dextro: nihilominus anima petit vt vna sit in facie, alia in pede: vna in brachio sinistro, alia in dextro ergo eadem anima potest pro his partibus carnis eiusdem omnino rationis exigere diuersam deorganizationem, & exigere vt vna sit in dextro brachio, & alia in sinistro, licet vtraque in sinistro, vel in dextro esse possit: ergo pro omnibus, etiamsi omnes sint eiusdem rationis potest diuersa exigere temperamenta ergo diuersa temperamenta possunt prouenire ab anima habente partes eiusdem omnino rationis.

Contra hunc dicendi modum acriter insurgit Hurtad. 11
hac ratione: Nihil potest exigere totum quod non exigat ratione suarum partium, sed in nostra sententia nulla pars petit esse in oculo neque in osse: ergo nihil est in forma totali ratione cuius possit petere vt vna pars sit in oculo, alia in osse. Antequam hoc argumentum dissoluam, Hurtadum premo ratione suprà positâ de partibus homogeneis vtriusque brachij, quas forma petit, vnam in brachio dextro, & aliam in sinistro. Rationem hanc præuidit Hurtad. n.159. & illi respondet, quod si dispositiones vtriusque brachij sint eiusdem rationis, partes inter se non differre, formam verò quæ petit duo brachia, petit duas partes substantiæ distributas in duobus brachiis, & alteram huic brachio defigi, alteram illi, pendere ex arbitrio Dei. Contrà tamen, quia nulla est pars in illa forma, quæ petat duo brachia, neque quæ petat brachium sinistrum; pars enim, quæ est in brachio dextro non petit brachium sinistrum, est enim contenta brachio dextro, pars quæ est in sinistro est eiusdem rationis, cum parte quæ est in dextro, & æquè contenta esset in brachio dextro, ac est in sinistro: ergo nulla pars datur, quæ ex se petat brachium sinistrum: ergo aliquid petit forma quod non petat ratione alicuius partis determinatæ. Videat Hurtad. quid respondeat, & solutionem, quam sibi quæsierit argumento contra nos facto applicet.

Dum tamen Hurtadus prædicto argumento pro vtraque 12
sententia solutionem quærit, placet respondere pro sententia, quam defendendam suscepi. Concedo nihil posse agere totum, quod non exgat ratione partium, & assero formam equi totalem, exigere temperamentum capitis, cordis, manuum, &c. adæquatè ratione omnium partium collectiuè sumptarum, inadæquatè ratione cuiuslibet partis contentæ in totali animo. Explico verbum *inadæquatè*, quod non se tenet ex parte termini, sed ex parte exigentiæ, quælibet enim pars petit totum temperamétum equi, non verò capitis magis, quàm pedis, dicitur tamen petere inadæquatè, quia non tantùm hæc pars, quæ est in capite, neque pars, quæ est in pede petit hoc temperamentum: sed omnes temperamentum adæquatum exigunt, ex quarum partialibus exigentiis fit vna totalis, & adæquata exigentia temperamenti conueniens toti, animæ videlicet intuitu, cuius totum temperamentum adæquatum capitis, cordis, &c. datur equo.

Restat modò explicare, quomodo pars, quæ est in capi- 13
te petat totum temperamentum equi, & pars quæ est in pede eodem modo petat idem temperamentum. Quod sic intellige. Pars quæ est in capite petit totum temperamentum non sibi dandum adæquatè; sed distribuendum inter ipsam, & alias compartes, quibus petit vniri, sibique tantùm petit partem quamdam temperamenti, & hanc non determinatam, neque potiùs hanc quàm illam, sed vagè & indeterminatè partem quamdam temperamenti ex illis, quæ in temperamento includuntur. Ecce tibi pars equi, quæ est in capite pro se non magis petit temperamentum capitis, quàm pedis; petit tamen temperamentum pedis, & capitis, & aliarum partium pro se & pro aliis partibus, inter quas est distribuendum temperamentum adæquatum, in qua distributione hanc partem animæ sortiri potiùs

potiùs temperamentum pedis,quàm capitis non prouenit ex exigẽtia animæ,sed ex arbitrio Dei constituentis illam sub temperamento pedis, & non sub temperamento capitis, sicut ex voluntate artificis statuam elaborantis prouenit vt ex hac parte ligni caput statuæ, potiùs quàm pedes fingat. Quod si partes omnes formæ equi essent cum deorganizatione pedis omnes & illarum quælibet essent violentæ, quia licèt hæc formæ portio (idem de aliis dico) esset contenta deorganizatione pedis,dum tota deorganizatio cõpositi esset distributa inter omnes partes;dum tamen ita non distribuitur,sub quacumque deorganizatione erit violenta, quia non tribuitur sibi, & aliis compartibus tota deorganizatio, quam exigit pro se & pro aliis.

14 Obiicit Hurtadus hanc exigentiam à nobis partibus assignatam temperamentum adæquati pro se, & pro aliis, & inter omnes distribuendi,non esse appetitus innati sed eliciti, quia per appetitum innatum entitas tantum petit pro se,non pro aliis, quia appetitus innatus est propensio in proprium bonum, ac proinde in temperamentum proprium, & non in alienum. Respondeo negando antecedens. Ad confirmationem dico formam & partem illius quælibet habere appetitum innatum ad totum illud quod necessarium est propriæ conseruationi, siue tribuendum eidem entitati, siue aliis; sic pars pedis habet appetitum innatum ad conseruationem capitis capiti tribuendam, quia illâ indiget vt conseruetur, & eadem ratione quælibet pars formæ habet appetitum ad totum temperamentum adæquatum heterogeneum dandum, non solùm sibi; sed sibi, & aliis compartibus, quia toto illo indiget, vt naturaliter conseruetur, quia etsi vna pars ab alia distinguatur, omnes pertinent ad idem totum,& ita mutuò sibi petunt necessaria ad conseruationem totius, quod componere intendunt, & ad propriam ipsarum conseruationem: & à priori probo partem corporis posse petere temperamentum pro alia. Pars capitis petit vnionem cum parte habente temperamentum cordis: ergo petit temperamentum cordis pro alia parte, quia petere partem habentem temperamentum cordis est petere illam partem,quæ habet temperamentum, & petere temperamentum afficiens eandem partem: ergo pars quæ petit aliam compartem habentem temperamentum cordis, petit aliam partem, & temperamentum illam afficiens: ergo pars capitis etiamsi heterogenea sit petit temperamentum pro alia parte.

15 Dices partem capitis tantùm petere vnionem ad partem exigentem temperamentum cordis, non verò ipsum temperamentum,neque immediatè petere partem cordis habere temperamentum cordis. Contrà,pars capitis non solùm indiget vnione ad partem cordis, sed indiget vnione ad partem cordis, provt habentem temperamentum cordis: ergo exigit partem cordis, provt habentem tale temperamentum: ergo exigit partem & temperamentum.

16 Hác doctrina positâ friget aliud argumentum,quod adducit Hurtadus subsect.5. videlicet inferri ex nostra sententia non esse fundamentum ad constituendum discrimen inter leonem,& equum, quia sicut nos dicimus oculos,& manus esse eiusdem rationis, etsi habeant diuersas dispositiones; ita poterit dici leonem, & equum eiusdem esse rationis,etsi habeant diuersas operationes, & dispositiones diuersas. Ex doctrina tradita facilè respondeo, maximum esse fundamentum ad discriminandum hominem à leone, & longum discrimen inter partes eiusdem corporis, & indiuidua distincta. Quia diuersitas substantiæ non est sumenda ex diuersitate, quam habet,accidentium,sed ex diuersitate quam petit:& partes eiusdem formæ, etsi diuersa temperamenta habeant inadæquata, possunt omnes temperamentum adæquatum petere, & quælibet temperamentum inadæquatum sibi dandum, & aliud inadæquatum dandum aliis compartibus, pro quibus illud petit, quia cùm vna pars dependeat à conseruatione alterius, & à conseruatione totius, petit temperamentum pro alia comparte: Equus verò, non solùm habet diuersas dispositiones cum leone; sed etiam illas diuersas exigit, quia illis non indiget, neque pro se, vel leone, quia cùm non pertineat ad quoddam totum cum leone, neque conseruatio formæ equi dependeat à conseruatione formæ leonis, neutra harum formarum petit pro altera;sed quælibet pro se petit id tantùm quod sibi necessarium est.

Ex his inferes quod si à materia separes formam equelli habentis v.g. viginti partes substantiæ,quæ in materia distributæ erant cum deorganizatione adæquata,& simul separes formam aliam equi habentem quadraginta partes, quæ similiter distributæ erant in materia habente deorganizationem adæquatam equi,& ab hac demas viginti partes quæ essent cum deorganizatione capitis, brachiorum, & pectoris, tunc æquè integram permansuram hanc formam à qua viginti partes erant ablatæ,& totidem retinebat cum illa forma equelli à qua nulla pars erat ablata,& æquè posse integrum equum componi ex his viginti partibus formæ quæ quadraginta habuerat & ex aliis viginti alterius formæ quæ tantùm habuit viginti,quas modo retinet, quia in vtraque forma totidem essent partes, & in neutra illarũ esset pars,quæ posset dici caput,vel pes,quia quælibet est indifferens ad diuersa temperamenta,à quibus hanc sumit deorganizationem. Si autem hæc mutilatio partium fieret in forma equi materiæ vnita forma illa à qua viginti partes essent ablatæ respondentes pectori, & capiti, non diceretur integra,quia non habebat integram deorganizationem, quam exigebat, quam haberet alia equelli forma, quæ integra diceretur non propter maiorem entitatem substantialem quam in se intrinsecè haberet,sed propter deorganizationem, quam diceret, quâ alia careret. 17

Hoc genus exigentiæ partium tenentur concedere auctores vtriusque sententiæ, quia argumentum prædictum, vt probaui, eodem modo premit vtrosque nostram opinionem tenentes,in omnibus partibus animæ,& sectantes oppositam partium heterogenearum,in partibus homogeneis carnis,quarũ vna est in facie, alia in pede:vna in brachio dextro,alia in sinistro. Et similiter in partibus homogeneis ossium,ex quibus diuersa construuntur ossa, & hoc ad exigentiam animæ, licet nulla pars carnis neque ossis ex homogeneis petat magis esse in brachio dextro, quàm in sinistro:in hoc osse, quàm in illo. 18

Neque obiicere poteris nos parum philosophicè procedere,quia recurrimus adDeũ,vt determinaret hanc partem formæ ad hoc temperamentum,potiùs quàm ad illud;sicut enim aduersarij ad Deum recurrere debent,vt inter partes homogeneas determinet quæ futura sit in brachio dextro, & quæ in sinistro, nos qui asserimus partes omnes homogeneas esse, pro omnibus ad Deum confugimus. Deinde omnes debent concedere Deum pro sua voluntate determinare, vt hæc materiæ pars sit potiùs sub hac parte formæ quàm sub alia, vt producatur hæc pars cordis inter innumeras,quæ erant in statu possibilitatis,& æque poterant produci:ergo non est cur in præsenti casu recusemus eodem modo hanc partium determinationem sub diuersis temperamentis Deo tribuere. 19

Contra hanc sententiam hoc modo explicatam existimo nihil momenti posse argui, solui enim inter illam explicandam præcipuam difficultatem, quomodo scilicet petantur in viuenti diuersa temperamenta, etiamsi quælibet pars sit contenta quolibet temperamunto ex his quæ sub tota forma viuentis reperiuntur, neque in errore Pytagoræ, & Platonis impugnando est cur immoremur: est enim omni destitutus fundamento, & ex illo plurima absurda inferuntur,scilicet hominem non esse vnum viuens, sed plura:esse rationalem secundùm partem cerebri,& irrationalem secundùm alias partes, aliáque similia delira: sententia verò quæ supra formam totalẽ plures alias partiales constituebat pro diuersis partibus heterogeneis ex eo sufficienter impugnatur, quia pluralitas illa formarum partialium necessaria non est ad constituendum viuens heterogeneum,neque possibilis, quia ex illa infertur eandem materiam habere duplicem formam, quod naturaliter contingere non potest. 20

Alij frigidè obiiciunt: Non est necessitas constituendi partes animæ homogeneas, ergo non sunt constituendæ. Argumentum retorqueo: non est necessitas constituendi partes animæ heterogeneas: ergo non sunt constituendæ. Fortius te premit mea illatio,quàm me tua. Si enim ego multiplico virtutem sensitiuam in esse quam tu negas,multiplico existentiam virtutis, quam agnosco, & scio certè dari in aliis indiuiduis; tu multiplicas entitatem quam nescis de facto dari in rerum natura, & adhuc dubium est an possibilis sit,videlicet partem formæ habentem virtutem eliciendi tantùm actum vegetandi, vnitam parti formæ habenti virtutem vegetandi,& sentiendi, 21

Non

22 Non egi ſpecialiter de vnione, de qua eadem eſt ratio, ac de aliis formis, abs re enim daretur vnio heterogenea in ordine ad extrema homogenea, quæ poſſunt diuerſam deorganizationem exigere in diuerſis partibus ſubiecti. Qui verò deorganizationem accidentalem exiſtimant oriri in compoſitis habentibus animas diuiſibiles ex diſſimilitudine intrinſecâ partium, poſſent hanc diſſimilitudinem aſſignare in modo vnionis humanæ quæ poſſet conſtare partibus heterogeneis, etiamſi vnum extremum eſſet indiuiſibile, & alterum partes homogeneas haberet, etſi enim diuerſitas extremorum diuerſitatem arguit vnionis; & diuerſitas rei diuerſitatem modi, non tamen identitas, aut ſimilitudo extremorum arguit identitatem, aut ſimilitudinem rei, quando diuerſitas modi poteſt ſumi ex alio capite à priori, vel à poſteriori, ſicut poteſt deſumi in modo vnionis heterogeneæ hominis, qui diuerſas diſpoſitiones exigit in diuerſis partibus ſubiecti, ex quo inferre poſſunt partes illius eſſe heterogeneas, qui id inferunt ex eodem principio in partibus formæ diuiſibilis. Ex his ſolutio patet ad illa, quæ contra hanc concluſionem adducit Hurtadus, qui oppoſitam defendit diſput. 2. ſect. 8. Quia modus non tantùm ſpecificatur à ſuis extremis, ſed à cauſâ efficienti cum omnibus conditionibus, quæ ſe tenent ex parte eius principij, à qua poteſt produci cum partibus heterogeneis, etiamſi extrema homogenea ſint: imò poteſt dici ſecùndùm rationem heterogeneam ſpecificari ab extremis homogeneis, & ab ipſa indiuiſibili anima exigente vnionẽ diuerſam in cerebro, & in pede propter diuerſas operationes, quas exigit exercere in partibus diuerſis. Ad exemplum quod adducit Hurtadus de actione, quæ ſemper eſt eadem, cùm terminis, & principium efficiens ſunt idem, reſpondeo, Exiſtente principio, & termino eiuſdẽ rationis actionem ſemper eſſe eiuſdem rationis, quia nullum eſt caput à priori, neque à poſteriori, ex quo diuerſificetur actio. In noſtro autem caſu diſpoſitiones à poſteriori arguere poſſunt diuerſitatem partium vnionis, & poſſunt eſſe conditiones, vt iuxta diuerſitatem illarum diuerſæ partes vnionis ab eodem agente introducantur.

23 Vltimò aduerte me in hoc puncto tantùm dixiſſe partes viuentis ex ſe non eſſe intrinſecè heterogeneas; ſed eandem partem quæ eſt in capite potuiſſe eſſe in pede, & partem quæ in oſſe tantùm nutritionem exercet potuiſſe ſenſationem elicere; non tamen dixi omnes partes eſſe æquales in perfectione, & omninò ſimiles. Exiſtimo enim poſſe non eſſe intrinſecè heterogeneas, neque ex ſe determinatas ad caput vel pedem conſtituendum, nihilominus non eſſe æquales, ſicut de gradibus qualitatis dixi in generatione non eſſe ſubordinatos, poſſe tamen eſſe inæquales perfectione. Sic ſimiliter in partibus animæ, etiamſi non ſint quaſi ſubordinatæ ſeu determinatæ ex ſe ad pedem potiùs quàm ad caput conſtituendum, poteſt de illis diſputari, an ſint æquales perfectione, ſicut diſputatur de duobus indiuiduis adæquatis eiuſdem ſpeciei, an poſſit eſſe vnum perfectius alio, etiamſi vtrumque habeat eandem heterogeneitatem; quodlibet enim habet deorganizationem capitis, pectoris, brachiorum, *&c.* & nihilominus plures aſſerunt vnum eſſe perfectius alio, quia exceſſus perfectionis non neceſſariò conſiſtit in eo quòd vnum indiuiduum habeat diuerſum ordinem partium, ac habet aliud; ſed poteſt in alia ratione conſiſtere: ſic ſimiliter de indiuiduis inadæquatis philoſophari poteſt: cum enim dicitur vnum indiuiduum, equum videlicet *A*, eſſe perfectiorem equo *B*, dicitur partem cordis equi *A*, eſſe perfectiorem parte cordis equi *B*, & tamen vtraque eſt pars cordis, ergo in eodem indiuiduo licet illius partes non ſint partes cordis vel pedis neceſſariò poteſt eſſe vna perfectior aliâ: quid tamen in hac re dicendum ſit, conſtabit ex dicendis de indiuiduis adæquatis; eadem enim ratione philoſophandum puto de indiuiduis inadæquatis, ſeu de partibus eiuſdem indiuidui.

PVNCTVM VIII.

An omnia indiuidua eiuſdem ſpeciei ſint perfectione æqualia & æquè ſimilia.

§. I.

Referuntur variæ ſententiæ & nonnulla prænotantur.

1 PRima ſententia tenet omnes animas eiuſdem ſpeciei eſſe omninò inæquales. Hanc tenent Caietanus 1. p. q. 85. art. 7. Bañes lib 2. de anima, Rub. tract. de pluralitate animarum. Secunda ſententia affirmat animas eiuſdem ſpeciei non poſſe eſſe inæquales. Hanc tenent Fonſeca 5. Metaph. c. 28. q. 16. ſect. 2. & 3. P. Toletus 3. de anima q. 28. P. Hurtad. diſp. 2. ſect. 7.

2 Notaui diſputans de æqualitate, & ſubordinatione graduum in genere, aliud eſſe duo eſſe ſimilia, aliud æqualia; & differentiam inter vtramque relationem explicui, quæ in præſenti quæſtione locum inuenit. Notaui etiam non eſſe diſputandum, An gradus ſecundum vltimam differentiam indiuidualem eſſent æquales vel inæquales, implicat enim ſecundùm hanc non eſſe omninò oppoſitos, & aliquos inter ſe habere maiorem conuenientiam, quàm cum aliis, quia differentia indiuidualis eſt vltima ratio diſconueniendi, in qua indiuiduum, neque minimam conuenientiam habet cum aliquo, quamcumque enim in indiuiduo repertam, à differentia indiuiduali præſcindimus, vt remaneat ipſa abſque vlla conuenientia, & omninò oppoſita, & poſſit indiuiduum conſtituere vltimò differens à quocunque non ipſo. Hoc poſito, adhuc materiam diſputatu dignam relinqui loco citato notabam: An videlicet intra eandem ſpeciem humanam vel equinam ſint aliqua indiuidua aliis perfectiora: aliqua quæ maiorem conuenientiam habeant cum aliquibus indiuiduis ſuæ ſpeciei quàm cum aliis; quæ conuenientia indiuidualis eſſe non poteſt propter rationem dictam; neque ſpecifica, quia indiuidua eiuſdem ſpeciei prædicatum participant omnibus commune, idémque indiuiſibile ſaltem ex modo concipiendi.

3 Moneo inſuper Doctores aſſerentes indiuidua eiuſdem ſpeciei eſſe omniuo æqualia ſecundùm omnia prædicata metaphyſica teneri aſſerere phyſicè, & à parte rei Petrum & Ioannem eſſe omnino æquales in perfectione abſque vllo exceſſu vnius ad alium, quia ſi quem exceſſum intrinſecum phyſicum haberet illorum aliquis, talis exceſſus metaphyſicè præſcindi poſſet, & in illo indiuiduo daretur aliquod prædicatum excedens perfectionem alicuius prædicati metaphyſici, quod in alio indiuiduo reperiretur: nihil enim eſt phyſicum ſpeciale in entitate quod metaphyſicè præſcindi nequeat, ac proinde hæc eſt optima illatio. Nihil poſſumus concipere in hac entitate phyſica diuidentes omnia prædicata metaphyſica illius, cui non correſpondeat in alia aliud prædicatum æquè perfectum comparando ſingula ſingulis, ergo nihil eſt in hac entitate, ratione cuius phyſicè excedat aliam.

4 Si verò comparantes ſingula prædicata metaphyſica huius indiuidui (idem dicerem, huius ſpeciei cum prædicatis alterius ſpeciei) cum ſingulis prædicatis aliûs indiuidui, reperiamus aliquod prædicatum in hoc indiuiduo excedens perfectionem aliûs prædicati illi reſpondentis ex parte aliûs indiuidui, & non reperiamus ex parte indiuidui exceſſi in perfectione prædicati prædicti prædicatum aliud quo excedat prædicatû illi reſpondens in indiuiduo, quod iam ratione vnius prædicati illud exceſſerat: illud indiuiduum cuius vnum prædicatum metaphyſicum exceſſit prædicatum ſibi correſpondens, etiamſi ſecundùm alia prædicata ſit æquale, phyſicè & à parte rei ſecundùm omnem ſuam entitatem eſt inæquale & perfectius altero. Ratio eſt, quia phyſicè loquendo omnia prædicata ſunt identificata: ergo implicat dari exceſſum in indiuiduo ratione alicuius prædicati, qui non ſit ratione omnium, quibus à parte rei omnes omninò proprietates debent conuenire; ſed poſito exceſſu metaphyſico vnius prædicati huius indiuidui in ordine ad prædicatum illi correſpondens in alio indiuiduo, quod ratione nullius prædicati mutuò excedit indiuiduum excedens in vno prædicato, datur in tali indiuiduo exceſſus phyſicus: quia ſi omnia phyſicè eodem modo ſe haberent in vtroque indiuiduo, non eſſet fundamentum ad talem exceſſum metaphyſicum reperiendum: ergo hic exceſſus eſt ſecundùm omnem entitatem.

5 Occurres: Quia prædicata ſunt omnino idem à parte rei ſi hæc entitas excedit aliam in nullo excedentem in aliquo prædicato, phyſicè tota entitas eſt perfectior aliâ: ergo eodem modo ex identitate prædicatorum, poſitâ æqualitate inter duo prædicata metaphyſica harum entitatum phyſicè vtramque entitatem, & omnia prædicata æqualitatem habere inferendum erit: ergo poſitis duabus entitatibus metaphyſicè æqualibus in prædicato ſpecifico, & inæqualibus in alio prædicato, hæ duæ entitates phyſicè ſecundùm ſe totas erunt æquales, quod repugnat. Reſpondeo, malam eſſe illationem & rationem diſparem, quam exhibeo. Poſitâ inæqualitate

inæqualitate in aliquo prædicato inter duas entitates si reliqua prædicata æqualia apprehẽduntur,æqualitas illa non se tenet ex parte obiecti,sed tantùm est præcisiua ex parte intellectus, qui negatiuè concipit illa prædicata æqualia, quia non concipit inæqualitatem,quam in se habent, quæ æqualitas negatiua tantùm est respectu intellectus , ex vi huius cognitionis præcisiuæ , & non resunditur in obiectum,sicut vnitas virtualis,quæ apprehenditur ex eo quod intellectu non apprehendat multiplicitatem,& distinctionem indiuiduorum , non facit obiectum in se vnum ; inæqualitas verò,quam intellectus concipit inter duo prædicata,tenet se ex parte obiecti non tantùm illius cognitionis,quâ formaliter illa prædicata inæqualia apprehenduntur,sed etiam ex parte obiecti cognitionis,quâ intellectus præcisiuè alia prædicata eorumdem indiuiduorum æqualia apprehendit,quia iuxta nostra principia quidquid est in tota entitate physica,se tenet ex parte obiecti cognitionis attingentis quodlibet prædicatum metaphysicum illius. Neque intellectus potest in his entitatibus aliam æqualitatem præter hanc negatiuam prouenientem ex præcisione inæqualitatis,quam habet obiectum,apprehẽdere,quia vbi nulla est physica æqualitas non potest metaphysicè sine fictione concipi:prædicata enim quæ metaphysicè præscinduntur,physicè entitatẽ comitantur.

6 Alio modo potest fieri comparatio metaphysica prædicatorum duarum entitatum, vt mutuò se excedant,& excedantur secundùm diuersa prædicata,sicuti potest comparari species expressa sensus externi, cum præsentia Angeli,vbi attenta ratione vitæ perfectior est externa sensatio quàm præsentia Angeli : inspecta tamen ratione spiritualitatis,perfectior est Angelica præsentia externa sensatione:Exemplum adhibeo in rebus specie distinctis,vt clariùs mõstrem prædicata excessa,& excedentia. Rursus hic mutuus excessus potest esse æquialens , ita vt tantùm excedat hæc entitas illam , quantum hanc eandem excedit illa,& tunc physicè nullus erit excessus , & in cognitionibus,ratione quarum dicetur hæc entitas excedere alteram in hoc prædicato excessus non se tenebit ex parte obiecti; sed ex parte cognitionis præscindentis ab alia ratione;quâ excessus apparens huius prædicati ad æqualitatem reducitur,ita vt nullus detur excessus in obiecto ; & illud , quod apprehenditur excedens ex parte modi, definit esse excedens ex parte obiecti,& nullam rationem habet excedentis. Quod si excessus mutui non compensentur , sed vnus sit maior alio,entitas illa,in qua maior excessus metaphysicus reperitur physicè secundùm totam suam entitatem, aliam excedet,illiúsque excessus,non solùm erit in cognitione metaphysicè præscindente ex parte modi,sed etiam ex parte obiecti : excessus verò metaphysicus rei quæ minorem habet excessum , erit tantùm ex parte modi seu ex parte cognitionis præscindentis à ratione illa qua exceditur,& constituitur excessum prædicatum illud,quod apparet excedens.

7 Ex his infero pro mea quæstione Petrum & Ioannem physicè secundùm totam suam entitatem esse inæquales,si infra differentiam specificam inueniamus aliquod prædicatum quo Ioannes excedat Petrum nullo reperto quo Petrus excedat Ioannẽ,vel quo tanti illum excedat quanti exceditur : Et physicè Petrum & Ioannem esse omnino æquales in perfectione, si in omnibus prædicatis quæ sunt infra differentiam specificam nullum reperiatur excedens aliud sibi correspondens in altero indiuiduo;vel si aliquod reperiatur in Petro excedens aliud sibi in Ioanne respondens , reperiatur in Ioanne aliud quo æquè excedat Petrum secundùm illud , ac secundùm aliud exceditur: ita vt omnibus pensatis compensetur excessus prædicatorum mutuò , & æquè se extendentium. His positis procedit quæstio quomodo res se habeat in indiuiduis eiusdem speciei.

§. II.

An prædicata superiora duarum specierum, & prædicata duorum indiuiduorum possint esse mutuò similia & dissimilia,æqualia & inæqualia.

8 HVrtadus disputatione 2. sect.7 subsect.3. docet duas res posse esse reciprocè similes secundùm vnum gradum , & dissimiles secundùm alium ; equus enim animal hinnibile est similis homini,animali rationali, in prædicato animalis , & dissimilis in prædicato rationalis ; quod probatur , quia si in homine distingueretur prædicatum animalis à prædicato rationalis , & similiter in equo prædicatum animalis à prædicato hinnibilis , prædicata animalis essent similia & prædicata rationalis & hinnibilis dissimilia : ergo etiamsi hæc prædicata inter se sint identificata, eamdem similitudinem , & dissimilitudinem habebunt.

Aliter philosophandum putat idem Hurtadus subs. 4. 9
de æqualitate & inæqualitate : censet enim duo indiuidua eiusdem speciei non posse esse inæqualia in differentia indiuiduali,& æqualia in differentia specifica, quod sic probat:Ratio specifica & indiuidualis est eadem:ergo æqualitas conueniens rationi specificæ debet conuenire rationi indiuiduali,& è contrà,aliàs eadem æqualitas conueniret, & non conueniret eidem entitati,quia conueniret rationi specificæ : non verò indiuiduali identificatæ cum ratione specifica.

Ego percipere non valeo , quomodo hæc confundat 10
Hurtadus : si enim ex identitate prædicatorum infert vtrumque habiturum eandem æqualitatem,ne eadem entitas sit æqualis, & non sit æqualis , cur ego non inferam ex identitate prædicatorum vtrumque prædicatum habiturum eamdem similitudem , ne idem prædicatum sit simile , & non sit simile : æquè enim contradictoriè opponuntur simile , & non simile , ac æquale & non æquale , & æquè contrariè æquale , & inæquale : & simile, & dissimile ; & identitas subiecti est eadem : ergo eodem prorsus modo philosophandum est de similitudine , & æqualitate.

Censeo in hac re insignem æquiuocationem commit- 11
ti, quâ ablatâ facilis est quæstionis resolutio : attentè lege. Potest inquiri an Petrus possit esse à parte rei independenter ab intellectu æqualis Ioanni in prædicato specifico, & inæqualis in indiuiduali : & eodem modo similis in prædicato specifico,& dissimilis in prædicato indiuiduali , & hic interrogandi modus in quo multi quæstionem tractant planè est ineptus, quia à parte rei independenter ab intellectu non est conceptus specificus distinctus ab indiuiduali:ergo à parte rei non potest de illis disputari, tanquam de rebus distinctis:quapropter in hac quæstione negandum est suppositum , neque vltrà procedendum,quia à parte rei non est gradus specificus,& indiuidualis : sed vna simplex entitas Petrus,Ioannes , & hic equus,quæ entitates eandem vnam,& simplicem similitudinem respectu vnius termini habent.

Si verò quæstio præcedat de similitudine,& æqualitate 12
ndùm nostrum modum concipiendi , locum habet tio , quia secundùm nostrum modum concipiendi sunt gradus generici, specifici,& indiuiduales , & de illis agimus , ac si essent distincti , & in hoc sensu assero non inferri ex eo quod duo indiuidua sint inæqualia in differentia indiuiduali , esse inæqualia in differentia specifica ex modo concipiendi : inferri tamen esse inæqualia ex parte obiecti , quia obiectum semper est idem,siue cognoscatur differentia specifica , siue indiuidualis : modus tamen concipiendi est diuersus : sicut enim intellectus concipit Petrum , & Ioannem distinctos secundùm differentias indiuiduales , & idem secundùm differentiam specificam, eodem modo potest illos concipere inæquales in differentia indiuiduali , & æquales in differentia specifica : Idem dico de similitudine , seu dissimilitudine, quæ non ex eo quod ex parte modi apprehendatur in vno prædicato debet apprehendi in alio identificato ex parte modi , licet ex parte subiecti eadem similitudo, seu dissimilitudo in omnibus prædicatis apprehendatur, sicut eadem multitudo apprehenditur ex parte obiecti in ratione hominis apprehensa per modum vnius, ac in rationibus Petri , & Pauli , Ioannis , &c. per modum plurium.

Ex his infero posse differentias specificas esse inæqua- 13
les & rationes genericas eadem specierum esse æquales ex modo cognoscendi , non quia aliqua ratio obiectiuè æqualis apprehendatur in his rationibus genericis : sed quia ex modo cognoscendi eædem rationes , quæ fundant inæqualitatem specificam apprehenduntur vt æquales, non æqualitate aliquâ positiuâ ex parte obiecti apprehensâ : sed tantùm æqualitate negatiuâ , hoc est, non apprehensâ ex parte modi cognoscendi in æqualitate obiectiuâ, sicut non apprehensâ ex parte modi diuersitate , & distinctione

distinctione inter indiuidua diuersarum specierum, omnia apprehenduntur, ac si essent vnum simplex obiectum, non quia positiua vnitas in obiecto apprehendatur, hæc enim esset fictitia, quia indiuidua diuersarum specierum nullam vnitatem obiectiuam habent. Eodem modo philosophandum est de similitudine, quæ negatiuè potest in prædicatis superioribus inueniri, quia non apprehenduntur, vt dissimilia etiamsi prædicata inferiora positiuè dissimilia apprehendantur: non possunt autem prædicata inferiora apprehendi dissimilia, & superiora positiuè similia, quia positiua similitudo debet se tenere ex parte obiecti, & implicat ex parte obiecti esse similia prædicata superiora, & dissimilia inferiora, quia idem esset simile & dissimile: Idem intellige de æqualitate, & inæqualitate positiua.

§. III.

Quæ similitudo requiratur ad constituendum prædicatum specificum.

14 PRobaui §. præcedenti, animas brutorum non habere partes intrinsecè heterogeneas, quia si pars, quæ est in osse, tantùm esset vegetatiua, & pars, quæ est in carne sensitiua, distinguerentur in specie: examinanda est hæc ratio & inquirendum, an si omnes partes ossium essent nutritiuæ tantùm, & partes carnis nutritiuæ, & sensitiuæ: partes ossium haberent prædicatum quoddam specificum commune illis, quod non esset commune partibus carnis: & partes carnis aliud prædicatum specificum, quod non esset commune partibus ossis. Partem affirmatiuam defendo, & probo: Si partes carnis respicerent sensationem, quam non respicerent partes ossis, respicerét operationes specie distinctas: ergo distinguerétur specie. Probo consequentiam: Anima plantæ differt ab anima animalis, quia hæc respicit sensationes, & est principium illarum, & non illa: ergo eodem modo, & propter eandem rationem distinguentur specie partes ossis, & partes carnis, quia partes ossis habent prædicatum simile, in quo conueniunt, quod non est commune partibus carnis, & partes carnis prædicatum simile in omnibus, quod non participant partes ossis.

15 Ex hoc inferri videtur non posse duo indiuidua eiusdé speciei habere inter se maiorem similitudinem, quam non habeant indiuidua, neque posse duo indiuidua esse inter se magis æqualia, quàm cum omnibus illis: ratio est, quia si Petrus, & Ioannes haberent maiorem similitudinem, aut æqualitatem, quam Petrus, & Franciscus, iam Petrus, & Ioannes conuenirent in illo prædicato substantiali, quod esset fundamentum illius similitudinis, aut æqualitatis: ergo Petrus, & Ioannes haberent prædicatum commune quod non haberet Franciscus: sed illud prædicatum esset specificum: ergo distingueretur in specie à Francisco: sola Minor indiget probatione: quando prædicatum substantiale est multis commune, non est iudiuiduale: ergo saltem specificum. Ex hac doctrina infertur indiuidua eiusdem speciei non posse esse inæqualia, neque hæc inter se magis similia quàm illa, quod eodem modo infertur in partibus eiusdem indiuidui, contra dicta in generatione de gradibus qualitatis.

16 Antequam difficultatem hanc soluam: aliam in eadem materia propono, vt vtrique sit communis solutio. Ab hoc igne *A*, v. g. possunt prouenire plures actiones productiuæ caloris, quæ non possunt prouenire ab igne *B*, & ab igne *B* possunt prouenire aliæ plures actiones, quæ non possunt prouenire ab igne *A*: ergo actiones fluentes ab igne *A* habent prædicatum commune, quod non habent actiones fluentes ab igne *B*, scilicet posse prouenire ab igne *A*, & è contrà actiones fluentes ab igne *B* habent prædicatum commune, quod non conuenit actionibus fluentibus ab igne *A*, scilicet posse prouenire ab igne *B*: ergo actiones fluentes ab igne *A* differunt specie ab actionibus fluentibus ab igne *B*. Idem argumentum fit de innumeris aliis modis, præsentis videlicet, plures enim respiciunt hoc spatium in quo conueniunt inter se, & differunt à præsentis respicientibus illud spatium.

17 Audiui aliquos recentiores concedentes actiones prouenientes à diuersis agentibus, esse specie distinctas propter rationem dictam, & similiter præsentias respicientes diuersa spatia, & alios innumeros modos diuersa subiecta, terminósve distinctos respicientes. Contra quos efficaciter infero: omnia indiuidua humana modo existentia specie distingui: illationem efficaciter probo. Modus vnionis est de essentia hominis: ergo quotiescunque distinguitur specie modus vnionis ab alio modo vnionis, specie distinguentur illi homines, quorum essentia includit vnionis modum; sed modus vnionis Petri distinguitur specie à modo vnionis Ioannis: ergo Petrus, & Ioannes sunt omnes specie distincti. Minor vltima tantùm indiget probatione, quam sic probo: Modus vnionis qui modò est inter materiam & formam Petri conuenit cum aliis modis, qui possunt esse inter eamdem materiam, & formam in prædicato, quod non est commune modo vnionis, qui est inter materiam, & formam Ioannis, videlicet in hoc, quod est respicere hæc extrema: ergo habet aliquod prædicatum essentiale, quod non habet modus vnionis Ioannis: ergo differt essentialiter à modo vnionis Ioannis: ergo & ipse Petrus, qui hunc modum essentialiter includit, differt essentialiter à Ioanne, qui non potest includere hunc vnionis modum. Ne concedamus Petrum à Ioanne specie differre alia via tenenda est.

18 Dicet aliquis, respicere hoc principium in hac actione & aliud agens in alia, non esse prædicata essentialia, quia tantùm respiciunt terminos non distinctos. Hæc solutio licèt apparens videatur, petitionem principij manifestam includit, intendit enim probare eadem obiectio hunc ignem differre specie ab illo, quia conuenit, cum alio igne in aliquo prædicato non illi communi, & hunc gradum caloris primum videlicet (rem explico in opinione constituente subordinationem graduum) specie distingui à secundo, quia magis conuenit cum alio primo, quam cũ secundo, quæ conuenientia non est in differentia indiuiduali: sed in specifica, & consequenter eâdem obiectione probatur, actiones potentes terminari ad primum gradum caloris specie distingui ab actionibus potentibus terminari ad secundum caloris gradum.

19 Respondet Hurt. disp. 2. sect. 8. subs 6. hos respectus non posse constituere species distinctas, quia non sunt inæquales, differentiæ enim essentialiter oppositæ esse debent inæquales. Solutionem hanc reiiciam §. 5. vbi probabo differentias specificas essentialiter oppositas non dicere inæqualitatem esse necessariò in illis imbibitam.

20 Respondeo prædicto argumento, non quodcunque prædicatum commune facere differre subiectum essentialiter ab omni alio, cui non conuenit tale prædicatum, sed tantùm illud prædicatum, quod notabiliter constituit dissimile subiectum, quod afficit, ab alio carente eodem prædicato. Ex hoc infero in duabus actionibus respicientibus ignem *A*, verbi gratia, prædicatum commune respiciendi hoc principium, non facere illas specie differre, ab actionibus quæ non possunt hoc principium attingere, sed aliud diuersum debent respicere, quia per illud hæ actiones, non notabiliter sunt dissimiles, neque diuersæ ab aliis, respicere enim magis hunc ignem, quam illum prudenti æstimatione parui fit, ac proinde non sufficit ad differentiam essentialem constituendam. Neque mireris ex prudenti hominum æstimatione oppositionem specierum taxari, quia licet quælibet entitas habeat ex se independenter ab omni actu externo sua prædicata intrinseca, quæ essentialia, seu indiuidualia dicuntur, dici tamen hoc genericum, illud specificum, & aliud indiuiduale, & hanc speciem essentialiter distingui ab illa, licet dicat ex parte entitatis aliquid intrinsecum, quod sit fundamentum his denominationibus, denominationes tamen ipsæ formaliter gradus generici, specifici, differentiales, &c. sunt extrinsecæ, nimis pendentes ex modo cognoscendi, & moraliter æstimandi dissimilitudinem seu similitudinem rerum.

21 Dices tale prædicatum commune aliquibus indiuiduis vnius speciei, & non omnibus, per quod non differunt notabiliter inter se indiuidua, v. g. prædicatum, quo actiones dimanantes ab hoc principio illud respiciunt, & nõ aliud, nõ est indiuiduale, quia nihil indiuiduale est multis commune: quid ergo erit, cùm medium non sit inter indiuiduale, & specificum? Respondeti possit, esse indiuiduale non includens totam rationem adæquatam indiuiduationis; sed inadæquatam videlicet prædicatum aliquod, in quod & in alia simul resoluitur simplex prædicatum talitatis, seu Petreitatis, quod non est multis commune: sed proprium huius indiuidui, neque illud prædicatum significatum per modum vnius, nomine ecceitatis cum aliis, cum quibus componitur,

componitur, est commune multis, sed tantùm singulari indiuiduo. Non placet hæc solutio, neque illius doctrina, quia ecceitas, & quælibet differentia debet esse irresolubilis, & indiuisibilibus, non solùm in partes, quibus formaliter, & actu componatur, sic enim species indiuisibilis est, quia species hominis significata hoc conceptu specifico, *homo*, formaliter non est partibus composita, vt probaui in Logica; sed debet esse ita indiuisibilis, vt non possit resolui in partes, quas adhuc, non vt partes, sed per modum simplicis conceptus includat. Secundò probo rationem illam communem multis indiuiduis non posse, adhuc inadæquatè, ad differentiam indiuidualem pertinere. Differentia indiuidualis est illa, per quam hoc indiuiduum differt ab hoc, & ab illo, & sic ab omnibus eiusdem speciei: sed ratio communis huic, & illi indiuiduo, non potest esse id per quod hoc differat, adhuc inadæquatè, ab illo: ergo non potest pertinere ad differentiam indiuidualem. Minorem probo: cætera patent. Ratio communis est ratio conueniendi, quæ per differentias indiuiduales est diuidenda, & contrahenda: ergo neque inadæquatè potest ad rationem indiuidualem diuidentem, & contrahentem spectare, aliàs dicito rationem specificam inadæquatè pertinere ad differentiam indiuidualem, & genus inadæquatè spectare ad differentiam contractiuam illius, & constitutiuam speciei.

22 Censeo tale prædicatum medium esse dicendum inter specificum, & indiuiduale: cuius conclusionis fundamentum esto rationes, quibus probauimus non posse esse specificum neque indiuiduale, ex quo infertur esse quoddam prædicatum medium minùs vniuersale specifico, & latiùs patens indiuiduali. Neque ex hac conclusione infertur diuisionem speciei in omnia sua indiuidua figillatim sumpta non esse immediatam, neque differentiam indiuidualem non contrahere immediatè specificam in linea prædicamentali, & iuxta diuisionem Prædicamenti, quia etsi mediet prædicatum prædictum, illud non pertinet ad lineam prædicamentalem, neque de illo agunt Dialectici, cùm rationem supremam prædicamenti vsque ad vltimam rationem partiuntur, quia illud ad differentiam indiuiduale reducunt, etsi illam non constituat, quicquid enim est infra specificam essentiam, indiuiduale vulgo appellatur, & quia parum de natura horum prædicatorum cognoscenda curarunt, cùm non notabiliter ex illorum diuersitate constitutum ex illorum aliquo differat.

23 Potest esse quæstio de nomine, an tale prædicatum dicendum sit essentiale, vel accidentale in qua existimo non esse dicendum essentiale, quia idem sunt prædicatum essentiale, ac specificum, ac proinde cùm specificum non sit, neque essentiale poterit esse. Neque potest dici proprium accidens metaphysicum speciei; quia proprium siue physicum, siue metaphysicum semper in quocunque indiuiduo speciem comitatur, ac proinde quicquid non est commune omnibus indiuiduis vnius speciei, non potest illius esse passio. Poterit dici accidens metaphysicum conueniens aliquibus indiuiduis vnius speciei quia in ordine ad prædicta, quæ ponuntur in recta linea prædicameatali potest adesse, & abesse: sed melius dicetur esse prædicatum quoddam substantiale medium inter essentiam & accidens, sicut dicitur medium inter specificum, & indiuiduale. Hæc dixi de prædicato, in quo conueniunt illa, quæ sunt similia inter se, & dissimilia ab aliis, quia similitudo fundamentum est ad vniuocationem de æqualibus, & inæqualibus: aliter est philosophandum; probabo enim §. 5. inæqualitatem, & æqualitatem, non fundare conuenientiam, neque disconuenientiam.

§. IV.

Difficultatis solutio.

24 PRæmissi superioribus paragraphis, principia omnia, quibus hæc dirimenda sunt, quibus positis facile erit de illa iudicium ferre.

25 PRIMA CONCLVSIO. Prædicatum metaphysicum, per quod vltimò differũt omnia indiuidua, in omnibus est primò oppositum, & æquè dissimile. Ratio est facilis: per hoc prædicatum indiuidua omnino opponuntur, nullam habẽt conuenientiam inter se, & quodlibet ex vi illius à quocunque alio singulariter sumpto, & ab omnibus à se distinctis differt, & habet disconuenientiam cum illis: ergo non potest per illud aliquam conuenientiam habere; ergo neque similitudinem, quæ saltem tanquam fundamentum conuenientiam requirit.

SECVNDA CONCLVSIO. Infra eamdẽ speciem possunt per prædicatum quoddam medium aliqua indiuidua esse æqualia inter se, & inæqualia ab aliis. Hæc conclusio constat expresè ex dictis §. superiori, vbi probaui posse aliqua indiuidua conuenire in aliquo prædicato, per quod non notabiliter differant. Tale erit prædicatum, per quod indiuidua possint simul habere tres cognitiones, & alia nõ possint tres simul, sed duas tantùm habere, & prædicatum, quo hæc indiuidua possint per eandem cognitionem tres homines expresè cognoscere; & alia per vnam cognitionem non possint nisi vnum tantùm cognoscere. Eiusdem rationis erit prædicatum, quo hæc indiuidua exigant materiam extensam per duas vlnas, & aliam per vnam cum dimidia tantùm, imò eiusdem rationis esset prædicatum, quo hæc iudiuidua exigerent quinque gradus caloris, & tres frigiditatis, & alia, quatuor caloris, & quatuor frigiditatis, quia illa temperamenta non notabiliter differunt, ac proinde in ordine ad illa non potest desumi specifica differentia. 26

Obiicies. Illa temperamenta specie differunt: ergo per ordinem ad illam desumi potest differentia specifica formarum. Antecedens probatur, quia plures gradus specie differentes includit temperamentum constans quinque gradibus caloris; & tribus frigiditatis, quàm temperamentum constans quatuor caloris, & quatuor frigiditatis. Respondeo temperamenta specie non differre ex eo præcisè, quòd vnum exigat qualitates contrarias attemperatas, vno, vel alio gradu intensiori, vel remissiori in vna, vel altera. Ad confirmationem respondeo, temperamentum illud includere plures gradus non specie differentes ab aliis, à quibus pauciores alij eiusdem speciei differebant etiam specie, ac proinde ex hoc capite non potest probari specie differentia in his temperamentis: imò neque in aliquo temperamento excedente aliud ex pluribus gradibus qualitatis: quia calor, vt vnum, & calor vt septem, eiusdem sunt speciei, ac proinde idem prædicatum specificum caloris continet temperamentum includens vnicum gradum caloris, ac aliud includens septem gradus, neque intensio earumdem qualitatum speciem variat. 27

Ex hac doctrina, quæ verissima est, non contemnenda nascitur obiectio: cuius solutio deseruiet ad rem, quam incidenter tetigimus explicandam. Sequitur ex hac doctrina omnia temperamenta mixtorum esse eiusdem speciei. Probatur sequela: temperamenta omnia constant quatuor qualitatibus specie eisdem, & tantùm differunt per maiorem intensionem huius qualitatis, & remissionem illius: sed intensio, & remissio non inducunt distinctionem specificam: ergo nihil est in temperamentis, per quod specie differant. Respondeo temperamentum non esse quoddam totum physicum, & per se vnitum: sed totum quoddam morale constans partibus, non in se vnitis, licet vniantur in subiecto, ac proinde differentiam huius temperamenti ab illo non esse sumendam ex aliqua differentia physica, quâ constituatur, & differat ab illis, quia quod non habet esse physicum non potest habere physicum constitutiuum: sed tota differentia temperamenti moraliter est assignanda, ad quam differentiam moralem plurimùm conducit intensio, vel remissio: quia subiectum calidum vt vnum, & frigidum vt septem moraliter dicitur frigidum absolutè: & frigidum vt vnum, & calidum vt septem moraliter dicitur absolutè calidum, in quibus ex notabiliter maiori, vel minori intensione resultant moraliter denominationes rerum physicarum, quæ specie differunt. Dicitur autem illa intensio notabiliter maior, quæ ad diuersam formam substantialem disponat. 28

Temperamentum hominis, & temperamentum equi distinguuntur specie physicâ: ergo non tantùm differunt moraliter. Resp. negando antecedens, quia temperamentum hominis, si ratione partium sumatur, non differt specie à temperamento equi, factâ comparatione partium vnius temperamenti ad partes alterius, quia partes vtriusque temperamenti sunt calor, frigus, siccitas, & humiditas, quæ tantùm in vno, & in alio in intensione differunt: temperamentum hominis sumptum indiuisibiliter ratione sui, quatenus est vnum, physicè differre non potest, quia quod non est vnum physicum, neque est totum physicum, physicè constitutum, non potest physicè ab alio differre: cùm verò temperamentum non sit vnum physicum, sed 29

sed tantùm morale, constitutum ex qualitatibus, quæ in se nullam vnionem habent potest physicè differre, sed moraliter, quia quale est totum, est illius constitutiuum, & quale constitutiuum, est ratio, quâ ab alio differt.

30 Tertia conclvsio. Infra eandem speciem possunt esse duo indiuidua metaphysicè, & physicè inæqualia. Hæc conclusio duplicem partem continet. Prior infertur ex conclusione præcedenti, & posterior ex priori, iuxta doctrinam traditam §. 2. Infero priorem partem ex præcedenti; duo indiuidua possunt habere aliquod prædicatum ipsis commune, quod non sit commune aliis: ergo possunt in hoc prædicato physicè superare prædicatum illi correspondens in aliis indiuiduis: ergo secundum hoc prædicatum possunt hæc indiuidua, esse perfectiora aliis: ergo metaphysicè possunt hæc indiuidua esse aliis perfectiora: ergo inæqualia. Posterior pars de inæqualitate physica probatur: quotiescunque excessus quem habet hoc indiuiduum respectu alterius, non compensatur per alium excessum, quem ratione alius prædicati habebat indiuiduum quod in vno prædicato excedit, excessus metaphysicus se tenet ex parte obiecti, & refunditur in physicam entitatem, & ratione illius vnum indiuiduum excedit perfectionem alterius physicè, & à parte rei, sed posito excessu metaphysico in his indiuiduis respectu illorum, non est necesse dari alium excessum in illis indiuiduis respectu horum: ergo potest excessus metaphysicus ex parte horum dari sine alio ex parte illorum, quo compensetur: ergo non solùm potest esse talis excessus metaphysicus in vno prædicato præciso respectu aliùs prædicati præcisi ex parte modi cognoscendi, sed etiam ex parte obiecti, & physicè, ita vt hæc indiuidua sint physicè aliis perfectiora. Ne multiplicatio terminorum, explicationem conclusionis difficilem redderet, illam tradidi de inæqualitate tantùm, quæ eodem modo de dissimilitudine est intelligenda, quia formaliter illa, quæ inæqualitatem inter prædicata formaliter diuersa fundant, dissimilitudinem fundare necesse est, quod non aliâ conclusione trado, ne numerus illarum sine noua doctrina augeatur.

31 Qvarta conclvsio. Nulla est necessitas ponendi in omnibus indiuiduis cuiuscunque speciei conuenientiam, vel inæqualitatem, aut dissimilitudinem, quam diximus posse dari infra eandem speciem. Ratio est, quia nullum est fundamentum, quo cogamur tale prædicatum medium constituere inter prædicatum specificum & indiuiduale, in indiuiduis speciei Angelicæ, & animæ rationalis, & aliarum specierum quarum indiuidua modi non sunt.

32 Qvinta conclvsio. Intra eandem speciem animarum possibilia sunt indiuidua, quorum aliqua sint æqualia, & alia inæqualia, & aliqua maiorem similitudinem, & cõuenientiam habeant inter se quàm cum aliis, ratione prædicati medij inter differentiam indiuidualem, & specificam. Hæc ex iam præmissis necessaria consequentia deducitur, cuius hæc est illatio: si propter aliquam rationem intra eandem speciem repugnarent hæ animæ indiuiduæ æquales, & inæquales, similes, & dissimiles, esset quia intra eandem speciem atomam possibilia non sunt indiuidua similia, aut dissimilia, æqualia, aut inæqualia; sed probaui intra eandem speciem atomã aliarum rerum posse dari hanc æqualitatem, & inæqualitatem, similitudinem, aut dissimilitudinem: ergo nulla est ratio, propter quam intra speciem atomam cuiuscumque animæ non possint hæ diuersitates reperiri animarum, neque est vllum caput ex quo repugnet, quod illarum possibilitatem necessariò infert, & à paritate entitatum modalium, & in quibus sub eadem specie atoma hæc indiuiduorum diuersitas necessariò est admittenda, conclusio nostra suaderi potest.

33 Sexta conclvsio. Nulla est ratio, ex qua efficaciter possit probari animas, quæ de facto dantur, esse omnes æquales, aut inæquales, similes, aut dissimiles entitatiuè per aliquod prædicatum, quod sit infra eamdem speciem animæ. Probatio huius conclusionis est argumentorum solutio, quæ pro altera contradictionis parte possunt adhiberi, quam facilè quisque poterit reddere ex doctrina tradita, quæ possibilitatem animarum similium, & dissimilium, æqualium, & inæqualium stabiliuit; pleraque enim argumenta, quæ in hac materia fieri solent pro quacunque parte ex impossibilitate alterius petuntur. Neque vrget quod desumitur ex diuersitate accidentium, & operationum, quia vnus homo perfectiora accidentia habet, quàm alius, & perfectiores efficit operationes, tota hæc enim diuersitas operationum, in diuersitatem accidentium, & diuersitas accidentium in extrinsecas causas potest reduci: sicut enim idemmet homo aliquando imperfectè & aliquando perfectè operatur propter diuersa accidentia; sic distincti homines æquales perfectione entitatiuâ animarum possunt propter diuersas causas extrinsecas habere accidentia magis attemperata ad operationes eliciendas, & perfectiores efficere operationes: quæ instantia manifestè redarguit rationem desumptam ex inæqualitate operationum, ad inæqualitatem animarum inferendam. Diuersitas dispositionum, & organorum quæ sunt inter marem, & seminam reducenda est in diuersas seminum temperies, quarum temperies huius seminis exigit deorganizationem maris, sub qua eadem forma introducitur, quæ produceretur si in eadem materia feminea esset deorganizatio: sic illius seminis temperies femineam exigit deorganizationem, in cuius materia forma producitur, quæ produceretur si virili deorganizatione substerneretur.

Octava conclvsio. Probabili, prudentique coniectura dici potest ex animabus existentibus quasdam esse æquales inter se, & ab aliis inæquales, quasdam inter se similes, & ab aliis dissimiles. Moueor fundamento adducto in generatione, vbi eandem conclusionem tradidi de gradibus qualitatis: vide ibi dicta. Accedat huic opinioni pia alia opitulatio, videlicet posse secundùm illam, excellentiam aliquam super omnia indiuidua humana concedi purissimæ sanctissimæque Christi humanitati, & immaculatæ animæ Beatissimæ Deiparæ, si enim hæc prærogatiua potest illi tribui, cur dicemus scelerat issimi, & reprobi Iudæ animam æqualem fuisse animabus Christi, atque Deiparæ? Præcipuè cùm doceant Patres Beatæ Virgini tribuendam esse omnem prærogatiuam possibilem super omnes puras creaturas, sed hæc excellentia naturæ super omnia indiuidua humana potest ipsa concedi: ergo non sine iniuria denegabitur, quod potiori, & longè excellentiori iure dicendum est de sanctissima Christi humanitate. 34

Nona conclvsio. Circa partes eiusdem animæ in his, quæ diuisibiles sunt, philosophandum est eodem modo ac de indiuiduis completis, scilicet possibiles esse partes æquales in perfectione constituentes vnam animam totalem, & similiter posse constitui animam partibus omnibus inæqualibus constantem, & aliam aliquibus æqualibus, & aliis inæqualibus: de facto tamen vt plurimum animas diuisibiles habituras quasdam partes æquales, & alias inæquales, quasdam similes, & alias dissimiles, & forsan nonnullam reperiri habentem partes omnes æquales, & aliam inæquales omnes, licèt rarò: videtur enim moraliter impossibile intra tot partes, quibus tota anima componitur, non repiriri duas æquales, aut duas inæquales. Quæ omnia probanda sunt ex dictis de animabus completis, cùm enim possibilis sit anima quæ partes habeat omnibus prædictis modis, & nullum sit argumentum, quod rei factum ostendat, de illo iudicandum est iuxta communiter accidentia in aliis materiis. 35

§. V.

An differentiæ essentialiter oppositæ necessariò inæqualitatem important.

SOlutio, quam ex Hurtado referebam §. 3. pro argumento, quod ibi expendebat, impugnanda erat probando posse duas differentias constituentes species essentialiter oppositas esse inter se perfectione æquales, quod ibi omisi, vt hic latiùs examinarem, an hæc inæqualitas semper species distinctas essentialiter comitetur. 36

Pater Suarez tract. 2. Metaph. disp. 29. sect. 3. n. 16. vt probet non dari duo entia increata specie distincta, hoc vtitur dilemmate: Illa entia vel essent æqualia, vel inæqualia: æqualia esse non possunt, quia non possunt dari duæ species æquales perfectione aut duæ differentiæ essentialiter oppositæ perfectione æquales; & hac occasione disputat, an vniuersaliter verum sit, omnes species esse perfectione inæquales. Affirmatiuam partem tenet, quam vult inferre ex Aristot. dicente 10. Metaph. text. 5. differentias diuidentes genus se habere vt se haberent priuatio & habitus, & sicuti sunt semper priuatio, & habitus perfectione inæquales, ita eandem inæqualitatem habere debent differentiæ 37

essentialiter oppositæ. Ex hoc dimanasse docet Suarez illud axioma: *Species sunt sicut numeri, in quibus non reperiuntur duo æquales.* Cæterùm cùm similitudo non debet teneri in omnibus, rectè potest reperiri inter differentias oppositas relatè ad priuationem, & habitum, & relatè ad numeros, etiamsi species essentialiter oppositæ æqualitatem entitatiuam teneant, hac enim in speciebus assignatâ, dictâ proportionem seruabunt cum habitu, & priuatione, quia sicut habitus & priuatio non possunt in eamdem rem simul cõfluere, ita species oppositæ, & illarum constitutiuæ differentiæ non possunt in eandem entitatem conuenire, & sicut numerus omnis in indiuisibili consistit, itavt quicquid illi addatur, vel adimatur ab illo, non sit idem numerus, sed alius; ita essentiæ consistunt in indiuisibili, & illis non potest quicquam addi, neque auferri.

38 P. Suarez probat prædictum axioma hoc modo; si duæ species oppositæ essent æquales perfectione, æquè distarent à non ente: ergo non haberent vnde possent trahere distinctionem specificam, neque specie distinguerentur. Concesso antecedenti, nego consequentiam, sicut enim in rebus, quas possumus materialiter metiri, duos terminos reperimus æquè distantes ab eodem tertio, vel ab eodem centro, & inter se oppositos, & distinctos: v.g. villam distantem ab hac domo per vnam leucam lineâ rectâ versus Orientem, & casam distantem per aliam leucam lineâ rectâ versus Occidentem ab eadem domo; in quibus reperimus duos terminos distinctos, & oppositos cum æquali distantia ab eodem centro, sic in speciebus positiuis possunt duæ reperiri distinctæ, & oppositæ, & æqualiter à non ente distantes. Imò si fideli trutinâ res appendenda sit, cùm duæ species, vel duæ entitates positiuæ existunt, & distant à non ente, non distant ab eadem ratione indiuisibiliter sumpta, sed à diuersis rationibus inter se distinctis, quæ continentur in hoc complexo *non ens*, in quo est *non esse hominis, non esse equi, non esse leonis*, &c. & cùm existit homo destruitur per ipsius existentiam *non esse hominis* contentum in illo complexo *non ens*, non verò *non esse equi*, & ita homo positiuè existens sit distans à non esse hominis, & non sit distãs à non esse equi; cùm existit equus, per existentiam ipsius equi destruitur non esse equi contentum in illo complexo, & non destruitur non esse hominis in eodem contento, & ita homo, & equus non distant ab eadem ratione non entis indiuisibiliter sumptâ, sed à diuersis rationibus distinctis realiter inuolutè significatis in hoc complexo *non ens*.

39 P. Vasquez 1. part. disp. 122. cap. 4. n. 13. probat, specie distincta non posse esse æqualia, quia, quæ æqualia sunt cõmensurari possunt; quæ commensurantur, necessariò debent esse eiusdem rationis: ergo quæ sunt diuersæ rationis commensurari nequeunt: ergo non possunt esse æqualia. Si aliquid probaret hæc ratio, conuinceret res specie distinctas non esse æquales, neque inæquales; sicut enim æqualitas non potest desumi, nisi per commensurationem, ita commensuratio est vnicum fundamentum ad inæqualitatem cognoscendum; neque minùs essentialiter inæqualitas, quàm æqualitas commẽsurationem connotat: ergo ea, quæ non commensurantur, neque æqualia, neque inæqualia dici possunt: sed in opinione Vasquez species distinctæ commensurari nequeunt: ergo non possunt esse æquales, vel inæquales. Videat Vasquez quomodo facienda sit commensuratio specierum, ad earum inæqualitatem, & excessum alterius defendendum, vel ex quo capite possint, sine commensuratione cognosci, & eadem ratione specierum inæqualitatem inuenire poterimus.

40 Respondendum est, in quantitatibus molis mensuram, & mensurabile, debere esse eiusdem rationis, non enim possumus metiri vlnam ligni, cum libra ferri; sed pondus pondere, & extensione extensio debent conferri, vt æqualitas, vel inæqualitas deprehendatur, quia in his mensuris id quod immediatè mensuratur, non est rei substantia, sed aliquod illius accidens v.g. pondus, vel extensio, ex quorum diuersitate diuersitatem entitatiuam substantiæ inferimus. In quantitate perfectionis longè aliter fit commensuratio inter ipsas substantias immediatè, quia intellectus ex accidentibus cognitis momenta cuiusuis substantiæ deprehendit, & postea immediatè substantiam substantiã metitur, & cognoscit hanc esse imperfectiorem, illam perfectiorem, etsi vtraque sit diuersæ rationis, & secundùm rationes constitutiuas cuiuscunque, & inter se longè diuersas fiat comparatio, quod fieri non possit in aliis mensuris, quæ fiunt per tactum vnius corporis cum alio, vel per continentiam vnius in alio, vel per impulsum; quem imprimit corpus, qui modi commensurandi fiunt vlnã, modio, & trutinã, non enim possumus dicere, argenti libra est æqualis, vel inæqualis panni vlnæ, neque benè pondus extensione taxamus. Ex quo infertur diuerso modo fieri commensurationem in quantitate molis, & in quantitate perfectionis: & sicuti quantitates perfectione longè distinctæ, & diuersæ rationis possunt inter se mẽsurari, in ordine ad inæqualitatem, vt fatetur Vasquez dum dicit, species distinctas inæquales esse: sic possunt, in ordine ad æqualitatem, commensurari: commensuratio enim indifferens est, ad æqualitatem, vel inæqualitatem deprehendendam.

Arguit secundò: species, eo ipso, quod sint diuersæ, habent quantitates diuersas: ergo inæquales. Resp. æqualitatem, aut inæqualitatem, non desumi ex naturis rerum, quatenus hanc, vel illam speciem constituunt, sed quatenus apprehenduntur cum tot gradibus perfectionis. Dixi quatenus apprehenduntur, quia in substantia indiuisibili, v.g. in Angelo non sunt gradus distincti, sed simplex perfectio, illam tamen non aliter, quàm per graduum numerum possumus explicare, & Angelum imperfectiorem Archangelo apprehendimus cum paucioribus perfectionis gradibus, ex quorum numero præcisè abstrahendo à perfectionis natura, æqualitas, vel inæqualitas deprehenditur. Sic albedo intensa vt octo. & nigredo intensa vt octo habent æquales intensiones, etiamsi illarum naturæ longè sint diuersæ, & specie distinctæ. 41

Aliter posset impugnari æqualitas in rebus specie distinctis: si darentur species aliquæ inter se æquales in perfectione, pono esse leonem, & equum, magis differret leo ab homine, quàm ab equo, & maiorem conuenientiam haberent equus, & leo, quam equus, & homo in ratione formalissima, per quam differunt hæ species, quia hinnibile conueniret cum rugibili in gradibus perfectionis, in quibus non conueniret cum rationali: ergo non omnes differentiæ immediatè genus contrahentes essent æquè oppositæ, neque quælibet haberet omnimodam oppositionem cum alia, quod est absurdum, & contra omnes Philosophos, atque Dialecticos. 42

Antequam argumentum dissoluam, illud retorqueo, in opinionem constituentem omnes species, & omnes differentias illarum constitutiuas necessariò inæquales. Si hinnibile est perfectum vt tria, rugibile vt quatuor, rationale vtquinque: rationale, & rugibile conueniunt in quarto gradu perfectionis, in quo non conuenit hinnibile: ergo aliqua conuenientia est inter rugibile, & rationale, quæ non est inter rugibile, & hinnibile: ergo non omnes differentiæ æquè opponuntur, neque rugibile est id, per quod vltimò differt leo ab homine; siquidem in ipsa differentia rugibilis aliqua conuenientia reperitur cum rationali. 43

Respondeo data æqualitate perfectionis inter duas differentias, & inæqualitate ipsarum cum aliis, adhuc non reperiri conuenientiam aliquam inter differentias æquales, neq; minùs differre species inæquales in perfectione, quàm æquales, quia æqualitas perfectionis nullum fundamentum præbet ad abstrahendam rationem aliquam vniuocam: maior enim perfectio in hac specie, seu differentia, sicuti minor in alia, dicit rationem quamdam perfectiorem indiuisibilem, quæ non constat gradibus perfectionis, licèt nos explicemus perfectiones has per perfectionem vt tria, & vt quatuor, &c. quia non habemus voces, quibus explicemus perfectionem quandam simplicem, & indiuisibilem excedentem aliam etiam simplicem: & ita id, quod nos vocamus perfectionẽ vt quatuor in rugibili, & perfectionem vt quatuor in alia differentia æquali, v.g. rugibile dicit duas perfectiones omnino oppositas, absque vlla conueniẽdi ratione, neque in differentia hinnibilis, quam dicimus perfectam, vt tria; & rugibilis perfectam vt quatuor, est aliqua inconuenientia in tertio gradu perfectionis, sicuti neque in rugibili differentia perfecta vt quatuor, & rationali vt quinque reperitur vniuocatio in quarto gradu perfectionis, quia etiamsi per hos gradus differẽtias explicemus, neque sunt ex parte obiecti, neque nos apprehendimus esse, sed rem quandam simplicem apprehendimus, quam explicamus per graduum diuersitatem sicuti Angelum, quem spiritualem, & incorporeum iudicamus, per species corporei iuuenis apprehendimus. 44

Secundò respondeo: adhuc admissa hac intensione graduũ perfectionis respectu nostri intellectus fundamentum 45

non

non præbere ad abstrahendam rationem vniuocã, neque ad maiorem conuenientiam apprehendendam inter differentias æquales,aut inæquales,vt patet in ipsa intensione reali:non enim magis differt albedo vt quatuor,ab albedine vt duo,quàm ab alia albedine vt quatuor,quia quandò gradus,seu entitates,quæ adduntur sunt eiusdem rationis, eadem manet differentia,siue addantur,siue non addantur, vt patet in exemplo adducto qualitatis intensæ, & remissæ. In indiuiduis distinctis facile potest oculis doctrina tradita proponi,æquè enim differt essentialiter vnus homo vel plures homines, quomodocumque comparentur, ab vno,vel à pluribus equis, neque maior est conuenientia vnius hominis,cum vno,vel cum pluribus hominibus, aut plurium hominum,cum vno,vel cum pluribus hominibus: Additio enim entitatum eiusdem rationis differentiam,& conuenientiam essentialem in prædicatis metaphysis omnino relinquit immutatam. Concludo ex his æqualitatem aut inæqualitatem in perfectione,non dicere conuenientiam, aut disconuenientiam in rebus æqualibus, aut inæqualibus, siue physicis, siue metaphysicis; quia eadem æqualitas intensionis est inter albedinem vt octo, & nigredinem vt octo, quàm inter duas albedines vt octo;nihilominus,duæ albedines vt octo, tantùm numero differũt & albedo, & nigredo, etiamsi vtraque sit vt octo,tantùm genere conueniunt. Et eadem est conuenientia specifica inter albedinem vt octo,cum albedine vt octo,& cum albedine vt quatuor;nihilominus albedo vt octo,est æqualis albedini vt octo,& inæqualis albedini vt quatuor:& eadẽ ratione philosophandum est,de inæqualitate metaphysica; etiamsi apprehenderetur intensa, & cõposita ex gradibus quam dixi;non ita apprehendi,sed tantùm per species intensionis,sicuti Angelus apprehẽditur per species inuenis.

46 De dissimili multitudine, longè est diuersa ratio, quia dissimilitudo non tantùm dicit additionem perfectionis eiusdem rationis,sed specialem rationem, in qua conueniunt illa,quæ sunt similia, & per quam differunt ab aliis entitatibus dissimilibus.

47 Solutis rationibus,quæ inæqualitatem poscebant in rebus specie distinctis, nullâ alia indigebamus ad asserendum species distinctas posse esse æquales in perfectione essentiali. Nihilominus pro hac conclusione stabilienda sic argumentor. Tres personalitates diuinæ,specie distinguuntur, & sunt æquales in perfectione : ergo distinctio specifica non necessariò secum trahit inæqualitatem. Propter hoc argumentum P.Suar.loco citato asserit,non euidens esse,sed tantùm probabile axioma,quod vulgo traditur de inæqualitate in rebus distinctis,nonnullaque adducit,vt disparitatem adducat in rebus respectiuis,& absolutis quæ non vacat impugnare, licet non multo negotio fieri posset. P.Vasquez suprà asserit personalitates, provt distinctas ab essentia non dicere perfectionem aliquã neque in Trinitate esse tres perfectiones, aut tres bonitates relatiuas,licet sint tres vnitates,quod difficillimũ est,illud tamen omitto,quia nimis Theologicum, & meũ in hac re opus est Philosophum instruere,non edocere Theologum.

48 Secundò arguo : non repugnant duo animalia, quæ habeant operationes ita notabiliter differentes, ac illas habent equus & leo, & sint æqualia inter se,tam principia operationum,quàm operationes, de his ergo inquiro, an specie distinguerentur,vel non:si specie distinguuntur, nõ requiritur inæqualitas ad specificam distinctionem : si non distinguuntur,poterunt dari indiuidua, quorum operationes notabiliter differant,non specie differentia. Et nullum argumentum erit,ad affirmandum equum,& taurum specie differre, quia licet habeant operationes notabiliter differentes,non potest nobis certò constare, has operationes esse inæquales in perfectione.Dices repugnare indiuidua, quorum operationes æquales in perfectione notabiliter differant,quia de ratione illorum,quæ specie differunt, est inæqualitas perfectionis in operationibus,&illa indiuidua specie distinguerentur propter operationes notabiliter differentes, & non distinguerentur propter æqualitatem perfectionis, quam nos fingimus. Euasionem hanc facilè præcludo; ego pono duo indiuidua,quorum operationes sunt perfectione æquales, & notabiliter differunt, & non affirmo specie distingui. Tu dicis ad distinctionem specificam,requiri essentialiter inæqualitatem operationum, & non sufficere notabilem illarum differentiam : ergo in illis indiuiduis,à me assignatis,iuxta tuam doctrinam, non est specifica differentia,etiamsi notabiliter differant secundùm se,& secundùm suas operationes:ergo non inuenitur in illis indiuiduis contradictio,quam tu assignas, videlicet distingui,& non distingui in specie;sed tantùm inuenitur notabilis differentia,sine distinctione specifica, in quo nullâ est contradictio, quia notabilis differentia sufficiens non est iuxta tuam doctrinam,ad constituendam differentiam specificam, ac proinde non licet tibi inferre indiuidua à me assignata distingui specie ex eo,quod notabiliter differant,neque potes arguere;illa indiuidua distingui, & non distingui specie, sed tantùm in te infertur, non distingui specie indiuidua, quorum operationes notabiliter differunt,neque certum esse equum,& taurum specie distingui, quia probari efficaciter non poterit, operationes equi omnibus pensatis esse perfectiores operationibus tauri.

Ex hac doctrina aliud desumo argumentum, ad probandum, non requiri inæqualitatem perfectionis, ad distinctionem specificam. Præcisè ex sola notabili operationũ differentia, sufficienter species distinguuntur:ergo non est necessaria inæqualitas,ad hanc distinctionem constituendam : Antecedens probat communis omnium hominum consensus,qui agentes de æqualitate, aut inæqualitate rerum,illa indiuidua dicunt specie distingui, quæ operationes habent notabiliter differentes, nullâ alia ratione ducti:consensus autem hominum in hac re quàm plurimùm præstat,quia tota hæc differentia,aut conuenientia specifica,& generica,& tota prædicamentorum series & acoluthia non ex certa regula,neque ex ratione metaphysica,vel naturali desumitur,sed ex prudenti arbitrio Aristotelis,& Philosophorum,qui illum Magistrum sunt lequuti. 49

PVNCTVM IX.

An in quolibet viuenti vnica tantum detur anima.

INter dogmata,quæ de anima rationali Puncto 3. retulimus, vnum erat, cuilibet homini distinctam respondere animam : Examinandum est modò, an homo, aliáve viuentia plures includant animas,quibus componatur.Qui negant specie dari plures formas in eadem materia, pertinentes ad idem compositum, consequenter negant plures animas in eodem viuenti : non tamen qui admittunt plures formas, tenentur admittere plures animas, quia possunt aliquam specialem rationem in viuentibus assignare,seu in ipsis animis,propter quam non possunt plures idẽ viuens constituere. Egi in Physicis de multitudine & simplicitate formarum,in eadem materia,& ex ibi dictis posset inferri pro hac quæstione:vnicâ tantùm animâ constituitur quodlibet viuens. Nihilominus vt circa hanc specialem materiam,aliorum explicem errores,& in illa firmiora iaciam fundamenta pro veritate,quam plures Catholicam putant,placet specialiter probare, quodlibet viuens vnicâ tantùm gaudere animâ. 1

Mitto Scoti opinionem constituentis 4. *sentent. distinct.* 11. *quæst.* 3. plures formas in viuenti,quarum vnam tantùm animam appellat,contra quem egi in Physicis. Plato plures in eodem viuenti realiter distinctas, & loco dissitas admisit animas,vegetatiuam in hepate,sensitiuam in corde,rationalem in cerebro.Philoponus 1.de anima cap.vlt. text.91.ponit tres animas in loco distãtes, vt aiebat Plato, sed in eadem parte loci,atque subiecti. Philopono cõsentire videtur Ockam quodlibet 2. q.2. Manichæi,teste Augustino.10.super Genes.ad liter. cap.14. dicebant similiter in homine esse tres animas distinctas realiter, vegetatiuam, sensitiuam,&rationalem. Paulus Venetus Summa de Anima, c.5. docet in plantis vnam esse animam vegetatiuam; in animalibus imperfectis esse vnam sensitiuam; & in homine esse duas animas totales,sensitiuam coruptibilem,& aliam intellectiuam immortalem, & vltra has esse plures vegetatiuas specie differentes secundùm multitudinem partium,vnam in osse,aliam in carne,aliam in corde, & sic in reliquis partibus. 2

Communis ferè omnium sententia tenet;in vno viuenti vnicam tantùm dari animam, & in homine rem ita se habere est iuxta mentem omnium Patrum,fidei valde consonum, & oppositum multi damnant tanquam errorem. Albert.tract.2.c.1.& lib. de origine animæ cap.4.hæc profert pro nostra sententia : *Error est contra omnem veritatem naturæ, sensitiuum, & vegetatiuum plures facere substantias in animali, nec vnquam vllus Peripateticorum dixit hoc,* 3

sed quidam Philosophiam ignorantes confinxêre. Idem dixit sanctus Thomas 1. contra Gentes cap. 58. à prima parte quæst.56. Diuus Augustinus inter errores Manichæorum refert loco suprà citato sententiam asserentem plures dari animas in viuenti, & in Ecclesiasticis dogmatibus c. 15. sic scribit: *Nec duas animas esse in homine dicimus, vnam animalem, qua animetur corpus: & immixta sit sanguini: alteram spiritualem, quæ rationem ministret: sed dicimus vnam esse, & eamdem animam in corpore, quæ corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat.* Eisdem verbis loquitur de spiritu & anima, & libro de fide, & symbolo Augustino consentit Damascenus cap. 12. Expresse habetur hæc sententia actu decimo, Canon. 11. octauæ Synodi generalis Constantinopolitanæ quartæ. *Apparet quosdam id temporis, in tantum impietatis venisse, vt duas in homine animas impudenter dogmatizent, quos omnes, & similia sentientes, cùm vetus, & nouum testamentum, & omnes Ecclesiæ Patres vnam animam rationalem in homine asseruerint, Sancta vniuersalis Synodus anathematizat.* Concilium hoc, vt Oecumenicum, & vniuersale admitti percipitur in decreto, c. Sancta, dist. 8. lege *Carranzam Archiepisc. Toletanum* in summa Cõciliorum, qui aduertit, verba relata reperiri in codicibus emendatioribus huius Concilij, licet non inueniantur in aliis non ita bene expolitis. Propter auctoritatem huius Synodi; multi existimãt huius conclusionis doctrinam, aut esse de fide, aut fidei proximam, in quibus est Toletus lib. 2. de anima c. 3. q. 7. Noster tamen Pereira lib. 4. in Genes. & alij ægrè ferunt oppositã erroris insimulari, cùm eam nonnulli tenuerint Catholici, nec ideo ab Ecclesia inter hæreticos annumerentur. Vnde Concilium explicant de duabus animis rationalibus constituentibus eundem hominem, vel de duabus animis vna informante, & altera assistente. Quidquid sit de erroris censura, in oppositam sententiam, eam non sine temeritate puto posse defendi: est enim contra Patres Ecclesiæ, & omnes Doctores Scholasticos, vno vel altero dempto, omnique destituta fundamento.

4 Ratione Theologicâ solet hæc conclusio probari: Si in Christo fuit anima sensitiua distincta ab intellectiuua, vel corrupta fuit in triduo mortis Christi, vel permansit existens: Si permansit, vel vnita corpori vel coniuncta cum rationali; si coniuncta cum rationali, sequitur duas Christi animas ad inferos descendisse, quod inauditum est apud sanctos Patres, & apud omnes malè audit; Si permansit vnita, sequitur corpus Christi in triduo mortis fuisse viuês vitâ bruti sensitiuâ, & non rationali, quod non sine errore dicetur. Si dicas Christi animam sensitiuam fuisse corruptam, est contra communem Patrum & Theologorũ consensum, qui nullam Christi partem essentialem periisse docent: sed tantùm dissolutam fuisse vnionem, iuxta illud: Psal. 15. *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

5 A priori probatur nostra conclusio. Eadem indiuisibilis anima potest esse principium operationum ratiocinandi, sentiendi, & vegetandi; ergo eademmet potest esse vegetatiua, sensitiua, & rationalis. Consequentia est necessaria: quia animam esse vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, nihil aliud est, quàm esse principium vegetationis, sensationis, & ratiocinationis: ergo si eademmet anima est principium harum operationum, erit simul vegetatiua: sensitiua, & rationalis. Antecedens probo: diuersitas operationũ non impedit ab vno eodemque principio omnes dimanare, sensatio enim materialis rectè potest à principio spirituali procedere; sicuti alij plures materiales effectus à principio spirituali producuntur: & anima ratione potentiarũ, si illas habeat, vel ratione specierum, vel aliorum comprincipiorum poterit determinari ad producendas modò has operationes, & postea illas, has in hac parte subiecti, illas in alia parte. A posteriori similiter probatur nostra conclusio, quia in homine operationes vitales sese mutuò impediunt, diuturna enim, & interna mentis contemplatio, & studiorum assidua cura non parum nutritioni nocent, & nimia operationum sensibilium vehementia operationes intellectuales perturbat: ergo signum est, has omnes operationes, ab vno principio, videlicet ab vna anima procedere, cuius virtus, vt pote finita, minor est ad singula. Nec valet dicere, in causa esse spiritus conducentes ad operationes sensitiuas eliciendas, qui destitutam relinquunt animam vegetatiuam non valentem sine illis proprios exercere actus, quia pro diuersis animis, diuersi spiritus assignandi essent. Mitto rationes, quæ sumuntur ex multiplicitate formarum substantialium, quas expendi loco citato.

Alias adducit Toletus suprà relatus, quas non omnes efficaces reputo, harum hæc est vna: Si in homine detur anima sensitiua, & rationalis, sequitur hominem esse brutum, & rationalem, quod est absurdum. Consequens absurdum esse fateor, sed sequelam nego; brutum enim dicit formã sensitiuam existentem in subiecto sine rationali, & talem formam sensitiuam, quæ cum rationali coniungi non potest, quam non haberet homo, etiamsi haberet duas animas, sed aliam sensitiuam necessariò cum rationali coniunctam. Arguit similiter idem Toletus: Si anima rationalis, & sensitiua distinguuntur, hæc prædicatio, *homo est animal*, non erit essentialis, sed tantùm per accidens vera ratione identitatis subiecti, sicuti hæc prædicatio, *album est dulce*. Nego antecedens, *homo* enim essentialiter dicit animam sensitiuam, & rationalem, licèt ipsæ inter se distinguantur, *album* autẽ non dicit dulcedinem, neque dulcedo, & albedo connexionem habent, sicuti illam retinet forma rationalis cum sensitiua, adhuc in opinione distinguente illas.

Contra nostram sententiam obiici solet Arist. lib. 2. de 6
generat. animalium, c. 3. vbi dixit: hominis fœtum, priùs viuere vita plantæ, postea vita animalis, & tandem vita hominis: ex quo infertur, in homine plures esse vitas, seu plures animas. Respondent nonnulli ex D. Thoma 1. p. q. 76. art. 3. q. 118. art. 2. ad 2. qui in hac re sententiam Medicorum fuit sequutus: in materiam seminis, priùs induci formam vegetatiuam, postea sensitiuam expellentem primò productam, tandem rationalem expellentem aliã sensitiuam. Neque ideo admittunt, semen informari forma plantæ aut bruti, quia prima forma, etsi tantùm habeat virtutem vegetatiuam, non dicitur forma plantæ, quia ex natura sua ordinatur ad rationalem, & propter eandem rationem, alia immediatior non dicitur forma bruti, sed embryonis, quia formæ plantæ & bruti non ordinantur ad alias, neque sunt quasi ex natura sua transeuntes, & desinentes in aliam perfectiorem, sed permanentes, & vltimò per se intentæ. Magis placet alia solutio desumpta ex Alberto Magno in sũma de homine, solam scilicet animam rationalẽ, induci in materiam seminis, & primò exercere operationes virtutis vegetatiuæ, postea sensitiuæ, postremò rationalis, & hac ratione dicitur, priùs viuere in actu secundo vita plantæ, hoc est, exercere operationes cõmunes cum plantæ: postea, vitâ animalis, in eodem sensu: & tandem vitâ rationali.

Inquiri solet: an anima rationalis formaliter, vel eminẽ- 7
ter includat animam vegetatiuam, vel sensitiuam? In qua re Resp. contra Caietanum 1. p. q. 76. art. 3. Bañes ibid. & alios Thomistas, vegetatiuum, & sensitiuum præcisè sumpta formaliter includi in anima rationali, quia anima rationalis est principium formale actionum, quibus formaliter conuenit ratio vegetationis, & sensationis, & nihil aliud est vegetatiuum formale, quàm principium formalis vegetationis: & sensitiuum formale, quam principiũ formale sensationis formalis: si verò sensitiuum, & vegetatiuũ sumantur, non præcisè, sed exclusiuè, videlicet vegetatiuum dicens negationem sensitiui, & sensitiuum dicens negationẽ rationalis, quatenus vegetatiuum, plantam constituit, & sensitiuum brutum: sentio neque formaliter, neque eminẽter includi in animo rationali, quia animus rationalis essentialiter dicit principium sentiendi, & ratiocinandi, cũ quo neque formaliter, neque eminenter componitur negatio talis principij, & hoc modo sumpta, vegetatiuum, & sensitiuum opponuntur cum anima rationali ipsissimã oppositione, quâ opponuntur rationale, & irrationale, quorũ neutrum potest continere alterum, neque formaliter, quia differentiæ diuidentes genus, & essentialiter oppositæ, omnimodam habent oppositionẽ, neque vna potest aliquo modo alteram continere. Deinde sensitiuum non præcisè sumptum, eadem ratione, quâ dicit negationem rationalis, dicit principium aliarum actionum, rugitus, vel hinnitus, v. g. quæ in homine, neque formaliter neque eminenter continentur, & sicuti dici nequit, hominem eminenter esse equum, ita dici non potest eminenter continere sensitiuum, non præcisè, sed specialiter sumptum. Idem dicẽde vegetatiuo plantæ, quod passiones, seu proprietates aliquas dicit, quatenus excludit sensitiuum, quas formaliter, neque eminenter continet homo. Quod dixi de vegetatiuo, & sensitiuo respectu hominis, intellige de vegetatiuo respectu animalis.

CONTRO

CONTROVERSIA II.

De conceptu viuentis.

ANIMA est viuentis forma, & omne ens animâ constans viuens est, non tamen omne viuens animam dicit; Angelus enim propriissimè viuit, & animâ caret, & Deus viuit, & vita est, tamen neque est anima, neque animam in se habet; est ergo anima viuendi ratio in viuentibus, quæ formâ componuntur. Hac ratione ad disputationem de anima spectat, proprium vitæ atque viuentis indagare conceptum, in quo inuestigando materiam nostrorum recentiorum labor superauit; qui in re nimis aridâ, & angustis definitâ terminis varias de hoc viuentis conceptu tradidêre definitiones, & in diuersas distracti sunt sententias; pleræque autem illarum, si rectè conspiciantur, multam inter se affinitatem habent, & tantùm in loquendi modo auctores dissentiunt.

PVNCTVM PRIMVM.

Apparatus ad totam rei elucidationem.

1 VNum in hac re primum noto: nos in hac quæstione non indagare definitionem, vt ex illa, definita cognoscamus, potius iam cognitis definitis quærimus definitionem, vt ipsam illis applicemus. Tenet tota Schola, sensitiua omnia, & intellectiua, necnon vegetatiua propriissimè viuere, neque de hoc quæstio potest incidere. Si quis enim assereret, plantas vegetari; bruta sentire, & vegetari; hominem vegetari, sentire, & ratiocinari; & simul assereret plantas, vel bruta, vel hominem non viuere, tantùm discederet à communi sententia in modo loquendi vt cum Suario ex Clement. Alexand. notabam Controu. præcedenti, Punct. 1. vbi probaui plantas propriissimè vitæ compotes esse. Idem esset, si quis diceret Angelos, imò & Deum intelligere, & amare, & exercere omnes operationes, quas nos in Deo, & in Angelo agnoscimus, & his concessis, Angelo, & Deo vitam denegaret, nihilominus grauiter puniendus esset, quisquis ita loqueretur, quia dicere Deum non viuere hæreticum est, dicente Deo: *Viuo ego, nolo mortem peccatoris, &c.* Sicuti grauiter delinqueret qui diceret Christum non esse hominem, quia in omnibus loquendum est, iuxta communem, & in rebus fidei ab hac discedere, hæreticum sonat. In re nostra omnes Doctores, & Ecclesiæ Patres, & Canonici scriptores viuentia vocant, quæ intelligunt, & amant, sicuti Deus, Angelus & homo: quæ sentiunt, & appetunt sicut bruta: necnon quæ se per intùs sumptionem nutriunt, vt plantæ. Neque aliud tanquam ens viuens appellauit probatus vllus Doctor. Quapropter nostrum in hac re negotium erit definitionem tradere, & proprium indagare conceptum his viuentibus communem, in quem omnes conspirent, & per quem ab omnibus quibuscunque aliis differant.

2 In omnibus viuentibus assignatis (Deo dempto, de quo est quæstio, an habeat vitam per modum actus primi) duplex reperitur vita: quædam *radicalis*, & per modum actus primi; *formalis* alia, & per modum actus secundi. Vita radicalis, & per modum actus primi est principium operationum vitalium, in ordine ad quod operationes dicuntur *vita* in actu secundo, seu illud principium vitalium operationum, quod dicitur in actu secundo viuere ipsis operationibus. Vita in actu secundo dicuntur ipsæ operationes vitales, v.g. nutritio, sensatio externa, & interna, atque appetitus sensitiui actus, & cognitio, & volitio. Vita per modum actus primi diuidi solet in vitam substantialem, & accidentalem; vita substantialis est anima, vel Angelus, seu substantia, quæ dicitur in actu secundo viuere operationibus vitalibus. Vita accidentalis (si aliqua est) erit potentia, vel comprincipium accidêtale vitæ substantialis, quod dicatur viuere eisdem vitalibus operationibus.

3 Vitalem operationem immanentem esse affirmant omnes Doctores, licet in illius immanentia explicanda plures sint sententiæ. In præsentiarum explicabo quot modis actio immanens esse possit, dicturus postea, quæ immanentia sit de ratione operationis vitalis.

4 Primò potest esse operatio immanens ratione identitatis, & vnitatis simplicissimæ ipsius cum operante, cum quo identificatur realiter, siue formaliter ab illo distinguatur, si distinctionem adhuc formalem non admittat. Hac ratione operationes Dei ad intrà, v.g. cognitio, & volitio Dei, dicuntur operationes immanentes, quia non distinguuntur realiter ab ipso Deo, & in multorum opinione, nec adhuc formaliter distinguitur saltem cognitio, quia hanc assignant tanquam primum constitutiuum diuinæ essentiæ; & volitionem simul pertinere ad constitutionem essentialem Dei, quàm plures affirmant. Hoc immanentiæ genus tantùm conuenit operationi increatæ, & infinitæ Dei. An verò possit alicui creaturæ competere, scilicet an possit dari creatura aliqua, quæ per se ipsam sit cognitio obiecti, non est huius loci examinare, neque de hoc quæstionem vellem instituere, nulla enim, quæ de possibili procedit, non mihi est molesta: passim tamen dico in negatiuam partem propendere, quia cognitio dicit operationẽ, seu actionem, quæ non potest dari in creaturis identificata cum principio, vt probaui 3. Physic. Contr. 12. punct. 1. dabo tamen ad præsentem controuersiam, & naturam actionis vitalis cognoscendam, talem creaturam possibilem esse, v.g. Angelum per suam entitatem cognoscentem semetipsum, aut aliud obiectum; ita vt talis Angelus essentialiter sit cognitio sui, seu obiecti, quod per suam entitatem cognoscit.

5 Circa immanentiam huius operationis creatæ identificatæ cum substantia cognoscente, placet notare, talem operationem dici immanentem, respectu operantis intentionaliter, hoc est, per illam cognoscentis, quod est substatia identificata cum cognitione. Non tamen talis operatio dicitur immanens, respectu sui principij; quia cùm ipsa sit identificata cum substantia, v. g. cum Angelo, distinguetur à principio illam producente, quod erit Deus, respectu cuius neque hæc substantia identificata cum cognitione, neque alia creatura ad extra producta immanens esse potest. Et etiamsi talis cognitio identificata cum substantia ab alio principio creato produceretur, non esset immanens respectu illius; quia esset substantia completa, sicut Angelus; quæ suppositò distingueretur à suo principio, & hæc non potest immanenter produci à creatura, nullum enim principium creatum potest immanenter producere suppositum aliud, neque completam naturam, quia neque natura, neque suppositum supponunt subiectum, neque inhæsionis, neque informationis. Quod autem non supponit subiectum, non potest produci à principio, quod se habeat, vt illius subiectum.

6 Alia est operatio immanens superaddita principio, à quo procedit: tales sunt operationes omnes, quæ procedunt à principio creato; & hæ dupliciter possunt immanentiam habere. Primo ratione inhæsionis, id est, quia sunt id, quo illarum terminus, siue identificatus cum actione, siue ab ipsa distinctus, inhæret principio, à quo fluit, & ipsa per se ipsam eidem inhæret. Secundò per vnionem, quia videlicet terminus actionis vnitur subiecto, à quo procedit, etiamsi non subiectetur in illo. Finge tibi, vt rem percipias, animam rationalem simul cum vnione, seu vnitam per se ipsam creari à materia; talis creatio diceretur immanens ratione vnionis, quia media hac illius terminus maneret in principio, à quo fluit. Et ne ad chimæras abeamus ad rem explicandam, suppone modò, quod postea probabo Controu. 3. Punct. 1. sensationem materialem productam ab animo rationali subiectari in materia, tanquam in subiecto inhæsionis, & vniri per se ipsam animæ tanquam subiecto informationis; hæc sensatio est immanens respectu animæ; quia manet per vnionem in ipsa anima, à qua efficienter dimanat.

7 Rursus actio immanens ratione inhæsionis, & ratione vnionis ~~non~~ vel potest esse immanens ratione principij, vel ratione termini, vel ratione vtriusque adæquatè; vel adæquatè ratione termini, & adæquatè ratione principij, ita vt ratione cuiuslibet, alio secluso, immanens necessariò euadat. Vel potest esse immanens, neque ratione termini, neq; ratione principij, neq; ratione vtriusq; sed tantùm ratione sui. Actio immanẽs ratione principij erit illa, cuius princi-

pium ita sit determinatum ad immanenter operandum, vt nullam possit trãseuntem operationem exercere. Hanc immanentiam omni substantiæ creatæ tribuunt Thomistæ asserentes, nullam posse aliquid extra se producere immediatè, & per se, sed tantùm accidentia illi vnita, & inhærentia. Actio immanens ratione termini, erit illa, cuius terminus immanenter petit produci, sicuti intellectio, quę petit inhærere, vel saltem vniri principio intellectiuo, à quo procedit. Actio immanens ratione termini; & ratione principij adæquatè, & inadæquatè, ratione cuiuslibet, erit productio potentiæ intellectiuæ, in opinione, quæ asserit, hanc ex se non petere immanenter produci; & animam posse immediatè motum localem, vel aliam operationem in subiecto extraneo producere, iuxta quam neq; principium huius actionis, neque terminus seorsim sufficiunt ad immanentiam præstandam actioni, vtrumque tamen necessariò immanentiam actioni præfigunt, quia ab hoc principio in specie ad hunc specie terminum non potest transiens actio dimanare, nulla enim anima potest intellectum producere in subiecto extraneo. Actio immanens ratione termini, & ratione principij, adæquatè ratione cuiuslibet erit, quando terminus ex se determinatus est, vt, à quocumque principio producatur, fiat immanenter, & principium determinatum est ad immanenter producendum quidquid ab illo procedat. Hæc immanentia potest tribui intellectioni in Thomistarum opinione, iuxta quam, ratione principij adæquatè operatio immanens euaderet, etiamsi terminus productionem immanentem non exposceret: quam immanentiam eadem met intellectio ratione termini sufficienter exposcit, seclusâ determinatione principij ad immanenter operandum. Actio immanens, non ratione termini, neque ratione principij, sed tantùm ratione sui, est actio, qua ignis igne sibi vnitum producit. Quia ignis productus non exposcit vniri principio, à quo producitur; neque ignis producens exigit ratione sui vnire sibi ignem productum; neque vterque simul, quia posset idem ignis productus ab eodem igne producẽte prodire nullâ vnione intercedente inter vtrũque. Similiter in sententia asserente ignem posse calorem producere in subiecto extraneo, actio, quâ producitur calor ab igne in se ipso, neque est immanens ratione termini, neque ratione principij, neque ratione vtriusque; quia potuit non solùm idem specie, ab eodem specie principio transeunter produci; sed etiam idemmet numero calor ab eodem numero igne per actionem transeuntem produci. Restat vt hæc actio tantùm ratione sui immanens dicatur, quæ immanentia per accidens communiter vocatur; quod intelligendum est respectu principij, & termini, non respectu actionis, quia illa actio, per suammet entitatem immanens est, & de potentia absoluta non potest non esse talis: quod autem conuenit alicui entitati per se ipsam non potest illi conuenire per accidens. Fateor hanc immanentiam non esse essentialem huic actioni, quia non conuenit illi ratione differentiæ specificæ; sed tantùm ratione differentiæ indiuidualis, seu ratione prædicati medij inter differentiam specificam, & indiuidualem, per quod hæc actio non notabiliter differt ab aliis transeuntibus respicientibus principium & terminum eiusdem speciei.

8 Iterum immanentia duplex est, quædam respectu eiusdem indiuisibilis principij, à quo procedit actio, alia respectu aliùs compartis vnitæ principio tanquam alteri comparti; immanentia ratione eiusdem indiuisibilis principij est, quando actio, & illius terminus manent informatiuè, aut entitatiuè in eadem indiuisibili entitate, à quo procedunt: sicuti intellectio procedit ab anima rationali, & eidem animæ rationali vnitur, & inhæret. Immanentia ratione aliùs compartis est, quando effectus producitur ab vna parte compositi, & recipitur, atque vnitur alij comparti, non verò principio, à quo fluxit.

9 Rursus immanentia ratione compartis potest esse ratione compartis pertinentis ad totum subsstantiale, & ratione compartis pertinentis ad totum accidentale. Immanentia ratione compartis pertinentis ad totum accidentale, est quando actio procedit à forma accidentali, & recipitur in subiecto talis accidentis, cum quo accidens efficiens totum accidentale componit. Hanc immanentiam habet actio productiua coloris procedentis à primis qualitatibus receptis in subiecto, in quo recipitur actio, & calor productus ex vi illius. Eandem immanentiam habet actio productiua saporis, & aliarum secundarum qualitatum, quæ resultant ex temperamento primarum, & recipiuntur in eodem subiecto, in quo recipiuntur primæ. Hoc immanentiæ genus impropriissimum est, quia non recipitur actio in principio, neque in aliquo, quod cum illo totum substantiale constituat; imò neque speciali modo procedit à principio aliquo, quod cum subiecto constituat vnum totum per se, licet accidentale. Quia calor eodem indiuisibili modo procedit ab omnibus qualitatibus, quæ cum subiecto non constituunt vnum totum accidentale, sed plura; ex calore enim, frigiditate, humiditate, & siccitate, & ex subiecto fit calidum, frigidum, humidum, & siccum: quæ non vnum solum accidentale, sed plura cum subiecto communi constituunt. Quod si sensatio externa procedat ab anima, & ab specie quæ simul non constituunt vnum totum per se cum subiecto, sed plura, vnum substantiale, & aliud accidentale; procedit tamen speciali modo ab anima, quæ constituit vnum per se cum materia, quo non procedit ab alio principio; videlicet tanquam à vita radicali, & substantiali, cui primariò, & per se formaliter vitalitatis effectus correspondet.

Immanentiam ratione compartis pertinentis ad totum 10
substantiale subdiuido: Alia respectu compartis pertinentis ad totum substantiale essentiale: hanc immanentiam habent sensationes materiales, in opinione, quæ illas constituit productas ab anima, & inhærentes, & vnitas tũtum materiæ. Alia est ratione compartis pertinentis ad totum substantiale integrale. Hanc immanentiam habet actio nutritiua; cuius terminus integraliter vnitur suo principio. Vtraque immanentia est propriissima, quia ratione illius principium productiuum, & terminus productus constituunt quoddam totum substantiale: & illam habet actio ex prædicato specifico principij productiui, & termini producti vt vnienti extremo præexistenti.

Ex his immanentiis plures possunt in eandem actionem 11
confluere, & immanentiam inhæsiuam semper vnitiua comitatur. Intellectio enim respectu animæ immanens est, quia in ipsa recipitur, & quia illi vnitur: & sensatio externa in mea opinione, quæ illam constituit procedentem ab anima, vnitam, & inhærentem materiæ, atque simul eidem animæ immediatè vnitam, immanens est ratione vnionis, & inhæsionis in comparte, cum qua illius principium totum substantiale constituit, & ratione vnionis immediatæ ad ipsam animam.

Inter actiones immanentes rursus alia est simplex ema- 12
natio, alia pura actio. Simplex emanatio est illa, qui passiones procedunt ab essentia, sine consortio aliùs comprincipij creati, sed tantùm essentiâ se habente per modum principij actiui, & passiui respectu illarum: quæ generanti tribuuntur, quia generans essentiam producit adæquatè in actu primo potentem has emanationes in lucem edere independenter ab alio comprincipio creato. Vnde videtur essentia has actiones producere vt instrumentum generantis. Et in hunc sensum loquitur D. Thomas, cum dicit potentias produci ab anima in virtute generantis, in quo Thomistæ loqui debent ne verborum Angelici Doctoris sensum corrumpant, quod expresse docet Caietan. 1. part. quæst. 77. art. 1. in fine: *Diligenter aduerte, & accipe hîc, quod apud S. Thomam, cùm accidens dicitur agere in virtute substantiæ, est constructio intransitiua, id est, ipsa virtus substantiæ. Huc enim tendit tota responsio, quod accidentalis vis, non sua, sed substantiæ est virtus, quoniam accidens est virtus, cuius est agere, quod est eius, cuius est esse, quod non est, nisi compositi, quod substantiali forma est, & accidentali, vt virtute operatur. Non ergo fingas intentionalem aliquam formam, vt salues agere in virtute substantiæ, vt quibusdam visum est.* Quibus verbis ex mente Angelici Doctoris explicat Caietanus, quid sit accidens agere in virtute substantiæ. In quo sensu intelligendi sunt Thomistæ, cùm dicunt essentiam agere in virtute generantis, constructione intransitiua, vt loquitur Caietanus, hoc est, per virtutem, quam primò recipit à generante, per quam, seu media quâ generans dicitur agere.

Neque simplex emanatio supponit in subiecto aliquod 13
accidens, cùm solum ab ipsa dependeat. Vnde si plura accidentia inter se connexa aduenient materiæ, primum accidens, si immanenter producatur, per simplicem emanationem procedet, reliqua verò, quæ hoc supponent, non per simplicem emanationem; sed per actionem simpliciter seu specialiter dictam, provt ab emanatione distinctam, à principio nascentur. Est insuper simplex emanatio naturâ suâ coæua subiecto; quia cum ab illo oriatur necessariò, &

in

in primo instanti, in quo subiectum producitur, & est in actu primo ad talem emanationem; per se loquendo in illo in hanc emanationem erumpet. Dixi *per se loquendo*, quia per accidens potest aqua impediri, ne in primo instanti frigiditatem producat, vel in sequentibus conseruet, etsi per simplicem emanationem frigiditas procedat ab aqua: sic simplices emanationes explicat P. Suarez 1. Metaph. dip. 18. sect. 3. num. 3. & Conimbr. licet non adeò clarè, loco postea citando: quod omnes, qui rem hanc attingunt, videntur supponere.

14 Insurgit difficultas, an simplex emanatio sit propriè, & strictè actio? Refertur Caietanus à nostro Suario suprà, n. 3. qui 1. p. q. 54. art. 3. hanc emanationem dicit esse naturalem sequelam absque operatione media; non tamen explicat quid sit hæc naturalis sequela, & q. 77. art. 1. circa ad secundum similiter ait hanc emanationem esse per efficientiam sine actione media, & putat esse sententiã D. Thomæ ibid. Semel, & iterũ in hac re Caietanũ legi, & multa nimis subtilia, vel obscura nimis inuenio, neque sine magna opera posse illius mentem explicari censeo. Nostri Conimbr. absolutè negant his emanationibus propriam actionis rationem. Ita lib. 1. de Generat. c. 9. q. 1. art. 4. ad finem, & lib. 7. Physic. c. 1. q. vnicâ, art. 2. §. *Sit secunda conclusio*, &c. quod non aliâ ratione probant, nisi quod passiones, quę ab anima producuntur, non ab illa procedunt vti à causa integra, aut principali; sed tanquam à causa minùs præcipuâ, ac velut instrumento generationis, quod generans vt primaria, & præcellentior causa eiusmodi potentiarum veluti partum edit. Hæc sunt Conimbricensium verba, quorum ratione non premor.

15 Dicendum est cum P. Suarez suprà, has simplices emanationes esse propriissimè actiones, mediis quibus passiones procedunt ab essentia, quod in aquæ frigiditate per se patet, quia cùm frigiditas, & quodlibet aliud esse creatum dependeat à causa necessariò habet aliquam dependentiam, per quam tale ens productum, & illius principium, quodcunque sit, producens constituantur: quæ dependentia, efficientia dicitur, & actio; neque inter efficientiam, & actionem distinctio aliqua reperiri potest, vt falsò putauit Caietanus affirmans emanationem esse efficientiam, & non actionem: quia sicut inter efficiens, & agens nulla est formalis distinctio, ita neque inter efficientiam constituentem efficiens, & actionem constituentem agens. Posset tantùm in dubium vocari: an hæc efficientia, seu passionum emanatio ab illis distinguatur, necne? Cui respondeo emanationem primarum qualitatum ab illis distingui: quia eadem qualitas potest produci ad hoc agente, vel non ab hoc, sed ab illo; quod signum est euidens qualitatem non pendere per seipsam, sed per actionem interiectam à suo principio. De aliis passionibus videlicet potentiâ intellectiua, & volitiua posset à paritate iudicium ferri. Ego tamen qui potentias has superadditas non admitto, hac quæstione non premor in passionibus; quæ de facto existunt: Ad has verò, quæ possibiles sunt respectu substantiarum diuersæ rationis ab his, quæ de facto existunt, amplissimus possibilitatis patet campus. In quo existimo dari potentias, quæ si existerent, per se ipsas dependerent ab essentia; & potentias, quæ per actionem imperfectam ab aliis dimanarent; si enim nulla est repugnantia in potentiis superadditis, neque vlla inuenietur in immediata, vel mediata dependentia harum potentiarum à suis principiis.

Punctum II.

Quid sit viuens in actu primo.

§. I.

Triplex sententia refellitur.

NOnnulli vt se ab hac difficultate expedirent dixêre plantas non viuere, & rationem communem viuentibus per modum actus primi in principio cognoscitiuo constituêre, quod reliquis viuentibus distinctis à plantis, quas ipsi inter viuentes non enumerant, & non aliis conuenit. Quod si in Deo neges principium cognoscitiuum per modum actus primi, eodem modo neganda erit in Deo vita radicalis per modum actus primi. Neque principij volitiui in hac definitione meminisse oportet, quia principium volitiuum, vel est separabile à cognoscitiuo, vel non; si non potest separari, idem erit dici principium cognoscitiuum tantùm, ac si volitiuum exprimeretur: semper enim ex cognitione vnius deuenimus in cognitionem aliùs entitatis, quæ ab illa separari nequit. Quod si principium cognoscitiuum possit à volitiuo separari, non erit de ratione viuentis per modum actus primi principium volitiuum; quia substantia, in qua separatur volitiuum à cognoscitiuo, viuens constitueretur per principium cognoscitiuum, volitiuo secluso.

Hæc sententia reiicienda est ex dictis Puncto præcedẽti, 2
& Controu. 1. Punct. 2. vbi dixi negari non posse plantas propriè viuere; quam sententiam ex Scriptura, & Patribus ibi statui, à qua tantùm voce tenus discedere poterit, qui concedat plantas augeri per intùs sumptionem: quod genus operandi non reperitur in igne, neque in aliis agentibus, quæ inanimata dicimus, quòdque Sancti Patres vitam appellant, præcipuè Augustinus, cuius verba neque interpretationis vmbram patiuntur; quibus non tantùm docet tanquam veram sententiam, plantas viuere; sed illam ex testimoniis Scripturæ deducit; legantur illius verba relata loco citato, & aliud illustre testimonium D. Dionysij ibi adductum.

Negare non est ausus Arriaga plantas viuere: sed multus 3
in aliorum sententiis impugnandis, conceptum non inuenit communem omnibus viuentibus, quem posset in propria sententia defendere. Quapropter disp. 2. sect. 1. subsect. 4. duplicem vitam distinguit, quamdam physicam, intentionalem aliam: Viuens vita physica illud est, quod se potest per intùs sumptionem augere. Hoc genus vitæ commune est plantis, brutis, & hominibus. Viuens vitâ intentionali est principium cognoscitiuum, & appetitiuum, quod genus vitæ conuenit omnibus animalibus, Angelis, & Deo Ex quibus infert plantas tantùm viuere vitâ physicâ: animalia omnia viuere vita physica & intentionali: Angelos, & Deum vita tantùm intentionali. Affirmat insuper vitæ intentionali, & vitæ physicæ nullum dari conceptum communem: sed nomen vitæ æquiuocum esse respectu vitæ intentionalis, & physicæ. Huius sententiæ nullum potest excogitari fundamentum, præter impugnationem aliarum, quas hucvsque tradidêre Doctores, & cuiusuis quæ conceptum aliquem assignet communem vitæ physicæ, & intentionali. Quapropter satis impugnatum iri illius auctorem existimo, si conceptum vtriusque vitæ communem assignemus, & illius argumentis satisfaciamus, quod me facilè facturum non despero.

Recentiores alij duplex viuens agnoscunt, quoddam 4
animasticum; cuius vita operatur dependenter à materia, talis est vita plantarum, brutorum, & hominis: quia anima rationalis, licèt in statu separationis independenter à materia operetur; dum tamen est vnita corpori dependenter à materia operatur. Aliud est viuens non animasticum, seu abstrahens à materia huiusmodi sunt Angelus, & Deus, imò & anima rationalis, quatenus in statu separationis independenter à materia operatur, potest hoc genere vitæ donari. Vtrumque viuens sic definit: *Viuens animasticum est, quod in suo statu naturali constitutum operatur immanenter cum dependentia à materiali deorganizatione.* Viuens autem abstrahens à materia est, *quod independenter à materiali deorganizatione immanenter se exercet, conuertendo se formaliter ad obiecta.* Ne tempus insumamus in explicando exercitio conuersionis ad obiecta: ad mentem huius recentioris, & iuxta verba præcedentis definitionis potest hoc viuens abstrahens à materia definiri, *quod independenter à deorganizatione accidentali est potens cognoscere, & appetere.* In priori definitione viuentis animastici addidit particulam illam *in statu naturali*, vt excluderet à ratione actionis vitalis productionem caloris, quam anima immanenter producit dependenter à deorganizatione accidentali; quia illum producit dependenter ab vnione, quæ deorganizationem exigit. Non ego particulam hanc ex hoc capite in definitione ponerem, anima enim etsi vnionem petat ad producendum calorem in subiecto, quod informat; non deorganizationem immediatè ad ipsam actionem productiuam caloris exposcit; sed tantùm mediatè, ex quo titulo poterat productio caloris ab anima procedens excludi à ratione vitalis; quæ posset in exigentia deorganizationis immediatè ad ipsam requisitæ constitui. Posset etiam hæc actio vitalis non recenseri; quia illius terminus immanenter produci non petit.

Expendo in primis, quid recẽtiores in hac noua sententia. 5
inuenerint:

inuenerint. Viuens animasticum vocant, animam, quæ est forma viuentis; & pro hoc viuenti definitionem animæ, paucis mutatis, quæ immutata possent permanere, nobis exhibent, quam per virtutem operandi immanenter dependenter à deorganizatione tradunt, per quam virtutem definitur anima cùm dicitur: *Actus corporis physici, & organici potentia vitam habentis.* Vnum erat in hac re difficile, videlicet conceptum communem, Animæ, Angelis, & Deo inuenire; hac difficultate non premuntur asserentes talem conceptum non dari: quo negato difficile non est viuens non animasticum, quod ipsi vocant abstractum à materia definire per principium cognitionis, & volitionis. Neque in hac sententia aliud speciale inuenio, si diligenter euoluatur, licèt specie tenùs nouitatis splendore appareat illustrata. Peccat insuper hæc opinio, quia difficultati succumbit, & conceptum non inuenisse fatetur, quem assignari totum est huius difficultatis negotium.

§. II.

Duplex sententia reiicitur.

6 COmmunis Thomistarum opinio asserit, viuentia à non viuentibus distingui, ex eo quod hæc non habent virtutem se mouendi ab intrinseco; illa verò hac virtute gaudent. Ex qua differentia viuens definitur: *Illud quod ab intrinseco se mouet.* Hanc definitionem reiiciunt communiter Doctores, quia grauia, & leuia à principio intrinseco virtutem habent se mouendi; & anima à principio intrinseco suas passiones producit. Respondent Thomistæ, grauia, & leuia, & animam per productionem suarum passionum se mouere in virtute generantis. Cur autem grauia, & leuia per motum localem, & anima per suarum passionum productionem, & non per productionem aliarum operationum virtute generantis moueantur, ipsi non explicant Quod si explicationem habeat, quam tetigi Punct. 1. n. 12. neq; definitione pertingitur, neque adeò est nota omnibus vt illi parcere possimus, vix enim reperitur aliquis qui explicet; quid sit operari in virtute generantis? & ferè omnes ex hoc capite definitionem hanc reiiciunt.

7 Meliùs forsan diceretur, motum grauium, & leuium, & actionem productiuam passionum, non esse immanentes ratione terminorum, & hac ratione non esse vitales: terminum productum per motum grauium, & leuium non petere immanenter produci facilè suadetur, quia præsentia acquisita motu naturali corporis grauis, vel leuis per actionem immanentem producta, potuit produci per actionem transeuntem à quolibet alio agenti. Difficilius est probare passiones viuentis non petere immanenter produci; potest tamen ad probandum fundamentum desumi ex passionibus aliis, v.g. frigiditatis aquæ, & caloris ignis; quæ ab aliis agentibus producuntur, saltem in gradibus remissis. Quod probat adhuc in gradibus intensis ipsas immanentiam suæ productionis non exigere: quia frigiditas & calor in quocunque gradu sunt eiusdem rationis. Si dicas non licere inferri passionem animæ non exigere productionem immanentem, ex eo quod passio aquæ illam non exigat: sicuti non infertur augmentationem viuentis non exigere immanentiam, quia illam non exigit augmentatio aquæ. Resp. disparem esse rationem: quia augmentatio aquæ, & augmentatio viuentis diuerso modo fiunt, vna per intùs sumptionem, alia per iuxta positionem. Productio autem passionum in vtraque substantia eodem modo efficitur.

8 Non placet hæc sententia, quia cùm nunquam viderimus intellectum hominis productum fuisse ab alio distincto ab ipsa anima, cuius est passio, absque fundamento dicemus ex se esse indifferentem, vt producatur à quocumque alio agenti extrinseco. Calor autem, & frigiditas sæpè videmus à multiplici produci agente: & ideo rectè illis immanentiæ exigentiam negamus. Et sicut non licet inferre: calor, qui est passio ignis, naturaliter producitur in extraneo subiecto ab agenti extrinseco: ergo intellectus, qui est passio hominis potest naturaliter produci in extraneo subiecto ab agentis extrinseco: ita non licet inferre: calor qui est passio ignis non petit immanenter produci: ergo neque intellectus, qui est passio hominis, hanc immanentem productionem exposcit. Item non repugnat intellectus per seipsum dependens ab anima, cuius productio secum identificata ratione termini immanens esset, & tamen non esset vitalis: ergo vitalitas actionis non consistit in immanentia ratione termini.

Vt occurrant argumento, quod ex potentiarum productione petitum est, alij sic viuens definiunt: *Quod in sua naturali dispositione constitutum ab intrinseco potest operari actum per se, & ex conceptu sui immanentem.* Per illam particulam *in sua naturali dispositione constitutum*, excludunt à ratione vitalitatis passionum productionem: per quam viuens in sua naturali dispositione constituitur. Motus grauium & leuium excluditur per eandem particulam: quia illa in suo statu naturali constituta, rursus non mouentur. Excluditur etiam per illam particulam, *actum ex conceptu sui immanentem*: quia motus localis, quem producunt grauia, & leuia à seipsis, potest etiam produci in ipsis ab alio extrinseco agenti. Hanc definitionem impugnant recentiores: Quia ex illa sequitur, non magis esse vitalem actionem nutritiui viuentium, quàm ignis aggeneratiunem: quia terminus productus per nutritionem ex se non est determinatus, vt producatur immanenter: neque hanc immanentiam exigit ex natura sua, vt patet in generatione, in qua producitur eadem pars formæ, quæ posset per nutritionem produci; & illa, quæ modò per nutritionem producitur, potuit in prima viuentis generatione produci. 9 10

Respondent alij: terminum nutritionis potuisse transeunter produci per generationem respicientem illum diuerso modo, ac illum respicit nutritio: quia generatio fit per commixtionem seminum, & nutritio per intùs sumptionem. Ex quibus modis diuersis, quibus idem terminus producitur, actio essentialiter est diuersa; & vna transiens, alia essentialiter immanens. Non omnino acquiesco huic solutioni; quia hic diuersus modus producendi effectus, neque se tenet ex parte principij, neque ex parte termini, neque ex parte actionis; sed tantùm est diuersa applicatio materiæ, seu diuersus modus, quo applicatur materia, vt idem principium nutritiuum, quod est generatiuum eiusdem termini, producat per nutritionem terminum, quem per generationem producere poterat. Hæc autem diuersa determinatio potentiæ sufficiens non videtur, vt actio sit diuersa sicuti in motu locali in communi sententia, quam vt veram docebimus, motus viuentis ex cognitione procedens, & à volitione imperatus, specie non distinguitur à motu naturaliter producto à principio eiusdem speciei, imò idem numero motus, qui productus est modò cognitione directus, & volitione imperatus, potuit absque vlla cognitione à viuente procedere: ergo eadem est saltem in specie productio respiciens hunc terminum, ad quam agens determinatur per applicationem materiæ intùs sumptam, qui potuit procedere ab agenti determinato per applicationem seminis.

Melius existimo posse responderi: actionem nutritiuam ratione termini esse immanentem; quia terminus etsi non petat absolutè immanenter produci, quia non petit vniri compositio, seu parti præexistenti; petit tamen immanenter seu per actionem immanentem vniri ex suppositione, quod sit vniendus alij extremo præexistenti; & insuper petit, ex suppositione quod terminus ille solus producatur, vniri præexistenti extremo: quia absolutè siue solus per nutritionem, siue cum aliis compartibus per generationem producatur, petit esse illis vnitum: ac proinde semper petit produci vnitum illis, siue simul cum illo productis per eandem actionem transeũtem, siue vnitum produci per actionem necessariò immanentem extremo iam priùs producto per aliam actionem, siue immanentem, siue transeuntem. Hac ratione actio nutritiua immanens est ratione termini: quod non habent aliæ actiones, quibus augentur non viuentia. An verò hæc immanentia actioni sit essentialis necne, dicam §. 4. posteaquàm propriam explicuero sententiam. 11

Contra hanc solutionem sic insurgunt recentiores: ignis ex suppositione, quod sit vniendus alij igni, petit vniri principio, à quo producitur: & ex suppositione quod producatur in minori minimo petit vniri alij igni: ergo eadem ratione est immanens ratione termini augmentatio ignis, & augmentatio equi: ergo vel vtraque, vel neutra immanens est ratione termini: ergo vel vtraque, vel neutra est vitalis. Resp. dato ignem posse produci in minori minimo: quod in mea sententia, quæ minimum non assignat viuentibus, locũ non habet, partem minoré minimo requisito ad conseruationem ignis vniendam esse alij igni; non tamen exigere procedere ab igne, cui est vnienda, sed ex se posse produci tantùm ab igni *A*, & vniri igni *B*: quod si semper procedat ab igne, cui vnitur, non est, quia id exigit ex 12

natura

natura sua, sed quia ignis applicatus ad vnionem terminandam,est etiam applicatus ad producendum ignem sibi vniendum;Quod si Deus suspenderet concursum,ne illum produceret,posset naturaliter talis ignis illi vniendus proci ab alio agente,cui non vniretur.Quod non contingit in nutritione viuentium;in qua si viuens augendum non producat partem substantiæ sibi vniendæ,à nullo alio agenti, cui non vniatur,poterit talis pars produci.

13 Fortiùs sententia hæc posset impugnari ex illa particula,*in sua naturali dispositione constitutum.* Per illam relegant à numero actionũ vitalium huius sentẽtiæ Patroni actiones omnes, per quas viuens in sua naturali dispositione constituitur, in quibus sunt productiones passionum, quæ pertinent ad naturalem constitutionem viuentis. Contra quam definitionis partem sic arguunt nonnulli. Intellectio non supponit animam voluntate informatam (procedit argumentum positis potentiis superadditis in viuentibus saltem possibilibus) quia intellectio non dependet à voluntate: ergo non supponit viuens in sua naturali dispositione constitutum: ergo non est vitalis actio. Hæc obiectio nullius est momenti:quia de ratione actionis vitalis non est procedere à viuenti constituto in statu naturali iuxta definitionem prædictam; sed esse distinctam ab illis,per quas viuens in statu naturali constituitur. Viuens enim in actu primo definitur iuxta hanc sententiam illud, quod *vltra actiones per quas in naturali dispositione constituitur, potest operari actum ex suo conceptu immanentem.* Et ita in ratione viuentis constituitur in ordine ad actiones distinctas ab illis,per quas constituitur in naturali dispositione, licèt non illarum quælibet hanc dispositionem adæquatam supponat.

14 Aliter contra hanc sententiam argumentor. Demus viuens, cui à primo instanti suæ productionis debita sit cognitio alicuius obiecti,sicuti de facto debitam esse Angelo, censent plures Theologi. Hæc actio pertinebit ad naturalem constitutionem viuentis; & erit vitalis:ergo non est de ratione actionis vitalis, esse distinctam ab aliis, per quas viuens in sua naturali dispositione constituitur; neque viuens solum potest constitui in ordine ad actiones distinctas ab illis; per quas in sua naturali dispositione constituitur; sed etiam in ordine ad illas, per quas in tali naturali dispositione constituitur. Negare non poteris talem actionem esse vitalem;est enim rarũ omnibus Theologis, ac philosophiis omnem substantiam cognoscentem constitui viuentem per ordinem ad cognitionem, & omnem cognitionem vitalem esse. Si dicas talem cognitionem non pertinere ad naturalem dispositionem, inquiro: quidnam sit pertinere ad naturalem constitutionem:illud intelligimus ad illam pertinere,quod debitum est substantiæ à primo instanti generationis; sed illa cognitio talis esset:ergo esset constitutiua viuentis in sua naturali dispositione. Dices id pertinere ad naturalem constitutionem, quod viuenti debetur à prima generatione per modum habitus, non verò per modum actus. Sed inquiro quid sit debitum esse per modum habitus? & quod per modum actus? quod facile cuique cernitur, & difficile ab aliquo discernitur.

15 Vrgeo. Demus substantiam creatam per se ipsam cognoscentem,& per cognitionem sui,aliúsve obiecti constitutam: illa cognitio constitutiua substantiæ pertinebit ad naturalem constitutionem illius;& tamen erit vitalis:ergo non est de ratione actionis vitalis esse distinctam ab illa, per quam viuens constituitur in sua naturali dispositione. Quid enim magis pertinet ad naturalem constitutionem viuentis quàm illud, quod ad sui constitutionem spectat? Respondebis forsan implicare talem substantiam; quod valde probabile censeo: quod si dicas, ad alia argumenta recurram, hoc enim tantùm adduco contra illos, qui substantiam hanc possibilem esse fatentur, & contra te argumentum vrgeo in Deo. Essentiam Dei communis Theologorum sententia constituit in cognitione: hæc cognitio pertinet ad naturalem constitutionem Dei, & est vitalis: ergo non est de ratione operationis vitalis esse distinctam ab illis, per quas viuens constituitur in sua naturali dispositione. Hæc argumenta petita ex cognitione debita naturæ à prima sui conditione, & ex cognitione identificata cum ipsa,sunt præcipua in hac materia,quibus impugnantur plures de hac re sententiæ.

§. III.

Alia sententia impugnatur.

16 A Lij sapientissimi recentiores sic viuens definiunt: *Viuens est, quod vltra complementum in esse substantiali, & virtutis operatiuæ, determinatum est ad producendam in se perfectionem, aut terminum, qui naturaliter ab extrinseco non potest produci.* Hanc definitionem impugnant recentiores, ex eo quòd nutritionis terminus potest naturaliter ab extrinseco produci. Cui argumento feci satis suprà,vbi explicui quomodo nutritionis terminus petat immanenter produci. Arguunt secundò:à ratione actus vitalis excluditur id quod complet substantiam viuentis in virtute operatiua:sed cognitio complet substantiam animæ in ratione operatiuæ volitionis,quia cognitio necessariò prærequiritur ad productionem volitionis:ergo cognitio non est vitalis.Respondebunt recentiores:cognitionem non pertinere ad virtutem productiuam volitionis:sed tantùm se habere vt conditionem: ac proinde non complere animam in ratione virtutis operatiuæ;& ex hoc capite non illi vitalitatẽ repugnare.

17 Arguunt tertiò contra eandem sententiam: Intellectio, & volitio producunt habitus in anima, & species impressas: ergo complent illam in ratione virtutis operatiuæ: ergo non sunt vitales. Primum antecedens admittunt omnes, siuè habitus ab speciebus distinguantur, siue non. Prior consequutio probatur: ideo intellectus complet virtutem operatiuam animæ, quia producit intellectionem in anima: cognitio, & volitio producunt habitus, & species in anima: ergo complent illius virtutem operatiuam. Posterior consequutio priori admissa constans est. Deinde intellectio & volitio producunt habitus, & species, quibus anima actiuè operatur: ergo complent virtutem actiuam animæ producendo in illa virtutes, quibus anima actiuè operatur: ergo non est vitalis.

18 Respondeo pro hac sententia ad id quod vltimò obiiciebatur,non esse contra rationem actus vitalis complere actiuitatem animæ producendo aliquid,quo anima actiuè operetur,& illius actiuitas completur;quod est illius actiuitatem complere actiuè,& non formaliter;sed tãtùm excludi à ratione actionis vitalis id quod complet formaliter per modum virtutis actiuæ, immediatè per se formaliter complentis virtutem actiuam animæ. Ad illud,quod primò obiiciebatur de productione specierum, & habituum in anima. Respondeo per principia productiua specierum, & habituũ,ad quorum productionẽ non concurrit anima,non cõplere formaliter illius actiuitatẽ,quia ad hanc non pertinet id cuius ipsa nõ est causa immediata;secus per intellectũ,per quem completur actiuitas animæ respectu intellectionis,quã ipsa producit.Sic in voluntate,& in aliis potentiis. Ad argumentum in forma, Resp. Intellectus ideo complet actiuitatem animæ,quia producit intellectionem in anima per modum comprincipij adiuuantis animam ad talem productionem;concedo:quia producit per modum causæ totalis sine concursu animæ,nego.Sed cognitio producit species, & habitus in anima per modum comprincipij adiuuantis animam ad talem productionem,nego: per modum causæ adæquatæ concurrẽtis ad productiones habituum & specierum sine concursu animæ,concedo: ergo intellectio complet actiuitatem animæ, eo modo, quo illam complet intellectus:nego consequentiam.

19 Fortiùs hanc sententiam & efficaciter ad hominem impugno ex sensatione materiali interna;quæ in opinone huius auctoris cõcurrit cum animo rationali in genere causæ efficientis ad speciẽ expressam intellectus, seu ad intellectionem producendã:ac proinde illius actiuitatem cõplet in ordine ad hunc effectum,& iuxta hanc definitionem ex numero actionum vitalium ex hoc capite esset abolenda, quod absurdum est. Ne videar tantùm in opinione asserente phantasma immediatè concurrere ad intellectionem hanc sententiã impugnasse, quod ad illius auctoris impugnationem,qui illam amplectitur,sufficiens esset:Do phãtasma non speciẽ expressam immediatè; sed impressam in intellectu producere:& opinionem receptissimam desumo illorum, qui asserunt potentias non distingui ab anima, qui intellectum tam agentem quàm passibilem ab ipsa anima non distinguunt. Phantasma concurrit cum intellectu agente identificato cum ipsa anima ad speciem impressam

impressam spiritualem in anima producendam:ergo complet virtutem illius in ordine ad hunc effectum:ergo non est vitalis. Quia per se id quod complet formaliter virtutem animæ, vitale non est.

20 Non respondebis phantasma-seu sensationem externam non complere animam in ratione vitalis, ne principium petas; sed forsan respondebis non complere animam in ratione principij immanenter operantis, sicut illam complet intellectus, qui immanenter operatur. Phantasma enim, licèt cum anima effectum producat, talis effectus immanens non est respectu phantasmatis. Contra hanc solutionem sic argumentor. Probabilis est multorum opinio,quam vt veram tradam Controuers.sequenti Punct.1. actus vitales,videlicet intellectionem,& volitionem,subiectari adæquatè in anima,etiamsi detur potentia intellectiua superaddita:ergo si requiritur,vt aliquid excludatur à ratione effectus vitalis, non solùm complere actiuitatem viuentis; sed illam complere per modum principij immanenter operantis, productio potentiæ intellectiuæ, quæ non nisi ab anima produci potest, & immanenter producitur, non excluditur à ratione actionis vitalis:quia illius terminus non complet virtutem actiuam animæ per modum principij immanenter operantis. Si dicas potentiam intellectiuam immanenter operari, quod falsum esse probabo loco suprà citato; obiiciam animam possibilem, cum potentia, quæ tantùm illam iuuet ad efficiendum, & sui effectus principium non sit passiuum, in qua est eadem difficultas:procedit enim hæc quæstio de omni viuenti,& de omni vitali actione existenti, & possibili. Neque fundamento aliquo probabili negare poteris possibilem animam, seu viuens præditum huiusmodi potentiis factiuis, & non passiuis suarum operationum.

21 Alio modo respondere posses;duo requiri, vt terminus, qui non potest nisi immanenter produci à suo principio, vitalis non fit;& complere virtutem actiuam subiecti respectu cuius,immanens est;& esse debitum in primo instanti generationis: phantasma verò, etsi virtutem actiuam animæ compleat, non tamen est debitum animæ in primo instanti generationis; & ita non potest excludi à ratione vitalis.Effugium præcludo in anima rationali possibili,cui debita sit in primo instanti,in quo corpori infunditur sensatio interna;&spiritualis cognitio ab hac sensatione procedens,quam animam possibilem esse, nullo fundamento negare poteris.

22 Desumenda est impugnatio contra hanc sententiam, quam contra præcedentem ex cognitione diuina pertinente ad constitutiuum Dei expendebam, cui adhuc ex principiis huius auctoris nonnulla poterat esse solutio. Potest enim dici essentiam diuinam non constitui per cognitionem; sed per principium virtualiter productiuum cognitionis:quæ licet realiter identificetur cum essentia, & cum principio,quod supponit,virtualiter ab illa distinguitur. Contra hanc solutionem sic arguerem: In Deo cognitio diuina supponit principium virtualiter productiuum illius:ergo æternitas,& immensitas supponunt simul principium virtuale: ergo immensitas,per quam Deus est vbique; & æternitas,per quam est in omni tempore, sunt productæ per actionem vitalem virtualiter distinctam à suo principio; ergo illa actio est æquè vitalis, ac ipsa cognitio Dei. Probo consequentiam:illa actio supponit essentiam diuinam completam in suo esse,& in ratione virtutis operatiuæ: insuper illius terminus non potest ab extrinseco produci,vt per se patet,quia nullum est agens distinctum à Deo,quod neque formaliter, neque eminenter possit immensitatem, & æternitatem Dei producere:ergo est vitalis.Fugiet hic auctor,si dicat cognitionem diuinam importare productionem virtualem sui:secus æternitatem, & immensitatem:quibus non importatur neque virtualis ipsarum productio; cuius disparitatis rationem aliquam inuenire difficile non esset.

23 Ad aliud argumentum petitum ex creatura,quæ per semetipsam sit identificata cum cognitione,quod hanc sententiam sicuti præcedentem impugnat,responderem ego, pro hac sententia talem creaturam repugnare, quia de ratione cognitionis est esse actionem cognoscitiui tenentis se per modum productiui principij:nihil autem creatum potest esse principium productiuum formale rei secum identificatæ,neque virtuale,quia principium virtuale, seu virtualiter productiuum dicit virtualem distinctionem à productione. In creaturis autem non potest admitti hæc virtualis distinctio respectu illorũ,quæ realiter sunt idem: quia hæc in Deo tantùm admittitur propter suam infinitatem,ad illa defendenda, quæ nostrum captum superant, quæque fide diuina tenemur confiteri; in creaturis autem hæc sacramenta confingere nefas est.Si enim semel admittantur,misterium Trinitatis quod in Deo fide fatemur, & tanquam inscrutabile imbecillæ hominum menti reueremur,poterit in pura creatura defendi:admissa enim virtuali distinctione quidquid est difficile hominum menti, & in mysterio arcanum, in pura creatura deuoratum esset; quod certè cuicunque malè vertet.

Reiicienda est hæc sententia præcipuè propter argu- 24
mentum factum de phantasmate concurrente cum ipsa anima ad speciem expressam producendam;& ne tam cito implicemur virtuali distinctione ad vitalitatem in Deo defendendam, neque cogamur deserere opinionem, quam plurimi Theologi bonæ notæ defendunt;videlicet essentiam diuinam per cognitionem constitui.

§. IV.

Propria sententia.

INficias ibit nemo, qui de hac re auctores consuluerit, 25
mentem omnium antiquorum fuisse, illud esse viuens,quod seipsum mouet;& ita viuens definitur:*quod constitutum in suo esse naturali, immanenter operatur*: actiones enim per quas viuens in suo esse naturali constituitur, in primo suæ generationis instanti exercentur,& per illas viuens nullam subit mutationem,à numero vitalium excluduntur. Hac ratione Aristotales 2. de Cælo, Dei vitam per motum definiuit his verbis: *Dei operatio immortalis est: hoc autem est vita sempiterna. Itaque necesse est motum sempiternum Deo inesse.* Quæ verba intelligenda non sunt de motu propriè dicto;sed de operatione Deo identificata, per quam Deus ab æterno cognoscit, in qua illius vita cõsistit, iuxta illud Ioannis 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum.* Quæ explicatio est iuxta mentem Philosophi;qui sæpe nomine motus actionem significat: & infertur ex lib.12. metaph. text. 51. vbi fatetur Deum esse immortalem. Eodem modo vitam Dei definiuit Plato per motum;quo ipse se mouet: sic apud D.Thomam 1.p. q.18. art.3. quem ipse Angelicus Doctor de operatione interna non habente rationem mutationis explicat: D. Bernardus lib.de Libero arbitrio sic vitam definiuit: *Vita est internus, & naturalis motus, tantùm vigens intrinsecus.* Huic eadem explicatio adhibenda, vt hæc definitio Deo possit conuenire. Legendi sunt ex Antiquis Alexander 2. p. q. 90. 91. & 92. Henricus art.29. quæst.1. Ex modernis eodem modo vitam definiunt ferè omnes: Toletus lib.2. de anima cap.1.ex.3. *Vita dicuntur motus,vt procedunt à principio intimo ipsius corporis naturalis.* P.Dor.Ludouicus de Molina 1.p.q.18. disp. vnica §. *quæstio ergo proposita,* hæc scribit: *Sola viuere dicuntur quæ constituta in sua naturali dispositione, sese ab intimo principio mouent.* P.Suarius lib.1. de anima cap.2.n.26. & 27. per eundem motum viram definit:& tom.2.Metaphys. disp.30.sect.14. n.14. sic vitam explicat. Sumitur ergo viuens,vt deDeo dicitur(& quoad hoc idem & cum Angelis) provt commune est,& transcendens ad omnes gradus vitæ,quatenus omnes illi in hoc conueniunt, quod ab intrinseco operantur in suo connaturali, & perfecto statu. Nullum ex antiquis inueni,qui conceptum vitæ alio modo explicaret. Omnes enim per internum motum vitam definiunt; & nihil aliud viuere in actu secundo appellant, quàm se mouere;ex quo ad aquas metaphora fuit translata, & fluentem aquam viuam vocamus; stagnantémque emortuam:vnde Poëta;

——Donec me flumine viuo
Abluam.

Et metallum illud,quod se mouet,vulgo *azogue*,argentum viuum vocamus. Ex quo infero nefas esse negare rectè hucvsque vitam antiquos definiisse per hunc modum;quod facilè probatur. Omnia viuentia, quæ cognoscimus postquam sunt constituta in suo esse naturali immanenter se mouent,seu operantur,& nullum aliud distinctum à viuentibus exercet has operationes:ergo hæc definitio conuenit viuentibus, & non aliis: ergo rectè conceptum viuentis explicat. Quod obiici potest de igne augente se, solutum est iam ex dictis Punct. 1. vbi probaui actionem hanc non esse immanentem ratione sui termini;quam immanentiam nutritioni viuentium competere ibidem explicui,

explicui,& rursus explicabo. Aliud argumentum , quod sumitur ex constitutiuo Dei per suam cognitionem non probat hanc definitionem irritam esse : adhuc enim Deus constitutus per cognitionem sui,potest immanenter operari cognoscendo alia obiecta. Idem dicerem de quacunque creatura,quæ per suam entitatem se ipsam cognosceret,quæ posset in alia obiecta tendere per cognitioné,quę supponeret suam substantiam constitutam.Si obiicias secùdùm hanc definitionem cognitionem constitutiuam Dei vitalem non esse : quia per ordinem ad illam non traditur definitio viuentis:pro antiquorum Scholis antecedens negabo.Non enim ratio viuentis in actu primo debet explicari per ordinem ad omnes vitales actiones:neque vitium definitionis est rem non explicare per conceptum quidditatiuum adæquatum, & essentialem : sæpe enim plura per passiones,& accidentia definimus:mens autem antiquorum non fuit actiones vitales definire;sed viuentia:quæ omnia suâ definitione comprehendebant,non curantes,an viuentia explicarent per ordinem ad omnes operationes vitales an per ordinem ad aliquas,quia hoc non erat eorum institutum , quibus tantùm ea mens fuit, vt aliquid proprium viuentibus assignarent, quod illis tantùm conueniret , & aliis commune non esset, per quod viuentia à non viuentibus secernerent.

26 Prolixior alia inter nostros recentiores suborta est disputatio;scilicet,quis sit conceptus ille communis,& essentialis,in quem omnia viuentia conspirant : qui vitas omnes actuales,seu actiones omnes vitales respiciat?Et quid sit conceptus communis , in quem conueniunt vitales omnes actiones,& per quem primò,& essentialiter constituũtur? Quam quæstionem apud antiquos sedula diligentia quæsiui:& adeò strictis terminis apud nullum inueni ; omnes enim contenti erant dum modo suprà explicato definiebant.Hæc non distinxisse occasio fuit,vt Doctores antiquos plures recentiores absque delectu impugnarint : & eorum definitionem immeritò reiecerint.

27 Accedo iam ad subtiliorem quæstionem ; & viuens in actu primo iuxta propriam sententiam sic definio : *Viuens est illud,quod vltra simplices emanationes, actionem ex conceptu essentiali immanentem exercet.* Quid sit simplex emanatio,explicui Punct.1.num.1. Ne tamen in hac definitione explicationem aliquam desideres,etsi longiorem aliam institui aliam exhibeo in quo explicationem simplicis emanationis inuoluo:*Viuens in actu primo est illud , quod est principium actionis ex sua essentia immanentis , quæ supponat aliud præter purum actiuum,& passiuum principium illius respectu cuius immanens dicitur.* Hæc definitio omnibus vinentibus in actu primo conuenit;& datur per ordinem ad omnes actiones vitales,quæ vitam in actu primo supponunt,ad quas tantùm dicit ordinem viuens in actu primo:non enim definiendũ est viuens in actu primo per operationem vitalem , quæ nullum principium supponat,neque aliquem primũ actum, sicuti in multorum sententia est cognitio Dei, quâ se ipsũ cognoscit. Dari per ordinem ad omnes actiones vitales supponentes actum primum, sic probo. Actiones vitales, quas Philosophia nouit,clauduntur intellectione, volitione,sensatione internâ,& externâ,& nutritione.Has omnes ex sua essentia esse immanentes commune est inter omnes Philosophos:& in omnibus à nutritione distinctis difficultate vacat:& nutritionem autem talem esse probasse dixi, & probaturum promisi suprà. Nullam ex his actionibus esse simplicem emanationem , omnesque supponere aliud præter principium actiuum , & passiuum purum, respectu cuius immanentes dicuntur, probabo , facilè discurrendo per singula. Nutritio præter viuens,respectu cuius immanens dicitur,supponit materiam alimenti , & ex pluribus aliis alterationibus procedit, & ita simplex emanatio dici nequit,& aliud supponit præter purum principium actiuũ, & passiuum illius,respectu cuius immanens dicitur.Sensatio externa indiget specie impressa , & præsentia obiecti. non tamen immanens dicitur respectu speciei, neque respectu obiecti. Sensatio interna sensationem externam supponit ; quâ ratione excluditur etiam à ratione simplicis emanationis,& requirit aliquid præter purum principium illius , respectu cuius immanens dicitur. Volitio intellectionem supponit cui immanens non est. Intellectio eodem modo speciem impressam prærequirit.

28 Obiicies:Potest dari substantia, quæ sine consortio speciei superadditæ in primo instanti suæ productionis cognitionem producat , ergo illa cognitio procedet per simplicem emanationem : ergo non erit vitalis. Resp. concesso primo antecedenti, negando consequentiam ; quia adhuc illa cognitio producta à substantia, cui est immanens, sine specie,aut alio comprincipio,supponeret necessariò subiectum,respectu cuius dicitur immanens,gerens vices obiecti,& concurrens loco speciei:ac proinde non supponet purum principium actiuum, & passiuum illius. Illa enim substantia,quæ sine specie produceret cognitionem , maiorem concursum exhiberet,quàm alia,quæ simul cum specie cognitionem produceret,quia concurreret eodem modo,ac reliquæ substantiæ concurrunt ad suas cognitiones exercendas;& concurreret specialiter loco speciei , cuius concursum,etsi actiuus sit,ex parte obiecti se tenere dicimus:ac proinde non est concursus purè actiuus,seu principij puri actiui,sed tenentis se ex parte obiecti cogniti.

29 Ex immanentibus actionibus quæ vitales non sunt,solũ passionum productiones quæstionem difficilem reddunt; quas à ratione actionum vitalium excludi iuxta aliorũ definitiones facile non est:in mea tamen sententia facilè exterminantur.Omnes enim per simplicem emanationé procedunt & tantùm supponunt principium actiuum , & passiuum illorum,respectu quorum, & in quibus immanentes dicuntur , intellectus enim & voluntas , si accidentia sint superaddita,tantùm supponunt nudã animæ entitatẽ , cui sunt immanentes. Maior poterat esse difficultas de potentia viuiua,& reliquis materialibus,quæ ab anima oriuntur, & supponunt materiam, vel quantitatẽ,in qua subiectantur.Ex quo videtur inferri potentias has supponere principiũ aliud passiuum præter illud, respectu quorũ sunt immanentes : Sed adhuc in his potentiis rectè subsistit mea definitio,quæ nullo modo illas amplectitur.Rem ita cõpono : Potentiæ materiales immanentes non sunt respectu animæ præcisè sumptæ,sed respectu animæ, vt informãtis, vel vt actu vnitæ materiæ:quia,vt mihi probat obiectio,nõ recipiuntur in anima secundùm se sumptã : sed in aliquo pertinenti ad compositum,cuius anima est forma,hoc poterit esse materia, vel quantitas , secundùm diuersas opiniones.Si subiectentur in materia tantùm,supponunt concursum effectiuum animæ , & passiuum materiæ , respectu quarum , vt vnitarum inter se , & non respectu alterius immanentes sunt : ac proinde , etsi materiam supponant,tantùm supponunt principium actiuum, & passiuum illius principij,cui immanentes dicuntur.Posset etiam dici non esse immanentes respectu animæ tantùm , vt vnitæ materiæ:sed etiam,vt vnitæ materiæ quantificatæ : & ita etiamsi supponant materiam quantificatam,tantùm supponunt illud principiũ,cui sunt immanentes. Placet tamen faciliùs respondere potentiam viuiuam ortam ab anima,& in quantitate receptam propriè non esse imminentẽ:quia non recipitur in principio,à quo fluit,neque in aliquo , cũ quo principium vnum constituat : neque quod se habeat, vt compars constituens vnum per se cum prinnipio,à quo tales actiones dimanant,ex anima enim,& quantitate non fit vnum totum per se,neque adhuc accidentale : quia neque se habent quantitas , & anima , tanquam partes integrantes totius;neque tanquam subiectum , & forma compositi substantialis,aut accidentalis.

30 Obiic.sequi ex hac doctrina, actus potentiarũ materialiũ non esse vitales , quia in cõmuni sententia recipiuntur in quantitate,vel in potentia,à qua fluunt.Resp. posse defendi immanentiam harũ sensationũ , asserendo subiectari in materiâ,&nõ in quantitate,neque in potentiis,à quibus fluunt,nisi saltẽ inadæquatè:ita vt semper in materia subiectentur,vt immanentiã retineãt,quã exigunt ratione vitalitatis.Ego tamẽ aliter defendo immanentiã horũ actuũ per vnionẽ immediatã ad animam rationalẽ , quam informant,etsi in quantitate,vel in materia recipiantur. Quam informationẽ non habent potentiæ:quia ad hoc,vt potentia concurrat cum anima ad actum producendum , necessarium non est, vt illam informet , sicuti necessarium est, visionem informare animam , vt illam videntẽ constituat.

31 Obiicies. Potentiæ materiales animæ rationalis supponunt deorganizationem subiecti : ergo iam productio aliquid aliud supponit præter illud , cuius sunt immanentes. Antecedens probatur:quia si non supponeret hanc deorganizãtionem,anima hominis,& bruti potentiam visiuam in calce produceret. Respondeo potentias nullam supponere deorganizationem in subiecto ; sed hanc tantùm requiri ad illarum actus:qui tantùm exercentur à potentia existente in toto corpore,in illa parte subiecti.quę

deorganizationem habet requisitam ad illos. Ad confirmationem. Respondeo admittendo consequens illatum, in quo nullum est absurdum. Quia sicut non est inconueniens in bruto partem animæ potentem elicere visionem informare calcem: ex cuius materia non potest elicere visionem: sic inconueniens non est, partem potentiæ visiuæ existere in eadem parte calcis. Neque inutilis est hæc visiua potentia dispersa per totum corpus: ostendam enim Contr. 3. Punct. 1. totam illam, & totam animam diuisibilem bruti, secundùm omnes sui partes, concurrere ad sensationem exercitam in quacunque corporis parte. Actiones productiuas caloris, saporis, & aliarum qualitatum, quæ fiunt ex primarum temperamento, ostendi iam Punct. 1. propriè non esse immanentes, ac proinde non est cur detineamur in illis relegandis à ratione actionum vitalium.

32 Ex his nota est in mea sententia definitio omniù actionum vitalium, quæ vitam in actu primo supponunt, videlicet: *Operatio immanens ex conceptu essentiali, quæ aliquid aliud supponit præter principium actiuum, & passiuum illius, cui immanens dicitur.* Quam definitionem omnibus competere probaui discurrendo per singulas operationes vitales; quod suprà feci. Hæc definitio conuenit etiam operationibus vitalibus Dei, si ex suo formali conceptu actũ primum supponant. Quia, si in Deo concipiatur potentia realis intellectiua identificata realiter cum actu, etiam debet supponi species, vel ipsa essentia diuina gerens vices illius: ac proinde aliquid aliud supponet operatio diuina formaliter distinctum ab illa, præter formalitatem potentiæ intellectiuæ virtualiter, etsi non formaliter productiuæ, & receptiuæ operationis, secum realiter identificatæ. Si verò intellectio diuina nullum actum primũ supponat, Deus non dicetur viuens per modum actus primi: sed per modum actus secundi: qui secundus non dicitur respectu primi: sed quia est vltimus in linea vitalitatis; seu quia nullus est post illum in tali linea.

33 Si dicamus Deum primò constitui per operationẽ vitalem: & admittamus possibilem esse creaturã per se ipsam cognoscentẽ, nõ admissâ distinctione virtuali in tali creatura, alia vniuersalior definitio tradenda est, quæ comprehendat has operationes vitales, quæ vitam in actu primo non supponunt: & illas, quas vita in actu primo præcedit. Sic conceptum vniuersalissimum vitalis actionis Deo', & creaturis communem definio. *Operatio distincta à simplici emanatione, ex sua essentia immanens respectu intentionaliter operantis.* Alio modo: *operatio non supponens purum principium actiuum, & passiuum operantis intentionaliter, cui immanens est.* Vtraque definitio conuenit operationi vitali Dei, quæ si primum constitutiuum est illius, non potest esse simplex emanatio: & ex conceptu essentiali immanens est: & ita prior definitio rectè conuenit tam actioni vitali diuinæ, quàm creatæ. Posterior etiam omnibus conuenit: quia operatio vitalis, quæ principium supponit, non supponit solũ principium actiuum, & passiuum illius, cui immanens est: sed etiam obiectiuum, seu species: Opratio verò constitutiua Dei nullum principium supponit, & ita non supponit purum principium actiuum, & passiuum: quia supponere purum principium actiuum, & passiuum, duo dicit, supponere actiuum; & passiuum: & nullum aliud supponere. Et ita quocunque ex his deficiente, rectè dicitur non supponere purum principium actiuum, & passiuum. Operatio vitalis identificata cum entitate operante, cognitio videlicet identificata cum cognoscente: non supponit principium actiuum; neque passiuum illius, cui sit immanens: ergo est operatio immanens non supponens purum principium illius, cui est immanens: ergo illi conuenit definitio à me tradita.

PVNCTVM III.

Quæ sint viuentia in actu primo, quæ in actu secundo, vbi immanentia nutritionis explicatur.

1 LAtè de hac re agit Arriaga sect. 2. Breuiter ego quid-quid de illa apud ipsum, & alios legi, & quod iuxta mea principia dicendum sit, paucis aperiam.

2 Animas viuentium, Angelos, & Deum (si in ipso detur actus primus intelligendi, & amandi) esse viuentia in actu primo, nullus in quæstionem vocat. Potentias vitales, si animo dentur superadditæ, vitam accidentalem communiter ferè omnes appellant: à quorum loquendi modo non discedo: tantillum tamen rem harum vocum magis euoluo. Potentia vitalis, v. g. intellectus, potest vitalis dici vitalitate propria, & formali primò, & per se illi conuenienti. Alio modo vitalis potest appellari vitalitate animæ, cuius est passio, & affectio, à qua procedit, ad quam iuuandam ad exercitium suarum actionum ab ipsa producitur, in qua subiectatur, si proportionata sit cum illa in ratione materialis, vel spiritualis. Hac secundâ vitalitate potentias animo superadditas potiri, certum est: quod sufficit vt vitales vulgo sint appellatæ. Priorem, & strictiorem, vitalitatem illis competere in dubium verto. Duplex de hac re est inter recentiores sententia: prima affirmat, vitales actus non solùm produci à potentiis: sed etiam recipi in ipsis: & ipsum intellectum, non solùm producere intellectionem eã anima: sed esse formaliter intelligentem. Secundùm hanc sententiam, potentiæ animo superadditæ propriam vitalitatem participant: sunt enim principia actionum ex sua essentia immanentium, respectu ipsarum potentiarum. Alia sententia, quam ego vt veriorem amplectar Controu. sequenti tenet actus vitales non subiectari in his potentiis: sed in anima, si eiusdem sit rationis cum illis in ratione materialis, vel spiritualis: vel si diuersæ sit rationis, sicuti sensatio materialis respectu animæ spiritualis, in materia vel in quantitate. Secundùm hanc sententiam affirmo, potentias superadditas non habere propriam vitalitatem: sed vitales dici tantùm animæ vitalitate, cuius sunt potentiæ. Ratio hæc est, Actus vitales non sunt immanentes respectu potentiarum: ergo non proueniunt ab illis formaliter, vt à vita: ergo respectu illarum non dicuntur per se, & formaliter vita. ergo non habent propriam, ipsisque intrinsecã vitalitatem. Primum antecedẽs supponimus, iuxta sententiã, in qua conclusio traditur. Prior illatio certissima est, quia vita formaliter, vt talis, est principium actionis immanentis respectu ipsius. Posteriores illationes sunt per se notæ.

Speciebus impressis, habitibus infusis, & acquisitis, & cuicumque alij principio distincto ab ipsa substantia viuentis, & à potentiis, de quibus iam quid dicendum sit, explicui, vitalitatis rationem denego. Probant aliqui hanc conclusionem, ex eo quod species, & habitus non petant vnionem ad subsstantiam viuentis, vt cum illa concurrant ad vitales actiones: ex quo capite illis denegant exigentiã immanenter operandi. Non placet hæc ratio; quia ex principio nimis dubio conclusionem inter omnes indubitatam probat: est enim indubitatum speciẽ impressam, & habitum non esse vitam: & est valde dubium, præcipuè de habitu infuso, an exigat inhæsionẽ & vnionẽ in anima, vt cum illa suas operationes producat. Modum immanẽter operandi, & consequenter vitalitatem his entitatibus denego: quia actus vitales non inhærent, neque vniuntur intellectui, neque alicui, cum quo ipsæ totum subsstantiale constituant. Non inhærere, neque vniri actiones vitales speciebus, neque habitibus fatentur omnes: non alicui vniri, cum quo species, vel habitus vnum totum essentiale constituant, per se patet, quia species, & habitus sunt accidentia respectu animæ, & respectu cuiusque subiecti, cui inhærere dicantur: & nulla forma potest constituere totũ essentiale cum subiecto, respectu cuius ipsa accidens est. Requiri ad propriã immanentiã inhæsionem, vel vnionem cum principio productiuo, vel cum aliquo, quod se habeat per modũ cõpartis in ordine ad totum subsstantiale dixi Punct. 1. Quod si contendas, me gratis hoc ad immanentiam requirere me de voce contendamus, tibi dabo immanentem esse actionẽ receptam in comparte principij respectu totius accidentalis: non tamen mihi negabis strictiorem esse immanentiam in ordine ad compartem, non cuiusque totius: sed subsstantialis, quam immanentiam ad vitalitatem exposco.

4 De vita in actu secundo, dixi sæpè conuenire omni intellectioni, volitioni, & sensationi, necnon nutritioni: cuius immanentiam me explicaturum promisi: quod iam exhibeo, vt illius maneat vitalitas inconcussa. In nutritione producitur pars modi vnionis essentialis inter formam alimenti, & partem formæ denuò productæ, vel formã antiquam denuò materiam informantem: & vnio integralis inter partem vnionis essentialis denuò productæ, & vnionem præexistentem: & in nutritione viuentium, quæ habẽt formas diuisibiles, producitur pars formæ, & vnio ipsius ad formam antiquam. Harum omnium actionum vitalitas examinanda, ne tamen terminorum multiplicatione res

obtenebrescat,

obtenebrescat, agam de productione partis formæ bruto-
rum, & de productione vnionis huius partis cũ forma anti-
qua: & quod de his actionibus dixero, dictum puta de pro-
ductione nouæ vnionis essẽtialis, & de productione vnio-
nis integralis huius partis vnionis productæ cum antiqua.

5 Immanentiam vtrique actioni contendunt aliqui nega-
re; quia illorum termini possunt à Deo per actionem tran-
seuntem produci. Ex quo inferunt has actiones non habe-
re maiorem immanentiam, quam habet actio, quâ auge-
tur ignis per conuersionem ligni in propriam substantiam.
Facile est respondere terminum nutritionis in viuentibus
petere produci immanenter ab ipsa forma, cui vnitur, licèt
supernaturaliter possit transeunter produci; terminum ve-
rò augmentationis ignis æquè naturaliter respectu sui pro-
duci à Deo, quàm ab alio igne. Sed do terminum nutritio-
nis viuentis esse ex se indifferentem, vt producatur à Deo,
vel à causa secunda: hoc non obstante, actio, quâ viu-
ens se nutrit, ex sua essentia immanentiam habet,
quam non habet actio, quâ se ignis auget: quia actio
sumit essentiam à termino, & à principio, & non potest
terminus nutritionis produci à principio eiusdem speciei
cum viuenti, cui vnitur, per actionem transeuntem, neque
inter hunc terminũ vniendum alteri extremo eiusdem spe-
ciei, vt explicui, & hoc principium in specie potest esse
actio transiens, quæ potest esse inter terminum augmenta-
tionis ignis vniendum alteri extremo, & inter aliud prin-
cipium eiusdem speciei cum igne augente se, quia, vt di-
xi loco citato, augmentatio huius ignis potest ab illo igne
eiusdem speciei cum isto prouenire: & augmentatio huius
viuentis non potest prouenire ab illo viuenti eiusdem spe-
ciei cum illo.

6 De actione vnitiua partis formæ denuò productæ cum
forma antiqua, affirmant omnes qui rem hanc attingunt,
esse per se, & essentialiter immanentem: & hanc immanẽ-
tiam negant productioni partis formæ antiquæ, quia hæc
saltẽ de potentia Dei absoluta posset produci ab hoc prin-
cipio, sine vnione ad illud. Vnio autẽ ipsius principij ad aliã
partẽ formæ denuò productæ implicat non produci per se
ipsam vnitam. Res videtur ex ipsis terminis perspicua, ve-
rumtamen profundiùs penetrandam esse existimo. Sic ar-
gumentor: Vnio huius principij cum parte formæ denuò
productæ est eiusdem speciei cum aliis vnionibus, quas
includit pars formæ denuò producta, quibus vniuntur par-
tes, in quas ipsa diuisibilis est, vt per se patet: nullus enim
dicere potest non esse eiusdẽ speciei vniones, quibus vniũ-
tur partes integrantes partis formæ denuò productæ cum
vnione, quâ ipsa integraliter vnitur formæ præexistenti:
ergo hoc non solùm specie, sed etiam numero principium
potest producere vniones illas inclusas in parte formæ de-
nuò productæ: ergo potest producere terminum eiusdẽ spe-
ciei cũ vnione ipsius ad partem formæ denuò productam:
ergo hæc actio non habet immanentiam ex principio in
ordine ad hanc rationem specificam: sed tantùm in ordine
ad rationem indiuidualem: ergo etiamsi per se ipsam ratio-
ne differentiæ indiuidualis habeat immanentiam, non illã
habet per se ipsam ratione differentiæ specificæ: ergo ex
conceptu specifico, & essentiali non magis immanens est
productio illius vnionis quàm productio partis formæ pro-
uenientis ab eodem principio, & respicientis in parte for-
mæ productæ alias vniones eiusdem speciei cum ista: ergo
hæc vnionis productio non magis dicenda est essentialiter
immanens, quàm productio partis formæ, in qua vniones
eiusdem speciei includuntur, licet productio huius nu-
mero vnionis ab hoc numero principio per se ipsam im-
manens sit ratione differentiæ indiuidualis: quam imma-
nentiam non habet productio partis formæ, quæ indiui-
dualiter eadem transiens esse potuit.

7 Iam sese prodit grauis in hac re difficultas: productio
vnionis inter formam antiquam, & partem formæ de nouo
productæ non habet ex conceptu essentiali esse immanen-
tem: ergo non habet immanentiam requisitam ad rationẽ
vitalitatis: ergo in nutritione nulla intercedit vitalis actio:
quia si semel concedamus productionẽ huius vnionis vi-
talem non esse, necessariò concedendum est, productionẽ
partis formæ vitalitatem non habere. Resp. productionem
huius vnionis esse vitalem, & habere immanentiam requi-
sitam ad actum vitalem, non præcisè quia per suam enti-
tatem immanens est: quod conuenit ratione differentiæ
indiuidualis: sed quia immanens est propriè, & strictè, &
quia ex conceptu essentiali, & specifico hanc exigit imma-
nentiam. Rem explico; Duo possumus meditari in hac
actione conceptum specificum, & differentiam indiuidua-
lem. Si conceptum specificum meditemur, ex se habet exi-
gere immanentiam, & ipsius terminum exigere vniri ei-
dem numero principio actiuo eiusdem speciei cum ipso, à
quo de facto producitur, ex suppositione, quod non pro-
ducatur in illa mensura, & integritate substantiali, & orga-
nica, in qua possit subsistere diuisus ab omni alio; quotie-
scunq; enim non producitur integra forma cũ integra de-
organizatione petit præexistenti vniri. Hæc exigentia im-
manentiæ, quæ essentialis est coniuncta cum immanentia
propria, & stricta, quæ de facto actioni contingat, siue per
suã differẽtiã indiuidualẽ, siue per aliquid aliud, quod pro-
priè, & strictè immanentiã cõstituat, sufficiẽs est ad rationẽ
vitalitatis; & hãc inuenio in omnibus actionibus vitalibus,
& nõ in aliis ab illis distinctis. Ob hanc rationẽ cùm actio-
nem vitalem definiui, non dixi, *actionem per suam essentiam*
immanentem; sed *ex sua essentia immanentem*, id est, exigentem
per suam essentiã immanentiam, siue illam actu habeat per
ipsum cõceptum essentialem, siue per indiuiduale, siue per
quodcunque aliud: quotiescunque enim proprietas aliqua
exigitur ab essentia rei, etiamsi ab illa sit distincta, dicere
possumus entitati conuenire ex sua essentia, licet non per
essentiam illi conueniat. Sic quantitatẽ ex sua essentia ex-
tensam esse dicimus, licèt non per suam essentiam; sed per
præsentiam superadditam extensam esse dicamus. Ex qui-
bus infero productionẽ vnionis integralis inter vnionem
antiquam, & nouam prouenientem à forma, esse immanen-
tem per exigentiam immanẽtiæ, quam habet ex conceptu
specifico, & per immanẽtiam actualem, quam habet ex cõ-
ceptu indiuiduali, ex quibus immanentia requisita ad vita-
litatem, & vitalitas ipsa consurgit. Itaq; hæc actio per se
ipsam potest dici immanens, & vitalis; non tamen per suam
essentiam; quia vnum ex requisitis ad immanentiam illi
conuenit ex conceptu specifico, & essentiali: & aliud per
differentiã indiuidualem quæ essentialis non est, ita neque
immanentia, quę dicit prædicatum non essentiale; sed indi-
uiduale actionis; vtrumque tamen prædicatum, ex quo im-
manentia constituitur, conuenit actioni per se; quia quid-
quid conuenit entitati ratione differentiæ specificæ, & in-
diuidualis, illi per se, hoc est, per suam cõuenit entitatem.

8 De actione productiua partis formæ affirmo non esse
per suam entitatem vitalem, quia non est per suam entita-
tem immanens, potest enim de potentia Dei absoluta pro-
duci hæc pars formæ ab hoc numero principio, quin illi
vniatur. Affero tamen propriissimã habere rationẽ vitali-
tatis, quando hæc producitur, simul cum vnione ad formam
antiquam, quod sic probo: Terminus ex se ab hoc agente
secundùm speciẽ productus, petit vniri agenti, à quo pro-
ducitur: ergo actio ex suo conceptu essentiali immanentiã
exigit: ergo quando illi contingit, eã habet ex exigentiã es-
sentiali: ergo habet totam immanentiam requisitam ad
actionem vitalem: ad quam, vt dicebam tantùm requiritur
immanentia propria siue per essentiam, siue per differen-
tiam indiuidualem, siue aliquid superadditum contingens,
& exigentia huius immanentiæ per essentiam, seu ex con-
ceptu specifico actioni conueniens.

9 Inquires per quid conueniat actioni productiuæ partis
formæ actualis immanentia? Resp. illi conuenire per actio-
nem productiuam vnionis partis animæ denuò productæ
cum anima præexistenti, vel per vnionem per illam produ-
ctam, per quam terminus actionis productiuæ partis ani-
mæ vnitur principio, à quo procedit, & immanens consti-
tuitur. Monui suprà, eodem modo philosophandum esse de
actione productiua nouæ partis modi vnionis, & de vni-
tione huius cum vnione antiqua: quod iterum moneo, ne
totam doctrinam de productione partis formæ, & vnitio-
ne ipsius cum forma antiqua, iterùm repetam pro nouæ
partis modi vnionis productione, & vnitione eiusdem: de
quibus eadem est omnino ratio: imò potiori iure adscribẽ-
da est vitalitas productioni nouæ partis modi vnionis, &
vnitioni eiusdem, in qua formaliter viuentis nutritio sita
est, quàm productioni partis formæ & eiusdem vnionis
cum forma præexistenti.

10 Obiic. Productio nouæ partis formæ, non est formaliter
nutritio: ergo in viuentibus vitâ tantùm vegetatiuâ datur
actio vitalis distincta à nutritione: ergo non tantùm viuũt
vitâ vegetatiuâ, & sensitiua. Resp. productionem nouæ
partis formæ non esse formaliter nutritionem viuentis,
spectare tamen ad nutritionem quoties inuenitur. Quia in

viuentibus vitâ materiali, & diuisibili essentialiter requiritur noua pars formæ, vel in instanti, in quo fit nutritio, vel iam antè producta, & huius vnio cum forma præexistēti essentialiter ad nutritionem requiritur: & licèt non in illa consistat formaliter, & completiuè nutritio viuentis, consistit in illa formalissimè augmentatio formæ, quæ in viuentibus essentialiter requiritur ad illorum nutritionem. Quia ad augmentationem viuentis formâ diuisibili essentialiter requiritur augmentatio formæ.

11 Actio, quâ arbor abscissum ab alia arbore ramū sibi vnit, immanens est: & similiter actio quâ homo suam vnionem extendit ad partem nasi, vel digiti omnino ab illo abscissam: quam iam emortuam iterum viuificat, & sibi vnit, quia omnes hæ actiones sunt immanentes, & alio agenti extrinseco eiusdem speciei fieri nequeunt.

12 Obiic. Actio nutritiua vitalis fit per intùs sumptionem: sed hæ actiones nō fiunt per intùs sumptionē; sed per iuxtà positionem: ergo non sunt vitales. Resp. has actiones, vt plurimùm fieri in materia habente partes inter se dispositas, & ordinatas per applicationem factam per intus sumptionem: cuius ordinem, & dispositionem etsi cum diuersis numero principiis, retinent, quando per iuxtà positionem applicantur: & hac ratione hæ actiones dici possunt factæ per intùs sumptionem: & non per puram iuxtà positionem. Quod si applicantur partes in prima generatione acquisitæ, etiamsi illa nutritio non fiat in materia dispositā per intùs sumptionem, non tamen fit per iuxta positionem tātùm: quia ordinatio illa partium, quàm habet portio nasi, vel digiti abscissa, non fuit per iuxtà positionem instituta: sed per primam viuentis generationem, in qua non fuit additio partis ad partem facta per iuxtapositionem.

13 Sensatio externa, & interna, intellectio, & volitio in mea sententia per se ipsas sunt immanentes, & vitales, quia, vt probabo Contr. 5. Punct. 1. per se ipsas procedunt ab anima & illi vniuntur. In sententia, quæ intellectionem, & volitionem in termino constituit distinctas à passione, & vnione, quibus inhæret, & vnitur animæ intellectio, & sic reliquæ actiones per vnionem, & inhæsionem superadditam, vitales sunt. An verò secundùm hanc sententiam, possit illis vitalitas, & immanentia deficere, dependet ab alia quæstione: an videlicet possint ab alio principio actiuo, & in alio extrinseco subiecto produci: & quodcunque horum affirmetur, necessitatem inducit dicendi intellectionē, & volitionē, & sensationē posse sine immanentia; & sine vitalitate existere. Qui affirmant intellectionem, & sensationem consistere in actione: & non aliam immanentiam tribuunt sensationi materiali, nisi quia producitur à forma, & subiectatur in materia illi vnitā, tenentur dicere has actiones esse immanentes per vnionem materiæ ad formā quam immanentiam existimo posse ab illis deficere; quia ad hoc vt anima rationalis sensationem producat in materia, vnio inter vtramque tantùm se habet tanquam conditionem, quam Deus poterit supplere: ita vt anima hanc actionem exerceat in materia non sibi vnitā: & immanens non sit, neque vitalis: semper tamen immanentiam ad vitalitatem requisitam exigit, quod sufficiens est, vt cùm talis actio immanens sit, vitalitatem habeat.

14 Præsentia localis, neque motus progressiuus, & viuentiū motus dilatationis, & cōtractionis, vitales non sunt. De motu cordis, tenet hanc conclusionē P. Garcia super sen. Auicennæ, disp. 50. c. 4. n. 17. & refert S. Th. opusc. 35. & 1. 2. q. 17. art. 9. art. 2. & 3. consentit Ferr. ibid. & P. Vasq. 1. p. q. 51. in explicatione art. 3. & disp. 186. in explicatione huius art. docet comestionem, loquutionem, & deambulationem esse vitales, tantùm quoad modum, quia alias vitales actiones supponunt. Ratio est, quia eadem præsentia per eamdem indiuisibilem actionem, per quam producitur motu progressiuo, posset produci motu, quo corpus naturaliter descendit deorsum: quod enim anima rationalis moueatur determinata proprio volitionis actu, vel quod moueatur determinata motu naturali corporis grauis, cui est vnita, non infert, neque inducit diuersitatem actionis, cùm principium immediatè, & ratione sui pertingens actionem maneat idem: sicuti actus voluntatis idem manet, siue ab illa cognitione repræsentante idem formale obiectum, siue liberè à duplici cogitatione, siue necessariò ab vna tantùm procedat. Secundò, eamdem præsentiam numero, quā ego per motum progressiuum acquiro, cum eadem vnione respectu cuiusuis extremi potui in me producere aliud agens eiusdem speciei: ergo actio productiua præsentiæ nō habet ex prædicatis specificis agentis, & termini, esse immanentem, neque immanentiam exigere. Addidi cum eadem vnione, ne instares termino nutritritionis, qui potest ab alio principio eiusdem speciei transeunter produci.

Actiones, quibus Carduelis, & Pauo se depingunt coloribus, vitales non sunt, quia proueniunt à temperamento primarū qualitatum, respectu quarū actio productiua coloris nō habet propriam immanentiam, vt probaui Punct. 1. 15

CONTROVERSIA III.
De Potentiis Animæ.

EGI iam de Anima secundùm se, ago modò de Anima secundùm suam virtutem, propriasque ipsius potentias in communi, actus in particulari de singulis earum, Controuersiis sequentibus.

PVNCTVM PRIMVM.
An Anima per suammet entitatem, virtutem actiuam, atque passiuam habeat respectu suarum operationum.

§. I.
De virtute actiua.

ENodatio huius difficultatis viam aperiet ad passiones distinctas, vel indistinctas in anima constituendas, licet non omnino illam dirimat, quia postquàm probauerimus animam concurrere immediatè ad suas operationes, restat sciendum, an concurrat se solâ, vel potentiis, superadditis adiuta. 1

Vnum est fundamentum Thomistarum, negantium animam immediatè concurrere ad suas operationes, scilicet substantiā non esse immediatè productiuam accidentium; hoc à nobis destructum est in physicis, quapropter in illo expugnando, vel dissoluendo immorandum non est. 2

PRIMA CONCLVSIO. Anima immediatè concurrit effectiuè ad suas operationes exercēdas. Probo illā specialiter respectu volitionum, ex quibus à paritate licebit argueret anima meretur, & demeretur per actus voluntatis: ergo est libera respectu actuum voluntatis: ergo efficienter concurrit ad illos. Primum antecedens est fide sanctum, Prior illatio vix distinctionem admittit. Nolo tamen procedere, quin præcludam effugium, quod forsan aliquis minùs tutè tentabit, si dicat, animam esse liberam mediatè, quia libera est voluntas, quæ est passio illius, non immediatè quia immediatè nihil efficit: quod sic impugno. Anima est, quæ primariò meretur, & demeretur: ergo anima est immediatè libera: antecedens puto absque notabili errore non posse in dubiū vocari: consequentiam probo: meritum, & demeritum libertatem cōsequitur; ergo illud, quod primariò immediatè, & per se meretur, est primariò per se, & immediatè liberum: ergo animæ, cuius est proprium meritum, & demeritum, inest primariò, & per se, & propria immediata libertas. Confirmatur: animam esse liberā mediā potentia ab ipsa distinctā, tantùm dicit potentiam esse liberā, & hanc potentiam subiectari in enima: ergo tantùm libertas immediata potentiæ conuenit immediatè animæ, quatenus anima in se recipit potentiā: sed receptio huius potentiæ in anima, & vnio inter vtramque nō est libera animo: ergo non est in illius petestate illud, quod tu vocas libertatem mediatam: ergo talis libertas, mediata libertas non est respectu animæ, sed tantùm respectu potentiæ. Vrgeo; Anima tantùm se determinauit ad illam libertatem immediatam potentiæ, quam tu mediatam vocas respectu animæ, quatenus se determinauit ad habendam potentiam quæ postea se determinat sine noua animæ determinatione: sed determinatio animæ ad habendam potentiam, quæ postea se ad actum determinat sine noua animæ determinatione, nullo modo fuit in potestate illius se determinare ad actum liberum voluntatis, quem tu dicis esse mediatè liberum respectu animæ: ergo anima nullo modo est libera respectu talis actus, ex eo præcisè, quod potentia in illa recepta libera sit. Statutā iā libertate immediatā respectu animæ, illius actiuitas sic facilè statuitur. Illud principiū 3

est

est liberum,& se determinat quod efficit:sed anima est per se,& formaliter, & immediatè principium liberum : ergo anima immediatè efficit. Respondebis ad libertatem immediatam sufficere efficientiam mediatam. Contrà : Determinatio non distinguitur ab efficientia principij in actu primo indifferentis:ergo principio, cui immediatè conuenit determinatio immediatè conuenit efficientia.

4 Dices animæ posse tribui laudi , vel vituperio opus factum à voluntate,sicut tribuitur Patri, vel tutori opus filij vel pupilli , etiamsi opus filij liberum non sit respectu Patris,neq; pupilli opus liberum sit Tutori.Contrà:Patri vel Tutori tantùm laudi,& vituperio datur educatio filij , vel pupilli,quæ formaliter libera est respectu Patris,qui liberè filium instruit,probo præceptori tradit,illum bonis operibus exerceri cogit;vel hæc omittit.& oppositum permittit aut facit,& quia ex hac educatione, & doctrinâ sæpè pendent bona,vel mala opera filij;ideo hæc laudi, & vituperio Patri tribuuntur:quod si filius quem Pater totis viribus optimâ doctrinâ erudire , & piis motibus instruere curauit, sinistrè operetur;nihil labis ex immundis filij operibus adhæret parenti:In voluntate autem aliter se res habet respectu animæ ; hæc enim si actiuè non concurrat cum voluntate,nullo modo potest illam regere ; ergo non est fundamentum;vt voluntatis laus,vel vituperium propriis operibus acquisitum,animæ tribuatur.

5 Eamdem conclusionem probo ratione communi pro actibus intellectus & volùtatis sensus interni,& appetitus: illam efformo respectu actuum intellectus , & voluntatis. Voluntas est potentia cæca , quæ operari non potest sine cognitione præeunte,quæ est necessaria,vt voluntas se determinet ad amandũ;ergo principium cognoscens est,quod se determinat ad amandũ;ergo anima est formaliter principium cognoscens,& eadem se determinat ad amandum: ergo est principium concurrens effectiuè ad cognitionem, & volitionem. Probo consequentiam : non potest cognoscere id,quod non concurrit effectiuè ad cognitionẽ, quia cognitio,vt probabo, includit essentialiter actionẽ cognoscentis;nõ potest se determinare ad amorẽ,id,quod non effectiuè concurrit ad illum, quia determinatio essentialiter dicit actionẽ principij se determinãtis:ergo illud,quod est principium cognoscens,& se determinans ad amandũ, est principiũ productiuum cognitionis, & volitionis. Ab illo antecedenti:*principiũ cognoscens est,quod se determinat ad amãdum*, totus discursus legitimè trahitur , quia si idem debet esse principium cognoscens,& se determinans ad amandũ non sufficeret intellectum cognoscere,& voluntatẽ amare, si intellectus, & voluntas ab animo distinguerentur , quia etiã distinguerentur inter se,& non ex eo quod intellectus intelligeret,& voluntas se determinaret ad amandum,esset idem principium cognoscens,& se determinans ad amorẽ. Antecedens in quo totus nititur discursus,sic probo. Principium se determinans ad amorem , indiget præuia cognitione,vt videat obiectũ, circa quod se debet determinare; sine qua cæcum est,& non potest in aliquam partem se mouere,aut in aliquod tendere obiectum:ergo illa lux, seu illa visio, qua possit amissa cæcitate se mouere in obiectum quod videt, & inter plura opposita , hoc vel illud eligere pro libertate animæ respectu suarum volitionum in illo debet esse, alioqui eodem modo se habebit posita illa luce,seu illa visione in alio, ac si non esset posita , non enim potest principium cæcitatem amittere , nisi per visionem propriam illius , neque quidquam proderit principio productiuo volitionis visio in alio subiecto ab ipso distincto existens, sicut mihi quidquam non prodest Petrum videre obiectum,vt ego illud non videns.possim manu apprehendere,vel in illud tendere progressiuo motu.

6 Dices cognitionem conducere vt voluntas se determinet ad amandum ex eo quod subiectum habeant commune vtraque potentia , etiamsi inter se distinguantur. Contrà: subiectum commune vel iuuat voluntatem vt se determinet,vel non iuuat:si iuuat illam,actiuè concurrit , ad volitionem, quod contra te contendo : si non iuuat,quid præstat subiectum commune potentiis distinctis ad hoc vt vna dirigatur cognitione,quam non habet,& se determinet ad obiectũ,quod per se non cognoscit,& in quod nisi vt prius cognitum ferri nequit?Dices secundò,animam fieri cognoscentem,& amantem per cognitionem & amorem etsi cognitio,& amor in illa non existant,neque ab illa procedãt. impugnaui suprà hanc solutionem,sed adhuc illius doctrina admissa non satisfacit,quod sic ostendo.Etsi anima amaret per amorẽ non productum ab illa, non ideo se determinaret ad amãdum, sed voluntas quæ amorem producit: sed illud principium,quod se ad amandum determinat,debet esse cognoscens:ergo illud principium, quod amorem producit determinando illius existentiam debet esse cognoscẽs,sed hoc non potest esse voluntas distincta ab anima,quia hęc non cognoscit:ergo datur aliud principiũ cognoscens determinãs existentiã amoris per productionem illius,quod non potest esse distinctũ ab anima:ergo anima est principiũ cognoscens,& se ad amorẽ determinans;ergo est principiũ productiuum amoris.Hæc ratio eodẽ omnino modo fit in actibus sensus interni,& appetitus materialis, quia sicut voluntas indiget cognitione ad proprios actus, ita appetitus materialis indiget sensatione ad illorũ exercitiũ,& sicut voluntas in obiectũ incognitum ferri nequit, ita neq; appetitus in obiectũ non priùs sensatum sensu tendere potest. Ex his actibus à paritate argumentum fit pro reliquis actibus intentionalibus sensuum externorum.

Secvnda conclvsio. Anima secundùm se totam 7
concurrit ad quemlibet actum vitalem producendum in quacunque parte organica materiæ,v.g. anima secundùm se totam producit visionem factam in pupilla,& sensationem tactus factam in pede. Hæc conclusio in anima rationali quæstioni non subiicitur,quæ cum indiuisibilis sit, eo ipso quod concurrat,secundùm se totam concurrit,& cùm partes non habeat non potest dici secundùm omnes partes concurrere ; in reliquis animis diuisibilibus illam probo. Anima secundùm se totam,& secundùm omnes sui partes virtutem habet ad producendam quamlibet sensationem, siue internam,siue externam, vt probaui Contr.1. punct.7. vbi statui animas constare partibus homogeneis , quarum quælibet virtutem habet ad producendam quamcumque operationem.Deinde anima secundùm se totam,& secundùm omnes sui partes est sufficienter applicata ad producẽdam visionem in pupilla, neque ex defectu deorganizationis potest impediri productio visionis in pupilla dependens à parte animæ equi existente in pede:ergo illam producet : Animam secundùm se totam,& secundùm quamlibet partem sui esse sufficienter approximatã ad producendam visionem, probo ex dictis 7.Physic.vbi statui,cum cõmuni omnium sententia , agens diuisibile non debere esse immediatè applicatum passo secundùm omnes sui partes, sed sufficere habere applicationem immediatam ratione alicuius partis,& media hac aliam, & aliam applicari:ergo etiamsi anima equi non sit approximatà secundùm omnes sui partes,sed immediatè , & mediatè secundùm alias , ex quibus fiat vnum agens totale,sufficientem applicationem habebit,vt agat in organum cuiuscunque sensationis, sensationem ibi proportionatam.Deinde ratione organizationis non impediri hanc actionem,sic probo : deorganizatio se tenet ex parte subiecti,& non requiritur ex parte agentis,neque ratione principij actiui,neque in illa parte à qua fluit actio,sed in illa parte subiecti,in qua recipitur,vel cui vnitur illius terminus:ergo viso recipienda tantùm in pupilla, etiamsi producenda sit à tota anima non requirit deorganizationem in tota anima,sed in illa parte subiecti,in qua sensatio est exercenda, vel cui ipsa,vel illius terminus est vniendus : ergo cùm animæ pars in pede existens virtutem habeat producendi visionem in pupilla oculi,& illam habeat sufficienter applicatam , & ratione deorganizationis non repugnet , necessariò suam vitutem exercet , & actiuè ad visionem,& quamlibet sensationem exercendam in quacunque parte corporis concurret.

Obiicies primò. Pars animæ existens in pede respectu 8
pupillæ non est actus informans, sed assistens; quia tantùm informat partem pedis, & non pupillam : ergo non potest in illa sensationem producere,quia forma assistens non potest exercere actiones vitales in subiecto, cui tantũ assistit, & non informat, & ideo ex operationibus vitalibus quas exercet anima in corpore , inferimus non esse actum purè assistentem , sed informantem. Respondeo partem animæ existentem in pede non esse actum informantem respectu materiæ pupillæ;cui non est immediatè per se vnita,nihilominus non dici purè assistentẽ ratione vnionis mediatæ, quam habet cum illa,quia actus purè assistens nullam dicit vnionem cum subiecto, cui assistit:Sed quidquid sit de modo loquendi.Respondeo ad hoc vt anima producat actionẽ vitalem in hac parte subiecti secundùm omnes partes sui sufficere informare talem partem subiecti , immediatè secundùm aliquam partem sui , & esse vnitam secundùm

omnes, alias huic parti informanti subiectum sensationis, vt patet in nutritione, in qua forma adæquata producit partem formæ sibi necessariò vnitam, quam separatam producere non potest, non tamen requiritur hanc vniri omnibus partibus formæ adæquatæ, quæ ad illius productionem conducunt, sed tantùm necesse est alicui immediatè vniri, & reliquis mediatè ratione huius.

9 Obiicies secundò. Anima producit visionem per actionem immanentem: ergo illa pars animæ cui visio non est immanens, non potest concurrere ad illius productionem: sed visio non est immanens parti animæ equinæ existenti in pede: ergo non potest hæc pars ad visionem concurrere. Respondeo animam producere visionem per actionem immanentem formaliter alicui parti animæ, & reliquis partibus, totique animæ denominatiuè ratione illius partis, cui est visio formaliter immanens, & ita secundùm omnes potest concurrere ad visionem formaliter immanentem secundùm omnes. Neque refert secundùm omnes partes concurrere per modum principij vitalis, quia anima secundùm omnes sui partes concurrit per modum principij vitalis ad mutationem, cuius terminus non omnibus immediatè, sed aliquibus tantùm vnitur.

10 Obiicies tertiò. Si anima secundùm omnes sui partes concurreret ad visionem, sequeretur viuens maius corpore, perfectiùs videre alio viuente exiguo corpore prædito. & idem viuens imperfectiùs videre refecto ab illo brachio, quàm illo retento, quia pauciores anima habet partes quãdo existit brachio abscisso, ac quando, cum proprio brachio integrum perseuerat. Resp. Hanc obiectionem in rationalibus locum non habere, in quibus anima partibus caret; neque in reliquis viuentibus quidquam probare, quia viuens, quod plures partes animæ habet, habet plures materiæ partes, in quibus operationes exercet, & ita pars quælibet pluribus operationibus exercẽdis in diuersis partibus subiecti est intenta, & quò pluribus compartibus adiuuatur, plures adiuuat ad illarum operationes exercendas; in quarum productione suam virtutem insumit, & intenta pluribus operationibus aliarum minorem virtutem habet ad proprias elaborandas, totidem enim, imò forsan magis propriæ virtutis impendit in alias animæ partes adiuuandas, quàm aliarum in suum auxilium experitur.

§. II.

De virtute passiua.

11 Tertia conclvsio. Etiamsi dentur potentiæ superadditæ, anima rationalis est immediatum principium passiuum intellectionis & volitionis, & subiectum informationis cui vniuntur intellectio, & volitio. Hæc conclusio probatur eâdem ratione, quâ primam conclusionẽ probaui: Anima est principiũ formaliter intelligens, & amans: ergo intellectio, & amor illi formaliter vniuntur. Antecedens satis firmum est rationibus adductis conclusione primâ; Consequens constabit ex dicendis Controu. 5. Punct. 1. vbi probabo intellectionem, & reliquas actiones vitales importare vnionem ipsarum ad subiectum vitaliter operans. Ex quo probatur has actiones vniri animæ; in ipsa esse tanquam in subiecto, ex quo educuntur, difficultate caret, quia absque fundamento distinguendum non est subiectum inhæsionis, & informationis.

12 Qvarta conclvsio. Hæ operationes ita subiectantur, & vniuntur animæ, vt non subiectentur, neque vniantur potentiis superadditis, etiamsi hæ animam comitentur. Hanc conclusionem non possum euidenti ratione probare, illam tamen satis probabiliter suadeo. Hæc accidentia subiectantur in anima, & ipsa per se sufficiens est, vt sit subiectum adæquatum illarum: ergo non est multiplicandum aliud subiectum inadæquatum pro his actionibus, etsi enim anima potentiis ad illas efficiendas indigeat; non tamen ad illas recipiendas, neque illarum vniones terminandas. Confirmatur: Potissima ratio, quam assignant Doctores ad potentias superadditas constituendas, est, vt anima determinetur ad has actiones, videlicet volitiuas, & illas intellectiuas efficiendas: sed ad illas recipiendas, vel terminandas non indiget hac determinatione speciali, quia eo ipso quod sit determinata ad intellectionem producendam, manet determinata ad illam recipiendam, & illius vnionem terminandam: ergo non indiget determinatiuo ex parte principij passiui: ergo non indiget potentiâ, quæ animam iuuet ad patiendum suas operationes, vel ad terminandum ipsarum vniones, etsi illa indigeat ad efficiendum: ergo etiamsi detur potentia, quæ actiuè concurrat cùm anima ad suas operationes, nulla datur, quæ passiuè simul cum anima influat in easdem, quas actiuè producit.

Qvinta conclvsio. Brutorum animæ immediatè tanquam subiectum adæquatum recipiunt suas operationes. De operationibus sensus interni, & materialis appetitus probatur eadem ratione, qua probaui intellectionem & volitionem subiectari in anima: de reliquis operationibus ab harum paritate. 13

Sexta conclvsio. Sensationes materiales hominis subiectantur in materia, tanquam in subiecto adæquato inhæsionis: non subiectari in anima tanquam in subiecto inhæsionis adæquato fatentur omnes, quia accidens materiale non potest educi ex subiecto spirituali: subiectari in toto composito tanquam in subiecto adæquato, & in anima tanquam in subiecto inadæquato contendit Arriaga disp. 3. sect. 2. subsect. 2. vbi respondet variis rationibus, quas alij adducunt ad probandum vnitatem spiritualem non posse esse subiectum adhuc inadæquatum rei materialis; ego tamen Arriagæ solutionibus non indigeo, quia rationes omnes, quas ex aliis in suam sententiam adducit inefficaces iudico: friuolum enim est asserere formam materialem cõmunicaturam subiecto, ex quo educebatur, suam materialitatem alio modo, quàm per vnionem, quo possumus dicere animam rationalem communicare subiecto suam spiritualitatem, neque alius est modus communicandi prædicata inter subiectum, & formam; materia enim vnita formæ sensitiuæ non fit sensitiua, neque vnita formæ rationali rationalis fit; sed tantùm totum ratione formæ, quam doctrinam sæpè repeto, & sæpius esset repetenda, quia video multos hac communicatione prædicatorum inter materiam & formam offendere, & prolixè satis inutiliter quæ ex hac doctrina non penetrata disputationes protendere. 14

Probo rem spiritualem non posse esse subiectum inadæquatum eductionis rei materialis, ex communi sententia, quæ admittit non posse esse subiectum adæquatum, quo posito sic arguo. Incapacitas recipiendi adæquatè formam materialem in subiecto spirituali non prouenit ex eo quod sit inferioris ordinis cum illa indigentis alio comprincipio adiuuante, vel eleuante, quia subiectum spirituale perfectius est forma accidentali, sed ex improportione, quæ est inter rem spiritualem, & materialem: sed eadem improportio remanet respectu subiecti inadæquati: ergo eadem incapacitas. Rem explico; incapacitas hæc in subiecto spirituali non oritur ex imperfectione ipsius, sed ex nimia perfectione, propter quam illi repugnat formæ spirituali subiici; ergo non supplebitur hæc incapacitas per aduentum aliùs comprincipij passiui, quia non minùs est contra perfectionem rei spiritualis esse subiectum inadæquatum rei materialis, quàm adæquatum. 15

Meam ratiocinationem apriet virtus productiua rei materialis respectu spiritualis, & spiritualis respectu materialis: Res materialis inferioris est ordinis, & ideo vt spiritualem producat, indiget principio eleuante, quo rem spiritualem producit: Res spirituales altioris ordinis est respectu materialis, & ideo illam producit sine alio comprincipio materiali, quia non indiget eleuatione illius cùm superior sit: ergo si res spiritualis posset esse subiectum eductionis rei materialis, non indigeret comprincipio eleuante: sed ipsa, vt pote altioris ordinis illam adæquatè recipere. Accedit ad hanc ratiocinationem, necessarium non esse ex aliquo capite has sensationes recipi adhuc inadæquatè in anima, vt ex conclusione sequenti, & ex dicendis Controu. 5. Punct. 1. de natura intellectionis, & aliarum operationum clarè constabit: quæ ratio non est leuis momenti, cùm absque necessitate ponendum non sit accidens materiale subiectari in forma spirituali, quod tantùm pro hac quæstione inuentum est. 16

Septima conclvsio. Sensationes materiales vniuntur animo rationali. Probo hanc conclusionem: idem debet esse principium sentiens, & appetens: ergo eidem principio sentienti, & appetenti debet vniri sensatio, & appetitio: hoc debet esse anima: ergo animæ vniuntur hæ operationes. Hoc principium debere esse animam sic probo: sensatio, & appetitio includunt influxum actiuum: sed materia neque inadæquatè concurrit ad actum sentiendi, & appetendi: ergo anima tantùm est quæ sentit & appetit. Respondet Hurtadus disp. 4. sect. 3. vbi docet, sensationes materiales recipi in materia, immemor distinctionis inter 17

receptionem

receptionem,& vnionem,sensationem includere actionem & passionem : nihilominus non esse necessarium animam recipere sensationes, etiamsi idem debeat esse principium sentiens & appetens , quia principium appetens appetitu materiali non est forma sed totum compositum : forma ratione actionis, & materia ratione passionis. Vnde non est necessarium, vt principium cognoscens sit forma , sed totum compositum:forma ratione actionis,& materia ratione passionis.

18 Hunc dicendi modum rectè impugnat Arriaga suprà:In primis,quia ægrè cõcipitur actus sentiendi diuisus in duobus subiectis,in vno ratione actionis,in altero ratione passionis. Deinde hoc admisso adhuc solutio non satisfacit, quia principium appetens non indiget cognitione , vt recipiat actum, quem producit, sed vt illum producat : non enim illuminatur ad recipiendum, sed ad agendum : ergo id, quod producit actum appetitus debet cognoscere ; sed anima producit actum appetitus,ergo anima debet cognoscere : ergo anima debet habere id,quod requiritur ad cognitionem, quem discursum hucvsque legitimum esse existimo;sed ex hac vltima illatione ab Arriaga discedo. Ille existimat ad sensationem requiri formaliter actionem & passionem:& ex hoc antecedenti consequenter infert animam fore principium actiuum , & passiuum sensationis. Ego censeo passionem non spectare formaliter ad sensationem, sed tantùm actionem, & informationem , & tantùm infero ex principio ex quo Arriaga deducebat actionem,& passionem,actionem,& informationem , seu vnionem sensationis respectu animæ sentientis : passionémque eiusdem sensationis respectu animæ suprà impugnaui.Neque nouum est in Philosophia concedere informationem formæ respectu subiecti, cui non inhæreat, quia anima rationalis materiam,cui non inhæret, informat.

19 Dubium esse poterat,an sensatio recepta in materia , & vnita formæ,vniretur etiam materiæ : cui affirmatiuè satisfacio, quia nullam vidimus formam inhærentem subiecto, cui non sit vnita,licèt viderimus formam vnitam subiecto, cui non inhæreat.

20 Rediit iterùm molesta obiectio de communicatione effectus formalis formæ ad subiectum, quam omnes adducunt contra communem sententiam , quæ sensationes in materia receptas,& vnitas constituit:Sensatio recipitur in materia : ergo illi communicat suum effectum formalem : ergo materia est sentiens. Respondeo ex dictis sæpè effectum formalem inseparabilem,quem communicant formæ subiecto cuicunque , nihil aliud esse quàm se totam communicare terminando secundùm totam suam entitatem vnionem ad subiectum; hoc autem, quod est in sensatione constituere sentiens,& in gratia,seu sanctitate constituere sanctum,& in aliis formis similes denominationes tribuere,est connotare subiecta apta,ex quibus , & ex forma illis vnitâ resultat talis denominatio , & concretum per illam significatum;non verò ex ipsa forma vnita alij subiecto. Ex gratia habituali , ex Angelo,& vnione inter vtrumque resultat hoc concretum, *sanctum*,quod non resultaret ex gratia, & ligno, etiamsi inter lignum , & gratiam vnio intercederet.

21 Obiicies contra conclusiones , quibus dixi, sensationes brutorum subiectari,& vniri in anima , & sensationes hominis tantùm vniri animæ : sequi ex illis esse magis immanentes sensationes bruti , quàm hominis ; ex quo infertur esse magis vitales,quod nullus concedit. Respondeo, operationes bruti esse magis immanentes respectu animæ rationalis , non tamen esse magis vitales, quia maior immanentia, quam habent operationes bruti respectu formæ est immanentia inhæsiua,seu mediâ inhæsione, quæ ad vitalitatem non spectat, non informatiua , seu mediâ informatione,& vnione,quæ tantùm ad vitalitatem conducit.

22 Vltimò noto totam hanc doctrinam , æquè defendi in opinione,quæ nullam vnionem cognoscit in accidentibus respectu subiecti,quod informant præter inhærentiam, seu inhæsionem, quia secundùm hanc opinionem sensatio recepta in materia per inhæsionem habentem vicem vnionis inter vtramque , potest per aliam vnionem , quæ inhæsio non sit, esse vnita animæ , & licèt concedatur omnem inhæsionem accidentis in subiecto esse vnionem vtriusque, non ideo necessariò dicendum est omnem vnionem accidentis ad subiectum informationis esse inhæsionem , sed potest habere vnionem identificatam cum inhæsione respectu subiecti,quod informat,& cui inhæret, & aliâ vnionem distinctam ab inhæsione, quâ informet subiectum informationis,cui non inhæreat. Aduerto similiter me probasse sensationes materiales hominis non subiectari in forma,ex quo tacitè intuli subiectari in materia, quod posset aliquis in quæstionem vocare,quia potest sensatio non subiectari in forma, neque in materia,sed quantitate, de quo parum curaui,quia vix potest reperiri coniectura , quæ inclinet ad dicendum subiectari in quantitate ; & difficilè erit rationem inuenire, quæ probabiliter suadeat sensationes has magis subiectari in materia , quàm in quantitate iuxta nostrum modum philosophandi, qui vitalem immanentiam illarum constituit in vnione immediata ad formam,iuxta quam nullam vnionem, neque inhæsionem requirunt in ordine ad materiam , vt vitales sint. Nihilominus coniector subiectari in materia,quia sunt operationes propriissimæ viuentis,quas in aliqua parte illius subiectari congruum apparet,quod ego speciali ratione probare non posse ingenuè fateor , neque id suadere meus est animus, sed tantùm persuadere sensationes has non recipi in anima rationali adhuc inadæquatè , de quo in hac re est tota inter auctores dissertatio.

Punctum II.

An potentiæ realiter distinguantur ab anima.

§. I.

Doctorum placita.

PRo vtraque contradictionis parte stat densum Doctorum agmen,negans potétiam realiter distingui ab anima. Ductat Scot.in 2.dist.16.q.vnic. licèt suam distinctionem ex natura rei illis accõmodet.Consentit Bonau.dist.3. q.3. Doctorum turba nullam distinctionem realem , neque ex natura rei inter potentias, & animam inuenit.Sic sentit Greg.in 2.dist.16.q.3.Ocham dist.16.q.24.& 26.Gabriel ibid. q.1.Marsil.in 1.q.1.art.3.Henriq.quolibeto 3.q.14.Hurt.disp. 4.sect.4.Arriaga disp.3. sect.4.quibus ferè omnes recentiores, qui hoc tempore scribunt, consentiunt. 1

Dux illorum , qui distinctionem potentiarum ab anima propugnant, fertur D.Th.1.p.q.77. art.1. quem tota sua sequitur schola,Caiet.ibid. Ægid.quodlib.3. q.10. Capreolus in 1.dist.3.q.3.art.2.Sotus in Logica,c.de proprio.q.2. Heruæus quodlib.1. q.9. ex nostris hanc amplectuntur opinionem P.Suarius tom.4.Metaph.disp.18.sect.3.n.13.& sequentibus,& lib.2.de anima,c.1. P.Vasq.1.2.tom.1. disp.14.cap.3. P.Greg.deValentia tom.1.disp.6.q.3.punct.2.P.Toletus lib. 2.de anima, c.4.q.9.P.Rubius lib.2. de anima, c.3. tract. de potentiis animæ, q.1.n.6. PP.Conimbric.lib.de anima,c.3. q.4. Sententiam mediam amplexus est Durandus in 1. dist. 3.q.2. qui arbitratus est potentias animæ vegetatricis , mirum virtutem nutriendi, & generandi esse idem re cum anima,facultates verò sentiendi,& intelligendi,ab ea realiter distingui. 2

§. II.

Propria sententia.

PRima conclvsio. Implicat potentia volitiua distincta realiter ab anima,& ab intellectu formaliter libera.Probo:omne principium liberum vt liberum essentialiter includit cognitionem principij liberè operantis : sed potentia volitiua distincta ab anima, & ab intellectu non esset cognoscitiua,neque posset habere cognitionem , vt fatentur omnes,qui distinctionẽ potentiarum tuentur:ergo non esset libera. Respondebis : sufficere cognitionẽ intellectus,vt voluntas libera constituatur.Contrà:si intellectus & voluntas distinguuntur,voluntas non constituitur realiter cognoscens per cognitionem voluntatis : ergo etiamsi versaretur circa obiectum turpe,& se actibus prauis ex obiecto exerceret,rectè posset dicere ignórans & inscia operis à me facti, *feci illud* : ergo non liberè. Confirmatur : In principiis,quæ influunt in volitionem, illud libertatẽ propriam exercet,quod determinat alia comprincipia ad operandum;& illud est liberum in actu primo,quod potest seipsum,& reliqua , ex quibus actus primus componitur, ad eamdem efficientiam determinare:Sed tantùm principium cognoscitiuum potest determinare seipsum , & alia com- 3

principia: ergo tantùm comprincipium cognoscitiuũ est liberum:sed voluntas distincta ab intellectu, & anima non esset principium cognoscitiuum:ergo non esset principium liberum. His omnibus nulla superest solutio, nisi recurrere ad cognitionem intellectus, & illam voluntati applicare, quod sæpe impugnaui, quia si intellectus, & voluntas distinguuntur, cognitio intellectus respectu voluntatis perinde se habet ac si non esset.

4 Secvnda conclvsio. Implicat potẽtia volitiua formaliter,hoc est,quæ formaliter constituatur ipsa in se volens per actus ab illa productos distincta realiter ab intellectu,& à voluntate. Hæc conclusio ad plura se extendit, quàm præcedẽs,quam includit, placuit tamen præcedentẽ præmittere,quia nõnihil efficaciùs probatur,licet hæc mea sententia ex cõmunibus principiis efficacissimã habeat rationẽ,illam expendo ex dictis Punct.præced.Principiũ volitiuũ,quod formaliter per cognitionẽ constituitur volens essentialiter debet esse cognoscitiuum:sed voluntas distincta ab anima,& ab intellectu non esset principiũ cognoscitiuum:ergo non posset esse principiũ volitiuum,quod formaliter per volitionẽ constitueretur volens. Tenet legitimè consequentia,& Minor est euidens. Tota difficultas, si aliqua est in hoc discursu ex Maiori dependet, quod expẽdas quæso,ne singularis tibi videatur cõclusio quæ ex præmissis,quas tota schola sine controuersia cõcedit, per legitimã illationem deducitur. Maiorem expendo principium volitiuũ,quod volens constituitur per volitionem, debere esse cognoscitiuũ,nemo hucvsq;negauit;sed posset aliquis, vt vim huius argumenti effugeret, asserere sufficere cognitionẽ intellectus radicati in eadem anima vt voluntas posset amare,& odio habere;quã solutionem sæpe impugnaui ex eo, quod voluntas, etiamsi subiectũ haberet commune cum intellectu,æquè ignara maneret posità cognitione intellectus;ac si non esset posita: ergo nihil præstat voluntatis subiectum commune cum intellectu,neque huius cognitio,vt ipsa possit amare, vel odio habere.

5 Aliter posset aliquis respondere,dicendo requiri principiũ aliquod volens,per hãc volitionem;quod se ad illã determinat,& potest esse liberũ respectu illius, esse formaliter cognoscens,& propter hanc rationem eãdem animam, quę vult,debere intelligere;non tamen requiri omne principiũ volens ex vi huius volitionis esse formaliter cognoscens;sed posse dari aliquod, videlicet potentiam volitiuã, quod per volitionem constituaturvolens,& tamen non indigeat cognitione,quia etsi volens cõstituatur, non tamen se determinat ad volitionem,sed anima ipsam determinat, vt producat volitionem,& vt per ipsam amet,vel odio habeat,sicuti determinat habitũ,vt volitionem producat. Propter hanc solutionẽ dixi nonnihil efficaciùs probari conclusionẽ præcedentem,quæ integra remaneret,etiamsi hæc solutio verã contineret doctrinam,quam falsam,neq; sustinendam esse sic probo. Principium volitiuum non solùm indiget cognitione vt se ad amandum determinet, sed vt amet:ergo cognitio requiritur ex parte cuiuscunq;volẽtis, etiã non se determinantis ad cognitionẽ. Antecedens probo:si cognitio tantùm requireretur, vt principiũ cognitionis se determinaret ad illius productionem, & non vt vellet,seu amaret,vel odio haberet obiectum,posset dari substantia aliqua non cognoscitiua,quæ posset,amare,& odio habere per actus amoris & odij,ad quos ipsa non se determinaret, sed necessariò esset per modũ actus primi determinata ad illos:sicut ignis determinatus est ad calefaciendum in quocunq; subiecto applicato,quod nullus cõcedet: asserere enim,posse dari substantiã volitiuam,& non cognoscitiuã,nimis est paradoxum. Secundò probo cognitionẽ requiri præcisè ex parte cuiuscunq; principij ad hoc vt possit velle, etiamsi ab alio esset determinatũ ad productionẽ amoris: cognitio se habet respectu principij amantis tanquam applicatio obiecti amandi:sed omne principium requirit obiectum amandum sibi applicatũ:ergo omne principiũ amans,etiamsi ab alio sit determinatũ ad amorem requirit obiectum sibi applicatum:ergo requirit illius cognitionẽ vt possit circa illud actu amoris tendere. Omne principiũ amans indigere obiecto sibi applicato ad illud amãdum, probo à paritate principij intelligentis, quod etiam respectu illorũ actuum,qui determinationi voluntatis subduntur, indiget applicatione obiecti mediã specie facta. Secundòquia de ratione totius principij amãtis est moueri bonitate,non vt existenti,quia sæpe actus voluntatis fertur in bonitatẽ,quæ non existit,sed vt cognitã:ergo de ratione totius amãtis est ferri in bonitatẽ vt cognitam:dico vt cognitam,non quia ly *vt*,reduplicet rationem formalem obiecti,sed conditionem requisitam ad amorem. Concludendum est ex dictis,omne principiũ formaliter amans indigere cognitione,non solùm vt se ad amorem determinet,sed vt amet, quia sicut amans etiamsi ab alio determinetur ad amorem, obiectum respicit per amorẽ,ita obiecti indiget applicatione. Principia alia,quæ amorem producunt, quæ non amant, non indigent hac applicatione, quia hæc non versantur circa obiectũ;sed tãtùm circa subiectum, ex quo educunt actũ amoris,& ita applicatione indigent respectu subiecti,non verò respectu obiecti,quam applicationẽ habet habitus per intimam præsentiã, quam habet cum subiecto,& per inhæsionem,quam habet in subiecto, ex quo amorẽ educit. Vnum in hac solutione verum existimo pertingi,cognitionem ita requiri, vt principium amans se ad amandũ determinet,vt absque dubio aliquo principiũ non cognoscẽs non possit se ad amorẽ determinare adhuc de potentia absoluta. An verò determinatũ à Deo possit principiũ indigens cognitione ad amandũ,sine illa supernaturaliter ferri in obiectũ actu amoris,non sine formidine pro vtraq; parte potest cõtrouerti,quod præstabo Contr.7.P.3.

6 Tertia conclvsio. Possibilis est anima, quæ suas operationes producat mediis potentiis superadditis, quæ simul cum illis effectiuè concurrat ad suas operationes, sicuti concurrit cum habitibus, speciebus,& aliis comprincipiis. Totum fundamentũ huius conclusionis sumendũ est ex non repugnãtia talis animæ,& potentiarũ cum illa concurrentium. Non repugnantiam ostenderet argumentorum solutio,si quæ contra hanc conclusionẽ obiicerentur,vnum tantùm inuenio,quod contra illã fieri possit,quod breuiter propono,& soluo. Si anima concurrit ad suos actus, superflua est potẽtia,quæ simul cum illa concurrat ad illos;ergo impossibilis:Antecedens probatur:Prædicatum vitalitatis, quod est in actu, adæquatè correspondet animæ:ergo prædicatũ vitalitatis superfluè corresponderet potentiæ: reliqua prædicata non correspondent potentiis,sed aliis comprincipiis:ergo potentia omnino est superflua. Resp.negãdo primũ Antecedens,ad cuius probationẽ resp.prædicatũ vitalitatis repertũ in actu correspondere adæquatè formaliter animæ,quia anima habet rationẽ adæquatè constitutiuã vitalitatis,sicuti illã habet actus;non tamen correspondere eminẽter adæquatè,quia vt sæpè dixi ex correspõdentia formali inter duas entitates, non infertur corresp. virtualis causæ ad effectũ, neq; ex corresp. formali adæquata inter causã,& effectum infertur necessariò causã esse adæquatã:filius enim correspondentiã habet formalem adequatam cum altero parente,tamen non ab illo tanquã à causa adæquata dependet; sed tanquã à causa inadæquata à quocunque illorum,& tanquam causa adæquata ab vtroque.

7 Qvarta conclvsio. Possibilis est anima,quæ immediatè concurrat ad suas operationes vitales absque vlla alia potentia superaddita. Hæc conclusio probanda est ex solutione argumentorum,quæ adducunt auctores pro sententia constituente potentias ab anima distinctas; plerique enim,vel omnia probare intendunt non posse dari animam, quæ sine potentiis superadditis principium sit diuersarum operationum,quæ omnia referam,& soluam.

8 Qvinta conclvsio. Animæ, quæ de facto dantur nullas habent potentias superadditas. Hanc conclusionem non ita certam existimo,sicuti præcedentes; ea enim quæ de facto sunt,vel non sunt, & sensuum experientia in illis vel in suis effectibus nobis non innotescunt, magis latent Philosophum, quàm rerum possibilitas, vel impossibilitas quæ ex repugnantia,vel non repugnantia, quam ex natura rei inferunt prædicata essentialia, valet definiri. Moueor ad hanc conclusionem affirmandam,quia nulla est necessitas constituendi animam existentem cum his potentiis superadditis,neq;fundamentum aliquod positiuum,quod suadeat existentiam harum potentiarum, & quia illis admissis tenemur etiam asserere animam immediatè concurrere ad omnes suas operationes, & animam se ipsam determinare ad operationes efficiendas,vt probatũ est punct.præcedenti,quæ omnia sententia constituens potentias superadditas non admittit,imò potiùs ex his cõtradictoriè oppositis fundamentum desumit ad potentias superadditas adstruendas: tum etiã,quia secundùm fundamenta præiacta, si daremus potentiam aliquam superadditam, quæ simul cum anima ad volitiones concurreret, hæc tantùm se haberet vt purum principium illarum,& non esset potentia volitiua seu

potens

potens velle formaliter sed tantùm productiua volitionis, sicuti habitus infusus respectu actuũ, ad quos datur, & tota ratio volentis, & liberè operantis adæquatè esset apud animam quæ tantùm amaret, & odio haberet, suámque exerceret libertatem, & non illa potentia. Quæ omnia minus communia sunt in schola, quàm sententia negans potentias superadditas animæ, quam grauissimi Doctores sequuntur, quos suprà dedi, & ferè omnes recentiores huius temporis. Et quod maioris est momenti pro hac sententia refert N. Val. supra D. Isidorum lib. 11. etymolog. cap. 1. eíque suffragari videri D. August. lib. 9. de Trinit. cap. 4. & lib. 10. cap. 11. & illam expressè tradit D. Bernard. sermone vndecimo in Cantica, illius sunt verba: *In anima tria intueor, rationem, memoriam, & voluntatem: & hæc tria eamdem esse animam: quod si ab anima distinguerentur, non esset anima, sicuti calor non est ignis.* Mitto alia testimonia desumpta ex libro quarto de spiritu, & anima, capite quarto, & decimo tertio, qui inter opera D. Augustini, illius nomine conscriptus legitur, quia liber hic non est Augustinianus, quia apud illum refertur Boetius diuo Augustino ferè centum annis posterior, cuiuscunque tamen ille sit, illius auctoritas semper magni est habita, & librum doctum, & eruditum esse testatur Bellarmin. de scriptoribus Ecclesiasticis.

9 Restat modò ad confirmationem huius, præcedentísque conclusionis expendere argumenta Doctorum, qui potentias superadditas admittunt, quod iam instituo.

§. III.

Argumentorum solutio.

10 NE temerè videar discedere à grauissimis, & sapientissimis Doctoribus, quos dedi pro sententia constituente potentias ab anima distinctas, etiamsi mea sententia aliorum etiam doctissimorum auctoritate destituta non sit: In primis moneo sapientissimos Patres Suarium, & Vasquium locis suprà citatis ingenuè fateri sententiam asserentem potentias non distingui ab anima haud difficilè posse probari, & Valentiam loco suprà citato hæc scripsisse: *Quælibet sententia ex his est probabilis, neque aliqua illarum manifestè demonstrari potest, neque magni etiam refert scire penitus quænam sit probabilior*: & argumenta omnia, quæ distinctionem potentiarum ab anima propugnant dissoluit.

11 Arguit primò Suarez pro distinctione potentiarum ex illo Lucæ decimo: *Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima, & ex totis viribus tuis*, vbi vult nomine vitium potentias significari. Certè nihil magis præter interpretum mentes, quàm hoc, & simile testimonium, quod habetur apud Matthæum in hunc sensum explicare, neque aliquid aliud illa verba innuunt, nisi Deum amandum esse quantùm possumus, ita vt totum animi conatum impendamus, vt Deum ardentissimè diligamus. Ita D. Augustinus libro primo de doctrina Christiana c. 2. vbi ait: *Toto corde, tota anima, nullam vitæ nostræ partem derelinquit, quæ vacari debeat, & quasi locum dari, vt alia re velit frui: sed quidquid aliud diligendum venerit in animo, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit.*

12 Arguit secundò ex Psalmo centesimo secundo: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt*, &c. Vbi per illa verba, *omnia, quæ intra me sunt*, potentias ab anima distinctas significari ait Suarius, quod non probo, sed Genebrardo assentior, qui sic prædictum testimonium interpretatur: *Omnia quæ intra me sunt*, id est, omnia interiora, tã corporis, quàm animi benedicite, cor, pectus, ad intima vsque ossa, per prosopopœiam: vel omnes meæ cogitationes, & intimi animi assensus, vel affectus per metonymiam. Nec mirum est vocare ad benedicendum Deo omnes corporis partes, qui aquas, montes, bestias, & pecora ad eundem benedicendum sæpe conuocat.

13 Arguit tertiò Suarez ad probandum potentias distinctas ex imperfectione creturæ: quam rationem sic possumus expendere. Quo imperfectior est creatura, maiorem compositionem habet: ergo anima rationalis, supra quam sunt plures creaturæ possibiles perfectiores, non tantam perfectionem debet habere, vt vnum sit cum sua virtute productiua operationum, absque vlla compositione inter animam, & suas facultates. Respondeo non esse supra perfectionem creaturæ, neque animæ rationalis, esse vnum cum sua virtute effectiuâ operationum; etiamsi plures creaturæ possibiles sint perfectiores anima rationali, & quæ illam perfectione excedant, eãdémque accidentium simplicitate antecellant, quia etiam in virtute operatiua æqualem simplicitatem iuxta meam sententiam, vel æqualem compositionem in sententia, quæ potentias spirituales in Angelo, & anima distinguit, sunt plura alia accidentia, in quibus maiorem simplicitatẽ habet Angelus, & potest habere creatura alia perfectior animâ rationali, quia obiecta, quæ anima rationalis cognoscit per multiplicem cognitionem, per eamdem Angelus cognoscit, & cognitiones, quàs anima rationalis per plures species producit, per eamdem simplicem producit Angelus. Simili modo potest philosophari in quacunque alia creatura perfectiori animo rationali.

Arguit quartò Suarez à paritate primarum qualitatum, 14
quæ sunt virtutes actiuæ elementorum, & ab illis distinguuntur: ergo virtutes actiuæ animæ ab ipsis distingui debent. Responderi posset ex doctrina eiusdem Suarij, qui multus est Punct. 2. Metaph. disp. 42. sect. 4. n. 9. vt defendat has primas qualitates non pertinere ad primam qualitatis speciem, quia licèt sint actiuæ, non sunt primæ, & per se intentæ à natura ad agendum; sed ad ornatum, & ad conseruationem formæ exigentis talem qualitatem. Sed huic doctrinæ non assentior, quatenus in illa traditur has qualitates non esse inuentas à natura ad agendum, sed ex alia illius parte solutionem desumo. Hæ qualitates inuentæ sunt ad ornatum formæ, & ita debent ab illa distingui. Item inuentæ sunt, vt disponant ad formam subsantialem, quod fieri non posset ab illis, si ab anima non distinguerẽtur, insuper etiamsi hæ qualitates necessariò elementis in summo gradu, tanquam passiones illorum conueniant, debent esse communes omnibus mixtis, in gradibus remissis, habéntque alia sexcenta propter quæ necessarium fuit fuisse procreatas cum distinctione reali ab illarum subiectis, & essentiis quarum sunt passiones.

Arguit quintò idem Suarez: ex parte principij passiui 15
requiruntur aliqua accidentia vt vitales operationes recipiantur: ergo ex parte actiui requiruntur similiter alia accidentia, vt producantur. Respondeo paritatem desumi posse ex deorganizatione, tenente se ex parte passi, vel ex quantitate, quæ in multorum sententia, est subiectum, medio quo materia prima recipit accidentia, & vitales potentias, & operationes. Si argumentum sumatur à paritate deorganizationis requisitæ ex parte passi, non potest inferri ex parte principij actiui dandum esse aliquod accidens respectu harum operationum, quia deorganizatio non se tenet ex parte passi per modum principij passiui recipientis has operationes, sed disponentis ad illarum receptionem; quod si ex hoc inferre velint auctores oppositæ sententiæ ex parte principij actiui dandam esse dispositionem ad agendum, nihil contra sententiam, quam modò defendimus inferent, & facilè possemus concedere deorganizationem requisitam ad operationes vitales esse conditiones vt efficiantur, & recipiantur, sed adhuc hoc non infertur neque verum est, quia efficere præcisè non dicit aliquid in se intrinsecum habere, quod dicit pati, ratione cuius ex parte passi dispositiones plures requiruntur, quæ ex parte principij vt purè effectiui necessariæ non sunt. Si argumentum sumatur à paritate quantitatis secundùm prædictam sententiam, quæ omnia accidentia etiam vitalia in quantitate subiectari defendit, non probat dari diuersas potentias, quibus animæ effectiuè concurrant, sed dari vnicam, quæ sit adæquatum principium effectiuum omnium operationum, sicuti quantitas est adæquatum immediatum principium passiuum omnium accidentium. Ex his constat in re adeò dispari disparitatem assignari necessarium non esse. Possunt tamen plures rationes illius assignari, quia in materia fundamentum est vt dicamus ipsam recipere alia accidentia mediâ quantitate: in anima autem nullum reperitur, vt dicamus medio alio accidenti operationes efficere, & quia necessum non est materiam immediatè adhuc inadæquatè operationes recipere, & necessum est animam saltem inadæquatè ad omnes effectiuè concurrere.

Arguit sextò. Potentiæ dependent à corpore in ope- 16
rando: ergo sunt corporeæ. Hoc argumentum constitutum est pro potentiis sensitiuis, quas, cum toto composito esse identificatas tenent multi, ex his, qui potentias negant superadditas, vt huic argumento satisfaciant: ego tamen

nullam

nullam virtutem actiuam materiæ concedo respectu operationum vitalium, neque compositio, nisi ratione animæ; compositum enim viuens nihil aliud est quàm anima, & materia, ac proinde nullam vim actiuam habere potest, nisi ratione alterius partis, vel ratione vtriusque: ratione materiæ illam non habet: ergo tantum ratione formæ, siue per ipsam formam, siue per potentiam ortam ex illa, quæ potentia si esset superaddita compositi diceretur, quia oriretur à forma, & reciperetur in materia, & quia non oriretur à forma præcisa, sed à forma vt vnità exigente vnionem saltem vt applicationem subiecti, in quo producenda est talis potentia. Respondeo concedendo potentias has dependere in operando à materia, & nego sequi ex hac dependentia potentiam esse corpoream, quod sic probo. Etiamsi dentur hæ potentiæ superadditæ, anima concurrit ad has operationes, vt probaui Punct. primo, & cum eadem dependentia à materia, vt notum est, & tamen est spiritualis: ergo virtus actiua spiritualis potest dependere à corpore.

17 Arguit septimò. Operatio sensitiua corporea est immanens: ergo debet dependere ab aliqua potentia corporea, in qua possit subiectari. Respondeo multis modis posse has operationes corporeas esse immanentes, etiamsi tantùm ab anima dependeant; illos explicui Contr. præcedenti, Punct. 1. modò breuiter dico, has operationes esse immanentes propter vnionem immediatam, quam habent cum anima vt dixi Puncto præcedenti.

18 Arguit octauò. Potentiæ sensitiuæ ordinantur ad actus corporeos: ergo sunt corporeæ, quia nihil spirituale potest ordinari ad aliquid corporeum. Respondeo potentias non ordinari ad actus corporeos tanquam ad finem, propter quem sint intentæ, sed tanquam causas ad suos effectus, eo modo, quo dixi Controu. 1. Punct. 1. animam ordinari ad suas operationes.

19 Arguit nonò. Anima est indifferens ad operationes diuersarum potentiarum: ergo indiget potentiis superadditis, vt determinetur ad producendos actus huius potétiæ, potiùs quàm illius. Multi redarguunt: Anima est indifferens ad producendas suas passiones, & determinatur ad producendas omnes: ergo eodem modo potest determinari ad illorum actus producendos. Inepta redargutio: anima numquam est indifferens ad producendum potiùs potentiam intellectiuam, quàm volitiuam, visiuam, quàm auditiuam, sed potens omnes producere, & determinata ad omnes producendas, in quarum productione nulla est contingentia, quæ magna intercedit in productione cuiusque actus vitalis. Melius retorquetur argumentum ex indifferentia, quam habet anima ad assensum & dissensum, amorem & odium; ad actum visionis tendentis in obiectum album, & actum tendentis in obiectum nigrum, & tamen hanc indifferentiam determinat ipsa anima, vel aliud comprincipium. & non alia potentia, quæ detur pro assensibus distincta ab illa, quæ datur pro dissensibus: ergo sicuti determinatur sine noua potentia differentia inter assensum & dissensum, poterit determinari inter intellectionem, & volitionem. Respondebis maiorem esse differentiam inter volitionem, & intellectionem, quàm inter assensum & dissensum, & ita hanc posse dari sine noua potentia, & non illam. Sed inquiro, quâ lege taxata sint hæc determinatiua, vt pro tanta indifferentia determinanda, & non pro tanta exigatur noua potentia, & alia determinatiua non sufficiant. quæ minorem indifferentiam determinabant? Nullâ certè, sed gratis omnino potentia superaddita exigitur ad hanc indifferentiam auferendam. Respondeo animam esse indifferentem ad suos actus, hanc autem indifferentiam non indigere potentiis superadditis ad sui determinationem, sed tolli per species, vel alia comprincipia in actibus omnino necessariis, & in actibus liberis in se tolli ab ipsa anima libera in actu primo constituta per ipsorum exercitium, & in actibus potentiarum, quæ voluntati subduntur tolli per actus voluntatis illos imperantes.

20 Hæc omnia argumenta desumpta sunt ex nostro Suario loco allegato ex disp. 18. Metaph. præter duo testimonia, quæ adducit loco citato ex lib. de anima. Noster Tolet. quæst. 9. plura congerit argumenta sua, & aliorum pro hac sententia; soluit facta ab aliis, quæ vix indigent solutione, & ex propriis vnum, vel alterum inuenio distinctum ab his, quæ ex Suario retuli, quod hic referam. Sic arguit Toletus. Plura tribuimus aliquibus potentiis quæ negamus aliis, dicimus enim intellectum intelligere, & voluntatem amare, & dicere non possumus, intellectum amare, & voluntatem intelligere, & sic de aliis: ergo hæ potentiæ inter se distinguuntur: ergo distinguuntur etiam ab anima, quia ea, quæ sunt inter se distincta non possunt vni tertio esse identificata. Hoc argumento vtuntur etiam Conimbricenses suprà, quod si aliquid probaret committeret attributa in Deo realiter inter se ab ipso distingui, quia non dicimus Deũ misericordia punire, & iustitia parcere, neque intellectu amare, & voluntate intelligere, sed singulis attributis singulas operationes accommodamus. Respondeo nos tribuere operationes intelligendi intellectui, & amandi voluntati, quia ipsam animam quatenus intelligit, intellectum; quatenus amat, voluntatem vocamus, per ordinem enim ad diuersas operationes diuersas virtutes in illa cognoscimus formaliter inter se distinctas, & realiter inter se & cum ipsa anima identificatas, quapropter realiter & nulla distinctione intellectus intercedente intellectus, & voluntas, omnes animæ potentiæ, quæ vnum sunt ad quamlibet actionem eodem omnino modo concurrunt, & in hoc sensu verum est hominem amare intellectu, & voluntate intelligere, est tamen ineptus loquendi modus, quia cùm dicimus, *intellectus, & voluntas*, iam distinguimus formaliter vtramque potentiam, & ita in sensu formali de illis vt formaliter distinctis loqui debemus.

Arguit insuper: Potentia visiua in homine cæco sepa- 21
ratur ab homine: ergo distinguitur ab anima. Eodem modo arguunt alij potentias recipere magis, & minus, ex quo eamdem inferunt distinctionem. Respondeo potentiam visiuam in cæco, & auditiuam in surdastro non separari ab anima, neque in sensu aliquo recipere magis aut minus, sed tantùm deperdi deorganizationem requisitam ad illorum actus, quâ perditâ nullus illorũ potest exerceri à potentia permanente identificatâ cum anima & propter eamdem deorganizationem magis, minúsve attemperatam iuxta exigentiam actuum potentiarum eademmet immutatâ intrinsecè perseuerante, perfectiùs, vel imperfectiùs illos exercet.

Arguunt Thomistæ, substantiam non esse immediatè 22
operatiuam, quod sæpè negaui. Arguunt, actus, & potentiam debere esse in eodem genere, quod modò nego, si hoc ita intelligant, vt actus, & potẽtia debeant esse intra idem genus substantiæ, vel accidentis, quod hîc contendunt. Arguunt, animam fore in perpetua operatione si operaretur immediatè. & non per potentias superadditas: quod nego, similiter, quia eodem modo posset inferri potentias fore in perpetua operatione, ex eo quod per se ipsas immediatè, & non per alia comprincipia superaddita operantur. Hæc sunt argumenta, quibus auctores potentias distinctas ab anima, propugnant quæ ita prolixè retuli propter auctoritatem grauissimorum ac doctissimorum Doctorum, qui oppositam sententiam defendunt.

PVNCTVM III.

An potentiæ animæ distinguantur ab illa formaliter.

DIfficultas hæc tantùm inter recentiores huius tem- 1
poris exagitatur, antiqui in distinctione reali defendendâ, vel impugnandâ intenti, de hac distinctione rationis non egêre. Affirmant aliqui potentias realiter identificatas cum anima ab ipsa formaliter distingui. Alij quorum subtiliùs inspexêre nullam distinctionem formalem inuenêre inter animam, illiúsque potentias.

PRIMA CONCLVSIO. Potentiæ animæ inter se forma- 2
liter distinguuntur, & quamlibet illarum saltem inadæquatè ab anima distingui necesse est. Prior pars conclusionis probatur ex distinctione actuum, & ex diuerso modo, quo hi actus procedunt à suis principiis, intellectio enim & volitio non solùm distinguuntur specie sicuti assensus, & dissensus, sed etiam distinguuntur ex diuerso modo respiciendi suum obiectum, quia intellectus trahit ad se obiectum, illud in se quasi depingendo, & repræsentando: & voluntas fertur in suum obiectum per amorem, qui est quasi pondus quod animam in rem amatam inclinat, iuxta illud: *Amor meus est pondus meum, illuc feror quocunque feror.* Eodem modo distinguuntur sensus internus, & materialis

materialis appetitus. Aliæ potentiæ sensuum externorum diuersa organa & diuersas dispositiones exigunt ad operandum, ex qua diuersitate fundamentum desumit intellectus ad has diuersas operationes inter se constituendas. Posterior pars conclusionis ex priori euidenter infertur, quia si voluntas, & intellectus inter se distinguuntur, non potest ratio animæ adæquatè in potentia intellectiua, aut volitiua consistere, quia potentia volitiua formaliter secundùm se præcisa, non dicit potentiam intellectiuam radicalem, neque formalem, & potentia intellectiua eâdem præcisione desumpta non dicit potentiam volitiuam radicalem, neque formalem: sed anima essentialiter dicit principium formale, vel radicale: ergo non potest illius essentia consistere in aliqua harum potentiarum provt ab illis distincta; idem dico de aliis potentiis sensitiuis, quæ sunt de essentia animæ sensitiuæ, seu constitutiuæ gradus sensitiui, quem essentialiter includit anima rationalis constitutiua hominis.

3 Secvnda conclvsio. Omnis potentia constitutiua prædicati alicuius, quod essentialiter supponat ratio viuentis, est essentialis animæ. Ratio est facilis: Omni inferiori essentiale est prædicatum, quod essentialiter supponit tanquam quid superius: v. g. omni homini essentiale est esse animal: ergo essentiale est illi constitutiuum sui superioris, quod essentialiter includit; si enim homini essentiale est esse animal, essentiale erit esse viuens, & esse sensibile, quæ sunt prædicata essentialiter constitutiua animalis. Hæc conclusio euidens est, neque alia indiget probatione, aut explicatione.

4 Tertia conclvsio. Omnis potentia, quæ non est constitutiua prædicati superioris viuenti, & non est potentia dicens ordinem ad actus vitales, non potest esse metaphysicè constitutiua animæ, neque illi essentialis. Ratio est clara: ratio viuentis secundùm se, & secundùm omnes suas species vegetatiui, sensitiui, & rationalis, tantùm consideratur in ordine ad actiones vitales vegetandi sentiendi, & ratiocinandi: ergo potentia, quæ non est sensitiua, vegetatiua, sensitiua, aut rationalis (nomine rationalis intellectiua, & volitiua clauditur) non est constitutiua differentiæ viuentis, neque illarum specierum, quæ sub conceptu viuentis continentur, vsque ad infimam speciem animæ: ergo si constitutiua non sit alicuius prædicati superioris, quantumuis identificata sit cum anima ad illarum essentiam non pertinebit.

5 Qvarta conclvsio. Potentia nutritiua est essentialis animæ nutritiuæ, & formaliter constitutiua illius impræscindibilis ab ea ex parte actus, & ex parte obiecti. Probo hanc conclusionem: Potentia nutritiua constituitur per prædicatum reale quod sit principium nutritionis: ergo per principium nutritionis formale, vel radicale: non per principium radicale: ergo per principium formale. Primum antecedens est definitio animæ vegetatiuæ: illatio ex illo est à positione diuisi, & negatione vnius membri diuidentis ad affirmationem alterius, quam esse legitimam. Summulistas non latet: negationem illius membri diuidentis confirmo: principium radicale nutritionis est illud, ex quo procedit potentia superaddita, quæ immediatè concurrat ad nutritionem: sed anima vegetatiua, quæ non habet potentiam superadditam non potest esse principium potentiæ superadditæ: ergo non potest esse principium radicale: Maior per se patet, ex eo enim distinguuntur principium formale, & radicale cuiusuis effectus, quod principium formale immediatè per causalitatem per se ipsam attingentem effectum, & ab ipso procedentem influit in effectum: & principium: radicale per causalitatem procedentem ab ipso, & attingentem non ipsum effectum, sed virtutem aliquam, quæ ipsum per aliam causalitatem immediatè attingat: Minor est per se nota, Consequentia legitima.

6 Confirmatur eadem conclusio, & alio modo expenditur eadem ratio. Nullus influxus potest considerari procedens ab anima vegetatiua non habente potentiam vegetandi superadditam respectu actus vegetationis procedentis ab illa tanquam à principio vitali, qui non immediatè tangat ipsum terminum nutritionis; ergo nullus influxus potest intelligi ab anima tanquam à principio vitali, qui non sit formaliter nutritio: ergo nullus influxus potest ab illa procedere, qui non procedat ab ipsa tanquam à principio formali nutritionis: Antecedens probo. Anima vegetatiua, quæ non habet potentias superadditas non potest influere in potentiam vegetandi: ergo tantùm influit in ipsum actum immediatè, nihil enim est, quod ipsa possit vitaliter producere, neque alia actio potest considerari procedens ab illa tanquam à vita, nisi illa, quæ terminatur in ipsum terminum nutritionis.

Qvinta conclvsio. Anima sensitiua essentialiter dicit potentias sensitiuas correspondentes gradui substantiali sensitiuo constituenti speciem animæ sensitiuæ. Vnde si ratione animæ sensitiuæ tantùm dicit posse sentire sensationibus vnius potentiæ externæ, & aliùs internæ: illa potentia externa, hoc est sensitiua obiectorum externorum, & interna, quæ hanc comitatur est essentialis, & constitutiua gradus sensitiui, itavt vtraque potentia adæquatè gradum substantialem, per quem differt anima sensitiua à purè vegetatiua constituant. Probatur hæc conclusio, eodem modo ac præcedens: de ratione constitutiua animæ sensitiuæ, seu differentiæ, per quam anima sensitiua constituitur, & differt à pura vegetatiua est esse principium sensationis: ergo radicale, vel formale: non radicale: ergo formale. Percurre illationes factas ad primam conclusionem probandam, eisdem enim hæc euincitur conclusio. 7

Sexta conclvsio. Sensitiuum, in quo conueniunt equus & leo, per quod specie differunt à talpa & ab aliis animalibus, quæ non sunt prædita quinque sensibus, essentialiter includit potentias formales videndi, audiendi, &c. Ratio est, quia hoc sensitiuum differt à sensitiuo talpæ per principium sensationum pertinentium ad omnes quinque sensus, per quas omnia illarum obiecta percipiuntur: Non per principium radicale: ergo per principium formale. Idem discursus est huius conclusioni, & proximè præcedentium. 8

Septima conclvsio. Rationale hominis essentialiter includit potentiam formalem intelligendi, & volendi Probatur hæc conclusio eadem ratione, quâ præcedens. Rationale hominis includit essentialiter principium intellectionis, & volitionis, non radicale propter rationem iam dictam: ergo formale. Dixi rationale hominis, vt abstraherem ab illa quæstione, an possit dari principium intellectionum, quod non sit volitiuum, cui si affirmatiuè respondeatur, dicendum est de ratione intellectiui vt sic non esse potentiam volitiuam, sed intellectiuam, quæ constituat gradum specialem viuentis medium inter hominem, & equum, qui differt ab equo per potentiam intellectiuam, & à quo differt homo per volitiuam: si verò negatur possibile esse principium intellectiuum, quod volitiuum non sit, omne intellectiuum constituetur per potentiam intelligendi, & volendi. 9

Procedunt hæ omnes conclusiones respectu animarum, quæ potentias non habent superadditas; aliis verò, quibus potentiæ superadditæ possunt conuenire, hæ non essent de illius essentia, quia nihil superadditum potest esse de essentia alicuius, & quia sufficienter illarum essentiæ constituerentur per principia radicalia suarum operationum. 10

Ex his constat gradus essentialiter dicere potentias, quibus constant, & animam gradus, quos includit: gradus vegetandi tantùm dicit potentiam vegetatiuam; gradus sentiendi saltem dicit quamdam potentiam externâ, & aliam internam; gradus specialis sensitiui equi, & leonis, vt distincti à sensitiuo talpæ dicit potentias quinque sensuum externorum, & sensum internum; gradus rationalis hominis dicit potentiam intellectiuam, & volitiuam, & si possibilis est alius gradus intellectiui, & non volitiui medius inter gradus hominis, & equi dicit tantùm potentiam intellectiuam. Anima plantæ dicit gradum vegetatiui; anima talpæ dicit gradum vegetatiui, & sensitiui sensatione interna, & externâ circa obiectum sensus si aliâ potentiâ externa caret hoc animal: anima equi, & leonis dicunt gradum vegetatiui, & sensitiui sensu interno, & quinque potentiis circa obiecta externa, anima hominis dicit omnes gradus, quos dicunt reliquæ animæ, & gradum ratiocinandi includentem potentiam sensitiuam, & volitiuam. 11

Obiicies contra has conclusiones. Possum ego considerare animam absque eo quod considerem illius potentias: ergo potentiæ saltem ex parte actus distinguuntur formaliter ab anima. Respondeo negando antecedens, eo enim ipso quod concipiam animam, debeo concipere illius potentias eo modo, quo animam concipio. Si animam expressè apprehendo, illius potentias expressè me apprehendere 18

hendere necesse est. Sic in definitione, quæ nihil aliud est, quàm expressa animæ apprehẽsio expresse illus potentias attingo, dico enim *actus, quo viuimus*, &c. ratio est, quia quamtumuis confusè animam apprehendo, debeo illam apprehendere vt distinctam ab omnibus, quæ non habent rationem animæ: ergo debeo apprehendere id, per quod constituitur distincta ab illis: sed constituitur distincta per principium operationum vitalium: ergo debeo apprehendere principium operationum vitalium, quod formaliter est potentia. Debere me apprehendere animam vt distinctam ab aliis, quæ non habent rationem animæ, patet, quia si cùm illis illam confundam, non dicar apprehendere animam sed prædicatum commune animæ, & aliis entitatibus, quæ non sunt animæ; sicut cùm hominem apprehendo confusum cum equo, non dicor apprehendere hominem, sed animal.

13 Dixi conclusione tertiâ, potentiam non constituentem aliquod prædicatum superius animæ in communi, non terminatum ad actionem vitalem, non esse de essentia metaphysica animæ, etiamsi realiter sit identificata cum illa, & consultò nullam ex his potentiis assignaui, quia non est huius loci examinare quibus potentiis constituantur prædicata superiora omni animæ, & de quacunque potentia à me assignata posset excitari quæstio, an illa pertineret ad constitutiuum substantiæ, corporis, vel spiritus, quam quæstionem dirimere esset naturam ferè omnium prædicatorum quæ in serie prædicamentali continentur indagare, quapropter sufficiat regulam assignare pro illis potentiis, si aliquæ sint, ex quibus forsan erit virtus productiua caloris identificata cum animis sensitiuis.

PVNCTVM IV.

Nonnulla de potentiis expediuntur.

1 INquiri solet in opinione quæ potentias superadditas defendit, an possint à proprio subiecto separari? Negat Caietanus 1. p. q.54. art. 4. §. *Ad tertiam rationem.* Melius affirmatiuè respondet Sotus in prædic. cap. de proprio, Bañes 1.p.q.77. art.1. dub.1. ad 4. Ratio sumenda est à paritate quantitatis, & aliorum accidentium, quæ à propriis subiectis separãtur; non enim in vitalibus potentiis specialis reperitur difficultas, neque speciale fundamentum ad asserendum per se ipsas, & non per actiones superadditas dependere à subiectis, sicut enim quantitas est passio materiæ primæ & semper illam comitatur, & mediâ actione ab illa dependet: eodem modo si daretur potentia intellectiua superaddita, mediâ actione ab illa dependeret. Non nego possibiles esse potentias immediatè & per se ipsas dependentes à substantiis, quarum sunt passiones, quæ ab illis separari non possint; nihil enim, quod alicui entitati per se ipsam, & non per aliud superadditum conuenit, ab illa est separabile.

2 Secundò inquiritur, an hæ potentiæ separatæ ab anima possent vniri subiecto extraneo; v. g. an potentia visiua posset vniri ligno? Rub. lib.2. de anima, c.3. q.2. asserit implicationem inuoluere vnionem harum potentiarum subiecto extraneo. Sentio absque vlla contradictione potentias has posse vniri subiecto; quod probo, quia nullũ est argumentum, quo talis ostendatur contradictio. Secundò, quia in communi sententia potentia visiua materialis in homine, & in equo subiectatur in materia prima: sed materia prima equi, hominis, & ligni est eiusdem speciei, & potuit eadem numero, quæ est hominis vel equi, ligno contingere: ergo sicut materia primâ hominis est capax terminandi vnionem respicientem potentiam visiuam, ita materia prima ligni eamdem capacitatem habebit.

3 Obiicit Rub. Implicat esse formam in subiecto, cui non communicet suum effectum formalem: sed effectus formalis potentiæ visiuæ est reddere subiectum potens videre: ergo si informat materiam primi ligni constituet illam potentem videre. Respondi millies effectum formalem, quem communicat forma cuicunque subiecto, cui vnitur, esse cõstituere quoddam totum resultans ex subiecto, formâ vnitâ, & vnione, & hoc esse inseparabile ab illa, reliquos verò esse respectiuos ad subiectum. Dixi etiam potentias non constituere subiecta per se ipsa effectiua, neque per se ipsa potentia aliquid producere; sed tantùm mediatè mediis potentiis, si his seclusis nullam virtutem actiuam habeat subiectum, vel tanquam comprincipium ex qua & ex subiecto fit principium effectiuum adæquatum, si subiectum virtutem aliquam inadæquatam haberet ad operandum.

Tertiò inquiritur: An potentia vitalis separata à subiecto, vel vnita subiecto extraneo posset elicere actum vitalem, v.g. intellectus separatus an posset producere intellectionem? Resp. intellectum sine consortio animæ, concurrente ad intellectionem non posse illam producere adhuc de potentia Dei absoluta, quia in mea sententia intellectio (idem dico de volitione & quacunque sensatione) per suammet entitatem dependet ab anima & vnitur animæ. Respondeo secundò, intellectum separatum ab anima, hoc est, non illi vnitum, neque dependentem ab illa, posse naturaliter producere intellectionem, cum propria anima, si debitam approximationem habeat cum ipsa anima tanquam cum subiecto, à quo educenda est intellectio, & comprincipio à quo simul cum potentia talis intellectio processura est. Hanc conclusionem defendo, quia ad hoc vt intellectus concurrat cũ anima, existimo non requiri vnionem inter ipsum, & animam, sicuti neque in alio accidenti ad concurrendum cum substantia ad alium terti um effectum, quia sine fundamento requiritur talis vnio; sicut enim calor eodem modo calorem alium, aliúmve effectum producit eodem modo cum igne, cui est vnitus vel cui est tantùm applicatus; sic intellectus intellectionem producet cum anima sibi vnita, vel tantùm applicata si debitam cum illa applicationem habeat. Respondeo tertiò intellectum subiecto extraneo vnitum posse de potentia Dei absoluta cum propria anima intellectionem producere, quia tunc illi deficiat approximatio, quæ est conditio necessaria ad agendum, & forsan vnio cum subiecto extraneo impedimentum sit ad agendum, poterit Deus non obstante hoc impedimento cum intellectu concurrere, & approximationem supplere, vt probaui in Physic. Contr.8. Punct. 3. vbi dixi agens de potentia Dei absoluta posse agere in passum distans. 4

Quartò inquiritur: An potentia vitalis separata, vel quodlibet aliud accidens haberet modum perfectatis Caietanus quem impugnat Suarius tom.3. in 3.partem, disp.56. sect. 2. affirmat accidens separatum habiturum modum quemdam substantialem, quo existat existentia substantiali, quam habere nequit, dum est in subiecto. P. Suarez suprà, & P. Vasquez 1. p. disp.173. modum hunc perfectatis accidentalem concedunt accidentibus separatis, Sotus in 4. dist.12. q.6. & P. Valentia 3.p. disp.64. cap.5. Punct.1. affirmant accidens separatum nullum modum superadditum habiturum. Sentio accidens separatum nullo alio indigere modo distincto à creatione, vt cõstituatur existens, & independens à subiecto, quod sic probo. Ex vi creationis accidens constituitur existens, & sine dependentia à subiecto: ergo non indiget alio modo superaddito: Antecedens constat ex dictis 3. Physic. de natura actionis creatiuæ: Consequentia patet, quia posita creatione accidens non indiget hoc modo vt sit independens à subiecto; ad quid ergo indiget illo modo? Dices per creationem existere independenter à subiecto priuatiuè, & non positiuè, & indigere modo superaddito, vt positiuè sit extra subiectum. Contrà: accidens habet per creationem, quæ est forma positiua, hoc, quod est non dependere à subiecto: ergo habet modum non dependendi æquè positiuum cum quocunque, quem tu fingas. Probo consequentiam: Nullus modus positiuus est formalis negatio dependentiæ, sed tantùm illam inducit: ergo eatenus modus ille faciet subiectum positiuum independens, quatenus per entitatem positiuam hãc negationem induceret; sed hoc habet creatio; ergo constituit accidens independens. Mitto nullum modum ex vi cuius entitas non existit, posse illum independentem constituere; quia accidens constituere entitatem independentem, est illam entitatem constitui existentem ex vi huius accidentis absque vllo ordine ad subiectum inhæsionis: ergo accidens, seu modus, ex vi cuius potentia separata, vel quælibet alia entitas non constituitur existens non posset illam independentem constituere. 5

Dices: modum illum non requiri, vt potentia superaddita constituatur independens, ed vt suppleat vnionem, quam habebat tale accidens cum subiecto. Contrà: accidens separatum à subiecto manet ab illo diuisum: ergo vt sit in statu separationis necessariò includente diuisionem, 6

non

non indiget alio supplente vnionẽ,ad hoc enim vt subiectũ forma careat,nó requiritur aliquid, quod supleat vices formæ,qua caret.Neque anima rationalis in statu separationis habet modum aliquem supplẽtem defectũ vnionis.

7 Addo magis connaturale esse accidenti,carere illo modo,quàm illum habere in statu separationis,quod sic probo:Modus ille non est formæ connaturalis,neque necessarius adhuc pro illo statu,vt probaui:ergo si daretur,saltem esset præter illius naturam:Deinde opponeretur cũ modo essendi in subiecto,quẽ exigit accidés:ergo esset cótra illius naturã,sicut est contra naturam aquæ habere caloré oppositum cum frigiditate , quam exigit, & magis naturale est aquæ,adhuc non frigidæ carere calore, quàm illũ habere.

8 Obiic. Accidens separatum est per se:ergo non indiget modo perfeitatis.Resp.accidés separatum esse per se,nihil aliud esse , quàm existere cum independentia à subiecto, quod habet per creationem , qua indigere fatoor in statu separationis;Alio tamen modo distincto egere nego.

9 Obiic.secundò:Forma substantialis in statu reparationis habet modum perfeitatis:ergo eundem habebit forma accidentalis. Resp.formam substantialem separatam à subiecto,retinere subsistentiam partialem,si illam propriam habebat in subiecto distinctam à subsistentia materiæ:si verò subsistebat indiuisibili subsistentia totius , in statu separationis, illi tribui modum quendam supplentem subsistentiam;quam habebat in toto,non verò modum supplentem vnionem ipsius cum subiecto,neque aliquem distinctum à creatione supplente dependentiam,quam habebat ab eodem:si materialis erat , & ex ipso educta ; accidenti verò nullum modum tribuendum esse distinctum à creatione, quia cùm in statu vnionis non haberet subsistentiam, non indiget in statu separationis modo supplente vices subsistentiæ,cuius est incapax.

10 Quintò inquiritur:An in anima vegetatiua distinguantur potentia generatiua, nutritiua,& augmentatiua ? Plures de hac re lege opiniones apud Patrẽ Rub.lib.2.de anima,c.4.de potentiis animæ vegetatiuæ,q 2. Affirmo breuiter , Potentiam nutritiuam non esse distinguendam à potentia augmentatiua.Ratio est,quia nutritio, quæ est actus potentiæ nutritiuæ,non differt ab actu potentiæ augmentatiuæ,qui est acquisitio quantitatis per aliquid intrinsecũ sed tantùm per connotationem subiecti quantificati , ad quam tantùm requiritur quantitas informans subiectum; sed ad hoc vt quantitas informet subiectum;circa quod fit nutritio,& ad hoc vt fit nutritio , non requiritur potentia distincta à nutritiua:ergo nõ est superaddẽda,quia vbi non est actuũ distinctio,non debet potentiarũ admitti.Quod si vt viuens fiat mãius quantum,vnio quantitatis acquisitæ cũ quãtitate præexistente requiratur pro hac vnione,etiãsi demus necessario requiri ad quantitaté quomodocũq; acquirendã,nõ est multiplicanda noua potẽtia,quia tota quãtitas à materia producitur,cui inhæret,&ita vnio quãtitatũ producetur ab vnione materiarũ,ex cuius potẽtia educitur.

11 Dico insuper,si nomine potentiæ generatiuæ intelligatur virtus productiua seminis,hanc non distingui à nutritiua,quia eadem potentia,quæ in materia cum his positionibus ossa producit,nertuos in alia,in alia carnem,sanguinẽ in alia,& in alia lac,poterit & in alia semẽ elaborare.Suaderi potest hæc sententia ex alia , quam multi Medici ex principiis anatomicis certam putant , videlicet partes,in quibus semen decoquitur,ali ex ipse semine ex quo infero ad virtutem illã,cui incumbit partes illas nutrire,spectare semen elaborare,vt illud tanquam materiam aptam ad nutritionem illarum partium disponat.

12 Vltimò affirmo,si nomine potentiæ generatiuæ intelligatur virtus,quæ immediatè fœtum attingit,siue in semine residens,siue matri inhærens,virtus generatiua à nutritiua distinguitur.probo hanc conclusionem ex modo longè diuerso,quo effectus harum virtutum producuntur , & distinctione actuum illorum,ex quibus tota distinctio aliarum potentiarum desumitur. Virtus enim generatiua respicit terminum necessariò transeunter productum , virtus nutritiua terminum immanenter ab illa necessariò producendum;quod si aliquas exerceat actiones transeuntes hæc virtus, scilicet dispositionem alimenti , aliásve huiusmodi hæ omnes ordinantur ad præcipuam actionem immanentem,scilicet conuersionem alimenti in substantiam aliti, vel illam consequuntur,productio verò fœtus valde à nutritione in modo procedendi à suo principio differt,neque ad nutritionem ordinatur, neque illam consequitur.

CONTROVERSIA IV.

De Potentiis materialibus tam externis, quàm internis.

DVo sunt potentiarum materialium genera, externarum,& internarum:Potentiæ externæ sunt , quas quinque corporis sensus vulgò appellamus , visus,auditus , olfactus, gustus, & tactus;quæ vt plurimùm semper idem animal omnes simul comitantur;in aliquibus tamen non omnes reperiuntur , talpa enim caret visu , aliaque animalia odoratu. De numero potentiarum internarum magna est disputatio, pluresque Philosophorum opiniones,vnum tamen est certum dari sensum communem,& appetitum materialem;an verò plures dentur sensus interni breuiter definiam. Omnia , quæ ad materiam huius sectionis spectant , suspenso brachio attingam, quia plus oblectamenti,quàm vtilitatis afferunt,& præcipuè quia vix ratio efficaciter concludens hac in re inuenitur.Adeat Conimbric.Patres,qui plura de his potentiis fusè,eleganter, lepidè,& eruditè pertractata legere velit, qui à 7.cap.libri 2 de Anima agunt de potentiis exrernis , & quatuor prioribus capitibus libri tertij,de potentiis internis.

Punctvm Primvm.

De Potentiis externis.

BReuissimè quæ ad has potentias attinent hoc Puncto attingam,quia non alia maiori indigent discussione.

§. I.

De visu , & visibili.

VIsus est inter omnes sensus præstãtissimus, vt patet ex latitudine sui obiecti,& ex modo illud attingendi,& mira deorganizatione ad suas functiones requisita. Constant oculi septem musculis , quibus mouentur , tunicis quinque,tribus humoribus,neruis duobus.Musculos inuenit natura vt globum facilè in omnes partes conuertant, quibus vnus sursum,alter deorsum, duo ad sinistram dextramque mouent orbem:duo illum circumferunt,&tãdem septimus eum sustentat.E tunicis intima *specularis* vocatur, quia instar speculi nitet:huic proxima *reticularis*,quia venulis & arteriis intertexta figuram retis exhibet : tertia *vuea* dicitur,quia similis est vuæ folliculo , pedunculo carenti: quarta *cornea*, quia cornu in tenuissimas laminas insectum refert:quinta alba à colore nuncupatur, *adnata*, seu adhærescens , quia illius beneficio stat tota oculi fabrica. Ex humoribus intimior dicitur *crystallinus*, medius *vitreus*,extimus *aqueus*,quia similitudinem crystalli, vitri fusi , atque recocti,& aquæ referunt. Duo nerui optici, siue visorij à cerebro in oculos mittuntur,in quos spiritus animales traiiciuntur. 1

Probant PP.Conimbr.c.7.visionem fieri in humore crystallino,qui centrum orbis obtinet,quia si in membris opticis fieret , cum aliquando nerui valde distent , obiecta duplicia apparerent.Neruos opticos aliquando distare,probant ex Vesalio c.4.lib.4.de fabrica corporis humani,dicente se Patauij quendam secuisse,cuius nerui visorij à cerebro ad oculos vsque diuisi erant,qui tamen geminata à simplicibus discernebat, neque vnquam illi simplex obiectum duplex apparuerat. Huic rationi non acquiesco, quia humor crystallinus oculi dextri distans est ab humore crystallino sinistri, & in vtroque visio, tamen obiectum vtroque oculo visum non apparet duplicatum. Nihilominus assero visionem fieri in hoc humore , quia hæc pars oculi est maximè lucida,& conspicua præcipuum obtinés locum , cui reliquæ partes deseruiunt , neque fortiorem aliam rationem huius conclusionis reperio , sicut neque oppositæ magis cogruentem. 2

4 Obiectum visus esse colorem & lucem, vtrumquè formale, quia vtrumque per se visionem terminat, suadet experientia; nullum enim aliud obiectum hac potentia sentimus, & hæc illis attingi, ipsi oculi testes sunt. De distinctione coloris à luce disputant Conimbr. c. 7. q. 2. vbi varias opiniones referunt. Esse colorem apparentem, qui à luce non distinguitur, sicut color Iridis, & qui in columbæ collo conspicitur, probatur, quia secundùm diuersos aspectus, diuersus apparet, cùm sit idem semper, inde illius apparentiæ minimè credendum est; color autem papyri, croci, & atramenti quomodocunque inspiciatur, semper album, nigrum, rubrúmve videtur. Ex quo infertur hunc esse verum fixumque colorem, à luce distinctum, & illum tantùm apparentem luce identificatum. De natura colorum mediorum tantùm vide Conimb. ibidem quæst. 4.

5 Lumen posse videri sine colore patet in aëre, in quo videtur lux absque colore aliquo: colorem autem non posse sine lumine videri, certum est, cum in obscuro loco nullum colorem cernere possimus. Est dubium an lux requiratur ex parte medij, vel ex parte obiecti? Conimbr. q. 4. art. 2. docet requiri ratione vtriusque. Affirmo cum Hurt. disp. 17. sect. 2. Arriag. disp. 5. sect. 3. subs. 2. tantum ex parte obiecti requiri, quod probo. Homo existens in vltima parte specus per medium illius obscurum valde videt obiectum illuminatū existens foris: ergo lumen tantùm requiritur ex parte obiecti, non ex parte medij. Dices, semper medium habere aliquam lucē, quæ sufficit, vt recipiat species obiecti existētis deformis: Contrà: ergo si medium habet lucem sufficiētem ad recipiendum species obiecti existentis foris, etiam poterit recipere species coloris existentis, in medio specus, & videre talem colorem: si enim lumen requireretur tantùm ex parte medij, sicut obiectum illuminatum existens extra specum per medium specum obscurum valde videtur, sic videri posset existens intra eumdem specum; quod non contingere suadet experientia.

6 Deinde si aër incluſus intra specum habet sufficientem lucem vt recipiat species corporis existentis extra specum, lux existens in specu videri posset, hanc tamen non videri nisi valde propinquam certum est, quia si in medio specus ponatur corpus opacum, nullam impedit visionem, nisi forsan corporis extra specum existentis: ergo non videbatur lux aëris existentis post corpus opacum.

7 Quomodo lux colorem iuuet ad producendam sui speciem, ex nullo capite potest à priori, neque à posteriori probari. Aliqui affirmant esse conditionem requisitam, vt color illam producat, ego non inuenio quod genus sit hoc conditionis, quapropter assero in re dubia efficienter lumē cum colore concurrere ad productionem speciei coloris.

§. II.

De Auditu, & audibili.

8 AVditus obiectum tantùm est sonus, qui rectè definitur: *Qualitas producta per verberationem aëris duobus corporibus se inuicem trudentibus.* Corpora dura aptissima sunt ad sonum efficiendum, ideo metalla magis sonant quàm alia corpora mollia. Benè tamen nōtarunt Conimbricences c. 8 quæst. 1. non esse necessaria duo corpora dura ad efficiendum sonum, quia aquâ fluente, & aquis inuadentibus aliis, ex huiusmodi corporibus fit sonus. Nullum aliud obiectum auditu percipi posse constat experientiâ.

9 Subiectum soni est corpus interceptum corporibus se inuicem trudentibus, sicut ex illius fractione, seu compressione fit sonus, sic in illo recipi potest. Deinde, quia immotâ campanâ, quæ sonum producit, constat moueri subiectum soni, cùm in hoc medio audiatur, in quo anteà percipi non valebat, quod aliter contingere non potest, nisi per nouam approximationem localem, quia virtus producendi species in sono est eadem, & hæ in instanti producuntur, cùm careant contrario.

10 Non tantùm aër, sed etiam aqua est subiectum aptum ad recipiendum sonum, & ad species soni sustentandas. Ita contra Hurtad. docet Arriaga suprà subsect. 3. & Conimbr. c. 8. q. 2. art. 1. quod probatur, quia auditur aquarum murmur defluentium per profundas fluminis partes, etiamsi extimæ, quia congelatæ, vel aliâ de causâ detineantur, quod probat aquam sonum edere, & illius species recipere; & hanc secundam partem confirmat fuga piscium audientium voces, vel alium corporum strepitum. Neque rationem alicuius momenti pro sua sententia adducit Hurtad. tantùm ex illo contra nostram sententiam obtici potest, hominem existentē intra aquam nihil audire, quod forsan non omnino verum est, difficile enim credo hominem palmo aquæ obtectum ingentem bombardæ sonitum penitus non auditurum, & adhuc hoc admisso, Resp. hoc prouenire ex distemperie, quam nimia frigiditas, & humiditas aquæ causat in organo auditus.

Inter sonos vox est omniū præcipuus, definitur ab Arist. 11
Ictus aëris respiratione attracti, qui ab anima in pulmone existente cum quadam imaginatione efficitur. Ictus nomine, sonum ictu productum intellige, qui genus est in hac definitione, reliqua verò locum differentiæ obtinent. Vox tātùm conuenit animantibus, non tamen omnibus, pisces enim voces non efformāt, neque muscæ, licèt enim murmur excitent cùm volatu attollunt, hoc non fit organis requisitis ad vocem, neque cum imaginatione, sed tantùm eodem modo, quo fieret alio emortuo corpore moto.

Auditus valdè necessarius est ad disciplinas acquirendas, vitámque politicam degēdam: etsi enim minus sit no- 12
bilis visu, certè valde necessarius, miserrimè enim vitam degunt omnino surdi. Aures aptissimæ sunt ad huius potētiæ vsum, emittunt enim species collectas, & ita illis viā pandunt, vt eam occludāt aliis corporibus potentiæ nociuis. Intra formam auriū membrana quædam continetur, quæ tympanum vocatur cauitatem orbicularē trahicies, quam tria ossicula stabiliunt, quorum primum incudis pedunculis innitentis duobus; secundum malleoli, & tertiū stapedæ figuram retinent: intra membranam cōtinetur quidam veluti innatus aër, ita tectus, ne effugiat, vel distemperiem patiatur. Tympanum affixum est cuidā neruo, per quem spiritus animales trahuntur ad suas per ficiēdas operationes. Sensatio auditus fit in parte intra tympanum cōtenta, quæ aptissima est ad hanc sensationem, sicut aër ad species illi deseruientes recipiendas, lege Conimb. suprà.

§. III.

De Olfactu & Odore.

OLfactus, sensus est odoris tantùm perceptiuus residēs sub naribus: nasus præter pulchritudinem, quam faciei affert, & vtilitatem capiti ad excrementa expellenda, aptissimus est ad sensationem olfactus, deseruit enim aërem attrahens, quâ attractione panduntur duæ portulæ immediatæ organo olfactus, per quas odor ingreditur, & hæc est causa, propter quam respiratione non olfaciamus, secus aspiratione, qua aër attrahitur. Hæ portulæ sunt in parte inferioris cauitatis existentis intra oculos, & nares, quam habitant caruncul æ mamillares ita dictæ à mamillæ figura. His caruncul is subiicitur os quoddam tripartitum multis foraminibus instar cribri patens, habet tamen duo insignia, aliis duobus foraminibus nasi correspondentia, hoc os cribrum, & spongiosum dici solet. Odoratus residet in caruncul is mamillaribus, quæ abditioré locum obtinent, ad quas reliquæ partes organicæ ad hunc sensum pertinentes ordinantur, lege Conimb. c. 4. quæst. 4. art. 2. 13

Affirmant aliqui odorem esse substantiam quandam per 14
medium diffusam, quæ ad olfactum peruenit, & sensationem efficit. Dicendum tamen est esse qualitatem, quia substantia nullo sensu percipi valet, hanc sæpè per mediū diffundi simul cum aliquibus partibus substantiæ, cui inhæret, negari nequit; videmus enim plures substantias odoriferas in partes fumosas exhalari. Dici etiam posset non esse necessarium, hanc qualitatem ita diffundi vt sensu percipiatur, sed posse mediis speciebus sentiri, vt patet in electro, & in aliis substantiis odoriferis, quæ latissima spatia, pluráque successiuè odore replent, & diu durant: quid verius, dicendum vbi de speciebus huius potentiæ.

Qualitas odorifera definiri potest: *Qualitas orta ex temperamento primarum qualitatum siccitate, & calore aliis qualitatibus dominante.* Substātiæ enim odoriferæ, quò magis calefiunt, manibúsque trahuntur, maiorem odorem emittunt, & in hyeme, in qua humiditas cum frigiditate viget, minùs percipiuntur vina, aliæque substantiæ odoriferæ quàm verno tempore. 15

Probus odor salutaris, sapidíque cibi signum est: fœtor 16
verò nociui, atque corrupti, & ideo vt plurimùm odore examinamus cibos insumēdos, quapropter aptissimè nares sunt supra os appositæ, veluti custodes, & examinatrices ciborum, vt salubribus oris ingressum permittant, & nociuos abigi moneant.

§. IV.

§. IV.

De Gustu, & Tactu.

17 GVstus est sensus saporum perceptiuus: residet in lingua, præcipuè in cuspide, necnon in radice linguæ, seu in palato. Prior pars probatur, quia cùm volumus saporem cibi examinare, illum ad linguæ cuspidem trahimus. Posterior suadetur, quia gustum sentimus cùm cibus per palatum ad stomachum traiicitur. Linguæ deorganizationem describunt eleganter Conimbric. c. 10. q. 2. art. 2. eos, si placet, lege.

18 Sapor definitur, *affectio in humido aqueo facta à sicco terrestri calore decoquente.* Contra hanc definitionem obiicitur plures cibos valde siccos habere sapores: ergo sapor non oritur ab humiditate. Respondent rectè Conimbricenses cap. 10. q. 1. art. 1. plures cibos plus habere siccitatis, quàm humiditatis, saporem tamè semper oriri ex humiditate, etsi remissâ; non verò ex siccitate quãtumuis intensâ. De saporum speciebus & distinctione vide Conimbr. art. 2. ibidem.

19 Sunt, qui tactum à gustu non distinguant, falluntur tamen, oppositam enim sententiam rectè probãt Conimbr. c. 10. q. 2. & cap. 11. q 1. vbi vtriusque sensus assignãt organa. Tactus, seu tactiua virtus per totum corpus diffunditur; residet in carne, & præcipuè in neruis, ideo partes, quæ plures habent neruos, viuaciùs percipiunt qualites tangibiles: sanguinẽ, & ossa non sentire communis docet opinio.

20 Obiectum tactus, sunt quatuor primæ qualitates, asperitas, suauitas, durities, & mollities. Addo qualitatem doloriferam & voluptuosam, quæ tanguntur in sensatione, quâ consistit dolor & voluptas externa sensus tactus. Sentitur etiam impulsus tactus, sic sentit animal onus sibi impositum, imò asperitatem tantùm sentiri existimo medio impulsu, quia asperitas nihil aliud est, quàm partes quædam eminẽtiores aliis, eiusdem corporis, quæ partes maiorem impulsum imprimunt manui tangẽti corpus, quàm aliæ depressiores, & impediunt manum trahi per corpus ratione cuius impedimenti asperitas sentitur. Deinde corpora aspera aliquando habent partes desinentes in cuspidem acutam nimis, quæ pungunt corpus animalis attactum, & illi dolorem inferunt, ratione cuius sentit animal asperitatẽ, cùm verò absque vlla offensione manui permittit corpus per ipsam attrahi, tunc corpus illud suaue vocamus.

21 Circa tactum aliquæ insurgunt difficultates: prima est, an tactus sentiat obiecta recepta in ipso organo, an verò illa tantùm quæ sunt in subiecto extraneo; Secunda an tantùm sentiat exuperantes qualitates v.g. an manus calida vt quatuor tantùm sentiat calorem vt quinque, vel vt sex, non verò alium calorem vt quatuor?

22 Suarez ibidem docet tactum non sentire qualitatem receptam in ipso organo, posse tamen sentire calorem partis immediatè vnitæ. Secundò docet tactum tantùm sentire qualitates exasperantes, v.g. manum calidam vt quatuor non sentire calorem vt quatuor aliùs subiecti, sed alium intensiorem: ait enim has qualitates tantùm posse subiectum intentionaliter mutare quando possunt realiter agere in illud, cùm verò calidum vt quatuor in calidum vt quatuor non producat calorem, ita neque species impressas caloris, neq; sensationem eiusdem. Alij apud Arriagam suprà, docent tactum tantùm sentire qualitatem receptam in ipso organo tactus. Meam sententiam aliquibus conclusionibus aperio.

23 Prima conclvsio. Ad hoc vt tactus sentiat qualitatem non est necesse hanc recipi in ipso organo tactus. Probatur conclusio. Manus igni applicata vehementẽ sentit calorẽ, in quo ignis non applicatur manui: ergo manus non tantùm sentiebat calorem in illa receptum, quia hic eodẽ modo sentiretur amoto igne; quia cùm calor non depẽdeat in conseruari à primo producente, hoc amoto perseuerat, ac proinde calor receptus in manu præsente igne eodẽ absente in eadẽ manu per aliquod tẽpus perseuerat.

24 Secvnda conclvsio. Vt obiectum tactus immutet subiectum intentionalitet, non est necessum vt possit idem realiter immutare per productionem similis qualitatis. Hanc conclusionem probo à paritate subiecti visus, quod subiectum immutat intentionaliter, & non realiter; color enim speciem sui producit in subiecto, in quo nullum producit colorem. Si verò dicas colorem non esse productiuũ aliùs coloris, esse tamen productiuum speciei, ac proinde subiectũ intentionaliter, & non realiter immutare. Idem argumentũ in luce efformo, cui non poteris hanc adhibere solutionem. Lux distans à luminoso non immutat realiter per productionem lucis partes aëris immediatiores ipsi luminoso, quod omnes concedunt in actione non reflexiuâ, & illas immutat intentionaliter, quod sic probo. Homo existens prope luminosum videt lucem distantem à luminoso existentem in extrema parte cubiculi: ergo lux illa visa producit speciem sui per totum medium, quod est inter hominem videntem, & ipsam lucem visam: ergo immutat intentionaliter partes propinquiores ipsi luminoso quas realiter non potest immutare.

Tertia conclvsio. Tactus sentit calorem, seu aliam qualitatem excedentem intensionem illam, quam exigit organum tactus ad sui temperaturam, siue hic calor sit in alio subiecto, siue in eodem organo tactus. Prior pars, videlicet sentire hunc calorem existentem in alieno subiecto patet experientia, & ab omnibus admittitur. Secundâ verò, scilicet sentiri hunc calorem receptum in eodem organo sic probo. In primis quia nulla est ratio, neq; experientia quæ suadeat hunc calorem receptum in ipso organo non sentiri: nulla est ratio, quia, vt dicebam modò, ad hoc vt qualitas immutet subiectum intentionaliter, non est necessarium, vt illud realiter possit immutare: nulla est experientia, imò hac meam conclusionem probo: quia dum quis febri ardenti laborat, sentit vehementem calorẽ receptum in eodem organo tactus. Respondebis nullam partem sentire calorem receptum in ipsa, sed alium receptum in parte vicina. Contrà: si pars tantùm sentiret calorem partis immediatæ, in sententia horum, tantùm sentiret calorem partis immediatæ exsuperantem calorem existentem in parte sentiente: ergo cùm omnes partes non possint alias calore superare, non omnes calorem sentirent, sed tot partes essent in laborante febri, quæ calorem sentirent quot essent, quæ non sentirent calorem, quod est contra experientiam, cùm enim febris statum impleuit, nulla est pars in infirmo, quæ nimio calore non æstuet. 25

Deinde probo meam conclusionem, quia durum ac difficile est asserere hominem recipientem calorem ita intensum vt illo comburatur, non sensurum hunc calorem, neque dolorem aliquem perpessurum, si hic calor æquè in omnibus suis partibus sub eadem intensione produceretur, quod fieri posse saltem à Deo negabit nullus. 26

Qvarta conclvsio. Tactus non sentit calorem debitum ad propriam temperaturam receptum in ipso organo tactus, quando in prima animalis conditione recipitur in illo, vel diu cõseruatur. Hæc conclusio constat experiẽtiâ, illius tamen ratio est ignota valde, & in nostra sententia difficilis, cùm dixerimus qualitatem in ipso organo receptam sentiri posse: id posset in naturam potentiæ reduci à posteriori cognitam, & non à priori, quod in hac materia sæpè necessarium est difficultatum asylum; nihilominus hãc ego rationẽ propono, quam aliorũ examini remitto. Vt sensatio eliciatur necessum est, vt anima ad illam eliciẽdam conuertatur, & ab aliis operationibus vacet, quibus distrahi potest à sensatione eliciendâ, quæ conuersio licèt in actu secundo fiat per ipsam sensationem, seu productionem eiusdem in actu primo, fit per præsentiam intentionalẽ obiecti apti, siue per se ipsum, siue per speciẽ impressam ad producendam sensationẽ: quæ intẽtionalis præsentia animã reuocat ab aliis obiectis, & illam trahit ad productionẽ sensationis, quando talis præsentia est quasi noua animo, & illi non connaturalis; animus enim insolenter tactus præsentia obiecti se ipsum conuertit ad sensationem illius: cùm verò præsentia obiecti est connaturalis, & diuturna, & non de nouo aduenies non sufficienter animum vocat in actu primo vt in actu secundo sensationem illius producat; animus enim neq; nouiter vocatus per præsentiã obiecti, neq; per eamdem contra sui exigentiam attactus non se ad sensationem obiecti conuertit, neque ab aliis expedit, nihilque de tali præsentia obiecti connaturali, & diuturna curat, quod Hispanè dicitur, *No le haze reparar.* 27

Qvinta conclvsio. Tactus sentit calorem debitum ad sui temperaturam, quando immediatè antea præcessit priuatus illo, & informatur cõtrariâ qualitate. Hæc conclusio probatur experientiâ, cùm enim manus nimis frigida aliquẽ calorem recipit, illum sentit vt primùm recipere incipit, postea verò cessat à tali sensatione. Ratio huius conclusionis sumẽda est ex præcedẽti, quia quando organũ præcessit sub qualitate contraria, aduenientẽ illâ qualitate quæ illi est cõnaturalis, nouiter tãgitur per illius præsentiã acproinde auocatur ab aliis obiect. & trahitur ad sensationẽ 28

Postea verò cùm talis præsentia obiecti nouitatem amittat, & sit connaturalis animo, non valet illum amouere ab aliis obiectis, quæ nouiter, & insoléter animum pulsant, ad quorum sensationes conuertitur nihil curans de præsentia obiecti sibi connaturali, & non nouiter animum vocante.

29 Sexta Conclvsio. Tactus non sentit calorem in subiecto extraneo sub illa intensione, sub qua existentem in proprio organo non sentiret: hanc cõclusionem probat experientia, cùm enim manus æquè calida alteri applicatur neutra calorem sentit: ratio est quia calor in eadem intensione, siue in alio subiecto receptus, eodem modo animum vocat ad sui sensationem: ergo calor, qui receptus in organo tactus non valet illum conuertere ad sui sensationem, neque in alio subiecto existens, id præstare poterit.

30 Septima Conclvsio. Cùm sentitur calor excedens temperamentum organi, non tantùm sentitur secundùm gradus exuperantes, sed secundùm omnes, quia omnes per modum vnius animum vocant ad sensationem, & illorum quilibet est sufficiens ad illam producendam.

31 De gustu eodemmodo philosophandum est; ac de tactu, dicendumque nobis est gustum non sentire saporem sibi connaturalem & diuturnum: sic linguam nullum sentire saporem regulariter non applicato alio subiecto sapido; sentire tamen saporem sibi indebitum etiam inhærentem in ipso organo. v. g. amarorem receptum in lingua hominis morbo laborantis.

32 Obiicies. Homo cùm breuissimo tempore tangit ignẽ, non sentit illius calorem: ergo ex eo quod tactus tantùm sentiat calorem in organo eiusdem receptum, aliàs in vnico instanti, quo manus applicaretur igni, calorem illius sentiret, quia nulla est forma, quæ talem sensationem retardet. Resp. verum esse, manum tangentem ignem per vnicum instans, vel breuissimum tempus, vix illius calorẽ sentire, hoc tamen non prouenire ex eo quod calor non recipiatur in ipso organo tactus, vt probat ratio facta Conclusione 4. Sed quia anima in illo instanti, seu breuissimo tempore non se conuertit ad sensationem eliciendam neque se ab aliis sensationibus expedit, quousque per aliquod tempus præsentiâ obiecti tangatur, atque vocetur: & ob eamdem rationem sentio non videri corpusculum aliquod separatum ab aliis, quia species producta ab illo non valet auocare animam ab aliis obiectis, vt se conuertat ad visionem efficiendam, quod simul cum aliis speciebus pariter per modum actus primi potentiam pulsantibus sufficienter præstat.

Punctvm II.

De sensu interno.

1 Præter hos sensus externos dari alium communem, qui sentiat omnia obiecta sensata per externos sensus, fatentur omnes Philosophi. Probatur ex anatomia, quæ ab organis omnium sensuum inuenit neruos ad cerebrũ deductos, per quos spiritus vitales trahuntur, & mittuntur simulacra, seu species sensationum externorum in sensum internum, si species hæ admittendæ sunt. Efficaciùs probatur eadẽ conclusio ex memoria animalium; videmus enim repetere loca, vbi commodum aliquod sunt experta, & fugere illa, in quibus incommodum reperere, quod fieri non potest si non permaneant species obiecti præteriti in aliquo sensu, cùm verò sensus externi tantùm obiecta præsentia percipiant, necessum est alium internum assignari, quæ absentia cognoscat: tandem id probat experientia, qua videntur sæpe canes dormientes simul, & latrantes, qui non possunt sine aliqua sensatione latrare, & hæc non potest esse sensuum externorũ, quia hi somno ligantur, illorúmque impeditur vsus: ergo sensatio aliqua interni sensus.

2 Hunc sensum dari non tantùm in brutis, sed etiam in homine affirmant Scholastici omnes, & præter rationes suprà dictas probatur specialiter in homine ex appetitu sensitiuo, qui negari non potest, experimur enim sæpè rapi, & inclinari in obiecta renuẽte voluntate: ergo datur alius appetitus distinctus à voluntate: de quo dicebat Apostolus; *Scntio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Dato in homine appetitu sensitiuo materiali non potest potentia materialis cognoscitiua negari, quæ sensus internus dicitur, quia potentia appetitiua essentialiter supponit cognoscitiuam.

3 Varia sunt munera sensus interni, in primis enim est perceptiuus sensationum externarum, quod munus omnes communi sensui tribuunt. Secundum munus est conseruare species deseruientes sensui communi; hoc imaginatiuæ tribuitur: Tertium est obiecta insensatà cognoscere; hoc æstimatiuæ datur: Quartum est coniungere species rerum incomposſibilium; hoc phantasiæ accommodatur, vide inusitata, & monstrosa, seu chimærica simulacra phantasmata vocantur: Quintum est recordari obiectorum prius cognitorum. Est quæstio an pro singulis his muneribus diuersas potentias constituere debeamus, an verò omnia eidem communi sint tribuenda, quæ diuersis nominibus secundũ diuersa illius gaudeat officia, Legatur PP. Conimb. lib. 3. c. 3. q. 1. varias opiniones referuntes. Ego modo breuiter defendo tantùm dari vnicum sensum internum pro omnibus actibus superadductis, siue dentur omnes, siue non, de quo postea; ratio est, quia omnes possunt ab eadem potentia procedere: ergo non est necessarium potentias multiplicare, quod in mea sententia, quæ nullam ab anima distinguit constanter defendi debet.

4 Obiicies: ad recipiendas species conducit humiditas, ad retinendas siccitas: ergo non potest eadem potentia hæc duo obire munera, quia non potest habere dispositiones oppositas. Hoc argumentum probat diuersum fore subiectum receptiuum specierum, & conseruatiuum illarum, quod per se apparet falsum, quia non potest subiectũ species conseruare quin eas aliquando primò recipiat; quapropter Resp. ad recipiendas & ad conseruandas species non requiri siccitatem, neque humiditatem in summo, ac proinde potentiam attemperatam his duabus qualitatibus contrariis, quæ in gradibus remissis non contrariantur, posse ratione vnius qualitatis species recipere, & ratione alterius easdem conseruare.

5 Circa actus suprà assignatos dicendum est dari actum sensus communis, scilicet perceptionem sensationum, & æstimatiuæ, conseruationem videlicet specierum deseruientium sensui communi, & memoriæ, quæ est recordatio obiectorum præteritorum; non tamen æstimatiuæ, neque phantasiæ. Non dari actum æstimatiuæ, scilicet cognitionem obiectorum insensatorum probo: Sensus internus nõ est discursiuus: ergo non infert vnum ex alio: ergo per species vnius obiecti non potest aliud cognoscere, neque principium habet ad cognoscenda obiecta, quæ prius sensata non fuêre sensu aliquo externo, ni dicas illi infundi species obiectorum, quæ sensus externi non percepêre, quod omni fundamento caret, cùm homini non infundantur in intellectu, quæ est potentia longè nobilior sensu communi.

6 Obiicies. Quis cognoscit disconuenientiam cum lupo & fugit ab illo, & conuenientiam cum cane, quem sequitur: sed conuenientia, & disconuenientia non fuit sensata per sensus externos: ergo aliquid cognoscitur per sensum internum quod per externos non fuit sensatum. Respondeo ouem non cognoscere conuenientiam, neque disconuenientiam cum cane, & lupo, sed tantùm illorum externam figuram, quam attingit sensu externo, & interno: cognita autem lupi figura per sensum internum, appetitũ per naturalem antipathiam illam fugere sine alia cognitione, illa enim figura est inuisa, & ingrata oui, licèt alij animali grata esse possit: sicut diuersa entia naturalia respectu eiusdem tertij habent diuersos appetitus innatos, hoc prosequutionis, & illud fugæ: aqua enim per naturalẽ inclinationem appetit frigiditatem, & ignis per innatam virtutem illam abhorret: sic appetitus elicitus in hoc animali inclinatur in hoc obiectum, & appetitus illius idem abhorret iuxta varias inclinationes, quas illis indidit auctor naturæ, qui lapidi omni absque vlla cognitione propensionem dedit in centrum ad sui conseruationem aptissimum. Eadem inclinatione feruntur aues, & animalia tempore hyemis in hæc loca, & tempore veris in alia ad illorum conseruationem pro diuersitate temporum accommodata. Eodem modo cum aliquo morbo laborant pleraque animalia quærunt herbas quas numquam fuerunt experta, aptas ad purgationem, & prauos humores expellendos, quæ omnia in natiuam inclinationem, & propensionem naturæ ab illius auctore inditam sunt tribuenda, qui illis hanc propensionem in proprium commodum est impertitus in supplementum rationis, & discursus, quibus carent.

7 Non dari actum phantasiæ componentem obiecta incomposſibilia

compossibilia eâdem ratione probo. Sensus communis cognoscit per species, quas habet, neque illius est dicere, *hoc est illud*, neque substantias attingit, ac proinde non potest confundere prædicatum hirci cum prædicato cerui, sed tantùm potest accidentia vtriusque cognoscere quasi contigua seu vnita, quod non est dicere vnum esse aliud, quatenus tamen potest percipere accidentia hirci, & cerui contigua, potest aliquo modo dici hirco-ceruum cognoscere, & phantasmata formare, & phantasia dici, in re tamen à sensu communi distinguenda non est.

8 Sensum communem residere in corde putarunt Aristot. & Chrysippus cum suis. Galenus acriter in hac parte inuehitur in Arist. lib. 1. c. 3. de placitis Hippoc. & Platonis, aitq; cæcè ad cæcos Arist. fuisse locutum ex ignorãtia anatomiç. Defendo cum communi sententia sensum cõmunem residere in cerebro. Hæc est communis recentiorum sententia quam probat Galenus lib. 2. c. 11. anatomicâ experiẽtiâ, quæ monstrat in organis omnium sensuum neruos quosdam, per quos sensationes deferuntur ad cerebrum, & spiritus animales trahuntur ad sensationum officinas.

9 Secundò quia dum quis nimio studio defatigatur dolorem sentit in capite, & non in corde: ergo in capite sensationes internæ exercentur, hæ enim hominẽ defatigant, nõ ratiocinationes, neque discursus, sunt enim spirituales, ideoque per se non possunt dolorẽ, neque defatigationem parere. Deinde phreneticis, in quibus orgãa sensationum internarum distemperiem patiuntur, non in corde medicamenta applicantur, sed in capite, quod signum certũ est has operationes in capite exerceri. Argumẽta, quæ pro sua sententia adducit Arist magis sunt politica, quàm Philosophica, neque solutione indigent, sunt enim leuissimi momẽti.

Punctum III.

De appetitu sensitiuo.

1 DAri appetitum sensitiuum in homine, & in aliis animalibus constat ex dictis puncto præcedenti, & probatur testimonio Pauli relato, cui adde Concil. Trident. definiens dari in nobis fomitem peccati, hoc est propensionem, & inclinationem in obiecta delectabilia in quæ voluntatem ferri, esset contra rectam rationis regulã, quia tamen hæc potentia, seu hic appetitus rationem anteuertit, ideo actus illorum non sunt peccata illis voluntate reluctante, quæ Dei auxilio præuenta suaues, fallaceſque appetitus pulsationes, quæ animum pelliciunt reddit irritas.

2 Hic appetitus diuiditur in partem concupiscibilem, & irascibilem; quæ diuisio non est potentiarum differentium; sed actuum diuersorum ab eadem potentia prouenientium; quatenus enim appetitus in bonum inclinatur, *concupiscibilis* dicitur; & quatenus malum fugit, *irascibilis* appellatur.

3 S. Thomas, qui sensum communem, imaginatiuam, *&c.* distinxit, tot appetitus internos materiales constituit, quot sensus internos seu potentias materiales internas, quia secundùm multitudinem cognoscentium multiplicatur appetentium numerus: nos verò, qui potentiam vnam cognoscitiuam internam tantùm cognoscimus, non debemus multiplicem appetitum internum concedere: sed vnicum tantùm.

4 De sede huius appetitus existimauit Arist. esse cor, cui assentitur Galenus, parum consequenter, cùm asserat sensũ communem esse in cerebro, cui ego cum Hurt. disp. 17. sect. 10. virtutem appetitiuam accommodo; cùm enim appetitus dependeat à sensu communi, meliùs percipitur, quomodo cognitio sensus interni possit mouere potentiam appetitiuam, si in eodem subiecto vtraque potentia resideat, quàm si vna ponatur in cerebro & alia in corde. Video rationem hanc non concludere; poteris enim dicere sufficere radicari in eadem anima actum sensus: & actum appetitus, vt hic possit ab illo dependere, etsi actus loco distent, quia eadem est anima. quæ cognoscit, & quæ appetit, præcipuè rationalis, quæ est indiuisibilis: sed in tota hac sensuum materia vix ratio efficax inuenitur, neque aliâ æquè congruentem inuenies pro opposita sententia. His rationibus adde aliam petitam ex experiẽtia aliquorum casuum, quos refert Hurd. suprà, quibus visa sunt capita animalium à corpore abscissa voces efformare, quod signum est sensum communem in capite residere, & non corde.

5 Obiic. illud Euangelij: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Resp. nomine cordis, & aliarũ partiũ animam intelligi, alibi enim dicitur: *Diliges proximum tuum ex toto corde tuo, & ex totis visceribus tuis*: in visceribus autem nulla potentia appetitiua residere potest.

Obiic. Cor pati deliquia, & dolorem sentire obiectis dissonis: ergo in corde residet virtus appetiua. Resp. cor pati his affectibus sicut reliquæ partes sensationibus externis, grauius tamen cor, quia est pars magis principalis, & ita peregrinæ impressiones magis eam immutant; deinde quia quando causâ metus, aut alterius rei sanguis deserit cor, vel nimius ad illud confugit, cor excessu sanguinis grauatur, vel illius recessu languescit, defectuque spirituum vitalium, qui sanguine abeunt. 6

Circa appetituum numerũ Hurt. disp. 17. sect. 11. docet diuersis sensibus externis diuersos respondere appetitus, quod hac ratione probat. Bonũ apprehensum est obiectum appetitus: sed bonũ visum, & auditũ, est bonum apprehensum: ergo obiectorum appetitus: sed non appetitus cõmunis: ergo particularis; priorẽ syllogismũ docet esse euidentẽ Hurt. Minor, seu antecedens secundi probatur: Appetitus internus non fertur in obiectũ vt visum, & vt auditũ, quia nõ mouetur sensatione externà: ergo debet dari alius appetitus, qui feratur in obiectum vt visum, & alius in obiectũ, vt auditũ. Si dicas appetitũ internũ sufficere ad omnia obiecta visa, & audita, quia fertur in illa remotè, quatenus fertur in ipsa iã sensata sensu interno: Occurrit Hurt. non sufficit appetitus rationalis vt feratur in obiecta sensata sensu cõmuni, etiamsi rationalis remotè feratur in obiecta sensu cõmuni sensata; sed datur alius appetitus illi correspõdens: ergo debẽt dari appetitus alij correspõdentes sensibus externis, seu obiectis sensatis sensibus externis. etiãsi detur appetitus internus, qui remotè in illa obiecta feratur. 7

Hæc multiplicatio sensuum, est contra sensum, & consensum communem omnium, qui nunquam de his appetitibus meminere, quos inter potentias animæ recensere debuissent, sicuti sensus interni annumerãtur. Deinde fundamentum Hurtadi nullius est momenti, quia bonum, neque vt cognitum cognitione spirituali, neque materiali, neque vt auditum, neque visum, est obiectum appetitus, si verbum *vt* reduplicet rationem formalem amandi: si verò dicat conditionem; respondeo cognitionem spiritualem esse conditionem immediatam amoris spiritualis, & sensationẽ internam appetitus materialis, quod probatur argumentis factis propriis locis: auditionem verò & alias sensationes non esse conditiones immediatas aliorum appetituum, quod ideo nego, quia nullum fundamentum ad affirmandũ, neque ad hos appetitus constituendos inuenio. 8

Alij probant dari hos appetitus, quia in sensibus externis datur voluptas & dolor: ergo datur appetitus coniunctus ipsis externis sensibus, quia hi neque delectantur neque dolent, neque complacent, neque displicent. Hurtadus hanc rationem non probat, & respondet appetitum communem gaudere, & displicere de obiecto sensato, quia sicut lux videtur in subiecto, in quo est à potentia distanti; sic dolor sentitur in obiecto, scilicet in organo sensus, quia inde speciem traiicit in sensum communem, quo repræsentato, appetitus de illo displicet. 9

Arriaga disp. 5. sect. 6. docet voluptatem, atque dolorem consistere in apprehensione, seu cognitione sensus communis percipientis obiectum sensatum sensu externo, & eodem modo, ac Hurtad. asserit sentiri in sensu externo seu organo illius, quia ibi est obiectum, cuius cognitio torquet, vel delectat animã, in qua residet voluptas, & dolor. 10

Vtraque sententia displicet, quia dolor torquet pedem, in quo est: ergo actus in quo consistit dolor, est subiectiuè in pede, & non tantũ est in illo obiectũ doloris: ergo actus doloris distinguitur ab actu sẽsus interni, & ab actu appetitus. Exemplũ, quod adducit Hurt. de luce non est ad rem: lux enim videtur in subiecto, in quo est, v. g. in pariete obiectiuè, non verò subiectiuè, neq; illi tribuit denominationem videntis: obiectũ autẽ doloris, subiectiuè torquet subiectũ, in quo est, v. g. pedẽ vel manum quã dolere dicimus. 11

Melius responderi existimo ipsam sensationẽ externam formaliter esse subiecto disconuenientẽ, & in ea formaliter consistere torturã, quam dolorem vocamus, & similiter in sensatione externa consistere mollitiẽ, seu dulcedinem, quâ recreatur pars illa, in qua fit tactio, seu sẽsatio tactus, quæ dolori opponitur, & voluptas dici potest: ni velis nomen voluptatis seruare complacentiæ appetitus interni, quæ sensationem oppositam dolori sequitur, sicut displicentia dolorem, seu sensationem subiectum torquentem. 12

PVNCTVM IV.

An de potentia Dei absoluta possit dari sensatio externa de obiecto non existenti.

1 PRima sententia est Buridani lib.2. de anima q.21.& 22. asserentis absque præsentia obiecti posse naturaliter dari sensationem externam.

2 Secundam sententiam tenet Gabriel in 2. dist.3.vbi affirmat obiectum non existens, vel absens adhuc de potentia Dei absoluta videri non posse.

3 Tertia sententia affirmat de potentia Dei absoluta posse sentiri obiectum absens, vel non existens positâ à Deo in sensu externo specie impressa sensationis productiuâ. Ita P.Molina 1.p.q.55. art.2. disp.2. membr. 5. Suarez tom.3. in 3.p.disp.53.sect.41.Conimb.lib.2.de anima c.6.q.3 art.1.Rub. lib.2. de anima,tract.de obiectis,atque speciebus,q.13. An verò productio speciei sit necessaria,vt à Deo suppleri non possit non omnes disputant. Conimbr. asserunt sine specie impressa in sensu producta adhuc de potentia Dei absoluta non posse fieri sensationem. Oppositum satis clarè insinuat Molina suprà, & ex rationibus, quibus probant ferè omnes posse suppleri à Deo præsentiam obiecti,clarè euincitur.

4 PRIMA CONCLVSIO. Naturaliter dari nequit sensatio exrerna, neque per minutulam temporis mensuram, sine præsentia obiecti concurrentis ad sensationem immediatè per suam entitatem, vel per speciem dependentem ab illo in conseruari. In hanc conclusionem conspirant ferè omnes Doctores, cuius ratio omnibus est communis, atque perspicua:species est producta ab obiecto, & dependet in fieri, & conseruari ab illo : ergo illo absente naturaliter non potest species permanere : ergo obiectum absens non potest specie impressâ mediante influere in sensationem, neque per se ipsum,quia agens non applicatum nequit agere in passum : ergo nullo modo. Species productas ab obiecto dependere ab illo in conseruari satis est manifestum; si enim hanc dependentiam non haberent, per longum tempus durarent in pupillâ,sicuti species memoratiuæ durant in sensu interno, & ego modò viderem obiectum, olim mihi præsens, quod iam diu abest. Respondebis species posse parum temporis durare absente obiecto,non verò per longum tempus. Contrà : Lux, & alij effectus, qui dependent in conseruari à suis causis, nec minimâ temporis particulâ conseruantur deficiente principio, à quo dependent in conseruari:ergo sine fundamento de speciebus dicitur posse durare aliquo tempore illarum principio deficiente, imò contra rationem,si enim aliquantulùm conseruarentur pro illa minima parte temporis, assignanda esset actio dependens ab alio agente, quæ sicut primo incepit, posset diu durare.

5 SECVNDA CONCLVSIO. Potest Deus speciem impressam conseruare absente obiecto. Probo : Species impressa tantùm dependet in conseruari ab obiecto in genere causæ efficientis, eo modo quo lux dependet à sole : ergo poterit Deus supplere hunc obiecti concursum immediatè producendo speciem impressam per aliam actionem distinctam ab illa,quâ dependeret ab obiecto; neque aliqua repugnantia in hac conseruatione reperiri potest,cùm species impressa non sit forma vitalis dependens per se ipsam ab obiecto : Confirmatur; species impressa aliquando immediatè producitur ab obiecto, aliquando ab alia specie impressa : ergo non dependet per seipsam ab obiecto, sed mediâ actione : ergo poterit dependere efficienter tantùm à Deo mediâ actione distincta ab illa, qua dependeret ab alia causa secunda.

6 TERTIA CONCLVSIO. Supposita specie impressâ in potentia absente obiecto, supernaturaliter conseruata obiectum etiam absens naturaliter potest videri. Probo hanc conclusionem : Obiectum duplici modo concurrit ad sensationem media specie (loquor de obiecto quod mediis speciebus sentitur) per concursum actiuum;& immediatè in genere causæ formalis extrinsecæ tenentis se ex parte obiecti, vt concurrat primo modo tantùm requiritur applicatio speciei habentis vim actiuam ad talem concursum exhibendum;vt concurrat in genere causæ formalis extrinsecæ tenentis se ex parte obiecti non requiritur illius existentia : ergo posita specie, etiamsi obiectum non existat, poterit concurrere absque nouo alio miraculo,præter conseruationem speciei quam supponimus. In toto discursu tantùm indiget probatione illud antecedens, quo dixi ad concursum obiectiuum non requiri existentiam obiecti, quod sic probo : obiectum purè quatenus obiectum seclusa modo actiuè efficiendi,seu mouendi,ex eo præcisè quod terminet nihil influit : ergo ad hoc vt obiectum terminet actum non requiritur illius præsentia, imò neque existentia. Confirmatur:non minùs terminat actum, quo iudico Petrum currere, Petrus currens,quâm visio, qua video parietem album, paries albus : sed ad hoc, vt hoc obiectum *Petrus currens* terminet iudicium, non requiritur Petrum esse currentem : ergo ad hoc vt paries albus terminet visionem, requiritur parietem esse album. Dices disparem esse rationem, quia iudicium quo ego iudico Petrum currere, quod non exigit Petrum currentem, est cognitio abstractiua; visio verò,qua video parietem album est intuitiua,ideo hæc exigit obiecti existentiam, & non illud.Contrà:obiectum cognitionis abstractiuæ æquè terminat suam cognitionem, ac obiectum visionis intuitiuæ, intuitiuam visionem, neque ratio termini magis propriè, aut intrinsecè conuenit obiecto visionis intuitiuæ quàm cognitionis abstractiuæ : ergo præcisè ad rationem terminandi seclusa concursu actiuo, quem præstat obiectum visionis intuitiuæ, non magis requiritur existentia obiecti visionis intuitiuæ, quàm cognitionis abstractiuæ. Quod ex alio capite requiratur existentia obiecti visionis intuitiuæ vt conseruet speciem, non ipficior, sed iam suppono hanc exigentiam esse dispensatâ à Deo conseruâte miraculosè speciem.

Vrgeo : Si Deus conseruaret speciem absque illo concursu obiecti, quod esset præsens in loco aliquantulùm distanti à potentia, ex quo speciem iaculari posset, & naturaliter videri,etiam negato concursu ad producendam speciem,quem Deus suppleret, videretur : ergo eodem modo videretur etiamsi distaret per mille leucas,imò etiamsi non existeret,quod sic probo. Obiectum in tali casu distans per duas vlnas,non esset applicatum neque mediatè neque immediatè;non immediatè vt per se patet;non mediatè,quia obiectum in ratione obiecti non applicaretur mediis aliis proximioribus agenti, quia spatium intermedium poterat esse repletum aëre luce vacuo,qui videri non posset : ergo obiectum illud nullam haberet applicationem mediatam, vel immediatam, & tamen posset naturaliter terminare visionem : ergo eamdem terminaret etiamsi per longissima distaret spatia, imò etiamsi non existeret, quia ideo obiectum applicatione non indiget ad terminandam visionem, quia præcisè per hoc quod est illam terminare, nihil præstat neque influit in visionem : quod autem nihil influit in visionem,non requiritur existens, vt existat visio. 7

QVARTA CONCLVSIO. Eademmet visio quæ ab specie procedit,seu quælibet alia sensatio,quæ immediatè producitur ab obiecto non potest existere de potentia Dei absoluta non existente in rerum natura specie,vel obiecto, à quo immediatè procedebat:poterit tamen existere etiamsi species, vel obiectum influens longè absit,dummodo existat in rerum natura. Ratio prioris partis conclusionis in meis principiis euidens est. Sensatio non dependet mediâ actione interiectâ à principio effectiuo:ergo repugnat:hæc numero sensatio sine hoc numero principio effectiuo. Posterior pars conclusionis haud difficilè probatur. Præsentia obiecti,vel speciei concurrentis effectiuè ad sensationem, tantùm requiritur sicuti applicatio inter agens,& passum; sed hæc applicatio potest suppleri à Deo vt probaui 7.Physic.ergo species, vel obiectum distans à potentia poterit agere in illam,& sensationem producere. 8

Dices, speciem distantem à potentia non posse illi esse vnitam, ac proinde non posse cum illa effectiuè concurrere. Respondeo dato ad præsentem quæstionem, speciem distinctam à potentia non posse illi esse vnitam, negando non posse sine vnione cum potentia concurrere;quia etiamsi vnio esset conditio ad talem concursum, posset Deus illam supplere,sicuti supplet conditionem approximationis. Addo talem vnionem non requiri, vt species impressa adiuuet potentiam ad operandum : si enim sine illa species posset esse applicata simul cum illa operaretur, sicuti alia comprincipia, quæ diuisa ab aliis simul cum illis per eamdem indiuisibilem entitatem influunt in effectum. 9

QVINTA CONCLVSIO. Potest dari de potentia Dei absoluta sensario caloris non existentis procedens immediatè à Deo & à potentia visiua absque vlla specie interiecta. 10

Probo

Probo. Visio dependet ab specie impressa tanquam à principio effectiuo realiter operante: ergo poterit dari visio, quæ immediatè procedat à Deo supplente vices speciei impressæ. Probo consequentiam: visio coloris secundùm id quod dicit præcisè in ratione visionis tendentis in hoc obiectum ex nullo capite petit essentialiter dependere ab specie impressa: ergo poterit depẽ dere à Deo speciali quodam modo, itavt non dependeat ab specie impressa. Probo antecedens: visio quatenus est vitalis actio tantùm petit dependere à vita immanenter operante, quod habet eo ipso quod procedat ab anima, modo dependeat ab specie impressa, modò tantùm à Deo, & à potentia dependeat: secundùm rationem constitutiuam in ratione visionis corporeæ tantùm petit tendere circa tale obiectum: ergo nullum est prædicatum competens visioni corporeæ vt sic abstractæ ab hac vel illa visione per quod petat necessariò ab specie impressa produci. Neque refert visionem dependere per se & immediatè à principio effectiuo, ne possit visio aliqua esse independens ab specie, ex hoc enim tantùm infertur illam visionem, quæ de facto dependet vel dependere potest ab specie, non posse non dependere ab illa, quod tradidi in conclusione præcedenti; non tamen arguitur non posse dari visionem aliam siue numero, siue specie distinctam tendentem in eundem colorem dependentem tantùm à Deo, & à potentia visiua, nullâ interiectâ specie, sicuti actus charitatis immediatè dependet à suis principiis, & potest dari actus per se & immediatè dependens ab habitu, & alius per se immediatè dependens à Deo speciali modo concurrente, & à potentia volitiua, & independenter ab habitu.

11 Sexta conclvsio. Visio, quæ procederet à Deo specialiter concurrente, & à potentia visiua independenter ab specie impressâ talis esset naturæ, vt non solùm posset esse supernaturaliter absque præsentia obiecti, sed vt neque naturaliter illam exigeret, & æquè bene posset naturaliter existere præsente, vel absente, & adhuc non existente obiecto. Hæc conclusio alicui forsan singularis apparebit, illam tamen per legitimas & claras illationes deducam ex præcedentibus, in quibus nulla est non communis, quam maior pars Scholasticorum non tueatur. Sic argumentor ad probandam prædictam conclusionem. Visio per suammet entitatem dependens à potentia, & à Deo specialiter concurrente, independenter ab specie, nõ potest ab specie dependere, quia effectus, qui non dependet à suis principiis mediâ actione nunquam potest dependere ab illo à quo aliquando existens non dependet, vt notum est: ergo visio illa non indiget specie impressâ, quia non potest exigere principium, à quo dependere illi repugnat: ergo non indiget præsentiâ obiecti. Probo consequentiam, visio tantùm indiget obiecto quatenus indiget specie producẽda ab illo quæ se habeat ex parte principij actiui respectu visionis, vel quatenus indiget illo immediatè concurrente: sed visio illa non indigeret specie, neque indigeret obiecto immediatè concurrente, quia per se immediatè dependeret à Deo tantùm specialiter operante; & à potentia, & illi repugnaret dependere ab alio: ergo nullo modo indigeret obiecto: Antecedens illud scilicet visionem (id dico de qualibet sensatione) tantùm indigere præsentia, & existentia obiecti, quatenus indiget præsentiâ mittẽdâ ab illo, vel quatenus indiget eodem tenente se ex parte principij immediatè cõcurrente, traditum est conclusione tertia, vbi ex professo illud probaui.

12 Dices, hanc visionem indigere præsentia obiecti, vt hæc Deum determinet ad illam producendam, quam absente obiecto non produceret. Contrà: præsentia obiecti ex se non est determinatiua respectu Dei ad hanc visionem producendam: ergo adhuc secundùm hanc rationem visio non indiget præsentiâ obiecti. Antecedens probo, præsentia obiecti, v. g. coloris sentiendi per speciem, & coloris sentiendi sine specie intermedia non exigit, vt Deus cũ potentia nullo alio principio concurrente producat sensationem: ergo non exigit sensationem procedentem à potentia, & à Deo specialiter concurrente: sed præsentia obiecti exigit concursum præstandum ab illo mediatè, vel immediatè actiuè concurrente in sensationem: v. g. præsentia coloris petit concursum ad producendam speciem impressam productiuam visionis, & media hac specie impressa petit visionem producendam à potentia & ab specie impressa, & præsentia caloris in opinione, quæ potentiæ tactiuæ species negat, petit concursum immediatum in actum tangendi, ac proinde præsentia vtriusque obiecti exigit sensationem distinctam ab illa, quam Deus produceret simul cum potentia nullo interueniente principio: ergo illa non exigeret præsentiam obiecti, vt Deum determinaret ad ipsius productionem: ergo nullo modo. Rationem propositam, paucis cinctam iterum do: Obiectum tantùm requiritur vt mediatè, vel immediatè influat in sensationem: sed obiectum non potest influere mediatè, neque immediatè in sensationem procedentem à Deo, & à potentia tantùm: ergo non requiritur ad sensationem hanc procedentem tantùm à Deo, & à potentia.

Septima conclvsio. Sensus qui possunt ferri in obiecta vt præsentia, possunt etiam ferri in obiecta vt distantia. Probo: Obiectum videri, vt distans est à me, (idem dico de auditu) nihil aliud est, quàm me existentem Compluti illud videre Romæ præsens, seu cum præsentia Romana: sed existens Compluti possum illud videre cum præsentia Romana: ergo possum illud videre vt distans. Min. probo: potest de potentia absoluta præsentia Romana agere in passum sub quacumque magna distantia: ergo potest de potentia Dei absoluta producere speciem impressam sui in mea potentia Compluti existenti: ergo mea potentia visiua fœcunda specie impressâ missâ à præsentia Romana poterit existens Compluti obiectum videre cum præsentia Romana: ergo poterit illud vt distans intueri. Alio modo: potest Deus in mea potentia Compluti existenti producere speciem impressam coloris, & præsentiæ, quam Romæ color habet, vel simul cum mea potentia, sine specie concurrere ad videndum colorem & præsentiam Romanam: ergo possum videre obiectum non solùm distans, sed etiam vt distans: si dixeris ad percipiendam distantiam non solùm requiri me existẽtem Compluti videre obiectum, & præsentiam, quam habet Romæ, sed requiri alia corpora interiacentia à me videri; de hoc non curabo, quod verum esse fateor, quia si semel concedas me posse videre obiectum cum præsentia Romana, negare non poteris posse simul interiacentia corpora à me videre. De sensibus aliis, qui non percipiunt obiecta præsentia per se notum est, non illa posse formaliter vt absentia percipere, quia non possunt aliquam illorum præsentiam attingere. 13

Octava conclvsio. Nullus sensus ferri potest in obiectum non existens formaliter vt non existens. Probo. Obiectum vt non existens dicit negationem, sed nullus sensus ferri potest in negationem: ergo nullus sensus ferri potest in obiectum vt non existens. 14

Obiiciunt Conimbricenses, vt probent non posse produci sensationem à Deo specie impressa non interueniente: sensus externi talis sunt naturæ, vt tendant in obiecta provt se habent hîc & nunc, id est, provt materialibus situs distantiæ, & quantitatis conditionibus affecta existunt, atque adeò vt præsentia à parte rei, vel saltem repræsentata, vt præsentia. Non satis vim illationis percipio, atque adeo rationem retuli, vt iacet apud nostros Lusitanos. Si aliquid probaret ratio, conuinceret sensum non posse ferri nisi in obiectum physicè existens à parte rei, quia sensatio non debet ferri in obiectum vt existens tantùm in sensu, quia quælibet cognitio etiam abstractiua, & falsa fertur in obiectum vt existens in potentia cognoscente in actu primo per principia producente cognitionem, & in actu secundo per ipsam cognitionẽ. Resp. sensatione necessariò repræsentari rem existentẽ physicè à parte rei, & præsentem in aliquo loco, si sensus à quo procedit perceptiuus est sensibilis communis: & obiectum illud, quod repræsentat attingere secundùm omnia prædicata physica, & secundùm omnes rationes, quas haberet si physicè existeret à parte rei; non tamen exigere illud habere existentiam, neque entitatem repræsentatam, nisi solùm ratione concursus actiui, quem obiectum præstare debet vt existat sensatio, qui si suppleatur à Deo producente speciem impressam vel immediatè in visionem influente, obiecti existentia ex nullo capite erit necessaria. Neque aliud argumentum alicuius momenti contra doctrinam traditam inueniri potest: tota enim difficultas, si qua est, nascitur ex intuitione sensationis quæ obiectum existens exigere videtur, quia illud, vt existens repræsentat, quæ iam soluta est, aliud enim est repræsentare obiectum vt existens, hoc est illius formalem existentiam cum omnibus prædicatis, quæ includit existentia quando est in rerum natura; aliud ita strictè illius existentiam physicam exigere, vt sine illa esse 15

non possit ; primum est verum : secundum non probo.

16 Obiicies. Sensus non potest ferri extra suum obiectum; sed obiectum vt absens non est obiectum sensus:ergo non potest in illud sensatio aliqua tendere. Resp. obiectum vt absens,& vt præsens non dicere aliquid distinctum tenens se ex parte sui,si illud *vt absens* intelligatur respectu videtis,quia obiectum per eamdem præsentiam Romanam dicetur absens respectu videntis existentis Matriti , & præsens respectu videntis existentis Romæ , ac proinde vt absens,& vt præsens esse obiectum potentiæ visiuæ, quia præsentia Romana potest videri, visâ præsentiâ, quâ videns est Romæ,& tunc videbitur vt præsens,& visâ aliâ præsentiâ , quâ videns alio actu videt se esse Matriti , & tunc vt absens videbitur, non enim videtur obiectum formaliter vt absens,vel vt præsens exvi visionis tantùm,quâ Romæ videtur;quia obiectum cum præsentia Romana indifferens est, vt sit absens,vel præsens respectu videntis, à quo videtur, quia absentia,& præsentia inter duas res distinctas desumenda est necessariò ab vtriusque præsentia.

Punctum V.

An sensus internus percipiat negationes.

1 Sensum internum non percipere negationes communis sententia docet. Singularis iam in hac re Arriaga, disp.5.sect.5. nonnulla docuit difficilia. Asserit bruta negationes percipere per species insensatas infusas à Deo,& quod difficilius est bruta cùm per foramen egredi tentât formare hoc iudicium, *ibi nihil est*, eo modo quo id pueri apprehendunt. Vtrumque impugno breuiter:Species illæ negationis sine fundamento ponuntur in brutis: ergo malè ponuntur. Constabit antecedens ex impugnationibus quas argumentis factis ab Arriaga ad probandum bruta percipere negationes applicabo.Secundum efficaciùs impugno : si brutum habet hoc iudicium *ibi nihil est*, necessariò apprehendit rationem quandam communem abstractam ab omnibus negationibus , quia apprehendit negationes omnium colorum per modum vnius, quia vt ipse expressè fatetur non facit hanc distinctionem non est ibi album, nigrum, rubrum, &c. ergo apprehendit has negationes sine distinctione inter ipsas:ergo brutum habet cognitionem abstractiuam;& facit vniuersale,eo modo quo illud efficit homo,eadémque proprietate : quia homo eatenus facit vniuersale,quatenus plura apprehendit sine distinctione inter ipsa, neque aliam vnitatem tribuit naturæ , quam vt vniuersalem apprehendit , iuxta opinionem Arriagæ , quam vt veram defendimus. Consequens existimo esse legitimè illatum, quod si illud deglutiat Arriaga,deuorare tenebitur bruta facere vniuersalia,per cognitionem procedentem à propriis obiecti speciebus : quod sic probo. Illud iudicium prouenit ab speciebus negationum, quas Deus indidit brutis, vt defendit Arriaga : ergo vniuersale fit per species proprias negationum:ergo datur cognitio abstractiua procedens à propriis obiecti speciebus, quod tota negat Schola.Vltimò si animal sensationes sentiret,viderétque negationem lucis, posset canis videre modò negationes omnium graduum lucis , & negationes omnium colorum,quæ de facto in rerum natura existunt, quia illarum habitus videlicet gradus diuersi lucis,variiq; colores producti non fuerunt. Ad hæc , animal existens Compluti posset videre negationem lucis modò Romæ productæ , quia per productionem lucis existentis Romæ non corrumpuntur species , quas habebat de negatione eiusdem lucis : ergo poterit illam sentire , quia vt probabam puncto præcedenti , præsentia vel existentia obiecti non requiritur ad sensationem , quando species impressa illius absque tali existentia valet subsistere.

2 Expendo argumenta facta ab Arriaga,vt videas absque fundamento has sensationes negationum brutis concessisse. Sic arguit : Brutum tentat egredi per foramen , vel portam muri , & non per aliam partem muri , non casu, quia via recta tendit in foramen illud : ergo percipit ibi non esse impedimentum ad egrediendum , quod percipit aliis partibus muri , quas non impetit. Probo contra Arriagam necessum non esse canem videre negationem impedimenti,vt tentet exire per partem,aut foramen muri. Cùm canis tenetur cubiculo obscuro , in quo nihil videt, tentat per omnes partes illius exire,& non semel parietes frustrà attrectat manibus,vt fugam capessat:ergo vt canis viâ tentet per aliquod spatium,necessum non est ipsum videre impedimenti negationē,sed sufficit impedimē-tum non vidisse.Ex hac doctrina solutionē apertam habet argumentum Arriagæ,cui resp. canem videntē murum,vel pannum pendentē,viam tendere per portam,vel foramen muri,vel panni,quia per illud spatium nullum videt impedimentum,quo retrahatur à via, quam intendit vt perueniat ad terminum, in quem viam destinat , vel attractum obiecto,quod ibi præsentit, vel vt fugiat obiectum aliud, cuius molestam sensationem patiebatur in spatio , in quo antea erat, quem motum non ordinat per medium parietem,seu pannum, quia illius visione deterretur.

Arguit similiter Arriaga : Vrsus cùm lapidem manu capit,vt in hominem iaciat,non magnum aliquod saxum intendit apprehendere,sed paruum lapidem quem manu cõtinere possit:ergo apprehendit conuenientiam in ipsa paruitate lapidis,siue in negatione magnitudinis:ergo apprehendit negationem ipsam. Hoc argumentum eodem modo infringitur,ac præcedens, cui ex eadem doctrina resp. Vrsum conuenientiâ apprehendere in tanta magnitudine lapidis vt lapidem in hominem iaciat, & disconuenientiâ in excessu huius magnitudinis quam agnoscit in ingenti saxo ; & ita hac disconuenientia motus ingens saxum apprehendere non intendit , sed paruum lapidem , in quo positiuè apprehendit positiuam extensionem requisitam ad id, quod intendit , & ex alio capite nihil apprehendit disconuenientiæ in ipso lapide, ac proinde motus positiui extensione, & non motus excessu maioris requisitâ , paruum lapidem apprehendit. 3

Aliud argumentum desumit Arriaga ex sensatione vmbræ quo sic vtitur. Canis terretur vmbrâ hominis : ergo sentit vmbram:ergo sensatio negationem attingit.Canem non terreri tantùm sensatione vmbræ perspicuum esse existimo,quia si canis non sentiret vmbram talem figuram referentem, sed per aliud maius spatium diffusam , illâ non terreretur,in quo casu eandem negationem, quam antea, sentiret,eadem enim est negatio in spatio magno ingenti corpore lucem impediente , quæ erat, dum homo in aliqua illius parte lucem impediebat , & vmbram referebat in similitudinem propriæ figuræ,quia corpus magnum lucem quam impediebat homo,& rursus aliam impedit:ergo canis saltem inadæquatè terretur luce cingente negationem lucis,ratione cuius negatio illa similitudinem refert hominis, cuius dicitur vmbra. 4

Probaui lucem saltem inadæquatè canem deterrere, modò affero terreri adæquatè luce cingente vmbram , & memoriâ lucis , quæ immediatè præcesserat in spatio, in quo est vmbra, quando immediatè præcessit iunctâ negatione sensationis, quam antea habebat circa lucē per vmbram extinctam , quæ negatio sensationis per se ad terrorem non conducit,sed est veluti occasio, vt aliæ sensationes positiuæ terrorem incutiant,sicuti cùm homo fœdum aliquod monstrum primò videt tunc terretur,& non postquâ illud primò vidit;& certè non ex alio capite nisi quia negatio sensationis immediatè præcessit primam temporis mensuram,in quo monstrum videt , & non immediatè præcessit subsequens tempus, in quo non deterretur monstri visione : ergo sicuti negatio sensationis præexistentis plurimum conducit,vt hic & nunc terreatur animal monstri visione,sic negatio sensationis circa lucem in spatio, in quo est vmbra hic , & nunc existens plurimùm conducere potest, vt sensatio circa lucem intensam vmbrâ cingentē,& sensatio circa lucem remissam, in qua est vmbra animal deterreant : Dixi memoriam lucis immediatè existentis in spatio, in quo est vmbra, conducere ad terrorem animalis , quia vt plurimùm animalia terrentur cùm vmbra successiuè fit ad motum corporis successiuè se mouentis. Quod si animal aliquando terreatur vmbrâ immotâ; tunc talis memoriæ actus ad terrorem non conducet ; sed totus erit in sensatione intensæ lucis cingentis in spatio, in quo est vmbra suppositâ negatione sensationis circa lucem intensam in eodem spatio vmbroso. 5

Punctum VI.

Nonnulla expediuntur de potentiis materialibus.

PRimò inquiritur : An potentia materialis possit obiectum spirituale pertingere?Potẽtias materiales modò existentes 1

existentes non posse obiecta spiritualia sentire certum existimo, quia obiectum spirituale est extra rationem obiectiuam illarum, nec vllum est fundamentum, vt his potentiis tribuamus virtutem adhuc inchoatam, & obedientialem respectu actuum tendentium in obiecta spiritualia. De aliis potentiis, quæ à Deo possunt creari, maior est difficultas, neque conuictum iri puto qui assereret posse dari virtutem aliquam materialem distinctam ab his potentiis quæ modò dantur, siue nomine *sensus*, siue alio esset appellanda, spiritualis obiecti perceptiuam. Nihilominus verius existimo talem potentiam repugnare propter improportionem, quæ est inter potentiam materialem, & obiectũ spirituale, quia si semel admittatur potentiã materialem posse tendere in obiectum spirituale, facilis erit transitus de obiecto naturali spirituali ad obiectum supernaturale: & rursus de obiecto supernaturali finito ad supernaturale infinitum, gradum aliquis facere tentabit, neque nouâ ratione, sed nouâ audaciâ indigebit paradoxus nouitatum inuentor, vt hæc defendat. Dicendum ergo est (ne aditus his pateat) obiectum omnis potentiæ materialis etiam possibilis terminus materialitatis contineri: ad quam conclusionem trahor non aliquâ demonstratione conuictus, sed prudenti quadã religione in modo philosophandi, ne terminos Philosophiæ quos peruetusti illi Principes præfixêre absque fundamento transiliam: quos si similis religio non stabiliat, nulli delirio non patebunt, quod irridere quisque poterit & forsan nemo efficaciter impugnare. Nec in hac difficultate ampliùs immorandum, nihil enim in illa non vulgare dici potest. Nonnullos legi prolixè satis rem tractantes: ex quibus didici materiam hanc maiori examine dignam non esse.

2 Secundò inquiritur, an in sensibus detur error? Resp. non posse dari naturaliter, quia sensus semper percipit obiecta per proprias obiectorum species, vel per immediatum illorum concursum: species autem & obiecta semper producunt sensationes tendentes in eadem obiecta, à quibus mediatè, vel immediatè est, neque mediis speciebus, quæ in conseruari dependent ab obiectis, nisi ab his actu existentibus, ac proinde semper obiecta, quæ in rerum natura existunt, naturaliter repræsentant; supernaturaliter posse dari errorem in sensibus constat ex dictis Punct. 4. vbi probaui sensationem posse fieri in obiectum non existens.

3 Obiic. Per nos potest dari sensatio, quæ adhuc naturaliter non petat existentiam in obiecto: ergo illi sensationi naturaliter error contingere potest. Resp. distinguendo: Potest dari sensatio, quæ naturaliter non petat existentiam obiecti; naturaliter, nego: supernaturaliter cõcedo: (appellant hi termini *naturaliter*, & *supernaturaliter*, per quos fit distinctio supra illud *potest dari*) ergo illi sensationi naturaliter potest error contingere: distinguo consequens: ex suppositione, quod supernaturaliter existat concedo: absolutè, nego, quia sensationi, quæ naturaliter esse non potest, nihil naturaliter potest contingere, supponit enim quidquid illi contingit, suam existentiam, quæ naturaliter esse nequit.

4 Obiic. Cùm quis Iridem intuetur, videt colorem, qui non est: ergo illa sensatio est falsa. Resp. intuentem Iridem non videre colorem, sed lucem visione quadam quæ fundamentum præbet intellectui vt ipse decipiatur, absque sensus deceptione.

5 Tertiò inquiritur: an sensibile suprà sensum faciat sensationem? Negatiua pars communiter traditur ex Aristot. quem interpretor cum Scoto de corpore opaco immediatè posito supra sensum, quod videri non posse, præter experientiam, ratione probatur: obiectum vt videatur indiget luce, vel ex parte medij vel ex parte obiecti: sed obiectum immediatè applicatum potentiæ visiuæ non potest esse lucidum, neque medium habet lucidum per quod videatur: ergo videri nequit. De luce & de alio corpore diaphano luce perfuso sentio videri posse etiam immediatum potentiæ, quia corpus illud virtutem habet ad producendam speciem impressam sui, neque ratione applicationis est impeditum, quia illam produceret in aëre immediato: ergo potiori ratione in ipsis organis potentiæ visiuæ, quæ aptissima sunt ad illas recipiendas: potentia visiua poterit speciebus productis à luce immediata organis ipsius lucem immediatam videre. Idem dico de corpore diaphano.

6 Obiic. Sequi ex hoc potentiam visiuam posse videre lumen existens in pupilla. Resp. negando sequelam, quia lux non videtur nisi mediis speciebus, quas producit in subiecto, in quo non est. Instabis saltem videndam esse lucem existentem in ipsis tunicis, & harum colores eodem modo videndos. Resp. negando similiter hanc sequelam, quia nulla species potest peruenire ad humorem crystallinum, nisi priùs fuerit transmissa per omnes membranas pertinentes ad deorganizationẽ potentiæ, ideo enim requiruntur, vt species in illis quasi defæcatæ ad vltimum organi, in quo potentia residet, aptæ ad visionis productionem perueniant: species autem obiecti existentis in aliqua membrana non possunt in eadem membrana recipi, & ita non possunt mitti ad potentiam cum aptitudine ad visionem producendam.

Obiic. Nos experimur non videre lucem immediatam 7
oculis: ergo falsa est nostra conclusio, & contra experientiam. Resp. nos non habere talem experientiam, sed tantùm experiri, non posse discerni à nobis inter lucem immediatam oculis, & aliam magis remotam; quod ex eo est, quia lux immediata, & mediata oculis eiusdem est rationis, & per modum vnius obiecti continui repræsentatur, & ita non valemus inter singulas illius partes discernere.

Quartò inquiritur: an sensus lædatur vehementi sensibili? 8
Resp. sensationem vehementis sensibilis etiam vehementem aliquando sensum, & animam recreare, vt patet in visione pulcherrimi obiecti, auditione suauissimi concentus, & olfactione fragrantissimi electri, aliquandóque sensationibus obiectorum potentiam, seu animam maximoperè torqueri, & angi, vt patet in visione fœdi monstri, auditione inordinati strepitus, & sensationibus, quibus sentimus odorem fœtidi cadaueris, & calorem ingentis ignis. Addo tamen his sensationibus subiectum non corrumpi, quia sunt intentionales, non physicæ, & non opponuntur temperamento requisito ad conseruationem potentiæ, atque viuentis; lædit tamen aliquando sensus vehementi sensibili non per ipsas sensationes immediatè, sed quia aliquando ab ipso obiecto sensibili plures nociuæ qualitates mittuntur in sensum, per quas corrumpitur temperamentum requisitum ad illius conseruationem. Aliquando lædit, quia vehemens sensatio pluribus indiget spiritibus, vt fiat, qui calidissimi sunt, & præ multitudine illorum confluentium ad visionem efficiendam, temperamentum organi nimio illorum calore dissoluitur. Lege si placet Conimbr. lib. 2. cap. 12. q. vnica.

Vltimò inquiritur: an sensus externi suas sensationes 9
percipiant? Resp. negatiuè, quia non est illorum supra proprios actus reflectere, quæ tantùm alias qualitates vt obiecta respiciunt; potentia visiua lucem, & colorem, & non sensationem propriam, & sic alij sensus obiecta respiciunt, quæ suprà illis assignauimus.

CONTROVERSIA V.

De potentia intellectiua, & de illius actibus.

EGI de potentiis materialibus, iam ad spirituales gradum facio, quarum prima est Intellectus, de quo mihi in præsentiarum sermo est instituendus.

PVNCTVM PRIMVM.

De Intellectu agenti.

INtellectu agenti designando plures errores commisêre 1
Ethnici Philosophi, quos leges apud Conimbr. lib. 3 de anima c. 5. q. 2. Ego de his, quæ inter Catholicos possunt in quæstionem cadere tantùm meminero.

Intellectum agentem non distingui à possibili, communis opinio Doctorum, qui his temporibus scripsêre, tuetur, cum multis ex antiquioribus, licet non pauci ex vetustis distinctionem realem inter intellectum agentem, & possibilem reperiri velint. Nos verò, qui reliquas potẽtias inter se realiter non distinguimus, tenemur cum communi 2

sententia

sententia constanter tenere intellectum agentem, & possibilem non distingui realiter, sed tantùm formaliter penès diuersa munera, quibus eadem entitas fungitur; ex quibus in ordine ad aliqua intellectus agens dicitur; & in ordine ad alia intellectus possibilis, seu passibilis appellatur.

3 Tria sunt munera, quæ Peripatetici intellectiui agenti incumbere sentiebant: illustrare phantasma, reddere obiectum intelligibile, & speciem impressam producere. Munus, quod clarè percipitur, est hoc vltimo assignatum, producendi speciem impressam, à qua species expressa procedat, quod denegat Hurtadus; non quia neget species spirituales produci in intellectu, ad quamlibet intellectionem; sed quia censet harum productionem non incumbere intellectui; sed obiectis, quorum species sunt virtutes, repræsentationes; quia omnis huiusmodi species producitur à suo obiecto, si obiectum talis est naturæ, quod proportionem habeat ad illas producendas; quod si improportionatum sit, sicuti phantasma materiale respectu speciei spiritualis producendæ in intellectu, defectum huius proportionis supplere non est potentiæ intellectiuæ, sed Dei, cuius munus est, ex vi causæ primæ supplere defectum secundarum, & ita illius erit speciem impressam spiritualem, quam non potest producere phantasma materiale, efficere; & non potentiæ intellectiuæ, quia non est vnius causæ creatæ supplere defectum alius causæ creatæ.

4 Non ego tam leui fundamento negarem intellectum simul cum phantasmate producere speciem impressam obiecti, si concederem necessum esse procedere à phantasmate aliquam speciem impressam. Ratio enim Hurtadi non conuincit intentum, neque adhuc illud suadet: sæpe enim plures causæ creatæ mutuò adiuuantur ad producendum aliquem effectum, ita vt mutuò defectus vnius alterius virtute mutuò suppleatur, & quælibet ex se impotens effectum producere, per consortium alterius illud producere fiat potens: neque semper Deus immediatè, & per se supplet defectum causæ secundæ, sed mediis aliis causis secundis, sicuti defectum, quem habet voluntas, vt possit actu supernaturali Deum super omnia diligere, supplet habitu charitatis, & non immediatè per se ipsum, neque ad munus auctoris naturæ attinet immediatè, & per se defectus peculiaris huius causæ supplere, per concursum immediatum ab illo exhibitum ad effectum, quem causa secunda attingere non valet; sed sufficienter prouidebit causæ secundæ, illiúsque sufficientiam procurabit si illi virtutem aliquam creatam applicet, quâ possit effectum producere, quod respectu phantasmatis habentis virtutem inchoatam ad producendam speciem impressam spiritualem rectè esset prouisum, si intellectus virtutè haberet ad producendum cum illa talem speciem cuius ope posset species spiritualis produci, etiamsi à phantasmate procederet, quia ab illo licet materiali per intellectum spiritualem eleuato procederet, & ita res esset transigenda, si phantasma mediâ specie impressâ, & non per se ipsum ad intellectionem concurreret, cum communi sententia censeo: quia quotiescumque causæ creatæ assignari possunt pro effectu producendo ad Deum recurrere Philosophi non est, præcipuè contra communem Doctorum sententiam, & sine aliquo positiuo fundamento.

Ad illud, quod dicit Hurtadus, non esse vnius causæ suplere defectum alius, Respondeo non esse omnis causæ secundæ supplere cuiusuis alius defectum; esse tamen multarum supplere defectum aliarum: sicuti speciei impressæ est supplere defectum potentiæ non valentis sine specie impressa expressam producere: & habitus supernaturalis, supplere defectum potentiæ non valentis sine habitu actum supernaturalem elicere.

6 Addit Hurtad. Si intellectus agens concurreret ad speciem impressam, non solùm illi correspondere in effectu ratio spiritualis, sed ratio speciei impressæ, quia eo ipso quod esset intellectus agens, esset determinatus ad speciem impressam, & non expressam producendam. Parum hoc refert, ad negandam intellectui agenti virtutem actiuam respectu impressarum specierum: nihil enim interat intellectui agenti correspondere in effectu rationem spiritualis, & rationem speciei impressæ, quia ex hoc non liceret inferri, secundùm doctrinam harum correspondentiarum obseruantiorem, intellectum agentem fore causam adæquatam, quia non illi correspondere posset ratio speciei impressæ circa tale obiectum, neque specifica ratio, quæ rationem speciei impressæ abstractè sumptam ad determinatam contrahit speciem. Neque inconueniens est asserere idem prædicatum posse correspondere ex parte effectus duobus principiis inadæquatis, quorum quodlibet ad illud producendum erat determinatum, quod in pluribus effectibus frequenter cernimus: prædicatum enim *materialis* in visione corporea correspondet speciei impressæ, & potentiæ visiuæ: & prædicatum *spiritualis* in cognitione spirituali, correspondet potentiæ intellectiuæ, seu animæ, speciebus, & habitui, & passim idem in effectibus innumeris, oculis cernitur.

Sed rem adhuc ad præsentem difficultatem parum vel nihil attinentem non bene Hurtadum intulisse censeo, iuxta communem sententiam non distinguentem realiter intellectum agentem à possibili. Rem clarè explicabo. Intellectus secundùm suam entitatem non dicitur agens, vt distinctus à possibili, neque possibilis vt distinctus ab agenti; sed per productionem speciei impressæ dicitur agens in actu secundo, & id per quod in actu primo constituitur potens completè producere speciem impressam, determinatur ad illam producendam, dicitur agens in actu primo, & formaliter distinctus à possibili: vnde idem est constitui formaliter in ratione agentis vt distincti à possibili, & determinari per modum actus primi ad speciem impressam producendam: sed intellectus secùdùm suam entitatem vt denominetur potiùs agens quàm possibilis constituitur in ratione agentis, vt distincti in actu primo à possibili per phantasmata: ergo per phantasmata determinatur ad producendam potiùs speciem impressam, quàm expressam: ergo prædicatum speciei impressæ repertum in effectu non correspondet entitati intellectus secundum se; sed phantasmati determinanti aliud comprincipium, videlicet entitatem intellectus, vt speciem impressam, & non expressam producat. 7

Illud, quod dicit Hurtadus intellectum agentem determinatum esse ad producendam speciem impressam, & non expressam, non est verum, si nomine intellectus agentis sumatur nuda potentia intellectiua, quæ per aliquid distinctum ab illa denominatur agens, & formaliter ab intellectu possibili differt. Si verò sumatur de intellectu agenti, vt agenti formaliter, & distincto à possibili, verum est, sed in hac acceptione intellectus agens non solùm dicit potentiam intellectiuam, sed illud, per quod potentia intellectiua indifferens, vt denominetur agens, seu possibilis, formaliter constituitur in ratione agentis distincti à possibili, quod est phantasma, cui correspondet in effecturatio speciei impressæ: itaque dicere intellectui agenti, vt agenti correspondere in effectu rationem speciei impressæ, est asserere correspondere phantasmati, quia phantasma est forma, per quam intellectiua virtus constituitur in ratione intellectus agentis per modum actus primi distincti formaliter ab intellectu possibili. Hæc dixerim pro communi sententia; in nostra verò quæ tenet phantasma immediatè ad intellectiones concurrere, hoc munus intellectui agenti nullo modo tribui nequit. 8

Munus illustrandi phantasmata explicat Caietan. 1. part. q. 85. art. 1. vbi affirmat hanc illuminationem non esse formalem per productionem alicuius qualitatis inhærentis phantasmati; sed tantùm obiectiuam, quâ intellectus se habet ad phantasma eo modo, quo lumen Solis in opinione multorum se habet ad colorem, quod per solam sui assistentiam in causa est vt colores species producant. Ferrara lib. 3. de anima, quæst. 4. in 2. distinct. 3. quæst. 2. art. 3. putat intellectum agentem per coniunctionem cum sensu interno illum eleuare, vt excellentiora producat phantasmata & aptiora ad species impressas producendas, & hac ratione dici phantasmata intellectu agente eleuari. 9

Hos loquendi modos examinare longum esset, & parum vtile, in quibus vnum verum inuenio, scilicet, intellectum agentem nihil in phantasmatibus producere ad illorum illustrationem: aliud satis probabile, sed in mea tamen sententia non sustinendum, scilicet, intellectum agentem iuuare phantasma ad species impressas producendas; probabo enim Controu. 13. Puncto 4. phantasma immediatè concurrere ad intellectiones nullâ specie impressâ intermediâ. Quæstio hæc vltra nomen transire nequit. Certum est, intellectum nihil in phantasmatibus producere: certum est, phantasmata non posse producere speciem impressam, neque expressam intellectus, sine alia concausa supplente improportionem, quam habet materiale phantasma

phantasma ad producendam spiritualem speciem intellectus, siue impressam, siue expressam, certum in sententia ferè omnium, phantasmata adiuuari intellectu ad producendam speciem impressam, si species aliqua impressa in intellectu existens à phantasmatibus procedit. Extra quæstionem est phantasma non posse immediatè concurrere ad intellectionem, nisi eleuatum intellectu. Quæstio est, an phantasma intellectu adiutum immediatè producat speciem impressam, an verò producat expressam nullâ impressâ interiectâ? Qui dicunt intellectionem immediatè procedere à phantasmate in re asserere debêt, intellectum respectu phantasmatum se habere per modum comprincipij altioris ordinis eleuantis phantasma ad effectum spiritualem, quem phantasma materiale sine hac eleuatione producere nequit. Qui affirmant nullam intellectionem procedere à phantasmate tanquam à principio effectiuo, hanc eleuationem ponunt inter phantasma eleuatum, & intellectum eleuantem in ordine ad intellectionem, quæ eleuatio in actu secundo dicit actionem spiritualem procedentem ab vno principio inadæquato, materiali, & alio etiam inadæquato spirituali, & in actu primo virtutem actiuam intellectus paratam concurrere cum virtute actiua phantasmatis ad effectum spiritualem, & excellentiorem secundùm hunc gradum materiali phantasmate. Neque in re aliud præstat intellectus respectu phantasmatis, neque alium habet concursum, ex quo possit desumi fundamentum, ad illi tribuendam hanc denominationem illustrantis phantasmata, & constituendam denominationem intellectus agentis distincta formaliter ab intellectu possibili. Ex quo inferes quæstionem esse purè de nomine totum quod pertinet ad constitutionem formalem intellectus agentis, & distinctionem inter intellectum agentem & possibilem.

11 Sentio in mea sententia quæ species non admittit à phantasmatibus productas, posse dici potentiam intellectiuam illustrare phantasmata, quatenus illa eleuat, seu quatenus connotat comprincipium materiale tenens se ex parte obiecti, seu concurrentis ex parte obiecti, seu concurrentis loco obiecti: sicuti de specie impressa dici solet, ad effectum spiritualem producêdum, & hac ratione reddere obiectum proximè intelligibile intelligibilitate extrinsecâ dependenter à phantasmatibus, quia complet virtutem intellectiuam potentem intelligere, quam phantasma tanquam aliquid inadæquatum huius virtutis vt actiuæ formaliter ingreditur, ex qua virtute prouenit in obiecto denominatio proximè potentis intelligi, sicuti ex virtute productiua causæ effectus dicitur potens produci, & proximè possibilis probabilitate extrinsecâ, per quam phantasmatum eleuationem virtus intellectiua dici potest intellectus agens: intellectus possibilis, seu passibilis dici potest, quatenus per modum principij vitalis concurrit ad intellectionem, quam patitur, & per quam formaliter constituitur intelligens. Has denominationes formaliter distinguere facile est, quia intellectus possibilis quatenus possibilis, & passibilis denominatur, connotat virtutem passiuam respectu intellectionis, & posse informari per intellectionem, quæ non includit intellectus agens, vt agens; ac proinde ex hoc capite saltem inadæquatè intellectus agens, & possibilis distinguerentur, etiamsi aliud non suppeteret. Distinguuntur etiam adæquatè distinctione formali, quia intellectus possibilis etiamsi vt virtus intellectiua potens intelligere secundùm rationem intellectus possibilis, dicat virtutem actiuam intellectus, & principium effectiuum per modum vitæ in actu primo non connotat secundùm hanc rationem formaliter aliud comprincipium inferioris ordinis, quod eleuet, quia intellectus possibilis in ratione possibilis, æquè esset potens intelligere per connotationem speciei impressæ spiritualis, cum qua posset spiritualem intellectionem producere, & non dicit esse eleuatiuum comprincipij materialis, per quod constituitur formaliter in ratione agentis, & formaliter ab intellectu possibili distinguitur. Formaliter intellectus possibilis, licet dicat virtutem actiuam potentem intelligere, & hac ratione obiectum reddat intelligibile, non dicit formaliter virtutem actiuam constitutam in actu primo completo per comprincipium materiale, & dependenter à phantasmatibus, & ita non reddit obiectum intelligibile dependens à phantasmatibus, quod est proprium intellectus agentis. Hæc dixi longius forsan quàm materia exposcebat in gratiam Angelici Doctoris, qui prædicta munia intellectui tribuit agenti, & ferè omnium antiquorum, qui intellectum agentem saltem formaliter à possibili distinguunt.

Punctum II.

De Intellectu possibili, & eius obiecto.

EGi Puncto præcedenti de intellectu agenti, & in cuius natura explicanda non potui non aliquid attingere de intellectu possibili, de quo nunc præcipua institutitur disputatio. Intellectus definiri solet, *Virtus cognoscitiua spiritualis*. Hæc definitio comprehendit omnem intellectum creatum, siue humanum, siue angelicum. Addit Hurtad. comprehendere etiam intellectum diuinum, quod verum erit si in Deo detur virtus intellectiua per modum actus primi formaliter distincti ab ipsa intellectione, quod difficultate non vacat, quam tractant Theologi 1. part. quæst. 14. 1

Intellectum in toto corpore residere extra controuersiam est apud omnes, qui illum ab anima non distinguunt; quod etiam censeo, tenentur asserere, qui potentiam superadditam intellectiuam admittunt, quia si datur hæc virtus, per simplicem emanationem procedit ab anima, ac proinde vbicumque sit anima, ab illa procedet illámque comitabitur, vt patet in anima separata, quæ in statu separationis eodem modo intellectum producit, ac quando est vnita, quia passio semper & vbique essentiam consequitur. 2

De intellectione rectè docent plures non esse in toto corpore: sicut enim anima non sentit in ossibus, ita non intelligit in pede: quod fefellit multos Thomistas, asserentes, animam vt rationalem, toti corpori non vniri. Secundò suadetur conclusio: Anima indiget deorganizatione vt recipiat, vel vt sibi vniat intellectionem; quod probat dependentia, quam habet anima à materia ad suas operationes exercendas: ergo in illa parte corporis intellectionem sibi vnit, & recipit, in qua sunt dispositiones, quas requirit intellectus ad exercitium suæ potentiæ: ergo in illa parte corporis erit tantùm intellectio, in qua fuerit deorganizatio requisita ad illam: ergo tantùm est in cerebro, & non in toto corpore. 3

Obiectum intellectus est ens in tota sua latitudine, comprehendens ens materiale, & spirituale; naturale, & supernaturale; verum & fictum: hoc conuincit experientia, quâ quis certo scit se per cognitionẽ sæpè sæpiùs ferri in hæc obiecta; quod si quis neget, eodem actu, quo neget intellectum ferri in quodcunque ex his obiectis, illa apprehendere conuincetur, quia nihil potest negari, neque potest dici chimæra non est obiectum intellectus, quin actu chimæra intellectui obiiciatur. 4

Obiicies: Etiamsi experiamur nos cognoscere hæc omnia entia, de quibus mentionem facimus, non possumus certò scire, an sit aliquod ens, quod sit extra obiectum intellectus, de quo non possumus scire esse extra obiectum intellectus, quia de illo quod est extra obiectum intellectus, nulla potest esse notitia, neque alia enuntiatio dari. Totam obiectionem percipies si fingas per impossibile casum, quo Angeli essent extra obiectum intellectus Petri: tunc Petrus nõ posset dicere, Angelus est extra obiectum mei intellectus, neque principium aliquod posset illum ducere in cognitionem, quâ diceret, Angelu snon est obiectum mei intellectus, neque in cognitionem, quâ quidquam aliud de Angelo affirmaret, vel negaret: ergo forsan est aliquod obiectum in rerum natura, quod de facto nullus homo cognoscere poterit esse extra obiectum sui intellectus, non alia ratione, nisi quia de facto, est extra illud. 5

Hæc obiectio attingit quæstionem illam, an videlicet possit dari virtus cognoscitiua spiritualis potens cognoscere aliqua entia naturalia, & supernaturalia, spiritualia, & materialia, non tamen omnia? Cui quæstioni si negatiuè respondeatur, obiectio aliâ solutione non indiget, tunc enim inferam ego ex cognitione horum entium, meum intellectum ad omnia possibilia se extendere posse. Verumtamen difficilè poterit caput repugnantiæ assignari, ex quo diuinæ omnipotentiæ negamus posse talem creaturam producere, quapropter in re dubia magis inclinor in sententiam asserentem talem creaturam non repugnare. 6

Ad obiectionem respondeo demonstrari non posse 7

nostrum

noſtrum intellectum pertingere poſſe omnes ſpecies creaturarum,nihilominus ſatis efficaciter perſuaderi, nullam eſſe ad quam adhuc ſub ſpeciali ratione non ſe poſſit extendere,ex eo quod de facto ſe extendat ad obiecta adeò inter ſe oppoſita,atque perfectione diſtantia, ex eo quod percipiat non ſolùm imperfectiſſima entia creata, ſed quod adhuc perfectionem creaturæ non habet, ſcilicet chimæram,quæ ideo creatura non eſt, quia non eſt,neque poteſt eſſe: Deinde ex hoc obiecto adhuc ipſo nihilo imperfectiori,quia nihilum dicit non eſſe rerum,ſeu illarum negationes,quæ reales ſunt,eo modo,quo ſunt ſcilicet negatiuè;realiter enim obſcurus locus luce caret, chimæra verò tota eſt per fictionem,neque ſine hac adhuc negatio eſt,ex hac inquam,chimæra,quæ ignobilior eſt negatione ipsâ, ſuperuolat ad id quod eſt ſupra omnem perfectionẽ omnium,ſcilicet ad Deum,quem per noſtram intellectionem attingimus cognoſcendum, & non ſolùm per cognitionem abſtractiuam, ſed per cognitionem intuitiuam, qua nobis panduntur abſtruſiora attributa, beatiſſimum ſacræ Triados myſterium, in quorum omnium cognitionẽ tanquam in finem creationem hominis, quem Deus fecit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, deſtinauit. Ex quo efficaciſſimè ſuadetur nullam eſſe ens, quod intra obiectum intellectus non contineatur,ad quid enim extrahenda erat à numero cognoſcibilium,in quo Deus ipſe,& adhuc ipſa non entia, & purè fictitia continentur, ſpecialis aliqua creatura?

8 Suadet etiam hanc concluſionem communis Patrum locutio;qua tradunt Beatos in Verbo creaturas cognoſcere,ſaltem poſſibiles, quod quàm plurimi Theologi interpretantur de Verbo,vt obiecto priùs cognito, & aſſerunt Beatos tanquam in medio priùs cognito videre ſaltem creaturas poſſibiles,& nonnulli ad futuras etiam viſionem hanc protendunt. Ex quo infero beatum poſſe videre in Verbo tanquam in obiecto priùs cognito, vel quomodocunque illa locutio intelligenda ſit, quamlibet ex creaturis poſſibilibus,quia Verbum in cognitionem cuiuſcunque poterit ducere,& eſſentia diuina, ſiue tanquam obiectum prius cognitum, ſiue alio quocunque modo ſpecificet cognitionem beati in ordine ad obiectum creatum, poterit in ordine ad quamcunque cognitionem beati ſpecificare: quod adeò verum putant nonnulli, vt P. Vaſquez ſæpè inferat eſſentiam diuinam debere ducere beatum in cognitionem omnium poſſibilium, ſi illum in cognitionem duceret alicuius.

9 Video reſponderi poſſe Verbum & eſſentiam diuinam ex ſe ſufficientiam habere ad ducendum in cognitionem cuiuſcunque creaturæ poſſibilis:verumtamen de facto non poſſe ducere intellectum in cognitionem creaturæ, quæ non ſit intra obiectum intellectus,ac proinde debere ſupponi creaturam eſſe intra obiectum intellectus, vt eſſentia diuina ducat hunc in cognitionem illius. Verumtamen hæc ſolutio reiicienda eſt,quia difficilè poteſt concipi intellectus potens tendere cognitione clara intuitiua in obiectum ex ſe ducens in cognitionem creaturæ, & non potens adhuc abſtractiua cognitione illam creaturam attingere.

10 Circa hanc rem eſt notatu dignum in mea ſententia obiectiuè non præſcindente cognitionem abſtractiuam,qua apprehendo creaturas omnes poſſibiles, ſeu obiectum diuinæ omnipotentiæ, ex parte obiecti apprehendere differentias omnes indiuiduales, ac proinde ſecundùm principia huius ſententiæ,etiamſi diceretur hominem non poſſe concipere ſub ſpeciali ratione creaturam aliquam, non ideò obiectum circa quod tẽderet intellectus mediis actibus coarctaretur,quia illa ſpecialis ratio tenebat ſe ex parte obiecti cognitionis abſtractiuæ, qua intellectus apprehendebat obiectum omnipotentiæ in communi, ſed tantùm coarctaretur illius virtus in ordine ad actus, quia obiectum,quod apprehendit cognitione confuſa non poterat apprehendere actu expreſſo, quo diceretur apprehendi ſpecialis ratio tam ex parte actus,quã ex parte obiecti.

11 De diſtinctione obiecti materialis, & formalis dixi in Logica,neque eadem repeti neceſſum eſt. Specialiter hîc pro actibus intellectus notandum eſt; vulgo dici intellectum ferri mediis actibus in verum,de cuius conſtitutiua forma ſcilicet de veritate tranſcendentali agam in Metaphyſica; nunc autem tantùm aduerto intellectũ non ferri in obiectum verum formaliter, ita vt veritas ſe teneat ex parte obiecti;in quod fertur actus, quia verum formaliter dicit cognitionem tanquam formam conſtitutiuam huius concreti *verum*,& non ſemper cognitio fertur in cognitionem,aliàs omnis cognitio eſſet reflexiua, ſed in obiectum materiale, quod per ipſam cognitionem verum formaliter denominatur: imò ſi aliquando hoc concretum *verum* formaliter conſtitutum per hanc cognitionem,reflexè per aliam cognoſcitur, totum illud, quod verum formaliter dicebatur, ſe habet per modum materiæ, & veri fundamentaliter in ordine ad aliud verum, quod ex ipſo tanquam ex materia, & ex cognitione reflexâ tanquam ex forma conſtituitur.

Verum fundamentaliter, quod eſt obiectum intellectus, 12
eſt intelligibilitas obiectiua, & intrinſeca communis omni enti ſiue reali, ſiue rationis cum ipſo formaliter identificata. Hæc intelligibilitas in prædicato animalis eſt formalitas ipſa animalis,& in rationali ipſa rationalis formalitas,quia intelligibilitas intrinſeca eſt virtus,quam habet entitas terminandi intellectionem,quam habet quodlibet prædicatum per eamdem formalitatem, per quam conſtituitur;rationale enim (idem eſt de quacunque alia formalitate,ſeu phyſica entitate)per ſe formaliter,& ſecundùm eamdem formalitatem rationalis cognoſcitur:ergo ſecundùm eamdem formalitatem terminat cognitionem: ergo ſecundum eamdem formalitatem eſt terminatiuum cognitionis: ergo ſecundùm eamdem formalitatem habet cognoſcibilitatem. Dixi cognoſcibilitatem intrinſecam eſſe obiectum intellectus,quam modò explicaui, quia cognoſcibilitas extrinſeca addit ſupra cognoſcibilitatem intrinſecam intellectum potentem verſari circa illam intellectionum actibus,quia intrinſeca cognoſcibilitas cognoſci nequit ſine intellectu potente intelligere, ac proinde non dicitur abſolutè obiectum intelligibile ex defectu intelligibilitatis extrinſecæ,donec intelligatur virtus intellectiua,ſicuti non dicitur res potens produci donec intelligatur principium potens illam producere, à quo entitas per ſe ipsã intrinſecè poſſibilis,extrinſecè poſſibilis dicatur

PVNCTVM III.

An intellectus poſſit plura, vt plura eodem actu cognoſcere, etiam ex motiuis diuerſis.

NEgat P.Suarez 1.de fide diſp.3. ſect.9. Affirmat Hurtadus diſp.5. ſect.7.cum S. Thoma, 1. part. quæſt.58. artic.9. & quæſt.58. art.1. Arriaga diſp.8.ſect.10. Ego meam ſententiam aliquibus propoſitionibus breuiter explicabo. 1

§. I.

Propria ſententia explicatur.

PRIMA CONCLVSIO. Poteſt intellectus ſimul plures habere actus,quibus obiecta inter ſe diuerſa, diſparata,& oppoſita ſimul percipiat. Hæc propoſitio apud omnes ferè Doctores certa eſt, illam præmitto propter Durandum, aſſerentem non poſſe intellectum ſimul ſe pluribus actibus exercere, quod falſum eſſe ſic probo. Intellectus diſcurrit inferendo vnum ex alio,& aſſenſum conſequentis infert ex antecedenti:ergo ſimul percipit antecedens, & conſequens per diuerſos actus. Probo conſequentiam: Non poteſt inferri vnum ex alio quin ſint duæ cognitiones; vna illata,alia ex qua,vel ex cuius obiecto altera inferatur; nihil enim poteſt ex ſe ipſo realiter inferri: inſuper hæ duæ cognitiones debent eſſe ſimul, quia ex cognitione actu non exiſtenti, nihil poteſt actu inferri: ergo vt inferatur conſequens ex antecedenti debet coexiſtere antecedens, & conſequens: ergo debent eſſe ſimul duæ cognitiones in eodem intellectu. Confirmat eamdem concluſionem notiſſima experientia,quam quiſque habet, ſe de rebus diſtinctis,& oppoſitis ſimul cogitare,ſimúlque percipere obiecta diuerſa per media formaliter diuerſa; quæ cognitiones inter ſe longè diuerſas gignunt. 2

SECVNDA CONCLVSIO. Intellectus poteſt plura obiecta eiuſdem omnino rationis materialis, & formalis, etiamſi inter ſe nullam habeant connexionem,eadem indiuiſibili cognitione apprehendere. Probo: Poſſum ego per vnum actum dicere, omnes homines, quos modò video in hoc gymnaſio, habent pileum: ergo poſſum plura vt plura etiam diſparata per eundem actum cognoſcere. Probo conſequentiam: quando dico,omnes homines, qui ſunt 3

sunt in hoc gymnasio, non illos apprehendo per modum vnius, aliàs non omnes homines; sed homo, qui est in gymnasio, dicerem: ergo tunc apprehendo plures homines vt plures, & vt distinctos: ergo apprehendo eodem actu obiecta disparata. Probo consequentiam: Petrum habere pileum, & Ioannem habere pileum, sunt obiecta, quæ nullam connexionem, neque oppositionem habent inter se: ergo per eundem actum possunt plura obiecta disparata vt plura cognosci

4 Tertia Conclvsio. Plura obiecta materialia specie distincta possunt cognosci eodem actu, si obiectū formale illorum sit idem. Exempli gratiá: mysterium Trinitatis, & mysterium Incarnationis possunt credi eodem actu propter eamdem auctoritatem Dei reuelantis, siue eadem siue diuersá reuelatione. Ratio est, quia obiectum formale propter quod hæc duo obiecta materialia cognoscuntur est vnum saltem in specie: ergo potest terminare eundem numero actum, distinctio enim obiectorum materialium nullam inducit repugnantiam in illis, ex qua non possit eumdem numero actum terminare.

5 Qvarta conclvsio. Potest intellectus eodem actu attingere obiecta materialia, & formalia specie distincta, si hæc obiecta nullam in se habeant oppositionem radicalem, neque formalem. Probatur hæc conclusio: In communi sententia, in Angelo dantur species vniuersales, efficienter repræsentatiuæ plurium obiectorū: v.g. hominis, & equi: ergo potest dari species expressa intuitiua formaliter repræsentatiua hominis, & equi: ergo potest dari species expressa, seu cognitio essentialiter respiciens obiecta formalia specie distincta. Probo consequentiam: In cognitione intuitiuá obiectum formale, & materiale non distinguuntur: sed cognitio intuitiua, quá Angelus cognoscit hominem, & equum habet obiecta materialia specie distincta ergo formalia: respectu cognitionis intuitiuæ non distingui obiecta materialia, & formalia, quæ immediatè terminant cognitionem, dixi in Logica vbi de obiecto in communi disputaui; rationem ibi explicui, & iterū hìc modò attingo: obiecta materialia intuitiuè cognita cognoscuntur in se, & propter se: ergo sunt etiam obiecta formalia, quidquid enim in se, & propter se cognoscitur rationem habet formalis obiecti: obiecta intuitiuè cognita cognosci propter se probatur: Intellectus non mouetur ad cognitionem huius obiecti propter aliquid, quod præ. nouerit, aut cognoscat eádem cognitione, quia cognitio intuitiua obiecti, neque præsuppositiuè, neque concomitanter dicit cognitionem aliùs obiecti: ergo tantùm mouetur intellectus ad hanc cognitionem propter ipsummet obiectum intuitiuè cognitum, quod per se apparet intellectui vt verum.

6 Qvinta Conclvsio. Intellectus potest tendere in idem materiale obiectum propter duo motiua formalia, vnum scientificum, hoc est, ex quo cōclusio euidenter inferatur; aliud opinatiuum, hoc est, ex quo præcisè sumpto conclusio probabiliter tantùm posset inferri. Probo hanc conclusionem: Intellectus potest deducere conclusionem ex quocunque ex his antecedentibus, in ipsa illatione, ex vtroque nulla apparet specialis difficultas, neque inconueniens aliquod: ergo poterit intellectus illationem vnius consequentis ex duplici illo motiuo deducere. Antequá probem in hac illatione nullā esse specialē difficultatē, neque incōueniēs aliquod explicāda est sexta cōclusio ex qua difficultas, quæ in hac poterat esse facilè dissoluetur.

7 Sexta conclvsio. Cognitio deducta circa aliquod obiectum ex aliquo principio euidenti, quod in actu primo illam adæquatè valebat inferre, & ex alio probabili, non esset formidolosa, & euidens seu certa certitudine intuitiuá; sed tantùm euidens. Conclusionem esse euidētem certum est, quia infertur ex præmissis certis & euidentibus, cum quibus habet strictissimam connexionem: ergo certè, & euidenter ex illis infertur. Non esse formidolosam, seu capacem formidinis sic probo: assensus formidolosus est, cum quo componi potest formido de aliquo obiecto, qui non potest subiectum ita reddere certum certitudine inhæsiuá, vt non possit aliquam suspicionem habere, forsan obiectum aliter se habere ac ipse iudicat: sed assensus deductus ex præmissis probabilibus, & euidentibus non potest componi cum hac formidine, & intellectum ita securum reddit de veritate obiecti, & certum certitudine inhæsiua, vt in nullam suspicionem oppositi cadero valeat: ergo assensus ille non est formidolosus,

8 Dices posse habere hanc formidinem ex vi vnius motiui scilicet probabilis, & non ex vi motiui euidentis, & ita assensum ex vno motiuo esse probabilem, & ex alio euidentem. Contrà huic assensui per suam entitatem repugnat formido: ergo non est capax coniungi formidine; ergo ex nullo motiuo capacitatem habet, vt coniungatur cum formidine; quidquid enim in se actus non habet, ex nullo capite potest habere. Vnum est verum in hac re, quod fefellit asserētes actū ex vno capite posse esse formidolosum, & alio certum, scilicet obiectum opinatiuum non inducere certitudinem, & euidentiam in actu ratione cuius opponitur cum formidine, quia ex se tale est illud opinatiuū obiectum, vt numquam ex illo euidens deduceretur actus, ni ab alio motiuo scientifico eleuaretur ad talem actum specificandum, ac proinde ex illo motiuo potest dici actum non habere incapacitatem, vt cōiungatur cum formidine, non tamē potest dici habere capacitatem, quia vt dixi illam in se non habet: sicuti quando duo principia concurrunt, vnum spirituale, & aliud materiale ad effectum spiritualem producendum, effectus spiritualis secundùm se totum spiritualis est, & à nullo principio est materialis, potest tamen dici non esse spiritualem ex principio materiali, hoc est, non trahere spiritualitatem, quam habet ex illo principio materiali formaliter loquēdo, quia principium materiale tale est, vt ex illo effectus materialis euaderet, ni eleuaretur alio comprincipio spirituali ad effectum secundum se totum spiritualem producendum. Sic duplex obiectum, vnum scientificum, & aliud opinatiuum in eumdem actum influunt incapacitatem formidinis, deducta incapacitate formaliter ex motiuo scientifico, & tantùm materialiter ex opinatiuo, quatenus eleuato alio comprincipio scientifico.

9 Septima conclvsio. Potest intellectus ferri eodem actu in duo obiecta materialia inter se disparata, in vnum propter motiuum scientificum, in aliud propter motiuum opinatiuum; exempli gratiá: Habeo ego præmissas, ex quibus euidenter infero dari materiam primam, & alias, ex quibus probabiliter infertur præsentiam quantitatis esse accidens superadditum: possum ego per eundem actum iudicare dari materiam, & præsentiam quantitatis esse accidens distinctum propter præmissas vtriusque consequentis illati per eandem numero cognitionem ex diuersis principiis, cum quibus probabiliter quodlibet ex consequentibus connectitur. Probo hanc conclusionem: Intellectus potest attingere obiectum formale opinatiuum, & obiectum formale scientificum in eordine ad idem obiectum materiale cognoscendum: ergo potiori ratione poterit illa in ordine ad diuersa obiecta materialia pertingere, quia minorem oppositionem inter se habent in ordine ad diuersa obiecta materialia, quam in ordine ad idem materiale obiectum.

10 Octava conclvsio. Actus attingens duo obiecta materialia, vnum propter motiuum opinatiuum, & aliud propter motiuum scientificum erit formaliter euidens, & formaliter formidolosus: euidens respectu obiecti deducti ex} præmissis euidētibus; & formidolosus, respectu obiecti deducti ex principiis opinatiuis. Actum esse euidentem respectu consequentis illati ex principiis euidentibus ex conclusione præcedenti infertur, imò certius est hunc actum fore euidentem respectu obiecti illati ex principiis euidentibus quem ita futurum actum, de quo id probaui conclusione præcedenti, quia. hoc obiectum deducitur ex principiis euidentibus ex se inducentibus euidentiā consequentis illati, & ex illis tantùm infertur, & non ex aliis probabilibus, quæ tantùm inducunt aliud obiectum materiale, quod simul cum illo infertur: ergo ex præmissis adæquatis, ex quibus ducitur, euidentiam necessariò trahet actus, de quo in præsenti conclusione diximus esse euidentem ex præmissis, ex quibus inadæquatè infertur, quia idemmet indiuisibile obiectum deducitur ex præmissis certis, & euidentibus.

11 Secundam partem conclusionis, scilicet actum non fore euidentem, sed tantùm formidolosum respectu consequentis illati ex præmissis tantùm opinatiuis sic probo. Præmissæ opinatiuæ ex se non valent inducere certitudinem & euidentiam: ergo ex illis præcisè non poterit actus esse euidens respectu sui obiecti: non ex aliis, quia non ex aliis, sed ex his tantùm infertur consequens: ergo ex nullis præmissis actus respectu huius consequentis erit euidens: ergo respectu illius tantùm erit formidolosus.

Confirmatur: præmissæ probabiles quotiescunque non coniunguntur cum aliis euidentibus inducunt assensum formidolosum: sed hæ præmissæ probabiles non coniunguntur cum aliis in ordine ad consequens, quod ex illis desumitur: ergo in ordine ad illud inducent assensum formidolosum. Dices coniungi cum aliis in ordine ad actum, quo infertur. Verum est, sed nihil tua interest, quia ex eo quod coniungantur in ordine ad actum, tantùm infertur ex illa coniunctione ratione præmissarum inducentium euidentiam, actum fore euidentem, & incapacem formidinis in ordine ad consequens illarum ex illis principiis; non verò in ordine ad consequens, quod ex illis principiis euidentibus non infertur, sed tantùm ex opinatiuis.

12 Nona conclvsio. Assensus circa idemmet obiectum ex præmissis certis, & euidentibus, & ex aliis opinatiuis, quem diximus esse certum & euidentem, & non formidolosum, est assensus scientificus & opinatiuus: Probo. Assensus scientificus est qui infertur ex præmissis certis, & euidentibus: assensus opinatiuus est qui infertur ex præmissis opinatiuis ex se inducentibus tantùm assensum formidolosum; sed talis actus inferretur ex vtrisque præmissis: ergo esset assensus scientiæ, & opinionis: antecedens est definitio vulgo tradita conclusionis scientificæ, qua sic cognitio scientifica describitur: *Assensus deductus ex primis principiis certis & euidentibus*: ergo eodē modo opinatiua conclusio definienda est: *quæ deducitur ex principiis ex se formidolosis, & non certis*: Minor est suppositum quæstionis: consequentia est legitima. Neque refert illum assensum non esse formidolosum, quia non est de ratione actus opinionis capacitas formidinis, sed tantùm procedere ab aliquo obiecto, quod ex se sit inductiuus assensus formidolosi, quem induceret, si per se tantùm concurreret ad inferendum assensum, & non cum aliis præmissis, ex quibus actus certus, euidens, incapaxque formidinis euadit. Non esse de ratione opinionis actum in se esse capacem formidinis, rursus confirmabitur ex conclusione vndecima, in qua dicam non esse de ratione actus fidei esse obscurum, sed tantùm, procedere ex motiuo aliquo, quod claritatem non inducat, & quod obscuritatem induceret, si cum alio actu non coniungeretur. Ex qua conclusione à paritate optima deducitur argumentatio.

13 Decima Conclvsio. Actus, qui fertur in duo obiecta, in vnum vt connexum tantùm cum principiis probabilibus, & in aliud vt connexum cum præmissis euidentibus est opinatiuus, & non scientificus respectu obiecti deducti tantùm ex principiis probabilibus: & est scientificus, & non opinatiuus respectu obiecti deducti ex principiis tantùm certis, & euidentibus. Hæc conclusio ex immediatè traditis legitimè constat.

14 Vndecima Conclvsio. Potest intellectus per eundem actum attingere idem obiectum materiale ex præmissis certis, & euidentibus, & propter motiuum fidei, itavt actus dependeat inadæquatè ex motiuo scientifico, quod per se solum actum scientificum induceret, & ex motiuo fidei etiam inadæquatè, quod similiter posset secluso scientiæ motiuo adæquatè mouere ad actum fidei: & actus ab his motiuis dependens erit actus scientificus, & actus fidei diuinæ. Hanc conclusionem tradunt P. Mol. 1. p. quæst. 1. art. 1. disp. 1. ver. *Dicendum itaque est.* P. Vasquez tom. 3. disput. 1. quæst. 1. punct. 4. §. 2. & Hurtadus Salmanticensis secunda secundæ tom. 1. disput. 31. sect. 2. cum Capreolo, Scoto, & Aragonio, quos refert, & impugnat P. Luisius de Torres tom. de fide disp. 12. dub. 1. Prior pars conclusionis apertè deducitur ex conclusione quinta, vbi dixi posse intellectum assentire per eundem actum eidem indiuisibili obiecto ex motiuo opinatiuo, & scientifico, quam iterum fulcio paritate causarum physicarum: sicut enim duæ virtutes specie distinctæ, quarū quælibet actionem diuersæ speciei haberet, confluunt ad tertiam actionem per modum vnius principij indiuisibilis exercendam, sic duo motiua, quorum vnum concurreret ad actum scientiæ, & ad actum fidei alterum, possunt indiuisibiliter ad actum aliūs tertiæ speciei concurrrere, qui formaliter sit actus fidei, & actus scientiæ. & distinctus in specie ab actu tantùm scientifico. & alio tantùm opinatiuo.

15 Posteriorem partem conclusionis, scilicet talem actum futurum esse actum scientiæ, & fidei probandum est eadem ratione, qua probaui actum dependentem à motiuo opinatiuo; & scientifico esse actum scientiæ, & opinionis, & quod specialem posset habere difficultatem, scilicet illum actum futurum esse actum fidei, iterum probo. Actum ille esset propter auctoritatem Dei reuelantis, & ab hoc motiuo traheret supernaturalitatem: ergo esset actus fidei. Probo consequentiam: actus quo quis assentitur propter auctoritatem dicentis non potest non esse actus, quo illi dicenti credatur: ergo non potest non esse actus fidei.

Dvodecima Conclvsio. Potest intellectus per 16
eumdemmet actum assentiri duobus obiectis materialibus, vni ex præmissis certis, & euidentibus & alteri propter auctoritatem dicentis, & tunc talis actus erit scientificus respectu obiecti deducti ex præmissis euidentibus, & actus fidei respectu alterius obiecti, cui assentitur propter auctoritatem dicentis, exempli gratiâ; habeo ego principia certa, ex quibus euidenter infertur dari materiam primam in homine, reuelatum est in homine esse animam rationalem, & hanc esse veram formam: possum ego iudicare eodem indiuisibili actu in homine esse materiam, & esse formam, & respectu existentiæ materiæ actus ille erit actus scientiæ & respectu existentiæ formæ erit actus fidei diuinæ. Hæc conclusio ex 8. & 9. conclusione manifestè infertur, & eodem modo probanda est, quo probaui, posse intellectum per eum actum ferri in vnum obiectum scientificè, & in aliud opinatiuè.

Decimatertia Conclvsio. Eodem modo, quo 17
possunt in eodem actu componi motiua scientiæ, & opinionis, atque scientiæ & fidei, possunt motiua opinionis & fidei adunari, siue in ordine ad idem obiectum materiale siue ad obiecta materialia distincta.

Decimaqvarta Conclvsio. Ex medio fidei humanæ, & diuinæ potest esse vnus indiuisibilis assensus circa 18
idem obiectum materiale. Ita Ochamus quodlib. 3. q. 7. Gab. in 3. dist. 23. q. 2. Potest etiā intellectus ex his duobus obiectis assentiri duplici obiecto materiali per eundē actū, qui actus erit fidei humanæ respectu obiecti reuelati ab homine, & fidei diuinæ respectu obiecti à Deo reuelati. Probāda est eadem conclusio eādem ratione, quā similem probaui de actu respiciente motiuum opinionis, & scientiæ.

Decimaqvinta Conclvsio. Omnibus obiectis 19
quibus potest intellectus assentiri ex duplici motiuo per eundem actum, potest assentiri per duplicem actum simul existentem, quorum quilibet speciale motiuum respiciat: Exempli gratiā, Dixi posse intellectum assentiri eidem obiecto materiali per eundem actum ex motiuo fidei, & ex motiuo scientiæ poterit per duplicem actum, vnum respicientem motiuum fidei, & alterum respicientem motiuum scientiæ eidem obiecto assentiri, & sic de aliis. Hanc conclusionem trado hîc, quia ad eamdem materiam spectat, & ex præcedentibus infertur manifestè, quia intellectus potest elicere duos actus simul si inter se non repugnent, vt probaui conclusione primâ. Deinde motiua, quæ non repugnant in ordine ad eumdem actum; minùs in ordine ad diuersa repugnabunt: ergo hæc vniuersalis erit verajntellectus poterit ferri per diuersos actus in diuersa motiua in specie ex se sufficientia actum specificare seorsim sumpta, quotiescunque potest ferri in illa per eumdem actum.

Decimasexta Conclvsio. Non potest esse idem 20
actus intuitiuus; & fidei diuinæ, neq; humanæ, neque opinatiuus aut scientificus scientiâ abstractiua, & intuitiua. In hanc conclusionem conspirant omnes Doctores, cuius ratio facilis est. Actus fidei opinatiuus: & scientificus scientia abstractiua includunt rationē cognitionis abstractiuæ, quæ rem non immediatè, sed instar alterius attingit: actus intuitiuus attingit obiectum immediatè in se ipso, sed non potest idem actus attingere obiectum immediatè in se ipso, & mediatè ad instar alterius. & simul esse intuitiuus, & abstractiuus: ergo non potest esse simul intuitiuus. & fidei &c. Actum fidei scientificum non intuitiuum & opinatiuum, esse cognitiones abstractiuas sic probo. Omnes ki actus supponunt cognitionem formalis obiecti reuelationis, v. g. aut præmissarum, ratione cuius determinantur ad assensum obiecti materialis: ergo non immediatè feruntur in illud; sed mediatè, quod non habet intuitiuus actus, qui immediatè rem attingit. Specialiter probatur de actu fidei. Actus fidei, vt eruditè probat ex Patribus Ludouicus Torres 2. 2. disp. 8. dub. 5. de obiecto non viso, quod saltem debet intelligi non viso ex vi eiusdem actus: ergo non potest esse actus fidei visio, seu cognitio intuitiua obiecti. De scientia abstractiua nomen ipsum probationem præ se fert, quod dicit cognitionem abstractiuam obiecti potiori ratione de actu fidei idem dicendum est.

Decimasepti

21 DECIMASEPTIMA CONCLVSIO. Ex natura rei potest idem intellectus habere simul actum scientiæ intuitiuę,& actum distinctum fidei de eodem obiecto. Ita P. Suarius 3. part. tom. 2. disp. 19. 2. 2. in fine, P. Valentia 2. 2. disput. 1. q. 1. p. 4. & q. 1. p. 1. Hæc conclusio ex dictis suprà, vbi probaui esse quid positiuum, actum fidei esse obscurum legitimè deducitur, quia obscuritas fidei, & claritas scientiæ intuitiuæ nõ opponuntur, vt habitus & priuatio: imò etiamsi opponerentur, cùm diuersis, actibus inhærerent, inter se nõ repugnarent. Recognosce dicta suprà de obscuritate actus fidei. Potiori ratione dicendum est posse cõponi actum fidei, cum actu scientiæ abstractiuæ. Ita Suarez, Valentia, & plurimi ex antiquis apud Torres suprà, dubio sexto. Hanc cõclusionem tradidi propter legitimam illationem, quam habeat cum antecedentibus, & maximam cum illis affinitatẽ, licèt sub præfixo titulo huic puncto legitimè nõ caderet, ne alibi nouâ operâ longiùs illã tradere cogerer.

§. II.

Argumenta soluta.

22 OBiic. primò contra conclusionem, quâ diximus per eundem actum posse cognosci diuersa obiecta materialia, & præcipuè contra illam, in qua diximus posse cognosci diuersa obiecta materialia, vnum ex motiuo fidei diuinæ, & alterum ex motiuo opinionis, vel fidei humanæ: Si res ita se habeat poterit idem actus esse verus & falsus quia poterit conformari cum vno obiecto, & discõformari cum alio, quod absurdum videtur. Rursus poterit obiici alio modo: si per eundem actum assentior Deo dicenti Verbum esse incarnatum, & homini dicenti se in nauali prælio cum inimicis fortiter dimicasse, actus fidei poterit esse falsus: consequens est absurdum: ergo antecedẽs. Consequentiam probo. In actu per eamdemmet entitatem affirmatur Verbum esse incarnatum, & hunc hominem in nauali prælio dimicasse, hoc secundum obiectum non ita se habet, sicuti repræsentatur: ergo totus actus euadit falsus. Probo consequentiam: quotiescunque per aliquem actum plura affirmantur ex defectu vnius non existẽtis eodem modo sicuti repræsentatur per actum, totus actus euadit falsus, sicuti quãdo ego dico omnes homines currunt, ex eo præcisè quod vnus non currat, actus totus est falsus, & nõ dicimus esse verum quatenus conformatur cum currentibus, & falsum quatenus discõformetur cum non currente: ergo eodem modo actus ille, qui duo respicit obiecta per eundem indiuisibilem respectum ex parte actus etiamsi per diuersa motiua ex parte obiecti, absolutè erit falsus ex eo quod non conformetur cum illorum altero: ergo actus fidei erit falsus quod dici nequit.

23 Vtramque obiectionem simul proposui, etsi in opposita absurda nostra conclusio ex illis deducatur, quia eadem doctrinâ vtrique faciendum est satis. Noto dupliciter posse iudicium aliquod tẽdere in duo obiecta materialia, & illa affirmare: primò affirmando coniunctionẽ vtriusq; seu vtrũque obiectũ indiuisibiliter per modum vnius, & hac ratione tẽdit intellectus in duo obiecta materialia per vnicum actum quando in vtrumque tendit ex eodem motiuo; sic quãdo ego ex eodẽ motiuo affirmo omnes homines currere, partialia obiecta huius iudicij per modum vnius, & indiuisibiliter significantur eodẽ actu, sed quia actus illa respicit, quoad affirmationẽ, & negationẽ ac si essent vnicum obiectũ. Quãdo hac ratione obiecta materialia diuersa eodẽ inspiciuntur actu, vt actus sit verus, necessum est obiectum secundùm omnes illius partes illi esse conforme, & ex defectu cuiuslibet actus erit absolutè falsus: sic quando dico ego: *omnes homines currunt*, ex eodem motiuo iudicans Petrum currere, & Ioannem currere, erit verus si omnes currant, & vno tantummodo dempto erit falsus.

24 Alio modo potest tendere actus in duo obiecta materialia, non collectiuè, siue per modum vnius; sed quasi disparatè in ordine ad affirmationem, ita vt eodẽ modo illa obiecta affirmentur per eundem actum, ac affirmarentur per actus diuersos. Hac ratione tendit intellectus in duo obiecta per eundem actum, quotiescunque assentitur duobus illis obiectis ex motiuis specie distinctis, quia cùm motiua formalia specie distinguãtur & materialia obiecta sunt distincta, eãdem ratione fertur intellectus in illa in ordine ad affirmationem, & negationem, ac illa affirmaret, & negaret per diuersos actus, quia diuersa est ratio, quæ mouet ad affirmationem vnius, à ratione, quæ mouet ad affirmationem alterius. Quando intellectus ita fertur per eundem actum in hæc obiecta, actus dicetur verus ex cõformatione, quam habebat cum vno obiecto; & falsus, ex disconformatione, quam habebat cum alio, conformis vni obiecto, & disconformis alteri; vel habens duplicem conformitatem cum vtroque, si vtrumque obiectum ita se habet, sicuti repræsentatur per actum, quia hic actus eodem modo repræsentat hæc obiecta, ac si esset duplex distinctus: sed si esset duplex actus, quilibet haberet veritatem, & falsitatem distinctam, ita ille actus habet veritatem, vel falsitatem inadæquatè distinctam respectu diuersorum obiectorum, & ita potest esse verus respectu vnius obiecti, & falsus respectu alterius, præcipuè in sententia, quæ veritatem, & falsitatem actuum in extrinseca denominatione constituit, sicut enim eadem quantitas indiuisibiliter sumpta potest esse æqualis huic, & inæqualis illi, sic idem actus intellectus potest esse conformis huic obiecto, & disconformis illi.

Ex his vtraque obiecto facilè dissoluitur. Ad primam, 25
Respondeo actum respicientem diuersa obiecta materialia ex eodem motiuo non posse esse verum, & falsum, sed absolutè esse verum, vel falsum, & sic actus, quo dico, omnis homo currit, absolutè erit verus, vel falsus, & non poterit partim veritatem, partim falsitatem habere. Ad secundam, Respondeo actum; quo ego credo obiectum reuelatum à Deo, & aliud obiectum reuelatum ab homine, necessariò esse verum quatenus est actus fidei diuinæ in ordine ad obiectum reuelatum à Deo, & posse falsum esse quatenus est actus fidei humanæ respectu obiecti reuelati ab homine. Neque inconueniens est concedere actum, qui est fidei, posse esse falsum, non quatenus est fidei, neque respectu obiecti reuelati à Deo, quia secundùm hanc rationem infallibiliter est verus; sed quatenus est opinatiuus, & non fidei.

Obiic. Actus scientiæ est clarus, & euidens: actus fidei est 26
obscurus: ergo non possunt esse in eodem subiecto, quia clarus, & obscurus non possunt in eodem subiecto reperiri. Apprehendunt claritatem, & obscuritatem instar lucis, & tenebrarum, quæ obiecto iam constituto contingunt, qui multum à re distant, claritas enim, aut obscuritas non sunt accidentia positiuè, neque negatiuè superaddita actibus intellectus, sed eademmet substantia actus identificata cum illis æquè positiua in actu obscuro, & in claro, claritas enim est ipse actus expressus, qui per se ipsum obiectũ apertè intellectui proponit, & obscuritas est idẽ actus repræsentãs obiectum inuolutè in se non habens expressionẽ illam, quã habet actus clarus, quod in illo quid positiuum est, etiãsi per negationẽ explicetur: sicuti in homine quid positiuum est non esse equum, quia per eamdem formalitatẽ, per quã cõstituitur homo, cõstituitur nõ equus, quod est valde distinctum à negatione equi; ego enim sum non equus; non tamen sum negatio equi; & quantitas est non lux, non tamen est negatio lucis, & ita possunt in eodem subiecto conuenire, & aër est subiectum lucis, & est subiectum quantitatis quæ est non lux: ita intellectus informatus actu scientiæ etiam intuitiuæ est informatus luce, seu expressione, & informatus simul actu fidei circa idem obiectum, est informatus non luce, hoc est, actu quodam, qui non est lux, seu expressio ita clara sicuti est actus scientiæ: non tamen est informatus luce, & negatione lucis, & ita hæc claritas, & obscuritas rectè possunt in eodem subiecto reperiri, quia non priuatiuè opponuntur; sed sunt duæ formæ quarum vna est expressio, & claritas obiecti, & alia in se talem expressionem non habet, & ita rectè in eodem subiecto componuntur, sicuti componuntur lux, & quantitas, quarum vna est claritas, & alia non claritas, id est entitas distincta à claritate: eodem enim modo dicitur actus fidei obscuritas intẽtionalis respectu intellectus ac potest dici quantitas obscuritas realis respectu subiecti, & non alio, quia sicut quantitas ex se claritatem non affert subiecto, licet non opponatur cum claritate distincta ab ipsa eidem obiecto inhærente, sic actus fidei ex se non affert claritatem intellectui, neque opponitur cum claritatere distincta ab ipso actu, qui illam afferat.

Sed age iam: Do claritatem & obscuritatem esse quid 27
positiuum, & negatiuum actibus superadditũ, adhuc optimè possent actus fidei, & scientiæ reperiri in eodem subiecto, quia claritas, & obscuritas non subiectarẽtur immediatè in intellectu, sed in actibus, ac proinde haberent

diuersa subiecta immediata:quod autem haberent idem subiectum mediatum, vel remotum inconueniens non est, de facto enim quantitas in communi sententia est informata luce,& albedo habens cõmune subiectum cum quãtitate non est informata luce, quo fit, vt eadem materia prima sit subiectum quantitatis informatæ luce,& vt mediâ quantitate lucem recipiat & mediâ albedine negationem lucis absolutè non habitæ, sed non habitæ ex vi albedinis,seu media albedine. Sic contingeret si claritas,& obscuritas distinguerentur ab actu scientiæ, & fidei,& hic obscuritate, ille claritate afficeretur, intellectus medio actu scientiæ luce informato claritatẽ haberet, & medio actu fidei lucem non habente, haberet negationem illius lucis,quã carebat actus fidei,non illius vt absolutè existẽtis, & receptæ remotè in intellectu, sed illius vt receptæ ex vi actus fidei seu medio fidei actu. Hæc ad soluendum argumentum petitum à claritate, & obscuritate actuum fidei, & sciẽtiæ, quo probare intenditur hos actus inter se distinctos non posse in eodem subiecto reperiri. Ad obiectionẽ, quæ ex eadem claritate, & obscuritate desumitur ad probandum non posse eumdem actum esse fidei, & scientiæ, alia debet adhiberi solutio, quam simul cum obiectione subiicio.

28 Obiic. 3. Idemmet indiuisibilis actus nõ potest esse clarus, & obscurus, etiamsi obscuritas sit quid positiuum, & ita dicatur,non quia dicat priuationem claritatis,sed quia dicit entitatem quandam positiuam, quæ claritas non est, sicuti quantitas dicitur entitas positiua, quæ non est lux, quia eadẽmet entitas non potest esse claritas, & non claritas, homo, & non homo: ergo idẽmet indiuisibilis actus non potest esse clarus, & obscurus: ergo non potest esse actus scientiæ, & fidei. Probo consequentiam: actus fidei debet esse obcurus; actus scientiæ debet esse clarus, idemmet actus non potest esse clarus,& obscurus:ergo non potest esse actus fidei, & scientiæ.

29 Si procedat obiectio respectu actus respiciẽtis duo obiecta, vnum ex motiuo fidei, aliud ex præmissis scientificis, adhuc actus potest dici clarus, & obscurus, sicuti dicitur euidens, & formidolosus actus qui fertur in duo obiecta, in vnum ex præmissis euidentibus, & in alterum ex probabilibus, vt probaui conclusione octauâ, quia rectè potest dici actus clarus respectu huius obiecti, & non clarus respectu illius obiecti, licet absolutè dici nequeat clarus, & non clarus, quod enim respectu alicuius clarum est, non potest absolutè dici non clarum, rectè tamen respectu alicuius obiecti potest dici non clarum, in quo nullam existimo posse difficultatem reperiri, quia certum est plures cognitiones secundùm eamdemmet entitatem indiuisibilem ferri in duo obiecta diuerso modo, in vnum propter se, & in alterum non propter se; sed propter aliud: in vnum expresè, & in alterum non expresè, sed confusè: in vnum immediatè, & in alterum non immediatè, sed mediatè, Procedere debet obiectio,vt aliquam speciem difficultatis præ se ferat de eodem actu respiciente ex motiuo fidei & scientiæ idem indiuisibile obiectum, habente respectu illius rationem fidei,& scientiæ, & adhuc sic confecta facilem solutionem habebit. Persistunt aliqui dicentes adhuc illum clarum esse ex vno motiuo,& obscurum ex alio. Ita Arriaga suprà,quod impugnaui conclusione sextâ, vbi probaui, non posse eumdem actum esse formidolosum, & euidentem respectu eiusdem obiecti, etiã ex diuersis motiuis, quia etiamsi motiuum fidei non tribuat actui euidẽtiam, non ideo dicetur tribuere formidinem, quandoquidem euidentiam habet ex alio obiecto incompossibilem cum formidine idẽtificata cum actu: sic in nostro casu etiamsi obiectũ fidei non tribuat claritatem actui,si talis actus ex alio motiuo claritatem habeat, clarus absolutè dicendus est, & non obscurus, alias hoc gymnasium luce à sole perfusum,obscurum dici poterit à catedras,quia ex illa lucem non habet, & ita posset dici clarum, & obscurum, clarum à sole, & obscurum à catedra.

30 Resp. actum fidei non exigere ex conceptu vniuersali actus fidei, esse actum obscurum, sed respicere obiectum motiuum in actu primo ex se potens adæquatè mouere, quod illi non tribuat claritatem,neque ab illo hanc vnquã habeat, sed talis naturæ, vt quotiescumque illud, & non aliud actus respexerit, omnino sine luce & obscurus euadat, quod habet actus fidei identificatus cum actu sciẽtiæ, qui motiuum fidei respicit,à quo claritatem non trahit,sed tantùm à motiuo scientifico,ita vt si solum motiuum fidei, & non scientificum respiciat, absque claritate, & obscurus euadat. Eadem est solutio adhibenda pluribus obiectionibus, quæ sub eadem forma fiunt in diuersa materia contra conclusiones præcedentes, exempli gratia, actus fidei humanæ, & actus opinionis sunt fallibiles: actus fidei diuinæ est infallibilis: ergo actus fidei diuinæ non potest idẽtificari cum actu fidei humanæ,neque cum actu opinionis. Resp.actus fidei humanæ,& opinionis nõ esse essentialiter fallibiles absolutè secũdùm se, sed tãtùm habere respicere motiuum,ex quo nullã trahant infallibilitatẽ,& talis naturæ,vt si ex alio capite actus,qui illud respicit infallibilitatem nõ exhauriat,fallibilis necessariò euadat:quod habet actus fidei humanæ, & opinionis identificatus cum actu fidei diuinæ, à cuius motiuo infallibilitatem habet, quam non haberet; sed potiùs fallibilitatem si tantùm aliud motiuum fidei humanæ, vel opinionis respiceret.

Obiicies 4. Actus fidei est liber, & indiget affectu credulitatis, actus scientiæ ex præmissis euidẽtibus est necessarius; sed idemmet actus non potest esse liber, & necessarius: ergo non potest esse actus fidei,& scientiæ. Resp. concedendo priorem partem antecedentis videlicet actũ fidei liberum esse, & distinguendo posteriorem: actus scientiæ ex præmissis euidentibus est necessarius, quando ex his tantùm deducitur, transeat: quando deducitur ex his, & simul respicit motiuum fidei, nego. Quia præmissæ euidentes non cogebant intellectum ad eliciendum actum respicientem ipsas præmissas, & motiuum fidei,neque aliquod caput erat, ex quo necessarius fuisset actus,ac proinde liberè à voluntate imperatur, & ab imperio libero, à quo procedit liber euadit. Instabis: præmissæ necessitãt intellectum ad aliquem actum circa conclusionem respicientem illas tanquam motiuum, sed quando intellectus ex vi præmissarum,& ex motiuo fidei assentitur obiecto,nõ habet alium actum circa idem obiectum respicientem tantùm præmissas: ergo ad actum respiciẽtem simul motiuum fidei, & præmissas euidentes, de facto præmissæ intellectũ necessitãt. Resp. præmissas habere connexionem cum actu respiciẽte præmissas,siue tanquam obiectum adæquatum, siue inadæquatum, & non posse esse sine aliquo illas respicieute tanquam vnicum motiuum, vel simul cum motiuo alio; non tamen habere virtutem, vt determinent intellectum ad actum respicientem ipsas, & motiuum fidei, licèt cum hoc illius exigentia esset expleta, & hoc existẽte esset sufficiens extremum suæ connexionis. Ex quo fit, vt in actu primo tãtùm determinent intellectum, vt casu quo voluntas non liberè eliciat actum respicientem motiuum fidei, & ipsas præmissas ad quem ipsæ non valent intellectum determinare, & cum illarum exigẽtia fuerit expleta, necessariò eliciat actum puræ scientiæ respiciẽtem tantùm præmissas, ad quem ipsæ possunt intellectum determinare. Ex quibus inferes casu,quo propositis præmissis, & motiuo fidei voluntas liberè elicit actum respicientem vtrumque motiuum fidei, & scientiæ, cum quo præmissarum exigentia est expleta, præmissas in actu secundo ad nullum actum determinare, quia in actu primo tantùm determinabant ad actum secundum ex vi illarum, casu quo voluntas non imperaret liberè actum respicientem ipsas præmissas, & fidei motiuum.

Obiicies 5. Motiuum fidei, motiuum opinionis,& motiuum sciẽtiæ,quodlibet seorsim sumptum specificat actum distinctum specie ab alio: ergo non possunt simul duo illorum coniungi ad specificandum eumdem numero actum. Confimant aliqui prædictam obiectionem: Ex duabus speciebus non potest tertia alia resultare:ergo ex actibus prouenientibus à diuersarum specierum specificatiuis nõ potest resultare actus vnius tertiæ speciei seu idem numero actus habẽs vtramque rationem specificam, sicuti esse nequit idem numero indiuiduum quod sit homo, & equus, Respondeo, concesso primo antecedenti, & negando illius cõsequentiam; sæpè enim ex commixione duarum causarum resultat effectus specie distinctus ab illo, quem quælibet illarum seorsim sumpta produceret. Ad confirmationem dico non posse ex duabus speciebus oppositis resultare vnam tertiam, neque id contingere quãdo idem numero actus est fidei,& scientiæ,quia ille actus nõ resultat,neque includit illam speciẽ, quam habet actus qui est purus actus fidei, neque illam quam habet actus, qui est purus actus scientiæ; sed tãtùm habet prædicata quædã vniuersalia fidei, & opinionis, quæ vniuocè conueniunt prædicatis fidei, & scientiæ, quæ sunt diuisa in duobus actibus, quorum

quorum vnus est purus actus fidei, & alter purus actus scientiæ, & specie infimâ, & forsan subalternâ ab illis maximè differunt. Rem conuincet exemplum quod propono: Planta est viuens tantùm vegetatiuum: Angelus est viuens tantùm intellectiuum: Homo est viuens vegetatiuum & intellectiuum simul: ergo componitur ex planta & Angelo, & est species tertia resultans ex duobus oppositis: pessima consequentia: est enim diuersum vegetatiuum, & intellectiuum, quæ sunt in homine, qui vtroque gradu gaudet, à vegetatiuo, quod est in planta non habente alium gradũ vitæ, & ab intellectiuo, quod est in Angelo hoc vitæ gradu tantùm prædito. Sic in nostro casu, actus, qui semel est fidei & scientiæ, diuersam scientiæ rationem habet ab illa, quæ est in actu purè scientifico, & diuersam rationẽ fidei ab illa, quæ est in actu puro fidei. Ad vltimum, quod obiicitur, non posse idem numero indiuiduum esse hominem, & equum. Resp. voces has hominis, & equi desumptas esse ad significandas species atomas, quæ non possunt in eamdem entitatem confluere, secùs prædicata superiora, & vniuersalia ad quæ significanda sunt imposita hæc nomina, fides, & scientia, quia plures actus scientiæ dantur specie distincti, & similiter plures actus fidei, licet præcisè ex motiuo formali fidei specie non differant, possunt ex pluribus aliis capitibus specie differre.

33 Obiic. Actus, qui simul habet rationem fidei & scientiæ est specie distinctus ab actu scientiæ puræ, & fidei puræ. ergo supponit diuersos habitus ab illis, quos supponit actus puræ fidei, & puræ scientiæ, & diuersum habitum acquisitũ gignet in intellectu ab illis, quos alij actus distincti fidei, & scientiæ in intellectu reliquerunt. Resp ad actũ scientiæ ex motiuo scientifico naturali nullũ habitum requiri, quia vnus, vel alter actus scientiæ sine habitu necessariò faciendus est in omniũ sententia, quæ habitus acquisitos ex actibus præsuppositis oriri defendit; neq; in intellectu habitũ acquisitum distinctum ab speciebus dari cum multorũ Doctorum consensu dicam Contr. 14. Punct. 2. De habitu infuso fidei respondeo non dandũ esse distinctum habitum pro actibus specie differentibus quando non differunt specie ex motiuo supernaturali, quod respicit actus fidei: non enim multiplicantur habitus nisi per ordinem ad diuersa obiecta formalia, etiamsi sub eodem formali obiecto plures actus specie distincti possint reperiri.

34 Obiic. Cognitio intuitiua & actus fidei non repugnant inter se: ergo Beatus potest habere fidem de existẽtia Dei. Resp. Beatum ratione status non posse habere actum fidei, non verò præcisè propter incompossibilitatem physicam inter actum fidei, & intuitiuam visionem.

Punctum IV.

De Memoria.

1 DAri memoriam intellectiuam sentiunt contra Auicen. 6. natur. p. 5. c. 6. omnes Philosophi, & Theologi cum Arist. lib. de memoria, & reminiscentia S. Th. 1. p. q. 74. Scot. in 4. dist. 45. sunt tamen nonnulli, qui asserunt memoriã tantùm propriè conuenire sensui interno, & impropriè intellectui. Ita Ferr. 2. contra Gentes c. 7. Refertur pro hac sententia testimonium D. Thomæ ibi, & Scoti suprà q. 3. Scot. autem, & Angelicus Doctor nullatenus hanc sententiam defendunt, sed communem, quam ex illis tota schola didicit, videlicet in intellectu dari propriè memoriã, quia vt postea probabo, propriè huic potentiæ, memoriæ actus conuenit, & propriùs, quàm sensui interno.

2 Memoria vulgò dicitur virtus conseruatiua specierum obiectorum præteritorum, quæ propria est intellectus, quẽ dixi ab anima non distingui; an verò conseruatio harũ specierum ad intellectũ agentẽ, vel possibilẽ; seu passibilẽ pertineat, quæstio est purè de nomine: melius cẽseo dici, pertinere ad intellectum possibilem, aut passibilem, quia ad hunc pertinet specierum vsus; cuius vis est præcipuũ constitutiuum memoriæ in actu primo, potiùs quàm virtus illarum conseruatiua, quia sicut memoria in actu secundo, seu actus memoriæ est actus intellectus procedens necessariò ex speciebus relictis ab aliis actibus, sic memoria per modum actus primi erit intellectus quatenus potens cum speciebus, quas per actus anteactos acquisiuit, actum memoriæ producere. Neque tantùm in mea sententia non distinguente potentias ab anima, dicendum est intellectũ à memoria non distingui, sed etiam in sententia, quæ intellectum. & voluntatem, potentiam visiuam, & auditiuam ab anima & inter se ipsas distinguit. Ita D. Thom. suprà art. 7. & communiter omnes Doctores contra Richard. in 2. dist. 14. q. 2. Ratio est, quia obiecta siue iam præterita, & priùs cognita, siue futura, aut præsentia, eodem modo cognoscuntur, ac proinde ad eamdem potentiam pertinent illarum cognitiones. Deinde quia virtutes cognoscitiuæ immediatè proponentes obiectum appetendum multiplicantur vnà cum appetitiuis: sed non datur duplex appetitus rationalis, vnus pro obiectis præteritis, & priùs cognitis, aut amatis, & alius pro obiectis priùs tactis, sed vnus pro omnibus: ergo non debent dari plures virtutes cognoscitiuæ, sed vna simplex, videlicet intellectus vnus pro his omnibus obiectis intelligendis.

3 Desumit intellectus hanc memoriæ denominationem quatenus percipere potest obiecta priùs cognita per species relictas ex prioribus actibus, sicuti alias sortitur denominationes in ordine ad alios actus. Potentia nuda secundùm se, intellectus possibilis dicitur: instructa speciebus, intellectus in actu primo appellatur: Perfecta aliquo actu, intellectus in actu secundo vocatur: si hic actus sit simplex apprehensio, vel intuitio, non specialem notionem tribuit potentiæ: si sit actus, quo infertur vnum ex alio, virtus intellectiua quatenus est in actu primo ad illum, discursus appellatur, hoc est, virtus discursiua: in hoc sensu hominem quem apprehendimus, rectè vnum ex alio deducere, dicimus excellenti pollere discursu. Idem actus secundus discurrendi eodem discursus nomine sæpe significatur, in hoc sensu rectam illationem à nobis factam in quocunque negotio discursum optimum appellare cõsueuimus. Idemmet intellectus ratio dicitur, quatenus ratiocinando ex principiis conclusiones colligit, cuius nomen commune est actui primo sub ratione modò assignata, & actui secundo, quo hic actus primus exercetur. Ratio, seu ratiocinatio versari potest circa res diuinas, & æternas practicè in ordine ad mores, & speculatiuè contemplando tanrùm; sub vtraque ratione intellectus ratio superior dicitur. Versatur etiam eadem ratio, seu ratiocinatio circa res caducas, & humanas, & per respectum ad hæc obiecta ratio inferior nominatur. Diuisit etiam Arist. 6. Ethic. c. 1 animam in opinatiuam, & scientificam, ad hanc, ait, pertinere habitus scientiæ: ad illam actus opinionis, quæ denominationes intellectui conueniunt, quatenus conclusiones ex principiis certis, & euidentibus, & ex probabilibus tantùm inducere potest. Eamdem locutionem frequenter habet Aug. lib. 10. de Ciuitate Dei. Vltimò intellectiua virtus mens dici solet propter eminentiam, quam habet super alias potentias, item à metiendo, quia intellectum metitur conuenientiam & disconuenientiam, probitatem, & improbitatem rerum, & actionum. Conscientia non tam est denominatio potentiæ, quàm nomen actus. Conscientia enim dicitur actus, quo nostras actiones examinamus, illiusq; momenta bonitatis, aut malitiæ perpendimus, quas si malas, dissonantesque rationi cõperiamus resultat in voluntate remorsus, & dolor, qui conscientiæ vermis dici solet: si autẽ omnes rectas, sicuti decent virum probũ, quies, & gaudium in animo nascitur. Vnde 2. Corinth. 1. ait Apostolus: *Gloria nostra est testimonium conscientiæ nostræ.* Actus hic cõscientia appellatur, vulgo dicitur oriri à syntheresi, quæ cõsistit in habitu, seu facultate, quâ facilis intellectus redditur ad assentiendum principiis practicis. Synteresis Latinè idẽ sonat quod *conseruatio*, quia iudicio talis habitus plura sunt conseruãda, vel quia illius munus est conseruare officiũ rationalis naturæ. Aliquando conscientia cũ hoc habitu confunditur & conscientia dicitur habitus, quo ex principiis practicis nostras actiones metimur cum recta rationis regula, & de honestate & malitia illorum iudicium facimus.

4 Circa memoriæ actum conueniunt omnes respicere obiectum iam priùs tempore cognitum. Est quæstio, an illud necessariò vt cognitum reflexè respiciat, vel an sufficiat illud quod antea cognouit cognitione repetita circa idemmet obiectum iterum directè cognoscere? Hurt. disp. 5. sect. 8. refert Vasquium asserentem 1. p. tom. 2. disp. 208. n. 1. omnem actum memoriæ esse actum reflexum; quam sententiam ferè omnes recentiores tribuunt Patri Vasq. quem attente legi pro studio erga tantùm Magistrum & oppositã sententiã defendere clarissimè ex ipsius verbis cõstare existimo, quapropter miror tot recentiores, plurefque huius magistri studiosos valde, ita deceptos fuisse, forsan omnes vnius culpâ, qui illũ sinistrè primò est interpretatus cui reliqui Vasquium nullo modo, aut parum attentè legentes

gentes crediderunt. Asserit P. Vasquez non num. 1. in quo nihil de hac re, sed 19. & 20 disputationis citatæ: *est memoria, seu recordatio rei præteritæ & priùs cognitæ considerata.* Rei cognitæ dixit, non rei vt cognitæ, & postea impugnat nonnullos asserentes memoriam fieri per speciem cognitionis præteritæ, & asserit non fieri per speciē cognitionis præteritorum, sed obiectorum prꝛteritorum, quod probat, quia in sensu interno est memoria, & sensus internus reflexiuus non est, ex quibus infertur saltem memoriam sensitiuam non constitui à Vasquez in actu reflexo: posset idem inferri de memoria intellectiua, nam de vtraque eisdem verbis loquitur, & vno eodem modo vtramque explicat, & positiuè asserit eâdem ratione constituendam esse memoriam in intellectu, quâ constituitur in sensu: illius sunt verba: *Sicut in sensu defendere possumus rationem memoriæ, & recordationis sine specie cognitionis præteritæ, etiamsi memoria sit cognitio rei præteritæ, & vt prius cognitæ eodem explicare possimus in intellectu recordationem, & memoriam sine specie recordationis præteritæ.* Fefellit Hurt. & recentiores alios illa particula *etiamsi memoria sit cognitio rei præteritæ, & vt prius cognitæ*, per quam non significat Vasquez debere esse actum, qui feratur in rem formaliter vt cognitam reduplicando per particulam vt ipsam cognitionem; sed accidentia illa, quibus priùs fuerat cognita, quod ipse Vasquez explicat verbis, quibus expresse docet actum memoriæ non esse reflexum; illius accipe verba: Nec tibi videatur superfluus labor, qui in mente tanti Doctoris percipienda impenditur. Sic Vasquez: *Memoria in sensu hoc solo fit, quod rem præteritam cum eisdem circunstantiis temporis, & loci apprehendimus, sub quibus antea nobis cognita fuit.* Et rationem memoriæ, vt explicat Vasquius. Vides quomodo verbum *vt* quod reduplicat rem vt cognitam sensu à me intellecto explicet *sic enim dicimur* (Vasquius loquitur) *rem illam cognoscere vt præteritam, & vt prius sensatam, aut cognitam.* Nota eadem ratione dicere memoriam ferri in rem vt cognitam, & vt sensatam, & expresè dixisse memoriam sensus non esse reflexiuam. Ex quo inferes non sensisse Vasq. actum memoriæ esse reflexiuum, & si attentè legas illum referentem sententiam: quam impugnat, clarè cognosces impugnare Auctores asserentes memoriam fieri per actum reflexum. Sic illam refert: *Dicunt vero nonnulli memoriam fieri in Angelis, & in nobis per speciem quamdam relictam ex cognitione præterita, ita vt ex illa cognoscamus rem & cognitionē præteritam.* Hæc dixi, non quia sententiâ Vasq. sim amplexurus, sed ne circa tanti Magistri mentem cómunis error diutiùs grassaretur.

5 Prima conclvsio. Omnis actus memoriæ est de obiecto iam cognito, & ex cognitione iam præteritâ procedens. Nullus ab hac conclusione discedet: actum memoriæ debere esse de obiecto iam cognito per se notum est; nullus enim dicit reminisci obiectum, cuius primam comparat notitiam; sed illud tunc primò discere, & noscere. Aliam conclusionis partem, videlicet debere actum memoriæ procedere ex cognitione præhabita, æquè certam puto cum priori, quia cognitio tendens in hoc obiectum prius tempore cognitum omnino independenter à cognitione præteritâ tam ex parte principij, quàm ex parte obiecti, eodem modo se habet, ac si illa cognitio nunquam præteriisset: ergo nihil habet speciale, ratione cuius possit dici memoria, præcessisse enim alteram cognitionem à qua nullam habet dependentiam proximam neque remotam, & quam nullo modo respicit vt obiectum, nimis extrinsecum est huic cognitioni. Idem confirmat communis loquendi modus, cùm enim ex præsentia obiecti iterum noscimus quod prius tempore noueramus, non dicimur recordari, sed noscere, non enim est actus memoriæ librum legere, quem iam tempore præcedenti legeram, & percipere illa, quæ priùs perceperam, & modò non perciperem, si iterum librum non legerem.

6 Secvnda conclvsio. Omnis actus memoriæ procedit ab speciebus relictis à cognitione præteritâ obiecti, cuius memoriam habere dicimur. Hæc conclosio est communis: illam docet Vasquez suprà, Rub. lib. 3. de anima, tract. de intellectu possibili, q. 5. illam ex præcedenti deduco: actus memoriæ debet dependere à cognitione præterita, non proximè, quia nihil potest dependere proximè ab illo, quod non existit: ergo remotè tantùm, ergo media specie ab illa cognitione relicta. Dices dependere ab illa tanquam ab obiecto esto. Ex hoc infero dependere ab illa tanquam à principio media specie, quia ideo recordor cognitionis præteritæ, quia ipsa speciem aliquam sui reliquit in mente, neque aliud est caput, ex quo posset in intellectu excitari memoria præteriti obiecti, præter speciem, quam actus præteritus in mente reliquit. Has species procedere ab actibus intellectus, & non à phantasmatibus probabo Controu. 13.

7 Tertia conclvsio. Species impressa, à qua procedit actus memoriæ, non tantùm est repræsentatiua obiecti cogniti per priorem cognitionem; sed ipsius cognitionis memoriæque actus non tantùm fertur in obiectum præcognitum, sed in illud formaliter vt præcognitum, hoc est in obiectum, & ipsam cognitionem. Hanc conclusionem tradunt Doctores, quos impugnat Vasquez suprà, quam sic probo. Species impressa, quâ cognoscitur obiectum prius cognitum, fuit producta à cognitione præteritâ: ergo est repræsentatiua cognitionis iam præteritæ. Probo consequentiam: omnis species est repræsentatiua obiecti, à quo naturaliter producitur: sed illa species impressa producitur à cognitione, ergo est virtualis repræsentatio illius: ergo cum intellectu producet repræsentationem formalem, siue speciem expressam, aut cognitionem illius, cuius est virtualis repræsentatio: ergo cognitionis, à qua efficienter fuit producta: ergo actu memoriæ procedente ab hac specie non solùm cognoscitur obiectum priùs tempore cognitum, sed ipsa cognitio præterita. Vrgeo: actus intellectus relinquit in intellectu speciem impressam, non solùm sui obiecti, sed etiam sui ipsius, quia non solùm recordamur obiecti cogniti; sed ipsius cognitionis: ergo non relinquit alias species, quæ sint repræsentatiuæ virtualiter obiecti cogniti, & non cognitionis ipsius, à qua producitur. Probo consequentiam: obiecta possunt virtualiter repræsentari per eamdem speciem impressam, per quam virtualiter repræsentatur cognitio; & necessariò debet per illam repræsentari, quia species expressa, quæ cognitionem reflexè repræsentat, repræsentat etiam illius obiectū: ergo impressa, quæ producit expressam cognitionis præteritæ producit etiam expressam obiecti cogniti per cognitionē præteritam: ergo non est necessum cognitioné producere aliam speciem impressam repræsentatiuā tantùm obiecti, & non cognitionis; ad quid enim cognitio producet duplicem speciem impressam, quamdam repræsentatiuam sui ipsius, & obiecti, & aliam obiecti tantùm repræsentatiuam?

8 Qvarta conclvsio. Memoriæ actus aliquando fertur non solùm in obiectum priùs cognitum, & in cognitionem: sed in obiectum & in amorem, quo ego prosequutus sum tale obiectum. Probo hanc conclusionem: Ego recordor sæpe non tantùm cognouisse sed amasse obiectum: ergo cognosco amorem, quem habeo circa tale obiectum: ergo cognosco illud obiectum, vt obiectum mei amoris, & amorem vt terminatum ad tale obiectum: ergo talis actus reflectit supra amorem, & supra obiectum: ergo actus memoriæ aliquando fertur in amorem obiecti. Vrgeo: eo ipso quod ego reflexè cognoscam meā cognitionem præteritam, cognosco illius obiectum, & illud recordor: ergo eo ipso quod cognoscam amorem præteritum, cognoscam illius obiectum, & illud recordabor. Dices, medio amore prꝛterito possum recordari obiectum amatū, sicuti media cognitione: ergo non est necessum omnem actum memoriæ ferri in cognitionem; sed sufficiet ferri in amorem, medio quo potero per species ab illo relictas cognoscere obiectum antea amatum. Respondeo, semper memoriæ actū ferri in cognitionem præteritam, quia non possum ego modo cognoscere me amasse obiectum, quin cognoscam me illud cognouisse, propter connexionem, quam habet amor cum cognitione à qua dependet, & propter affinitatem specierum; posse tamen recordari me cognouisse obiectum, & non recordari illud amasse, quia cognitio non necessariam habet connexionem cum amore, & ita omnis actus, quo recordatur obiectum prius tempore cognitum, aut amatum, fertur in cognitionem præterita, quia eo ipso quod ego cognoscam amorem præteritū, cognosco etiā cognitionem præteritam, & non omnis actus obiecti cogniti fertur in amorem, quia non eo ipso quod cognoscam cognitionem præteritam, cognosco amoré præteritū, quia cognitio non habet necessariam connexionem cum amore, & ita potest cognosci amore non cognito.

9 Dices, hoc conuincere dari semper actum aliquem memoriæ reflectentem supra cognitionem, quotiescumque datur memoria de illo obiecto, non verò omnem actū memoriæ esse reflexiuum supra cognitionē, quia possum ego modo habere duplicem actum, quemdam reflectentem supra

supra cognitionem præteritam, & simul tendentem in obiectum talis cognitionis: alium reflectentem supra amorem ortum ex tali cognitione, & tendentem in obiectum commune cognitioni præteritæ, & amori orto ex illa, & tunc vterque actus erit actus memoriæ & vnus tantùm reflectet suprà cognitionẽ: ergo alter, videlicet actus, qui reflectit supra amorem erit actus memoriæ, & non erit actus reflexiuus supra cognitionem. Resp. incertum valde esse an quando simul recordor cognitionis, & amoris circa aliquod obiectum cognoscam vtrumque actum per eamdem cognitionem, vel per diuersam: si supra vtrũque per eamdem cognitionem reflectam (quod verosimilius est) certum erit omnem actum cognitionis esse reflexiuum supra cognitionem: si per diuersos, verum erit aliquem actum memoriæ non reflectere supra cognitionem; sed supra volitionem; nunquam tamen erit memoria de aliquo obiecto, quin sit aliquis actus reflectens supra cognitionem, quâ fuerat præcognitum.

10 Quinta conclvsio. Actus memoriæ propriùs datur in intellectu, quàm in sensu interno. Probo: memoria necessariò fertur in obiectum vt præteritum, quia etiamsi ego modò cognoscam reflexè meam cognitionem, & obiectum illius pertingam ex vi cognitionis reflexæ non dicetur memorari obiectum cognitum: sed cognitio intellectualis fertur in obiectum vt præteritum formaliter cognoscendo durationem illius, & sensus internus non potest ita ferri, neque durationem obiecti cognoscere: ergo propriùs & strictiùs exercet intellectus actum memoriæ, quàm sensus internus. Quomodo autem possit dici sensum internum ferri in rem præteritam explicabo Contro. 12. Punct. 2. vbi de speciebus sensus interni.

11 Sexta Conclvsio. Actus memoriæ quatenus est reflexiuus, semper fertur in obiectum iam præteritũ, & quatenus respicit obiectum actus præteriti, supra quem fit reflexio, potest respicere obiectũ præsens, præteritum, aut futurum. Prior pars conclusionis probatione non indiget, quia, vt modò dicebam, non est actus memoriæ cognitio reflexa cognitionis actu existentis. Posteriorem probo: quando ego recordor hodie cognitionis, quâ heri iudicaui Antichristum esse venturum, veræ memoriæ actum exerceo, & obiectum cognitionis, supra quam cadit reflexio, adhuc est futurum: ergo memoria potest ferri in obiectum actus, supra quem cadit reflexio, non præteritum, neque adhuc existens, sed etiam futurum: ergo similiter in obiectum potens. Ex hac conclusione, quam certissimam existimo nouum robur accipit tertia conclusio, quâ dixi omnem actum memoriæ esse reflexiuum, quia, vt docet Rubius suprà dubio secundo & ferè omnes, qui rem hanc attingunt ex Aristotele libro de memoria, & reminiscentia, capite primo, actus memoriæ debet ferri in obiectum præteritum, sed id quod debet esse præteritũ non est obiectum prius cognitum: ergo debet esse cognitio, quâ fuit cognitum: ergo vt actus memoriæ necessariò feratur in obiectum præteritum, necessariò debet ferri in cognitionem.

12 Duo restant difficilia soluenda ad totam rei exhauriendam difficultatem. Primum in fundamentũ Auicennæ negantis seruari in intellectu species impressas memoriæ deseruientes. Sic arguit Auicenna: si darẽtur species impressæ diuersorum obiectorum existentes in intellectu, omnia obiecta simul perciperentur, & intellectus esset in perpetua cognitione omnium obiectorum, cùm sufficiens haberet principium ad illa omnia simul cognoscenda: quod si intellectus non posset simul propter limitatam virtutẽ attendere ad omnia obiecta, quorum habet species, saltem attenderet ad omnia illa, quæ simul iuxta suam virrutem posset cognoscere, & non posset dari ratio, cur potiùs hæc obiecta quàm illa modò percipiat, siquidẽ omnium habet species; neque cur modò recordetur huius obiecti, & non illius; cur esset à cognitione, quam modò habet, & se potiùs, quàm illud cognoscendum conuertat.

13 Redarguendus est Auicenna, qui memoriam in sensu interno constituit, & in illo sensatorum obiectorum species adseruatas esse concedit, de quibus eadem est omnino difficultas, quia sensus internus in brutis nulli potentiæ formaliter liberæ subditus est, sicuti intellectus in homine in pluribus actibus illius potẽtiæ formaliter liberæ subditur. Plena obiectionis solutio desiderat modum explicatum, quo species in intellectu existentes excitentur, ita vt hæc modò producat cognitionem sui obiecti, & postea illa, illarumque exercitium in mente oratoris succedat illo ordine, quo totam orationem memoriæ mandauerat, quémque perpolita, & compta exposcit oratio: quomodo in dormientibus, & delirantibus modò hæ, postea illæ ebulliant species: quomodo homo cùm rem aliquam in memoriam adduci velit, illius speciem manu positâ supra frontem vocet, quomodo repentè trahatur in cogitationem obiecti quod multis retrò annis nouerat, & nihil de illo amplius cogitauerat. Existimo in his maximum esse totius Philosophiæ sacramentum nunquam ab aliquo satis explicandum. Id communiter reducunt Doctores ad specierũ obiectorum similium affinitatem, ad libertatem voluntatis, quâ animus circa hæc obiecta potiùs quàm illa aliquando applicat, ad humores, quibus mouentur partes cerebri, in quibus resident phantasmata, quæ species intellectus operantis dependenter à phantasmatibus excitant, ad motionem boni Angeli, & suggestionem mali, applicantium obiecta mediâ amotione phantasmatum, vt intellectus potiùs in hæc, quàm in illa feratur & in illa huiusmodi, quæ legi possunt apud auctores, præcipuè apud N. Molin. 1. p. q. 58. art. 2. disp. 2.

Alia difficultas est contra id, quod specialiter diximus, 14
scilicet omnem actum memoriæ esse reflexiuum, quod ipsa experientia impugnare videtur, quia sæpe ego recordor obiecti cogniti quin recorder cognitionis præteritæ, vt patet in Magistro, qui ea, quæ didicit discipulis repetit, quæ priùs cognita, dum discipulos instruit, recordatur, immemor se priùs illa antea cognouisse. Et cùm quis longam disputationem texit, vtitur notitiâ illorum, quæ priùs didicerat per memoriæ actus, absque eo quod aliquam cognitionem reflexam habeat cognitionum, quibus primo illa obiecta apprehendit. Resp. sæpe nos cognoscere obiecta priùs cognita, & non actu memoriæ, neque dependenter ab speciebus, quas cognitio præterita de illo obiecto reliquit; sed eodem modo, ac si illud obiectum numquam nouerimus. Iam enim dixi conclusione prima actum memoriæ debere procedere à cognitione præterita eiusdem obiecti, & non sufficere ad rationem memoriæ actum intellectus tendere in obiectum, quod antea fuerat cognitum, quod sæpe contingit in legente lectionẽ, & in arguente, qui instructus multis speciebus iterum deducit ex eisdem principiis ea, quæ priùs deduxerat eodem modo, ac si priùs non deduxisset; ad quam cognitionem præstant cognitiones aliæ præmissarum, non verò cognitio præterita consequentis illati, quod eodẽ modo infertur hic, & nunc ab arguente, ac si nunquam illud intulisset. In actibus qui propriè sunt memoriæ actus, & fiunt dependenter à cognitione præterita, circa idem obiectum; dico semper reperiri tendentiam ad cognitionem præteritam, neque contra hanc conclusionem experientia aliqua potest adduci; quia dum quis non cognoscit cognitionem præteritã, non potest cognoscere se habuisse actum memoriæ, & cognouisse obiectum præteritum dependenter à cognitione præterita, quam non cognouit dum habebat talem actum.

Obiic. Quando quis cognoscit obiectum sensatum de- 15
pendenter à sensatione, etiamsi sensatio concurrat ad talem sensationem non cognoscit obiectum, vt sensatum, neque ipsam sensationẽ; sed tantùm obiectum, quod est sensu attactum: ergo quando quis cognoscit obiectum cognitum dependenter à cognitione, quam habuit etiamsi cognitio præterita mediâ specie ab ipsa productâ concurrat ad cognitionem obiecti cogniti non cognoscit ipsam cognitionem. Antecedens suadet experientia, cùm enim ego cognosco parietem dependenter à phantasmate, cognitio parietis non fertur in ipsum phantasma, seu in parietem, seu colorem; possum enim affirmare; esse colorem, quem cognosco, & non possum affirmare esse phantasma, à quo dependet illius cognitio. Resp. me cognoscere phantasma repræsentans colorem quotiescunque cognosco colorem cognitione dependenti à phantasmate, quod autem non possim affirmare esse phantasma in cerebro, sicut affirmo esse colorem in pariete, non probat me non cognoscere phantasma; sed illud cognoscere confusè, & minùs expressè, quàm colorem, quod sufficit, vt non possim affirmare esse phantasma in intellectu: sicuti quando video colorem album longè distantem, video ipsam rationem specificam albedinis, & tamen non possum affirmare illam se tenere ex parte obiecti meæ visionis. Neque refert eadem cognitione cognosci colorem, & phantasma, ne possit color clarè cognosci, & phantasma nimis obscurè,

quia eademmet cognitio potest esse clara respectu vnius obiecti, & obscura respectu alterius.

16 Desiderabis rationem cur cognitio eadem tendens in colorem, & in phantasma, & immediatiùs producta à phãtasmate, quàm à colore, sit expressior respectu coloris, quàm phantasmatis? Resp. nostrum intellectum percipere obiecta dum anima est corpori vnita dependenter à phantasmate, & à sensibus externis, & ita magis obscurè, & minùs distinctè percipit illa, quæ non fuerunt sensibus sensata & distinctiùs, & clariùs illa, quæ priùs sensata attingit, & hac de causa expressiùs, & clariùs cognoscitur color quàm phantasma, quia color sensibus fuit perceptus, & non phantasma.

PVNCTVM V.

Quod obiectum priùs cognoscatur à nostro intellectu.

1 HÆc difficultas in Thomistarum schola præcipuum locum obtinet, quam breuissimè definiam, nihil enim inter illam soluendam occurrere potest speciali examine, aut notâ dignum. Sentiunt Thomistæ vniuersalia priùs cognosci à nostro intellectu, quàm singularia, & inter vniuersalia priùs vniuersalissima. Refertur pro hac sententia D. Thom. in proœmio ad octauum Physicor. Eam defendunt Iandunus lib. 1. Physic. q. 5. Aureolus apud Viguerium in 1. dist. 2. q. 2. Richard. in 2. dist. 24. q. 4. circa tertium princip. Caiet. lib. de ente & essentia cap. 1.

2 Singularia priùs à nobis cognosci quàm vniuersalia, tenent ex antiquis Durand. in 2. dist. 3. q. 7. Ocham. in 1. dist. 3. q. 5. Gregor. ibid. q. 3. Apollinaris 3. de anima q. 13. Burlæus de Marsil. lib. 1. physic. cap. 1.

3 PRIMA CONCLVSIO. Singularia sæpe cognoscuntur priùs quàm vniuersalia. Probo hanc conclusionem. Intellectus abstrahit rationem homines, ab hoc, & illo homine: ergo priùs cognoscit hunc, & illum hominem, quàm rationem ab illis abstractam.

4 SECVNDA CONCLVSIO. Singularia accidentium priùs cognoscuntur à nobis, quàm singularia substantiæ. Probat hanc conclusionem Auctorum turba hac ratione. Singularia substantiæ cognoscuntur per species accidentium: ergo priùs cognoscuntur singularia accidentium: quàm singularia substantiæ. Nondum satis est explicata hæc ratio, ex eo enim quod cognitio indiuiduæ substantiæ dependeat ex speciebus accidentium non infertur priorem esse cognitionem, seu speciem expressam accidentium specie expressa substantiæ indiuiduæ; sed tantùm esse priores species impressas accidentium specie impressa indiuiduæ substantiæ, quia cognitio accidentis indiuidui non influit in cognitionem substantiæ indiuiduæ, sed vtraque procedit ab eodem principio scilicet ab iisdem speciebus, quæ sunt propriæ accidentium, & non substantiæ. Aliter solet eadem conclusio probari: Tota nostra cognitio incipit à sensibus, sed accidentia tantùm sensibus percipiuntur: ergo prius cognoscuntur indiuidua accidentium, quàm indiuidua substantiæ. Non acquiesco. Cognitio nostra incipit à sensibus & à sensationibus, ex quo infero sensationes esse priores cognitione indiuidui accidentis, & indiuiduæ substantiæ, non verò ipsas cognitiones intellectuales inter se habere ordinem prioris, & posterioris. Dices, sensationes, seu species impressas à sensationibus productas priùs producere cognitionem indiuidui accidentis, & posteriùs cognitionem indiuiduæ substantiæ. Euoluo hanc prioritatem, & euanescet. Sensationes, seu species à sensationibus productæ immediatè producunt cognitionem indiuiduæ substantiæ, etiamsi non sint propriæ species huius: ergo non priùs naturâ producunt cognitionem indiuidui accidentis, quàm indiuiduæ substantiæ. Probo consequentiam: Vtraque cognitio immediatè dependet ab eodem principio: neutra influit in alteram: ergo principium non priùs hanc, quàm illam producit, neque inter se prioritatem aliquam habent.

5 Aliter ego conclusionem probo: ex eo ego cognosco hîc existere substantiam, quia cognosco hîc esse accidens, & infero existentiam substantiæ ex existentia accidentis per hunc discursum: Accidens non potest esse sine substantia: hîc est accidens: ergo hîc est substantia. En cognitio accidentis se habet ex parte antecedentis ad inferendam existentiam substantiæ: ergo cognitio accidentis prior est cognitione substantiæ.

TERTIA CONCLVSIO. Inter vniuersalia quædam minùs vniuersalia priùs cognoscuntur, quàm alia magis vniuersalia. Probo: Ratio animalis abstrahitur à ratione hominis, & ratione equi: ergo priùs cognoscitur ratio animalis, quàm ratio hominis: ergo priùs cognoscitur vniuersale specificum, quàm genericum. 6

QVARTA CONCLVSIO. Sunt principia aliqua vniuersalissima, quæ priùs cognoscuntur, quàm illorum singularia, sicuti illud: *Dici de omni, dici de nullo. Quodlibet est, vel non est. Omne totum est maius sua parte.* Probo hanc conclusionem. Hæc principia sunt per se nota: ergo non dependent à præsupposita cognitione: ergo cognitio singularium, quæ sub illis continetur non est prior cognitione ipsorum. 7

Obiic. 1. Thomistæ. Cognitio nostra dependet ab specie impressa: sed species impressa primò repræsentat vniuersalia. Probant minorem: species impressa intellectualis abstrahit à phantasmatibus singularia repræsentantibus: ergo non repræsentat primò, & per se singularia. Neque vacat, neque opus est hæc impugnare. Resp. negando minorem; ad probationem illius dico speciem impressam abstrahere in se ipsa à materialitate phantasmatũ, quia ipsa (si datur in intellectu) non est materialis, sed spiritualis, non verò abstrhait à materialitate obiecti, à qua si abstraheret adhuc rationem vniuersalem corporis non posset significare, quia hæc materialis est, materialitas enim non sequitur quamcunque indiuiduationem, neque tantùm sequitur indiuiduationem entium materialium; sed etiã prædicata superiora, quæ oppositionem habent cum prædicato spiritualitatis. 8

Obiic. 2. Thomistæ. Vniuersale est obiectum nostri intellectus: ergo intellectus primò, & per se cognoscit vniuersalia, & secũdariò singularia. Resp. vniuersalia, & singularia, & omnes atomas differentias entium esse obiecta nostri intellectus, & non tantùm vniuersalia: aliàs hæc tantùm, & non vltra illa quidquam aliud posset cognoscere. 9

Obiic. 3. Materialitas impedit cognoscibilitatẽ, sed indiuidua sunt materialia: ergo non possunt cognosci primò, & per se. Resp. distinguendo antecedens: materialitas subiectiua potentiæ cognoscentis impedit cognoscibilitatem, transeat: materialitas obiectiua, nego antecedens alias tantùm prædicata spiritualia, vel abstrahentia à corpore cognoscerentur, prædicatum enim corporis, & omnia, quæ sub illo sunt, materialitatem imbibitam habent. 10

Obiic. 4. Pueri primò quemcunq; hominem patrem vocant, deinde proprium parentem à reliquis hominibus distinguunt: ergo prius cognoscunt rationem communem patris, deinde indiuidualem. Resp. pueros voces illas, quas primò discunt omnibus hominibus accommodare, quia quemlibet hominem, ita confusè cognoscunt, vt non valeant inter hominem, & hominem discernere, & illas proferre omnino significationis ignaros, eodem modo quo psittacus earumdem sonum ederet. 11

PVNCTVM VI.

An principium cognoscitiuum inferatur ex substantia immaterialitate.

TAnta est Angelici Doctoris auctoritas in scholis, vt digna sit omnibus Theologis disputatio de inquirenda ratione à S. Doctore adducta: An videlicet rem demonstratiuè concludat, nécne? Tradiderat S. Thomas 1. contra Gentes cap. 44. & seqq. & 2. de veritate art. 2. multisque rationibus statuerat Deum esse perfectissimè cognoscitiuum, vbi verò 1. part. peruenit ad q. 14. art. 1. aliis rationibus omissis hac vnicâ probat Deo inesse perfectissimum gradum cognoscitiui. Potestas cognoscendi prouenit ab immaterialitate, ita vt tantò perfectior sit gradus cognoscitiui, quantò perfectior est gradus immaterialitatis, sed Deus est in summo gradu immaterialitatis summoperè separatus à materia: ergo Deo conuenit perfectissimus cognoscendi gradus. Maiorem probat Angelicus Doctor: Potentia cognoscendi est amplitudo quædam, & veluti infinitudo, qua cognoscens se extendit ad obiecta: sed materia limitat, & coarctat formam: ergo potestas cognoscendi prouenit ab immaterialitate. Confirmatur eadem ratio inductione facta per omnes substantias de facto existẽtes. In substantiis, quæ de facto existunt, illæ, quæ magis abstractæ sunt à materia perfectiùs cognoscunt, vt patet in 1

anima

anima, quæ est in equo, anima rationali, Angelo, & Deo: equus enim imperfectiùs animo rationali cognoscit, quia plus habet materiæ, quàm animus rationalis, animus rationalis maiorem connexionem habet cum materia, quam Angelus, & imperfectiùs cognoscit, quàm Angelus, & iste imperfectiùs Deo, quia Deus est summè abstractus à materia: ergo ex immaterialitate rectè infertur virtus cognoscitiua. Dèinde viuentia differunt à non viuentibus, ex eo quod viuentia recipiunt formas alienas, hoc est, species intentionales, & non viuentia tantùm formas proprias, & qualitates, quæ ad has disponunt, sed limitatio, ratione cuius non viuentia recipere non valent formas alienas prouenit à materia: ergo illimitatio ad illas formas recipiendas prouenit ab immaterialitate: ergo immaterialitas infert principium cognoscitiuum. Rationem Angelici Doctoris demonstratiuam esse defendunt Thomistæ omnes, Richardus, Capreol. Ferr. & Caietan. apud Patrem Ruiz, qui disp. 34. sect. 6. n. 6. in fine concludit à nemine negari, neque negari posse immaterialitatē esse rationem cognoscendi. Non credo, neque in alicuius mentem venire potest eruditissimū, & doctissimum virum non legisse Ochamum, Gabrielem, & Bassolum, rationem hanc refellentes, asserentésque non repugnare substantiam spiritualem nihil materialitatis habentem, quæ cognoscitiua non sit; aut Aureolum, qui soluit argumenta facta ab impugnatoribus rationis prædictæ, sed propriæ scholę amore ab aliarum rationibus, & auctoritate illius animus fuit auersus. Rationem Angel. Doctoris propugnant è nostris P. Mol. P. Val. P. Arrub. P. Fasolus ad articulum citatum, P. Suarez in met. disp 30. sect 14. n. 10 & disp. 35. sect 3. n. 20. P. Didacus Ruiz tom. de scientia disp. 1. sect. 3. & 4 P. Her. disp. 1. c. 3.

2 Etsi inter Theologos exagitata sit ratio suprà adducta, non est alienum à Philosopho, de illa iudicium ferre, imò ad illum propriissimè spectat. Philosophi enim est definire, an repugnet substantia spiritualis non cognoscitiua, vel an possit dari aliqua substantia spiritualis, quæ cognoscitiua non sit: cuius definitio tota pendet ex ratione suprà adducta, si enim immaterialitas inferat principium cognoscitiuum, repugnabit substantia materialis non cognoscitiua: si verò principium cognoscitiuum ex immaterialitate non inferatur, dari poterit substantia spiritualis non cognoscitiua; cuius rei solutio præsentis tractationis scopus est.

3 Apud omnes inconcussum est nomine immaterialitatis non significari ab Angelico Doctore puram negationem materiæ, sed prædicatum positiuum, quod non omnes eodem modo explicant, pendétque ex illius explicatione tota vis rationis adductæ ab Angelico Doctore. P. Didacus Ruiz sect. 3. n. 7. & 8. hanc immaterialitatem non constituit in prædicato spiritualitatis, sed in exclusione proprietatum, & conditionum materiæ, quas ibi recenset, videlicet esse puram potentiam, habere priuationem omnium formarum præter vnam quam habet, habere partes eiusdem rationis quarum singulæ possunt separari, & constituere vnum individuum, esse subiectum quantitatis, non posse existere sine forma, & indigere pluribus qualitatibus quas non potest sibi tribuere; sed à forma, vel ab alio extrinseco agente illas participat. Denique ait materiam nullam à se virtutem actiuam habere, & distare multò magis à virtute immanenter operandi, longissiméque distare à virtute cognoscitiua. Viuentia sensitiua, ait quodammodo participare has proprietates licèt absolutè materialia sint, quia sunt perfectiora non viuentibus & receptiua specierum absque eo quod vna excludat aliam, id quod clarè constat in visu simul inspiciente spaciosam campi planitiēm distinctam arboribus, variisque figuris, coloribus florum, & herbarum. Cùmque sibi obiecisset sect. 5. n. 7. non viuētia recipere accidentia peregrina, seu formas alienas, & in eisdem inanimatis recipi species intentionales odoris, & coloris, respondet n. 8. duplex esse genus accidentium, seu formarum accidentalium: quædam vocantur intentionalia, alia realia, vt ab intentionalibus distinguuntur. Accidentia realia semper ordinantur ad corruptionē ipsius inanimati, quando sunt illi peregrina, & non iuxta propriam exigentiam. Accidentia intentionalia inutiliter in subiecto inanimato recipiuntur, quia subiectum inanimatum non potest his accidentibus vti, & ita quasi materialiter recipiuntur in subiecto, & non formaliter, quatenus operatiua sunt, sicuti species impressa coloris recepta in aëre, & in pupilla, inutiliter recipitur in aere in ordine ad ipsum aërem, & vtiliter in pupilla. Hunc modum recipiendi accidentia extrinseca in ordine ad corruptionem, & accidentia intentionalia inutiliter, adscripsit Ruisius non viuentibus, asserítque proprium esse viuentium peregrinas formas, seu accidentia extrinseca sine ordine ad corruptionem recipere, & species intentionales vtiliter in ordine ad expressas species receptas, propriásque eiusdem subiecti.

Non contendendum modò cum P. Ruisio de proprietatibus materiæ, in quibus nonnullas annumerat, quas ego non admitto: facilius, & breuiùs illius sententiam impugnabo. In primis falsum est, omnes qualitates extraneas receptas in non viuentibus tendere in ipsorum corruptionem; lux enim est qualitas aëri, pluribúsque subiectis deforis adueniens, & nullatenus illorum perniciem molitur, similiter sonus nullum nocumentum affert corpori, cui peregrinè contingit. Secundò asserit sensitiua habere plus immaterialitatis, quàm non sensitiua, quia sunt illis perfectiora: ergo horum immaterialitas consistit in perfectione ratione cuius exsuperant perfectionem non sensitiuorum: sed hæc est formalitas sensitiui: ergo immaterialitas sensitiuorum quæ consistit in potentia sentiendi non infertur ex immaterialitate, sed formaliter est eadem cum illa: ergo immaterialitas equi inutilis est ad inferendam potentiam sentiendi, & ad illam explicandam: quis enim à posteriori faciliùs non conceptum formalem potentiæ sensitiuæ, quàm immaterialitatis equinæ non efformabit, etsi ex parte obiecti conceptus sit omnino idem. Tertiò efficacissimè; asserit P. Ruisius immaterialitatem consistere in potentia recipiendi species impressas, non vtcumque, sed vtiliter respectu subiecti recipientis, ideóque aëri recipienti eadem species impressas, quas recipit pupilla, non competere immaterialitatem pupillæ, quia hæc vtiliter recipit species, & illa inutiliter; sed pupillam recipere vtiliter species dicit illas recipere, & posse vti illis: ergo dicit ipsam potentiam sentiendi: ergo immaterialitas pupillæ consistit in potentia sentiendi: ergo quando infertur potentia sentiendi ex hac immaterialitate infertur potentia sentiendi ex eodem conceptu obiectiuo potentiæ sentiendi obscuriùs significato: ergo mala est illatio, quæ ex immaterialitate hac ratione explicata infert sentiendi potentiam. 4

P. Herice disp. 1. c. 1. n. 12. docet per immaterialitatem non intelligi negationem materiæ primæ, sed prædicatum quoddam positiuum, quod opponitur cum corporea mole constante partibus homogeneis non distinctis organizatione. Qua de causa Aristot. lib. 2. de anima text. 124. dixit plantas non sentire, etsi forma viuenti gaudeant, quia mediocritatem non habent, neque principium tale, vt sensibilium sine materia recipiant formas, hoc est, quia carent temperie necessariá ad deorganizationem sensorij; ac proinde carent virtute receptiua specierum, & ipsa potentia sentiendi. Ex hoc infert formas illas esse magis materiales, quæ magis indigent dispositionibus non organicis, & minùs organicis; illas verò esse magis immateriales, & magis capaces cognoscendi, quæ minùs indigent dispositionibus non organicis, & magis indigent organicis. Admissa hac ratione immaterialitatis, & tota doctrina tradita, difficile defendi potest ex illa ratio D. Thom. sic arguo. Quilibet Angelus æquè caret his accidentibus, & dispositionibus elementaribus, ac alius quicunque longè specie perfectior, imò cùm omnimoda illarum negatio cuicunque conueniat, non potest dici Deum magis carere his qualitatibus elementaribus quàm caret Angelus; in Deo enim, & in Angelo est tota carentia, quæ concipi potest, caloris & frigiditatis, & harum similium qualitatum, & vtrique intrinsecè, & essentialiter similes qualitates repugnant, licet Deo repugnent per suam entitatem infinitam, & in Angelo oriatur negatio harum qualitatum ex illius essentia finita, & in Deo ex infinita essentia, quia in vtroque oritur, ex propria entitate, & entitas Dei est infinita, entitas verò Angeli finita: ergo ex hac carentia qualitatū non infertur Deum esse cognoscitiuum perfectissimum, neque perfectius Angelo. Eadem ratione argumentor de exigentia qualitatum organicarum, seu organorum, quæ in viuentibus materialibus immaterialitatem constituit: in Deo, & in Angelis nulla datur deorganizatio: ergo non potest illorum immaterialitas, ex qua in eisdem principiū cognoscitiuum infertur, in deorganizatione formali, aut radicali consistere. Dices, in Deo, & in Angelis carentiam 5

deorga

deorganizationis oriri ex maiori abstractione à materia, & maiori independentiâ in operando ab aliis accidentibus, quæ dicit maiorem immaterialitatem, & hac ratione animam rationalem esse magis immaterialem formâ equi quia potest operari in statu separationis independenter à deorganizatione, quod non potest forma equi; & minus immaterialem Angelo, quia Angelus semper operatur independenter à deorganizatione, & anima rationalis in statu vnionis operatur dependenter à deorganizatione. Itaque magis immaterialia sunt viuentia, quæ dependent à dispositionibus organicis, quàm quæ dependent ab aliis non organicis, & magis immaterialia illa, quæ neque ab organicis, neque non organicis dependent. In his autem, quæ nullam habent dependentiam à dispositionibus organicis, neque non organicis, illa, in quibus hæc independentia oritur ex prædicatis nobilioribus, erunt magis immaterialia; cùm verò in Deo oriatur ex essentia infinita omnium perfectissima, Deus dicitur summè immaterialis; in Angelis verò illi erunt magis immateriales, in quibus foritur independentia in operando à qualitatibus non organicis, & organicis ex perfectiori essentia. Secudùm hûc dicendi modum immaterialitas in ipsa rei essentia, & in illius perfectione constituitur, in quo sensu negari nequit Deum esse ens summè immateriale, quia est ens summè perfectum; Verumtamen explicatu difficile est, quomodo principium cognoscendi ex immaterialitate inferatur, quia principium cognoscendi non infertur ex essentia; sed ingreditur ipsam formalissimam essentiam. Deus enim, Angelus, & rationalis animus per suam essentiam sunt viuentes: ergo per suam essentiam sunt principium operationum vitalium, seu vitaliter operantur: sed Deo, & Angelo non conuenit alia vita, nisi intellectiua, quæ essentialiter conuenit etiam animo rationali: ergo Deo, Angelo, & animo rationali per proprias essentias conuenit principium intelligendi, vel ipsa intellectio, si in Deo non datur principium intelligendi.

6 Respondet Herice n.15. duplicem conceptum nos posse formare, priorem in quantum positiua perfectio essentiæ fundat negationem materialitatis; posteriorem quatenus fundat capacitatem se coniungendi cum speciebus illas intra se recipiendo, veluti semen operationum intentionalium; & conceptum hunc posteriorem ex illo priori oriri formaliter, & quoad nos, licèt ex parte obiecti nullatenus distinguantur. Contra hanc doctrinam iam diu argumentatus est Bassolus postea citandus. Prædicatum intellectiui est essentiale, & differentia constitutiua viuentis vitâ intellectuali: ergo non oritur adhuc formaliter ex alio prædicato, differentia enim essentialis est prima radix, ex qua oriuntur alia prædicata, & ipsa ex nullo trahit originem. Respondet Fasolus n.18. ex Capreolo, & Soncinate; duplex esse intellectiuum, radicale, & formale, quorum radicale formaliter est idem cum ratione immaterialitatis, & nulla ratione prius illo, formale verò oriri ex radicali, & vtrumque penuria vocabulorum dici intellectiuum. Duo continet hæc solutio: primum, intellectiuum radicale non distingui formaliter ab immateriali: secundum, intellectiuum formale oriri ex intellectiuo radicali: de hoc vltimo nulla potest esse dubitatio in substantiis, in quibus datur intellectiuum formale, & radicale. Neque primum potest dubitari in Deo, sumpto immateriali pro essentia, quatenus fundat negationem dependentiæ in operando ab accidentibus organicis, & non organicis, quia essentia Dei est summè perfecta, & vita perfectissima, quæ est intellectualis. Similiter prædicatum immaterialitatis Angelorum, omniúmque substantiarum, quæ principium habêt cognoscendi, in hac acceptione non distinguuntur ab intellectiuo, quia dicit prędicatum specificum, & constitutiuum speciei, quod formaliter est intellectiuum. Hac ratione rectè congruit ratio D. Thomæ, qui ex immaterialitate propria Dei, hoc est, ex eo, quod fundet independentiam in operando ab aliis accidentibus per prædicata infinitè perfecta, & per essentiam infinitam rectè infert, Deum esse intellectiuum, quia implicat essentiam infinitam non esse principium intelligendi, vel formaliter ipsam intellectionem. Sic Magistri doctissimi Angelicum Doctorem interpretantur, inferentem prædicatum intellectiui ex speciali immaterialitate Dei, & priùs illis P. Suarez disp.3 sect.14.num.10. vbi docet ad efficaciam rationis Angelici Doctoris necessarium non esse, non posse dari substantiam spiritualem creatam non intellectiuam, quia illa non haberet illum gradum spiritualitatis, & immaterialitatis, quem habet Deus. Constat enim Deum non solùm esse immaterialem, & spiritualem, sed summè immaterialem, & summè spiritualem, ideo summam perfectionem in eo gradu obtinentem, ex quo infert euidenter D. Thomas esse intellectiuum, quia perfectior est substantia immaterialis intellectiua quàm non intellectiua, & cùm Deus sit substantiarum perfectissima, intellectiua necessariò erit. Hæc passim dicta sint de ratione Angelici Doctoris.

Redeo ad explicationem immaterialitatis, quam tradit Herice, contra quam argumentor sic: Sensitiua, & nõ sensitiua materialia æquè indigent his accidentibus elementaribus omnibus communibus: ergo ex hoc capite non sunt sensitiua minus immaterialia, quàm nõ sensitiua. Ex accidentibus organicis plura petit planta, quàm aqua; & equus quàm planta: ergo sicuti per maiorem exigentiam organorum, quam habet equus, quàm planta, est ille magis immaterialis, similiter planta erit magis immaterialis, quàm forma elementaris: ergo hæc immaterialitas, quâ planta superat elementum, aliquod principium cognoscendi infert in planta. Quod si dicas immaterialitatem plantæ non sufficere ad inferendum principium cognoscendi, & sufficere immaterialitatem equi, & aliorum sensitiuorum, quia hæc est maior illa, assigna mensuram immaterialitatis sufficientem ad inferendum principium cognoscitiuum, siquidem non omnis immaterialitas illam infert. Secundò: etsi verum sit speciales essentias, quas nouimus independentes in operari ab his externis accidentibus fundantes hanc independentiam per se ipsas esse formaliter principium intelligendi, & ita ipsarum immaterialitatem formaliter à cuiusslibet essentia indistinctam formaliter esse principium intelligendi, ex nullo capite hucvsque probatum est omnem essentiam possibilem fundantem similem independentiam in operando, seu non indigentem his externis accidentibus esse necessariò principium intelligendi, de quo in præsenti specialiùs instituitur disputatio. 7

Omissis aliis acceptionibus immaterialitatis, dico immaterialitatem sumptam pro ratione formali spiritualis non esse coniunctam cum principio intellectiuo, sed posse dari substantiam spiritualem incapacem intelligendi: ita sentiunt Ocham in 1.dist.35.q.1.Gabr. ibid. Bassolus ibid. q.1.art 1.§. *Sed de istis*. Artiag disp.2. sect.4. & sapientissimi recentiores. Probo hanc conclusionem: seclusâ ratione formali, & radicali principij intellectiui potest intelligi ratio substantiæ spiritualis absque vlla connexione cum illa: ergo non repugnat dari substantiam spiritualem non intellectiuam. Antecedens probo: Ratio spiritualitatis dicit penetrabilitatem cum alia re omnino à se diuisâ modo explicato Controu.1.Punct.5. sed hæc ratio adhuc vt coniuncta cum ratione formali substantiæ, non dicit formale, aut radicale principium intelligendi: neque connexionem essentialem cum illo: ergo potest dari substantia spiritualis, quæ non sit principium, aut radix intellectionis. Confirmatur: Prædicatum substantiæ per se sumptum nullam connexionem habet cum principio intellectionis, vt patet in substantia materiali non intellectiua, neque prædicatum spiritualis per se sumptum cõnexionem habet cum tali principio, vt patet in pluribus accidentibus spiritualibus nullum ordinem habentibus ad intellectionem, neque ad illius principium in coniunctione vtriusque vlla appareret specialis ratio, quæ fundet talem connexionem: ergo vtrumque prædicatum simul sumptum, seu substantia spiritualis abstractè sumpta talem connexionem non habet: ergo potest dari substantia spiritualis non intellectiua. Vltimò: nullo modo repugnat dari substantiam spiritualem non intellectiuam: ergo poterit Deus illam producere: ergo non infertur per consequentiam necessariam prædicatum intellectiui ex substantia spirituali. Talem contradictionem non dari nullo alio modo meliùs probari poterit, quàm soluendo omnia argumenta, quibus probari intenditur omnem substantiam spiritualem dicere essentialiter prædicatum intellectiui, 8

Obiicies primò. Substantia, quò immaterialior est, seu magis spiritualis, perfectiùs intelligit: ergo virtus intelligêdi oritur ex prædicato spiritualitatis. Supponit obiectio in substantiis spiritualibus esse vnã magis spiritualẽ, quàm sit alia, quod falsum est, quia prædicatũ spiritualis non recipit magis, aut minus: sed hoc omisso, distinguo antecedens: quo entitas est magis immaterialis seu spiritualis perfectiùs 9

perfectiùs intelligit suppositа virtute intellectiua; concedo antecedens: absolutè, nego antecedens. Quia ego non nego prædicatum spiritualis plurimum conducere ad intellectionem, seu perfectam cognitionem; sed nego esse rationem essentialiter coniunctam cum principio intellectiuo, multa enim sunt sine quibus effectus esse potest, & quæ plurimum ad effectum conducunt, ex se tamen, nullam habent connexionem cum illo, sicut densitas iuuat ad agendum, & applicatio ad actionem requiritur, & quo maior est densitas, & applicatio, intensior est effectus productus, tamen neque applicatio, neque densitas inferunt virtutem actiuam: applicantur enim illa, in quibus nullus potest intercedere ordo agentis in passum.

10 Obiic. secundò. Omnis substantia spiritualis perfectior est, & nobilior quacunque aliâ substantiâ non spirituali, quæ prorsus sit corporea: at non esset perfectior, & nobilior, si non posset cognoscere, quia multæ substantiæ corporeæ cognoscunt, & substantia non cognoscens imperfectior est substantia materiali cognoscente. Confirmatur: Substantia viuens perfectior est non viuente: ergo substantia corporea viuens esset perfectior substantia spirituali non viuente, ex suppositione, quod talis substantia daretur, sed eo ipso, quod daretur substantia spiritualis non intelligens, esset non viuens, quia substantia intellectualis tantùm potest viuere vitâ intellectiua: ergo si daretur substantia spiritualis non intelligens, esset imperfectior substantia corporea viuenti. Respond. substantiam spiritualem esse perfectiorem substantiâ corporeâ, factâ comparatione in prædicatis spiritualis, & corporei, non verò facta comparatione in quibuscumque aliis prædicatis; potest enim substantia spiritualis excedere corpoream in prædicato spiritualis, & potest substantia corporea excedere aliam spiritualem in prædicato viuentis, sicuti accidens spirituale comparatum cum substantia materiali illam excedit in prædicato spiritualis, & ab eadem exceditur in prædicato substantiæ, & absolutè est substantia corporea perfectior accidenti spirituali, quia absolutè maior est excessus, quem habet substantia ratione prædicati substantiæ, quàm ille, quem habet accidens ratione prædicati spiritualis; & ex duabus entitatibus inuicem se excedentibus secundùm diuersa prædicata, illa absolutè perfectior est, cuius excessus maior est: itaque posita substantia corporea viuenti, & spirituali non viuenti, videdum esset, qui excessus maior esset spiritualis, ad corporeũ, vel viuentis ad non viuens; & si maior esset excessus spiritualis ad corporeum, semper substantia spiritualis, etsi non viuens, perfectior esset substantia corporea viuenti; & ita negandum esset omnem substantiam viuentem perfectiorem esse non viuenti, quod multi negant, asserentes formas cælorum perfectiores esse formis viuentium imperfectorum. Si verò maior sit excessus viuentis ad non viuens, substantia corporea viuens perfectior erit substantia spirituali non viuenti, & negandum est omnem substantiam spiritualem perfectiorem esse substantia corporea, sicuti negamus omnem entitatem spiritualem esse perfectiorem omni aliâ entitate corporea, quia accidens spirituale imperfectius est substantia corporea. Quis horum excessuum maior sit ad præsentem difficultatem parum refert, & tantùm prudentis arbitrio taxandum est: ergo censeo, maiorem esse excessum viuentis ad non viuens, quàm spiritualis ad corporeum, & ita posse dari substantiam spiritualem non viuentem imperfectiorem substantia corporea viuenti.

11 Obiic. 3. Cuicumque substantiæ debentur operationes proportionatæ: ergo substantiæ spirituali debentur operationes spirituales: sed nulla potest esse operatio spiritualis præter intellectionem & volitionem: ergo omni substantiæ spirituali debetur intellectio, & volitio. Resp. verum esse omni substantiæ spirituali deberi operationes spirituales, falsum tamen has non posse esse distinctas ab intellectione & volitione; quia posset talis substantia plures qualitates in se producere tanquam passiones ipsi debitas per operationes spirituales non vitales.

12 Obiic. 4. Omni substantiæ perfectiori debetur perfectior operatio, sed substantia spiritualis est perfectior corporea: ego debentur illi perfectiores operationes: sed substantiæ corporeæ debentur operationes vitales: ergo & substantiæ spirituali. Hæc obiectio in re eadem est cum obiectione secunda, cui ex doctrina ibi tradita facilè potest satisfieri. Respondeo, omni substantiæ deberi operationes perfectiores ea ratione, qua ipsa perfectior est; ex quo infertur, substantiæ spirituali deberi operationem perfectiorem in ratione spiritualis, quia secundùm hanc rationem substantia spiritualis perfectior est quam corporea; non verò in ratione vitalis operationis, quia secundùm hanc rationem potest dari substantia corporea vitalis perfectior spirituali non vitali.

Obiic. 5. Intellectiuum oritur ex aliquo prædicato: ergo à prædicato immaterialitatis. Respond. intellectiuum formale in his, in quibus datur distinctum à radicali, oriri ex intellectiuo radicali, & intellectiuum radicale, & formale, in his, in quibus non datur radicale, esse prædicatum essentiale, & constitutiuum speciei, quod ab alio non oriuntur, sed reliqua ab ipso oriuntur. 13

Obiic 6. Ex prædicato immaterialitatis, seu spiritualitatis oritur aliqua ratio formalis, non alia distincta à prædicato intellectiui: ergo hoc oritur ab illo. Resp. ex prædicato immaterialitatis, seu spiritualitatis oriri posse rem spiritualem penetrari cum alia eiusdem speciei, & ex alio oriri prædicatum spiritualitatis in actionibus quæ de facto procedunt à spirituali. 14

Obiic. 7. Virtus formæ limitatur, & coarctatur à materia, & ideo non potest species in aere producta visionem producere, quia illius virtus aëris materialitate limitatur: sed entitas spiritualis non habet materiam, à qua limitetur: ergo erit illimitata, & expedita ad cognitionem cuiuscumque obiecti exhibendam. Probaret hæc ratio, si aliquid euinceret, Angelum habere virtutem intellectiuam infinitam, quia cùm Angelus nihil habeat materiæ, si ab hac tantùm oriatur limitatio, nullum habebit principium, ex quo limitetur, ac proinde erit infinitè perfectus. Scio Thomistam sentire vnum Angelum esse alio magis immaterialem, ex qua doctrina dicet Angelum minùs immaterialem habere minorem illimitationem. Sed iterum de hac re contendere nolo; iam enim dixi, prædicatum immaterialis, & spiritualis non posse suscipere magis, nec minus. Resp. quamlibet entitatem creatam ex prædicato specifico habere limitationem, & coarctationem virtutis independenter à materia, quam haberet substantia spiritualis non intellectiua ex sua specifica differentia. Neque in opinione Thomistarum, vt bene notauit P. Suarius, sumitur specificatio, seu prædicatum specificum ex materia: sed tantùm indiuiduatio, posse autem, vel non posse intelligere, non sequitur indiuiduationem; sed differentiam essentialem, ac proinde ex ipsa forma secundùm se sumendum est, non ex limitatione, quam illi tribuit materia. Ad illud, quod dicitur de speciebus in aëre receptis, respondeo species ex se eamdem virtutem habere in aëre, & in pupilla, & in vtroque subiecto esse inadæquatam, & sine alio comprincipio non posse visionem producere, cum quo coniungitur in pupilla, & ita illo adiuta visionem producere, in aëre verò non inuenire potentiam, seu comprincipium, quo adiuuetur ad talem visionem producendam, neque organa ad illa requisita, & ita non posse visionem producere ex defectu comprincipij adiuuantis, & reliquarum circumstantiarum, neque alia est limitatio specierum præter hunc comprincipij defectum. 15

Obiicitur etiam Aristoteles variis in locis, præcipuè lib 3. de anima c. 8. text. 37. & 38. vbi ait, plantas non cognoscere, quia non habent proportionem requisitam ad recipiendas species, ex quo inferri intenditur substantiam spiritualem habere virtutem recipiendi species, quia caret improportione, quam habent plantæ, & consequenter fore cognoscitiuam. Respondeo non inferri ex eo, quod plantæ propter ipsarum materialitatem non cognoscant omnia; quæ carent hac materialitate esse cognoscitiua, quia hac materialitate seclusâ, ex defectu potentiæ, & ex pluribus aliis capitibus potest substantia non esse intellectiua. 16

Punctum VI.

An principium cognoscitiuum appetitiuum inferat.

1 ANgelicus Doctor 1. part. quæst. 19. art. 1. ex potentia cognoscitiua Dei volitiuam infert, licet non omnes profundum Angelici Doctoris discursum penetrauerint: ita multa mouet Caietanus ad exponendum sanctum Præceptorem, in hoc loco; illius tamen expositiones multi impugnant,

pugnant, quorum vnus est P. Vasquez in commentario huius articuli. Clarè, & expeditè nostri expositores Angelici Doctoris, illius rationem hoc modo expediunt. Deus est summè cognoscens, sed non potest esse summè cognoscens, quin sit volens: ergo Deus est volens, seu habens virtutem volitiuam. Ex hoc discursu quæstio purè philosophica suboritur, an, videlicet, possit dari aliquod cognoscitiuum, quod appetitiuum non sit? vel an essentialiter sit connexum principium cognoscitiuum cum appetitiuo? Vt liberiùs in hac quæstione producere possimus, moneo rationem Angelici Doctoris optimè intentum concludere etiamsi possit dari aliquod principium creatum cognoscitiuum, quod non sit appetitiuum, vt bene notauit P. Ruisius 1. de Volunt. disp. 1. sect. 1. n. 1. quia ex principio cognoscitiuo infinitè perfecto, quod Deo competit, rectè deducitur principium volitiuum, etiamsi non inferatur ex principio cognoscitiuo creato, quia principium cognoscitiuum obiectum cum volitiuo perfectius est, quàm aliud quod cum illo non coniungeretur, sed Deus est principiũ cognoscitiuum perfectissimum: ergo est principium cognoscitiuum coniunctum cum principio volitiuo.

2 Omne principium cognoscitiuum essentialiter esse volitiuum defendunt P. Molin. ad art. D. Th. cit. n. 1. P. Vasq. 1. p. tom. 2. disp. 231. c. 3. P. Suarez 1. p. lib. 3. de attributis Dei positiuis, c. 6. num. 1. P. Valent. 1. p. q. 19. punct. 1. P. Didacus Ruiz suprà, P. Arrub. in explicatione eiusdem articuli, P. Her. tract. 2. disp. 11. c. 3. P. Fassolus in commentario eiusdem art. P. Hurtad. disp. 5. de anima sect. 9. vbi ait repugnantiam huius substantiæ se ostendisse tract. de Voluntate. Sententiam defendit oppositam P. Arriag. disp. 2. sect. 4. vbi affirmat posse Deum producere creaturam intellectiuam, absque vllo appetendi principio. Eidem nonnihil fauent Nominales apud P. Vasquez suprà, asserentes, posse produci à Deo creaturam rationalem impeccabilem, & non satis explicant, an talis creatura haberet appetitum rationalem determinatum circa negationem peccati, an omnino illo careret: vtroque enim modo impeccabilis esset; & si posteriori modo defendatur impeccabilitas talis creaturæ, sententia P. Arriagæ auctoritate Gabrielis, Ochami, & Maioris commendabitur. Eamdem plures acuti recentiores amplectuntur.

3 Nonnulli apud P. Herice suprà n. 16. prædictam sententiam hac ratione probant. Potest dari intellectio, quam nulla possit subsequi appetitio: ergo potest dari intellectus, quem nullus sequatur appetitus. Antecedens, probant. Demus Deum habuisse decretum non concurrendi cum voluntate ad aliquem actum, & decretum hoc reuelare alicui Angelo, qui propter reuelationem Dei crederet Deum non concursurum ad aliquẽ actum voluntatis: in hoc casu talis actus fidei supponeret tanquam obiectum formale intrinsecè secundùm suam entitatem, reuelationem decreti, & ipsum decretum non concurrendi cum voluntate ad aliquem actum: ergo supponeret aliquid incompossibile cum quocunque actu voluntatis, quia posito illo decreto nullus posset dari dependens à Deo, aliàs decretum fuisset irritum; neque independens, quia repugnat actus voluntatis, sicuti quælibet alia entitas creata existẽs independenter à decreto Dei: ergo posito illo actu intellectus, implicaret omnis voluntatis actus: ergo potest dari intellectio, quam non possit subsequi appetitio. P. Didacus Ruiz suprà n. 30. dicit, ad præsentem quæstionem nihil interesse, vtrùm sit possibile iudicium aliquod intellectuale, cuius essentiæ repugnet ex eo sequi volitionem aliquam. Quamuis enim concedatur non solùm in exquisitis, atque fictitiis casibus de potentia absoluta, sed etiam communiter de potentia ordinaria multa concipi intellectualia iudicia, ex quibus nulla potest subsequi volitio, quia nihil bonitatis, aut malitiæ repræsentant; sed potius ab illis abstrahunt, veluti iudicium, quo ego cognosco duo, & tria esse quinque, vel angulum non esse sine duabus lineis; nihilominus concedendum non esset suppositum habens talia iudicia posse carere potentiâ volitiuâ, quia eo ipso, quòd esset capax illarum intellectionum, esset capax aliarum, quas possent subsequi actus rationalis appetitus. Difficultate non caret hæc solutio, quia connexionem potentiarum, seu principiorum intellectiui, & volitiui deducimus ex connexione actuum & ordine, quem dicit intellectio ad volitionem, ergo si de ratione intellectionis vt sic, non est ordo ad volitionem, neque de ratione intellectus erit ordo, seu cõnexio essentialis cũ potentia volitiua.

4 Si quis diceret actum fidei intrinsecè sumptum secundùm suam entitatem non habere connexionem essentialem cum existentia reuelationis, sed eumdem posse existere propter reuelationem falsò existimatam, facilè responderet, talem actum posse coniungi cum volitione ortã ex illo casu, quo existeret non existente reuelatione, neque decreto non concurrendi cum voluntate. An verò actus fidei talem connexionem habeat cum obiecto, vel idem, qui modò est propter veram reuelationem, possit esse propter reuelationem falsò existimatam, disputant Theologi in materia de fide, & nonnihil de hac re attingam Controu. 7. Punct. 1. §. 4. Fert communis sententia actum fidei essentialiter esse connexum cum obiecto, ideo iuxta illam prædictæ obiectioni satisfaciam. Respondet Herice, illum actum ex se virtutem habere inadæquatam ad influendum in volitionem, repugnare tamen de facto influere quia essentialiter ratione obiecti est connexus cum negatione illius comprincipij requisiti ad influxum actualem, qui dependet ex cognitione habente virtutem ad influendum, & ex decreto Dei quorum altero repugnante repugnat actualis influxus: ita posito illo actu repugnat volitio ex repugnantia decreti, quæ talem actum comitatur, non ex defectu virtutis intrinsecæ intellectionis ad influendum in volitionem, quia intellectio virtutem illam haberet, sicuti etiamsi Deus decerneret mecum non concurrere ad deambulandum, repugnaret supposito illo decreto me deambulare, & intrinsecè inuariatus ego permanerem cum eadem virtute intrinseca deambulandi quam modò habeo. Hoc est quod Herice non nimis clarè appellat iudicium illud esse remotè, & non proximè potens influere in volitionem. Adhuc solutio hæc difficultatem non exhaurit, videtur enim repugnantiam inuoluere virtutem inadæquatam ad aliquem effectum essentialiter connexã cum negatione aliùs comprincipij essentialiter requisiti ad eumdem effectum; virtus enim partialis, & inadæquata ex se ordinatur ad coniunctionem cum alia virtute inadæquata, vt cum illa producat effectum: ergo non potest essentialiter supponere negationem illius virtutis; implicat enim rem aliquam esse essentialiter connexam cum negatione habitus, cum quo petit coniungi: ergo cognitio habens virtutem inadæquatam ad influendum in volitionem complendam per decretum, quod Deus habeat concurrendi cum illa, exiget coniungi cum tali decreto, & non poterit essentialiter supponere talis decreti negationem.

5 Respondeo ad prædictam obiectionem: iudicium illud supponere tanquam obiectum reuelationem de concursu non futuro, & decretum reuelatum, cum quibus habet connexionem, non verò immediatè supponere negationẽ concursus, neque negationem actus Dei, quo velit concurrere cum voluntate, quia si per impossibile cum illa reuelatione, & cum decreto, quo Deus decerneret non concurrere, posset coniungi concursus, & alius actus subsequens voluntatis diuinæ, quo vellet concurrere, ille actus optimè subsisteret: quod si hæc coniungi non possunt non oritur ex natura actus, sed ex connexione necessariâ obiecti, quod supponit cum negatione concursus, & ex illatione actualis negationis concursus ex decreto negãdi illum, quæ negatio, etiamsi supponatur per impossibile non esse posita reuelatione, non inducit negationem actus, qui ex natura sua tantùm petit reuelationem, & decretum non concurrendi: quod verò reuelatio, & decretum coniungantur cum negatione concursus oritur ex entitate reuelationis, & decreti, & non ex actu fidei, qui, vt dicebam, tantum petit reuelationem, & decretum ex se illatiua negationis concursus; non verò ipsam negationem concursus.

6 Secundò hac ratione concluso solet probari. Principium cognoscitiuum est prius principio volitiuo, & ad illud supponitur: ergo etiamsi postea non sequatur volitiuũ, principium, cognoscitiuũ permanebit, quia id quod prius est non potest dependere ab illo, quod est posterius. Respondè, principium volitiuum proximè & formaliter in actu primo non tantùm esse posterius principio cognoscitiuo, sed etiam principio cognoscente, quia ad hoc vt in actu primo quis proximè possit velle, non tantùm prærequiritur posse cognoscere, sed esse actu cognoscens, & ipsa cognitio actualis est quid formaliter pertinens ad ipsum principium volitiuum, & constituens actum primum volendi, & prior volitione: Principium verò volitiuum radicale

radicale formaliter non distingui ab intellectiuo, & ita non esse prius illo: quod si per intellectum distinguatur tantùm habebit prioritatem quamdam rationis,quæ poterit deseruire ad hoc vt per rationem præscindatur,non verò ad hoc,vt realiter separetur, quia realiter non est prius principium cognoscitiuum, quàm volitiuum radicaliter, sed formaliter idem. Addo quod etiamsi realiter distinguerentur posset dici principium intellectiuum supponi ad volitiuum cum connexione essentiali ad illud, & tamquam quid formalissimè connexum cum illo, vt implicaret dari principium cognoscitiuum sine volitiuo.

7 Tertiò arguunt alij: Sensationes externæ sunt quædam manifestationes, & propositiones obiectorum, & tamen nullum inferunt appetitum: ergo potest dari repræsentatio interna obiecti, quin detur potentia appetitiua circa illud. Respondeo, appetitum internum materialem ferri in omnia obiecta sensata sensu interno, & sensibus externis,& ita horum repræsentationes, externas videlicet sensationes, destitutas non esse potentiâ appetitiuâ, quæ ex ipsis externis sensationibus, & ex illarum potentiis deducitur.

8 Si quæ inuenitur solida probatio huius conclusionis, hæc est: non repugnat dari principium cognoscitiuum, quod non sit volitiuum:ergo potest Deus producere creaturam potentem cognoscere,& non velle. Tota hæc quæstio sita est in probatione antecedentis, quæ ex argumentorum solutionibus petenda est. Hæc refero vt reddâ illas.

9 Obiic. 1. Intellectus ordinatur ad voluntatem & intellectio ad volitionem: ergo implicat dari principium intellectiuum, quod non sit volitiuum. Respondeo de facto intellectum, & voluntatem in creaturis existentibus esse idem saltem radicaliter,seu in radice, ex qua oriuntur hæ potentiæ in opinione, quæ illas superadditas admittit; & in sententia,quæ potentias has superadditas non admittit, principium formale intelligendi, & volendi esse idem, & ita in illa nullum posse reperiri ordinem inter intellectiuũ & volitiuum: do tamen hunc ordinem intercedere in his principiis, qui negari nequit in illorum actibus, & nego similem ordinem necessariò dandum esse in omni intellectu, & intellectione possibili respectu voluntatis, & volitionis, quia non repugnant intellectiones specie distinctæ ab his, quæ de facto dantur absque vllo ordine ad volitiones.

10 Obiic.2. Creatura rationalis,& irrationalis distinguuntur ex eo, quòd rationalis habeat appetitum elicitum, & irrationalis appetitum innatum: ergo implicat dari creaturam rationalem carentem appetitu elicito, quia nihil potest dari sine illo, per quod formaliter distinguitur ab aliis. Respondeo creaturam rationalem de facto existentem constitui formaliter per principium intelligendi, & volendi per quod distinguitur ab omni irrationali, posse tamen dari creaturam rationalem constitutam per purum principium intelligendi,ex vi cuius differat formaliter ab omni creatura irrationali, & à rationali volitiuâ; sicut planta per principium purè vegetatiuum differt ab omni non vegetatiuo,& à vegetatiuo sensitiuo.

11 Obiic.3. Principium perfectissimum potens cognoscere, quale est Deus,& imperfectissimum quale est brutũ,est potens appetere: ergo de ratione omnis principij appetitiui est posse appetere. Respondeo concedendo antecedens,& negando consequentiam,quia posset dari principium aliud cognoscitiuum imperfectius bruto,quod non posset appetere,& perfectius illo, & etiam perfectius homine, medium inter Deum, & hominem, quod non posset appetere, ex qua impotentia præcisè non esset æquè perfectum cum homine, ex alio tamen capite,videlicet ex perfectiori modo cognoscendi per pauciores species plura obiecta, & maiori expressione, certitudine, & euidentia exuperaret excessum bruti in potentia appetitiua.

12 Obiic.4.Omnis forma debet habere appetitum sibi proportionatum: sed creatura rationalis habet actum rationis elicitum:ergo debet habere appetitum elicitum. Respondeo concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam. Quia cum creatura rationali habente actum rationis elicitum non solùm est proportionatus appetitus elicitus,sed etiam innatus,quia creaturæ rationali habenti actum rationis elicitum, etiam conuenit innatus appetitus in suas passiones, vt omnes admittunt. Ex quo infertur hunc appetitum illi esse proportionatum, quia nullus appetitus potest naturaliter rei conuenire, qui cum illa proportionatus non sit. Si dicas appetitum innatum non conuenire creaturæ rationali,vt rationalis est, non tecum contendam, etsi possem obiicere creaturam rationalem vt principium potens producere intellectiuam potentiam in opinione, quæ hanc admittit superadditam habere innatum appetitum ad illam producendam, & eamdem creaturam videlicet animam simul cum potentia,si datur, & si non datur ipsam tantùm habere innatum appetitum ad suos actus producendos: ergo creatura vt potens producere potentiam intellectiuam & vt potens producere intellectiones habet appetitum innatum, quia natura hominis, vt potens formaliter producere intellectum tanquam propriam passionem,& intellectiones,simul cum intellectu, vel ipsa sola, formaliter rationalis est. Dico, me de hac re non contendere: do creaturæ rationali formaliter vt rationali non competere appetitum elicitum, sed tantùm illi materialiter sumptæ conuenire,& affirmo posse dari creaturam rationalem, cui vt rationali formaliter appetitus non conueniat. Addo principium ratiocinandi formaliter in se non esse elicitum, sed tantùm tale denominari ab actibus, qui eliciuntur, ac proinde appetitum proportionatum cum sua entitate non debere esse elicitum, siquidem ipsum principium cognoscitiuum formaliter in se elicitum non est.

Obiiciuntur vltimò nonnulla testimonia adducta à Patre Vasquez, quibus ex Scriptura, & Patribus intendit probare omnem creaturam rationalem esse peccabilem, eo ipso, quod sit rationalis. Ex quo infertur esse liberam, & potentem amare,quia sine libertate peccatum inueniri nequit, & libertas tantùm potest in voluntate reperiri. Respond. omnia testimonia adducta à Patre Vasquez, & quæcumquæ alia adducantur; quibus Patres asserant omnem creaturam rationalem posse peccare,intelligenda esse de creaturis rationalibus habentibus potẽtiam volitiuam, quia Patres tãtùm intendunt tradere nullam voluntatem, creatam esse impeccabilem, & cùm de facto omne principium intellectiuum sit volitiuum,vniuersaliter asserunt, omne principium intellectiuum,seu omnem creaturam rationalem esse peccabilem, parum curantes, an possit dari creatura aliqua, quæ possit intelligere,& non amare. 13

Ex his potest non improbabilis iudicari opinio asserens posse dari principium intellectiuum, quod volitiuum non sit; Verumtamen mihi amplecti non permittit magna Doctorum auctoritas, qui oppositam defendunt, cùm neque vnum inueniam, quem possim opponere alicui magnorum illorum Molinæ, Vasq.Suarij, & Valentiæ, quos cum aliis, pro sententia negante suprà adduxi. Contradictio adducenda, propter quam non possit produci à Deo creatura potens cognoscere, & non appetere, sumenda est ex ipsa intrinseca natura principij cognoscitiui, & actuum illius, quorum finis est proponere cognoscenti obiecta fugienda, & amplectenda ad sui conseruationem. Sicut enim lapidi naturæ auctor propensionem dedit, innatúmque appetitum ad proprium bonum,sic vt appetitum elicitum tribueret sensitiuis, & vt per actus elicitos possent bonum amare, & malum odio prosequi; hoc fugere, & illud amplecti,potentiam cognoscitiuam illis est impertitus,vt cognitam conuenientiam,& disconuenientiam fugerent, & intenderent; & in hunc finem ordinatur potentia cognoscitiua, & illius actus: nam vt bene expendit P.Ruisius n.31. frustrà videret animal cibum, quem non posset appetere, frustráque ouis lupum videret,audirétque leonis rugitum, & cerneret vngues, si non posset fugere, neque timere,sibique consulere, maximè cùm omnium animalium sensationes sint destinatæ ad conseruationem, commoditatem, illorúmque lætitiam. 14

CONTROVERSIA VI.

De Intellectione.

EXplicvi naturam potentiæ intellectiuæ; & illius obiectum, restant modò partus vtriusquè explicandi, scilicet illius actus, de quibus modò disputationem texam.

Punctum Primum.

In quo formaliter intellectio sit constituenda?

1 Intellectionem esse formam superadditam intellectui creato concedunt omnes, est tamen graue inter auctores dissidium in quo consistat, an in qualitate producta, an in actione ad qualitatem terminata; an in vtraque; an in actione identificata cum qualitate; an in actione termino carente; an ex suppositione, quod formaliter dicat actionem, importet passionem formaliter, vel tantùm materialiter tanquam quid identificatum cum actione? Nulli ex his dicendi modis patronus deest: omnes simul cum fundamentis vniuscuiusque referam, & illum, qui mihi verior visus sit, defendendum eligam. Moneo quæstionem hanc specialiter institui de intellectione, quia est actio præcipua inter omnes vitales intentionales; eadem enim posset institui de quacumque sensatione, & de volitione, quia eadem omnium ratio, ideo quod de intellectione definitum sit, de sensationibus omnibus, & de volitione dictum puta.

§. I.

Duplex Opinio refertur, & refellitur.

2 Affirmant multi intellectionem adæquatè in actione consistere: hi in duplicem classem sunt diuisi; quidam affirmant actionem constitutiuam intellectionis nullum habere terminum; ita Caietanus cum aliis Thomistis 1.p. q.27. Alij terminum assignant, per actionem productum, nihilominus asserunt, rationem intellectionis totam sitam esse in actione. Ita P.Molin. 1.p. q.12. art.2. disp.1. Conimbr. lib.3. de anima cap. 8. art.3. q.3. quos aliqui ita explicant, vt tantùm dicendi modo sententiam hanc amplectantur.

3 Priorem dicendi modum passim iure optimo reiiciunt omnes, implicat enim dari actionem sine termino, actio enim est fieri & causalitas, omne autè fieri, & omnis causalitas est alicuius facti causalitas; & implicat dari fieri, & causari sine re factâ, & causatâ, quæ est terminus fieri, & conseruari, seu actionis. Hæc opinio iure ab omnibus reiecta, si loquendi modum attemperaret, mea quidem sententia optimè posset defendi, existimo enim tantùm in modo loquendi discedere à sententia, quâ postea omnibus præferam, asserente intellectionem consistere in qualitate immediatè per se ipsam nullâ interiectâ actione à principio dimanante, vel in actione identificata cum termino, quod sic ostendo: vtraque opinio constituit intellectionem in entitate quadâ immediatè ab intellectu dimanante per suammet entitatem, ex vi cuius intellectus in actu secundo constituitur formaliter intelligens: ergo tantùm differunt hæ duæ opiniones, ex eo quod vna entitatem hanc essentialiter per suam entitatem ab intellectu dependentem, & nullum distinctum terminum respicientem vocat actionem sine termino; & altera eâdemmet entitatem vocat actionem cum termino identificatam. Neutra enim harum opinionum nouam formalitatem concedit; vel negat, quam altera opinio diuerso modo defendat.

4 Dices in re differre has opiniones, quia Thomistarum opinio asserit, illam entitatem esse puram actionem, altera verò opinio formalitatem qualitatis in illa actione cognoscit. Contrà: formalitas qualitatis ab hac opinione in qualitate constituta, in eo debet consistere, quod hæc entitas tali modo afficiat subiectum, illúdque formaliter constituat intelligens, & informatum propria obiecti repræsentatione, & imagine; sed in opinione asserente illam entitatem, in qua intellectio constituitur esse puram actionem, eodem modo afficit subiectum, illúdque eadem ratione constituit intelligens, & informat tanquam repræsentanio, & imago obiecti: ergo in re Thomistarum opinio concedit in hac intellectione, quam appellat puram actionem, formaliratem illam, quam altera opinio qualitatem appellat: ergo in nullo rei differunt, sed tantùm in loquendi modo. Si dicas rationem qualitatis non consistere in modo respiciendi obiectum, peto à te, quæ sit formalitas qualitatis, quam constituit opinio, quæ docet intellectionem esse actionem cum termino identificatam? & cùm illam dederis, eâdem assignabo in entitate Thomistica, quam actionem sine termino illius auctores vocant. Concludo, has opiniones tantùm in modo loquendi differre, nihilominus affirmo grauiter peccare Thomistarum opinionem cõtra omnem bonam philosophiam, etsi tantùm in modo loquendi & hac meâ benignâ indigere interpretatione, ne illius auctores in aliquem absurdum philosophandi modum explicentur.

Venio ad opinionem, quæ totam rationem intellectionis in actione constituit respiciente terminum ab illa distinctum, contra quam sic argumentatur Hurtadus disput. 6.§.7. Viuens essentialiter dicit actionem, & passionem in actu primo, quia est principium ab intrinseco se potens mouere: ergo viuens in actu secundo dicit essentialiter actionem, & passionem actuales, & terminum. Probat consequentiam, quia viuens in actu secundo debet dicere in actu secundo id quod viuens in actu primo dicit in actu primo; sed viuens in actu primo dicit actionem, & passionem in actu primo: ergo viuens in actu secundo dicit actionem, & passionem in actu secundo. Vrget: principium intellectiuum constituitur in ratione principij intellectiui per principium actiuum in se ipso: ergo intelligens formaliter vt intelligens constituitur per actionem in se ipso: ergo constituitur per actionem, & passionem, & terminum, quia in actu primo constituitur per ordinem ad actionem, passionem, & terminum. In aliorũ principiis forsan nonnihil roboris haberet hoc argumẽtum ad probandum passionem ad intellectionẽ pertinere, sed ad probandum terminum ad intellectionẽ pertinere omnino puto esse inefficax in quacumque sententia, neque in mea respectu termini, aut passionis habet vim aliquam. Vtrumque ostendo. Assero hoc argumentum non probare iuxta mea principia passionem pertinere ad conceptum intellectionis, quia etiamsi verum sit viuens in actu secundo, seu vitam actualem debere importare in actu secundo id, quod vita in actu primo, seu principiũ viuendi dicit in actu primo, & hoc dicat in actu primo actionẽ immanentẽ, & per ordinẽ ad illam constituitur actio immanẽs formaliter vt immanens in mea sententia non dicit essentialiter passionem, neque viuens in actu primo constituitur per ordinem ad passionem, sed tantùm per ordinem ad actionem immanentem, cuius adæquatus conceptus intelligitur ex eo præcisè, quod sit productio termini per se ipsum principio vnito, quem immanentiæ modum, & non aliũm habent sensationes corporeæ respectu animi rationalis, cui sunt immanentes: ergo neque de conceptu essentiali viuentis vt sic in actu primo est ordo ad passionem, neque de conceptu essentiali vitæ in actu secundo est actualis passio. Constat tota solutionis doctrina ex dictis Controuers. 2. Punct.1.& Punct.2.§.4. de conceptu viuentis, & Controu. 3. Punct. 1. §. 2. de virtute passiua animæ respectu suarum operationum. In aliorum sententiis, qui ad immanentiam passionem requirunt, etsi probaret argumentum hanc ad intellectionem pertinere, id nullo modo de termino conuinceret, quia ad immanentiam formaliter, id tantùm formaliter attinet, per quod formaliter terminus recipitur in subiecto, à quo effectiuè procedit: ergo ad hanc non spectat terminus formaliter. Probo consequentiam: terminum recipi in principio, à quo procedit, dicit formaliter actiuè procedere ab hoc principio, & in eodem recipi: sed præcisè per actionem, & non per terminum formaliter terminus effectiuè producitur ab hoc principio, & tantùm per passionem formaliter, & non per ipsum recipitur in eodem principio: ergo tantùm per actionem, & passionem producitur, & recipitur terminus in principio: ergo tantùm in actione, & passione tota immanentiæ ratio constituenda est. ergo ex eo, quod intellectio dicat formaliter immanentiam non dicit formaliter terminum productum. Illud quod dicit Hurtad. videlicet principium potens operari, immanenter constitui per ordinem ad terminum, absolutè negandum est, vel saltem distinguendum, dicendúmque illud principium constitui formaliter per ordinem ad actionem & passionem, tanquam ad rationem adæquatam formalem immanentiæ, per quem ordinem respicit terminum non primariò, sed secundariò tanquam terminum formalem immanentiæ, qui ab illa denominatur secundariò immanens, terminus enim receptus in principio, à quo fluit, immanens dicitur per immanentiam causalitatis, ex vi cuius producitur.

Arguit secundò §.62. Actio vitalis, & expressio imaginis 6

obiecti

obiecti procedit à Deo, & Deus non intelligit per illam actionem : ergo intelligere plus est, quàm agere. Respondeo, intelligere esse agere per actionem immanentem, & cùm eadem actio sit immanens respectu viuentis, & non respectu Dei, sit eadem actionem esse intellectionem respectu viuétis creati potétis intelligere, & nó respectu Dei.

7 Arguit tertiò §. 63. Intellectio est potissima perfectio intellectiuæ potentiæ, quia nullum accidens est in homine perfectius : sed actio non est tam perfecta, quàm eius terminus : ergo intellectio non tantùm in actione, sed in termino consistit, alias non diceret perfectissimum accidens potentiæ intellectiuæ : terminum esse perfectionem actione probat, quia terminus est res, & actio est modus, modus autem imperfectior est re, cuius est modus. Multa hic inuoluuntur, quæ si in re maioris momenti occurrerent, fine longo examine non admitterem, si enim verum esset dari verbum creatum distinctum ab intellectione, vnde probandum esset, verbum esse imperfectius intellectione? secundò cur dici non posset actionem hanc etsi ex formalitate modi non sit æquè perfecta cum re cuius est modus, ex vitalitate intrinseca actionis, cuius ratio conuenit extrinsecè termino, excedere perfectionem rei, cuius est modus. In his non immoror: do terminum perfectiorem esse intellectione, & assero intellectum potissimè perfici per intellectionem, etsi minùs perfectam verbo per specialem modum respiciendi intellectum quem habet intellectio immediatè per suam entitatem, quo caret terminus intellectionis, & ita etsi in se perfectior, minùs subiectum perficit, quia subiectum perficitur non præcisè per perfectionem, sed per perfectionem, vt afficientem subiectum, & ita ratione strictioris, seu perfectioris modi respiciédi subiectum potest entitas in se minùs perfecta magis subiectū perficere, quàm alia in se perfectior.

8 Arguit quartò §. 64. Intellectio necessariò denominat obiectum cognitum: sed actio non tribuit talem denominationem obiecto: ergo non est intellectio. Minorem probat quia actio immediate versatur circa suum terminum intrinsecum, & circa obiectum quatenus est expressio obiecti, & ita non vt actio, sed formaliter vt qualitas terminum respicit. Respondeo facilè potest, actionem intellectiuam formaliter vt actionem, respicere terminum, & obiectum, hoc vt cognitum, illum vt productum per ipsam formaliter, quia cognoscere obiectum nihil aliud est, quàm producere talem terminum, & ita quod formaliter denominat terminum productum denominat obiectum cognitum.

9 Aliér ergo sententiam hanc impugno. Si tota ratio cognitionis in actione consistit, terminus tantùm est necessarius vt subsistat actio : ergo terminus est propter actionem, & non actio propter terminum, quod absurdum est, quia vt bene expendit P. Zuñiga tract. de Trinit. disp. 1. dub. 7. nulla actio distincta à termino est propter se intenta, sed propter terminum, quod adeò certum esse affirmat, vt qui oppositum asserant videantur conceptum actionis non intellexisse. Primum antecedens sic probo: Si tota ratio intellectionis in actione consistit & intellectus per actionem fit adæquatè formaliter intelligens: ergo terminus talis actionis non constituit intellectum formaliter intelligentem; ergo tantùm requiritur vt fit actio. Rem confirmo, & explico : suppone per impossibile dari hanc actionem sine termino, vel illam mente à termino præscinde, & intellectum considera actione tantùm affectum; tùc præcisè per actionem erit intelligens: ergo terminus tantùm requiritur vt fit actio, ex vi cuius intellectus constituitur intelligens.

10 Dices, terminum requiri vt sit idolum, & verbum obiecti. Contrà: hoc idolum, seu verbum non requiritur, vt intellectus in illo tanquam in obiecto priùs cognito cognoscat obiectum. Ostendam enim num. 41. tale verbum non requiri respectu intellectus creati, neque vt per illud constituatur intelligens, iam enim supponimus per actionem ab illo distinctam constitui formaliter intelligentē: ergo nullo modo requiritur. Dices requiri, vt intellectus loquatur, loqui enim dicit productionem verbi; quod si non producatur, intellectus non loquetur; implicat enim loqui sine verbo. Intellectu omnino muto contentus essē, dum apprimè intelligerem, ad quid enim intellectus loquax desiderandus est; vel quæ necessitas est constituendi intellectum creatum ita loquentem per verbum distinctum à cognitione? cùm intellectus creatus tantùm ad sui perfectionem indigeat obiecti cognitione, quâ posità, quodcumque verbum aliud distinctum superfluum est in creaturis. Quod si in diuinis per cognitionem notionalē Patris producatur Verbum distinctum à principio producente vt *quod*, videlicet à Patre, ideo est quia Pater non tantùm est potens intelligere, quatenus potest percipere obiecta, quod est commune omnibus tribus personis, sed est potens intelligere notionaliter, producendo Verbum consubstantiale ipsi Patri producenti eiusdem essentiæ cū illo, habens tamen diuersam personalitatem. Cognitio enim notionalis Patris est communicatio essentiæ, quæ est in Patre, & productio personalitatis constituentis secundam personam Trinitatis distinctæ à paternitate. Quod altum, & inscrutabile mysterium subsistere nequit sine Verbo distincto à Patre producente, quod sit terminus cognitionis notionalis Patris : in creatis verò nulla est ratio, quæ cogat, imò neque permittat verbum aliquod assignari productum per cognitionem formalem, quod ad rationem formalem cognitionis non pertineat.

§. II.

Duplex alia sententia reijcitur.

DOcent alii rationem formalem intellectionis totam 11
sitam esse in qualitate per actionem productam. Ita P. Vasq. 1. p. disp. 112. cap. 4. num. 13. & 1. 2. disp. 9. num. 16. P. Suarez 1. p. tract. 3. lib. 16. cap. 6. num. 7. P. Zuniga tract. de Trinit. disp. 1. dub. 4. P. Val. tract. 1. disp. 6. q. 5. punct. 1. P. Arriaga disp. 6. sect. 2. subsect. 4. & alii quàm plurimi ex antiquis apud Conimbr. quos etiam nonnulli pro hac sententia interpretantur. Totum fundamentum huius sententiæ desumitur à paritate aliarum qualitatum, quia sicut esse album, vel esse sanctum non dicit formaliter actionem, sed ipsam qualitatem, ita esse intelligens qualitatem & non actionem debet dicere. Debile argumētum, facilè enim quisque respondebit esse album, & esse sanctum consistere in qualitate, quia subiectum esse album, aut esse sanctum non dicit subiectum viuere, quod dicit esse intelligens, & ita concretum hoc intelligens importare actionem, quam non important alia concreta veluti album, & sanctum.

Hæc argumenti solutio prima sit huius sententiæ impu- 12
gnatio. Intelligere est viuere: viuere dicit actionem: ergo intelligere dicit actionem. Respondēt Zuniga & Arriaga: intellectionem esse vitam intentionalem, & hanc non importare actionem, sed repræsentationem obiecti. Ex quo infert Arriaga per qualitatem hanc infusam à Deo casu quo infunderetur, intellectum esse constituendum in actu secundo viuentem, & illam vitam in actu secundo esse dicendam. Solutio hæc impugnanda est ex his, quæ dixi Controuers. 2. Punct. 1. vbi probaui viuens in actu primo esse principium operationis, & vitam in actu secundo operationem includere. Neque leuis impugnatio sumitur contra hunc modum constituendi vitā sine operatione ex Trident. sess. 6. can. 4. vbi damnatur qui dixerit in iustificatione nostra liberum nostrum arbitrium nihil operari, sed veluti quoddam inanimatum instrumentum moueri. Quibus verbis Concilij Patres censere videtur, idē esse non operari, ac se habere veluti inanimatum instrumentum nullā prorsus vitā fungens, & consequenter vitam in actu secundo formaliter includere operationem. Latiùs eamdem sententiam impugnabo à n. 18. vbi probabo intellectionem formaliter actionem includere. Placet notare contra nonnullos huius sententiæ sectatores intellectionem constituisse adæquatè in qualitate, & postea definisse intellectum non esse constituendum intelligentem, si Deus illi absque vlla propria actione hanc qualitatem infunderet; quod sic impugno. Intellectus formaliter vt intelligens tantùm dicit formaliter qualitatem illi vnitam : ergo implicat qualitatem illi esse vnitam à quocūque principio procedant vnio, & qualitas; & intellectum non esse formaliter intelligentem, sicut implicat albedinem esse vnitam ligno, & lignum non esse album. Si neges primum antecedens, discedis à tua sententia, & illo negato te fortiter impero. Intellectus formaliter vt intelligens includit aliquid præter qualitatem illi vnitam: ergo tota ratio formalis intellectionis non consistit in qualitate, quia intellectus formaliter vt intelligens tantùm includit id, in quo formaliter intellectio consistit.

13 Recens quidam ingenio nobilis, qui totam rationem intellectionis in qualitate constituebat, vt defenderet hanc à Deo infusam absque vlla intellectus actione, non constituere formaliter potentiam intelligentem, dixit actionē esse causalitatem, mediâ quâ qualitas illa constituit formaliter intellectum intelligentem, quâ ablatâ, non præstat suum effectum, sicuti albedo, quæ est ratio formalis constituens album, non tale subiectū constituit, quousque sit vnita, etiamsi subiecto sit inhærens. Huic menti patrocinari vult Patrem Molina 1.p.q.12.a.2.disp.1.concl.3.& a.5. disp. 1. quibus in locis expressè docet quod etiamsi Deus produceret visionem, & intellectionem in mente mea intellectu efficienter non operante, non intelligerem per illam: aitque eodem art.5. referri à Patre Molina, Caietan. Capr. Ferrar. & Sot. asserentes, quod licet Deus sine lumine gloriæ posset facere rem illam, quæ dicitur visio, non tamen posset efficere, quod intellectus videat per illam, intellectu non concurrente cum homine; quia sine hoc intellectus non habet vim operandi. Ex quibus infert aptè hos Doctores dixisse intellectionem non præstare suum effectum formalem sine actione, quia sentiebant hanc requiri tanquam causalitatem, media qua illum communicet.

14 Propter testimonia Patris Molinæ locis suprà citatis, illum retuli n.2. pro sententia asserente intellectionem in actione consistere, licet aliter alij eumdem interpretentur, reliquos Doctores ex P. Molina relatos omnes auctores adducunt pro sententia constituente intellectionem in actione, ideo existimo nullum huic dicendi modo fauere, neque in alicuius mentē venisse: illum sic propugnat illius auctor. Si homo liberè eliceret actum contritionis seu qualitatem illam, in qua talis actus constituitur, & Deus impediret vnionem qualitatis cum anima, præcisè ex eo quod illā elicuisset, mereretur: ergo præcisè per actionē qualitatis, & non per vnionē homo constitueretur formaliter detestans peccatū, ex cōplacentia Dei: ergo per actionem, & non per vnionē qualitas illa præstat suū effectū formalem. Facilius hac ratione probari potest actionē esse rationem formalē amandi, & per illam constitui voluntatē formaliter amantē, quàm id, quod intendit arguens: admisso enim antecedenti, facilè negari poterit consequentia, & dici in illo casu hominē constitui amantē per actionē tanquā per formā, & ita seclusâ vnione qualitatis formaliter Deum amare, & detestari peccatū ex cōplacentia Dei. Dedi solutionē hanc, vt ostendā rationē adductā inefficacē esse, quid verò in illo casu cōtingeret, præcisè accipe. Casu quo actus cōtritionis adæquatè cōsisteret in qualitate, & hæc produceretur à volūtate, & illius vnio impediretur, homo mereretur per exercitiū suæ libertatis, non tamē consequeretur id, quod præstat contritio per modū formæ, ac proinde ex vi contritionis non vnitæ non euaderet formaliter iustus.

15 Censeo ad defendendum totam rationem intellectionis consistere in qualitate, & hanc sine actione viuentis à Deo infusam, suum effectum formalem non præstare, non posse alium aptiorem inueniri dicendi modum, præter hunc, quem acutè prædictus Neotericus excogitauit. Verumtamen ad rem veritate destitutam defendendam mirum non est aptum modum non inueniri, ideo neque hunc probo, sed iam impugno. Effectus formalis alicuius formæ, vt sæpè dixi, præcipuè in Physic. Controu. 8. Punct. 3. §. 1. nihil aliud est, quàm totum resultans ex forma, & ex subiecto, sed hoc totum necessariò resultat ex vnione inter subiectum, & formam, & non ex actione: ergo id, medio quo quælibet forma suum effectum formalem fortitur, est vnio, & non actio, & sicuti implicat dari formam vnitam subiecto quin resultet totum; ita implicat formā esse vnitam subiecto quin resultet effectus formalis. Respondent prædicti recentiores, diuersam esse rationem de his formis, ac de aliis, quia cùm istæ vitales sint, mirum nō est suum effectum formalem non præstare sine actione, in qua consistit vitalitas. Hoc est totum fundamentum quo prædictus dicendi modus adstruitur, quod sic euerto, & rationem disparitatis impugno. Intellectio formaliter vt intellectio, vel includit intrinsecè tanquam quid pertinens ad illius constitutiuum vitalitatem; vel non includit illam intrinsecè, sed tantùm illam extrinsecè supponit, vel ab illa dependet? Si illam extrinsecè tanquam quid præsuppositum, vel aliquid, à quo depēdet, includit, extrinsecum illud neque tanquam ratio formalis, neque tanquam causalitas requiretur vt intellectio det suum effectum formalem, sed vt existat intellectio eo modo, quo requiritur ad suum effectum formalem præstandum distinctum à vitalitate, quia vel esse non poterit sine illo præsuppositō extrinseco, vt defendit P. Vasq. qui asserit, qualitatem distinctam ab actione adhuc de potentia Dei absoluta non posse produci à Deo sine actione propria intellectus; vel si semel existat, suum effectum formalem præstabit, sicuti si per impossibile albedo existeret vnita subiecto sine dependentia à Deo, illud subiectum constitueret album, quia etiāsi dependeat essentialiter à Deo ad suum effectum formalem præstandum, eatenus dependet ad hunc effectum, quatenus dependet ad existendum cum vnione, etsi semel daretur existens cum vnione sine dependentia. Si dicatur intellectionem formaliter, & intrinsecè includere vitalitatem tanquam quid pertinens ad sui constitutiuum, ratio vitalitatis pertinebit ad hoc concretum *intelligens* tanquam forma, & tanquam formalis ratio non tanquam causalitas: ergo si vitalitas in actione consistit, hæc tanquam forma, & tanquam informatio ad hoc concretum *intelligens* pertinebit.

16 P. Huit. disp. 6. sect. 1. subs. 1. docet intellectionem includere actionem, passionem, & qualitatem productam per actionem. Huius sententiæ præcipuum fundamentum est, intellectionem esse exercitium vitæ, & hoc dicere essentialiter actionem, & passionem, deinde esse repræsentationem obiecti, ac proinde includere qualitatem per actionem productam, quæ est imago obiecti. Impugnaui à n.5. vsque ad 8. rationes, quibus contendebat probare Huit. intellectionem præter actionem, includere passionem & qualitatem, & statui ex locis ibi citatis, passionem non requiri ad immanentiam; modò iterum arguo ad hanc excludendam à ratione intellectionis. Passio tantùm potest requiri, vt terminus per illam productus communicet suum effectum formalem subiecto, & vt constituat intelligens principium, à quo fluit, sed totum hoc potest fieri sine passione: ergo passio non requiritur ad intellectionem. Probo minorem: forma non communicat suum effectum formalē media passione, sed mediâ vnione: ergo vt intellectus constituatur intelligens, non requiritur passio, sed tantùm vnio rationis formalis imaginis, seu repræsentationis vitalis imbibitæ in natura intellectionis.

17 Deinde non placet, intellectionem constitui in duabus entitatibus distinctis: quod sic impugno. Qualitas secundùm hanc sententiam est repræsentatio obiecti: ergo per qualitatem obiectum est repræsentatum formaliter, & expressè intellectu: ergo per qualitatem intellectus est formaliter intelligens. Negabis posteriorem consequentiam, quia intellectum esse intelligentem non solùm dicit habere expressam repræsentationem obiecti, sed actionem ex vi cuius repræsentatio ab illo procedat. Contrà: si ratio procedentis ab intellectu in ipsa intellectione distinguitur à ratione imaginis, & repræsentationis, frustrà productio imaginis requiritur ad rationem intellectionis, quia intellectio nihil aliud est, quàm intellectualis repræsentatio obiecti, & qualitas illa distincta ab actione constituet obiectum repræsentatum & intellectum informatum tali repræsentatione, quod est formaliter intelligentem constituit: ergo tota ratio imaginis & repræsentationis in qualitate distincta ab actione consistit: Ergo in eadem sita erit tota intellectionis ratio. Dices, præter repræsentationem requiri actionem ad rationem formalem intellectionis, quia hæc includit vitam in actu secundo, quæ in actione consistit. Contrà sic insurgo: nullum est fundamentum ad tribuendam strictiorem, & magis intrinsecam vitalitatem actioni, quàm imagini, seu speciei expressæ: sed secundùm hunc dicendi modum constituitur imago, & species expressa distincta ab actione, in qua constituitur vitalitas & tantùm dicitur imago, & species expressa vitalis, quia est terminus vitalis actionis: ergo eadem ratione poterit dici intellectionem omnino indistinctam esse ab specie expressa, & dici vitalem ex eo quod sit terminus actionis vitalis: nullum enim caput inuenitur, cur eadem vitalitas eodem modo sumpta, quæ speciei expressæ tribuitur, intellectioni sufficiens non sit.

18 Alij dicunt intellectionem consistere formaliter in qualitate, connotare tamen actionem ab intellectu procedentem. Contra hos connotatores fusè disputo in metaph. controu. 9. punct. 4. & passim multis in locis, modò rationē quamdam, qua impugnandi sunt breuiter attingo. Actio quæ pertinet ad intellectionem tanquam quid connotatum, vel est pars essentiæ intellectionis, vel non: Si est pars essentiæ, apertè defendis intellectionem dicere actionem, &

& terminum : si non est pars essentiæ, totam rationem intellectionis in actionis termino constituis : ergo posito termino intellectus constituitur formaliter intelligens. Iterum repetis esse quid essentiale tanquam connotatum. Iterum insto : Actio ita in connotato sumpta, vel est constitutiua intellectionis, vel non alio modo, illud, *in connotato* est additum diminuens seu destruens rationem essentiæ; vel contrahens? si contrahens, ratio intellectionis consistit in actione & termino, si diminuens, intellectionis essentia adæquatè in termino constituta est: ergo hic dicendi modus coincidit in aliquem ex iam impugnatis.

§. III.

Propria sententia.

19 PLacet præ omnibus sententia, quæ asserit intellectionem consistere in qualitate seipsa immediatè pendête ab agente per actionem secum identificatam nulla alia superaddita interiacente. Pro hac sententia refero Scotũ, Durandum & Gabrielem, asserentes apud P. Suarez 3. de anima, c. 5. n. 30. nulla actione cognoscitiua produci terminum ab illa distinctum, pro eadem adduco Thomistas, asserentes intellectionem esse actionem sine termino, quorũ sententiam ab hac non discrepare testatur Arriaga disp. 6. sect. 2. subsect. 3. n. 28. eamdem vt probabilem libris de anima docuisse testatur P. Ripalda disp. 23. sect. 8. n. 43. eamdem plures recentiores ingenio acres amplectuntur. Traditur hæc sententia expressè à Philosopho 9. Met. c. 2. text. 11. & clariùs cap. 4. text. 16. vbi similes operationes vitales vocat vsum, asseritque omni termino carere, & differentiam adducit inter ædificationem & visionem, quod in ædificatione præter ipsam actionem ædificandi datur ædificium; seu domus ædificata tanquam actionis terminus; in visione autem præter ipsam actionem nullus alius terminus reperitur ex vi actionis productus, quod rursus explicat dicens, actiones, quarum terminus est distinctus, transeuntes esse, illas verò quæ terminum distinctum non habent, esse immanentes, & has esse visionẽ, speculationem, & vitam, hoc est, vitam in actu secundo, seu actionem vitalem, quæ propriè est vita; vita enim in actu primo principium vitæ, potiùs quàm vita dici debet. Philosophum auscultate : *Cùm autem quorumdam quidem vltimum sit vsus, vt vsus visio, & nihil præter hanc aliud à vita fiat opus, à quibusdam verò fiat aliud, vt ab ædificatiua domus præter ædificationem : nihilominus tamen illic quidem finis, hîc verò magis finis potentiæ est, ædificatio namque in ædificato simul & est cum domo. Quorumcumque itaque aliud quiddam præter vsum est id, quod fit, horum actus in eo quod fit est : vt ædificatio in eo quod ædificatur, & contexio in eo quod contexitur. Similiter, & de aliis omnino motus in moto. Quorum verò non est aliud quoddam opus præter actionem in ipsismet actio est, vt visio in vidente, & speculatio in speculante, & vita in anima.* Nullis verbis clariùs prædictam sententiam poterat tradidisse Philosophus.

20 Eamdem sententiam doceri à Doctore Angelico suadet testimonium descriptum ex opusculo quarto, tractatu de prædicamentis, capite de actione : *Similiter intelligere* (verba sunt Angelici Doctoris) *& sentire, sunt actiones immanentes, quia dicunt actum intelligendi, & sentiendi, esse actu in intelligente vel sentiente : hæc autem actio immanens non est de prædicamento Actionis.* En Angelicus Doctor constituit intellectionem in actione, quam relegat à prædicamento Actionis, non alia de causâ, nisi quia est identificata cum termino, ac proinde non est via inter terminum productum, & principium producendi. Sic interpretor testimonium Angelici Doctoris 1. part. quæstione 34. artic. 1. ad 3. *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam : in qua nulla ratio originis importatur, sed solùm informatio quædam in intellectu nostro: prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectam.* Excludit Diuus Thomas ab intellectione rationem originis; nomine autem *originis* intelligit actionem à termino distinctam, non verò cum illo identificatam; constat enim ex præcedenti testimonio sanctum Doctorem constituere intellectionem in actione, quod etiam in eodem articulo testatur immediatè ad secundum : *non enim intelligere significat actionem ab intelligente exeuntem, sed in intelligente manentem.* Hac ratione rectè consonant omnia testimonia Angelici Doctoris, quia in hoc articulo ad tertium dicit intellectionem non importare originem, hoc est, actionem superadditam, cuius fundamentum dederat ad secundum, vbi dixerat intellectionem importare actionem immanentem, quam putat non distingui à termino; ideo illam reiicit à prædicamento Actionis opusc. 4. citato.

Hanc conclusionem probant rationes omnes adductæ 21
pro aliis sententiis, quæ enim petitur ex vitalitate actionis, quæ est exercitium vitæ, ac proinde actio probat intellectionem debere includere actionem, quod affirmo; non potest autem ex hac ratione inferri actionem hanc à termino distinguendam esse, quod inficior. Deinde ratio desumpta à repræsentatione, & imagine, quæ qualitati cõuenit, non probat, qualitatem hanc fore ab actione distinguendam, ac proinde nihil contra meam sententiam probat, imò eam stabilit, quia cùm hac ratione probetur intellectione qualitatem importari, & ex alio capite constet simul importari actionem, & iam impugnauerim sententiam constituentem intellectionem in qualitate & actione distincta, necessariò concludendum est consistere in actione identificata cum termino, seu cum qualitate producta. Confirmatur eadem conclusio : intellectio est quædam repræsentatio, & imago obiecti, & non quæcumque repræsentatio emortua, sicuti imago Cæsaris in tabula, sed viuo modo tanquam perceptio, & captio, seu apprehensio obiecti : ergo est repræsentatio quædam, quâ intellectus apprehendit obiectum & illud quasi manu capit, per exercitium quoddam vitale : ergo est imago importans actionem quæ apprehensio, & captio est propriissimum vitæ exercitium. Item intellectio dicit imaginem, quæ imbibit animæ attentionem, imaginatio enim formaliter dicit animi attentionem, sed attentio formaliter dicit conatum, & actionem : ergo intellectio dicit imaginem quandam intrisecè inuoluêtem actionem, ergo dicit quamdam actionem carentem termino distincto; actio enim intellectiua, quæ inuoluit secum identificatam rationem imaginis, nullum potest habere terminum, quem ipsa respiciat.

In amore, de quo eadem est ratio ac de intellectione, 22
speciale instituitur argumentum ad probandum in actione consistere, ex quo inferemus talem actionẽ carere termino, quia in illa tota ratio amoris sita est. Argumentum ita procedit. Cognitio in omnium sententia prærequiritur ad amorem, sed cognitio tantùm requiritur ad actionem voluntatis : ergo in hac actione consistit ratio amoris. Probo minorem : cognitio ex parte intellectus requiritur, vt voluntas valeat se determinare ad obiectum amplectendum : ergo requiritur ad determinationem voluntatis : sed determinatio voluntatis consistit in actione, per quam ex actu primo reducitur ad actum secundum : ergo cognitio requiritur ad actionem voluntatis : ergo in actione consistit amor, ad quem cognitio prærequiritur. Hac etiam ratione optimè assignatur ratio formalis amoris, cui primariò, & in se competat esse exercitium libertatis, quia hoc exercitium in actione consistit : ergo ad hoc vt amor sit exercitium libertatis, in ipsa actione constitui debet, per quam voluntas constituatur amans, quę cùm per se ipsam hûc præstet effectũ, nullo alio indiget termino, cui nullum supereſt munus, quod exerceat respectu libertatis, quæ per actionem formaliter amans constituitur.

Neque in hac actione identificata cum ratione imagi- 23
nis, & expressionis obiecti, in qua sita est intellectio adhuc intellectu præscindi potest ratio imaginis, à ratione actionis, quia vt modo dicebam, est quædam imago viuo modo per modum captionis, & exercitij principij viuentis, quæ formalissimè dicit actionem. Secundò ratio ipsa imaginis, sicuti quælibet alia formalitas creaturæ essentialiter per se ipsam dicit respectum ad principium effectiuum per exigentiam dependentiæ, cum qua connexionem habeat, seu per dependentiam actualem secum identificatã : sed hæc ratio imaginis non potest dicere respectũ per exigentiã dependentiæ superadditæ, cuius est incapax, quia illud, quod realiter per se dependet, non potest adhuc formaliter habere exigentiã dependentiæ superadditæ, nõ enim potest formaliter exigere id, quod realiter habere nequit : ergo talis ratio imaginis dicit respectum ad principium tanquam quid per se ipsum ab illo dependens : ergo inuoluit formaliter rationem dependentiæ, & actionis. Confirmatur : In omnibus formalitatibus, quæ dependent

dependent media actione,non distinguitur ab ipsis formalitatibus exigentia dependentiæ ab ipsa formalitate exigente, quia eadem per se ipsam terminat dependentiam, quam nó potest terminare:ergo in his entitatibus quæ dependent sine actione superaddita præscindi nequit formalitas,ipsaque dependet ab ipsa dependentia.

24 Ex his infertur intellectionem includere saltem materialiter, & identicè passionem,& vnionem, quia vtraque identificatur cum qualitate ; assero tamen vnionem non pertinere ad intellectionem solùm tanquam quid materiale identificatum cum qualitate , sed tanquam causalitatem, seu informationem qualitatis , quia ad hoc vt forma communicet suum effectum formalem subiecto, necessarium est illi esse vnitam , vel media vnione superaddita. Vnde intellectio, seu sensatio materialis , quæ efficienter ab anima producitur , & recipitur in materia tanquam in causa materiali , necessariò est animæ vnita, quia illam formaliter sentientem constituit tanquam vera forma. Itaque sensatio triplicem habet respectum ad animam,effectus producti per se ipsum, seu actionis identificatæ cum termino ; & formæ informantis ; & informationis. Ex his respectus actionis , & respectus formæ pertinent ad rationem formalem sensationis ; posterior verò respectus est causalitas , media qua formalis ratio sensationis suum effectum formalem animæ sentienti communicat. Præter hos respectus, inest conceptus passionis intellectioni , & sensationi viuentis anima materialis;qui respectus identificatus est physicè cũ ipsa ratione formali intellectionis,seu sensationis, formaliter tamen ad illam non spectat,quia passio non requiritur, vt actio identificata cum termino vnito per se ipsam principio, immanens sit,vt contra Hurtadum dicebam n.5.neque vt forma suum effectum formalem præstet subiecto,vt fert communis sententia.

25 Dices eodem modo posse defendi intellectionem tantùm includere materialiter actionem,quia intellectio tantùm dicit formaliter repræsentationem in intellectu , ad quam ratio formalis actionis impertinens est.Resp. intellectionẽ formaliter includere ipsam actionem,quia nó est repræsentatio vtcũque;sed repræsentatio viuo modo,quæ formaliter dicit actionem,vt probabam n.20.& quia ratio formalis repræsentationis in cognitione non distinguitur adhuc formaliter à ratione formali actionis.vt dicebã n.22.

§. IV.

Argumenta soluta.

26 ARgumenta,quæ possunt fieri contra actionem termino identificatam,soluenda sunt ex doctrina tradita in Physic.Contr.12.Punct.1.vbi probaui possibilem esse actionem identificatam cum termino ; quæ specialiter in hac materia fieri possunt breuiter proponam & soluam.

27 Obiicies primò : Intellectio diuina non importat actionem:ergo neque intellectio creata.Probo consequentiam: Intellectio diuina,& intellectio creata conueniunt in ratione intellectionis : ergo eo ipso quod intellectio diuina actionem non includat, non illam importabit ratio communis intellectionis abstrahens ab intellectione creata , & increata : ergo neque illam importabit ratio intellectionis creatæ.Probo consequentiam:intellectio creata sufficienter distinguitur ab increata,ex eo quod intellectio creata sit ab alio;sed hoc quod est esse ab alio non dicit identitatẽ actionis cũ termino:ergo intellectio creata in ratione intellectionis creatæ non dicit identitatẽ actionis cũ termino. Idem argumentum retorqueo in omnem sententiam ; primò in sententiam , quæ constituit intellectionem in termino distincto ab actione:Intellectio quatenus abstrahit à creata & increata , non dicit terminum distinctum ab actione ; intellectio creata formaliter vt distincta ab increata tantùm dicit esse ab alio:sed hoc quod est esse ab alio non dicit distinctionem termini a b actione,per quam est ab alio:ergo intellectio creata,vt intellectio creata est, non dicit distinctionem termini ab actione. Clariùs idem argumentum retorquetur in opinionem constituentem intellectionem in actione,& termino, quia hoc quod est esse ab alio,per quod differt intellectio creata ab increata, non dicit aggregatum actionis & termini: ergo intellectio creata, vt intellectio creata est neque secundùm rationem communem intellectionis,neque secũdùm rationem specialem intellectionis creatæ dicit aggregatum actionis , & termini. Facilè posset responderi prædicto argumento , de ratione intellectionis vt sic esse non dependere à principio media actione,quod conuenit rationi communi intellectionis creatæ,& increatæ , deinde de ratione intellectionis creatæ esse dependere ab alio aliquo modo,& consequenter esse dependere per se ipsã, quia habet ex prædicato communi non dependere mediã actione distincta & ex prædicato speciali petit dependere per se ipsam,cum nullus alius dependendi superstt modus.

Hac ratione sufficienter prædictæ obiectioni satisfa- 28
ciam , nihilominus placet aliam reddere quæ ex ipsis doctrinæ visceribus desumatur. Dixi Controuers.2. Punct.2. §. 4 de ratione actionis vitalis esse operationem , & hanc Deo competere, quia cùm Deus intelligit,& amat intentionaliter operari dicitur,& ita dico modò de ratione intellectionis abstrahentis ab intellectione creata,& increata esse operationem,& hanc contrahi in intellectione diuina ad operationem quamdam identificatam cũ ipso operante,quæ actio dici nequit,quia non est ratio dependendi,neque per illam effectus aliquis dependet,& ita causalitas efficientis dici nequit,neque actio , quæ essentialiter est efficientis causalitas. In intellectione creata ratio operationis , quam dicit prædicatum commune intellectioni creatæ,& increatæ, necessariò contrahitur ad operationem quamdam distinctam ab agente, quæ essentialiret est causalitas,& dependentia,seu actio , quia non potest dari operatio creata identificata cum principio operante,& ita omnis intellectio creata est actio ; intellectio verò increata est specialis operatio contrahens rationem communem operationis,quæ abstrahit ab operatione identificatá vel distincta cum principio operante.Rogabis cur intellectio & volitio diuina dicantur operationes ? Resp. intellectionem diuinam esse operationem intentionalem (idem de volitione intellige) quia est per quod formaliter Deus se determinat ad intelligendum,quæ determinatio est exercitium vitæ,& operatio Dei se determinantis, & cùm per suam entitatem se possit determinare,per suam entitatem nullo alio superaddito potest immanenter operari. In creaturis verò cùm omnis determinatio necessariò sit futura per aliquid superadditum,hinc fit non posse per se ipsas operari, quia operatio includit determinationem, & sicuti determinatio est superaddita cuicumque creaturæ se determinanti,sic & operatio ; & ita in creatura distingui nequit operatio ab actione:& dependentia.Ex hoc principio similiter infertur cur intellectio creata actionem importet,quia omnis intellectio includit determinationẽ, quæ est exercitium vitæ , & Deus potest se determinare adhuc ad actionem , ad quam est indifferens , & liber per suammet entitatem,sine alio superaddito,creatura verò non se valet determinare absque aliquo superaddito.& ita Deus operari potest per seipsum sine operatione ab ipso realiter distincta,creatura verò non potest operari nisi per operationem ab illa distinctam,quæ est actio,& quia intellectio creata dicit operationem creatam , quæ necessariò distinguitur realiter ab operante,dicit actionem,quæ nihil est aliud quàm operatio distincta realiter à principio.

Obiic.2. Per actionem præcisè constituitur principium 29
intellectiuum viuens vitâ rationali:ergo de ratione intellectionis tantùm est actio,& non terminus. Probo antecedens : illa actio esset immanens ratione termini , & non esset simplex emanatio,& nihil posset in illa desiderari ad vitalitatem : ergo esset actio vitalis : ergo pertinens ad aliquam vitæ speciem, non ad vegetatiuam, aut sensitiuam:ergo ad rationalem:ergo ex vi illius actionis principium intellectiuum viueret vita rationali:ergo non pertinet ad vitam rationalem in actu secundo terminus : ergo neque ad intellectionem , quia rectè conceptus intellectionis clauditur in ratione illa quæ formaliter est in actu secundo rationalis vita. Respondeo:Antecedens illud : *Per actionem præcisè constituitur principium intellectiuum in actu secundo viuens vita rationali* , posse intelligi de actione realiter à termino distincta, vel de actione realiter identificata cum termino,& formaliter ab illo præcisã.Si hoc posteriori modo intelligatur, negãdum est suppositum in antecedenti subsumptum, videlicet conceptum speicalem huius actionis sub determinata specie constitutæ à termino distinctum ; iam enim probaui numero 22. non posse in intellectione per se ipsam à termino procedente distingui conceptum specificum actionis à conceptu termini,seu expressionis, vel imaginis

per

per se dependentis:si antecedens intelligatur de conceptu metaphysico actionis respicientis terminum distinctũ: similiter negandum est suppositum assumptum in antecedenti,quia dari nequit actio intellectiua respiciens expressionem, & imaginem intellectualem ad intellectionem spectantem distinctam ab ipsa actione,& ita dari non potest conceptus metaphysicus talis actionis,quia repugnãte physica entitate repugnat metaphysicus conceptus ab illa abstrahendus, cùm nihil sit à quo abstrahatur, & ita quidquid metaphysicè concipiatur,erit purum figmentum. Addo casu, quo posset præscindi siue physicè siue metaphysicè actio intellectiua ab expressione,& imagine intellectuali,quam talis actio respiceret,intellectionem distinguendam esse inadæquatè à vita rationali,quia ratio vitæ in actione adæquatè consisteret, & ratio intellectionis præter actionem,includeret termini conceptum.

30 Obiicies tertiò:Sequi ex nostra sententia intellectionem non esse rem, sed modum intellectus; siquidem ab illo separari non posset adhuc de potentia Dei absoluta. Consequens videtur absurdum, quia est contra perfectionem intellectionis habere rationem modi,cùm aliæ qualitates longè illa imperfectiores sint res, sicuti calor, & frigus; & conceptus rei,conceptu modi perfectior sit. Nonnulli consequentiam negant, asserunt enim illa, quæ titulo dependentiæ à principio effectiuo separari nequeunt,non ex eo quod ita cum illo sint connexa rationem modi trahere, aliàs quilibet effectus Dei esset modus Dei cùm essentialiter ab illo dependeat, & ab illo separari non posset, & præcipuè Angelus creatus nullâ obiectâ actione, quem possibilem esse defendit communis sententia, & tamen nullus dicet Angelum esse modum Dei.Placeret solutio si intellectio tantùm esset affixa intellectui titulo dependentiæ actiuæ; verumtamen cùm eamdem affixionem habeat titulo passiuæ inhæsionis, & titulo informationis, quia per seipsam intellectum informat,ita vt si per impossibile posset non dependere ab illo actiuè neque passiuè, non posset ab intellectu separari tanquam à subiecto informationis,difficilè est conceptũ modi intellectioni non tribui. Ideo respondeo nullũ fore inconueniens rationem modi intellectioni conuenire,quidquid sit de veritate rei, quæ ad hanc quæstionem non spectat, quia etiamsi qualitates aliæ habeant cõceptum rei,& hic perfectior sit conceptu modi,intellectio habet alia prædicata,ratione quorum longè exsuperat excessum conceptus rei,qui aliis imperfectioribus qualitatibus,&non intellectioni competit. de hac re latè Hurt. disp.6. §.134. de qua ego in Metaph. Controu.4. Punct.5. vbi essentiam modi definiam, modò enim ad præsentem quæstionem parum spectat cognitionem dici rem aut modum.

31 Obiicies quartò:Sequi ex nostra sententia habitus non concedi ad faciliùs operandum,sed ad simpliciter operandum,quia intellectio,quæ ab habitu pendet cùm per se dependeat,non potest ab alio de potentia Dei absoluta non dependere. Hoc argumentum pugnat contra omnes, qui asserunt actionem ad intellectionem pertinere, siue simul cùm qualitate distinctam,siue cum termino identificatam, ac proinde ab illo abstinuisse debebat Hurtadus,quod cùm vidisset, asserit n.50 ipsum non docere habitus concurrere actiuè,& ita in ipsum hoc argumentum adduci non posse. Porrò Hurtadus poterat hoc argumentum simul cum aliis, quibus probat habitus actiuè non concurrere, adducere contra illos,qui habitibus concursum actiuum tribuunt,& propriam sententiam illæsam tueri. Respondeo, hanc obiectionem opportunum habere locum, si fiat contra habituum concursum; ideo dum de habitibus disputem Controu.13. illam adducam & soluam Punct.4. placuit tamen illam hic attigisse, ne viderer quidquam, quod ad hanc quæstionem partim spectat non prudens,omittere.

§. V.

Nonnulla expediuntur de intellectione.

32 SEcundùm sententiam,quæ intellectionem in actione siue identificata, siue distincta à termino constituit, nullam intellectionem posse à Deo tanquam à causa adæquata intellectu non concurrente procedere affirmant omnes. Ratio præsto adest:intellectio dependet per se ipsam ab intellectu:ergo non potest non ab illo procedere. Verumtamen posset aliquis asserere hac ratione probari intellectionem, quæ semel dependet ab intellectu per se ipsam non posse non ab hoc procedere. Verumtamen non ex illa probatur possibilem non esse intellectionem aliam à specie distinctam, quæ per se ipsam à Deo dependeat tanquam à principio adæquato, ita vt non possit ab intellectu dependere. Sicuti actus supernaturalis per se ipsum dependet ab habitu,à quo non potest non dependere,nihilominus possibilis est actus supernaturalis, & crebrò datur, procedens ab auxilio extrinseco Dei supplentis vices habitus,qui supernaturalis actus non poterit, neque diuina intercedente potentia ab habitu procedere. Contra hunc dicendi modum adducendæ essent rationes omnes, quibus probauimus intellectionem formaliter actionem importare, quæ non probant dicere quamcumque actionem:sed actionem procedentem à principio intellectiuo, quod per talem actionem constituitur viuens formaliter, & intelligens, quod non potest per actionem non procedentem ab illo fieri:si enim per actionem ab alio principio posset hoc principium constitui in actu secundo viuens, posset etiam per qualitatem ab actione distinctam tale constitui. De habitu supernaturali longè est diuersa ratio, quia actus supernaturalis non dependet ab habitu immediatè, & per se,quia de ratione actus, vt supernaturalis, vel vitalis sit, non est hæc immediata dependentia ab habitu,sed quia per eum influxum,per quem actus dependet à principio intellectiuo depẽdet ab habitu,& cùm à principio intellectiuo necessariò dependeat immediatè,& per se,sic ab habitu eodem modo dependet, à quo immediatè dependere non indigeret,si ab illo non per eamdem dependentiam,per quam dependet à principio intellectiuo, dependeret.

In opinione, quæ intellectionem constituit in qualitate producta maiori difficultate posset quæstio procedere. Negat adhuc secundùm hanc sententiam intellectionem posse produci à Deo intellectu non concurrente P. Vasq. 1.2. disp.9. cap.4. Affirmant P.Suarez disp.48 Met. sect.2. n.12. P.Mol.1.p. q.12. art.2. disp.1. P.Hurtad. disp.6.sect.3. subsect.2. P. Arriaga disp.6. sect.2. subsect. 4. His assentior, quia qualitas illa, siue in illa consistat ratio adæquata, siue inadæquata intellectionis, siue tantùm sit verbum non dependet per se, & immediatè: sed media actione superadditâ, vt supponimus: ergo potest dependere adæquatè à Deo media actione, quia ex parte suâ nulla est repugnantia, eadem enim esset, siue produceretur à Deo adæquatè, siue à Deo, & à creatura: ex parte Dei est virtus ad omnes effectus qui non implicant: ergo ex nullo capite repugnat qualitatem illam adæquatè à Deo produci. 33

Obiicit P. Vasquez:De ratione actus vitalis est,vt per illum attendat potentia:sed non potest attendere nisi per actionem dependentem ab anima:ergo non potest produci actus vitalis nisi per actionem ab anima dependentem. Contrà:vitalitas vel dicit actionem dependentem ab anima,vel non? si eam dicit,qualitas distincta ab actione neque à Deo neque ab anima producta intrinsecè vitalitatem habebit: ergo ex eo quod qualitas producta à Deo vitalitaté non haberet, non repugnat ab illo produci,siquidem à quocumque principio producta intrinseca vitalitate carebit. Ex hac doctina facilè respondeo, qualitatem vitalem non posse produci à Deo,nego tamen qualitatem esse vitalem in se & intrinsecè, sed tantùm denominatiuè ab actione vitali, quam vitalitatem concedo qualitati defecturam casu quo adæquatè à Deo procederet, quod nullum est inconueniens; si enim semel admittitur vitalitatem esse extrinsecam qualitati,in qua intellectio consistit, absque vllo inconueniẽte admitti potest posse existere sine vitalitate,quæ illi extrinsecè, & per aliquid superadditum contingit. Si dicas vitalitatem esse intrinsecam qualitati distinctæ ab actione,inferam ego vitalitatem formaliter non dicere actionem,neque attentionem:si attentio essentialiter importat actionem,& si attentio in ipsa qualitate consistat, dicam illam qualitatem per se ipsam esse vitalem,& esse animi attentionem, & nihilominus posse produci adæquatè à Deo, quia vitalitas & attentio identificata cum qualitate formaliter non dicũt animæ actionem, sed tantùm qualitatem dependentem ab anima per actionem superadditam, ac proinde capacem non dependendi ab eadem anima. Moneo tamen argumento modò facto pro P.Vasquez:& aliis similibus peritis ex vitalitate animi,probari intellectionem importare qualitatem cum 34

actione identificatam,quod requiritur,vt qualitas, in qua
sita est intellectio,non possit à Deo produci: omnes enim
rationes, quæ probant qualitatem non posse adæquatè à
Deo produci,probant immediatè per se ipsam dependere
ab anima.

35 Secundò inquiritur, an intellectio possit vniri subiecto
extrinseco. Satisfaciendum est huic quæstioni eodem mo-
do ac præcedenti:si enim intellectio dicat actionem, siue
distinctam, siue identificatam cum termino, non poterit
extraneo subiecto vniri:quia per se ipsam proprio vnitur.
Si verò dicat qualitatē ab actione distinctam vnitam pro-
prio subiecto per vnionem intermediam, poterit illi non
vniri, sed alij subiecto extraneo. Idem dico de qualitate
distincta ab actione, seu de verbo producto per actionem
intellectiuam,casu quo intellectio consistat in actione ter-
minata ad qualitatem distinctam.

36 Obiic.Si intellectio posset vniri lapidi,sequeretur pos-
se lapidem intelligentem constitui;consequens est falsum:
ergo & antecedens. Si consequentia teneret, absurdum
reducerem in sententiam, quæ constituit intellectionem
in qualitate distincta ab actione vnita subiecto per mo-
dum superadditum,ex qua consequens illud deduceretur,
ex eo enim quod intellectio non vniatur per se ipsam in-
fertur posse vniri subiecto extraneo,ac proinde omnia ab-
surda, quæ secum traheret hæc vnio tanquam ex primo
principio inferrentur per legitimas consequentias ex con-
clusione,quâ traditur intellectionē vniri animæ per vnio-
nem superadditam, & ita à posteriore huius conclusionis
falsitatem ostenderem,non verò conclusionis,qua dicimus
intellectionem posse subiecto extraneo vniri ex suppositione quod vniatur proprio per vnionem supperadditam.
Verumtamen ad hæc deueniri necessum non est,quia con-
sequens nullatenus ex antecedenti deducitur,quia intelli-
gens non est intellectio in quocumque subiecto, sed in
subiecto capaci, & eadem forma potest denominare hoc
subiectum intelligens,& non illud, etiamsi vtrique possit
vniri,sicuti eadē gratia habitualis vnita animæ illam con-
stituit sanctam,& obiectum amicitiæ Dei, & vnita lapidi,
vel cuicumque naturæ non rationali,non constitueret tale
subiectum sanctum. Ad illud,quod vulgo obiicitur: non
posse formam esse in subiecto, cui non præstet suum effe-
ctum formalem, & effectum formalem intellectionis esse
constituere subiectum intelligens, sæpe in similibus casi-
bus respondi effectum formalem esse totum constitutum,
quod semper resultat ex informatione vnionis ad subie-
ctum;resultare tamen diuersa tota ex eadem forma secun-
dùm diuersitatem subiectorum,& ita diuersum totum re-
sultat ex intellectione,& anima,ac intellectione & lapide
& consequenter diuersus effectus formalis,qui à toto non
distinguitur:ex intellectione,& anima resultat hoc totum,
seu hic effectus formalis intelligens, & percipiens obie-
ctum, & ex intellectione & lapide resultat aliud totum,
quod non est percipiens obiectum, neque intelligens,ne-
que proprium habet nomen, quo illud appellare possimus.

37 Obiic. Posse intellectionem vniri extraneo obiecto,
etiamsi per se ipsam vniatur proprio,ex hac vnione iden-
tificata cum intellectione tantùm infertur, non posse non
vniri proprio subiecto,non tamen infertur non posse vniri
per aliam vnionem superadditam subiecto extraneo, ita
vt per se ipsam sit vnita proprio subiecto, & per vnionem
superadditam extraneo. Sæpe incidi in similem doctri-
nam, & illam impugnaui, quia entitates quæ per se ipsas
aliquod subiectum afficiunt,non possunt sub eadem ratio-
ne aliud eodem modo afficere, sicuti actio per se ipsam
dependens ab hoc principio non potest mediâ aliâ actio-
ne ab alio dependere: neque præsentia per se ipsam respi-
ciens hoc spatium per modum alium superadditum, aliud
respicere;neque vnio extremorum per se ipsam illis affixa,
potest eâdem ratione aliis vniri, v. g. vnio integralis par-
tium quantitatis,licèt possit terminare vnionem ad subie-
ctum quod informat,non potest terminare aliam vnionem
integralē aliis partibus,de quibus propriis locis disputaui.

38 Tertiò inquiritur,an possit esse cognitio reflexiua supra
se ipsam? In qua re dicendum est non omnem cognitio-
nem esse reflexiuā supra se ipsam,sed plures cognosci per
alias superadditas. Conclusionem hanc manifesta expe-
rientia probat,quia non quotiescunque cognoscimus ali-
quod obiectum, cognoscimus illud à nobis cognosci, sed
sæpe post aliquod tempus illud cognouisse admaduerti-
mus,ex quo infertur priorem cognitionem non cognosci
per seipsam sed per aliam:quia si per se ipsam cognoscere-
tur, nullo tempore, in quo existeret,posset non cognosci.
Dicendum est secundò,posse dari cognitionem reflexiuam
super se ipsam,ita vt sit sui ipsius cognitio,& implicet exi-
stere quin per se ipsam cognoscatur. Probatur hæc con-
clusio, quia nulla apparet repugnantia in tali cognitione:
Secundò quia cum dico,omnis actus intellectus est cogni-
tio,cognitio ipsa,quâ veritatem hanc cognosco, se tenet
ex parte obiecti,& supra se ipsam reflectit:ergo sicuti da-
tur cognitio se ipsam per reflexionem confusè cognoscēs,
poterit dari alia,quæ expresè se ipsam cognoscat.

Obiicies obiectum dicit ordinem ad cognitionem, & 39
est priùs illa:ergo non potest identificari cum ipsa. Resp.
non omne obiectum esse prius cognitione, neque dicere
ordinem ad cognitionem,aut esse causam illius sed tantùm
obiectum distinctum à cognitione,quod mediis speciebus
influit in eamdem cognitionem,vt patet in ente rationis,
quod non est prius cognitione,qua fit,neque illius est cau-
sa & in cognitione, quâ seipsum Deus cognoscit, quæ est
cognitio sui ipsius, & non est prior se ipsa neque ad se ip-
sam relationem dicit.

§. VI.

De Verbo mentis.

AD perfectam notitiam naturæ cognitionis oportet 40
explicasse naturam verbi,quod producitur à cognos-
cente,de qua latè disputat P.Hurtad. disput.6.sect.5 & se-
quentibus;ego quæ ad illius notitiam necessaria sunt,bre-
uiter exponam. Dicendum est nullam cognitionem cre-
tam reperiri sine verbo. Hanc conclusionem rectè tradit
Hurtad.suprà.§.80.ex Patribus Molina,Vasquez,& Suario,
quam probat auctoritate Augustini & D.Thomæ,quorum
testimonia videri possunt apud ipsum Hurtad. & apud P.
Vasq. p.1.disp.38. n.6. Ratione concluso probatur. Omnis
qualitas producta per actionem intellectiuā seu dimanans
ab intellectu per modum manifestantis,est verbum: sed in
omni intellectione creata reperitur hæc qualitas: ergo in
omni intellectione creata reperitur verbum. Minor con-
stat ex iam dictis de natura intellectionis; reliqua proba-
tione non indigent.

Dictio est productio verbi quam dari in omni intelle- 41
ctione creata certum est, quia verbum productum est per
aliquam actionem siue cum illo identificatam, siue ab illo
distinctam,& quæcumque illa sit, dictio dicenda est, quia
hæc nihil est quàm actiua productio verbi, quæ nunquam
separari possunt:nullus enim potest edere verbum sine ob-
iectione,seu productione illius, quia de ratione verbi est
esse productum.

Ex his infertur in nostra sententia non distinguere actio- 42
nem intellectiuam à qualitate ex vi illius producta verbum
non distingui à dictione, quia non distinguitur qualitas
producta, in qua consistit verbum ab actione per quam
producitur,in qua dictio consistit. Infertur secundò,in di-
uinis cognitionem essentialem non esse dictionem, quia
cognitio essentialis non est productio, neque terminum
habet productum, aliàs Verbum,& Spiritus sanctus dice-
rent, & verbum producerent, quia omnia essentialia toti
Trinitati sunt communia. Infertur tertiò cognitionem no-
tionalem in Patre, quæ per connotationem ad propriam
personalitatem tantùm ab essentiali distinguitur, esse di-
ctionem,quia est productio verbi. Infertur quartò secun-
dam personam Trinitatis,seu Filium esse Verbum,quia est
terminus productus per dictionem. Infertur quintò in di-
uinis totam rationem formalem intellectionis includi in
dictione seu productione actiua Verbi,quod Verbum non
constituit Patrem, seu primam personam Trinitatis intel-
ligentem:quapropter dici non potest Pater est sapiens sa-
pientiâ genita. In nostra verò sententia in intellectu crea-
to,dictio & verbum non distinguuntur;secus in opinione,
quæ distinguit qualitatē ab actione,mediâ quâ producitur.

Difficultas est, quomodo requiratur verbum in cogni- 43
tione creata. Affirmant plures Thomistæ requiri,vt intel-
lectus in illo tanquam in obiecto priùs cognito cognoscat
obiectum,& hanc putant esse mentem Angelici Doctoris,
à quo alienum esse rectè probat Hurtadus suprà. Verbum
non requiri prædicto modo defendunt auctores nostræ
Societatis,& est communis Scholasticorum sententia:nul-
lum do,quia plures quisque inueniet. Conclusionem hanc

experientia

experientia ipsa demonstrat, experimur enim in cognitione cuiuscumque obiecti non cognoscere verbum aliquod, seu internam mentis imaginem, in qua obiectum cognoscamus, neque tale verbum cognitum vtile esset ad obiectum externum cognoscendum, quia verbum internum nullam habet similitudinem formalè cum obiecto externo, & est longè diuersæ rationis ab illo, & imperfectius obiecto, quando obiectum est aliqua entitas perfecta, veluti totum substantiale, vel animus rationalis: ergo in illo verbo nō possunt obiecta illo perfectiora quidditatiuè cognosci. Clariùs experientia adducta cernitur in sensationibus corporeis, in quibus eodem modo de specie expressa, ac de intellectuali verbo Doctores philosophantur: visio enim corporea, non ad speciem expressam residentem in organo terminatur, neque illā vnquam vidimus, neque audiuimus speciem expressam sensationis auditus: ergo sensationes externæ non terminantur ad species expressas productas per actionem sentiendi: ergo neque intellectio ad speciem expressam productam per actionē intelligendi, siue distinctam, siue identificatā cum actione, per quam producitur. Vrgeo in voluntatis actibus: Volicio immediatè terminatur ad obiectum externum, & non ad qualitatem productam per actionem volitiuam correspondētem verbo intellectus, quæ dicitur pondus in obiectum: ergo intellectio eodem modo terminatur immediatè ad obiectum. Probo antecedens, quando ego desidero pecunias Petro, vel dignitatem Ioanni conferendam, non desidero pecunias, aut dignitatem conferri termino producto in mea potentia volitiua per ipsam volitionem, sed immediatè Petro & Ioanni: neque desidero Petro, & Ioanni conferri qualitatem, quam ego per volitionem produco, sed ipsas pecunias, & eamdem dignitatem: ergo in his actibus neque obiectum respectus ad rem concupitam, neque ad personam cui concupiscitur, est qualitas internè producta, neque hæc est finis *cui*, aut finis *qui* horum actuum: ergo actus immediatè terminatur ad obiecta externa, & non qualitatem internam. Confirmatur respectu motiui formalis cuiuscumque volitionis, quod non est qualitas interna, sed obiectum externū, vt per se patet, non enim mercator propter qualitatem internam se mari committit, nec propter hanc agricola semen terræ credit, sed propter lucrum, quod expectat. Neque in motiuo charitatis erga Deum aliter dici potest: si enim hoc non esset diuina bonitas, actus charitatis erga Deum non esset Theologicus neque immediatè propter ipsum Deum: ergo eodem modo philosophandum est de actibus intellectus.

44 Paritatem modò petitam ex obiecto actuum voluntatis ad obiecta actuum intellectus vrgeo ex fundamento, quo mouentur Thomistæ ad tribuendum verbo hoc officium primarij obiecti. Ideo requirunt Thomistæ verbum immediatè terminare intellectionem, quia obiectum est distās, & non potest illam terminare: sed non obstante hac distātia obiectum voluntatis potest immediatè terminare volitionem: ergo eadem non obstante obiectum intellectus poterit terminare immediatè intellectionem. Rursus idem fundamentum euerto: cognitio, etsi primariò terminetur ad verbum secundariò terminatur ad obiectū medio verbo: ergo verbum debet terminari & dicere ordinem ad obiectum non medio alio verbo: ergo immediatè per se ipsum: ergo cognitio medio verbo, & verbum per se ipsum terminatur ad obiectum distans: ergo ratione distantiæ rectè poterit cognitio terminari immediatè ad idem obiectum, cur enim distantia, quæ non impedit terminationem immediatam verbi, & mediatam cognitionis, impediret terminationem immediatam cognitionis? Neque solutione indiget ratio ista à Thomistis pro sua sententia adducta, quia terminare præcisè secluso influxu actuo ex parte obiecti nihil est illi intrinsecum, neque dicit causalitatem aliquam, adhuc extrinsecam ab illo procedentem; sed tātùm est extrinseca denominatio, quæ potest competere obiecto absenti, imò & non existenti, vt dicebam Contr. 4. Punct. 4. vbi probaui posse dari sensationem externam circa obiectum absens, & non existens, & Thomistæ concedunt relationes prædicamentales respicientes terminos loco distantes; & transcendentales ad terminos purè possibiles, & non existentes.

45 Obiic. Thomistæ. Cognitio variatur inuariato obiecto: ergo quia variatur verbum, in quo obiectum cognoscitur. Hoc argumentum rectè retorquet Arriaga: Verbum variatur, inuariato obiecto: ergo quia variatur aliud verbum. Necessariò dicere debes variari verbum inuariato obiecto ratione principij, vel modi producendi: dic ergo eadem ratione inuariato obiecto variari cognitionem, & verbum, quod nos constituimus nullo modo terminans cognitionem, quia variatur principium, vel modus producendi cognitionem, & verbum se tenent ex parte actus, nullo verbo se ex parte obiecti tenente.

Obiic. insuper: quando quis diu vidit Solem, postea 46
clausis oculis videt lucem: ergo ex eo quod verbum ibi permansit. Hoc argumentum eiusdem rationis est cum aliis pro hac sentētia adductis, illud explico. Quando clausis oculis videtur lux, ibi permanet verbū cum speciebus, vel sine illis: si sine speciebus, eodem modo visio sine speciebus poterit dari: si cum illis; ergo species illæ, quæ deseruiunt ad productionem verbi, deseruire poterunt ad productionem visionis. Secundò etiamsi ibi permaneret verbum, datur visio non solùm verbi, sed lucis, vt intendit obiectio: ergo admisso hoc verbo, quod intendunt Thomistæ, remanet integra difficultas, quomodo sine speciebus lucis possit hæc videri, quia etsi in verbo videatur lux, non videtur per species verbi, sed per species sui. Ex his infero, hanc obiectionem ad rem non esse: si tamen opportunè in alia materia obiiciatur, respondendum est, tunc non verè lucem videri, sed vehementi imaginatione falli intellectum indicantem tunc lucem videri.

Pvnctvm II.

De apprehensione, iudicio, atque discursu.

PRimus actus intellectus apprehensio dicitur, quo obiectum sine affirmatione, aut negatione tangit intellectus, illúdque tantùm percipere, quod idem est ac apprehendere, dicitur; & hic actus, seu hæc apprehensio prima intellectus operatio appellatur. Hæc apprehensio duplex est, quædam simplex, alia composita: apprehensio, qua obiectum percipitur absque vlla conuenientia, aut comparatione, apprehensio simplex dicitur; illa verò quæ obiectum cum aliqua conuenientia, & comparatione attingit, composita appellatur. Negant nonnulli dari hanc compositam apprehensionem, sed immeritò, quia quādo audio propositionem aliquam proferri ab alio, & illius obiecto assensum non tribuo, neque positiuè dissentior, sed suspenso iudicio hæreo, tunc totam compositionem, & extremorum conuenientiam apprehendo, & nihil iudico: ergo circa obiectum, quo alius iudicat, ego habeo apprehēsionem: ergo apprehensio, & iudicium non semper differunt ex parte obiecti, sed tantùm ex modo tendendi in illud, & apprehensio attingit eamdem conuenientiā, in quam fertur iudicium. Addo cognitionem, qua apprehendo hominem, & cognitionem, qua iudico hominem esse animal rationale tantùm differre ex parte actus, non ex parte obiecti primarij, quia homo, & animal rationale ex parte obiecti non distinguuntur, neque conuenientia inter hæc extrema ab ipsis ex parte obiecti differt. Diuerso tamen modo differt cognitio, quā dico: *Homo est animal rationale*, à cognitione, quā apprehendo tantùm hominem, ac differt à cognitione quā apprehendo totum hoc complexum: *Homo est animal rationale*, quia etsi ab vtraque differat tātùm ex parte actus, vt modo dicebam, tamen apprehensio illa, quæ fertur in hoc complexum: *Homo est animal rationale*, absque iudicio, affirmatione, aut negatione ex parte actus conuenientiam attingit, licet non affirmatiuè, sed tantùm dubitatiuè, seu purè apprehensiuè: alia verò apprehensio, quæ tantùm hunc terminum simplicem *homo* tangit ex parte actus non fertur in aliquam obiecti conuenientiam. 1

Iudicium definitur: *Affirmatio, vel negatio.* Alio modo absque vlla disiunctione *Vnius de alio interna enunciatio*, seu: *cognitio qua sententia fertur de aliquo obiecto*, quæ definitiones apprimè naturam iudicij explicant, illúdque ab apprehensione secernūt. Est difficultas an in iudicio reperiatur vnus simplex actus, quo totum obiectum, extrema videlicet, & identitas inter illa cognoscantur; an verò reperiantur in illo tres cognitiones, duæ ad duo extrema, & alia ad illorum identitatem, seu connexionem terminatæ. Procedit eadem quæstio de apprehensione complexa, quæ eadem ratione resoluenda est. 2

P. Vasquez prima parte, disputatione ducentesima vigesima tertia, capite tertio: refert opinionem quorumdam asserentium 3

asserentium iudicium dicere tres conceptus, duos distinctos terminatos ad duo extrema, & tertium alium terminatum ad copulam, ex vi cuius vniuntur alij duo, & resultat iudicium constans duobus actibus tanquam illius partibus, & alio tanquam horum vnione, sicuti homo constat materiâ, formâ, & vnione. Pater Molina 1. part. quæst. 1. art. 3. disp. 3. §. *Quod si aduersus*, videtur huic sententiæ consentire, quatenus asserit, iudicium dicere actus distinctos terminatos ad extrema, & ad illorum copulam, differt tamen ab illa, quia asserit totam rationem formalem iudicij consistere in actu illo, qui ad copulam extremorum terminatur, & duos alios tantùm se habere tanquam conditionem, sine qua actus terminatus ad copulam nequit existere. Circa mentem huius Doctoris mihi dubium est, an actus ille terminatus ad copulam constituatur tanquam nexus, & vnio aliorum duorum actuum formalium, vel tantùm dicatur vnio extremorum, quia ex vi illius cognoscuntur vt vnita obiecta duorum actuum. Sanè multum inclinor in posteriorem huius partis explicationem, ita vt tantùm senserit P. Molina iudicium dicere tres conceptus duos terminatos ad extrema præsuppositiuè & tanquam conditiones ad tertium terminatum ad copulam, qui est nexus non duorum priorum actuum, sed suorum obiectorum, quia munus, quod huic copulæ tribuit sapientissimus Doctor, est connectere extrema talis pronunciati, quod rectè de extremis obiectiuis explicatur. Deinde inter explicandam huius copulæ naturam asserit, non esse nudè apprehendere copulam, sed quoad nutum, seu assensum vel dissensum veritatis illius quibus innuere videtur sapientissimus Pater hunc tertium conceptum attingere per se ipsum connexionem extremorum & ipsa extrema, & dici copulam, quia non extrema soluta, sed connexa formaliter ex vi illius attingit, & quia supponit duos alios conceptus. Quæ sententia sic explicata non differt ab illa, quæ asserit iudicium consistere in simplici quodam actu. Quod enim actus iste alios supponat, vel non supponat, alia est difficultas, quam diuerso modo auctores definiunt. Pater Vasquez suprà numero decimo quinto, docet iudicium dicere duos conceptus, alterum prædicati, alterum subiecti, quibus extrema concipiuntur, non absolutè, sed ita relatè, vt vnum alteri conueniens repræsentetur. P. Hurtadus disputatione 7. sectione secunda, P. Arriaga disputatione 6. sectione quarta, & communis recentiorum sententia, docet iudicium consistere in quadam simplici qualitate indiuisibiliter terminatâ ad extrema, & ad ipsorum vnionem.

4 Primam sententiam constituentem in iudicio duos actus medio alio vnitos impugnat P. Vasquez, quia actus illi sunt accidentia adæquata, & ita inter se vniri non possunt, neque vnquam Philosophia cognouit nouam vnionem accidentium sine noua subiectorum vnione. Respondebunt aduersarij actus illos, etsi inter se distinctos, realiter non esse adæquatos, quia ex natura sua ordinantur ad componendum iudicium, sicuti materia, & forma ad vnionem componendam, ita rectè posse vniri, neque esse contra rectam Philosophiam dari duos actus inadæquatos vnitos medio alio, sicuti dantur duo gradus caloris in eodem subiecto vniti mediâ aliâ vnione caloris, ex vi cuius calor intensus constituitur, quod verò præcesserint, vel non præcesserint sine vnione, parum ad rem attinet. P. Molina asserit iudicium non posse consistere in tribus actibus, quia esset vnum per accidens. Docent aduersarij tres actus vnitos non constituere vnum per accidens, sed vnum per se.

5 Contra prædictam sententiam sic arguo: Actus ille tertius terminatus ad connexionem extremorum vel formaliter in se est assensus, vel tantùm ex vi illius resultat assensus, quia vnit actus terminatos ad extrema, & ipse ad ipsorum connexionem terminatur. Si primum dicas, infero actum iudicij non consistere in complexo resultante ex triplici actu, sed in illo tertio vniente duos actus extremos. Si secundum, infero apprehensionem compositam, per quam apprehendo propositionem ab alio prolatam esse iudicium, quia terminatur ad extrema, & ad connexionem illorum. Confirmatur: ex eo præcisè constituitur iudicium secundùm hunc dicendi modum, quia dantur duo actus terminati ad extrema, vniti alio actu terminato ad ipsorum connexionem: sed in illa apprehensione composita dantur duo alij actus vniti alio tertio terminato ad connexionem extremorum, quæ respiciunt actus vniti: ergo illa apprehensio formaliter est iudicium. Secundò eamdem sententiam impugno. Implicat actum dari terminatum ad vnionem extremorum, qui non terminetur ad ipsa extrema vnita: ergo posito actu terminato ad extrema superfluunt duo alij actus terminati ad extrema, & non ad vnionem. Antecedens probo: extrema identificata non vniuntur per aliam vnionem superadditam, sed formaliter per se ipsa, quia illorum vnio tantùm est ipsorum identitas, & nihil identificatur cum alio per aliquid superadditum, sed formaliter per se ipsum: ergo actus ille qui attingit vnionem, seu identitatem extremorum, debet attingere id per quod formaliter identificatur: ergo debet attingere formaliter ipsa prædicata identificata, in quibus vnio ab identitate non distinguitur: ergo non datur actus terminatus ad vnionem seu identitatem, qui non terminetur ad ipsa extrema identificata, intellectus enim non concipit identitatem extremorum tanquam quid ab illis distinctum. Idem argumentum fit de differsa, seu diuisione extremorum, quia cum ego dico, *Petrus non est equus*, non apprehendo aliquid medium inter Petrum, & equum, ratione cuius distinguantur, Petrus enim per se ipsum non est equus; & equus per se ipsum non est Petrus.

Iudicium non includere duos actus illos, quos ponebat 6
Pater Vasquez, sic probo: Non potest cognosci homo conueniens rationali, quin ex vi eiusdem actus cognoscatur rationale conueniens homini: ergo posito quodam actu, quo cognoscatur homo conueniens rationali superfluit actus distinctus, quo cognoscatur rationale conueniens homini. Probo antecedens: hominem conuenire rationali, est hominem esse idem cum rationali: sed hominem esse idem cum rationali, & rationale esse idem cum homine, sunt formaliter idem: ergo hominem conuenire rationali, & rationale conuenire homini sunt formaliter idem; ergo per eumdem actum, quo cognoscitur hominem conuenire rationali, cognoscitur rationale conuenire homini: ergo iudicium non dicit duos illos actus distinctos, quos P. Vasquez in illo constituit. Secundò ad hominem arguo; duo illi actus vniri nequeunt in sententia Patris Vasquez, qui primam opinionem impugnat ex eo quod actus distincti, quos illa constituit non possent vniri: ergo si iudicium consistit in duobus illis actibus, non est accidens, sed quoddam aggregatum accidentium. Rursus quilibet actus vt distinctus ab alio non est formaliter iudicium: ergo est apprehensio: ergo iudicium est aggregatum apprehensionum: ergo apprehensio, & iudicium tantùm differunt penes magis, & minùs accidentaliter, sicut differt vnus homo à pluribus hominibus.

Ex his infertur iudicium consistere in simplici actu, ex 7
vi cuius cognoscitur connexio, seu identitas extremorum, & ipsa extrema formaliter ab ipsa connexione indistincta adhuc ex parte actus, quia cognoscere identitatem est cognoscere hoc esse illud, quod cognosci nequit, quin cognescatur hoc, & illud, neque aliud est cognoscere hoc esse illud, quàm certo modo hoc & illud cognoscere, quia ex parte obiecti nulla formalitas correspondet copulæ *est* distincta à formalitate extremorum.

Obiicies. Quando audio hanc propositionem *Petrus est* 8
albus, successiuè formo tres conceptus, audito enim *Petrus*, apprehendo vnum extremum; audito *est* apprehendo copulam; & audito *albus*, apprehendo aliud extremum; ergo in iudicio reperiuntur tres conceptus. Respondeo his vocibus successiuè auditis successiuè formari tres conceptus, non tamen ex illis fieri vnum iudicium, quod semper consistit in indiuisibili actu, sed priùs audito vno extremo illud apprehendit intellectus, deince auditâ copulâ, intellectus alium conficit actum, ex vi cuius tangit iterum extremum priùs apprehensum, copulam, & aliud extremum vagum, seu in communi, & dicit *Petrus est aliquid*: vltimò audito alio extremo tertium actum conficere attingentem duo extrema, & illorum copulam, per quem dicit *Petrus est albus*, in quæ tota adæquata ratio iudicij est constituenda, quem actum primò intellectus elicuisset, aliis duobus prioribus omissis si simul totum hoc complexum *Petrus est albus*, fuisset applicatum.

Hanc eamdem doctrinam tradit Arriaga, vt huic argu- 9
mento satisfaciat, & defendat iudicium in simplici qualitate consistere: nihilominus num. 8. propter hoc argumentum asserit apprehensionem huius complexi *Petrus est albus*, posse esse compositam diuersis actibus elicitis, eâdem successione,

successione, quâ voces audiuntur, & n. 84. disparitatem adducit inter iudicium, & apprehensionem, quia vno extremo tantùm concepto non potest dari iudicium, quia iudicare est enunciare vnum de alio, tamen potest dari apprehensio, quæ simplici termino contenta est, & hac ratione potest apprehensio illa componi pluribus apprehensionibus successiuè elicitis, & iudicium semper in simplici qualitate debet consistere. Disparitas hæc ad rem non est, quia ex illa tantùm potest probari actus illos, qui præcedunt iudicium de hoc complexo non esse iudicia, sed apprehensiones, & actus, qui præcedunt apprehensionem de eodem complexo successiuè audito esse apprehensiones, non tamen probatur ex illa, duas apprehensiones præcedentes simul cum tertia aliam componere. Fateor etiam hanc vltimam apprehensionem alias apprehensiones supponere, sed affirmo omnes esse adæquatè distinctas, & nullam dari ex illis compositam, quia sicut iudiciũ non cõponitur ex apprehensionibus, quę illud præcedunt, neque apprehensio componitur ex apprehensionibus quæ illam præcedunt. Deinde quando ego successiuè audio hoc cõplexum *Petrus est albus*, antequã de illo iudicium feram postquã totum illud audiui, vt primũ percepi hasvoces, *Petrus est*, nondũ tertia percepta elicui iudicium, quo de Petro prædicatũ, vagum, seu commune enunciaui: ergo ante illud iudicium, quo dixi *Petrus est albus*, præcessit aliud iudicium: ergo sicuti iudicium illud vltimum simplex dicitur etiamsi aliud habuerit præcedens: ita apprehensio simplex dicetur, etiamsi aliam apprehensionem habuerit præcedentem. Sit ergo firmum apprehensionem de toto illo complexo esse simplicem quemdam actum; quod eodem modo probatur, ac de iudicio, scilicet quia nullus actus potest attingere vnionem, seu identitatem extremorum, quin ipsa extrema vnità pertingat, & ita in illo tota adæquata ratio apprehensionis de illo obiecto complexo consistet.

10 De iudicio hypothetico idem iudicium tenendum est, quia cùm ego dico: *Si Petrus currit, mouetur*, conditio, vt in Summulis explicabam, est affectio prædicati, quod formaliter vt affectum tali conditione, dicitur de subiecto, & terminat copulam propositionis, seu identitatem cum altero extremo. Idem tenendum est de his iudiciis: *Petrus currit, vel legit*: *Petrus currit, & Ioannes legit*, quia in duobus prioribus affirmatio est sub disiunctione duorum extremorum, quorum disiunctio necessariò terminat actum ad vtrumque extremum terminatum, in quo totum iudicium consistit, & vltimum iudicium affirmatio est cum coniunctione eadem ratione cognoscenda per actum ad vtrumque extremum coniunctum terminatum, in quo totum iudicium coniunctiuum situm est.

11 De Discursu nihil speciale dicendum occurrit, præter illa, quæ in Logica de illo tradita sunt Controu. 9.

Punctvm III.

An possint componi supernaturaliter assensus, & dissensus, amor, & odium de eodem obiecto in eadem potentia.

1 Difficultatem hanc multi passim attingunt, quam ego non ita breuiter tractabo, quia non communi acquiesco sententiæ, & in his quæ auctoritatis Doctorum inopiâ laborare videntur, semper debet esse vberior pertractio, & locupletior rationum supellex.

§. I.

Doctorum placita, & status quæstionis.

2 Difficultas hæc eadem est in actibus intellectus, & voluntatis: eadem enim repugnantia, quæ est inter assensum, & dissensum respectu eiusdem potentiæ est inter amorem & odium. Sed tota solutio pendet ex doctrina tradenda de actibus intellectus, ex qua facilè poterit in actibus voluntatis præsens dissolui difficultas. Dicam quid sentiam de oppositione inter assensum, & dissensum, & ex hac oppositione procedam ad oppositionem inter volitionem, & nolitionem efficacem de eodem obiecto.

3 Reliquæ qualitates non vitales inuicem se gradibus remissis ferunt: assensus tamen & dissensus; amor, & odium efficax dẽ eodem obiecto ita indiuisibiliter opponuntur, vt per minimum gradum assensus totus dissensus, etsi intensissimus corrumpitur, & in amore eadem indiuisibilis oppositio mutuò reperiatur. Ex hac peculiari oppositione, quam habent qualitates vitales, qua primæ qualitates, & aliæ ex his ortæ carent, peculiaris insurgit dubitandi ratio, an saltem de potentia Dei absoluta possint simul eamdem potentiam afficere, assensus, & dissensus, amor, & odiũ, neque de intensione, sub qua existerẽt, qui de hac re disputant mentionem faciunt, quia tota difficultas est in coniunctione horum actuum independenter ab illorum intensione, quia si semel assensus, & dissensus etiam in gradibus vel remissis in eodem subiecto recipiantur, in eodem poterunt de potentia absoluta sub quacunque intensione foueri.

4 P. Suarez tom. 2. Met. disp. 45. sect. 4. num. 25. & tom. 1. in 3. p. disp. 38. sect. 3. PP. Conimbr. lib. 2. de generat. cap. 3. quæst. 8. art. 6. Arriaga disp. 6. sect. 5. asserunt adhuc de potentia absoluta non posse hos actus in eodem subiecto associari, cui sententiæ ita adhæsit Canus lib. 12. de locis cap. 14. adhuc in actibus inefficacibus, vt compulsus sit, non sine audacia dicere animam Christi continuisse interdum gaudiũ beatificũ, vt tristitiæ locum daret, quam sentẽtiam omnes Theologi & non pauci cum graui censura, reiiciunt. Gab. in 4. dist. 10. quæst. vnicâ, art. 3. dub 3. Palud. in 3. dist. 15. quæst. 2. affirmant posse Deum quoscunque actus contrarios positiuos, etiam vitales quantumuis inter se repugnantes in eodem subiecto coniungere: & certè miror doctissimum Patrem Suarium id negasse in his actibus, qui tom. 3. de gratia, lib. 7. cap. 21. asseruit gratiam, & peccatum de potentia Dei absoluta posse simul existere, in quibus eadem omnino ratio repugnantiæ, si aliqua esset inter assensum, & dissensum ratione obiectorum, vt postea expendam, deberet excogitari, & stante eadem ratione, quâ probat Suarez diuinæ omnipotentiæ subdi simultatem inter gratiam, & peccatum, planè conuincitur assensum, & dissensum posse à Deo in eodem subiecto componi, vt postea expendam.

§. II.

Fundamenta sententiæ negatiuæ expenduntur.

5 Præcipuum argumentum pro parte affirmatiua in his quæ de potentia absoluta procedunt, sumitur ex solutione argumentorum, quæ fiunt pro sententia negante: illa expendo. Arguit Suarez: & assensus, & dissensus respiciunt obiecta contradictoria inter se de potentia absoluta incompossibilia: ergo sunt incompossibiles adhuc eâdem intercedente omnipotentia. Confirmat eamdem rationem: Iudicium, quo dico *Petrus existit*, ponit existentiam in Petro: iudicium quo dico, *Petrus non existit*; ponit negationem existentiæ in eodem Petro: sed in Petro non potest esse existentia, & negatio existentiæ: ergo non potest esse iudicium de existentia, & non existentia eiusdem Petri. Retorqueo argumentum in gratia, & peccato. Per gratiam constituitur homo dignus beatitudine & carendi pœnâ æternâ; & carendi beatitudine per peccatum: ergo gratia, & peccatum respiciunt obiecta contradictoria: ergo sicut implicat coëxistentia obiectorum, ita implicant dignitates ad talia obiecta videlicet gratia, & peccatum. Secundò si iudicium, quo ego dico, *Petrus existit*, ponit existentiam in Petro; cur non dicam ego dignitatem fruendi beatitudine, & carendi pœna æterna ponere in subiecto digno beatitudinem & carentiam pœnæ æternæ? non enim maior est connexio inter iudicium & obiectum cognitum, quàm inter dignitatem, & obiectum respectu cuius est dignitas. Resp. inter obiecta assensus reperiri immediatam contradictionem, quia sunt esse, & non esse eiusdem rei: hanc verò contradictionem non refundi in actus, quia assensus, & dissensus sunt entitates positiuæ, quæ nullam connexionem habent cum obiectis, ac proinde possunt existere, etiamsi obiecta non existant. Ad confirmationem respondeo, actum, quo ego dico *Petrus existit*, non ponere existentiam in Petro realiter, & physicè, sed tantùm intentionaliter, hoc est, cognitionem ad existentiam terminatam, & ita de actu, quo dico non existere respectu negationis existentiæ: non enim infertur Petrum existere ex assensu circa illius existentiam, neque non existere, ex dissensu, & ita neque per assensum, neque per dissensum quidquam pono physicè in subiecto, sed tantùm extrinsecè,

extrinsecè, & intentionaliter, per quod illi non repugnat, quia præcisè ex parte obiecti non maior est repugnantia in terminando assensu orto ab hac potentia, & dissensu ab illa, quàm in terminando assensu, & dissensu ab eadem potentia dimanante.

6 Alio modo arguit Suarez: assensus, & dissensus, ita se habent, vt vnus destruat obiectum formale alterius: ergo non possunt simul in eodem subiecto reperiri. Hæc destructio obiecti formalis, si aliquam efficaciam habet, probat tantùm non posse aliquem præbere assensum alicui obiecto naturaliter propter motiuum formale, quod se habens eodem modo respectu alius materialis obiecti, eamdem potentiam non mouet ad assensum. Exempli gratiá: Proponitur Hæretico mysterium Trinitas, & mysterium Incarnationis vtrumque à Deo reuelatum, & vtriusque reuelatio applicata ab Ecclesia; non credit Hæreticus mysterium Trinitatis, sed potiùs discredit, dicítque se credere mysterium Incarnationis propter Deum reuelantem. Tunc arguitur ex destructione motiui formalis ad probandũ hæreticum non credere mysterium Incarnationis fide diuinâ propter Deum reuelantem. Hæreticus hic, dum negat mysterium Trinitatis, paruipendit auctoritatem Dei reuelantis, & Ecclesiæ applicantis reuelationem: ergo etiamsi mysterium Incarnationis postea credat, non credit propter auctoritatem Dei dicentis, neque Ecclesiæ applicantis motiuum fidei, quia si ad hæc attenderet, & non ad alia, vt mysteriũ Incarnationis crederet, illis nó moueretur, sicuti eisdem non fuit motus ad mysteriũ Trinitatis credendum, vel si illis moueretur ad assentiendũ mysterio Incarnationis, eodẽ modo moueretur ad assentiendum Trinitatis mysterio. Hæc est argumentatio, quæ fieri potest ex destructione motiui formalis, an verò sit efficax vel nõ, modò non definio, quia ad materiam de fide spectat, nihil ad nostrum institutum attinet, habétque non mediocrem difficultatem, quia hæretici negantes mysterium Trinitatis, non sibi persuadent Deum illud reuelasse, est enim notum naturæ lumine verum esse quidquid Deus dicit, neque possent negare obiectum, quod sibi persuaderent esse reuelatum à Deo, quin sentirent Deum esse mẽdacem, quod longè alienum est ab illorum mentibus; sed dicunt Ecclesiam fictam reuelationem applicare, sibique persuadent veram reuelationem applicare dum dicunt Deum mysterium Incarnationis reuelasse, quia in hac reuelatione non tantam apprehendunt difficultatem, quantam in reuelatione mysterij Trinitatis, & ideo illam reuelationem credunt propter Ecclesiam applicantem, & non illam etiamsi ab eadem Ecclesia applicetur: sicuti ego Petro mihi rem aliquam narranti, quæ non difficilè contingere possit, credo propter illius auctoritatem; quod si alia, quæ mihi difficiliora apparent, dicat, illa credere nolo. Hæc dixi ad difficultatem aperiendam, non animo illam definiendi, certum enim est hæreticum negantem mysterium aliquod reuelatum à Deo, postquàm reuelatio sufficienter proposita fuit ab Ecclesia, non posse actu fidei diuinæ supernaturalis respicientis motiuum fidei aliud credere mysterium; an verò hoc proueniat ex dicta destructione motiui, an ex defectu habitus, vel ex alio capite, à Theologis est discutiendum, & definiendum.

7 Ad rem nostram accedens respondeo: assensum, & dissensum circa idem obiectum materiale non sibi inuicem destruere obiectum formale, quia possunt diuersa obiecta formalia respicere; v.g. potest esse assensus fidei humanæ circa aliquod obiectum, & dissensus opinionis probabilis, vel actus scientifici circa idemmet obiectum; vel vterque opinatiuus per diuersa media, non tamen inquiritur, an assensus, & dissensus possint esse circa idem obiectum materiale, & formale simul, sicuti non inquiritur an possint coëxistere amor, & odium circa idem obiectum materiale propter eamdem rationem formalem; hi enim actus adhuc successiuè repugnant, quia amor semper respicit bonitatem obiecti, & odium malitiam illius, neque potest idem motiuum adhuc successiuè his actibus esse commune. Dices destruere sibi obiectum materiale: sed id ego nego ratione supradictâ in solutione primi argumenti, quia hi actus nihil ponunt in obiecto materiali, neque huius existentia necessaria est ad assensum, vel dissensum respectu potentiæ quæ falli potest, æquè enim possibilis est assensus, quo dicam, Petrus existit, siue existat, siue non existat. Addo idem fore dicendum de eodem obiecto formali siue existenti, siue non existenti, si idemmet obiectum formale posset successiuè assensum & dissensum, amorem, & odium terminare. Quidquid enim obiectum siue materiale, siue formale successiuè valet terminare, quatenus est ex se, si ex alio capite non repugnet, simul poterit eodem modo terminare, quod adhuc de terminis vnionis realis docui in Physicis Controuers. 8. Punct. 2.

8 Aliud vulgare argumentum pro hac sententia ita fieri solet. Assensus fertur in obiectum, vt verum; dissensus in obiectum, vt falsum: sed nullum obiectum potest esse verum, & falsum: ergo in nullum obiectum potest ferri assensus, & dissensus. Alio modo idem ferè argumentũ proponitur. Intellectus necessariò præbet assensum obiecto, quod apparet vt verum; necessariò præbet dissensum obiecto, quod vt falsum apparet: sed obiectum non potest apparere, vt falsum & vt verum: ergo non potest in illud intellectus ferri assensu, & dissensu. Vtraque obiectio multa confundit, multàque falsa supponit, & nihil quod difficultatem ingerat adhuc falsum comminiscitur.

9 Respondeo: Intellectum non ferri semper in obiectum vt verum, etiamsi illud *vt* reduplicet conditionem, quia verum formaliter dicit obiectum esse cognitum, & intellectus non supponit secundum omnes suos actus obiectũ cognitum. Quod si concederemus intellectum ferri necessariò in verum sicuti voluntas in bonum, hoc esset intelligendum de obiecto vero non realiter, sed apparenter, & supernaturaliter loquendo nõ solùm de obiecto quod actu verum apparet, sed quod saltem posset vt tale apparere, sicuti de obiecto voluntatis philosophamur. Secundò, qui asseruerit posse de potẽtia absoluta in idem obiectum ferri simul assensum & dissensum, facilius dicet posse idem obiectum apparere vt verum, & vt falsum per diuersos actus, etiamsi in re non possit esse simul verum, & falsum. Ad aliud, quod adducitur in secunda obiectione, Resp. intellectui non semper fuisse propositum vt verum id, in quod fertur actu assensus, neque vt falsum id, in quod fertur per dissensum: sæpè enim nullá præcedenti apprehensione assentitur, vel dissentitur, & ita necessarium non est fuisse obiectum repræsentatum, vt verum, vt feratur in illud actu assensus, sed demus hoc necessarium esse: adhuc naturaliter præcedit sæpe apprehensio quá obiectum proponitur, vt verum, & alia, quá proponitur vt falsum, antequàm intellectus iudicium affirmatiuum, vel negatiuum de illo præstiterit, ac proinde ex hoc capite non repugnabit adhuc naturaliter coëxistentia assensus, & dissensus de aliquo obiecto.

10 Alio modo argumentatur nonnullus: si posset esse simul assensus, & dissensus de aliquo obiecto, posset quis esse simul fidelis & hæreticus: consequens est falsum: ergo antecedens. Resp. consequens negandum esse adhuc respectu diuersorum obiectorum, non enim potest quis actus supernaturali fidei diuinæ credere mysterium Incarnationis, & esse hæreticum circa mysterium Trinitatis, vel ex destructione motiui, de quo dicebam suprà, vel ex alio capite, quod Theologi assignabant. Ex quo melius inferri licebit non posse hominem esse hæreticum, & fidelem circa idem obiectum. Ne tamen sine aliqua doctrinæ vtilitate obiectionem adduxerim, respondeo hominẽ habentem assensum, & dissensum circa idem obiectum, nullum ex his actibus liberè exercere, quia nullus illorũ naturaliter potest ab illo produci, vel conseruari in præsentia alterius, quia si priùs assensum liberè elicuerat in instanti *A*, & Deus in instanti *B*, illi infundebat dissensum, dissensus hic non illi liberè infunditur, quia quatenus est ex se per assensum est quasi prædeterminatus, ad dissensum non habendum, neque assensus potest liberè ab illo conseruari, quia per dissensum etiam à Deo infusum homo determinatur ad assensum non habendum, & quatenus est ex se, etsi non liberè, quia dissensus non liberè contingit, iam est determinatus ad non habendum assensum, qui tantùm ex voluntate Dei supernaturaliter conseruatur. Quod si Deus dissensum infunderet præuisá libertate voluntatis circa existentiam assensus pro illo instanti, & assensu liberè producto à voluntate se determinante, & à Deo concurrente iuxta suam libertatem, assensus ille liber permaneret, etiamsi dissensus exigeret illius corruptionem: quia tunc dissensus omnino per accidẽs se haberet, respectu cõseruationis assensus, neque illam redderet miraculosam, sed totum miraculum esset in infusione dissensus, quia supposito assensu pro illo instanti naturaliter liberéque producto, non solùm poterat naturaliter esse in illo

illo instanti, sed neque supernaturaliter poterat non esse naturaliter in illo. Idem dico de reliquis instantibus conseruationis, si Deus semper conseruaret alterum actũ supposita libera conseruatione alterius: quia nihil, quod subsequitur productionem rei, & quod omnino consequenter ad illam se habet potest illius tollere libertatem. Ex hoc infero non posse adhuc supernaturaliter dari in eadem potentia assensum, & dissensum vtrumque liberè productum, ac proinde non posse hominem esse simul fidelem, & hæreticum, quia hæ denominationes, quando sumuntur ab actibus, non ab actibus necessariis, sed tantùm à liberis desumuntur.

11 Vltimò arguitur: Gratia, & peccatũ non possunt esse simul: ergo neque assensus, & dissensus. Probatur consequentia: ideo gratia, & peccatum non possunt esse simul, quia sunt dignitates respicientes obiecta contradictoria, sed eadem est ratio de assensu, & dissensu: ergo. Resp. antecedens discutiendum esse inter Theologos, interim tamen dico duplicem esse sententiam; quandam asserentem peccatum dicere pro formali, vel pro fundamento necessario ad sui formalitatem negationem gratiæ: secundùm hanc opinionem concedendum est primum antecedens, & neganda est consequentia, illiusque confirmatio, quia secundùm hanc sententiam ideo esse non possunt gratia, & peccatum, quia peccatum, dicit priuationem gratiæ, & implicant esse simul habitus, & priuatio. Alia sententia, Priuationem gratiæ omnino distinguit à formalitate peccati, & à fundamento illius, & asserit, priuationem gratiæ tantùm esse effectum secundarium peccati, sicuti priuatio frigoris est effectus secundarius caloris informantis subiectum: secundùm hanc sententiam posset philosophari de gratia, & de peccato, sicuti, & de assensu & dissensu, & dici posset coëxistere de potentia Dei absoluta, quod affirmat Suar. suprà, qui id negat de assensu, & dissensu, licet forsan non deficiet disparitatis caput, quia assensus, & dissensus positiuè à Deo conseruantur, & potest Deus non subtrahere conseruationem dissensus, etiamsi illius subtractionem exposcat assensus, & è cõtrà, & ita supernaturaliter vtrumque conseruare, peccatum autem cùm non dependeat in conseruari à Deo difficilius posse videtur adhuc supernaturaliter cum gratia componi.

§. III.

Explicatâ repugnantiâ inter assensum & dissensum explicatur propria sententia.

12 NOn poterit hæc difficultas probabili fundamento dissolui, ni radicitùs examinemus caput, ex quo assensus, & dissensus, amor, & odium circa idem obiectum repugnent, illo enim cognito iudicium facilè facere poterimus, an possit diuinitùs dispensari; quod si lateat nihil de illo non temerè dici poterit.

13 Repugnantiam oriri ex obiectis non dubito, quidquid enim est in actu, oritur ab obiecto, tanquam à termino extrinsecè specificante à priori, vel à posteriori; sed dubium adhuc supereſt, an hæc repugnantia, ex quocunque extrinseco oriatur, in quo formaliter consistat. Communis contrariorum repugnantia in eo sita est, quod vnum per informationem sui exigit, vt Deus subtrahat conseruationem alterius, & ne concurrat ad illius productionem, etiam in præsentia principij productiui exigentis illum primò producere, & perpetuò conseruare, & suppositа etiam exigentia, qua contrarij in hoc instanti expulsum in instanti præcedenti habuit, ne in hoc instanti corrumperetur, quã resistentiã latiùs explicui in Generat. Contr. 6. Punct. 2. Alia est actiua resistentia, quæ est inter principia productiua cõtrariorũ formaliter sibi inuicè resistentium. Hanc actiuã resistentiam respectu actuũ vitalium liberorũ, qui in eodem subiecto existunt, nullo modo possumus meditari in ordine ad principiũ vitale, quod est idem indiuisibile respectu assensus, & dissensus, & respectu amoris, & odij: neque respectu aliorum principiorum in plerisque actibus, liberè procedunt à voluntate formaliter, si sint actus pertinentes ad hanc potentiam; vel imperatiuè, & secundariò, si ad intellectum pertineant sicuti assensus, & dissensus.

14 Neque sat est his actibus concedere repugnantiam formalem, quam in aliis contrariis, v. g. calore, & frigiditate, reperimus, quia si hoc modo tantùm opponerentur, ex eo quod assensus exigeret corruptionem dissensus, non ita indiuisibiliter opponerentur, vt non possent in gradibus remissis adunari, sicuti adunantur frigiditas, & calor, cùm ex hoc capite imbecillior sit repugnantia inter hos actus, quàm inter calorem, & frigiditatem; calor enim exigit nõ solùm suam conseruationem, contrario oppositum non intendente; sed etiam præsente aqua intendente producere frigiditatem, exigit vt Deus, vires aquæ coërceat, ne frigiditatem producat, media qua destruatur: amor verò existens in anima non ita ardenter suam exposcit conseruationem, vt exigatà Deo non produci odium ab anima illud intendente producere, neque ratione amoris existentis in anima aliquam coactionem patitur anima, ne odium producat, medio quo destruatur amor. Deinde aliam oppositionem reperiri inter actus voluntatis existimo perspicuũ esse, quia assensus præmissarum necessitatem quoad specificationem ad assensum conclusionis inducit, eo enim ipso, quod ego assentiam præmissis, ex quibus legitimè infertur consequens, etiamsi ex diuersione animæ, vel nimia attentione ad alia obiecta non eliciatur assensus conclusionis; dissensus tamen non poterit elici. Exempli gratia: habeo ego hos assensus, *omnis homo est animal, Petrus est homo* etiãsi non eliciam, *ergo Petrus est animal*, tamen cum his præmissis non potero iudicare Petrum non esse animal: ergo hic assensus, *Petrus non est animal*, habet oppositionem cum his duobus; *omnis homo est animal, Petrus est homo*, sumptis indiuisibiliter, quam non habet cum aliquo eorum seorsim sumpto, cum quo, alio secluso, poterit componi: ergo incompossibilitas actuum nascitur ex alio capite distincto à formali incompossibilitate, quam habeant per modũ contrarietatis assensus, & dissensus in eodem subiecto, & de eodem obiecto, cùm plures actus, etiam de diuersis obiectis saltem inadæquatis, & longè diuerso modo significatis incompossibilitatem habeant.

Deinde intellectus non potest per eum indiuisibilem 15
actum assentiri, & dissentiri: sed repugnantia huius actus non potest oriri ex incompossibilitate formali, quia secluso omni alio actu, hic repugnat saltem naturaliter, & resistentia formalis essentialiter dicit duplicem contrariam formam: ergo ex alio capite oritur repugnantia, propter quam intellectus non valeat simul assentire, & dissentire eidem obiecto; repugnantia enim formalis non potest inueniri in simplici actu, qui esset simul assensus, & dissensus, neque talis actus ex illa repugnantia impossibilis est saltem naturaliter, sed ex alio capite.

Sensco incompossibilitatem ex vi cuius assensus, & dis- 16
sensus de eodem obiecto, sicuti alij actus intellectus, non possunt esse simul adhuc in gradibus remissis prouenire ex modo, quo obiectum repræsentatur intellectui per vnum actum, ex vi cuius anima impotens sit tendere in illud per actum oppositum, non per puram actuum incompossibilitatem, sed quia per actum assensus determinatur, & adducitur potentia, vt non possit, neque à se neque à voluntate determinari ad dissensum, quia obiectum ita proponitur, vt nullam rationem habeat mouendi ad dissensum, & in hoc sensu verum erit, quod docet Suarez vnum actum destruere motiuum alterius contrarij, hoc est, ita proponere obiectum materiale illius, vt sub nulla ratione valeat intellectus neque per se ipsum, neque per actum voluntatis determinari ad actum oppositum. Pro explicatione huius conclusionis noto; quod etsi verum sit intellectum actu assensus non necessario ferri in obiectum verum, neque actu dissensus in falsum præsuppositiuè, hoc est, in obiectum quod supponatur verum, vel falsum, ante ipsum actum: Nihilominus certum esse intellectum non posse ferri actu dissensus in obiectum, quod ex primæ apprehensione terminorum verum apparet, siue ex se, sicuti hoc obiectum; *quodlibet est, vel non est*: siue ex suppositione, sicuti hoc obiectum, *omne quod est in hoc instanti, ex suppositione, quod sit, non potest non esse*; quæ obiecta necessariò prædeterminant intellectum, ne dissentiat ab illis, vt nullus, qui illa semel valeat percipere, possit ab illis dissentire, etiamsi contingere possit aliquando ex nimia animi attentione illis assensum non præbere, quia illorum dissensus non solùm opponitur cum assensu ipsorum, sed cum prima apprehensione terminorum.

Ex his infero, posito assensu circa existentiam Petri, in- 17
tellectũ manere determinatũ ex huius assensus vi ad non eliciendũ dissensum de eodem obiecto, quia posito assensu intellectui repræsentatur existentia Petri, tanquam actu existens; ergo repræsentatur tanquam quid euidenter

falsum Petrum non existere, tanquam quid impossibile, ex suppositione facta, Petrum non existere, quia ex suppositione, quod Petrus existat, implicat ipsum non existere, & implicat verum esse hoc iudicium, *Petrus non existit*: & ex ipsa terminorum apprehensione constat, falsum esse, Petrum non existere suppositia existentia Petri: ergo postquam intellectus per assensum supponit Petrum existere, eo ipso, quod illi proponatur negatio existentiæ, proponitur tanquam euidenter falsa: ergo non poterit iudicare, dari talem negationem, seu Petrum non existere, quod est idem. Confirmatur: ex existentia Petri euidenter infertur non esse negationem illius, seu falsum esse ipsum Petrum non esse; ergo si semel intellectus iudicat Petrum existere, si illi obiiciatur negatio ipsius existentiæ, inferet ex iudicio tendente in existentiam Petri falsum esse Petrum non existere, vel saltem manebit determinatus, quoad specificationem, ne iudicet Petrum non existere: ergo posito hoc iudicio: *Petrus existit*, non poterit habere hoc iudicium, *Petrus non existit*, & pari ratione, posito hoc iudicio, *Petrus non existit*, saltem intellectus erit determinatus ne iudicet Petrum existere, quod falsum esse euidenter infertur ex priori iudicio, & cuius obiectum, ex suppositione facta per iudicium negatiuum de non existentia Petri, implicat.

18 Eadem ratione censeo implicare actus voluntatis ex natura sua efficaces, quibus voluntas dicat, *volo deambulare*, & *nolo deambulare*, quia voluntas non potest ferri efficaciter in obiectum, quod apprehendit vt impossibile; hoc autem quod est deambulare simul, & non deambulare est impossibile: ergo voluntas non potest efficaciter illud appetere. Dices, neutrum horum obiectorum ex se esse impossibile, sed tantùm simultatem vtriusque: voluntatem autem, etiamsi efficaciter intendat ambulare in instanti *A*, & non ambulare in eodem instanti, non appetere simultatem obiectorum formaliter, sed vnum obiectum per vnum actum, & obiectum aliud per alterum actum. Contrà: Simultas formalis nihil aliud est, quàm existentia deambulationis in instanti *A*, & negatio ipsius existentiæ in eodem instanti, sed hoc totum amaret voluntas per illos duos actus: ergo amaret simultatem obiectorum: ergo amaret obiecta incompossibilia simul existentia, quæ manifestam inuoluunt repugnantiam inter se vtrumque simul ratione coëxistentiæ, & quodlibet ex suppositione alterius, quia suppositia deambulatione implicat negatio eiusdem pro eodem instanti, & suppositia negatione, implicat deambulatio immediatè & per se.

19 Ex his infero, repugnantiam inter actum, quo voluntas dicit, *volo ambulare*, & inter actum, quo dicat *nolo ambulare*, non solùm consistere in actibus secundùm se, neque tantùm dicere ipsos actus per suasmet entitates præcisè repugnantes, sed connotare, seu dicere tanquam rationem formaliter spectantem ad incompossibilitatem, actum iudicij, quo voluntati proponitur repugnantia obiectorum, & incompossibilitas obiecti vnius actus ex suppositione obiecti alterius actus. Hoc iudicium maximoperè spectare ad incompossibilitatem actuum patet in aliis pluribus actibus circa obiecta incompossibilia, sæpè enim quis efficaciter intendit obiecta inter se repugnantia, quia illorum incompossibilitatem nondum cognouerat, & hac cognita statim cadit ab altera intentione, quin possit illo superueniente iudicio in vtraque persistere.

20 Infero similiter posse voluntatem amare obiecta, quamtumuis incompossibilia, dummodo ab intellectu non proponantur vt incompossibilia inter se, neque vt repugnans illorum aliquod, quia tota repugnantia, vt dictum est, oritur ex repugnantia obiectorum. Vnde si fieri posset, vt intellectus apprehenderet hæc obiecta, ambulare, & non ambulare, non apprehensa illorum incompossibilitate, posset voluntas simul intendere efficaciter quatenus est ex se ambulare, & non ambulare, saltem per actus voluntatis remissos, quia incompossibilitas, per quam hi actus indiuisibiliter opponuntur, consistit in incompossibilitate obiectorum voluntati proposita. Idem dico de actibus assensus, & dissensus in intellectu, quia si idem obiectum possit apprehendi vt existens, & non existens absque euidenti implicatione, vel si posset obiectum iudicari existens, quin negatio existentiæ euidenter appareret vt falsa, posset intellectus assentire, & dissentire eidem obiecto, sicuti assentitur sæpe aliis obiectis in se contradictionem habentibus, quando illorum contradictio latet intellectum; quia tamen nunquam possunt homini sanæ mentis hæc obiecta sine contradictione apparere, nullus potest assensum, & dissensum habere de aliquo obiecto, & simul ipsius existentiam & negationem ipsius intendere. Quod si contendas posse hominem amentia correptum, vel nimis ad alia obiecta distractum, hæc obiecta sine repugnantia aliqua inter se percipere, quod difficillimum est, non recusarem concedere, posse tali repugnantia non percepta, neque alterius, saltem apprehensa falsitate, simul assentire, & dissentire eidem obiecto, simulque habitum, & illius negationem efficaciter intendere. Neque ad hoc debent dissentire illi, qui affirmant adhuc de potentia Dei absoluta non posse in eodem subiecto assensum, & dissensum reperiri, illorum enim fundamentum est alterum obiectum necessariò apprehendi tanquam falsum, cui non potest assensus præstari: ergo si ita non apprehenderetur, deficeret fundamentum repugnantiæ inter hos actus: ergo possent eamdem potentiam afficere.

Explicata fundamento repugnantiæ, pronuntio, de potentia absoluta rectè posse cõponi assensum, & dissensus, amorem & odium in eodem subiecto. Vtrumque probant solutiones argumentorum, quas suprà præstiti, quæ in his quæstionibus, in quibus de potentia Dei absoluta disseritur, sunt semper sententiæ affirmantis potissimum fundamentum. 21

Secundò positiuè sententiã probo. Ratio, propter quam repugnat assensus posito dissensu, est, quia ex vi assẽsus proponitur tanquam falsum obiectum dissensus, quæ propositio impedit ne intellectus se determinet ad assensum præstandum, non ex defectu virtutis ex parte intellectus, neque ex defectu obiecti: sed etiãsi intellectus non se determinet ad præstandũ assensũ, neq; determinetur à volũtate, poterit Deus illũ determinare, vt necessariò præstet assensum, non erit impedimentum respectu Dei, determinantis intellectũ, quia id, quod impedit intellectum, ne ipse se determinet per obiectum, neque volũtas possit illũ determinare, non impedit ne Deus intellectum determinet ad talẽ assensum, qua determinatione posita à Deo supra exigentiam, vel etiam contra exigentiam intellectus, & obiecti propositi rectè poterit esse dissensus, qui tantùm repugnabat ex eo, quod nulla causa secunda poterat determinare productionem illius. Dixi sæpè intellectum non posse se determinare, & explicationis gratia nuper addidi non posse determinare se per obiectũ, quia determinatio nunquam prouenit ab intellectu, cùm non sit potentia libera, neque independens ab aliis principiis ad operandum, sed ab obiecti propositione, & speciebus quæ sæpè intellectũ determinant ad assensum independenter à voluntate; & tunc dico intellectum se determinare, quia non determinatur per aliam potentiam imperantem, sed per comprincipia ad ipsum intellectum. 22

Eamdẽ rationem confirmo, & explico in actibus voluntatis; ideo non possum intendere simul ambulare & non ambulare, quia obiecta proponuntur vt impossibilia, & voluntas in obiectũ apprehensum vt impossibile ferri nequit, etiãsi in illud vt possibile apprehensum sponte ferantur: ergo tota ratio, propter quã voluntas non potest ferri efficaciter in deambulationem, & negationem eiusdem est ex defectu propositionis attrahentis ad hos actus, & ex propositione retrahente: sed defectus propositionis potest suppleri à Deo, vt probabo Contr. 8. Punct. 7. vbi dicam volũtatem posse ferri in incognitum, & Deus potest voluntatẽ prædeterminare ad actum, à quo retrahit propositio: ergo potest suppleri à Deo defectus conditionis, & fieri contra impedimentum, quod habet voluntas, ne simul intendat ambulare, & nõ ambulare: ergo poterit fieri à Deo, vt simul intendat actibus ex se efficacibus obiecta contradictoria, seu idem obiectum actu amoris, & odij. 23

Totam sententiam confirmo ratione, qua vtitur P. Suar. suprà ad probandum posse esse simul gratiam, & peccatum in eodem subiecto. Deus potest modò concurrere medio intellectu ad actum assensus, independenter ab aliis causis determinantibus productionem assensus, vt fatentur omnes; sed posito hoc concursu nihil est, quod obliget Deũ ad subtrahendum concursum, quo conferuabat dissensum à me elicitum: ergo poterit vtrumque conseruare. Probo minorẽ, quantumuis assensus determinatus à Deo, siue per incompossibilitatem cum dissensu, siue per modum, quo proponitur vt falsum obiectum dissensus, exigat subtractionem concursus, quo Deus dissensum conseruabat, 24

poterit

poterit Deus illi violentiam inferre, quia exigentia creaturæ non ita determinat Creatorem, vt non possit contra illam operari: ergo poterit conseruare vtrumque concursũ etiam dependenter ab intellectu, quia conseruatio vtriusque non repugnat ex defectu virtutis intellectus, sed ex incompossibilitate actuum inter se; vel ex modo, quo proponitur ex vi vnius actus alterius obiectum vt omnino falsum: idem dico de actu amoris, & odij.

25 Hanc sententiam docent nonnulli ex D. Thoma quæst. 26. de Veritate, art. 10. teste Suario suprà, vbi illos impugnat asserentes, posse poni in eodem subiecto duas qualitates contrarias, etiam vitales, si vna per se, & alia per accidens, hoc est, determinata à causa extrinseca, insit, quorum sententia, ab ea, quam tradidi, in nullo discrepat, quia non ego affirmo, posse animam habere amorem, & odiũ, assensum & dissensum determinatum à se, sed à Deo, qui concurrat independenter à determinatione animæ, saltè ad alterum contrariorum actum producendum. Constat etiam hos Doctores tradidisse sententiam, quam contra illos adducit Suarez dict. sect. 3.

26 Obiicies: Assensus & dissensus, amor & odium, siue ab hac, siue ab illa causa procedant, habent eamdem incompossibilitatem: ergo si non possunt coniungi procedentes ab anima se determinante ad tales actus, ergo neque poterunt coniungi determinata alterius, vel vtriusque existentia à Deo, vel ab alia extrinseca causa. resp. incompossibilitatem, quam habẽt actus per suasmet entitates intrinsecas, semper fore eamdem à quacunque causa determinante producantur; incompossibilitatem verò, quam habent ex defectu causæ non potentis se ad vtrumque determinare non reperiri respectu omnium causarum, quia etsi intellectus non valeat per se ipsum, neque per alia cõprincipia creata se determinare ad assensum, & dissensum simul producendum, potest Deus hanc determinationem intellectui præbere per concursum præstitum à Deo independenter ab exigentia intellectus, & cuiuscumque comprincipij creati talem concursum exigentis.

PVNCTVM IV.

Quid sit intuitiua cognitio, & quomodo ab abstractiua differat?

1 BEne notat P. Vasquez 1. part. dist. 134. quæstionem hanc multum habere de nomine, & certè aliquos legi, apud quos tota de nomine reperitur, quia ob diuersorum nominum confusionem & diuersarum acceptionũ eiusdem nominis, quid de re in hac quæstione non apparet. Ego qua potuero distinctione, & claritate rem componam.

§. I.

Aliorum placita impugnata.

2 SEntiunt multi intuitiuam cognitionem dici illam, quæ attingit omnes formalitates obiecti nulla præcisione facta inter ea, quæ realiter sunt idem. Ita P. Vasquez 1. part. dist. 50. n. 12. & disput. 48. n. 2. Suar. lib. 2. de attributis, cap. 22. Huic opinioni aduersantur omnes, qui asserunt cognitionem intuitiuam, & per proprias species posse ferri in vnam formalitatem obiecti, & non in aliam; in quorum numero sunt P. Granados tract. 5. de visione, & 7. sect. 1. P. Alarcon 2. tract. de visione, c. 2. & apud hos Paludanus, Antoninus, Sotus, Bassolis, & Ouandus.

3 Desumunt Doctores relati pro prima sententia, nomen intuitionis, quatenus significans quid oppositũ præcisioni; & cognitionem intuitiuam appellant illam, quæ præcisiua non est. In hac acceptione intuitiuæ cognitionis quis negare potest visionem intuitiuam futuram tantùm illam, quæ non præscinderet inter ipsa prædicata? Verumtamen visionem intuitiuam non esse assumendã secundùm hanc significationẽ, neque in hoc sensu posse desumi sic probo. Cognitio intuitiua secundùm hanc sententiam vel est illa, quæ non præscindit neq; ex parte actus, neq; ex parte obiecti, vel quæ ex parte obiecti tantũ non præscindit: & similiter cognitio abstractiua intuitiuæ opposita vel est illa, quæ præscindit ex parte obiecti, vel quæ tantùm præscindit ex parte actus. Si dicatur cognitionẽ intuitiuam esse illam, quæ non præscindit ex parte obiecti, etiamsi ex parte actus præscindat, cognitiones omnes erunt intuitiuæ, quia nulla potest esse cognitio terminata ad obiectum reale præcisiua ex parte obiecti, vt latè probabo in Metaphysic. Si dicatur cognitionem intuitiuam esse illam, quæ neque ex parte actus, neque ex parte obiecti præscindit, tantùm comprehensiua cognitio erit intuitiua cognitio coloris, quã capio ex sensationibus circa ipsum colorem actu existentem, & mittentem proprias species sui: imò neque ipsa externa oculorum sẽsatio esset intuitiua, quia licèt ex parte obiecti præcisiua non esset, & totum colorẽ attingunt visio externa, & interna cognitio, non tamẽ ita expressè, vt valeãt discernere circa formalitatẽ relationis transcendẽtalis, neque distinguere colorem illum habentem relationẽ transcendentalẽ ab alio qui illã non haberet, siue reali, siue ficto: imò ipsa visio intuitiua Dei, qua gaudent Beati, etsi totum Deum attingat formaliter, vt est in se realiter, & ex parte obiecti attingat quidquid est in obiecto, non tamẽ ex vi illius ita clarè cognoscitur obiectum, vt pateãt beato ex vi visionis beatificæ formalitates decretorum liberorũ, quæ sunt in Deo, neque ex vi visionis beatificæ valet beatus distinguere inter Deum habentẽ ab æterno, decretũ producendi Petrũ, & inter ipsum Deum quatenus potuit esse ab æterno idẽ secundùm entitatem sine decreto ad quod liberè se ab æterno de facto determinauit.

Dicunt alij cognitionem intuitiuam esse illam, quæ fertur in rem ipsam vt actu existentem, & vt præsentẽ non solùm obiectiuè, sed etiam physicè, ita vt si de facto non existat obiectũ, eo modo, quo repræsentatur per illam, visio illa, seu cognitio intuitiua non sit, sed abstractiua. Ita Suar. l. 3. de anima c. 12. n. 5. vbi asserit sensationẽ factã per speciẽ propriam obiecti miraculosè productã à Deo, quã sentitur, vt existens, & præsens obiectum, esse abstractiuã, quia est obiecti actu non existentis. Ex hac sentẽtia rectè explicari nequit ratio intrinseca visionis intuitiuæ, & abstractiuæ, quia eadẽmet intrinseca visio potest esse abstractiua, & intuitiua in hac acceptione: visio enim, quã modò habeo circa colorem actu existentem & approximatum meæ potentiæ, potest conseruari à Deo supernaturaliter sine præsentia obiecti: ergo ratio intuitionis, quam tribuimus visioni æternæ, & negamus cognitioni quam ego habeo circa existentiam Angeli, non consistit in ipsa obiecti præsentia, aliquid enim habent hi actus independenter à præsentia obiecti, per quod visio externa obiecti, & cognitio orta ex hac dicantur intuitiuæ, quod non habet cognitio Angeli, quæ abstractiua dicitur, adhuc præsente obiecto: de hoc inquiro quidnam sit, ad quod omnino impertinens est præsentia obiecti, quod est intrinsecum actui vitali, in qua ratio intuitionis consistit. 4

Secundò probo præsentiam obiecti, neque adhuc inadæquatè pertinere ad rationem intuitionis. Visio, quam Deus sine specie impressa intermediâ immediatam per se ipsum produceret, dependeret à potentia, & à Deo tanquam à principio adæquato, esset intuitiua si obiectum ita existeret, sicuti repræsentatur per visionẽ, sed eodem omnino modo esset intuitiua absente obiecto: ergo præsentia obiecti nullo modo pertinet adhuc inadæquatè, imò neque exigentia talis præsentiæ ad rationem intuitiuæ. Probo minorem: existentia illius obiecti omnino per accidens se habet respectu talis visionis, quæ nullo modo illam exigit, vt probaui Controuersia 4. Puncto quarto: ergo non potest illa visio constitui intuitiua per exigentiam præsentiæ obiecti, quam non habet, neque per ipsam præsentiam obiecti, quæ impertinenter se habet respectu illius, licet enim fieri posset intuitionem actualem importare aliquid extrinsecum cognitioni, intolerabile est dici rationem intuitionis ita extrinsecam, & contingentem esse operationi, quæ intuitiua denominatur, vt saltem in actu primo talis operatio non exigat id, per quod constituitur actu intuitiua. 5

Dicunt multi visionem intuitiuam esse illã, quæ obiectum attingit per species proprias illius, & abstractiuam, quæ producitur per species alienas, & non proprias illius obiecti repræsentati. Ita tenent P. Granados, & Alarc. relati suprà, & alij apud istos, & est communis opinio inter Doctores. Propiùs ad veritatem accedit hæc opinio, illã tamen non omnino apprehendit. Admitto cognitionem omnem per species proprias esse intuitiuam, & do cognitionem factam per species alienas esse abstractiuam, & probo non rectè, neque adæquatè explicari rationem intuitionis, & abstractionis per ordinem ad proprias & alienas obiecti species. Omnis cognitio adęquatè diuiditur in 6

abstractiuam, & intuitiuam: sed non omnis cognitio fit per species proprias, vel alienas: ergo per hanc rationem non rectè, & adæquatè explicatur ratio cognitionis intuitiuæ, & abstractiuæ. Probo minorem: Deus potest mecum concurrere ad visionem coloris actu existentis, tunc visio ita producta non produceretur per species proprias, neque alienas, neque per obiectum immediatè ad illam concurrens: ergo si adæquatè definita esset operatio intuitiua, & abstractiua per ordinem ad species proprias, seu obiectum immediatè concurrens, & ad species alienas, visio illa, neque esset intuitiua, neque abstractiua, quod dici nequit. Idem dico de aliis cognitionibus intellectualibus, quas Deus potest producere sine speciebus propriis neque alienis obiecto immediatè non concurrere ad tales visiones. Rursus cognitio, quâ Deus cognoscit obiecta creata non exercetur per species proprias, neque per alienas obiectorum, neque cognitio, quâ Deus seipsum cognoscit exercetur per speciem, adhuc formaliter distinctam, & realiter identificatam cum Deo secundùm opinionem multorum Theologorum, qui adhuc rationem formalem speciei impressæ identificatam realiter cum ipso Deo admittere nolunt, & tamen omnis cognitio, quam Deus habet, est cognitio intuitiua: ergo ratio cognitionis intuitiuę non cõsistit in ordine ad species proprias obiecti.

7 Dices cognitionem diuinam dici intuitiuam ex eo præcisè quod non exerceatur per species alienas in quo consistit ratio intuitionis, quæ opponitur operationi abstractiuæ scilicet factæ per species alienas. Fugis vim argumenti, sed relinquis sententiam, quam defendendam assumpseras, videlicet rationem intuitionis consistere in respectu ad species proprias, & restat tibi soluenda alia obiectio, quam primò adduxi de cognitione illa, quam Deus produceret sine speciebus, quæ ex hac solutione vires resumit. Cognitio intuitiua est illa, quæ non fit per species alienas: ergo Deus non potest concurrere immediatè ad cognitionem aliquam, quæ non sit intuitiua: sed omnis cognitio, ad quam ipse concurrat immediatè cum potentia, erit intuitiua: ergo si Deus immediatè concurreret ad producendum actum fidei respicientem tanquam motiuum reuelationem diuinam absque vlla specie impressa, à qua dependet illa cognitio, actus fidei nullum habens motiuum præter reuelationem Dei esset intuitiua cognitio. Conditionalis habet imbibitam illationem legitimam; adimpletio conditionis non pugnat, nullum enim probabile fundamentum inuenies ad asserendum Deum non posse immediatè concurrere ad actum intellectus innitentem tanquam motiuo adquæquato reuelationi diuinæ. Consequens illatum absurdum est, & ni fallor contra D. Paulum 1. Corinth. 13. vbi cognitionem fidei ænigmaticã vocat, & intuitiuæ opponit: *Videmus nunc per speculum in ænigmate*, &c. quod testimonium pro mea sententia postea expendam.

8 Posses respondere Deum immediatè concurrentem ad operationem vitalem sine specie concurrere aliquando supplendo vices speciei propriæ, vel obiecti immediatè concurrentis, & tunc operationem ab illo simul cum potentia immediatè productam, esse intuitiuam; aliquando verò concurrere supplendo vices specierum alienarum, & tunc operationem abire in abstractiuam. Hæc solutio parum præstat in mea sententia, quæ operationem vitalem in termino identificato cum actione constituit, iuxta quã operatio quæ procedit à Deo sine speciebus, neque ab speciebus propriis, neque alienis procedere potest: ergo non dicetur Deus supplere vices specierũ propriarum, vel alienarum, ex eo, quod producat effectum illum, quem ipsæ species sint productuę: ergo ex hoc capite nõ poterit Deus dici supplere potiùs vices harum specierũ, quàm illarum. Restat vt dicatur Deus supplere vices harum specierum, v.g. propriarum, quia producit speciẽ expressam, etsi distinctam ab illa, quam producerẽt propriæ species, tendentẽ tamen in obiectum eodem modo, ac tenderet alia operatio producta à propriis speciebus. Quod si speciẽ expressam produceret tendentem eodem modo in obiectum, in quod tenderet alia speciebus alienis producta, diceretur supplere vices specierum alienarum. Addmitto totũ, quod dat solutio, & nondum meo argumento solutionẽ habeo. Species expressa, siue producta à Deo tãtùm, siue ab speciebus propriis, potest dici intuitiua, quia respicit obiectum certo quodam modo cõmuni speciei expressæ productæ ab impressis propriis speciebus, & alteri specie expressæ, in cuius productione dicatur Deus supplere munus speciei impressæ, quem modum non haberet species expressa producta ab alienis speciebus: ergo ratio intuitionis, & abstractionis consistit formaliter in hoc speciali modo respiciendi obiecta; de hoc inquiro, quid sit? quid habeat peculiare modus respiciendi obiectum intuitiuè, quod nõ habeat abstractiua operatio? & quid habeat modus respiciẽdi abstractiuè, quod non habeat intuitiua operatio; Locum habet hæc obiectio, etiamsi tota operatio in qualitate consisteret, quia licet tunc eadem, quæ producitur ab speciebus, posset produci à Deo, ratio formalis intellectionis non esset ipsa productio, sed terminus, in quo consisteret ratio intellectionis, sensationisve, vel internæ, quia hæc esset extrinseca, & distincta à termino: ergo tota ratio intuitionis, vel abstractionis in ipsa qualitate consisteret, & non in modo, quo qualitas illa producta constituitur operatio intuitiua, vel abstractiua obiecti.

§. II.

Propria sententia.

9 DOctè aduertunt nostri Lusitani lib. 2. de anima c. 6. q. 3. art. 1. appellationem hanc intuitiuæ visionis non fuisse notam antiquis Philosophis, sed tantùm inter Doctores Scholasticos inueniri, ex quibus Greg. in 1. dist. 3. q. 3. art. 1. & Scotus quodlib. 6. art. 1. volunt nomen hoc desumptum fuisse ex testimonio Pauli 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, &c. vbi visionem beatificam, quam omnes Doctores, & Ecclesiæ Patres intuitiuam vocant, explicat per hoc quod est esse facie ad faciem, & reliquas operationes non intuitiuas distinguit per rationem ænigmatis, illásque ænigmaticas appellat. Ex quo testimonio potissimum debet sumi fundamentum ad distinguendam operationem intuitiuam à non intuitiua. Visionem hanc eleganter describunt idem Conimbricenses ex Scoto, Ferrar. & Dur. ibi relatis, his verbis: *Notitia rei præsentis est, id est cognitio, quâ ita rem attingimus, vt per eam teneatur præsentia obiecti in se, & ex vi ipsius cognitionis, non verò quæ aliunde comprobetur*: Asserúntque communi cõsensu notasse Anselmum, Hugonem, Magist. D. Thom. Greg. Palud. aliosque Doctores visionem intuitiuam oportere esse immediatam, ita videlicet, vt res non percipiatur in alio cognito, sicuti cognoscitur Cæsar in sua statua, etenim per visionem intuitiuam concipitur res in se, quod esse non potest, cùm res in alio priùs viso cognoscitur.

Ex his, quæ Doctores tradunt de visione intuitiua pos- 10
sumus illam definire: *Cognitio obiecti in se*: & abstractiuam: *Cognitio obiecti in alio*. Verumtamen hæc definitio, si maiorem lucem non accipiat, adhuc mihi difficilis est, quia in communi sententia Theologorum Deus se ipsum cognoscit non solùm in se sed etiam in creaturis tanquam in obiecto priùs cognito, & tamen durum est asserere cognitionem, quâ Deus se ipsum in creaturis cognoscit non esse intuitiuam, sed abstractiuam: insuper contra descriptionem, quam Paulus insinuat de visione abstractiua, quam appellat ænigmaticam, visionem enim, quæ intuitiua non est, dicit esse per ænigma, quis autem dicet Deum se ipsum in creaturis per ænigma cognoscere? Deinde Deus æquè clarè, æquè perfectè cognoscit se ipsum, quando se ipsum in creatura cognoscit, ac quando se ipsum immediatè cognoscit: ergo æquè intuitiuè se cognoscit per vtramque cognitionem; quando enim quasi excitatus, & determinatus à cognitione creaturæ, ad se ipsum cognoscendũ se cõuertit, non mendicat specificationem, neque determinationem cognitionis à creatura determinante, sed à se ipso, & ab obiecto increato, quod respicit infinitam perfectionem non solùm quâ Deus seipsum, sed etiam creaturam cognoscat; neque minus facie ad faciem se intuetur determinatus à creatura, quàm cùm à se ipso determinatus, priùs se, quàm creaturam aliâ visione directâ prægnouerat; quæ ratio mihi magni ponderis est, ne dicam visionem, qua Deus se ipsum in creatura tanquam in obiecto determinate cognoscit, non esse cognitionem intuitiuam. Idem dico de cognitione, quâ Deus creaturas in se ipso, vel in suo decreto libero cognoscit, quæ æquè penetratiua est creaturarum cum illa, qua Deus easdem creaturas primariò, & in se ipsis cognouit. Addo non posse dici visionem, qua Beati in obiecto vident creaturas possibiles, vel existentes, si verum est illas ex vi visionis videre, propriè non esse intuitiuam, quia nulla alia visione directa vllus intellectus creatus perfectiùs, & penetrabiliùs

potest

potest videre creaturas, quas videt in Verbo, quàm illas potest videre ex vi visionis diuinæ, si hæc ducit in cognitionem ipsarum.

11 Sto sententiæ Doctorum, quos retuli ex Conimbric. & cum illis assero visionem intuitiuam esse, *qua obiectum videtur in se*: & abstractiuam, *qua videtur in alio*: illud autem *in alio* non de quocumque obiecto priùs cognito, sed de obiecto, instar cuius aliud cognoscatur, & iuxta hanc explicationem visionem intuitiuam definio: *Visio, qua non attingitur obiectum instar aliùs obiecti à se distincti*, visio abstractiua, seu non intuitiua est, *qua obiectum instar alterius à se distincti cognoscitur.* Has definitiones existimo esse iuxta mentem Doctorum, quos suprà retuli, & iuxta testimonium Pauli adductum suprà accommoda distributione quadrant omnibus operationibus, quas omnes Doctores intuitiuas, & abstractiuas appellant, vt ex illarum explicatione constabit. Quid sit rem instar aliùs cognosci, ex ipsa apprehensione terminorum existimo esse perspicuum; illud enim dicitur instar aliùs rei cognosci, quod apprehenditur, quasi illi simile, vel indutum accidentibus illius, instar cuius cognosci dicitur. Hunc modum cognoscendi vnum in alio repugnare visioni intuitiuæ colligo ex descriptionibus, quas retuli suprà de visione intuitiua, hoc enim existimo importare illa verba adducta in definitione, quam ex Scoto & aliis adducunt Conimbr. ita vt *per eam teneatur potentia obiecti in se, & ex vi ipsius cognitionis, non verò quæ aliunde comprobetur.* Idem volunt alia verba, in quibus conditiones ex Anselmo, & aliis; illa præcipuè, quibus dicitur per visionem intuitiuam non debere rem cognosci in alio, sicuti cognoscitur Cæsar in sua statua. Intellige illud *simile*, per quod explicatur cognitio non debere esse in alio, scilicet, sicuti est cognitio Cæsaris in sua statua, quæ similis cognoscitur cum Cæsare, & apprehenditur quasi alius Cæsar, vel potiùs vt idem repetitus; ex quo capite quæ de facto in hac vita cognoscimus sine specie propria illorum non intuitiuè, sed abstractiuè, cognoscuntur à nobis, quia illa instar aliarum rerum semper cognoscimus, Angelum videlicet instar iuuenis, personam primam Trinitatis instar senis, & sic de substantia quacunque, & de accidentibus, quæ sensu non percipiuntur siue materialibus, siue spiritualibus.

12 Operationes omnes, quas intuitiuas vocamus, attingere obiecta modo à me explicato facilè, si per illarum singulas discurram, comprobabo. In primis sensationes omnes non percipiunt obiecta instar aliarum rerum, sed omnia vt sunt in se; visio enim non ad instar rei aliùs colorem, neque lucem attingit, & sic de aliis sensationibus. Cognitiones intuitiuæ obiectorum, quæ sensibus percipiuntur non attingere obiecta instar aliarum rerum, certum est, intellectus enim cognoscit alia obiecta instar accidentium, quæ sensibus fuerunt perceptа: non verò accidentia instar aliarum rerum, quas sensationibus anima non attingit. Visionem Dei, quæ est prima inter omnes intuitiuas, Deum attingere in se, & non instar aliùs rei, dixit Apostolus, *tunc facie ad faciem*, id est, nullo alio interposito obiecto, vel instar cuius Deus cognoscatur: *sed cognoscam sicuti cognitus sum*, id est, sicuti Deus me ipsum cognoscit, non per imagines & similitudines aliarum rerum, sic ego illum cognoscam in se ipso, eo modo, quo duo homines se intuentur cùm positi in proportionata distãtia, mutuò vnius facies, alterius faciei omnino patet, & vtriusque vultus mutuò alterius sese offert obtutui.

13 Reliquæ operationes, quas abstractiuas appellauit Schola, obiectum attingere in alio, hoc est, instar aliùs modo à me explicato facilè, si singulas percurramus, notum erit. Cognitio, quá Deum actu fidei, vel scientiæ in hac vita cognoscimus, vel apprehensio quælibet Angeli, cuiusvisve substantiæ, vel entitatis, cuius in hac vita speciem non habemus, semper suum obiectum instar aliùs apprehendit: Sic primam personam Trinitatis ad instar senis, secundam iuuenis, tertiam columbæ, Angelum adolescentis, tenebras nigredinis apprehendimus, & sic de omnibus aliis obiectis, quæ abstractiuè cognoscimus.

§. III.

Nonnulla corollaria.

14 PRimò infero ex his, visionem intuitiuam non opponi cum præcisiua, sed cum abstractiua, quod si hoc complexum, abstratiua cognitio, non rarò, idem sonet, quod

præcisiua; in hac significatione non opponitur cum intuitiua, sed in alia, iuxta quam significat operationem tendentem in obiectum, non in se, sed in alio, seu instar aliùs. Ratio est, quia, vt dicebam suprà, intuitiua cognitio ex parte actus præscindere potest, & ex parte obiecti neque intuitiua, neque abstractiua potest esse præcisiua.

Secundò infero, rectè componi in eadem cognitione 15
rationem intuitionis, & obiectum attingere in alio tanquam in obiecto priùs cognito, modò obiectum secundariò cognitum non instar primarij cognitione apprehendatur. Hac ratione dixi Deum se in creaturis intuitiuè cognoscere, & beatos intuitiuè attingere obiecta, quæ in Verbo percipiunt, quia Deus cùm se in creaturis cognoscit, non se instar creaturæ apprehendit neque creatura ducit Deum in cognitionem sui tanquam imago, aut obiectum simile, sed tanquam terminus relationis.

Tertiò infero, omnia obiecta, quorum proprias species 16
non habemus, abstractiuè à nobis cognosci, quod patet inductione suprà factâ.

Quartò infero, omnia obiecta sensata per sensus exter- 17
nos & internos, intuitiuè, quorum omnium proprias species habemus, intuitiuè à nobis cognosci. Patet etiam hoc corollarium ex suprà dictis.

Quintò infero, obiecta non sensata per sensus exter- 18
nos, etiamsi per propriam speciem cognoscantur, abstractiuè & non intuitiuè in hac vita cognosci. Probat hoc assertum cognitio reflexa qua cognoscimus cognitionem aliã, & cognitio, qua actus nostræ voluntatis deprehendimus, quos cognoscimus per proprias species, & nihilominus instar aliarũ rerũ apprehẽduntur, nõ enim valemus actus internos, nisi ad instar obiectorũ, quæ sẽsu percipimus apprehẽdere. Ratio potest sumi à priori ex imperfectione specierũ, quæ imperfectiores producuntur, quando species aliæ eiusdem obiecti per sensus externos transmissæ non fuêre.

Maior potest esse difficultas an in patria per speciem 19
alienam, obiectum aliquod intuitiuè cognoscatur. Pars affirmatiua suadetur, quia beati in Verbo ex vi visionis creaturas cognoscunt, quas intuitiuè ab illis cognoscendas esse dixi, & tamen illas tantùm percipiunt per lumen gloriæ, vel speciem impressam Dei, absque vlla propria specie creaturarum: ex eo enim præcisè, quod Deum cognoscant absque vlla creaturarum specie impressa, illarum speciem expressam efformant. Neque in hac conclusione defendenda aliqua apparet difficultas, cùm ratio visionis intuitiuæ, aut abstractiuæ non consistat in hoc quod est operationem fieri, per species proprias, vel alienas. Multa erant discutienda ad hanc quæstionem absolutè definiendam, videlicet quomodo ex vi visionis creaturas videat beatus, an per eamdem visionem beatificam, an per aliam ortam ex beatifica. An cognitio siue distincta à beatifica, siue cum illa identificata habeat aliud principium distinctum à lumine gloriæ, vel specie impressa Dei, vel an Deus specialiter concurrat ad talem cognitionem loco obiecti creati vel speciei ab illo mittendæ. Deinde quæ dicatur species impressa propria obiecti, quæ aliena; quia quis posset dicere speciem impressam quæ producit expressam, ex vi cuius obiectum in se ipso, & non in alio cognoscitur, dici propriá speciem, quia de ratione huius nõ est produci ab ipso obiecto; Deus enim producit proprias species impressas obiectorum, quæ neque influunt, neque influere possunt in ipsarum productionem. Iuxta quem dicendi modum neque locum haberet dubitandi ratio. Rem non absolutè definio quia multùm de nomine agerem, si naturam speciei propriæ contenderé explicare, & quia quæstiones aliæ suprà propositæ ad Theologum, non ad Philosophum attinent; tantùm affirmo, cognitionem, qua beati vident in Verbo creaturas esse intuitiuam, quod si tantum illa dependeat ex Dei specie impressa, dabitur cognitio intuitiua per alienã Dei speciẽ productam: si autem cognitio creaturarum in Verbo, quatenus creaturarum est, dependeat ab aliqua illarum specie, vel à Deo specialiter supplente vices illius, nulla erit intuitiua cognitio per species alienas tantũ productа.

§. IV.

Satisfit argumentis.

20 MVltus est Pasqualigus tom. 2. Metaph. disp. 58. vt probet cognitionem intuitiuam, & prædicatum intuitionis cum præcisiua opponi, ita vt implicet dari cognitionem intuitiuam non attingentem omnes formalitates obiecti.

21 Plura argumenta ad hanc partem ſuadendam congerit, omnia tamen ipſe eneruat, dum aſſerit, non eſſe contra rationem intuitiuæ viſionis ex duobus prædicatis identificatis attingere vnum, & non aliud, quando illud aliud attingibile non eſt ab illa potentia. Vulgare exemplum pro hac re explicanda eſt in viſione corporea, quæ attingit rationem coloris non verò relationem tranſcendentalem ad Deum cum colore identificatam, quia hæc per ſe attingibilis non eſt, viſionem intuitiuam non attingere obiectum ſecundum rationem ipſius ex eo, quod ex natura ſua non ſit ſecundum omnem rationem attingibile ab illa non eſſe diſtinguere prædicata per rationem probat ex eo, quod ex oppoſito ſequeretur, ſenſus facere diſtinctionem rationis. Deinde à priori probat, non eſſe per rationem diſtinguere non attingi potentia ſenſitiua prædicata illa, quæ à tali potentia attingibilia non ſunt. Potentia diſtinguens debet poſſe percipere diſtinctionem. Sed ſenſus non poſſunt percipere diſtinctionem: ergo non poſſunt diſtinguere.

22 Admittit hic Author non eſſe contra rationem intuitionis vi illius non attingi aliquam formalitatem obiecti cum eo identificatã, ex eo, quod talis formalitas attingibilis non ſit à tali potẽtia, quo infringuntur omnia argumẽta quæ fiunt ad probandum, de ratione intuitionis eſſe attingere omnes formalitates obiecti, videlicet, quia alioqui iſtud non agnoſceretur vt in ſe eſt, & vt exiſtens, vt poſtea latius expendam. Modo ex hoc principio arguo. Hanc formalitatem obiecti non attingi ex eo, quod attingibilis non eſt non opponitur cum intuitione: ergo non attingere eandem, vel aliam formalitatem, ex quocumque alio capite procedat cum intuitione non opponetur. Conſequentiam probo, non attingi formalitatem aliquam attingibilem per potentiam cum obiecto identificatam, quando præciſiuè, ſeu abſtractiuè cognoſcitur opponitur cum hoc, quod eſt cognoſcere obiectum, vt eſt in ſe, & vt exiſtit, quia eſt in ſe, & exiſtit identificatum cum ea formalitate, ſine qua cognoſcitur. Sed quando formalitas non attacta attingibilis non eſt per potentiam obiectum exiſtit, & eſt in ſe cum illa formaliter identificatum, & ſine illa formalitate cognoſcitur: ergo eadem ratione obiectum non vt exiſtit, & vt eſt in ſe agnoſcitur quando formalitas non attacta attingibilis non eſt per illam potentiam, ac quando attingibilis eſt, & ex imperfectione actus, aut ex alio capite non cognoſcitur: ergo ſiue formalitas identificata cum obiecto attingibilis ſit, vel non ſit per potentiam eodem modo opponetur, vel non opponetur cum intuitione de facto non attingi. Sed quando non eſt attingibilis, non opponitur: ergo nec quando attingibilis eſt.

23 Hæc dixeram, vt ad hominẽ arguam, & ad retorquenda in ipſum omnia argumenta, quæ adducit. Rationes, quas adducit ad probandum non eſſe contra rationem intuitionis non attingi rationem aliquam quando ipſa attingibilis non eſt nullius ſunt momenti. Argui hoc non eſſe diſtinguere per rationem, quia ſequeretur, ſenſus facere diſtinctionem rationis, quod eſt abſurdum. Reſpondeo, hoc non fore diſtinguere, ſed præſcindere, quod tantum dicit attingere vnam formalitatem, & non aliam cum attacta identificatam, diſtinguere autem dicit duplicem formalitatem attingere inſtar duarum, cum ſint à parte rei eædem ſimpliciſſimæ entitates. Deinde ſi hac ratione præſcindere ſeu non attingere aliquam formalitatem identificatam cum obiecto, & per potentiam attingibilem eſſet facere diſtinctionem, ſimiliter eſſet diſtinctionem facere non attingere formalitatem identificatam cum obiecto, quando talis formalitas non eſt attingibilis.

24 Nec maioris momenti eſt aliud argumentum, videlicet potentiam, quæ non valet percipere diſtinctionem non valere diſtinguere, nam & ſi hoc admittatur, etiamſi ſenſus præſcinderet, non diſtingueret, vt dictum eſt, & non infertur non poſſe præſcindere ex eo, quod non valeat percipere præciſionem. Ratio eſt, quia quando præſcindit id quod attingit eſt intra ſuum obiectum, nam per rationem coloris, & circa alias formalitates non verſatur, ſi autem percipere præciſionem debebat videre viſionem circa hanc formalitatem, & carentiam viſionis circa aliam, neutra autem eſt intra obiectum potentiæ viſiuæ.

25 Hæc vt ſententiam Paſcualigi impugnem dicta ſint, nunquam enim admittam in obiecto eſſe formalitatem vnam attingibilem, & non aliam eodem modo attingibilem per potentiam, neque ex hoc, aut alio capite per aliquem actum attingi vnam formalitatem, & non aliam, neque has præciſſiones obiectiuas adhuc reſpectu actuum intellectus admitto, ſed tantùm aſſero, quod ſi aliunde non repugnent eas non eſſe contra rationem intuitionis. Neque exemplum adductum, de viſione, qua attingi dicitur colorem, & non relationem tranſcendentalem cum illo identificatam quidquam probat. Affirmo enim viſione corporea videri ipſam relationem tranſcendentalem, & omnes formalitates cũ colore identificatas, ſicuti ratione qualitatis licet viſio non diſcernat inter relationem tranſcendentalem quam attingit, & non relationem, ſeu aliquod obiectum tranſcendentaliter relatum ſi quod eſſet, neque eadem viſio ob ſui imperfectionem fundamentum det intellectui, ad formandum hoc iudicium, color eſt tranſcendentaliter relatus, ſicuti dicimus de cognitione, qua ex parte actus præſcinditur animal à rationali, omnes, qui præciſiones obiectiuas non admiſimus. Minus ad rem ſunt exempla, quæ Paſqualigus adducit de viſione attingẽte obiectũm ſecundùm rationem colorati, non verò ſecundùm rationem tangibilis, aut guſtabilis, quia hæ rationes non ſolùm formaliter ſed etiam realiter diſtinguntur, alia eſt enim qualitas, quæ videtur, alia, quæ tangitur, alia, quæ guſtatur.

Obiicit Paſqualigus viſio intuitiua debet repræſentare obiectum, vt exiſtens, & præſens: ergo debet illud repræſentare ſecundum totum ſuum eſſe quantum cognoſcibile eſt à potentia, cui repræſentatur. Si teneret argumentum probaret, viſionem intuitiuam ita debere repræſentare obiectum ſecundùm totum ſuum eſſe vt ſi aliqua ratio in illo reperiretur, quæ tangibilis non eſſet ab illa potentia viſio talem rationem non attingens intuitiua non eſſet. Reſpondeo, de ratione intuitionis eſſe repræſentare formaliter formalem exiſtentiam, & præſentiam obiecti non tamen ſecundum omnes illius formalitates. Quapropter dum dicitur debere repræſentare obiectum, vt eſt ipſe ſi illud, vt eſt in ſe, reduplicet adæquationem omnium formalitatum ea ratio, qua obiectum à parte rei illas in ſe habet. Antecedens eſt falſum licet enim propoſitio, qua dicitur viſionem intuitiuam repræſentare obiectum vt eſt in ſe ab omnibus ſit recepta, & tanquam vera ſit admittenda, non tamen in eo ſenſu, ſed quia illud repræſentat non inſtar alterius obiecti, vt ſupra explicui. 26

Inſtat, non poteſt concipi actualis, & phyſica exiſtentia obiecti, & præſentia obiecti, quin inuoluat totum eſſe completum alicuius entitatis: ergo non poteſt concipi entitas phyſicè exiſtens, & præſens quin concipiatur ſecundum omnes ſui formalitates. Reſpondeo, quancumque entitatem realem, quam apprehendamus à parte rei inuoluere totum ſuum eſſe adæquatum, cum quo identificetur, ſiue intuitiuè, ſiue abſtractiuè cognoſcatur, non tamen inde inferri cognoſci totum ſuum eſſe adæquatum, ſi præciſiones admittendæ ſint, ſaltem reſpectu cognitionum abſtractiuarum; quod ſi præciſiones iſtæ poſſibiles non ſunt reſpectu nullius cognitionis quantumuis abſtractiuæ, hoc non eſt contra concluſionem, qua aſſero, data præciſione præciſiua inter formalitates identificatas non inde inferri cognitionem præſcindentem non eſſe intuitiuam, non enim probatur repugnantia præciſionis ex ſpeciali ratione intuitionis. 27

Non vim maiorem habet modus alius inſtandi argumentum idem. Cognitio intuitiua fertur in aliquam actuitatem, quæ intrinſecè, & formaliter dicit aliquam entitatem phyſicam, vt exiſtentem à parte rei: ergo ſicut implicat aliquid exiſtere à parte rei quod non ſit tota entitas, ita implicat intuitiuè cognoſci aliquid abſque eo, quod concipiatur tota entitas. Reſp. in ipſa actualitate phyſica, & exercita, quæ in re dicit totam entitatem concipere diuerſas formalitates reſpectu cognitionum abſtractiuarum omnes qui præciſiones obiectiuas admittere, eodemque prorſus modo concipi poſſe reſpectu cognitionum intuitiuarum, ſicut enim non valet conſequentia hæc actualitas phyſica, & à parte rei dicit totam entitatem: ergo non poteſt concipi vna illius formalitas abſque eo, quod concipiatur alia per cognitionem abſtractiuam, ſic non valebit eadem conſequentia reſpectu cognitionis intuitiuæ, quod ſi valet reſpectus vtriuſque cognitionis illa impotentia præſcindendi non procedet ex ſpeciali ratione intuitionis, ex quo non procedere tantùm defendimus, ſed ex ratione communi cognitioni intuitiuæ, & abſtractiuæ 28

repugnat,

repugnat, ex quo capite præcisionem obiectiuam, tenentem se ex parte obiecti ego denego, & præcisionem formalem tenentem se ex parte actus negat nemo.

29 Rursus arguit: cognitio intuitiua debet fieri per propriam speciem, vel ergo hæc species mittitur ab obiecto, vel intenditur ab aliquo alio principio intrinseco. Si ab obiecto mittitur, erit repræsentatiua totius obiecti: ergo vi huius intellectus producet speciem expressam adæquatam totius obiecti, seu omnium formalitatum, quæ in illo continentur. Confirmatur, species impressa missa ab obiecto non repræsentat vnam tantùm, vel plures obiecti partes, quia illas non habet: ergo repræsentat totũ obiectum: ergo species expressa, seu cognitio ab illa producta erit formalis expressio, seu repræsentatio totius obiecti absque eo, quod aliqua formalitas cognoscentem lateat. Si autem species impressa ab aliquo principio extrinseco producatur, debet esse proportionata obiecto, ita vt repræsentet obiectum, vt est in se, talis enim debet esse species in repræsentando quale est obiectum in essendo. Deinde vt species producta à principio extrinseco sit connaturalis obiecto tale debet esse, qualis esset si ab obiecto procederet. Sed si ab obiecto procederet repræsentaret totum obiectum: ergo quando procedit à principio extrinseco, si connaturalis est, debet totum obiectum repræsentare.

30 Respondeo: cognitionem entitatiuam posse immediatè procedere à Deo, & potentia vitali nulla specie impressa intermedia, vel posse procedere à specie impressa producta à principio extrinseco, quæ species sit repræsentatiua vnius formalitatis, & propria illius, & non totius obiecti, non enim in hoc maior implicatio reperitur, quam in eo, quod detur species expressa abstractiua, attingens vnam formalitatem sine alia. Ad illud quod dicitur speciem non fore connaturalem obiecto, si non sit eiusdem rationis cum illa, quam obiectum produceret dupliciter respondeti potest. Primo admittendo non fore connaturalem, etsi propriè dicatur, quatenus non repræsentat obiectum instar alterius. Secundò forè connaturalem obiecto sumpto non secundum omnes formalitates, quas includit, sed secundum illam, cuius est repræsentatiua. Eodem modo dicendum erit, speciem illam forè proportionatam, obiecto secundum illam formalitatem quam repræsentat, & secundum alias, nec fore proportionatam, neque improportionatam, quia illas non repræsentat, neque ad eas dicit habitudinem aliquam.

31 Alio modo arguit idem Pascualigus, si per cognitionem intuitiuam fieret distinctio rationis, per illam repræsentaretur aliquod implicans, quod nulli veræ cognitioni posset contingere, & multo minus cognitioni intuitiuæ. Quod repræsentaretur aliquod implicans probatur, quia repræsentaret vnam formalitatem sine alia, qua ratione implicat existere, implicat enim rationalitas cum existentia, & præsentia sine animalitate.

32 Respondeo cognitionem intuitiuam attingentem vnam formalitatem, & non aliam non distinguere positiuè, sed præscindere vnam ab alia, distinguere enim formalitatem dicit vtramque attingere instar duarum, præscindere verò tantùm dicit vnam attingere alia ablata, ex hoc autem nihil implicãs repræsentatur, nec cognitio euadit falsa, nam licet esse, seu existere vnam sine alia sit, quid implicans cognitio alia præcisiua non repræsentat mediatè vnam esse sine alia, sed ex eo solum dicitur repræsentare vnam sine alia, quia repræsentat vnam, & non aliam importante illo sine alia negationem repræsentationis, & non negationem repræsentatam.

33 Rursus arguit idem Pascualigus; de ratione cognitionis intuitiuæ, est repræsentare aliquid singulare: ergo debet repræsentare singularitatem, nam si hanc non repræsentaret, nec repræsentaret singulare: ergo talis cognitio non potest aliquid abstrahere, seu non posset formalitatem aliquam præscindere, quia si hoc faceret, iam obiectum attactum non maneret singulare, sed vniuersale, & commune. Respondeo verum esse cognitionem intuitiuam debere repræsentare aliquod obiectum singulare, & illius singularitatem, nego tamen hoc non componi cum eo, quod cognitio sit præcisiua, seu non attingat formalitatem aliquam, potest enim cognitio attingere hoc obiectum singulare, illiúsque singularitatem attacta aliqua illius formalitate, vt idem Pascualigus admittit quando in obiecto est aliqua formalitas non tangibilis per potentiam à qua procedit intuitio, talis esset cognitio, qua quis intuitiuè cognosceret hoc rationale non cognita ratione animalis, & qua quis intuitiuè videret Deum, aliquo illius attributo non viso, non enim ex eo, quod ita Deus videretur visio illa attingeret obiectum vniuersale, nec naturam multis communem.

Vltimò arguit Pascualigus ex modo, quo intellectus de- 34
beat procedere dum ratione distinguit, tunc enim, inquit, intellectum debere operari aliquid intentionali modo circa obiectum, & ponere in ipso distinctionem, quam non habet. Ex quo sequitur, quod obiectum debeat repræsentari cum distinctione, tanquam si illam in se haberet. Sed cognitio intuitiua nequit talem distinctionem ponere in obiecto, neque illã repræsentare, alias repræsentaret quid fictum, & chymericum: ergo cognitio intuitiua nequit per rationem distinguere, neque ex duabus formalitatibus identificatis vnum attingere altera non attacta.

Dixi iam cognitionem intuitiuam attingentem vnam 35
formalitatem sine alia non illas positiuè distinguere, sed tantùm præscindere vnam ab alia, quod fit nulla distinctione in obiecto apprehensarimo absque præcisione, quæ in actu intellectus consistit cognita, cognitio enim præcisiua tantùm attingit formalitatem realem, & veram in obiecto existentem, & ex eo præcisiua dicitur, quia formalitatem aliam identificatam attingit, neque in obiecto aliquid ponit, nec positiue negat, sed solum illud adæquatè cognoscit.

Punctum V.

Quid sit comprehensio.

QVæstio hæc multum habet de nomine, tantùm enim 1
constat auctoritatibus Scripturæ & Patrum nullam creaturam posse Deum comprehendere, pluresque explicationes comprehensionis circumferuntur, sub quibus magna sententiarum diuersitas potest contineri, quapropter ille se satis in tuto collocabit, qui ita comprehensionem definiat, vt nulli creaturæ respectu Dei possit conuenire, & ipsi Deo respectu sui ipsius, & cuiuscunque obiecti creati conueniat: sicut enim dici nequit Deum ab aliqua creatura comprehendi, ita nefas est negare Deum reipsum & creaturas comprehendere. Pro vtraque parte assertionis Scripturæ, & Patrum innumera inuenies testimonia apud Nostrum Ruisium disp. 6. de scientia sect. 5. 6. 7. & 8. quæ omitto, quia Theologi, & non Philosophi est illa expendere, & rem hanc stabilire.

§. I.

Comprehensionis definitio, & aliquæ illius acceptiones.

PRæcipua inter alias comprehensionis descriptio su- 2
mitur ex Augustino Epist. 112. cap. 8. vbi hæc habet: *Aliud est videre, aliud totum videndo comprehendere, quando-quidem id videtur, quod præsens vtcunque sentitur, totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil illius lateat videntem, aut cuius fines circumspici possunt.* Ex hac definitione inferunt omnes ad comprehensionem obiecti requiri cognitionem omnium, quæ formaliter, virtualiter, & eminenter pertinent ad obiectum comprehendendum, ita vt quodcunque horum lateat videntem, illius visio comprehensio non erit. Addit Vasquez 1. p. disput. 52. comprehensionem debere esse talem, vt non solùm attingat obiectum comprehendendum, & omnia, quæ ad illud attinent quasi concomitanter, etsi per eamdem visionem, sed requiri necessariò, vt ex perfectâ penetratione obiecti primarij, obiecta secundaria cognoscantur, ita vt ex vi primarij obiecti ita perfectè specificetur cognitio, tãtamque trahat perfectionem vt necessariò sit etiam formalis cognitio omnium pertinentium ad primarium obiectum, quia si hoc modo non cognoscantur obiecta secundaria ex vi primarij, illorum cognitio non habet specialem perfectionem formaliter quatenus est cognitio obiecti primarij, sed tantùm materialiter, & identicè. Hac ratione rectè componit P. Vasquez iuxta sua principia Deum non posse à creatura comprehendi, quia opinatur ex vi visionis nullam creaturam cognosci à beato.

Hurtad. disput. 10. sect. 3. asserit ad comprehensionem 3
sufficere cognitionem omnium, quæ sunt formaliter in ob-

iecto, asserítque Deum esse incomprehensibilem respectu creaturæ, quia hæc non potest expresè cognoscere actũ Dei, quo cognoscit omnia creata, aliàs cognosceret expresè omnia obiecta talis actus ex vi talis cognitionis, & consequenter ipsam cognitionem, & eadem cognitio esset cognitio expressa sui ipsius, quod fieri nequit. Difficilis est hæc sententia, gratis enim supponere videtur repugnare cognitionem aliquam esset reflexiuam supra se ipsam, & per seipsam expresè cognosci, quod fieri posse censeo.

4 Communis Thomistarum opinio, quam tenent ex nostris Arrub.1.p. tom.1. disp 23. Ruiz.disp.6.de scientia sect. 3. Herice disp.4.cap.4. Arriag. disp.6.sect.9 subsect. 2. asserit non sufficere ad comprehensionem cognitionem omnium, quæ sunt in obiecto formaliter, & virtualiter, seu eminenter, sed requiri, vt cognitio horum oriatur à principio tam perfectè cognoscitiuo, quàm sit obiectũ cognoscendum, quod August. explicuit in illis verbis;cuius *fines circunspici possunt*, iuxta explicationem D. Thomæ 1 p.q 12. art.7. vbi sic scripsit: *Tunc enim fines alicuius circunspiciuntur quando ad finem in modo cognoscendi rem illam peruenitur.* Expendo illa verba *in modo cognoscendi* quibus significat Angelicus Doctor finem debere circumspici non solùm extensiuè, sed etiam intensiuè, hoc est, omni perfectione substantiali quam habet in ratione cognoscibilis, ita vt cognitio quoad modum attingat perfectionem obiecti. Alia plurima testimonia adducuntur pro hac comprehensionis acceptione, quæ videri possunt apud auctores citatos præcipuè apud nostrum eruditissimum Ruiz.

5 Huius comprehensionis modi solidam rationem innuit S. Thomas loco suprà citato. Quodlibet obiectum eo ipso, quod est ens, est intelligibile, & secundùm perfectiorem rationem entitatis perfectiorem habet intelligibilitatem, nam intelligibilitas ab ente formaliter non distinguitur: ex quo prouenit, vt obiectum infinitè perfectum intelligibilitatem habeat infinitè perfectam intrinsecè sumptâ perfectione intelligibilitatis, non extrinsecè à cognoscente infinitè perfecto, quod potest illud cognoscere per cognitionem infinitam, hac enim ratione omnia obiecta infinitam intelligibilitatem habent, illa verò tantùm obiectum in se infinitum, vt Deus qui sicuti infinitus in se est, ita illius intelligibilitas eâdẽ infinitate gaudet. Comprehensio autem debet esse, quæ adæquet omnem intelligibilitatem obiecti, & illam exhauriat, hoc est, quæ non solùm illud cognoscat quoad extensionem quantùm potest; sed etiam in modo, ita vt cognitio adæquet cognoscibilitatem intrinsecam obiecti. Sumitur hæc perfectio ex principio intellectiuo, quia ex hoc immediatè crescit perfectio intellectionis. Vnde quotiescunque virtus cognoscitiua fuerit perfectior, vel æquè perfecta cum obiecti cognoscibilitate, etiam poterit adæquate talem cognoscibilitatem, ex quo fit omnem entitatem cognoscitiuam perfectiorem, vel æquè perfectam cum alia posse illam comprehendere.

6 Dixi principium cognoscitiuum debere esse æquè perfectum cum obiecto cognoscibili, vt adæquet totam cognoscibilitatem obiecti. Difficile est modò taxare perfectionem cognitionis comprehensiuæ, quam debet habere à principio comprehendente respectu obiecti comprehẽsibilitatis. Resp. cum P. Arrub disp citatâ n.13.& 14. perfectionem cognitionis comprehensiuæ debere esse tantã, quantam exposcit obiectum cognoscibile; obiectum autẽ exposcit cognitionem summè perfectam, quam ipsum potest specificare, vel immediatè, & per se, vel mediâ specie, & ad quam, vt obiectum potest mouere. Ex quo fit cõprehensionem Dei debere esse infinitam, quia Deus ipse, qui est obiectum cognoscibile ex se habet coniungi per identitatem cum cognitione infinita, ac proinde summam connexionem intrinsecam habet cum cognitione infinita: quia vi suæ perfectionis habet, & debere esse obiectum cognitionis infinitæ, & debere esse cognoscens infinitum, & debere esse cognitionem infinitam sui ipsius, & hac ratione dicitur infinitè cognoscibile; reliqua verò obiecta creata ex se non habent connexionem cum cognitione infinita, neque possunt illam specificare, neque ad iliam mouere, ac proinde non dicuntur habere infinitã cognoscibilitatem intrinsecam, licet illam extrinsecam habeant, quia possunt infinita cognitione attingi. Ex eodem capite habet substantia creata non exigere ad sui cõprehensionem cognitionem, quæ sit substantia, sed posse cognitione accidenti comprehendi, quia substantia creata non valet, neque per se, neque mediâ specie impressâ specificare cognitionem substantiam, neque ad illam mouere, neque aliam connexionem intrinsecam habet cum tali cognitione. Neque refert omnem entitatem creatam dependere à cognitione Dei, & hanc esse substantiam; quia infinitas, & ratio substantiæ in cognitione diuina nõ sumuntur ab obiecto creato, sed tantùm à cognoscente, quod per se est determinatũ ad cognoscendum omne obiectum cognitione secum identificatâ, & consequenter cognitione substantiali, & infinitâ. Neque creatura habet immediatam connexionem cum cognitione Dei, sed tantùm mediatam cum omnipotentia, & quia hæc non potest operari nisi liberè, & est necessariò coniuncta cum volitione, & cognitione obiecti, quod producit, sit obiectum productum, seu producendum habere connexionem cum cognitione diuina non immediatam, & ratione sui, sed mediatam, & ratione omnipotentiæ.

Hinc infero Deum se ipsum comprehendere, quia habet perfectissimam cognitionem, cum qua ipse Deus vt 7
obiectum connexionem intrinsecam habet. Infero similiter nullam creaturam posse neque diuinitùs Deum comprehendere, quia nulla potest habere cognitionem perfectissimam, cum qua Deus, vt obiectum habeat cõnexionem, quia hæc est identificata cum ipso obiecto, & solius Dei propria. Rursus infero omnia obiecta comprehendi à Deo, quia Deus habet cognitionem illorum, & omnium, quæ pertinent ad illa longè perfectiorem illâ, ad quam possunt obiecta mouere. & cum qua possunt habere connexionem. Infero vltimò, casu, quo aliquis beatus videret omnia, quæ sunt in Deo formaliter, & virtualiter, & omnes creaturas possibiles, imò & existentes, adhuc non comprehensurum Deum, quia visio illa esset finita & creata, quod docent omnes auctores citati pro hac sententia, præcipuè P. Ruizius cum Durand. in 1 dist.31.quæst.1.art. 2.n.1. Ochamo in 4. quæst. 13.art.1.in 3. Gorf. quod lib. 6. quæst.3.apud Capr.in 4.dist.49. quæst.6.art.2.Aur.quodlib. 20. art.1.circa Ioannem Bassoli in 3.distinct. 14 q.2.art.2.§. *ad motiua*, Gabr.in 3.dist.14.q. vnica art. 3. dub. 2. Marsi.in 4. dist. 49. quæst. 15.

§. II.

Nouus modus explicandi comprehensionem.

SVbtilem alium comprehensionis modum proponam, 8
vt de illo alij iudicium ferant. Posset dici comprehensio illa cognitio, quæ attingit omnia, quæ sunt formaliter, & eminenter in obiecto, eo modo, quo sunt in obiecto, ita vt si obiectum talis sit naturæ, vt absque vlla mutatione physica, & eodem intrinsecè inuariato permanẽte possit habere actum aliquem, exempli gratiâ, intellectus, vel voluntatis, & illum non habere, ita cognitio talis sit naturæ, vt sine vlla variatione intrinseca possit esse cognitio talis actus, casu, quo sit in obiecto, & non exercere munus cognitionis talis actus, si hic in obiecto non reperiatur. Rem clarè explicabit exemplum. Deus talis est naturæ, vt idemmet intrinsecè inuariatus posset velle hoc obiectum, & illud non velle, cognoscere hanc entitatem scientia visionis, & illam non cognoscere, quod fieret si illam non produxisset absque vlla mutatione physica Dei, quæ nunc sit, vel tunc esset. Eadem ratione comprehensio Dei talis debet esse naturæ, vt eadem intrinsecè inuariata sit cognitio actus voluntatis diuinæ, casu, quo sit in Deo, & non exerceat munus cognitionis circa talem actum, casu quo talis actus in Deo non reperiatur. Neque hic modus explicandi comprehensionem destitutus est auctoritate Patrum; omnia enim testimonia, quibus probant Thomistæ principium cognoscitiuum debere esse æquè perfectum cum obiecto cognoscibili, illum non leuiter innuunt. Est enim perillustre testimonium D. Gregorij 18 moral.cap.29 aliàs 37. pro hoc comprehẽsionis modo, vbi rationem hanc reddit incomprehensibilitatis Dei respectu nostri: *Neque tamen videmus, sicut videt se ipsum, longè quippe specialiter videt Creator se, quàm videat creatura, nam quantùm ad immensitatem Dei nobis modus figitur contemplationis, quia eo ipso pendere circumscribimur, quod creaturas sumus.* Asserit Gregor. nos non comprehendere Deum, quia illum non videmus sicuti ipse seipsum videt, Deus autem videt se visione quadam, quæ sine sui mutatione

plura

plura paucioráve obiecta ad Deum spectantia pertingit, v.g. decreta Dei, quæ de facto sunt, quæ si non essent, eadem visio physicè permaneret sine visionis exercitio circa talia decreta; creatura autem si ex vi alicuius visionis cognoscit aliquod decretum diuinum, visio talis erit naturæ vt semper sit visio talis decreti, & implicat ipsam existere sine exercitio visionis circa illud, neque eademmet potuit antecedenter esse visio aliûs decreti, quod Deus antecedenter habere potuit, & propter hanc rationem ait Gregorius aliter Creatorem videri à se ipso, quàm à creatura, quod ipse explicuit per illa verba: *Nam quantum ad immensitatem Dei nobis modus figitur contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur, quod creatura sumus.* Ac si diceret, quantùm ad infinitatē ratione cuius mensurari nequeunt arcana diuina, neque ipse Deus, nobis modus contemplationis figitur, quia modum habet nostra contemplatio, seu cognitio, quem nequit excedere, eo enim ipso quod pondere creaturæ circumscribimur, ita cognoscimus, vt ex vi cuiusuis visionis fixum sit obiectum, ita vt neque illud, quod semel per illam cognoscitur, non potuerit totum antecedenter non cognosci, neque quidquam aliud vltra illud quod de facto attingitur antecedenter ex vi eiusdem valeat attingi.

9 Ad eamdem mentem facit testimonium D. Thomæ q. 8. de visione art. 2. in corp. vbi hæc habet: Aliqua vis cognoscitiua dicitur comprehendere suum cognitum, & in quantum cognitum perfectè substat cognitioni eius: *Tunc autem à comprehensione deficit, quando cognitum cognitionem excedit*: & paulò pòst: *quando id, quod intelligitur habet modum intelligendi perfectiorem, quàm sit modus, quo intellectus intelligit.* Quando verò id quod intelligitur sine mutatione physica potest velle, & non velle, amare & non amare, & diuersas denominationes actuum vitalium sortiri, & modus, quo intelligitur non potest similes denominationes sine physica mutatione sortiri, perfectiorem essendi modum habebit obiectum intelligibile quàm modus, quo intelligitur, & iuxta D. Thomam talis intellectio à ratione comprehensionis deficiet. Vnde ad secundum dicit obiectum comprehendi: *Quando scilicet visio habet modum totalem*, hoc est, quando est apta attingere totum Deum, & omnes formalitates ipsius, & ita est tota visio Dei, vt in quocunque casu, & sub quacunque suppositione totum Deum, & omnes illius formalitates, perfectiones, & denominationes attingat.

10 Fulcitur hic comprehensionis modus ratione desumptâ à comprehensione locali, ex qua translatio sumitur ad mentalem. Eo ipso quod quis manu comprehendat corpus aliquod quantum, omnia accidentia, quæ illi denuo continguūt absque noua alia quantitate, & locali extensione ex vi eiusdem comprehensionis manu comprehensa manent: ergo eo ipso quod quis intellectu comprehendat obiectum aliquod non corporaliter, sed entitatiuè, quæcunque illi contingant absque diuersitate physica entitatis ex vi eiusdem cōprehensionis debent permanere comprehensa. Cùm ergo Deo possint contingere diuersa decreta sine noua entitate, necessum est vt cognitio comprehensiua talis sit naturæ vt ex vi eiusdem quæcunque decreta Deo aduenerint, vel in alia hypothesi aduenirent, maneant comprehensa.

11 In hoc comprehensionis modo facilè est explicare, quomodo Deus se ipsum comprehendat, cùm se cognoscat cognitione quadam, quæ modò tendit in Deum, & in omnes formalitates, & omnia decreta, que modò habet, eadémque inuariata tenderet in alia decreta, quæ Deus potuit habere ab æternitate, & de facto non habet, eadémque permaneret, etiamsi hæc decreta non essent in Deo, neque circa illa visionis munus exerceret. Neque ex hoc capite creatura aliqua incomprehensibilis esse potest, quia cùm nulla sit, quæ possit nouas denominationes sortiri sine noua alia entitate, neque intrinsecè inuariata velle, & non velle, hos, vel illos actus exercere, nulla est, quæ exigat ad sui comprehensionem cognitionem aliquam, ex vi cuius intrinsecè inuariata possint diuersæ formalitates cognosci, & non cognosci, & debeant cognosci ex suppositione, quod existant, & non cognosci, casu, quo tales formalitates non existant in obiecto, sicut enim noua denominatio subiecti creati aduenit per productionem nouæ entitatis, sic noua illius cognitio per nouam aliam productionem entitatis tendentis in nouam formalitatem sufficiet ad illius comprehensionem. Hæc passim de comprehensione dixi, quia etsi ab Animastico non sit aliena illius tractatio, magis ad Theologum attinet, quapropter de sententiis suprà dictis iudicium non fero, sed Theologis ferendum relinquo.

CONTROVERSIA VII.

De veritate & falsitate formali actuum intellectus.

VERITAS est duplex: transcendentalis & formalis: de veritate transcendentali dicam in Metaph. Controuers. 3. nunc de veritate formali, & de falsitate, quæ huic opponitur disputationem instituo.

PVNCTVM PRIMVM.

An veritas & falsitas distinguantur ab actu intellectus.

§ I.

Refelluntur aliquæ sententiæ.

FErt prima opinio veritatem, & falsitatem esse relationem rationis, pro qua refertur P. Vasquez 1.p. disp. 26. cap. 2. qui si attentè legatur in hac, & aliis similibus quæstionibus, in quibus rerum essentias constituit in ente rationis nihil aliud intendit, quàm asserere rerum essentias concipi à nobis, vt ens rationis per fictionem, qua apprehendimus veram relationem inter extrema realiter absoluta, realiter tamen esse verum consistere in denominatione extrinseca, seu in fundamento proximo, quo intellectus ens rationis confingit. Hoc in re verum est, modus tamen loquendi mihi non placet, quia aliud est id instar cuius rei essentia cognoscitur, aliud essentia, quæ instar alterius cognoscitur; & cùm inquirimus quid sit res, v.g. quid sit veritas non quærimus, instar cuius veritas cognoscatur, sed quid veritas ipsa in se sit. 1

Hæc de mente P. Vasquez: verumtamen non pauci tanti Magistri verba, vt sonant, interpretantes, defendunt, veritatem, & falsitatem consistere in relatione quadam rationis inter propositionem seu iudicium, & obiectum: contra quos in hunc modum argumentor. Antequam sit hæc relatio rationis in qua consistere dicitur veritas, seu falsitas iudicij, iudicium constituitur verum vel falsum: ergo veritas, vel falsitas non potest consistere in hac relatione: antecedens probo: antequam exurgat hæc relatio, in qua consistit veritas, debet habere fundamentum diuersum ab illo, quod haberet relatio, in qua cōsisteret falsitas, exempli gratia dico ego, *Petrus currit*, antequam hoc iudicium fundet relationem rationis, qua formaliter constituitur verum, debet esse aliquod fundamentum distinctum ab illo quod esset, si loco relationis, quo actus constituitur verus, insurgeret relatio, qua constituitur falsus; ad hoc enim vt detur relatio, qua actus constituitur verus, debet supponi obiectum eo modo quo affirmatur per actum; & ad hoc vt detur relatio, qua constituatur falsus, debet supponi obiectum aliter, ac per iudicium repræsentatur: sed in hoc diuerso modo, quo supponitur obiectum, consistit veritas, vel falsitas: ergo antequam sit relatio formaliter iudicium cōstituitur verum vel falsum. Minorem probo: eo ipso quod obiectum se habeat eodem, vel diuerso modo, quo repræsentatur per actum, intelligitur iudicium conforme, vel disconforme cum obiecto; ex eo enim quod res sit, vel non sit, sumitur veritas, vel falsitas, eo enim ipso præcisè, quod quis dicat rem aliter ac est, dicit falsum; & eo ipso quod quis dicat rem sicuti est, dicit verum. 2

Secundò iudicium, quo Deus iudicat ipsum esse Deum, ab æterno est verum, etiamsi nullus sit intellectus, qui fingat ens rationis: idem dico de iudicio quo ego iudico Deum existere, quod tantùm fertur in Dei existentiam, & 3

non

non in aliquod ens rationis,& quacumque alia ſecluſa cognitione terminata ad ens rationis verum eſt:ergo veritas non conſiſtit in ente rationis. Dices hæc iudicia non eſſe vera formaliter,ſed tantùm fundamentaliter,donec adueniat ens rationis factum per cognitionem,qua cognoſcantur vt vera. Contrà : in primis mihi abſurdum eſt,actus intellectus diuini,quibus iudicat ipſum exiſtere, eſſe omnipotentem,& infinitum creaturas ab illo dependere , veros non eſſe formaliter quouſque poſtea cognoſcantur per cognitionem factiuam entis rationis , ex hoc enim infertur plura iudicia, quæ à nobis non cognoſcuntur , & ideo nullum ens rationis illis impingimus, formaliter non eſſe vera, ſed tantùm fundamentaliter. Deinde ſequitur,Deum realiter,& ſecluſo figmento , non habere iudicia vera formaliter , neque formaliter verè iudicare, ſed tantùm fundamentaliter , quæ omnia etiamſi explicentur à ſectatoribus ſententiæ , quam impugno , ita vt in ſe nihil abſurdi contineant, nihilominus vt ſonant , non benè apud plurimos audient. Secundò hunc dicendi modum impugno,Id quod ſecundùm hanc ſententiam verum fundamentaliter, & non formaliter appellatur ; ſufficit vt propoſitio vera formaliter dicatur, dicit enim iudicium,& obiectum exiſtens eo modo , quo iudicatur:ergo malè ad alia entia rationis recurrunt,vt iudicium verum formaliter conſtituat: & ſine fundamento in plures ſe iniiciunt difficultates, plura dura ſatis , & nimis difficilia tentant propugnare. Hæc impugnatio notam facit ſententiam , quam euertit , quæ tantùm differt à communi , quam poſtea tradam , ex eo quòd veritatem fundamentalem appellet,quod communis ſententia melius veritatem formalem eſſe dicit , & ſupra hanc veritatem formalem , quam fundementalem eſſe dicit ſententia;de qua agimus, fictitiè fictionem , ſeu ens rationis ſuperaddit, vt aliquid inueniat , quod formalem veritatem appellet.

4 Secunda ſententia,quam alij amplectuntur apud P.Soar. diſp.8. metaph. ſect. 1. veritatem conſtituit in quadam relatione reali prædicamentali inter iudicium & obiectum ab vtroque diſtincta. Hæc opinio eiſdem rationibus , quibus præcedens,efficaciter impugnatur,quia antequam adueniat relatio ; debet ſupponi fundamentum , in quo formaliter veritas , vel falſitas illâ relatione ſecluſâ reperietur: habet inſuper ſpeciales impugnationes. Actus intellectus diuini non poſſunt eſſe fundamentum alicuius relationis prædicamentalis ſuperadditæ , & tamen ſunt veri : ergo veritas illorum non conſiſtit in relatione ſuperadditâ. Dices relationem , quâ actus intellectus diuini conſtituitur formaliter verus , non ſubiectari in actu,ſed in obiecto. Contrà : actus quo Deus ſeipſum cognoſcit, & illa, quæ ſunt intrinſeca propria Dei, habet pro obiecto ipſum Deum : ſed in Deo nulla poteſt eſſe relatio prædicamentalis ſuperaddita : ergo neque in hoc actu neque in illius obiecto poteſt ſubiectari aliqua prædicamentalis relatio, qua actus verus formaliter reddatur. Secundò, relationes prædicamentales ſuperadditæ ſi dantur , exigunt fundamentum,& terminum actu exiſtentem : ſed cognitio vera ſæpe reſpicit obiectum non exiſtens, ſed purè poſſibile, vel præteritum,ſeu futurum, & aliquando fictum, vt cum dico, ens rationis non habet eſſe : ergo nulla relatio prædicamentalis poteſt reperiri in his propoſitionibus,quæ illarum obiectum tanquam terminum reſpiciant. Vltimò has relationes prædicamentales non dari in rerum natura oſtendam in Metaph. Controu.9. Punct.4.

5 Cenſent alij veritatem & falſitatem non diſtingui ab actibus intellectus ſuppoſitis quibuſdam connotatis, quorum his poſitis actus per ſuammet entitatem verus eſt,ita vt ſi horum loco alia connotata ponerentur , idemmet actus per eandemmet entitatem falſus eſſet. Non poſſum paſſim contra hos connotatores integram inſtituere diſputationem : illos inſequor in Metaph. Controuerſ. 9. Punct. 4. §.2.

§. II.

Refellitur ſententia P. Hurtadi.

6 PAter Hurtadus docet diſp. 9. de anima ſect. 3. Veritatem (idem tene ſemper de falſitate) formaliter & ex natura rei eſſe idem cum actu intellectus, ita vt actus qui eſt verus ita per ſuam entitatem intrinſecè verus ſit , vt neque de potentia Dei abſoluta poſſit non eſſe verus, quapropter actus quo dico ego *Petrus currit* , currente Petro, eſſe non poſſet, ſi Petrus non curreret , ſed caſu , quo non curreret, eſſet alius actus intrinſecè falſus. Neque conſequenter,neque verè.Non conſequenter,quia Hurtad diſp. 15. Metaph.ſect.2. aſſerit relationem ſimilitudinis conſiſtere in vtroque extremo ſimul ſumpto : ergo veritas, quæ eſt quaſi ſimilitudo quædam intentionalis inter iudicium, & obiectum debet conſiſtere in vtroque. Vrgeo. Hanc albedinem eſſe ſimilem illi,ſeu ſicuti illam, dicit hanc & illam albedinem : ergo hoc iudicium dicere rem ſicuti eſt, dicit ipſum iudicium,& rem exiſtentem eo modo,quo per iudicium repræſentetur: ſicuti enim ſimilitudo dicit albedinem hanc eſſe ſicuti eſt illa , ita veritas dicit iudicium repræſentare rem, ſicuti eſt illa res , quod importat iudicium rem hac ratione repræſentare , & rem hac ratione exiſtere. Non verè opinatum eſſe Hurtadum ſic probo. Actus quo ego dico modò *Petrus currit* erit idem, ſiue Petrus currat,ſiue non currat : ſed ſi Petrus currit erit verus, falſus , ſi non currit : ergo idem actus indifferens eſt vt ſit verus, vel falſus : ergo non habet veritatem aut falſitatem intrinſecam.Totum argumenti negotium in probanda maiori ſitum eſt,quam ſic oſtendo. Actus quo ego dico *Petrus currit* , nullam poteſt habere connexionem cum obiecto, ergo idem eſſet etiamſi obiectum non exiſteret.Antecedēs probo. Obiectum non poteſt phyſicè influere in actum,vt plurimùm enim eſt diſtans & ſæpe non exiſtens, ſed præteritum, vel futurum, & non rarò non eſt ens poſitiuū,ſed tantùm negatiuum: ergo non poteſt phyſicè influere ; non moraliter , quia nullum eſt fundamentum huius influxus moralis, neque ex aliquo capite talis influxus eſt neceſſarius : ergo non eſt ponendus , quæ enim poteſt eſſe connexio inter actum naturalem, quo dico *Petrus cras non erit*, & negationem craſtinam Petri ? Dices eſſe connexionem veræ imaginis, & repræſentationis veræ cum obiecto, ſicuti eſt connexio inter relationem cum ſuo termino. Contrà. Repræſentatio vt ſic connexionem non habet cum re repræſētata,aliàs nulla daretur repræſentatio falſa: repræſentationem veram formaliter vt veram fateor, habere connexionem, ſeu includere obiectum; petitur tamē principium, cùm dicitur actum ſecundùm ſe habere connexionem cum termino , quatenus eſt vera repræſentatio obiecti, quia diſputamus an actus ſecundùm ſe præcisè dicat rationem veræ repræſentationis , ſeu veritatis afficientis repræſentationem:aſſignanda eſt ergo ratio propter quam actus ſecundùm ſe connexionem habeat cum futuritione negationis , quam repræſentat : ſed eſto , habeat actus verus connexionem cum exiſtentia obiecti,quod repræſentat,quia eſt imago,& repreſentatio illius argumentor de actu falſo.Actus falſus quo ego dico modò : *Petrus curret cras*, non eſt imago neque repræſentatio negationis curſus craſtini Petri : ergo non poteſt habere connexionem cum tali negatione ; ergo etiamſi deficeret talis negatio,& exiſteret curſus craſtinus Petri , cuius talis actus eſt repræſentatio , poſſet talis actus exiſtere : ergo actus qui modò eſt falſus,poſſet eſſe verus : ergo non eſt intrinſecè & per ſuam entitatem falſus.

Vrgeo : etiamſi actus iſte quo ego dico *Petrus curret*,haberet connexionem cum futuritione curſus Petri, hæc connexio non poſſet eſſe phyſica, ſiquidem alterum illius extremum modò non exiſtit : ergo tantùm eſſet moralis, quâ actus exigeret futuritionem obiecti, quod repræſentat , & non exiſteret caſu , quo illud obiectum non eſſet extiturum:ergo poſſet Deus de potentia abſoluta,producere talem actum contra ipſius exigentiam , etiamſi illud obiectum non eſſet futurum : ergo talis actus poſſet coniungi cum negatione ſui obiecti : ergo poſſet eſſe falſus: ergo per ſuam entitatem verus non eſt, vel duo inferentur contradictoria, videlicet eſſe verum per ſuam entitatem, & ſimul non eſſe verum ſed falſum ex defectu obiecti, quod repræſentat. Dices implicare Deum producere hunc actum verum , quo ego dico *Petrus curret* , caſu quo Petri curſus non eſſet futurus, ſicuti implicat Deum producere relationem ſuperadditam deficiente termino. Ab hoc vltimo incipiat ſolutionis impugnatio : Reſpuam ego relationes ſuperadditas propter hanc rationem, quia percipi non poteſt , quomodo in me producatur modus quidam ſuperadditus , ex eo quod in India alius naſcatur homo ; & quomodo relatio in me producta pereat, ex eo quod terminus valde diſtans defecerit : ergo exemplum de relationibus potius obeſt , quàm prodeſt prædictæ 7

ſententiæ,

sententiæ. Secundò : qui relationes has prædicamentales admittunt, illas tantùm annectunt terminis actu existentibus,& positiuis,veritas autem sæpe respicit obiecta non existentia, sed præterita vel futura, & sæpe fertur in negationes, & in entia rationis, cum quibus nulla potest esse physica connexio, sicuti consideratur in relatione similitudinis cum termino, quem respicit. Rursus relatio tantùm habet connexionem cum termino,quem respicit,hæc autem sententia, quæ constituit propositiones intrinsecè falsas, constituit connexionem inter propositionem, & contradictorium termini,quem significat;propositio enim falsa,qua ego dico modò : *Petrus curret*,habet pro termino cursum futurum Petri, & constituitur connexa cum negatione eius cursus futuri. Aliter solutionem impugno. Quando intellectus est in actu primo ad iudicandum Petrum cursurum esse,siue Petrus cursurus sit, siue non, sunt eadem principia physica ex parte intellectus:ergo possunt reproducere eundem effectum : quotiescumque enim est eadem causa, & idem actus primus, potest in eundem actum secundum prorumpere:ergo intellectus potest producere idem iudicium, siue sit futurus cursus Petri, siue non : sed illud iudicium erit verum,si cursus Petri sit futurus;& si futurus non sit, falsus erit:ergo potest idem iudicium esse verum, vel falsum : ergo non habet veritatem aut falsitatem intrinsecam. Futuro vel non futuro cursu Petri me habere eadem principia ex parte intellectus ad iudicandum esse futurum, negari non potest, quia cursus futuritio, illiúsve negatio non influit in meum iudicium: sed dices habere intellectum diuersum determinatiuum, ratione cuius eadem causa potest diuersum effectum producere, quod determinatiuũ esse dices futuritionem cursus,illiúsve negationem,quia hæc determinat ad assensum intrinsecè falsum, & illa ad assensum intrinsecè verum. Contrà. Id quod actu non existit sicuti cursus futurus, & id,quod in se non est quid positiuum, sed negatiuum, & adhuc non existens,sicuti est cursus Petri non futurus,non potest physicè meum intellectum determinare ad hunc effectum potiùs quàm illum producendum : ergo tantùm potest determinare moraliter mediâ voluntate Dei, exigendo,vt Deus potiùs concurrat ad hunc assensum, quàm ad illum:sed Deus potest operari contra hanc exigentiam moralem:ergo etiamsi daremus hoc iudicium exigere existentiam sui obiecti,nihilominus concedendum non esset intrinsecè esse verum, quia saltem de potentia absoluta posset illi deficere obiecti existentia. Addo quod etiamsi de potentia Dei absoluta hoc iudicium non posset existere illius obiecto non existente, quod in cognitionibus diuinis necessariò reperitur, nihilominus dicendum non esset iudicium habere veritatem secum adæquatè identificatam,vt probabo modò de actibus diuinæ mentis. Vltimò:sine hoc prædicato intrinseco identificato cum actu, rectè intelligituractus verus,vel falsus : ergo absque fundamento tale prædicatum constituitur:Antecedens probo dum illo secluso prædicato veritatem & falsitatem propositionis componam.

8 Arguit Arriaga disp. 14. sect. 1. subs. 2. contra Hurtadi sententiam sequi ex illa Deum esse causam determinantem meum intellectum ad errorem, quando iudico obiectum esse futurum,quod re vera non erit. Hoc argumentum specialem non habet difficultatem,quia auctores oppositæ sententiæ dicunt negationem obiecti futuri determinare intellectum, vt eo ipso quod assensum eliciat circa tale obiectum,illum eliciat erroneum, & non verum, & ita necessum non est Deum determinare intellectum ad errorem. Fateor solutionis doctrinam veram non esse, quàm suprà impugnaui,sed ab illius impugnatione incipere debet argumentatio contra sententiam Hurtadi,neque est cur ab absurdo à longè petito trahatur impugnatio.

9 Arguit secundò,sequi Angelum posse cognoscere futura etiam libera in iudicio, quo illorum futuritio modò ab ipso Angelo prædicitur, quod intuitiuè cognoscit Angelus,& ita deprehendet an sit intrinsecè verum,vel falsum; si intrinsecè verum cognouerit, rectè inferet obiectum esse futurum; si intrinsecè falsum esse repererit, optimè deducet illius obiectum non esse futurum. Resp. Hurtad. Angelum non posse cognoscere an iudicium de obiecto futuro libero sit verum,vel falsum,neque discernere inter iudicium verum,vel falsum de eodem obiecto libero;quia eo ipso quod illi non debeatur cognitio obiecti liberi, illi non debetur cognitio obiecti ex quo possit aliud obiectum liberum deducere. Hanc solutionem hac ratione impugnare putat Arriaga : Angelus cognoscit ea iudicia possibilia affirmatiua de peccato Petri futuro, & cognoscit vnum esse intrinsecè verum,& alterum intrinsecè falsum, & postea se determinat ad habendum vnum ex illis iudiciis : ergo cùm postea intuitiuè cognoscat iudicium ad quòd ex illis quæ possibilia cognouerit, se determinarit, quodque illorum habeat,ac proinde, an sit intrinsecè verum,vel falsum. Nec minimum premit ratio, quam Arriaga euidentem esse putauit. Hurtadus enim qui negat inter duo iudicia existentia non posse Angelum discernere,quodnam illorum sit intrinsecè verum, & quod intrinsecè falsum,idem dicet de eisdem iudiciis possibilibus, in quibus non poterit Angelus verum à falso discernere, & ita etiamsi cognoscat se determinasse ad certum iudicium, quod antea possibile cognouerat, cognoscere non poterit an sit intrinsecè verum vel falsum,quia hoc in illo non cognouit dum illud priùs possibile cognouerat. Alia quæ adducit Arriaga maioris ponderis non sunt,neque enim nouum est rem aliquam intuitiuè cognosci, & aliquod illius prædicatum cognoscentem latère ex modo quo res illa cognoscitur.

§. III.

Propria sententia.

VAlde inter se differunt iudicio per suammet entitatem falsitatem repugnare,& per suam entitatem verum esse veritate adæquatè identificata cum actu. Vt rem explicem suppono ; quod statim probabo,veritatem consistere in iudicio, & existentia obiecti ; Actus quo Deus iudicat me existere, quatenus verus, dicit actum diuinæ mentis,& meam existentiam,& ita illius veritas non adæquatè identificatur cum ipso actu,sed tantùm inadæquatè, quia actum Dei dicit & meam existentiam. Nihilominus actus diuinæ mentis per suammet entitatem habet repugnantiam cum falsitate, quia per suam entitatem supponit obiectum, per quod simul cum illo illius veritas constituitur,& petit coëxistentiam obiecti,ita indispensabiliter, vt neque de potentia Dei absoluta illi possit deficere. Itaque vt distinctè in hac quæstione procedatur, duo nobis definienda sunt, Primum, an veritas sit identificata cum actu. Secundo an casu quo distinguatur,actus verus connexionem habeat essentialem cum veritate, seu cum obiecto, per quod simul cum ipso actu veritas adæquata constituitur. 10

Dicendum est in omni iudicio naturali, vel supernaturali,creato, vel increato, erroneo vel scientifico reperiri veritatem quandam,vel falsitatem conflatam ex ipso iudicio, & ex illius obiecto, secluso quocumque intrinseco prædicato, per quod actus intrinsecè verus constituatur. Probo:eo ipso quod ego dicam *Petrus currit*, & existat Petri cursus, intellectus iudicat id quod est de facto, & res de facto se se habet eodem modo,quo iudicatur ab intellectu, alio quocumque prædicato secluso : ergo eo ipso quod sit tale iudicium in intellectu,& obiectum ad quod terminatur existens,actus est verus,quia actum esse verum nihil aliud est quàm rem enunciare sicuti est. Idem dico de actu falso, qui constituitur per iudicium, quo dico Petrum currere,& negationem cursus Petri alio quocumque prædicato secluso. Confirmatur ratione insinuata num. 5. Iudicium esse verum dicit formaliter iudicium rem affirmare eo modo quo est : sed iudicium rem affirmare eo modo, quo est,non tantùm dicit iudicium rem hoc modo affirmare, sed etiam rem eodem hoc modo se habere:sed rem eodem modo se habere, dicit modum quo res se habet : ergo veritas formaliter dicit modum, quo se habet obiectũ:sed hic est indistinctus ab ipso obiecto;ergo actum esse verum dicit formaliter obiectum ; ergo veritas dicit obiectum, non solum:ergo actum & obiectum. 11

Ex hac conclusione infertur omnem actum à suo obiecto distinctum veritatem habere partim intrinsecam, & partim extrinsecam ; intrinsecam quatenus veritas illius dicit entitatem actus ; extrinsecam quatenus dicit obiectum ab actu distinctum, actum verò identificatum cum obiecto,qualis est actus,quo Deus se ipsum cognoscat, & si quæ est alia cognitio creata reflexiua supra se ipsam:quæ nullum aliud habeat obiectum, esse adæquatè,& intrinsecè verum per suammet entitatem, quia cùm veritas nihil 12

aliud

aliud dicat quàm actum, & obiectum, & hæc sint vna indiuisibilis entitas actus supra se ipsum reflectentis, veritas in hoc actu consistet, & adæquatè cum illo identificabitur.

12 Dico secundò. Omnis actus naturalis abstractiuus tendens in obiectum contingens; v. g. actus quo ego iudico modò Petrum Romæ existere, nullam habet connexionem cum suo obiecto, neque cum illius negatione, sed indifferens est, vt cum illo coniungatur, & veritatem constituat, vel cum negatione illius, cum qua falsitatem conficiat. Probatur hæc conclusio ex impugnationibus, quas contra Hurtadum adduxit asserentem fore diuersum iudicium, quo iudico Petrum esse cursurum, casu quo Petri cursus futurus sit, & casu, quo talis cursus non sit futurus, & sic de aliis obiectis. Secundò nullum est fundamentum ad constituendam talem connexionem inter actum, & obiectum, ergo ponenda non est. Probatur antecedens; illa connexione seclusa, ex eo quod actus coniungatur cum illius obiecto erit verus; & ex eo quod coniungatur cum negatione obiecti erit falsus: ergo veritas, vel falsitas actus non præbet fundamentum ad illam connexionem constituendam: ergo ex nullo capite excogitari potest fundamentum talis connexionis.

13 Dico tertiò. Omnis actus naturalis abstractiuus etiamsi versetur circa obiectum necessarium ex se nullam connexionem habet cum illo: v. g. actus quo ego dico *Petrus est possibilis*, vel *Equus est binnibilis*, nullam connexionem habet quatenus est ex se cum suo obiecto. Dico *quatenus est ex se*, quia licet hic actus, quo ego dico *Petrus est possibilis*, non possit separari à possibilitate Petri, quia hæc est necessaria, & numquam potest deficere, actus tamen ex se illam non exposcit, sed idem permaneret etiamsi actus possibilitas deficeret. Probo hanc conclusionem: non minùs refertur actus, quo ego dico *Petrus est actus existens*, ad existétiam Petri, quàm actus, quo dico *Petrus est possibilis* ad illius possibilitatem: sed actus quo ego dico *Petrus est existens*, idem perseuerat siue Petrus existat siue non existat: ergo actus quo dico *Petrus est possibilis*, idem perseueraret etiamsi possibilitas Petri deficeret. Dices permanere actum quo ego dico *Petrus existit*, deficiente existentia Petri, quia permanet eadem existentia possibilis. Contrà, actus non refertur ad existentiam possibilem, sed ad existentiam actu exercitam, quam respicit vt obiectum; sed posset permanere sine existentia actu exercita: ergo potest permanere absque suo obiecto: ergo etiam actus, quo dico *Petrus est possibilis*, potest quatenus est ex se sine obiecto permanere, & idem subsisteret etiamsi illius obiectum deficeret. Confirmatur: modo ego possum iudicare Hircoceruum esse possibilem, etiamsi de facto possibilis non sit, ergo etiam possem iudicare equum esse possibilem, etiamsi Equus possibilis non esset: ergo actus quo iudico equum esse possibilem, connexionem non habet cum equi possibilitate. Dices casu quo equus non esset possibilis, me iudicaturum diuerso actu equum esse possibilem, ab eo quem modò habeo circa possibilitatem equi, ac proinde actum, quo modò iudico equum esse possibilem, connexionẽ habere cum suo obiecto. Argumentor contra; & hæc sit ratio à priori conclusionis traditæ: Possibilitas equi, vel illius negatio non influit in actum quo iudico Petrum esse possibilem: ergo siue sit possibilitas Petri, siue illius negatio, actus semper erit idem. vide dicta n. 9.

14 Dico quartò. Omnis actus siue naturalis siue supernaturalis tendens in proprium principium effectiuum tanquam in obiectum habet essentialem connexionem cum obiecto ratione cuius illis intrinsecè repugnat falsitas in ordine ad tale obiectum. Ratio est manifesta: omnis actus essentialem habet connexionem cum principio à quo dependet, quia in mea sententia actus intentionalis consistit in actione, quæ per se ipsam est affixa principio: ergo si obiectum est idem cum principio, habebit connexionem cum obiecto, licet non formaliter cum illo tanquam cum obiecto, sed tanquam cum principio, à quo essentialiter dependet. Hac ratione falsitas repugnat actui quo ego iudico me existere; quia hic actus essentialiter dependet à mea existentia: eadem ratione actus, quo ego iudico Deum existere necessariam habet connexionẽ cum Deo vt obiecto, quia ab illo tanquam à principio effectiuo essentialiter dependet. Idem eadem ratione affirmo de visione beata, quæ tendit in Deum tanquam in obiectum, à quo tanquam à principio effectiuo per se & essentialiter dependet.

Dico quintò. Cognitio naturalis intuitiua, non ex eo 15
quod intuitiua sit, habet connexionem essentialem cum obiecto, ita vt de potentia Dei absoluta non possit existere sine illo, imò possibilis est cognitio intuitiua quæ neque naturaliter exigat existentiam sui obiecti, sed illi sit omnino per accidens, & omnino accidentaliter illi contingat veritas. Vtramque conclusionem latè probo Controu. 6. Punct. 4. n. 6. & 11.

Ex his inferes illos actus naturales siue abstractiuos 16
etiam scientificos, siue intuitiuos; qui feruntur in obiecta distincta ab ipsis actibus, & ab illorum principiis proximè effectiuis, non habere intrinsecam repugnantiam vt illis falsitas contingat, cùm per se & intrinsecè connexionem non habeant cum obiectis, & possent subsistere, etiamsi obiecta deficerent, licet extrinsecè illis veritas sit necessaria ratione necessitatis obiecti.

§. IV.

De actibus diuinæ mentis, & supernaturalibus creatis.

OMnes actus diuinæ mentis exigentiam indispensabi- 17
lem habere coniunctionis cum suo obiecto dixi n. 8. & ratio naturalis, quæ ostendit Deum falli non posse, id demonstrat. De actibus creatis supernaturalibus, scilicet de actu abstractiuo fidei diuinæ, & de visione intuitiua supernaturali procedit modò difficultas.

P. Ripalda tom. 1. de ente supernaturali disp. 58. sect. 2. 18
asserit omnem actum supernaturalem saltem ex natura rei connexionem habere cum obiecto, ratione cuius specialiter tendit in obiectum, & ex hoc peculiari modo tendédi specificationem trahit: doctrinam hanc examino Contr. 5. vbi de specificatione omnium actuum disputationem instituo, vide quæ ibi scribo si rem totam penetrare cupis. De actu fidei fert communis Theologorum sententia non posse esse falsum. Ita P. Soar. 2. 2. disp. 3. sect. 13. P. Coninck, disp. 10. dub. 5. P. Torres disp. 3. dub. 3. nihilominus non facilè reddetur ratio, cur actus fidei saltem supernaturaliter falsus esse non possit, quod disputat Ripalda disp. 59 de quo nonnihil breuiter dicam. Ex duplici capite posset actus fidei falsus excogitari, vel quia fertur in rem reuelatam reuelatione diuina actu existente, quæ falsò reuelata fuit: vel quia fertur in reuelationem actu non existẽtem, quam existere prudenter existimat. Vt si quis modò existimaret, reuelatum esse, & ab Ecclesia definitum, Beatissimam Virginem labem originalis non contraxisse, quia id illi viri aliàs digni fide testati sunt, quibus prudenter fidem adhibuit: inquiritur an in hoc aliove simili casu possit quis ferri in reuelationem diuinam falsò existimatam actu fidei diuinæ supernaturalis, cui falsitas contingere possit. Deinde si concedatur posse dari actum fidei, qui feratur in reuelationem falsò existimatam, alia suboritur difficultas, an actus fidei, qui de facto datur respiciens reuelationem actu existentem, v. g. actus, quo ego credo Vèrbum assumpsisse humanitatem, talis sit naturæ vt essentialem connexionem habeat cum existentia reuelationis, in quam fertur, ita vt illa non existente, actus existere non posset; an verò possit idem subsistere etiamsi Verbum humanitatem non assumpsisset, neque reuelatio huius misterij existeret.

Actum fidei diuinæ non posse falsitatem habere sup- 19
posita existentia reuelationis diuinæ, quam respicit vt motiuum formale obiecti crediti, extra omnem controuersiam esse debet, implicat enim Deum reuelare obiectum, quod non est, & ita implicat non existere obiectum reuelatum à Deo, & consequenter implicat non esse verum actum, qui fertur in obiectum, quod Deus reuelauit.

Circa secundum modum, quo inquiritur an actus fidei 20
falsus esse possit, duo sunt examinanda: Primum, an actus fidei possit ferri in reuelationem falsò existimatam: secundum, an ex suppositione, quod posset ferri in reuelationem falsò existimatam, posset falsitatem habere. Circa secundum, affirmo ex suppositione, quod actus fidei possit ferri in reuelationem falsò existimatam, actum fidei posse esse falsum, ex defectu existentiæ obiecti crediti per talem actum, quod sic probo. Tota certitudo actus fidei desumitur ex reuelatione Dei, cui non potest subesse falsum, quia Deus mentiri nequit: ergo deficiente reuelatione Dei, nullum est caput, ex quo certitudinem actus fidei desumat. Confirmatur: non maiorem connexionem habet actus cum obiecto materiali, quàm cum formali: sed actus, qui ferretur tanquam in formale motiuum in reuelationem falsò

falsò existimatam, connexionem non haberet cum existentia obiecti formalis: ergo neque cum existentia obiecti materialis: ergo ex defectu existentiæ materialis obiecti posset falsitatē sortiri. Vltimò sentiunt multi actū fidei nō solùm esse formalē assensum obiecti reuelati, sed etiā reuelationis: ergo si daretur actus fidei respiciens reuelationem non existentem, necessariò esset assensus existentiæ reuelationis, quæ non esset, & ex hoc capite non posset non esse falsus. Prima pars difficultatis, videlicet an actus fidei connexionem habeat ex natura rei; vel ineuitabilem cum existentia reuelationis, in quam fertur, vt in formale motiuum, ad materiam de fide spectat & ideo illi superfedeo, tantum obiter assero plerosque authores censuræ nota inurere sententiam asserentem actum fidei posse ferri in reuelationem falsò existimatam, & esse falsum, licèt P. Ripalda disp. 59. sect. 5. asserat sententiam affirmantem actum fidei diuinæ posse esse falsum ex eo quod feratur de facto in reuelationem falsò existimatam temeritate vacare. Moneo etiam hîc vitandam esse aliam quæstionem de nomine, an videlicet actus, qui ferretur in reuelationem diuinam falsò existimatam, dicendus esset actus fidei diuinæ nēcne; Maior enim affirmat in 2. distinct. 23 quæst. 10. eum qui assentitur reuelationi Dei verè non existenti, propositæ tamen prudenter credibili elicere actum fidei ex habitu infuso, eiusdem rationis cum illo, qui reuelationi existenti inniteretur, nihilominus vocandum non esse talem actum assensum fidei diuinæ, quia reuelatio verè non existit.

21 De visione intuitiua supernaturali difficilius est, an illi possit falsitas contingere, & an connexionem essentialem habeat cum obiecto: negatiuam partem efficax suadet ratio. Si visio intuitiua supernaturalis essentialiter esset connexa cum obiecto, visio beata, quæ esset reflexiua supra se ipsam, qua beatus cognosceret suam beatitudinem extituram in æternum, esset incorruptibilis, etiam respectu omnipotentiæ Dei, ita vt illa producta non posset Deus tota sua omnipotentia intercedente illam corrumpere, neque poset ex suppositione, quod illam produceret non ab æterno illam produxisse, & illam in æternum conseruare: consequens est absurdum: ergo antecedens. Consequentiam probo. Visio illa eo ipso quod essentialiter esset affixa suo obiecto, implicaret illa existente, obiectum non existere, sub illa mensura sub qua repræsentatur ex vi illius visionis: sed obiectum est ipsa visio, in æternum durans: ergo eo ipso quod talis visio in aliquo tempore existat: debet ipsa, quæ est obiectum sui ipsius in æternum durare. Consequens esse absurdum probatur, quia omnis creatura dependet essentialiter à Deo liberè illam producente, & conseruante: ergo si creatura aliqua non posset corrumpi à Deo in quocumque instanti, non libere talem creaturam conseruaret, quod per se absurdum est. Ita sentiunt communiter Doctores P. Vasquez 1. part. disp. 182. num. 9. affirmat asserere respectu Dei aliquid creatum esse immortale, erroris notam meretur. P. Suarez lib. 1. de Angelis asserit de fide esse Deum posse destruere Angelos, & id esse generale omnibus rebus creatis. P. Tannerus 1. part. disputatione 5. quæstione 1. dub. 3. num. 15. affirmat de fide esse posse Deum destruere, & in nihilum redigere omnem creaturam, pro quo adducit illud Sap. 11. vers. 26. *Quomodo aliquid posset manere nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?*

22 Prædictæ censuræ Artiagam non terruere, qui disp. 15. de Duratione, sect. 2. num. 64. probabilius putat posse Deum producere creaturam per se ipsam tēpore indiuisibili durantem, v. g. per vnam horam, qua non possit corrumpi à Deo, sed Deus teneatur illam conseruare per integram horam ex suppositione, quod illam primò produxerit, quā necessitatem asserit Arriaga esse consequentem, quia Deus qui liberè voluit illam creaturam producere, liberè voluit illam per integram horam conseruare, non enim distinguitur decretum primò producendi illam creaturam, à decreto illam conseruandi per totam horam, quia ex parte obiecti idem indiuisibiliter est creaturam illam produci, & ipsam per horā conseruari, cùm per eandē entitatē indiuisibilem indistinctā à termino producto existat in instāti, in quo primò producitur, & in reliquis integram cōplentibus horam. P. Ripalda disp 59. num 8. solutionem hanc impugnat, intendens probare necessitatem non esse consequentem, sed antecedentem decretum Dei, quia ex natura illius entitatis independenter ab omni actu libero Dei implicat Deum non conseruare illam creaturam, ex suppositione quod illam primo produxerit. Cæterùm si res hæc disputatione non confundatur omnibus clarè patet huius necessitatis natura, de qua nulla potest esse dissensio, quia certum est necessitatem conditionatam conseruandi creaturam ex suppositione, quod illam producat, esse antecedenter ad ominem actum liberum Dei, si talis creatura possibilis est, sicuti necessitas creandi animal rationale ex suppositione; quod Deus velit hominem creare, est ante omnem actum liberum Dei. Secundò certum est necessitatem absolutam conseruandi creaturam illam non esse antecedentem ad actum, quo Deus illam liberè produxit, quia si Deus liberè creaturam illam non produxisset, quod rectè potuit facere, non teneretur illam conseruare. Deinde certum est Deum non posse respectu talis creaturæ præscindere decretum illam producendi à decreto eandem conseruandi, quia implicat illam producere, & non eandem conseruare.

Ex hoc infertur quod si decretum conseruandi creaturam sit diuersum à decreto illam producendi, necessitatem conseruationis esse consequenter ad decretum productionis, & antecedenter ad decretum conseruationis, quia hoc ex suppositione illius necessarium est. Si verò decretum conseruationis & productionis indiuisibiliter sit idem, sicuti decretum primò producendi creaturam absolute liberum est; ita decretum conseruandi eandem libertatem habebit. Vnum tantùm erit Deo necessarium antecedenter, videlicet non diuidere decretum, quo vult illam creaturam primò existere, à decreto, quo vult eandem durare quod non esse absurdum posset suaderi, quia creaturam illam primò existere, & durare realiter esset idem, & sicut non est absurdum, Deum non posse præscindere decretum producendi rationale, à decreto procendi animal, quia animal & rationale sunt idem; ita non videtur absurdum non posse diuidere decretum, quo vult illam entitatem primò existere à decreto quo vult eandem tempore diuisibili durare, quia illam primò existere, eandemque durare, realiter sunt omnino idem. Confirmatur: implicat Deum producere vbi Angelicum ex vi cuius respondet toti spatio huius cubiculi, quin illud producat respondens toti spatio huius cubiculi, neque potest ad aliquam cubiculi partem illud *vbi* reducere: quod si Angelus vel alia entitas secū identificatum haberet *vbi*, ex vi cuius responderet toti spatio huius cubiculi, quod non repugnat, repugnaret Deū producere illam entitatem, & non illam producere præsentem toti cubiculo, quod nihil omnipotentiæ derogat: ergo sicuti possibilis est entitas, quam non possit Deus producere nisi in tanto diuisibili spatio loci, ita poterit dici esse possibilem entitatem, quā Deus non possit facere existentem nisi in tanto spatio diuisibili tēporis, ita vt in minori non possit illam durantem continere. Non specie caret hæc illatio, præcipuè in opinione, quæ doctrinam de durationibus superadditis admittit, in mea verò sententia, quæ illas negat, non vrget, quia nihil est per se ipsum fixum spatio temporis imaginarij, sicut est loci. 23

Noster Lugo de Incarnat. disput. 19. sect. 1. n. 20. singularem & peracutam aggressus est viam: supponit visionem in actione consistere, asseritque actionem à duratione non distingui. Ex quo infert omnem actionem, & consequenter omnem visionem durantem essentialiter, & esse successiuam habentem partes priores, & posteriores successiuè fluentes, ratione quarum dicitur actio seu visio durare, sicuti motus localis, non quia visio, neque aliqua pars illius eadem physicè duret, seu permaneat tempore aliquo diuisibili, in singulis enim instantibus singulæ actiones, & singulæ visiones adueniunt, quæ tantùm durant per vnicum instans in quo corrumpitur visio, quæ immediatè antea præcessit. Hac ratione visio beata quæ repræsentat beato ipsam perpetuò duraturam, repræsentat se ipsam physicè existententem in illo instanti, & non vltrà, & reliquas omnes, quæ post illam succedent futuras in instantibus futuris, aliasque præcedentes præteritas in instātibus præcedentibus. Re ita compositā etiamsi visioni falsitas subesse non possit, nulla entitas incorruptibilis reperiri ut; omnes enim visiones corrumpuntur in instanti immediato illi, in quo fuēre productæ, quod autem producta hac visione repræsentantre alias futuras, non possint hæ quæ repræsentantur non esse futuræ, inconueniens non est, quia sicut posità reuelatione de obiecto futuro non 24

potest non obiectum esse futurum, & Deus tenetur illud producere ex suppositione, quod illud reuelauerit, sic posita intuitione supernaturali de visionibus futuris inconueniens non est, has non posse non esse futuras, & Deum teneri illas producere ex suppositione quod illarum intuitionem produxerit, quæ est quasi quædam clara & euidens illarum reuelatio.

25 Ingenio plenam doctrinam hanc agnosco, verumtamen illi non acquiesco, propter principia quæ supponit, videlicet actionem à duratione non distingui, quæ impugno 4. Phy sic. Deinde etiamsi mihi penitus arriderent, quæ non omnino displicent non ex his principiis rem hanc componerem, semper difficultates omnibus doctrinis communes iuxta principia communia vellem dissoluere, & non ad vnius mentem aptare, quæ omnium offendunt. Secundò ex hac solutione argumentum desumo. Ex eo quod hæc visio existens in hoc instanti sit intuitio aliarum futurarum, non est inconueniens illâ productâ, non posse Deum non producere alias visiones futuras, & non posse diuidere decretum producendi hanc à decreto producendi alias: ergo non erit inconueniens dari visionem aliquam quæ sit intuitio sui ipsius durantis seu suæ durationis venturæ, ex vi cuius teneatur Deus illam durantem conseruare, seu illi durationem, cuius est intuitio exhibere, ita vt non possit diuidere decretum existentiæ visionis à decreto durationis eiusdem, sicut enim visio illa, quam P. Lugo assignat, est veluti clara & euidens reuelatio aliarum visionum immediatè succedentium; sic visio, quæ seipsam perpetuò durantem repræsentat, est veluti reuelatio clara & euidens sui ipsius vt durantis, & suæ durationis immediatè & perpetuò succedentis, neque maior est necessitas, quæ cogit Deum visionem hanc conseruare, quàm, quæ illum obligat visiones alias infinitas producere: ergo sicuti non repugnat neque est contra libertatem Dei producere visionem, ex vi cuius ineuitabiliter teneatur visiones alias infinitas perpetuò producere; sic non repugnabit producere visionem, ex vi cuius teneatur eandem perpetuò conseruare.

26 Verisimilius censerem, si Deus posset infundere errorem posse falsitatem subesse omni cognitioni etiã intuitiuæ & supernaturali præcisè ex prædicato visionis intuitiuę & supernaturalis, seclusâ obiecti necessitate. Suadet hãc cõclusionẽ ratio suprà facta, semper enim durum videtur asserere posse dari aliquam creaturam, quam non possit Deus corrumpere in quocumque instanti, postquam illam produxit. Secundò probatur ratione desumptâ à priori: obiectũ præcisè vt est obiectum terminans seclusâ motione, quam potest habere in genere causæ efficientis quatenus est obiectum motiuum; non influit in visionem, sed tantùm se habet per modum puri termini cogniti, seu visi: ergo illius existentia non requiritur præcisè vt terminet, sed tantùm vt influat effectiuè: ergo obiectum quod non influit effectiuè, vel cuius influxus suppleri potest per aliam causam, non necessariò debet existere ad hoc vt sit illius intuitio, siue naturalis, siue supernaturalis; eadẽ enim est ratio de vtraque; ex supernaturalitate enim non crescit connexio inter cognitionem, & obiectum, quia non magis influit obiectum in cognitionem supernaturalem, quàm in naturalem, neque minùs dependet cognitio naturalis quàm supernaturalis, & vbi non est maior dependentia, maior connexio esse non potest, quia connexio inter cognitionem & obiectum oritur ex dependentia quam illa habet ab isto. Vide dicta loco citato de actu intuitiuo naturali, eadem enim est ratio de actu intuitiuo supernaturali; quod si dicatur actum supernaturalem ratione habitus, à quo procedit, vel ex modo peculiari tendendi, exigere existentiam sui obiecti, de quo Controu. 15. de anima, Punct. 4. vbi de specificatione actuũ per obiecta, connexio, seu hæc connexionis exigentia non esset adeò stricta vt de potentia Dei absoluta non posset actus contra hanc exigentiam existere sine proprio obiecto: ex hoc infero visionẽ beatam formaliter vt est beatitudo, falsam esse non posse, quia vt est beatitudo fertur in obiectum increatum quod deficere non potest, & à quo essentialiter dependet immediatè, & per se tanquam à principio effectiuo; materialiter verò, seu quatenus potest tendere in alia obiecta creata, quæ cognoscantur per eamdem cognitionem intuitiuam, per quam nostra beatitudo obiectiua intuitiuè cognoscatur, posse ferri in obiectum non existens, & in ordine ad tale obiectum creatum falsitatem habere.

Obiicies sequi ex hac conclusione, nostram beatitudinem consistere in cognitione falsa & erronea, quod absurdissimum est. Resp. nostram beatitudinem obiectiuam consistere in Deo optimo maximo qui summè bonus est, ex quo omnium bonorum fons perennis emanat; beatitudinem verò formalem consistere in cognitione huius summi boni, quæ quatenus est illius cognitio, & beatitudo nostra est cognitio omnium certissima, neque ex alio capite beatitudo formalis, quæ de facto datur, falsitatem habere potest, quia si nostra beatitudo formalis seu cognitio intuitiua Dei fertur in aliquod obiectum creatum, fertur in illud tanquam in obiectum secundarium ex vi primarij cogniti, quod obiectum necessariò existit eo modo, quo per cognitionem intuitiuam cognoscitur, quia essentia diuina intuitiuè cognita non ducit vt primarium obiectum in obiectum secundarium non existens. De beatitudine aliâ formali quæ posset excogitari, quæ feratur in beatitudinem obiectiuam, & concomitanter in aliud obiectum creatum, ad quod cognoscendum non determinet beatitudo obiectiua, non puto fore absurdum dici, posse de potentia absoluta reddi falsam (si vera est opinio, quæ asserit Deum posse errorem infundere) quatenus fertur in obiectum creatum non spectans primariò, neque secundariò ad beatitudinem obiectiuam, & simul esse cognitionem veram quatenus fertur in beatitudinem obiectiuam, & in obiectum quod ex vi illius cognoscitur. 27

Obiicies, sequi illam beatitudinem non posse dici cognitionem veram adhuc quatenus fertur in beatitudinem obiectiuam, quia cognitio, quæ fertur in plura obiecta, ex eo præcisè, quod vnum obiectum non existens respicit, absolutè est falsa, & non dicitur vera respectu aliùs obiecti existentis. Sicuti cognitio, qua ego dico, omnis homo currit, ex eo quod vnus non currat reliquis omnibus currentibus absolutè dicitur falsa, & non dicitur vera per ordinem ad alios currentes. Resp. propositionem affirmantem duo obiecta disparatè, & non conjunctionem illorum, posse esse veram in ordine ad vnum obiectum & falsam in ordine ad aliud, quia propositio illa, etsi sit vnum tantùm iudicium, perinde se habet, ac si esset duplex & idem & eodem modo existens significat, quod duplex propositio realiter distincta significaret: propositio verò, quæ significat non solum duplex obiectum, sed illorum simultatem, seu coniunctionem, absolutè est falsa ex defectu cuiusuis obiecti, quia alterum quod superest non manet eo modo, quo significatur, significatur enim alteri coëxistens, & manet sine hac coëxistentia, hac ratione propositio, qua dico *omnis homo currit*, absolutè est falsa, & nullo modo vera non currente Petro, etsi currat Ioannes, quia non solũ affirmat Petrum currere, & Ioannem currere, sed Petrum currere simul cum Ioannẽ, & Ioannem currere simul cum Petro, quod neque respectu Petri neque Ioannis verificatur. 28

Obiicies. Cognitio beata formaliter quatenus est beatitudo tantùm connexitur essentialiter cum Deo tanquam cum principio à quo essentialiter effectiuè dependet, ita vt si per impossibile, hæc numero beatitudo posset produci ab alio principio adæquatè distincto à Deo optimo, Deo repugnante, seu non existente posset illius intuitiua visio permanere: ergo non potest beatus habere certitudinem, Deum, quem videt realiter, esse existentem, quia potest dubitare, an illa visio producatur ab alio vero Deo distincto ab illo quem videt, & an Deus ille, quem videt sit verus vel apparens. Neque potest responderi beatum intuitiuè videre visionem suam produci à vero Deo, quia postquàm hoc viderit poterit rursus de illo obiecto visio dubitare, si enim semel supponamus visionem intuitiuam non habere connexionem cum obiecto formaliter vt obiecto, seclusâ ratione principij, possumus de his quæ videmus dubitare, an forsan decipiamur, sicuti decipitur ille qui videt colorem existere, nullo existente colore. Resp. duplicem esse certitudinem, quamdam subiectiuam in ordine ad subiectum; aliam obiectiuam in ordine ad obiectum, & vtramque habere visionem beatam supra omnem aliam ex cogitabilem. Certitudinem obiectiuam habet visio beata ex necessitate sui obiecti, quod nullo modo potest deficere, & sicuti est ens summè necessarium, ita summam certitudinem obiectiuam refundit in visionem. Certitudo subiectiua est, quâ subiectum redditur impotens dubitare de existentia obiecti cogniti, hanc præbet ipsa visio beata, quia visio Dei incompossibilis est cum alio actu intellectus, qui sit formalis 29

formido

formido circa existentiam Dei, & ita ex vi illius redditur beatus omnino certus Deum existere, & esse veram beatitudinem obiectiuam, quia ex vna parte illam videt, & ex alia est incapax habendi formidinem aliquam circa existentiam Dei. Addo viso intuitiuè Deo dubitationem omnem circa illius existentiam fore imprudentem, & peccaminosam, sicut esset imprudens actus, quo ego dubitarem, an obiecta sensibilia quæ intueor, & sensibus percipio essent vera aut fictitia, ex eo quod possibilis sit visio intuitiua obiecto non existente; omnis autem actus imprudens, & peccaminosus incompossibilis est cum visione beata, & ita illâ positâ non potest beatus talem actum formidolosum circa Dei existentiam elicere.

30 Explicui iam quibus actibus conueniat ineuitabilis connexio cum obiecto, & qui possit ab obiectis separari, de his certum est intrinsecè, & per suam entitatem veritatem non habere, si quidem potest illis obiecto deficiente subesse falsitas; maior est difficultas de aliis qui ineuitabiliter cum obiecto connectuntur, sicuti sunt omnes actus diuinæ mentis, etiam qui in obiecta creata ex se defectibilia feruntur, & omnes actus fidei iuxta communem Theologorum sententiam: & actus qui immediatè & per se dependent ab obiecto tanquam à principio effectiuo. Dicebam aliquando his omnibus actibus duplicem veritatem competere quandam communem omnibus, compactam ex actu, & obiecto, partim intrinsecam, partim extrinsecam: aliam propriam, & specialem illorum adæquatè identificatam cum his actibus, quas veritates inadæquatè distinguebam tanquam includens ab incluso; modò tamen magis placet asserere simplicem veritatem omnibus actibus competere compactam ex actu & obiecto; quia vt dicebam actum esse verum dicit repræsentare obiectum sicuti hoc se habet à parte rei, quod importat hanc repræsentationem, & hunc modum quo se habet obiectum. Ex hoc infero nullum actum siue naturalem, siue supernaturalem esse intrinsecè, & per suammet entitatem verum formaliter præter illum qui ab obiecto realiter non distinguitur, sicuti est actus, quo Deus ipsum existere iudicat, & si quis alius creatus huiusmodi potest dari terminatus tantùm ad suam existentiam. Intercedit tamen hæc differentia inter actum habentem connexionem cum obiecto, & omnino independentem ab illo, quod huic omnino accidentaliter contingit veritas, illi verò eo necessitatis gradu, quo coniungitur cum obiecto illo veritas eidem actui necessariò contingit, exigentia enim quam habet actus cum obiecto, est veritas radicalis, quia est exigentia, & radix illius per quod vltimò constituitur veritas actus. Hac ratione omnes actus qui naturaliter non possunt existere sine obiecto habent veritatem radicalem identificatam cum illis, ratione cuius non possunt naturaliter non esse veri, & actus qui adhuc de potentia Dei absolutâ non possunt ab obiecto separari, habent veritatem radicalem essentialiter connexam cum altero extremo, videlicet obiecto requisito ad veritatem formalem; & ita neque de potentia Dei absoluta possunt carere veritate.

31 Hæc dicta sint ex suppositione, quod Deus posset infundere errorem, verumtamen semper admittere teneam, non posse adhuc diuina intercedente potentia dari cognitionem supernaturalem falsam, ideo rem aliter componendam censeo, & absolutè tenendum implicare cognitioni supernaturali falsitatem subesse, in tractatu de fide latè probo, repugnare Deum infundere errorem, quod defendunt Mædina 1. 2. q. 19. art. 1. Vincentius de Gratia Christi q. 1. p. 40. Aragon. 2. 1. q. 1. art. 3. Respons. 2. vbi se ipsum oppositum asserentem corrigit. Coninch, disp. 10. dub. 2. Ratio est, quia summæ veracitati Dei repugnat decipere creaturam, illam autem deciperet, si illi errorem infunderet: ergo illi repugnat errorem infundere. Maior probatur, quia in mendatio intrinsicè malum est, rem suadere alteri aliter, quam est, quod est illum decipere: ergo decipere alium intrinsicè, & ex se malum est. Minor efficaciter suadetur. Rem alteri manifestare, seu proponere aliter quam est, est illum decipere, sed hoc immediatius, & efficatius fit per infusionem erroris: ergo infundere errorem malum est. Confirmatur, in mendacio intrinsicè malum est alteri motiua proponere ad iudicandum aliter ac est ex intentione huius iudicij falsi ab altero eliciendi: ergo malum etiam erit immediatè hoc iudicium alteri infundere, quo velit nolit falsò iudicat, si enim præstare

causam, & motiuum erroris malum est, quomodo ab hac malitiâ poterit excusare errorem in alio producere. Confirmatur: veritas est pars perfectiua iustitiæ, & virtus ad alterum, vnde vitium illi oppositum, etiam erit ad alterũ, id autem vitij in mendatio solum ad alterum reperiri potest, nisi quia illo realiter, ac est alteri persuadere intenditur: ergo facere, vt alius iudicet rem aliter, ac est, est intrinsicè malum: ergo à Deo fieri repugnat. Nota, me non dicere id solum vitij reperiri in mendatio, quod rem alteri persuadere aliter ac est, quia præcisè hoc, quod est signa externa cum iudicio non conformare vitium est, sed quia hoc præcisse sumptum non est ad alterum, ideo assero illud solum vitij in mendatio reperiri. Neque suadere intendo, errorem infundere esse mentiri, quia vbi non est locutio mendatium reperiri non potest, sed in infusione erroris reperiri id, etsi solum non sit, quod in mendatio malum est.

Obiicies: error est malum physicum, non morale: ergo 32
potest à Deo infundi. Concedo antecedens, & nego consequentiam, quia etsi pati errorem sit malum physicum, illum infundere est malum morale.

Hinc infero absolutè repugnare dari actum supernatu- 33
ralem falsum, quia omnis habitus per se petit non producere actum falsum, & per suam naturam ad actum verum ordinari: ergo si Deus cum illo concurrat ad actum falsum, id faceret contra naturam, & exigentiam habitus, illumque prædeterminaret ad errorem producendum, & ita à se errorem supernaturalem infunderet.

Hæc autem repugnantia actus supernaturalis falsi, de- 34
sumpta ex eo, quod Deus nullum errorem posset infundere fundatur in bonitate, & veracitate Dei, vt ostendit ratio pro illa adducta, & ita repugnantia moralis dicenda est, non quia sit minor alia repugnantia physica, est enim maior alia quacumque siue physica, siue metaphysica, sed quia non fundatur in entitate physica effectus secundum se sumpta, sed in bonitate, & veracitate Dei, & in indecentia, quæ esset si Deus errorem infunderet, sicuti repugnantia, quæ est in eo quod Deus mentiatur, dicitur repugnantia moralis, quia non desumitur ex repugnantia, quam per se habeat aliquis effectus ad extra, sed ex bonitate, & veracitate Dei, cum qua opponitur mendatium à Deo per se, vel per creaturas loquente prolatum. Quod autem repugnantia hæc non sumatur ex effectu ad extra producto probatur, quia potest produci à creaturis, & à Deo concurrente ad exigentiam illarum, vt causa prima, repugnat à Deo infundi, seu produci nulla creatura illius productionem exigente, quia sic illum producere esset illum infundere. Deinde quia Deum infundere assensum naturalem, quando per existentiam sui obiecti extrinsicè est verificandus, & repugnat eundemmet assensum à Deo infundi, quando ex non existentia sui obiecti extrinsicè, est falsificandus.

Desumpta ex ho capite repugnantia actus supernatu- 35
ralis falsi facilè ratio redditur, cur non possit dari supernaturalis actus fidei, qui feratur in reuelationem falso existimantem, quilibet enim actus fidei procedit ab habitu supernaturali exigente non producere actum verum: ergo talis actus cum falsus esset, vt pote innitens reuelationi non exigenti produceretur ab habitu contra illius exigentiam: ergo esset prædeterminatus à Deo specialiter præter exigentiam omnis creaturæ, & contra exigentiam habitus producto, & infuso, cum autem repugnet Deum actum falsum infundere fit repugnare talem actũ produci.

Hac ratione 1.2. tract. 1. Controu. 3. Punct. 3. n. 3. componendam proposui difficultatem, quæ est in admittenda visione beata repræsentante suam durationem, licet ratione creaturæ ex sua natura sit defectibilis, & subiecta pleno dominio Dei habentis ius ad illam corrumpendam absque eo quod respectu huius potentiæ, & actus illius, corruptiones videlicet talis visionis nulla possit reperiri resistentia, & ita plenè, & absque vllo addito sit æque corruptibilis, ac Angelus, & quælibet alia entitas à Deo producta, cum hoc rectè componitur non posse falsificare, quia etsi plenum dominium sit in Deo ad illam corrumpẽdam, quo facto falsificaretur, ex suppositione quod Deus illam produceret, tenetur illam conseruare, ne specialis Author erroris deprehendatur existere, & ne errorem infundat, quod summæ suæ bonitati, & veracitati repugnat. Itaque conseruatio visionis eidem visioni irrefragabilis non est debita, sed Deus sibi debet talem visionem conseruare ex

suppositione quod liberè eam voluerit producere ne Deus errorem supernaturalem infunderet. Vnde tota repugnantia corrumpendi visionem vnice in Dei bonitate fundatur, & visio illa intrinsecè, & ex sua natura corruptibilis, defectibilis est, & planè subiecta dominio Dei.

37 Rem suadeo exemplo, quod iuxta communem Theologorum sententiam non admittetem in Deo iustitiam specialiter dictam erga homines. Promittit Deus bonum aliquod liberaliter, seu in præmium boni operis conferendum. Hac promissione supposita repugnat ex vi fidelitatis diuinæ tale bonum à Deo non conferri, nihilominus adhuc Deus retinet plenum dominium talis boni, ex vi cuius posset absque iniuria creaturæ tale bonum non conferre, quod dominium non operatur, vt Deus vndequaque possit tale bonũ non conferre, sed tantũ, quod si per impossibile illud non cõferret adhuc promissione supposita nullam iniuriam creaturæ faceret, sed tantum operaretur contra suam fidelitatem, quia soli ipsi, vt fideli debet præmiũ creaturæ conferendum, & non ipsi creaturæ. Sic similiter plenum dominium, quod Deus habet Authoris, & primæ causæ in visionem illam, ex vi cuius habet ad illam corrumpendam, si vellet non operaretur, quod Deus vndequaque posset illum corrumpere, sed non repugnare illius corruptionem ex defectu dominij, neque exigentia, quam haberet creatura ad suam conseruationem, neque ex connexione physica, inter entitatem, vt primo existentem, & durantem, seu inter primam productionem, & conseruationem illius, talis enim connexio constitueret visionem ex sua natura incorruptibilem, quod repugnat, quia omnis creatura ex prædicato vniuersalissimo entis creati habet esse corruptibilem, & defectibilem ex suis prædicatis intrinsecis, & ita, ex illis corruptioni non repugnare, & ita si de facto Deus illam corrumperet non operaretur contra naturam ipsius visionis, aliusve effectus creati; cum hoc tamen rectè stat repugnare ex perfectione diuina, ex vi cuius tenetur verificare seu non falsificare visionem à se infusam, talem creaturam corrumpi, sicuti repugnat non conseruare alium quemcumque effectum, cuius conseruationem Deus promisit aut reuelabit instar cuius licet talis non sit se haberet visio supernaturalis à Deo infusa repræsentans suam perpetuam durationem.

§. V.

Respondetur argumentis quæ fiunt contra nostram sententiam constituentem veritatem in actu & obiecto.

38 ARgumentatur primò Hurtadus pro sua sententia. Veritas est intrinseca actui: ergo non includit obiectũ. Probat antecedens: veritas est conformitas imaginis cum obiecto: ergo est intrinseca actui, qui est imago, quia conformitas est proprietas intrinseca actui. Respondeo intrinsecum esse actui esse imaginem obiecti, hanc verò rationem imaginis actui intrinsecam dici conformem per suam entitatem & per obiectum, quod si extrinsecum est actui, vt respectu ferè omnium actuum contingit, simul cum illo veritatem constituit partim intrinsecam actui quatenus dicit propriam ipsius entitatem, & partim extrinsecam, quatenus dicit obiectum ab actu distinctum.

39 Arguit secundò. Veritas est perfectio actus, falsitas est imperfectio eiusdem: sed si veritas diceret aliquid extrinsecum non esset perfectio actus: ergo veritas nihil dicit extrinsecum actui. Rem confirmat: si veritas constitueretur ex actu & obiecto, veritas huius propositionis, *Petrus non currit* consistit in aggregato ex actu & negatione cursus Petri, & falsitas in aggregato ex eodem actu & cursu Petri: sed perfectius est aggregatum ex cursu & actu Petri, quàm aggregatum ex actu & negatione cursus: ergo perfectior esset falsitas quàm veritas.

40 Respondeo veritatem esse perfectionem extrinsecam actui, non enim ex eo, quod dicat aliquid extrinsecum, repugnat esse perfectionem actus, sunt enim plures extrinsecæ perfectiones, quæ in se sunt subiecti perfectiones extrinsecæ, & arguunt intrinsecam eiusdem subiecti perfectionem, sicuti huius extrinsecæ perfectionis carentia, arguit maximam intrinsecam imperfectionem subiecti. Ad illud quod dicit Hurtado, de aggregato in quo consistit falsitas; Respondeo illud aggregatum secundùm se consideratum perfectius esse alio aggregato, in quo consistit veritas, consideratum tamen in ordine ad actum, qui ex illo aggregato denominatur, non solùm non esse maiorem perfectionem illius, sed esse positiuam imperfectionem, est enim imperfectio actus quo ego dico *Petrus non currit*, coniungi cum cursu Petri, & perfectio coniungi cum negatione cursus, quia respectu huius actus maior perfectio est negatio cursus, quàm cursus, licet in se maiorem perfectionem dicat cursus, quàm negatio eiusdem. Addit Hurtadus Deo repugnare falsitatem, ex quo infert veritatem esse intrinsecam perfectionem actus & falsitatem perfectionem intrinsecam. Respondeo actui diuinæ mentis repugnare falsitatem, & necessariò veritatem conuenire, non quia veritas, & falsitas est intrinseca actui, sed quia falsitas, quæ est imperfectio extrinseca cognitionis, arguit intrinsecam cognoscentis imperfectionem, & non posse habere cognitionem non veram, est maxima intrinseca cognoscentis perfectio.

Argumentatur secundò. Veritas desumitur ex actu & obiecto: ergo fundamentum est æquè verum ac actus, quia quotiescumque denominatio sumitur à duobus extremis eodem modo se habentibus, æquè vtrumque afficit, sicuti denominatio similis, quæ vtrumque extremum æquè denominat. Hoc argumento vtitur Hurtadus n. 35. nescio an memor illorum quæ dixerat n. 30. vbi ait effigiem D. Petri vel in parte includere ipsum terminum, vel ab illo dependere tanquam à connotato: ergo effigies D. Petri sumitur à pictura, & D. Petro: ergo D. Petrus erit effigies. Secundò paternitas sumitur à principio generante & à genito: ergo vtrumque extremum dicetur Pater. Videat Hurtadus quid respondeat, ego enim affero denominationem desumptam à duobus extremis diuersæ rationis, qualia sunt actus, & illius obiectũ non necessariò denominare eodem modo vtrumque extremum. Ad exemplum de similitudine respondeo, similitudinem desumi à duobus extremis omnino homogeniis, quorum vnum non habet specialem modum tendendi in alterum, quod mutuũ non sit, quod non contingit in cognitione & obiecto; diuerso enim modo ordinatur cognitio ad obiectum quàm obiectum ad cognitionem. Addo posse dici veritatem denominare obiectum verum, dicimus enim verum esse quod asserimus, & non sequi ex hoc obiectum habere veritatem intentionalem, quia veritas intentionalis dicitur ex eo quod illius subiectum intentionale sit eadem in hoc subiecto videlicet in cogitione, veritas intentionalis dicitur, & in obiecto non veritas intentionalis, sed obiectiua denominatur, sicut eadem cutuitas in naso, & non in alio similitas dicitur. 41

Argumentatur tertiò. Hic actus, v. g. *Petrus est homo*, per suam essentiam est repræsentatio Petri sicuti est: ergo per suam essentiam est verus: ergo illius veritas nihil extrinsecum importat. Respondeo illum actum per suam essentiam habere repræsentare Petrum esse hominem, in quo non adæquatè consistit formalis veritas, quia etiamsi permaneret idem actus cum eadem repræsentatione, si per impossibile Petrus non esset homo, actus ille verus non esset, non tamen haberet per suam essentiam Petrum esse hominem, quod formaliter requiritur ad illius veritatem, & ita non habet per suam essentiam adæquatam constitutiuum veritatis. Ad formam argumenti. Resp. distinguendo propositionem illam: *hic actus, Petrus est homo, per suam essentiam repræsentat rem, sicuti est*: distinguo, per suam essentiam, repræsentat rem, & modum, quo de facto est, concedo, per suam essentiam habet rem, & modum illius, ita esse sicuti repræsentatur per talem actũ, nego: ergo per suam essentiam habet veritatem, nego consequentiam, quia veritas dicit rem ita repræsentari, & hanc se habere illo modo, quo repræsentatur: quod dicit repræsentationem, & obiectum repræsentatũ, & non tantùm repræsentationem, quia in eodem sensu in quo dici potest hunc actum *Petrus est homo*, per suam essentiam repræsentare rem sicuti est, dici potest obiectum, v. g. Petrum per suam essentiam esse sicuti repræsentatur per illum actum, & ex hoc capite non magis veritas tribui potest actui quàm obiecto. 42

Argumentatur quintò. Actus vel per suam essentiam assimilatur subiecto, vel non assimilatur: si primum per suam essentiam est formaliter verus: si secundum per suam essentiam est formaliter falsus: ergo non potest esse indifferens vt constituatur verus vel falsus per aliquid positiuum. Ratione hanc confirmat. Actus in ratione veri non habet maiorem dependẽtiam ab obiecto, quàm in ratione repræsentationis. sed in ratione repræsentationis consistit per suam essentiam: ergo in ratione veri. Retorqueo 43

argumentum

argumentum. Quantitas vel per suam essentiam est æqualis, vel non est æqualis. Si primum, per suam essentiam, & non per aliquid extrinsecum habet æqualitatem: si secundum, ergo per suam essentiam est inæqualis: ergo nō potest esse æqualis per aliquid superadditum. Respondent nonnulli actum per suam essentiam, neque assimilari obiecto neque non assimilari, sed præscindere. Hic respōdendi modus veram doctrinam rebus in se contradictoriis confundit, dum enim dicit actum per suam essentiam neque assimilari, neque non assimilari, duo contradictoria expresse tradit, primò enim dicit, actum per suam essentiam non assimilari obiecto, id enim sonant illa verba, *neque assimilatur*, & postea id ipsum negat per illa verba, *neque non assimilatur*, in quibus negatio superadditur immediatè præcedentibus, quia fit propositio contradictoria præcedentis. Respondeo actum per suam essentiam non assimilari cum obiecto, sed manere indifferentem, vt assimiletur non per essentiam, quia per hanc dixi non assimilari, sed per aliud superadditum, aliud enim est actum per suam essentiam non assimilari cum obiecto, aliud per suam essentiam habere non assimilari cum obiecto; hoc posterius est falsum, quia per suam essentiam neque habet assimilari medio alio, neque non assimilari medio illo, sed est indifferens, vt assimiletur vel dissimiletur per aliud superadditum actui: qui per suam essentiam, hoc est, præcisè ex vi essentiæ non dissimilatur. Ad confirmationem Respondeo falsum esse illud Antcedens, quia actus in ratione repræsentationis tantùm dependet ab obiecto tanquam ab aliquo extrinseco, & in ratione veri dependet ab illo extrinseco actui, sed intrinseco veritati, quam adintegrat. Hæc sunt præcipua argumēta quæ ex doctrina quam tradit Hurt. sect. 3. subsect. 3. vbi nostram sententiam impugnat, & subsect. 4. vbi propriā probat, colligi possunt.

44 Argum. 5exrò: Veritas desumitur ex actu & obiecto: ergo si obiectum sit ens rationis, veritas erit partim realis, partim rationis. Secundò si obiectum non sit existens sed possibile, præteritum, vel futurum, veritas partim erit existens, partim possibilis, præterita vel futura. Resp. negando consequentiam, quia veritas est denominatio quædam moralis, quæ licèt sumatur ab actu reali existenti, & ab obiecto rationis præterito vel futuro semper dicitur realis, & actu existens per ordinem ad actum intellectus realem, & actu existentem, à quo præcipuè denominatio sumitur, vt patet in denominatione prioris & posterioris, quæ actu esse dicitur ex eo quod actu sit subiectum supra quod cadit denominatio, etiamsi illud à quo procedit denominatio actu non sit, ego enim actu sum posterior Adamo, & prior Antechristo, licet denominatio prioris respectu Adami dicat Adamum præteritum, & denominatio posterioris respectu Antichristi dicat Antichristum futurum.

Punctum II.

An propositio possit transire de vera in falsam.

§. I.

Propria sententia.

1 Difficultas hæc locum non habet in opinione asserēte veritatem & falsitatem esse omnino intrinsecam & identificatam cum actu; actus enim qui per se ipsum verus est, non potest non habere veritatem: possent tamen connotatores rem hanc in quæstionem vertere, cùm enim illi asserant eumdem actū posito hoc connotato per suam entitatem verum esse, & alio posito per suam entitatem falsitatē habere, eadem ratione possunt dicere ex mutatione connotatorū actum mutari de vero in falsum, quia deficit connotatum, quo posito actus per suam entitatem verus erat, & succesſit aliud connotatum, quo posito, idemmet actus per suā entitatem falsus est. Familiarior est huius difficultatis disputatio his, qui nostram amplectuntur sententiam de natura veritatis partim intrinsecâ, partim extrinsecâ actui, ex quibus nonnulli illam probare intendunt ex eo quod idem actus de vero in falsum possit transire. Transitum hunc possibilem esse sentit P. Soar. suprà n. 19. & alij cum ipso. Communis sententia fert, eundem actū non posse de vero in falsum; aut è contrà transire, etiamsi veritas formaliter obiectum extrinsecum actui importet: amplector hanc sententiam, quam iam probo.

Actum significantem tempus determinatum non posse 2
transire de vero in falsum fatentur etiā sententiæ oppositę sectatores, quod sic ostenditur. Actus quo ego dico *Petrus currit in instanti A*, vt verus sit debet supponere Petrum currentem in instanti *A*: sed Petro currente in instanti *A*, implicat illum actum esse falsum: ergo supposità veritate illius actus repugnat falsitas eiusdem. Probo minorem; Petro currente in instanti *A*, implicat ipsum non currere in illo instanti: ergo implicat propositionem illam esse falsam, quia illius falsitas essentialiter dicit negationem cursus Petri. Idem fit argumentum ad probandum propositionem non posse transire de falsa in veram, quia cum semel falsa constituitur supponitur Petrum non currere in illo instanti: quā suppositione factā implicat in eodem instanti currere, quod essentialiter requiritur, vt hic actus *Petrus currit* sit verus: eadem etiam ratione arguitur cùm propositio est de præterito, aut de futuro; cùm enim dico *Petrus cucurrit*, ad hoc vt vera sit hæc propositio, supponitur illum cucurrisse, quo factō implicat non cucurrisse, similiter vt sit falsa supponitur non cucurrisse, quo supposito implicat cucurrisse, quia implicat non fuisse quidquid iam fuit, ex suppositione quod fuerit, & implicat fuisse quidquid non fuit ex suppositione, quod non fuerit. Idem intellige de futuris, quia implicat rem non esse futuram supposità illius futuritione & implicat esse futuram supposità negatione futuritionis rei.

De propositione quæ nullum tempus determinatum si- 3
gnificat, vt cùm quis dicit, *Petrus currit*, non intendens significare cucurrisse in hoc instanti determinato, sed in hoc vel in alio eandem conclusionem probo. Ad hoc vt hæc propositio *Petrus currit*, in sensu explicato desumpta, vera sit, sufficit Petrum currere in aliquo instanti hoc vel illo, & non ex eo quod non currat in hoc instanti, si currat in illo, erit falsa, quia propositio non affirmat currere in hoc instanti determinato, neque in omnibus, sed hoc, vel illo præsenti, præterito, vel futuro: sed cùm semel constituitur vera illa propositio, supponitur cursus Petri in aliquo instanti: ergo implicat propositionem fieri falsam. Probo cōsequentiam: cursus ille qui supponebatur in aliquo instanti, non potest in illo non supponi, quia implicat in eodem instanti cursum supponi, & non supponi; esse, & non esse: sed eo ipso quod cursus supponatur in illo instanti, propositio erit vera, & non falsa: ergo postquam semel fuit constituta vera, & cursus in aliquo instanti fuit suppositus, implicat non esse veram. Dices propositionē significare cursum in instanti præsenti, & ita propositionem fieri falsam, quia iam non supponitur cursus Petri in aliquo instanti præsenti, sed instanti futuro, quod non sufficit ad verificationem propositionis. Multi hic offendunt: dicere instans præsens abstrahens ab hoc præsenti vt distinctum à præterito & futuro est manifesta terminorum implicatio, quia quod non est hoc instans determinatum, est præteritum, aut futurum: non enim sunt plura instantia simul præsentia, sed vnum præsens, & reliqua vel præterita, vel futura. Ex quo fit actum significare aliquod instans præsens abstrahens ab hoc, vel ab illo, idem esse ac significare instans præsens, præteritum, vel futurum, quæ omnia præsentia dicuntur, quia instans quod est modò futurum aliquando erit præsens, & quod est iam præteritum, aliquando fuit præsens, ac proinde cursus futurus in instanti venturo dicitur respondens alicui instanti præsentis. non quod modò sit, sed quod postea erit præsens, & modò futurum est. Ex hac doctrina ruit tota solutio, quia propositio, quæ significat cursum existentem non in hoc numero instanti præsenti, sed in aliquo abstrahente ab hoc, vel ab illo, significat cursum præsentem, præteritum vel futurum, qui respectu alicuius mensuræ præsens dicitur, ac proinde eo ipso quod supponatur cursus in instanti præterito, præsenti vel futuro, propositio per ordinem ad illud instans vera formaliter constituitur.

Similis fit argumentatio ad probandum propositionem 4
illam non posse transire de falsa in veram, quia ad hoc vt propositio, quæ significat Petrum currere in aliquo instanti, & non præcisè in hoc determinato, sit falsa, requiritur Petrum in nullo instanti currere, neque in instanti præterito, neque præsenti, neque futuro: sed ex suppositione quod in nullo instāti currat, implicat currere in aliquo instanti: ergo ex suppositione quod propositio sit falsa implicat in aliquo instanti fieri verā, quia implicat cursus Petri in aliquo instanti futuro, per quem veritas propositionis constituenda est.

4 Demum si propositio hæc *Petrus currit* significet Petrum currere non solùm in hoc instanti determinato mihi præsenti, sed etiam in omnibus instantibus, quæ successiuè mihi erunt præsentia, ad hoc vt semel constituatur vera, requiritur vt Petrus supponatur currens non solùm in hoc instanti, sed etiam in omnibus vlterioribus, ita vt si in aliquo cursurus non sit, etiamsi in isto currat, etiam in isto erit falsa; ergo suppositâ veritate propositionis in hoc sensu desumptæ implicat Petrum in aliquo instanti non currere: ergo implicat propositionem fieri falsam, ex eo quod in aliquo instanti non currat. Similiter ad hoc vt illa propositio sit falsa, debet supponi Petrum in aliquo instanti non currere: sed currere in omni instanti, & in aliquo non currere sunt contradictoria: ergo implicat supposita falsitate propositionis ipsam fieri veram, ex eo quod Petrus in omni instanti currat.

5 Vniuersaliter de omni propositione quæcumque illa sit, efficacissimè probo ratione, quam non semel robustam expertus sum. Ad hoc vt propositio in hoc instanti sit vera, debet supponi illius obiectum non solum in hoc instanti, sed etiam in omni tempore importato per copulam, eo modo quo per copulam importatur: sed eo ipso quod in hoc instanti supponitur obiectum propositionis existens in omni tempore importato per copulam, implicat postea in aliquo tempore importato per copulam non existere: ergo implicat postea propositionem fieri falsam. Maiorem probo: ad hoc vt hæc propositio, *Petrus semper currit*, in hoc instanti sit vera non sufficit Petrum currere in hoc instanti, sed sufficit in omni instanti currere, ratio à priori facilis est. Veritas consistit in confirmatione actus cum toto obiecto significato: ergo ad hoc vt propositio sit vera in hoc instanti, debet in hoc instanti conformari cum toto obiecto significato, ergo si obiectum significatum dicit durationem non solùm præsentem, sed præteritam & futuram, debet propositio conformari cum obiecto quatenus dicit durationem, non solùm præsentem, sed etiam præteritam & futuram. Minor est per se nota, quia implicat supponi in hoc instanti obiectum futurum in instanti venturo, & postea in illo non existere. Consequentia est legitima. Tantùm potest vis illationis declinari distinguendo maiorem. Ad hoc vt propositio in hoc instanti sit vera debet supponi obiectum existens omni tempore importato per copulam in hoc instanti, hoc est omni tempore, quod copula importat in hoc instanti, concedo; omni tempore importato per copulam in alio instanti, seu tempore quod copula existens in alio instanti importat, nego quia veritas existens in hoc instanti tantùm petit existentiam obiecti quam copula in hoc instanti importat, non verò existentiam, quam eadem copula in alio instanti sequenti importabit. Contrà: veritas in hoc instanti dicit existentiam obiecti in omni tempore, quod copula in hoc instanti existens importat: ergo dicit existentiam obiecti in omni tempore quod importat copula existens in alio quocumq; vlteriori instanti. Probo consequentiâ: copula illud tempus importat quod significat: sed copula huius propositionis *Petrus currit*, in quocumque instanti existat, habet eandem significationem: ergo significat idem tempus: ergo importat idem tempus: ergo non distinguitur tempus importatum per copulam existentem in hoc instanti à tempore importato per copulam existentem in instantibus sequentibus: ergo implicat supponi in hoc instanti tempus, quod importat copula existens in hoc instâti, & non supponi in eodem instanti tempus quod eadem copula existens in aliis instantibus importat. Copulam importare in quocumque instanti, tempus quod in illo significat, uullus negabit, tantùm probandum est, vt prædictus discursus legitimè concludat, copulam in omni tempore habere eandem significationem, & significare, seu importare in quocumque existat instanti, idem tempus, quod sic probo. Actus iudicij, seu propositio mẽtalis est formaliter repræsentatio per suammet entitatem, non per durationem superadditam, seu extrinsecam correspondentiam ad spatium imaginarium, ergo dum eadem entitas perseueret, siue hanc vel illam durationem seu correspondentiam habeat ad spatium imaginarium, habet eandem significationem: ergo importat idem tempus. Attentè rationem hanc inspicias, quæ semper mihi magni ponderis visa est.

6 Debeo recentiori huic Complutensi hoc argumentum non contempsisse, eo solum, quia illud commendo, vt ipse testatur. Ego tamen solutionem ab eo datam contemnere non potero, quia neque illius speciem agnosco. Videamus, quæ dat verba, in quibus solutionem esse præsumit. Asserit maiorem, & minorem concedendas esse, & consequens negandum. Ad illius probationem respondet, ea conuinci, copulam semper habere eandem significationem formalem, nonstamen habere eandem verificationem materialem, vnde, quod est præsens nunc postea non est præsens, sed præteritum, vnde cum propositio non perseueret importando, & consignificando tempus præsens, si pro illo non perseueret obiectum in eodem statu transit propositio intrinsecè commutata de vera in falsam propter extrinseci varietatem. *Prado 1. part.* *Cruzat.* §. 2. n. 7

7 Nec verbum est, quod vim illationis imminuat, maiori, & minori admissa, argumentmm instauro; vt propositio sit vera debet obiectum supponi existens omni tempore importato per copulam, sed eo ipso quod in hoc instanti, in quo propositio verificatur obiectum existens omni tempore importato per copulam implicat aliquo tempore importato per copulam non existere: ergo implicat propositionem falsificari. Maiorem, & minorem concedit iste, cum quo ago, & consequentiã negat, quam ostendo ex præmissis ineuitabiliter deduci. Vt propositio falsificaretur, necesse erat obiectum non existere aliquo tempore importato per copulam. Sed hoc implicat si semel fuit verificata: ergo implicat falsificari. Maior est per se nota, ex eo enim formalissimè falsificatur propositio, quod non existat illius obiectum. Minorem probo, vt propositio in hoc instanti sit vera debet illius obiectum supponi existẽs non solùm in hoc instanti, sed omni tempore importato per copulam, quod iste admittat; ergo si in hoc instanti est vera, supponitur obiectum propositionis existens omni tempore impotato per copulam. Citra controuersiam illatio est legitima, sed eo ipso quod obiectum supponatur existens omni tempore importato per copulam non potest non existere aliquo tempore importato per copulam, vt admittit iste, & est per se notum iuxta vulgare illud, omne, quod est ex suppositione, quod fit, necesse est esse: ergo non potest tempore aliquo propositio falsificari, quia vt in aliquo falsificaretur necesse erat, vt tempus illud importaretur per copulam, & vt in illo obiectum existeret.

8 Nullum restabat effugium, nisi asserere, copulam in hoc instanti importare hoc tempus, & in alio instanti aliud tempus importare. Hoc præclusi dum asserui, propositionem semper retinere eandem significationem, ac proinde semper significare, seu consignificare, vel connotare idem tempus, non enim potest variari consignificatio, seu connotatio temporis, nisi varietur significatio propositionis internæ, quod implicat, quia interna propositio est conceptus formalis mentis, qui per se ipsum habet hanc significationem, quam variare non potest, quolibet extrinseco variato dum idem formalis conceptus perseueret.

9 Quod adducit hic author, videlicet significationem, & verificationem propositionis distingui est certum, eidem enim propositioni verificatiua diuersa possunt cõtingere, dum enim ego dico. Aliquis homo currit currente Petro cursus Petri est verificatiuum huius propositionis, quod si Petrus non curreret, sed Ioannes verificatiuum propositionis non esset cursus Petri, sed cursus Ioannis. Itaque non nego eandem propositionem retinentem eandem significationem indifferentem esse ad hanc, vel illam verificationem, & ad verificationem, vel falsificationem, nego tamen propositionem, quæ semel habet in hoc instanti hanc verificationem, seu hoc verificatiuum posse in aliquo alio instanti eo verificatiuo carere, aut falsificatiuum illi contingere ex suppositione, quod verificatiuum aliquando habuerit, quod ratio adducta conuincit.

10 Aliter facilius responderi dicit recens iste his verbis. Im, licat postea fieri falsam propositionem, quando ratione materiæ vel alicuius termini ampliantis immutabilis est obiectum propositionis concedo; quando materia est contingens, & propositio manet sine implicatione, vel restrictione impedientibus mutationem obiecti nego. Notat insuper, se non asserere propositiones necessarias, aut illas, quæ significant tempus determinatum, veluti hæ Petrus semper currit, Petrus in hoc instanti A, currit, posse trãsire de veritate in falsitatẽ, sed de illis tantum, quorum subiectum restrictionem, vel ampliationem recipiunt. De his tantùm propositionibus quæstionem procedere iam

ego

ego notaueram de aliis disputo, respectu quorum meum procedit argumentum, cui prædicta distinctio non satisfacit,in ea enim non solutio, sed conclusionem, quam impugno expressio, seu repetitio continetur: contra illam procedit meum argumentum,cuius vis in eo sita est,quod & si subiectum propositionis possit ampliari, prima verificatio illius sumitur attenta omni ampliatione, cuius est capax propositio, ac proinde si in hoc instanti est vera, in sequenti,in quo propositio non cum alia implicatione,seu restrictione subiectum desumi potest, non poterit habere eandem veritatem.

§. II.

Satisfit argumentis.

11 OBiicies primò. Hæc propositio qua ego dico *Petrus currit nunc*, Petro currente in hoc instanti A, in quo illam profero est vera, postea verò cùm præteriit instans A,& succedit instans B, in qua Petrus qui currebat in instanti præcedenti, iam sedet, est falsa:ergo potest propositio transire de vera in falsam. Respondeo hanc propositionem,qua ego dico *Petrus currit nunc* videlicet in instanti A,currente Petro in illo instanti veram esse in instanti sequenti,etiamsi in illo Petrus non currat,quia sicut in præcedenti instanti A,significat Petrum currentem in instanti A,& non in instanti B,sic in instãti B, significat Petrum currentem in instanti A, & non in instanti B, & eandem veritatem habet. Itaque propositio illa mentalis quam ego in instanti A,his verbis significo *Petrus currit*, significanda est in instanti B, non eisdem verbis sed aliis,his videlicet *Petrus cucurrit*.Ratio est quia eadem verba externa cùm non significent ex sua natura sed ex libera hominum impositione, possunt diuersam habere significationem, & illam de facto habent, cùm diuersis circunstantiis proferuntur, itaque idem verbum nunc modò prolatum significat hoc instans A,determinatum, quod significat conceptus cui correspondet:si verò tempore sequenti idem conceptus internus,& eadem vox externa repetantur,conceptus internus eandem significationem retinebit, & ad idem instans A,quod iam est præteritum, & cùm primum conceptus ille fuit elicitus, erat præsens tanquam obiectum repræsentatum respiciet: vox verò externa iam non significabit instans A,quod antea significabat,& quod iam est præteritum,sed illud instans, quod tunc fuerit actu existens, videlicet instans C,vel instans D,succedens mediatè vel immediatè post instans A, ac proinde vox illa *nunc*, quæ correspondebat conceptui interno in primo instanti, in quo fuit elicitus, in secundo illi non correspondet, quia vox significationem mutauit & conceptus eandem retinuit.

12 Obiicies secundò. Hæc propositio interna *aliquis homo currit*, indifferens est vt significet Petrum, vel Ioannem currentem:ex se enim non magis significat Petrum, quàm Ioannem: ergo eadem propositio mentalis potest esse indifferens ad diuersas significationes pro diuersis temporibus: ergo potest in hoc instanti ratione huius significationis habere veritatem, & in alio ratione alius significationis falsitatem habere. Respondeo hanc propositionem *aliquis homo currit*, & reliquas similes non esse indifferentes ad diuersas significationes, sed tantùm esse indifferentes antecedenter ad diuersas verificationes: cùm enim ego dico *aliquis homo currit*, & de facto currit Petrus,verificatur de Petro;& si curreret Ioannes,& non Petrus, verificaretur de Ioanne,& non de Petro, semper tamen eodem modo Petrum & Ioannem significat sub disiunctione inter se,& cum aliis hominibus; quia etiamsi Petrus currat cùm ego dico *aliquis homo currit*, non dico determinatè Petrum currere, sed currere Petrum, Ioannem, vel Franciscum,&c.

13 Obiicies tertiò. Eadem lex inuariata potest modò hos homines obligare,& postea non hos sed illos,vt cùm fertur lex obligans omnes habitatores huius populi eo ipso, quod quis acquirat domicilium in hoc populo, lege tenetur; quod si idem homo amittat, lege non tenebitur:ergo similiter eadem propositio poterit habere diuersa significata,& propositio quæ significat omnes habitatores huius populi, significabit Ioannem dum huius populi sit habitator,quem postea non significabit, si populi desinat esse habitator. Respondeo legem semper respicere eadem subiecta & in actu primo semper eadem subiecta quatenus est ex se obligare, licet in actu secundo obliget modò hæc subiecta, modò illa, sicuti explicabat obiectio: similiter propositio semper significat eadem subiecta, licet modò verificetur de his,modò de illis; sicuti propositio quæ asserit, *omnes habitatores huius populi sunt nobiles*: siue Petrus siue Ioannes sit habitator,& non Franciscus,propositio ex se non magis significat Petrum vel Ioannem habitatorem, quàm Franciscum non habitatorem populi,licet verificetur respectu Petri & non respectu Fráciſci, quia ex se propositio tantùm dicit *habitatores huius populi*, quicumque illi sint, de quo abstrahit, *nobiles sunt*, sicuti dicebam de propositione illa *aliquis homo currit*, quæ eandem significationem habet currente Petro,vel Ioanne, vel etiam nullo currente, licet non eadem verificatione gaudeat. Idem contigit in lege prædicta,quæ ex se & in actu primo non magis obligat Petrum huius loci habitatorem,quàm Ioannem non habitatorem, sed pro omnibus ex suppositione quòd sint habitatores, posita est, & vim habet obligandi omnes prædictâ suppositione facta, licet in actu secundo obliget Petrum, & non Ioannem, quia Petrus, & non Ioannes huius loci habitator est factus.

Obiicies quartò. Hæc propositio, *Omnes qui sunt in foro currunt*, si sunt in foro Petrus,& Ioannes,significat vtrumque currentem; si sint Franciscus & Antonius,hos,& non illos currentes significat: ergo eadem mentalis propositio potest habere diuersas significationes. Respondent Arriag. disput.14.sect.2 num.59.illam propositionem semper significare omnes homines sed conditionatè,id est,si Petrus est in foro,currit:si Franciscus est in foro,currit.& sic de aliis. Non placet solutio, quia si illa propositio esset conditionalis nullo existente in foro posset esse vera, quia conditionalis non fit falsa ex eo quod illius conditio verificata non sit;conditionalis enim vt vulgo dicitur,nihil ponit in esse:nullus autem negabit nullo in foro existente, hanc propositionem esse falsam, *omnes qui sunt in foro currunt*: non enim tunc supponit illius subiectum, seu non existit subiectum, quod supponit propositio. Meliùs respondetur illam propositionem his duobus æquiualere: *Aliqui homines sunt in foro; & hi quicumque illi sunt, currunt*, quorum verificatio diuersa poterit esse pro diuersitate hominũ,qui in foro esse possunt: significatio tamen semperea-dem est,vt dicebam de illa propositione,*aliquis homo currit*. 14

Obiicies quintò. Hæc propositio mentalis *Petrus currit nunc*, producta in instanti A, quod significat, potuit produci in instanti B, & tunc significaret instans B:ergo eadẽ propositio potest habere diuersa significata. Respondeo illam propositionem mentalem potuisse produci in instanti B, nego tamen in illo productam significaturam instans B, semper enim eadem propositio eandem retinet significationem, ac proinde in quocunque tempore producatur propositio semper significabit instans A, & ita si producatur in instanti B, non est exprimenda his vocibus, *Petrus currit nunc*, sed *Petrus cucurrit* vt suprà dicebam. 15

Obiicies sextò. Hæc propositio *modò incipio loqui*: est vera in instanti, in quo illam proferre incipio, & falsa in aliis sequentibus;ergo eadem propositio potest transire de vera in falsam. Respondeo in omni tempore propositionem illam esse veram quia semper significat me incipere loqui non in omni tempore quo propositionem profero, sed in primo instanti, quo illam proferre incepi:quod si significaret me loqui incipere in omni tempore, quo illam profero, etiam in primo instanti esset falsa,quia semper eandem significationem haberet. Aduerte pleraque argumenta ex relatis probare eandem propositionem potuisse antecedenter habere diuersas significationes, quod negaui, quia falsum est, verumtamen etiamsi admittatur, dum non concedatur posse eandem propositionem relictâ hac significatione in aliam transire, nihil oberit conclusioni,quam defendendam suscepimus, videlicet non posse eandem propositionem de vera in falsam transire. 16

Rursus arguunt nonnulli. Hic actus Petrus est possibilis,per suam entitatem habet repræsentare Petrum possibilem, & non Chymæram: ergo per suam essentiam habet Petrum possibilem distingui à Chymæra: ergo per suam essentiam habet,Petrum esse possibilem, quia nihil aliud est Petrum esse possibilem, quam esse distinctum à Chymæra. 17

19 Hoc argumentum parum, aut nihil differt ab argumento tertio, quod iam solui, & tantum innititur pura verborum æquiuocatione. Respondeo, hanc actum Petrus est possibilis habere per suam essentiam repræsentare Petrum possibilem, qui est distinctus ab omni Chymæra quæ modo est, quia ipse non est Chymæra, habere etiam per suam essentiam non esse repræsentatiuum alicuius Chymæræ distinctæ à Petro, & habere per suam essentiam repræsentare Petrum, vt possibilem, seu repræsentare Petrum esse possibilem, non tamen habere per suam essentiã, Petrum esse possibilem, neque non esse Chymæram, nam etiamsi Petrus, qui ex vi huius actus repræsentatur, vt possibilis Chymæricus esset, eodem modo ex vi eiusdem actus eodem prorsus modo repræsentaretur vt possibilis. Vnde non habet talis actus per suam essentiam eius obiectum Chymeram non esse, ac proinde neque absolute habet per suam essentiam eius obiectum Chymæram non esse, aut esse distinctum à Chymæra, sed tantum habet per suam essentiam repræsentare obiectum, quod sit distinctum ab omni Chymæra, quæ non sit Petrus, siue Petrus, quem vt possibilem repræsentat, in re sit Chymæra, siue vere possibilis ea ratione, qua repræsentatur.

Punctum III.

An veritas & falsitas suscipiant magis & minus.

1 Aliud est quærere, an vna veritas sit magis necessaria alia veritate; aliud, an sit magis vera: certum enim est vnam veritatem esse magis necessariam aliã: magis enim necessaria est veritas propositionis quæ affirmat Deum existere, quàm veritas propositionis, quã dico Petrum existere, etsi de facto Petrus existat, quia magis necessaria est existentia Dei, quàm existentia Petri, & necessitas obiecti necessitatem veritatis refundi in propositionẽ affirmantem illius existentiam: similiter magis necessaria est falsitas huius propositionis *Deus non existit*, quàm huius *Petrus non existit*, existente Petro, quia Deus summè necessariò existit, & ita necessitas, quã Deus existit refundit necessitatem falsitatis in propositionem negantem illius existentiam, Petrum verò existere necessarium non est, & ita illius existentia non potest inducere necessitatem falsitatis in propositionem illam negantem. Aliud est, an vna veritas sit maior, hoc est, an detur vnus actus verus, qui magis conformetur cum suo obiecto, quàm conformetur alius verus actus cum proprio obiecto.

2 Dico 1. Veritas omnis consistit in indiuisibili, & omnimoda conformatione actus cum obiecto, & ita non potest dari vna veritas maior alia, neque vnus actus verus magis conformis cum proprio obiecto, quàm actus similiter verus cum proprio obiecto, quod ille alius actus respicit. Probo hanc conclusionem. Ad hoc vt actus si verus debet esse ex parte obiecti quidquid repræsentatur per actum, ita vt quidquid deficiat in obiecto, quod in actu affirmatur, actus omnino verus nõ sit, ergo eò ipso quod actus sit verus se tenet ex parte obiecti, quidquid repręsentatur per actũ: ergo non potest dari maior alia conformatio inter actum, & obiectum: Probo consequentiam. Nihil quod non repræsentatur per actũ potest conducere ad conformationẽ actus cũ obiecto: omne quod repræsentatur iã supponitur eo ipso quòd actus sit verus: ergo eo ipso quod actus sit verus supponitur quidquid potest conducere ad conformationẽ ipsius cum obiecto: ergo ex nullo capite potest excogitari maior conformitas. Dices, hoc argumentum concludere non posse dari maiorem conformitatem inter hũc actum, & obiectum, non verò conuincere non posse dari aliam maiorem conformitatem inter alium actum cũ proprio illius obiecto. Contrà: Conformitas cuiusuis actus cum suo obiecto in eo consistit, quod existat totum, quod ex vi actus affirmatur eo modo, quo affirmatur: ergo eo ipso quod existat totum quod repræsentatur per actum eo modo, quo repræsentatur, habet summam conformitatem, quam potest habere quilibet actus, conformitas enim non consistit in eo quod extremũ conforme sit maius aut minus, sed in eo quod iustiùs adæquatur cum obiecto, vt patet in æqualitate, quæ est in quantitatibus; non enim est magis æqualis vlna vlnæ, quàm palmus palmo, sed eo ipso quod actus sit verus, existit ex parte obiecti totum, quod repræsentatur per actum omni modo, quo per illum repræsentatur: ergo actus habet omnimodam adæquationem, quã nulla maior excogitari potest.

Dixêre nonnnulli hunc actũ, *Petrus est homo*, magis conformari cum suo obiecto, quàm hunc *Petrus est animal*, quia primus ille actus dicit totam essentiam subiecti, & alter secundus tantùm dicit partem illius videlicet prædicatum animalis, ac proinde actus primus magis adæquatur cum obiecto existente à parte rei, quàm secundus. Non assentior: veritas non consistit in conformatione actus cum toto illo quod existit à parte rei, sed in conformatione repræsentationis seu rei vt repræsentatæ, cum eadem vt existente, ex quo fit æqualem confirmationem habere cum obiecto hos duos actus *Petrus est animal*, *Petrus est homo*, quia primus ille actus tantùm est repræsentatio animalis, seu tantùm dicit Petrum esse animal, ac proinde summa illius adæquatio consistit in eo, quod Petrus sit animal, neque ex eo quod non adæquetur cum rationali, minor erit illius adæquatio, quia actus non habet minorem adæquationem ex eo quod non adæquatur cum obiecto, quod non repræsentat, seu quod non affirmat: sed actus ille non affirmat Petrum esse rationalem: ergo ex eo quod non adæquatur cum rationali non habebit minorem adæquationem. Idem manifestè explicabit exemplum. Affirmo ego D. Petrum, esse beatum: tu affirmas D. Petrum, & D. Ioannem esse beatos: vterque actus æquè conformis est cum suo obiecto, quia licet secundus conformetur cum D. Petro, & D. Ioanne beatis, & primus cum Diuo Petro tantùm, secundus plus affirmat quàm primus, & ita debet adæquari cum pluri obiecto, vt illius adæquatio sit æqualis cum adæquatione, quam habet actus ille, qui minus respicit obiectum, cum suo minori obiecto. Sicuti vlnaris quantitas cum maiori quantitate debet adæquari, quàm palmaris, vt habeat adæquationem æqualem. Sic contingit in his actibus, quorum vnus plura prædicata respicit quàm alius ex parte obiecti, & ita cum pluribus debet æquari, vt habeat adæquationem æqualem cum illa, quam habet actus, qui tantùm respicit animalis prædicatum. Occurres, animal, & rationale indentificari, ac proinde non rectè conformari cum obiecto actum, qui conformatur cum animali, & non cum rationali: ex quo desumitur disparitas exempli quod adduximus. Contrà: etiamsi animal & rationale identificentur, actus valet repræsentare animal & non rationale, siue hoc fit per præcisionem ex parte actus, siue ex parte obiecti, nolo enim quæstionem dependere ex modo præscindendi, quem habet intellectus: ergo ad sui perfectissimam veritatem tantùm debet conformari cum animali, & non cum rationali, quia vt iam dixi, veritas consistit in conformatione obiecti vt repræsentati cum ipso vt existenti, seu in hoc quod nihil repræsentetur per actum, quod non sit extra actum eo modo, quo repræsentatur.

Dico secundò. Circa obiectum indiuisibile non potest dari falsitas maior alia. Ratio est: quia obiectum indiuisibile eo ipso quod disconformetur cum actu, disconformatur secundùm se totum: ergo habet totã disconformationem, quam potest habere, neque aliùs minoris est capax. Talis erit actus, quo quis dicat Micahëlem non existere, cuius falsitas augeri nequit, quia cõstituitur per existentiã Michaëlis, quæ indiuisibilis est: neque existẽtiã Michaëlis, aut negatio eiusdem possunt suscipere magis, aut minùs. 4

Dico tertiò. Actus circa obiecta diuisibilia, possunt plus, minúsve falsitatis habere, v.g. actus quo ego dico, viginti homines currere, quia hic actus potest magis vel minùs disconformari cum obiecto: Si enim nullus homo currat, disconformabitur secundùm omnes viginti homines, quos currere affirmat; si verò currant decem & nouem, secundùm vnum hominem tantùm disconformabitur: ergo minorem habebit disconformitatem decem & nouem currentibus, quàm vno tantùm currente: ergo minorem falsitatem. Confirmatur: actum disconformari est recedere obiectum vt repræsentatum ab ipso vt existente, sed quando affirmat actus viginti homines currere nullo currente, recedit secundùm omnes viginti; quando idem affirmat, decem & nouem currentibus, recedit secundùm vnum tantùm hominem: ergo maior est recessus, quem habet obiectum vt repræsentatum per talem actum, currente vno homine, quàm decem & nouem currentibus: ergo maior falsitas. Rem explicat inæqualitatis exemplum; licèt enim hoc lignum non possit esse magis minúsve æquale alij, potest esse magis inæquale, quia potest aliud magis excedere, vel magis excedi ab illo. 5

Obiicies.

6 Obiicies. Actus quo ego dico, viginti homines currunt, æquè non est verus si nullus currat, siue currant decem & nouem, dummodò vigesimus non currat: ergo est æquè falsus. Resp. actum in vtroque casu esse æquè non verũ, quia nihil veritatis habet in vtroque casu; & esse æquè falsum essentialiter, hoc est denominari à falsitate, quæ æquè participat essentiam, & prædicata essentialia falsitatis, ac alia sicuti æquè participat rationem albedinis, albedo vt duo, & albedo vt octo, non tamen æquè esse falsum intensiuè, quia falsitas actus intensior est nullo currente, ex eo quod se extendat circa plura obiecta disconformia, quorũ disconformitas, quæ in ipsis est extensiua vtpote diuersorum obiectorum, in actu est intensiua, quia quilibet gradus actus afficitur intensiuè cum tota illa disconformitate, quæ est extensiuè in omnibus obiectis inadæquatis.

Punctum IV.

An veritas & falsitas reperiatur in simplici apprehensione.

1 Veritatem & falsitatem propriam, & strictam, qua quis dicitur propriè aliquid scire, seu propriè falli circa aliquod obiectum, tantùm reperiri in actu iudicij, est certum apud omnes, qui tantùm dubitant, an veritas & falsitas quædam impropria & inchoata in apprehensione reperiatur. Dicendum est in apprehensione simplici subiecti, vel prædicati per modum vnius tantùm simplicis entitatis, quam apprehensionem simplicem, & non cõpositam vocamus, non posse reperiri falsitatem. Ita P. Vasquez 1 p. t. 1. disp. 75. c. 3. & cum illo Hurtad. disp. 9. de anima, sect. 2. & Arriag. disp. 14 Logicæ, sect. 4. Ratio est manifesta: apprehensio vel repræsentat formalitatem realẽ, vel fictam: si realem, non disconformatur obiectum cum apprehensione: si fictam, cùm non habeat aliud obiectum præter fictum, nullum est obiectum repræsentatum ex vi illius cognitionis, quod aliter se habeat à parte rei, ac in repræsentatione illa, quia nullum obiectum existens à parte rei est repræsentatum ex vi illius apprehensionis. Dices illud obiectum fictum disconformari à parte rei cum ipso vt existente in intellectu. Contrà: Illa apprehensio non apprehendit illud obiectum existere à parte rei, aliàs non esset simplex, de qua loquimur, sed composita: ergo ex eo quod illud obiectum fictum per intellectum à parte rei non existat non disconformatur cum ipso vt apprehenso, ergo ex nullo capite potest dici obiectum fictum disconforme simplici apprehensioni.

2 Difficultas est, an hæ apprehensiones habeant veritatem. Negat P. Vasquez suprà, vbi asserit quæstionem esse de nomine. Affirmant Hurtadus & Arriaga suprà. Ego cum distinctione respondeo, apprehensionem circa obiectum reale hanc habere veritatem inchoatam, seu imperfectam; ratio est, quia ego apprehendo hominem, & talis homo est existens à parte rei: ergo obiectum vt apprehẽsum habet conformitatem cum ipso vt existente, & de facto existit id, quod apprehenditur, in quo conformatio quædam reperitur inter apprehensionem & obiectum. Quando obiectum simplicis apprehensionis est ens fictum, existimo in apprehensione nullam reperiri veritatem. Ratio est quia obiectum fictitium sic apprehensum non se habet extra apprehensionem, cùm nullum esse habeat extra illam, eo modo quo se habet in apprehensione, seu in esse apprehẽso: ergo nullam potest habere veritatem. Probo cõsequentiam. Veritas consistit in conformitate obiecti, vt existentis in intellectu cum ipso vt existente extra intellectum; ergo obiectum, quod non est extra intellectum, non potest habere conformitatem requisitam ad veritatem.

3 Ratio hæc, Hurtadi fundamentum omnino euertit, quo probare intendit apprehensionem entis ficti esse veram, quia illud fictum verè repræsentat, quæ ratio nullius est momenti, quia iudicium falsum verè, hoc est, propriè, & non metaphoricè repræsentat suum obiectum; & nihilominus veritatem non habet, aliàs omnis actus intellectus verus esset, neque in alio sensu potest illa simplex apprehensio dici verè repræsentare. Arguit secundò: Veritas est conformatio actus cum obiecto, sed illa apprehensio habet conformitatem cum obiecto: ergo est vera. Resp. distinguendo maiorẽ: veritas est cõformatio actus cum obiecto: vt est in intellectu tantùm, nego: cum obiecto, vt est extra intellectum, concedo. Sed illa simplex apprehensio habet conformitatem cum obiecto: distinguo eodem modo: cum obiecto vt existenti in intellectu, transeat minor; cuius suppositum negandum esset, quia non est conformatio cognitionis cum obiecto formaliter vt incluso in cognitione: habet conformitatem cum obiecto, vt existente extra cognitionem: nego minorem: ergo habet veritatem, nego consequentiam.

Obiicies sequi ex hac doctrina iudicium hoc; *chimæra est ens rationis*, non esse verum, quia illius obiectum nullum esse habet extra intellectum, quod possit conformari cum formali iudicio. Respondeo negando sequelam, quia iudicium hoc est quædam cognitio reflexa, quæ supponit chimæram actualem vel possibilem habentem esse extra ipsam. Vnde, ad probationem respondeo. Chimæra nullũ habet esse extra hoc iudicium, quo dicimus, *chimæra est ens rationis*, nego: extra omnem cognitionem etiam distinctam ab hoc iudicio, concedo, quod sufficit vt possit conformari cum hoc iudicio, quia ipsa quatenus habens esse in cognitione directà conformatur cum cognitione reflexà. Secundò iudicium hoc, *chimæra est ens rationis*, æquiualet huic: *chimæra repugnat à parte rei*, cuius prædicatum quod affirmatur, est repugnantia, seu impossibilitas chimæræ, quæ est à parte rei, eo modo, quo sunt negationes aliarum entitatum, videlicet negatiuè, verè enim à parte rei est negatio chimæræ, seu non esse illius, sicuti sunt tenebræ, seu non esse lucis absente luminoso. 4

De apprehensione complexa dicendum existimo includere veritatem, vel falsitatem, siue sit circa obiectum reale, siue rationis. De apprehensione circa obiectum reale probatur. Quando apprehendo totum hoc complexum; *Petrus est homo*, vel *albedo in niue*, rem apprehendo eo modo, quo est; ergo illa apprehensio habet veritatem. Quando apprehendo hoc complexum, *Petrus est himnibilis*, seu *nigredo in niue*, apprehendo obiectum, quod non est, & quod positiuè aliter est: ergo apprehendo obiectum disconforme apprehensioni: ergo illa apprehensio habet falsitatem. 5

De ente rationis eodem modo probatur, quia omnis apprehensio complexa entis rationis est cognitio reflexa, quæ supponit illud iam factum per aliam cognitionem: ergo supponit illud capax vel conformitatis, & disconformitatis cum actu. ex vi cuius cognoscatur: quia quidquid habet esse extra hanc cognitionem ad illud terminatam, vel illud habet eo modo, quo repræsentatur per cognitionem, vel alio modo? Si modo repræsentato per cognitionem, erit illi conforme, & cognitio vera: Si alio modo, erit illi disconforme, & falsa cognitio: ergo apprehensio complexa terminata ad ens rationis, quod habet esse extra illam, erit vera, vel falsa. 6

Punctum V.

An futura absoluta habeant veritatem vel falsitatem.

De futuris necessariis nulla est inter Authores difficultas, sed tantùm de liberis, de quibus latè disputant Theologi 1. part. quæst. 14. de scientia Dei, nos hic nonnulla probabimus, ex his quæ Theologi nostri penitus euacuant. 1

§. I.

Præsentia rerum in æternitate abigitur.

Densum Thomistarum agmen existimans futura libera nullam in se veritatem obiectiuam habere, præsentiam quandam in æternitate ex æternitate illis impegere, à qua dicunt omnia futura ab æterno esse præsentia in æternitate, æternitatique coëxistere. Sententiam hanc problematicè defendit Richard. in 1. dist. 38. quæst. 3. aliàs 5. Capreol. ibid. dist. 36. quæst. 1. art. 2. concluf. 1. & 2. quæstionem hanc retigit, tamen ausus non est assertiuè præsentiam tradere. Succeſſit Caietanus q. 1 in quæst. 14. art. 13. sine formidine dari præsentiam istam asseruit, seque illius assertorem esse iactat. Caietanum gregatim sequuti sunt Ferr. Bañez, Zumel, Nauarrus, Ledesma, Aluar Gonzalez. & alij quos apud nostrum Ruizium t. de scientia Dei, disp. 28. sect. 3. citatos reperies. 2

Oppositam

2 Oppositam sententiam defendunt ex Thomistis Herueus, Generalis illustrissimæ Dominicanorũ familiæ, nobilis Diui Thomæ discipulus, qui ante quinquagesimum annum à morte Angelici Doctoris scripsit pro eius doctrina contra Henr. Dur. hic in 1. dist. 38. quæst. 5. §. *quantum ad tertium*, affirmat res non esse præsentes Deo ab æterno per existentiam realem, sed per intuitionem, & hac ratione omnia futura esse præsentia Deo, secundùm suas existentias, quia sic ab æterno cognoscuntur. Ægidius etsi non ex familia Dominicanorum, sed insignis Augustinianus, acerrimus propugnator doctrinæ Doctoris Angelici ipsiusque auditor, in opusc. contra corruptorem doctrinæ S. Thomæ, cùm retuliſſet calumniatoris verba; quibus sententiam Caietani D. Thomæ adscribebat, ad defensionem art. 13. sic scribit: *Ex his patet quod S. Thomas non intendebat probare isti falsò illi imponunt, quod omnia quæ sibi succedunt in tempore, in natura propria coëxistant æternitate, licet eorum præsentiam æternaliter intueatur.* Et paulò inferiùs dum ait quòd res sunt præsentes Deo ab æterno non in sua existentia actuali, sed quia ipse actu intuetur eorum præsentiã æternaliter. Vltimò concludit satis perspicuam esse mentem S. Thomæ asserentis omnia, quæ sunt in tempore esse à Deo æternaliter cognita, licet cum illo æternaliter secundùm proprias naturas non existant. Siluester Dominicanus ipséque sacri palatij Magister, Caietano coæuus in opere quod inscripsit *Defensio doctrinæ S. Thomæ*, ad 1. p. quæst. 14. art. 16. §. *quantum*, postquam sancti Præceptoris verba scripsit, ita subscripsit: *Istud dictum fuit occasio errandi, & putandi, quod S. Thomas intelligat præsentiam in esse reali, quod non est verum, sed vult dicere, quod Deus non solum habeat præsẽtes, quæ repræsentant eorum quiditates, sed etiam fertur super præsentialitates & existentias*: addit, *quemque nullum ausum fuisse oppositam tradere explicationem præter vnum*: Caieranum intellige. Idem tradit Deca Hispal. in 1. distinct 38. quæst. 2. art. 2. §. 2. Ex aliis Doctoribus pręsẽtiam hanc reiiciunt Scotus. Dur. Okam. Gab. Greg. Caith. Palacios, Pesantius, Basil. Ponce, quos apud nostros citatos inuenies. Nostri ferè omnes illam reiiciunt, Valentia ad q. 14 part. 1. punct. 5 §. 1. Vasq. disp. 64. c. 2. Suar. lib. 1. de scientia conting. c. 7. P. Henr. de fine hominis, c. 3 n. 4. P. Lessius de grat. effic. c. 20. n. 8. P. Bec. 1. part. c. 1. q. 10. P. Albertinus q. 2. Theolog. ex 4. principio philosophico, art. 13. P. Arrub. disp. 41. c. 6. P. Herice disp. 6. c. 4. P. Luis. de Torres opusc. 4. disp. 1. P. Fassolus ad art. 13. q. 14. primæ partis dub. 4 P. Adam 1. p. disput. 2. de Deo q. 8. dub. 6. In eisdem nostræ Societatis Doctoribus annumerandus est noster P. Mol. nam licèt q. 14. art. 13. disp. 13 concedat hanc propositionem, *Futura sunt præsentia æternitati*; si verbum *sunt* non consignificet tempus, sed tantummodo præsens æternitatis, disp. 14. sententiam quam nostri Doctores sequuntur amplectitur. Neque in re magis præsentiæ in æternitate fauet N. Ruiz. t. de scientia disp. 18. sect. 3. 4. & 5. vbi illam videtur amplecti, in re tamẽ nihil discedit à communi sententia, quia sect. 6. n. 9. vbi præsentiam hanc rerum in æternitate explicat, hæc tradit: *Futura non ita sunt æternitati præsentia, vt iam actu nunc existãt in ordine ad nostrum tempus præsens.* Deinde addit: *res futuræ non ita sunt æternitati præsentes vt coëxistãt toti æternitati, quoad omnes eius latitudinem virtualem, quemadmodum quantùm ad loci præsentiam nulla creatura præsens est toti diuinæ immensitati, quoad omnes partes extensionis virtualis, & eminentis.* Addit tertiò: *Res futuræ nunc non coëxistunt æternitati, quatenus æternitas correspondet toti tempori præsenti, nec coëxistunt æternitati quatenus æternitas coëxistit tempori præterito, sed coexistit præcisè, quatenus æternitas correspondet tempori futuro: si res futuræ coexistunt æternitati in aliquo vero sensu.* Conditionalem nota: & sect 7. n. 1. expresè asserit hanc præsentiam nihil aliud esse quàm esse futurum rerum, quatenus ab æterno aptum est vt intueatur mente diuina, quod ait priùs esse quàm esse obiectiuè, quia priùs est obiectum esse aptum vt cognoscatur, quàm actu cognosci. Totam suam mentem clariùs aperit Doctissimus Pater sect. 8. n. 1. vbi hæc habet: *Futurorum in æternitate præsentia consistit in hoc, quod res illæ propterea quod aliquando realiter actualiter existent in aliqua differentia temporis, eo ipso sufficienter applicatæ sunt intra sphæram obiecti scientiæ Dei eo quod diuina scientia propter æternitatem immutabilis, & indiuisibilis manens coexistit omnibus temporibus.* His clarè euincitur præsentiam hanc in æternitate, quam N. Ruizius concedit futuris nihil aliud esse præter illorum cognoscibilitatem obiectiuam, qui loquitur de præsentia obiectiua actuali, & denominatione actuali cogniti, ante quam ponit aptitudinem, vt obiectum cognoscatur, quam aptitudinem præsentiam in æternitate appellat, quia per illam ab æterno futurum fit quasi præsens intellectui diuino, vt illud intueatur, & in illud feratur eo modo, quo fertur potentia visiua creata in obiectum sibi debitè approximatum. Hæc ita prolixè notaui ne videretur nostræ sententiæ tanti Magistri deesse suffragium: eadem est mens nostri Granados, 1. part. in illum D. Thomæ articulum, vbi præsentiam in æternitate defendere dicit.

Sit primum argumentum contra hanc sententiam: Nihil potest alteri coëxistere, quod in se non existit, quia coexistere est simul cum alio existere: sed futura ab æterno non existunt: ergo ab æterno non possunt Dei æternitati coëxistentere. Maior est per se nota: Minor certa, omnia enim in principio fuerunt creata, & nihil creatum fuit ab æterno: Consequentia legitima. Respondent Thomistæ, futura ab æterno fuisse existentia non sub mensura, seu sub duratione propria, sed sub mensura æternitatis. Audio verba: rem non percipio. Quod in se secundùm suam entitatem physicè non existit, neque physicè productum est non potest esse sub mensura propria neque aliena; sed futura non sunt ab æterno physicè producta, neque inse ab æterno sunt aliquid, sed tantùm erunt: ergo non possunt esse ab æterno neque sub mensura propria neque aliena. 3

Secundò, si omnia futura coëxistunt ab æterno, æternitati omnia inter se coëxistere necesse sum est; quod sic probo: omnia, quæ coëxistunt alicui tertio, debent existere in eadem mensura, in qua existit illud tertium: ergo illa quæ ab æterno æternitati coëxistunt, debent existere ab æterno in eadem mensura, in illa videlicet in qua existit illud tertiũ: ergo debent inter se coexistere, quia omnia quæ in eadẽ mensura existunt necessariò sibi coëxistũt: coexistere enim nihil aliud est quàm in eadem mensura existere: ex hoc infertur omnia contradictoria, omnes habitus & priuationes simul existere ab æterno. & simul dari omnia contradictoria, quæ excogitari possunt. 4

Argumentor tertiò. Quod non est in tempore absolutè non est secundùm suam entitatem, neque habet esse physicum: ergo implicat aliquid non esse in tempore, & esse præsens æternitati. Probo consequentiam: quod non est in tempore non est formaliter secundùm suam entitatem, neque habet formaliter esse: sed quod non est secundùm suam enritatem, & non habet formaliter esse non potest esse præsens in tempore: ergo non est præsens toti æternitati. 5

Argumentor quartò. Si res ab æterno existunt in æternitate: ergo non incipit in tempore illarum existentia. Probo consequentiam: quod incipit in tempore non fuit ante illud: sed ante quodlibet tempus vniuersæ res fuêre in æternitate: ergo in nullo tempore aliqua illarum incipit esse seu existere. Respondent Thomistæ ante quodlibet tempus fuisse res in mensuraa lia non sub propria mẽsura: bene est: quod existit ab æterno sub alia mensura, ab æterno existit: ergo existentia quæ fuit ab æterno sub aliena mensura, ab æterno fuit: ergo licèt in tempore incipiat esse sub alia mensura, non incepit esse in tempore, neque existentia illius esse incipit, sed noua illius mensura, quæ antea non erat. Rem explico: demus ab æterno extitisse lapidem extra proprium centrum in spatio aëris locatum, & in temporis incipere esse in proprio centro, verum erit dicere, lapis in tempore incipit existere in proprio centro; non tamen dici poterit, lapis in tempore incipit existere. Ratio perspicua est, existere in hac vel illa mensura temporis vel loci dicit duo, existentiam rei, & illius mensuram; mensura supponit existentiam, & ad hoc vt dicatur incipere existere in hac mensura, tantum requiritur vt nunc incipiat rem illam affici tali mensura, non verò rem ipsam incipere, imò implicat incipere in instanti, quo incipit esse in mensura ista, si tota æternitate præcedenti extiterat in alia mensura, quia ad hoc vt extitisset ab æterno in mensura æternitatis, ab æterno existentia secundùm suam entitatem, quæ communis est his duobus modis existendi, præcessisse debuerat, quod opponitur cum inceptione actuali in hoc instanti, quia nihil quod fuit ante hoc instans potest in illo incipere. Parco multis aliis, & non euoluo quo modo inter se distinguantur existere in mensura propria, & existere in mensura aliena, hoc enim ægrè percipitur, & illa nostræ Societatis Magistri in materia de scientia Dei vtinàm exponunt. 6

Obiiciunt Thomistæ: Omnia futura correspondent æternitati 7

nitati : ſed æternitas eſt tota ſimul ; ergo correſpondent toti æternitati. Rurſus : æternitas eſt infinita complectens omnes temporis differentias per ſuam eſſentiam:ſed eſt ab æterno : ergo ab æterno complectitur omnes temporis differentias : ergo ab æterno ſunt illi præſentes omnes temporis differentiæ : ergo ab æterno illi coëxiſtunt. Hoc vnum fundamentum malè decepit Thomiſtas,quod facilè corruere videbunt ſi mecum notent. Æternitas Dei eſt duplex, quædam intrinſeca Deo identificata cum ipſa,indiuiſibilis,& tota ſimul, quia nihil intrinſecum Dei diuiſibile eſt,neque ſucceſſiuè poteſt exiſtere. Alia eſt extrinſeca Deo,quæ præter ſuam entitatem dicit correſpondentiam ad tempus extrinſecum ſucceſſiuè fluens , & coëxiſtentiam cum hoc tempore extrinſeco,quam extrinſecam eſſe ſic probo. Coëxiſtentia Dei cum tempore extrinſeco dicit exiſtentiam Dei,& exiſtentiam temporis extrinſeci: ſed exiſtentia temporis eſt extrinſeca Deo:ergo illius coxiſtentia ratione huius extremi extrinſeca erit Deo. Similiter æternitas intrinſeca Dei permanens eſt,vt iam dixi, æternitas autem extrinſeca , ſeu coëxiſtentia ad tempus extrinſecum neceſſariò eſt ſucceſſiua. Ratio præſto adeſt: non poteſt exiſtere coëxiſtentia ad tempus niſi in ea menſura,in qua exiſtit tempus , ſed tempus, non exiſtit ſimul, ſed ſucceſſiuè & non ſimul exiſtit : ergo. Ex hac doctrina facilè reſpondeo:Creatura coëxiſtit æternitati intrinſecæ; concedo maiorem : coëxiſtit æternitati extrinſecæ, nego maiorem:ſeu ſubdiſtinguo:coëxit toti æternitati extrinſecæ, nego maiorem;coëxiſtit tempori determinato incluſo in æternitate extrinſeca , concedo maiorem. Sed æternitas eſt tota ſimul, diſtinguo minorem;æternitas intrinſeca concedo minorem;extrinſeca,nego minorem. Ergo creatura,ſeu futurum coëxiſtit toti æternitati : diſtinguo conſequens ; toti æternitati extrinſecæ,nego conſequentiam; toti æternitati intrinſecæ,ſubdiſtinguo:coëxiſtit toti æternitati intrinſecæ in ſua differentia temporis,in qua exiſtit concedo conſequentiam:coëxiſtit toti æternitati intrinſecæ ab æterno, nego conſequentiam. Rem tene:Ego modò exiſtens coëxiſto toti Deo, quia totus Deus modò exiſtit, & ita coëxiſto toti æternitati intrinſecæ Dei, quæ ab ipſo Deo non diſtinguitur: Antequam eſſem productus non coexiſtebam Deo, ſicuti neque coëxiſtam, cùm deſinam eſſe , non ex defectu exiſtentiæ Dei , ſed ex defectu propriæ exiſtentiæ. Idemmet modò exiſtens non poſſum in hoc inſtanti coëxiſtere toti æternitati extrinſecæ Dei, quia nunc non eſt tota æternitas extrinſeca Dei , quæ eſſentialiter dicit ; totum tẽpus ſucceſſiuè fluens,quod modò non exiſtit, ſed tantùm vnum indiuiſibile ad illud ſpectans. Ad confirmationem dico æternitatem intrinſecam Dei in actu ſecũdo non coëxiſtere rebus creatis per ſuam eſſentiã,quia eadem eſſet æternitas intrinſeca Dei,etiamſi ego numquam exiſterem,& tamen caſu quo ego non exiſterem , non mihi coëxiſteret : ſed illi coëxiſtit per ſuam eſſentiam, ſeu exiſtentiam, quæ ſunt, idem& per exiſtentiam creaturæ:coëxiſtere enim vt ſæpe dixi, eſt vtrumque extremum exiſtere , quod non fit per eſſentiam vnius extremi , ſed per vtriuſque exiſtentias. Hoc vnum habet æternitas Dei per ſuam eſſentiam , videlicet talis eſſe naturæ , vt implicet aliquid creatum exiſtere, quin illi talis æternitas coexiſtat;ex ſe enim habet Deus eſſẽtialiter non poſſe non eſſe præſentem alicui creaturæ exiſtenti,eo ipſo quod exiſtat,quia ſuppoſita exiſtẽtia creaturæ quæ eſſentialiter requiritur,vt Deus illi coëxiſtat , ratione exiſtentiæ Dei coëxiſtentia deficere non poteſt , quia exiſtentia Dei eſt ſummè neceſſaria , nullo durationis termino circunſcripta. De mente S. Thomæ larè noſtri Theologi ſuprà citati , qui cum nobiliſſimis & antiquioribus diſcipulis D. Thomæ,ſanctum Doctorem ab hac impoſtura defendunt.

§. II.

Præſcientia Dei de futuris liberis cum libertate humana componitur.

8 ARiſtoteles Perihermen. cap.8 aſſeruit propoſitiones ſingulares de futuro contingente à Deo cognoſci non poſſe,quia exiſtimabat non habere determinatam veritatem,aut falſitatem,ſed vagè eſſe veras vel falſas,ita vt hæc propoſitio *Petrus peccabit cras* neque in ſe determinatè vera ſit,neque falſa,ſed vera,vel falſa ſub diſiunctione. Ariſtot.ſequutus eſt Cicero l.2.de natur. diuina paulò poſt principiũ , in quem illa ſatis repetita , iure ſemper repetenda D.Auguſt. verba, lib.5. de ciuitate Dei c.5.*Vt homines faceret liberos, fecit ſacrilegos.* Ex his fontibus venenata pocula hauſerunt Simon Magus & Manichæi,quorũ hæreſim his temporibus ſuſcitauit Vuiclef. contra quos ſolidè & eruditè agit Bellarm. lib.3. & 4. de gratia & arbitrio. Aliqui vindicare ab hoc errore Ariſt. procurant : ſed P. Soar. in opuſc. lib. 1. de ſcientia Dei c.2. n.11. cum Bonau. Greg. & Maiore, Ariſt.iturpiter erraſſe dicit, conſentit P. Vaſq.t.1.p 1.diſp.64. quod acriter propugnat Hurt. diſp.9. de anima ſect.6. ſubſect.2.

Fundamentum prædicti erroris hoc eſt:ſuppoſita ſcien- 9
tia Dei circa obiectum futurum , obiectum non poteſt non eſſe futurum : ergo eſt neceſſarium & non liberum: ergo ſi Deus cognoſcit Petrum craſtina die peccaturum, non poteſt non peccare,ſed neceſſeriò peccat,& ita illius peccatum , ſeu illius actus ex ſe peccaminoſus liber non erit. Argumentum hoc ita retorqueo:ſupponamus per impoſſibile Deum fuiſſe inſcium per totam æternitatem de actu peccaminoſo exercendo, vel non exercẽdo in inſtanti immediatè ſequẽti,& argumentor ſic:In inſtanti ſequẽti,vel erit actus peccaminoſus,vel erit illius negatio:pone tibi quod malueris, ſi dicis futurũ eſſe actũ peccaminoſum rectè infero : ergo nunc eſt futuritio actus pecaminoſi exituri in inſtanti ſequenti,ſeu nunc verè dicitur actus peccaminoſus, futurus eſt in inſtanti ſequenti, ſeu actus peccaminoſus erit in inſtanti ſequenti , ſed ſuppoſita in hoc inſtanti futuritione actus peccaminoſi, ſeu ſuppoſito actu peccaminoſo futuro in inſtanti ſequenti,implicat in inſtãti ſequenti non exiſtere : ergo in inſtanti ſequenti non eſt liber talis actus.Hoc argumentum eſt idem cum illo quod ad tam veſanum errorem traxit oratorum Principem , vt Deo ſcientiam futurorum liberorum denegaret , quod ſcientia ſecluſa eandem retinet fallaciam,quam detegere difficile non eſt, vt in præſenti materia diſſoluatur , & vt præſcientia Dei cum noſtra libertate facile componatur.

Duplex eſt neceſſitas,vna antecedẽs,altera conſequens, 10
neceſſitas antecedens eſt quæ oritur ex aliquo tenente ſe ex parte actus primireſpectu actus qui dicitur neceſſarius, ſeu neceſſitas,quæ oritur ex cauſa : neceſſitas,conſequens eſt, quæ oritur non ex aliquo præcedenti , neque tenente ſe ex parte actus primi,ſeu ex parte cauſæ , ſed neceſſitas quæ oritur ex ipſo actu ſecundo ſeu ex ipſa actione, ipsóve effectu. Hæc neceſſitas non opponitur cum libertate, quia hæc communis eſt cuicumque actui quantumuis libero ; quilibet enim actus liber ex ſuppoſitione quod fit, non poteſt non eſſe,& ſuppoſita illius exiſtentia non poteſt non exiſtere. Neceſſitas antecedens libertatem deſtruit, quia non relinquit principium indifferẽs ad operandum,& non operandum:de vtraque neceſſitate latiùs Controu.12. vbi ex profeſſo de natura libertatis diſputabo.

Ex his principiis facilè argumenta hæreticorum diſ- 11
ſoluuntur.ſuppoſita ſcientia Dei de actu futuro libertatis non poteſt non exiſtere actus in tempore in quo Deus illum extiturum cognouit : diſtinguo , non poteſt non exiſtere actus neceſſitate conſequenti ; concedo : neceſſitate antecedenti , nego : ergo actus noneſt liber, nego conſequentiam:rem explico;non ideo aliquid eſt futurum,quia Deus cognouit illud eſſe futurum,ſed ideo Deus cognoſcit futurum eſſe quia futurum eſt,quod eiſdem ferè verbis docuit D.Hieronymus in cap.26.Ieremiæ : *Non ex eo quod Deus ſciuit futurum aliquid,idcirco futurum eſt,ſed quia futurum eſt Deus nouit , quaſi præſcius futurorum.* Ex quo fit ſcientiam Dei ideo eſſe connexam cum effectu , quia ſupponit effectum productum independentem à tali ſcientia.& conſequenter totam neceſſitatem quam inducit præſcientia obiecti præuiſi oriri,ex eo quod obiectum præuiſum ſupponatur ante ipſam ſcientiam , neceſſitas autem, quæ oritur ex ſuppoſitione ipſius obiecti oritur ex ipſo obiecto , & ita noneſt illi antecedens neque illius poteſt lædere libertatem.

Obiic. Scientia Dei intrinſecè eſt infallibilis:ergo non 12
ſolùm habet connexionem cum effectu ex eo, quod ſupponatur futurum. Probo conſequentiam:Obiectum quod ſupponitur futurum poteſt non eſſe, v.g. etiamſi meus voluntaris actus ſupponatur futurus craſtina die , ego ſum potens ad exercendum,vel non exercendum talem actum: ergo ſi ex alio capite actus non connectitur cum ſcientia, ego qui poſſum non habere talẽ actum, poſſum ſcientiam

Dei

Dei irritam reddere. Respondeo me posse antecedenter ad omnem suppositionem crastina die elicere actum, & non elicere; iam verò suppositâ futuritione actus, seu ex suppositione quod illum sim eliciturus, non posse non elicere illum, & eo ipso quod ex suppositione quod facturus sim actum, non possum non illum facere; ex suppositione quod sit scientia Dei, non possum non facere talé actum, quia suppositio scientiæ Dei inuoluit suppositionē actus futuri, quia scientia Dei essentialiter supponit suum obiectum: ex hoc sit me non posse irritam reddere scientiam Dei, quia ad hoc vt possim adhuc antecedenter irritam reddere scientiam Dei, non sufficit me posse vtcumque auferre illius obiectum, sed requiritur, vt possim suppositâ scientia obiectum auferre, & coniungere negationē obiecti cum ipsa scientia; quod nulla potentia possum præstare, quia suppósita scientia est iam suppositum obiectum, quo suppósito nulla potentia fieri potest ipsum non esse, nulla enim datur potentia ad hoc vt actus, qui est, ex suppositione quod de facto sit, de facto non sit.

13 Obiic. Ego non possum facere vt non sit scientia Dei, quæ nunc est de meo actu futuro crastina die: sed posita scientia non potest non esse actus, quia non potest neque antecedenter coniungi negatio actus cum scientia: ergo non possum facere, vt non sit factus. S. Bonauent. Okam, Greg. Gabr. Cord. Albertus Pighius, quos refert P. Molina 1.p.q.14.disp.16.& Pater Soar. de absoluta scientia futurorum cap. 9. dicunt scientiam Dei ita contingentem esse vt, modò Deus possit facere ne ipse sciuerit, imò ipse homo si non eliciat actum liberum quem tanquam obiectum scientia respicit. Solutionem hanc efficaciter reiiciunt P. Mol. & P. Soar. suprà, & P. Didacus Ruiz t. de scientia, disp. 13. sect. 4. quia, vt vulgo dicitur, ad præteritum non datur potentia, neque potest Deus facere non fuisse quod de facto iam fuit, sed scientia quam modò habet Deus de meo actu libero fuit ab æterno: ergo neque Deus, neque ego possumus modò facere, quod ipsa non fuerit, ergo neque quod non sit, quia ex suppositione quod fuerit implicat non esse, quia scientia Dei essentialiter est æterna, & non potest tempore præterito extitisse, & in hoc non durare. Secundò si id quod fuit posset modò non fuisse, nulla esset certitudo de obiecto reuelato, quia posset Deus facere quod non fuerit reuelatio, qua ablata obiectum nullam habet certitudinem cùm totam illam ex reuelatione mendicet.

14 Meliùs respondeo ex suppositione quod sit scientia me non posse facere illam non esse, aut non fuisse, quia si id aliquo modo possem facere, esset auferendo obiectum: sed ex suppositione quod sit scientia supponitur me non ablaturum, sed positurum effectum, qua suppositione facta implicat illud auferri à me: ergo de primo ad vltimum, suppósita scientia non possum auferre obiectum. Antecedenter ad scientiam possum facere, & non facere id, quo facto necessariò est scientia, & quo non facto implicat scientia de illo vt facto, & necessariò est scientia de illo vt non facto, seu de illius negatione, quia antecedenter ad omnē scientiam possum modò elicere actum amoris, quo elicito necessariò cognoscitur talis actus ab æterno in hoc instanti futurus, & modò præsens in eodem instanti, ac proinde talis scientia est libera respectu mei non in se ipsa, sed in obiecto.

§. III.

Veritas futurorum liberorum statuitur.

15 VNa est omnium Catholicorum certissima veritas Deum ab æterno futura libera ab æterno cognoscere: veruntamen non desunt aliqui asserentes propositiones illas in se non habere determinatè veritatem aut falsitatem, quos ego interpretor respectu nostri, quia nos non possumus determinatè cognoscere, an sint veræ vel falsæ, sed tantùm certò scimus esse veras, vel falsas ignorantes, quod illis ex his duobus extremis conueniat.

16 Dicendum est cum Patre Soar. & Patre Vasquez locis suprà citatis propositiones has in se habere determinatam veritatem aut falsitatem, ita vt cùm ego profero hāc propositionem, *Petrus peccabit*, Deus cognoscit me determinatè verum dicere, aut cognoscit me determinatè dicere falsum. Probatur primò ex cognitione diuina, qua nosci Deus Petrum crastina die peccaturum, & ex reuelationibus prophetarum, qui plura futura libera præ dixère, quorum propositiones affirmatiuas dicimus esse veras, quòd nullus non totius scripturæ corruptor negabit: ergo similiter propositiones à nobis prolatæ de isdem obiectis determinatam veritatem habebunt. Probo consequentiam. Ratio propter quam propositio circa futurum liberum dicitur non posse habere veritatem determinatam, est quia in se determinatum non est, sed hæc ratio non obstat respectu præscientiæ, quam habet Deus de his obiectis, & respectu reuelationum Prophetarum: ergo neque respectu iucicij à me facti seu propositionis à me prolatæ circa idē obiectum. Vrgeo; demus Deum reuelasse crastina die Petrum eliciturum actum contritionis, & me habere cognitionem quamdam, etiam non innitentem illi reuelationi, qua ex aliquibus coniecturis. vel temerè sine fundamēto affirmo Petrum eliciturum actum contritionis, in hoc casu iudicium quod Deus habet de contritione futura est verum: ergo similiter verum erit iudicium quod ego habeo de eadem contritione futura; si enim ego iudico idem quod Deus iudicat sicuti Deus verè iudicat, sic ego verè iudicabo, implicat enim dari duo iudicia repræsentantia idem obiectum cum eisdem circunstantiis, & vnum esse verum, & non aliud, vt ex ipsis terminis est per se notum. Deinde si postquam Deus reuelasset Petrum crastina die eliciturum actum contritionis diceret Ioannes: *Petrus non eliciet crastina die actum contritionis*: censeretur hæreticus, si reuelatio à Deo facta esset sufficienter applicata: ergo illa propositio negatiua esset falsa: ergo propositio de futuro contingenti falsitatem habet, non enim quis poterit hæreticus censeri, qui nullum iudicium formaliter falsum concepit.

Secundò. Hæ propositiones, *Petrus peccabit*, *Petrus non peccabit*, sunt contradictoriæ, sed ex duabus contradictoriis vna debet esse vera, & altera fala: ergo ex his propositionibus vna debet esse vera, & altera falsa. Maior & minor neque recentem Summulistam latebunt: Maior specialiter probabitur: vna ex his propositionibus affirmat Petrum peccaturum, altera id negat: ergo sunt affirmatio & negatio eiusdem de eodem: Minor per se patet: Consequentia est legitima. 17

Tertiò arguo: Etiamsi Petrus modò sit indifferens ad peccandum, vel non peccandum die crastinā, de facto determinabitur ad peccandum, vel determinabitur ad non peccandum, quia inter hoc quod est peccare & non peccare non est medium; si se determinabit ad peccandum, vera erit hæc propositio, *Petrus peccabit*, & falsa, *Petrus non peccabit*: & è contra si se determinabit ad non peccandum: ergo hæ propositiones habent determinatam veritatem, & falsitatem. Vrgeo: in hoc instanti verum est dicere, *Petrus modo peccat*: ergo heri verum erat dicere, *Petrus cras peccabit*. Probo consequentiam: quod modò est præsens, heri erat futurum, quia esse futurum in aliquo tempore nihil aliud dicit quàm præsentiam rei in tempore venturo: ergo qui heri diceret, *Petrus cras peccabit*, diceret id quod modò est: ergo illius dictio conformaretur cum obiecto: ergo esset vera. 18

Obiicies: futurum liberum non habet esse determinatum: ergo non habet veritatem determinatam. Probo consequentiam: Veritas obiectiua determinata non distinguitur ab ipso obiecto, sed futurum liberum, quod est obiectū non habet esse determinatum: ergo non habet veritatem obiectiuam determinatam. Censent aliqui hæc futura non cognosci in seipsis, sed in decreto, quo Deus illa prædefinit. Contra quod decretum feliciter scripsère Doctores nostræ Societatis: legatur Ruizius t. de voluntate, vbi à disp. 27. vsque ad 38. decretum prædefinitum respectu actus peccaminosi validissimè impugnat. Respondeo distinguendo illud antecedens: futurum liberum non habet esse determinatum in causa, concedo: in se, subdistinguo: non habet esse determinatum actuale, concedo; non habet esse determinatum futurum, nego; hoc est, non illud habebit, nego: Deinde nego consequentiam. Ad confirmationem, Distinguo maiorem propositionem: veritas actualis obiectiua non distinguitur ab ipso obiecto sumpta præcisè in ordine ad se, concedo; sumpta in ordine ad intellectum, subdistinguo: veritas actualis non distinguitur ab ipso obiecto sumpta præcisè in ordine ad se, concedo; sumpta in ordine ad intellectum, subdistinguo: veritas actualis non distinguitur ab ipso obiecto, siue præterito, siue futuro, concedo maiorem: non distinguitur ab ipso obiecto vt actu existente præcisè, & non præterito vel futuro, nego maiorem: 19

maiorem : veritas enim obiectiua tantùm dicit aptitudinem, ad terminandum, quam actu habet obiectum, quod actu non existit, sed existet, vel extitit, quia ad terminandum actu cognitionem non requiritur actualis existentia obiecti terminantis. Ob quam rationem loquebatur N. Ruizius suprà cum Thomistis, dum dicebat res esse præsentes in æternitate, quia respectu mentis diuinæ, id quod est futurum, vel præteritum perinde se habet, ac si esset actu existens, ex illa enim mensura præterita, vel futura est intra sphæram, ad quam cognitio diuina ab æterno se potest extendere, & sicuti esse intra sphæram agentis, vel cognoscentis dicitur illi esse præsens, sic futurum quod ab æterno est intra sphæram Dei potentis cognoscere, potest dici ab æterno illi esse præsens. Quod verissimum est, in re tamen talis præsentia nihil aliud est quàm obiectiua, non in actu secundo cum denominatione cogniti, sed in actu primo quatenus obiectum est potens cognosci: Posset aliquis dicere, Deum non cognoscere futura in veritate quam actu habeant, sed in veritate quam habebunt, quia illa cognoscit in ipsorum entitatibus, quæ non sunt, sed erunt, & ea est diuinæ mentis infinita perfectio, vt feratur in ea quæ non sunt, sed erunt eodem modo, ac si actu essent, qui dicendi modus nihil differt ab illo, quem exposui in solutione argumenti, quia cùm dicimus futura non habere veritatem obiectiuam actualem in ordine ad se, sed in ordine ad intellectum diuinum, idem est ac dicere in se non habere entitatem, quæ dicitur obiectiua veritas, hanc tamen posse terminare intellectum diuinum, quod oritur ex perfectione cognoscentis potentis cognitione ferri in rem, quæ non est, sed erit.

§. IV.

Vnde veritatem habeant hæc futura.

20 SAt mihi videbatur in opere philosophico statuere veritatem futurorum liberorum absque eo quod ex professo disputarem, an in se ipsis, vel in aliquo medio cognoscerentur, & ita & si insinuauerim in se ipsis, & non in decreto cognosci, huius rationem non expendi, scio tamen nonnullum hoc desiderasse ideo placet, quod in hac re tenendum sit, tradere, vt vndique quæstio ista perfecta & absoluta censeatur.

21 Futura hæc in decreto efficaci Dei illa prædefinienti cognosci, & independenter, seu antecedenter ad hoc nullam veritatem habere, neque in se ipsis posse cognosci defendunt Thomistæ, Bañez q. 14. art 13. dub. 3. Ledesma de scientia futurorum dub. 3. Aluarez lib. 2. de auxiliis disp. 10. eandem sententiam defendunt Scotus in 1. dist. 34. q vnica. §. *visio de contingentia*. Richardus dist. 38. q. 5. Alensis q. 24.

22 num. 7.

Communis D. P. Societatis Iesu sententia negat futura contingentia cognosci in decreto, affirmatque in se ipsis cognosci, Ita tenent Bellarm. lib. 2. de amissione gratiæ cap. 24. & 26. Molina in concordia ad art. 3 q. 14. Suarez lib. 1. de absoluta scientia futurorum contingentium cap. 6. & lib. 2. de concursu Dei per quinque cap. Fonseca 6. Metaph. cap. 2. q. 4. sect. 6. Lessius, de efficacia gratiæ cap. 3. & alij.

23 Statui Controu. 10. Physic. Punct. 4. Deum concurrere cum voluntate ad actus liberos per decretum quoddam indifferens, vt coniungatur cum operatione voluntatis, & cum illius carentia, ibidémque statui non posse concurrere per decretum intrinsecè efficax, & connexum cum operatione voluntatis salua illius libertate. Hoc ipsum probatur eisdem argumentis, quibus ostendi physicam prædeterminationem non posse componi cum libertate, omnia eorum argumenta, quæ contra physicam prædeterminationem in hac parte procedunt eodem prorsus modo contra hoc decretum militant. Addo effugium, quod quæri solet ex eo quod physica prædeterminatio non pertineat ad actum primum, sed sit illius complementum, seu quid medium, inter actum primum, & actum secundum respectu huius decreti tentari non posse.

4 Sunt nonnulli, qui disparitatem reddant inter physicam prædeterminationem, & hoc decretum, ex eo, quod decretum sit quid extrinsecum, & ita non potest immutari modum operandi intrinsecum voluntati. Deinde quia per hoc decretum vult Deus actum voluntatis liberè fieri, & ita non potest inducere illius necessitatem, hoc enim esset inducere oppositum illi, quod decreto intenditur, & ipsum decretum frustrari.

Vtrumque leuis momenti est, & neutrum disparitatem 25
aliquam ad rem conducentem importat. Dum enim decretum intrinsicè efficax est per se ipsum, aut per media intrinsicè efficacia operationis exequutiuum, & ponitur antecedenter ad exercitium voluntatis quantumuis extrinsecum sit, eadem prorsus argumenta ex illo desumuntur ac ex physica prædeterminatione, cum illo enim neque in sensu diuiso, neque in sensu composito potest voluntas carentiam operationis componere : non in sensu composito, quia tale decretum vt pote intrinsicè efficax, & connexum cum operatione incompossibile est cum illius carentia, non in sensu diuiso, quia voluntas non potest impedire, seu à se diuidere hoc decretum. Scio, Patrem Suarium frequenter dixisse decretum prædifinitiuum actus liberi non posse lædere libertatem, quia est extrinsecum voluntati, & ita non immutat modum operandi eiusdem voluntatis. Verum decretum extrinsecum voluntatis appellat decretum præintentiuum, quod solùm influit remote in voluntatis operationes per media extrinsicè efficacia, & hæc tantùm producit non nisi mediis cum operatione voluntatis coniungitur, & hoc decretum tantùm vocat extrinsecum voluntatis, & de eo dicit non immutari modum operandi, non vero decretum immediatè exequutiuum, aut ex sua efficacitate connexum cum voluntatis operatione. Hanc esse Patris Suarij mentem illum legenti aperte constabit.

Istud autem, quod dicitur, decretum illud non lædere 26
libertatem, quia potiùs illam prædefinit, & actum liberum debet inferre ne irritum sit, est probandum supponere, & terminis implicare. Dicimus enim tale decretum repugnare quia ex vna parte, vt adimpleretur actum liberum deberet inducere, vt probat obiectio, & ex alia parte esset libertatis destructiuum, & ita ex illo duplex contradictorium sequeretur, & Deum habere tale decretum perinde esset ac dicere, volo dari actum voluntatis nulla potentia impedibilem, seu quem voluntas non posset non elicere, & quem voluntas posset elicere, & non elicere, quod est formalissimè velle duplex contradictorium. His præmissis.

Sit prima conclusio ; futura libera cognosci non pos- 27
sunt in decreto aliquo efficaci aliorum executiuo, neque ab eo in aliquo genere causæ veritatem habent. Ratio est, quia tale decretum respectu illorum dari implicat, vt pote libertatis destructiuum, vt modo dicebam. Nec nego, quod si tale decretum daretur optimum esse medium ad illa cognoscenda, esset enim connexum cum illis, & ita optimè in illo cognoscerentur.

Sit secunda conclusio ; futura libera in se ipsis imme- 28
diatè à Deo cognoscuntur, & per se ipsa independenter ab omni alio medio, seu determinatiuo terminant cognitionem diuinam. Ratio est, quia eo præcisè, quod hodie Petrus peccet, fuit verum dicere Petrus peccabit, & sic in tota æternitate præcedenti, in quocumque enim instanti æternitatis dictum fuisset Petrus peccabit, reperimus modo verè dictum fuisse, eo præcisè, quod Petrus nunc peccet. Etenim per se notum verum dixisse, qui ab æterno seu in quacumque mensura antecedenti dixit futurum esse hodie, quod hodie est, quia iste dixisset rem esse futuram, quæ in re erat futura, quod enim in hac mensura est præsens in omnibus antecedentibus in ordine ad hanc futurum dicitur. Quod si ab æterno fuit verum dicere Petrus peccabit eo præcisè, quod peccet, ab æterno Deus habuit hanc cognitionem Petrus peccabit eo præcisè, quod hodie peccet, quia cum Deus sit determinatus ad habendam omnem cognitionem veram : est optima consequentia. Si Deus ab æterno habuisset hanc cognitionem talis cognitio vera esset : ergo illam ab æterno habuit. De hoc latius in tractatu de scientia Dei, & non nihil amplius dicam.

Tertia conclusio futura libera cognosci non possunt in 29
voluntate proximè potenti ad actum liberum, neque in omnibus aliis comprincipiis cum voluntate concurrentibus, in quibus est decretum, quod habet Deus concurrendi cum voluntate per modum causæ primæ. Ratio est, quia voluntas sic in actu primo constituta, & decretum concurrendi, & quæcumque alia comprincipia in actum

liberum influxurâ sunt indifferentia,ad actum, & ad illius carentiam, & æque cum hac, ac cum illo componi poterunt:ergo ex illis non magis infertur actus,quam carentia actus:ergo non sunt media apta ad cognoscendum actum. Principia omnia ad actum liberum præsupposita indifferentia esse, vt cum illo,aut illius carentia coniungantur, constat ex definitione potentiæ liberæ tradita Contr. 12. de Anima Punct.4. & ex dictis Punct. præcedenti contra Physicam prædeterminationem. Principia indifferentia ad actum, & carentiam illius non esse media apta ad actum cognoscendum admittunt communiter ferè omnes Theologi, etsi Molina voluerit in illis per super comprehensionem posse à Deo effectum cognosci, de quo hic, quia nimis Theologicum disputandum non est. Nec Thomistæ dicunt in voluntate principiis tantum indifferentibus præuenta posse actum liberum agnosci, sed solum asserunt in voluntate physica præmotione instructâ posse cognosci actum liberum voluntatis,quod nos non negaremus, si in principiis actus liberi physica prædeterminatio posset annumerari, conclusionem tantùm negamus,quia censemus repugnare physicam prædeterminationem intrinsicè, & essentialiter cum actu connexam principium esse actus liberi, potius ipsius carentia essentialiter est prærequisita, vt voluntas possit liberè operari.

30 Quarta conclusio; si admittatur decretum efficax intentiuum actus liberi, quod in hunc solum influit remotè per media extrinsecè efficacia, quale illud admittunt Authores citati,& plures alii, quibus consensi in tractat. de Auxiliis,in hoc rectè potest cognosci actus liber.Ratio est quia & si decretum hoc tantum influat in actum remotè, & per media indifferentia, & præcisè ex vi suæ actuitatis non coniungatur cum actu libero,tale est, vt de potentia absoluta implicet componi cum carentia actus: ergo licet non per immediatam,sed per mediatas consequentias, vt explico vbi de hoc decreto disputo,tamen infert actum, quod sufficiens est,vt in illo actus liber, cum quo mediatè connectitur possit cognosci. Tradit hanc conclusionem Suarius lib.1. de absoluta scientia futurorum c.6.

31 Contra secundam conclusionem est vulgare argumentum:futura libera nullum habere esse determinatum, sed esse indifferentia,vt sint, vel non sint, ac proinde non esse determinatè cognoscibilia,seu nullum esse determinatum illorum cognoscibile esse. Si Authores, qui sic arguunt consequentiam seruarent,etiam suppositis decretis illis, & quibuscumque prædeterminationibus idem argumentum posset in illos retorqueri, quia illis omnibus principiis præsuppositis,quæcumque illa sint,voluntas manet libera antecedenterque potens operari,& non operari: ergo ex illa quibuscumque principiis instructa non potest certo inferri operatio cum operationis carentia possit procedere, seu cum possit operatio non procedere: Dixi fore, vt posset retorqueri argumentum in eos, qui eo vtuntur, si consequentiam seruarent, cum vero eam minimè obseruant, sed velint cõponere libertatem voluntatis, quæ essentialiter indifferentiam includit cum determinatione orta ex principio, quæ cum libertate opponitur, locus dandus non est, vt argumentum in illos retorqueri sit necesse,sed vrgendi sunt ex eo,quod contradictoria sustineãt dum principium intrinsecè, & essentialiter connexum cum actu cum illius libertate velint componere.

32 Respondeo igitur: futura libera nullam habere determinationem in causa,quia hæc est indifferens,vt cum illis aut eorum carentia coniungatur, habere tamen determinationem in se ipsis, quia etsi potuerunt esse & non esse de facto erunt, & quia meus actus liber erit, ab æterno Deus habet cognitionem, qua dicit, *actus erit*, quia ex eo præcisè quod erit vera est cognitio, quæ dicit *actus erit*,& cum Deus sit determinatus ad habendam omnem cognitionem, quem si habeat erit vera,eo præcisè, quod actus erit determinatus,est ad habendam cognitionem, qua dicat actus erit absque eo, quod inseruiat aliud medium, seu determinatiuum huius cognitionis.

33 Obiicies:actus,qui crastina die est futurus,hodie, & in tota æternitate non est, neque aliquid illius datur: ergo actus nullam habet cognoscibilitatem. Respondeo antecedens esse verum, illud tamen non obstare, vt actum possit terminare cognitionem diuinam,nam hæc valet terminari, non solum ad id, quod est, sed ad id,quod erit. Poterit igitur concedi antecedens, & distingui consequens,vt magis cuiscretur,& clarius nostra doctrina appareat nullam habet entitatem actualem, quæ fundet cognoscibilitatem concedo consequentiam, nullam habebit entitatem,ad quam modo possit actu terminari diuina cognitio,à qua id, quod erit actu cognoscibile denominatur nego consequentiam.Itaque in hoc concreto futurum cognoscibile in eo subiectum non est,sed erit, forma autem, à qua cognoscibile denominatur nempe cognitio diuina potens terminari non solum ad id quod est,sed ad id,quod erit denominat id actu non est, sed erit actu cognitum,& actu cognoscibile, & ita quod actu non habet esse, sed habebit actu dicitur cognoscibile, & habere cognoscibilitatem actualem.

Obiicies; hæc propositio, Petrus peccabit cras habet 34
veritatem formalem actualem, sed hæc veritas non est adæquate idemtificata cum propositione:ergo præter hanc debet dari aliquid aliud complens veritatem, & denominans propositionem veram.Plures sunt,qui veritatem formalem propositionis, cum ipsa propositione adæquate idemtificatam esse affirmant asserentes propositionem esse intrinsicè veram,quod potiori iure de cognitionibus diuinis, & internis iudiciis Dei dici posset. Verum tamen plures propositiones intrinsice veræ dicantur, quia illis falsitas repugnat, & essentialiter cum obiecto coniungantur omnium veritatem formalem compositam censeo ex propositione, & ex obiecto, quod Controu.7. de Anima, Punct.1.§.3.& 4. Affirmo igitur,Propositionem hanc Petrus peccabit constitui actu formaliter veram per se ipsam, & per peccatum, quod non est, sed erit, & ex vtroque componi,eo enim,quod Petrus cras peccabit,& quis dicit Petrus peccabit,dicit actu,quod erit, & dicit verum. Instant nonnulli non potest dari totum actu existens,cuius partes omnes actu existentes non sint,nec pars actu non existens potest actu totum componere, nec forma, quæ actu non est actu denominationem tribuere.

Argumentum istud, quod hucusque contempsere om- 35
nes, plurimum valuit apud iuniores quosdam, apud quos tanti momenti est, vt eo conuicti dicantur,quare aliquid actu existens,quod simul cum propositione veritatem formalem actualem componat, nunquam mihi persuadebo homines alioqui acuto, & claro ingenio præditos in eo vim aliquam agnouisse, sed illam simulasse vt occasionem inuenirent à communi sententia discedendi, & latum inueniendi campum, per quem possint longissimis discursibus, & peregrinis meditationibus diuagari, quibus nunquam conquiescere poterunt,nam principiis alienæ scholæ non consentientes, nec propriæ inhærentes, nihil firmum vnquam habebunt vbi pedem figant,nouamque semper impugnationum materiam aliis subministrent, quibus longissimos tractatus paucis quibusdam inutilibus quæstionibus replent, & audientium, ac legentium capita fatigant.

Respondeo igitur, quod æque verum,ac vulgare & apud 36
omnes in totis moralibus, & in extrinsecis denominationibus non requiri coexistentiam actualem omnium partium,nec existentiam actualem formæ denominantis, sic ego modo dicor Adamo posterior ab existentia Antichristi,qui præcessit, & posterior Antechristo ab existentia Antechristi quæ non est,sed erit,& ego dicor,& fum modo religiosus ab actu vouendi ex parte mei, & actu acceptandi ex parte religionis, qui iam præcesserunt,& sic in denominationibus coniugati serui,& Domini,aliisque innumeris, de quibus nullus hucusque dubitauit, præter iuniores quosdam nimis subtiles,quibus modo placet id negare, nouumque sibi onus imponere designandi formas actu physice existentes harum omnium denominationum, quod inextricabilibus, eisdemque solum notis discursibus præstare intendunt,quod nunquam assequi valebunt.

PVNCTVM VI.

De veritate futuri liberi conditionati.

§. I.

Præmittuntur nonnulla.

FVturum conditionatũ dicitur illud quod casu,quo talis 1
conditio ponatur, erit, siue talis conditio ponenda sit vel

vel non,quapropter propositio conditionata hypothetica dicitur,seu ex hypothesi, quia nihil absolutè futurũ affirmat , sed tantùm quod futurum esset, si talis conditio ponatur.Hoc sibi volunt Dialectici,cùm dicunt , propositionem conditionalem nihil ponere in esse,non enim affirmant quod actu sit aliquid , sed quod esset , quapropter nulla repositâ conditionalis propositio vera esse poterit. Si enim ego dixero ; *Si peterem librum à Petro , illum mihi concederet*:propositio vera esse potest, etiamsi petitio libri & illius largitio in rerum natura non ponatur. Propositio tendens in hoc obiectum conditionatum conditionata dicitur,non quia ipsa in se formaliter conditionata sit , sed quia obiectum respicit conditionatum,actus enim quo ego dico,*si peterem librum à Petro,illum mihi daret*,in se absolutus est,& absolutam actualemque existentiam habet , dicitur tamen conditionalis ratione obiecti quod in se conditionatum est.

2 Propositiones omnes de obiecto conditionato , vulgò de futuro conditionato dicuntur , sunt tamen plures de præsente conditionato , aliæ de præterito conditionato, aliæ de conditionato futuro.Propositio de præterito conditionato est illa,in qua affirmatur quod fuisset aliqua res in tẽpore præterito,si talis conditio esset posita, vel quod fuit,si posita sit conditio ; sicuti cùm quis dicit : *Si Petrus heri librum à Ioanne petiisset , Ioannes librum heri illi contulisset*, seu *si Petrus heri librum petiuit à Ioanne,heri Ioannes librum illi contulit*.Hæ duæ propositiones sunt de præterito conditionato , differunt tamen,quod hæc posterior,neque virtualiter affirmat,aut negat Petrum petiuisse,aut Ioannẽ librum contulisse , prior autem illa virtualiter dicit Petrum heri librum non petiisse,qui enim dicit : si hoc fecisses , res ita contingeret,virtualiter dicit , res non ita contigit , quia hoc non fecisti : vnde propositio illa duo affirmat vnum virtualiter & implicitè,aliud formaliter & expressè ; expressè dicit collationem libri conditionatam , quæ fuisset in tempore præterito,si talis præcessisset conditio;virtualiter & implicitè enuntiat absolutum obiectum,videlicet non fuisse positam illam conditionem,& ex illius defectu euentum non esse sequutum.Propositio de præsenti conditionato est,quando affirmatur aliquid actu existere non absolutè,sed ex suppositione talis conditionis. Hæc similiter est in duplici differentia : vna quæ tantùm enunciat euentum conditionatum, vt cùm ego dico:*Si Petrus in hoc instanti habet talem cogitationem,in hoc consentit* : hæc neque virtualiter, neque formaliter aliquid absolutum enunciat. Alia est quâ dicimus : *si nunc ego pecunias haberem , statim equum emerem*. Hæc propositio formaliter enuntiat euentum conditionatum,& virtualiter & implicitè negationẽ euentus absoluti ex negatione positionis absolutæ conditionis,& ita resoluitur:equum non emo,quia careo pecuniis.Similiter propositio de futuro conditionato est duplex , quædam purè conditionata , quæ nihil ponit in esse, sed affirmat futurum esse talem euentum, si talis conditio ponitur:Sicuti cùm ego dico : *Si crastina die pecunias habeo, equum emam*. Alia non est purè conditionata, sed significat euentum futurum , si talis daretur conditio, & virtualiter & implicitè negationem euentus ex negatione conditionis,vt cùm quis dicit : *Si crastina die ego habiturus essem pecunias,ego crastina die equum emerem*, qui dicendi modus est quasi desperantis,seu dolentis se pecunias non habiturum, ita aptè sic dicenti respondemus:bono animo esto, habebis pecunias,& equum emes:non procedit quæstio de veritate respectu obiecti absoluti virtualiter affirmati,sed de obiecto conditionato expresse significato.

3 Oportet etiam sciri in propositionibus conditionatis, de quibus loquimur , antecedens non habere connexionem necessariam cum consequenti , aliàs futurum seu obiectum conditionatum non esset liberum , sed necessarium,sed tantùm habet antecedens , seu id quod ponitur ex parte conditionis conducentiam quandam , ratione cuius consequens , seu id quod sub conditione ponitur, possit procedere à conditione indifferenti vt ab illo procedat, & non procedat conditionatus euentus. Hæc indifferentia conducentiam aliquam in actu primo , seu potentiam aliquam in illa conditione vt possit ad positionem effectus conducere , includit essentialiter. Sicuti in hac propositione:*Si Petrus vocatus fuerit ad pœnitentiam,pœnitebit*. Vocatio quæ ex parte antecedentis indifferens est , vt coniungatur cum pœnitentia , & cum negatione pœnitentiæ, licèt pœnitentia non possit non eo ipso quod existat, à vocatione procedere , & vocatio in actu primo , intrinsecè virtutem habeat influendi in pœnitentiam dependenter à libertate voluntatis:ex hoc infertur propositiones has conditionales veras non esse ex vi consequentiæ,neque ratione formæ , sed ratione consequentis , hæc enim consequentia : *Petrus est vocatus ad pœnitentiam : ergo pœnitebit*, semper est mala,etiamsi vocatus pœniteat , quia ex vi vocationis ita pœnitet vt antecedenter potuerit non pœnitere , & quotiescumque antecedens potest existere,existat,mala est illatio facta Quò fit,regulam illam, *Consequentia,quæ semel est bona,semper est bona* , non comprehendere has propositiones de obiecto conditionato libero,quia illa tantùm traditur de consequentia, quæ formaliter ex vi illationis , & ratione formæ est vera consequentia.

Propositio conditionalis alia est constans conditione 4
disparatâ cum consequenti , alia conditione proportionatâ consequenti. Propositionem conditionatam de conditione disparata vocant Authores illam,cuius conditio non habet aliquam conducentiam ad effectum ex se , sed ex decreto aut reuelatione Dei, sicut illa propositio 4. Reg.c.13.*Si percussisses septies,delesses Syriam* , quam dicunt multi veritatem habere ratione reuelationis , quibus ego non assentior,quia si percussio septena præcessisset , fuisset Syria deleta,& non fuisset hæc reuelatio:ergo independẽter ab hac reuelatione verũ erat dicere : *si percussisses septies deleuisses Syriam*. Hæc alibi expendenda sunt , vbi tractandum est,an dẽtur propositiones cõditionatæ veræ quarum conditio disparata sit ; ego multum in negatiuam partem propendeo propter rationem,quam infrà insinuabo. Dixi agendum esse,an dentur propositiones conditionatæ veræ, quarum conditio disparata sit respectu consequentis, nam mihi dubium non est posse dari propositionem habentem propriissimè totam rationem constitutiuam propositionis conditionatæ , quantumuis conditio disparata sit cum consequenti.Ratio est,quia natura propositionis non sumitur ex modo quo obiectum significatum existit à parte rei , sed ex modo , quo significatur ex vi propositionis. Vnde si ego significo conuersionem Turcæ dependentem tanquam à conditione à gallicinio, per hunc conceptum, *si gallus cantat,ex vi cantus Turca conuertetur* , propositio erit hypothetica,quia affirmat prædicatum ex suppositione futurum,& dependens à conditione , quod tamen si ita non fit,reddet propositionẽ falsam,non tamen ideo propositio conditionata non erit , quia vt modò dicebam dum obiectum eodem modo significatur,propositio eiusdem est naturæ,siue obiectum existat,siue non existat.

Notandum est etiam ex parte conditionis debere poni 5
in omni propositione verâ, totum id quod ex parte principij requiritur vt sit effectus conditionatus, verbi gratia, ad actum charitatis requiritur habitus supernaturalis & cogitatio in illum inclinans. Hæc propositio : *si esset cogitatio esset actus contritionis*,vera esse non potest,si ex parte conditionis non tacitè intelligitur habitus , ita vt sensus sit si fuerit cogitatio & habitus erit actus contritionis. Suppono modò habitum requiri ad actum, vt doctrinam tradam intelligendam de omni principio requisito ad euentum conditionatum.Ratio est quia,secluso vno principio requisito ex vi aliûs effectus esse non potest , quia supponimus ad hunc requiri duplex principiũ(inadæquatum intellige) ergo in sensu absoluto nunquam est effectus ex vi vnius tantùm principij ,neque ex illo tantùm procedit:ergo neque in sensu conditionato verum erit, *si fuerit hoc principium, erit effectus* , quia principium quod in statu absoluto insufficiens est ad inferendum effectum,in statu conditionato non illum neque liberè neque neq; necessariò inducet, quia effectus ,qui in statu absoluto non potest procedere , nisi à duplici principio inadæquato , non potest in statu conditionato verè significari adæquatè dependens ab vno principio. Propter hanc rationem ferot in sententiam affirmantem nullam conditionem propositionis veræ disparatam esse , quia cùm conditio adæquata omnis propositionis veritatem habentis debeat influere in euentum conditionatum , aliàs propositio conditionatè euentum significans vera non erit,vt postea dicam, debet habere virtutẽ influxiuam, id autem quod virtutem influxiuam habet in aliud respectu illius disparatum non est sed proportionatum. Ex quo in primis infertur conditionem adæquatam semper esse proportionatam cum euentu conditionato,idèque infertur de conditione inadæquata,

nam licet intrinsecè,& ex se proportionem non haberet, ratione alterius adæquatæ conditionis fieret proportionata. Dixi etiamsi proportionem intrinsecè non haberet, quia difficile est non inueniri antecedenter ad decretum & reuelationem Dei proportionem aliquam in re, seu in conditione inadæquata, cui Deus ex decreto aut reuelatione euentum conditionatum annexuit.

§. II.

Assignatur obiectum propositionis de obiecto conditionato libero.

6 SEd adhuc grauis est difficultas in assignanda conditione respectu futuri liberi conditionati ratione decreti seu concursus Dei requisiti ad existentiam futuri, quomodo videlicet decretum hoc, seu Dei concursus poni debeat, an videlicet ex parte conditionis,vel ex parte euentus conditionati. In qua re non vna omnium Doctorum mens. Pono euentum conditionatè futurum esse actum quemdam naturalem voluntatis, ad quem nullum aliud principium creatum requiritur præter voluntatem præuentam naturali cognitione obiecti, & de hoc inquiro, quomodo assignanda sit conditio. Dicunt quidam ex parte conditionis ponendum esse concursum Dei, ita vt sensus sit: si voluntas habuerit talem cogitationem,& Deus cum illa concurrerit, erit actus voluntatis.Hic modus assignandi obiectum cognitionis conditionatæ nullo modo sustineri potest,quia concursus Dei non distinguitur à concursu creaturæ, & concursus creaturæ non distinguitur ab actu illius. Ex quo fit idem esse ponere ex parte conditionis concursum Dei, ac ponere concursum creaturæ & euentum ipsum conditionatum, ita vt sensus illius propositionis erit, si fuerit voluntas cum cogitatione, & concursus Dei, & voluntatis idem inter se,idémque cum actu voluntatis, erit actus voluntatis: erit ergo hæc scientia inepta,& Deus hoc obiectum cognoscens tantùm cognosceret: quod si fuerit actus voluntatis, erit talis actus, & quod si concurrerit, erit illius concursus, qui est idem cum actu voluntatis. Dicunt alij conditionem ita esse ponendam, si voluntas haberet hanc cogitationem & posset operari independenter à Deo, tali cogitatione positâ operaretur. Hoc obiectum scientiæ conditionatæ est chimæricum. ex vi enim illius cognosceretur, quid fieret si daretur alia voluntas potens operari independenter à Deo quæ est voluntas chimærica,non verò quid fieret datâ hac voluntate,quæ dependenter à Deo essentialiter operatur, si talem cogitationem haberet. Alij decretum Dei ponunt ex parte euentus conditionati, & ita obiectum veritatis conditionatæ assignant, si voluntas habuerit talem cogitationem, Deus decernet cum illa concurrere,& consentiet.Difficilè defenditur hoc obiectum veritatis conditionatæ; quia in primis voluntas cum cogitatione non est sufficiens conditio ad actum voluntatis sine decreto Dei volentis concurrere: ergo non potest cognosci actus voluntatis futurus tantùm sub conditione voluntatis cum cogitatione, quia,vt dicebam, euentus conditionatus non potest cognosci liberè futurus nisi sub adæquata conditione illius. Secundò actus voluntatis non potest cognosci sub hac conditione liberè futurus nisi cognoscatur dependens à principio cum omnibus requisitis ex parte causæ primæ,& secundæ ad operandum: sed præter voluntatem,& cogitationem requiritur omnipotentia indifferens ad producendum actum voluntatis, vt sit talis actus: ergo non potest cognosci liberè futurus, & tantùm dependete à voluntate & cogitatione. Alij dicunt obiectum cognitionis conditionatæ hoc esse: si voluntas habuerit talem cogitationem, & Deus decreuerit efficaciter cum illa concurrere erit consensus. Contra hunc dicendi modum sic insurgo: Posito decreto efficaci Dei non potest non esse illius obiectum: ergo conditio posita in hoc obiecto habet connexionem necessariam cum euentu conditionato:ergo euentus conditionatus non videtur liberè futurus, nihil enim est liberè neque contingenter ex suppositione illius,quo posito non potest non esse. Secundò,quando videtur sub conditione negatio actus, ex parte antecedentis non potuit videri decretum, quia hoc numquam est cum negatione actus, sed non posito decreto actus esse non potest,quia per se dependet à decreto: ergo negatio necessariò ponetur:ergonon potest cognosci negatio actus sub illa conditione, in qua non est decretum requisitum ad actum liberè neque contingenter,sed necessariò futura. Alij in hunc modum obiectum huius cognitionis assignant. Si voluntas habuerit talem cogitationem, & per Deum non steterit,vel si voluntas habuerit talem cogitationem,& ex parte Dei non deficiat,erit actus voluntatis. Hic modus explicatione indiget, quid enim est non stare per Deum,vel non deficere ex parte Dei? si est Deum negatiuè se habere, falsum est,quia Deo negatiuè se habente effectus esse non potest: si non deficere ex parte Dei, significat esse concursū quatenus est à Deo,ponitur ex parte conditionis concursus Dei, qui est idem cum concursu voluntatis,& cum illius actu,& ita euentus conditionatus ex parte conditionis apponitur quod suprà impugnatū est.

Rem hanc componam ratione quadam communi iuxta 7
cuiusque doctrinæ principia,à qua pauci qui rem attentè meditentur recedent. Ex parte conditionis ponendum est respectu actus liberi conditionati totum id quod idemet actus absolutè liberè existens supponit ex parte actus primi, & eo modo quo supponitur decretum Dei ex parte actus primi ad existentiam absolutam actus, eo modo supponi debet ex parte conditionis ad ipsum actum sub conditione futurum: ratio à priori est perspicua: Propositio conditionata affirmat actum esse futurum hac conditione suppositā: sed actus illis positis esset liberè futurus, quibus positis de facto, liber de facto existit: sed positis omnibus, quæ se tenent ex parte actus primi de facto liber existit:ergo antecedenter ad hāc existentiam verum erat dicere, si hæc omnia ponerentur esset actus liber. Confirmatur,quando ego tibi dico,si petis librum à Petro, ille tibi librum dabit, & postea petis, & ille dat librum,tunc ego rectè infero me tibi veritatem prædixisse: ergo cùm video ego actum liberè existere ab his principiis, rectè infero,quicumque prædixit actum esse futurum,si talia principia ponerentur, verè enunciauit & verum conceptum efformauit.

Ex hac doctrina iuxta diuersa diuersorum principia di- 8
uersum obiectum scientiæ conditionatæ est assignandum: qui sentiunt decretum absolutum, & efficax præcedere in statu absoluto existentiam absolutam actus liberi tenentur hoc decretum ex parte conditionis constituere ad actū liberum conditionatè futurum: quod si hos premat ratio illa facta de connexione necessaria inter decretum tenens se ex parte conditionis,& euentum conditionatum, eodem eodem modo premit in statu absoluto, in quo illam dissoluisse debebant, eademque ratione qua defendunt decretum efficax præcedens meum voluntatis actum in statu absoluto, non lædere absolutam libertatem actus absolutè existentis, idem de decreto posito ex parte conditionis ad actum conditionatum defendere poterunt: est enim vna eadémque difficultas, quæ clariùs patet in statu absoluto,quàm in statu conditionato, & quæ ad hunc statum ex illo trahitur. Qui defendunt decretum efficax,vt efficax non se tenere ex parte actus primi ad effectum absolutè existentem,sed per hunc illud constitui,tantúmque ex parte actus primi ad actum voluntatis supponi omnipotentiam applicatam præcisè per negationem actus quo Deus dicat, nolo concurrere per voluntatem, vel actum diuinæ voluntatis in illo priori non efficacem sed indifferentem vt coniungantur cum actu & cum negatione actus & per negationem actus efficacis,quo dicat,nolo concurrere, tenentur ex parte conditionis ponere voluntatem, cogitationem,& negationem illius decreti dicentis, nolo concurrere; & actum voluntatis diuinæ in illo priori non efficacem, sed indifferētem ad efficacem & illius negationem,si hunc in statu absoluto constituunt ex parte actus primi,& non aliud decretum efficax. Difficultas illa quam suprà tetigi,videlicet ad omnem effectum supponi necessariò actum efficacem voluntatis diuinæ, vincenda est in statu absoluto à quo primo trahitur iuxta hæc principia.

Cæterùm cùm ego ex parte actus primi ad actum libe- 9
rum absolutè futurum, decretum quoddam applicatiuum omnipotentiæ constituam, determinatè actum voluntatis respiciens, ex se indifferens vt coniungatur cum actu, & cum negatione illius, quia ex vi illius Deus non decernit actum esse futurum independenter à voluntate, sed vult actum esse dependenter à libertate voluntatis,ita vt si hęc non se liberè determinet, ex vi illius actus non determinetur, quia tantùm habet intrinsecè applicare omnipotentiam vt illa possit vti voluntas,eo modo quo vtitur habitu, tunc hunc eundem actum teneor ponere ex parte conditionis ad actum liberum conditionatè futurum,

ita

ita vt obiectum propositionis conditionatæ sit hoc, si voluntas habuerit talem cogitationem, & Deus parauerit suam omnipotentiam per decretum indifferens, quo vult actum fieri dependenter à voluntate, erit actus, vel erit negatio actus: naturam huius decreti explicui in Physicis Contr. 10. vbi de modo quem Deus habeat concurrendi cum causis liberis disputaui; de hac re latiùs non disputo, de illa enim latissimè nostri Auctores in materia de scientia, obiectum scientiæ mediæ assignantes.

§. III.

Statuitur veritas positionis de obiecto conditionato libero.

10 IAm de veritate harum propositionum facile erit quid dicendum sit definire. Affirmo cum omnibus nostræ Societatis Auctoribus propositiones has veritatem habere. Posset hæc conclusio multis Scripturæ testimonis, quibus hi conditionati euentus liberi prædicuntur, innumerisque Patrum testimoniis roborari, sed hæc expendere non ad nostrum Philosophicum opus spectat, sed Theologicum est, de quo non modò: legantur nostri Auctores, quorum quilibet abundè de hac re multa dabit, præcipuè P. Ruizius tom. de scientia; vbi de hac disputans propriam suam eruditionē superasse videtur, neque inter Doctores Scholasticos inuenio, quem cum hoc doctissimo viro in hac re comparem. Ratione purè Philosophica probo. Si Petrus tali cogitatione esset præuentus illi consentiret, vel non consentiret de facto, neque enim potest dari medium aliquod inter consensum, & non consensum, neque potest poni homo in aliquo statu, seu rerum ordine, in quo vna harum propositionum non sit vera: *Homo in hoc statu constitutus non consentit*, vel *homo in hoc statu constitutus consentit*; demus ergo consensurum: ergo verum est dicere, si homo in hoc statu poneretur consentiret: demus non consensurum, ergo verum est dicere, si homo in hoc statu esset constitutus non consentiret. Confirmatur: pone duos homines, quorum vnus dicit: *si Petrus haberet talem cogitationem consentiret*: & alius dicit, *non si Petrus haberet talem cogitationem consentiret*. Alter horum hominum rem diceret eo modo, quo esset: ergo alter horum veritatem diceret, ergo altera harum propositionum esset vera, & altera falsa: antecedens probo, quia vt suprà dicebam in illo casu & in quocumque alio, vel esset consensus, vel negatio consensus determinatè: cum ergo vtrumque affirmarent hi duo homines, quilibet illorum alterum extremum, non posset non ab aliquo affirmari id, quod inde futurum esset. Consequentia est manifesta, quia veram propositionem proferri est rem dicere eodem modo quo in se est.

11 Confirmatur, hæc propositio est vera: *Petrus vocatus respondet*, ergo hæc antea erat vera, *si Petrus vocaretur responderet*; vt enim suprà dicebam, ex his euentibus absolutis sæpè inferimus nos illos verè conditionate enuntiasse sub illis conditionibus, quibus positis dependenter ab illis ponitur euentus absolutus, qui conditionatè fuerat pronūtiatus. Denique omnia argumenta quæ suadent veritatem, & falsitatem propositionis enunciātis de futuris absolutis liberis, idem conuincunt de futuro conditionato; sicut enim ex eo quod hæ sunt propositiones contradictoriæ, *Petrus peccabit*, & *Petrus non peccabit*, inferitur vnam esse veram, & alteram falsam, sic similiter hæ propositiones: *Si Petrus haberet talem cogitationem, peccaret. Non si Petrus haberet talem cogitationem, peccaret.* ergo eodem modo non potest non vna earum esse vera, & altera falsa.

12 Sed adhuc est aliud, etsi componendum facilè, dissidium inter nostros Authores: An videlicet propositiones illæ, in quibus id quod ponitur ex parte antecedentis nullam connexionem habet cum consequenti, sint veræ, quādo per accidens coniunguntur antecedens, & consequens: verbi gratia, dixit quis; *Si Petrus ludit, Ioannes barbam fricabit*, & de facto contigit Petrum ludere. & Ioannem barbam fricare, dubitatur in hoc casu, an illa propositio vera sit, necne? Affirmat Suar. Negat Vasquez: vtrumque patronum plures sequuntur, quos omnes rectè conciliat P. Herice tract. de scientia, disp. 7. c. 10 num. 61. qui rectè docet particulam *si*, sumi posse propriè, & strictè, & in rigorosa significatione, & tunc prædictas propositiones veras non esse, quia consequens nullo modo ex antecedenti procedit, neque vllus est ordo inter consequens, & antecedēs, & hac ratione dixi in omni propositione conditionali veritatem habente, cōditionem habere aliquam conducentiam in euentum conditionatum. Ait etiam particulam *si*, posse sumi impropriè in alia latiori significatione, ita vt significet idem quod *cùm*, aut *quando*, & tunc prædictæ propositiones erunt veræ quotiescumquo cōiungatur id quod significatur instar conditionis, & instar conditionati. Dico *instar*, quia in his propositionibus propriè non reperitur conditio, neque conditionatum: quia, vt rectè notat Herice, quando particula *si*, sumitur strictè, tantùm est vnica simplex veritas falsitas in illo complexo constituto ex cōditione, & conditionato: quando verò sumitur impropriè est duplex obiectū quod affirmatur, etsi cū rēporis concomitantia, sicuti cùm dicitur *Petrus curret cum Ioanne*, Sensus est, Petrus curret, Ioānes currēt & vterq; simul curret, quæ si multas vtriusque cursum dicit formaliter, & hoc sēsu posset dici propositionem illam disparatam significatam instar conditionatæ æquiualere simplici categoricæ affirmanti simultatem duorum extremorum, quæ instar conditionis & conditionati significantur.

13 Solet obiici, veritatem propositionis conditionatæ destruere libertatem, nam positā veritate huius propositionis, *Si Petrus vocatus fuerit, consentiet*, & purificata conditione non potest non consentire: ergo necessariò consentiet. Respondeo, positā veritate conditionatā, & purificatā conditione euentum necessariò transire in absolutum, hāc tamen necessitatem libertati non obesse, quia est necessitas orta ex ipso actu conditionato & non ex conditione, neque ex aliquo, quod illum præcedat, ac proinde est necessitas consequens, sicuti necessitas orta ex ipsa absoluta futuritione actus, de qua dixi Puncto præcedenti. Vide solutionem ibi traditam eidem argumento facto contra veritatem propositionis de futuro absoluto libero.

§. IV.

In quo cognoscantur.

14 THomistæ asserentes, futura libera cognosci in decreto libero Dei ea præcedenti consequenter asserunt futura conditionata libera cognosci in decreto quodam, quod Deus habet absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti. Contra hoc decretum pugnacissime agunt omnes Societatis authores, ex eo enim libertatem destrui efficacissimis rationibus propugnant. Si enim Deus habet hoc decretum ex natura sua efficax antecedens omne exercitium libertatis. *Volo vt si Petro hanc cogitationem dedero consentiat*, & postea aliud similiter antecedens, quo dicat *volo hanc cogitationem*, ex illis infallibiliter sequitur consensus tánquam ex aliquo antecedenti, & ita neque antecedens potestas permanet ad carentiam consensus, & illa libertas destruitur. Hanc rationem late nostri authores insequuntur in tractatu de scientia Dei, & eadem est cum illa, quam Punct. 5. de decreto futurorum liberorum absolutorum, in quo talia futura Thomistæ cognosci volunt, & vtrumque decretum, argumentis quibus physica prædeterminatio impugnatur, impugnandum est, ideo illius impugnationem non insequor.

15 Iuniores quidam decretum hoc cum vniuersa Societate reiicientes magnam difficultatem sibi fingunt in designādo medio apto ad hæc conditionata libera cognoscenda & determinatiuo inueniendo scientiæ, quam de illis Deus habet, v.g. in designando determinatiuo vi cuius Deus habeat hoc iudicium, *Si dedero Petro hoc auxilium, & præparem illi meam omnipotentiam consentiet*, potius quam oppositum iudicium, quod habuisse contingere potuit, ad quam difficultatem superandam subtiliores, quam solidiores plurimos attexuere discursus: verumtamen prætextu modestiæ, nec magnitudinis laboris in re hac exponenda eam omittendi mihi excusationem permittit Fasolus, sed ignauiæ & inscitiæ dandum esse affirmat illi, qui rem hanc exponere recusset, sic habet, hanc difficultatem tractans tom. 2. q. 14. art. 13. dubit. 19. n. 462. *Verum enimvero hoc seculo huiusmodi controuersia præstantissimis innumerorum ingeniis adeo trita est, vt si ab illiusmodi solutione excusare te vellis, id iam non tam ad modestiam, ac difficultatis magnitudinem, quam ad ignauiam vel inscitiam referri possit*: Ne igitur ignauiæ, vel inscitiæ notam admittam paucis rem hanc exponam.

16 Deum per se ipsum ex perfectissimo, & infinito prædicato intellectiui esse determinarum ad cognoscendum quidquid est cognoscibile, & ad firmandū iudiciū de omni

obiecto, quod si formetur verum erit citra controuersiam est. Verumtamen hoc non sufficit, vt Deus determinetur ad habendum hoc iudicium. *Si Petrus habeat hoc auxilium consentiet*, potius quam istud aliud. *Si Petrus habeat hoc auxilium non consentiet*, quia cum quodlibet ex obiectis horum iudiciorum antecedenter sit indifferens ad terminandum iudicium verum, vel falsum requiritur, vt saltem cõsequenter sit determinatum ad constituendum iudicium verum, vt Deus determinetur ad tale formandum iudiciũ, cum solum possit verum iudicium formare. Hac determinatione supposita intellectus diuinus intelligitur determinatus ad formandum iudicium, seu assensum circa tale obiectum, quia essentialiter est determinatus ad cognoscendum omne cognoscibile, & ad præstandum assensum circa omne obiectum potens terminare verum assensum, sicuti ad dissentiendum omni obiecto apto terminare verum dissensum, siue dicas hanc determinationem nasci ab intellectu diuino obiecto præsuppositio, siue ab ipso obiecto præsupposita ex parte diuini intellectus determinatione ad omne verum iucicium, siue duplicem determinationem consideres, quandam ex parte potentiæ intellectui diuino intrinsecam, aliam ex parte obiecti in eo fundatam, qui dicendi modi in re nullam distinctionem important.

17 Affirmo determinatiuum scientiæ conditionatæ, & rationem cognoscendi effectus contingentes, conditionatè futuros à causis secundis liberis esse veritatem obiectiuam illorum, seu determinatam entitatem, quam conditionaliter habent prædicti effectus in se ipsis considerati. Hæc conclusio communiter est recepta inter nostros Authores, illam tradunt Suarez lib. 2. de scientia conditionata c.7. n.15. Vasquez 1.p.disp.67.c.3.n.11. Arrubal disp.44.c.7.n.39. Lessius c.19.n.7. Fasolus loco citato n.466. qui eisdem verbis formalibus, quibus eam proposuimus, eandem tradit Arriaga tom.1.in 1.p.disp.21.sect.3. n.14. Rationem nostris Authoribus communem verbo vno tradunt Fasolus, & Arriaga, videlicet Deum posse cognoscere quod actu non est; sed tantum esset, quo ingenuo cuique in hac difficultate satisfaciendum esse putabam. Verum iam RR. quorundam diuersa placita, & subtilissimæ ratiocinationes maioribus expensis veritatem hanc propugnare nos cogunt.

18 Eadem ratione, qua Authores nostri probant dari hanc scientiam conditionatorum in Deo efficaciter probatur hæc conditionata in se ipsis cognosci, nullóque alio determinatiuo ex parte obiecti indigere, vt terminét cognitionem diuinam: sic illam instituo. Petrus modo absolutè elicit actum contritionis procedentem ab hac collectione principiorum (include in ea quod volueris principia) secluso omni alio, quod in hac collectione principiorum existentium non contineatur: ergo verum est dicere Petrus consentit præcisè cum his principiis contentis in collectione, & secluso quolibet alio: ergo secluso omni alio verum fuisset dicere, si Petrus haberet hæc principia (designando omnia in collectione contẽta) contererertur. Hoc argumento frequenter nostri vtuntur, asserúntque, hanc esse legitimam consequentiam verum est dicere *Petrus vocatus consentit*: ergo verum est dicere, *Si Petrus vocetur consentiet*: neque ad consequens inferendum, aut ponendum determinatiuum aliud ponere necesse est. Ratio à priori est manifesta, ex eo, quod in statu conditionato, neque ex parte causæ positæ in hypothesi, neque ex parte effectus sub hypothesi positi aliquid requiratur, quod in statu absoluto requisitũ non sit, sed in statu absoluto positis principiis indifferentibus ponitur consensus liber nullo requisito determinatiuo, neque ex parte principiorum, neque ex parte effectus præter ipsum effectum, seu volitionem: ergo propter principia ex parte hypotesis, & consensum sub illa positum absque alio determinatiuo optimè intelligitur totus status conditionatus, & consensus in illo statu aptus terminare veram cognitionem affirmatiuam circa illum.

19 Insuper nullum aliud determinatiuum scientiæ conditionatorum præter ipsum consensum conditionatum posse designari vniuersaliter probo. Determinatiuum huius veritatis *Si Petrus vocetur consentiet*, seu scientiæ circa hoc obiectum debet esse contingens, cum obiectum, & illius veritas contingens sit. Inquiro, an contingentia huius determinatiui determinetur ab ipso consensu conditionato, vt condistincto à determinatiuo, vel non. Si determinetur à consensu conditionato, sicuti consensus conditionatus determinat hoc determinatiuum poterit immediatè scientiam determinare: si non illud determinat quidquid sit tale determinatiuum, & à quocumque determinetur, & quomodocumque existat, siue necessario, siue contingenter semel existens libertatem consensus destruet, quia cum illo est essentialiter connexum, & omne intrinsecè seu essentialiter connexum cum actu voluntatis existens antecedenter ad exercitium libertatis, & positum independenter ab hoc exercitio destruit libertatem illius actus voluntatis, cum quo connectitur.

Ex hoc capite vniuersa societas reiicit decretum Dei absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti, in quo cognoscantur conditionata libera, quod cum libertate componi non poterit, idemque erit de quocumque determinatiuo huius veritatis obiectiuæ. *Si Petrus vocetur consentiet*, quo non inuoluat ipsum consensum conditionatum, & non dependeat ab exercitio libertatis, quia illud quodcumque sit erit essentialiter coniunctum cum illo, ad quod determinat, & cum illo, ad quod cognoscendum est mediuum seu determinatiuum scientiæ diuinæ. Modo non plura contra hoc determinatiuum adduco, neque examino, an intra, vel extra Deum ab aliis ponatur? & an si intra Deum sit respectu libere, vel necessario existat? quia etsi sciam diuersis modis de hoc determinatiuo RR. sensisse mihi sat est asserere nullum determinatiuum condistinctum à consensu conditionato posse apte designari, nec mihi quærendum est, quod iudico, & scio nunquam inueniendum. 20

Potissimum imo, vt suspicor vnicum fundamentum quærentium aliud determinatiuum est obiectum istud. *Si Petrus vocetur consentiet*, in re non esse neque habere veritatem obiectiuam, & ita per se ipsum non posse determinare intellectum diuinum ad illum cognoscendum. Corrigenda est apprehensio, qua omnia, de quibus esse cum addito diminuente dicitur, sine illo repræsentatur, illisque esse simpliciter, & absolutum sub existentia absolutè exercita applicatur, & in eisdem quæritur, quid simpliciter actu, & absolutè existens importet, quod manu apprehendi possit. Hac ratione notabam Controu. 12. Metaph. Punct.2. n.12. multos molestè disputare, & difficilè percipere, quid sit ens rationis existimantes in illo aliquid reale existens, aut possibile reperiendũ, quo nihil longiùs, potius enim vt sit ens rationis purè fictum tantùm habens esse obiectiuè in intellectu, supponitur illius non esse, neque existens, neque possibile. Dum enim dicitur esse ens rationis illud *rationis* est additum destruens veram rationem entis, & significationem verbi substantiui est, sicuti cum dicimus hic est homo pictus, additum *pictus* destruit rationem hominis. 21

Eandem doctrinam tradidi Controu.2. Metaph. Punct.1. n.14. agens de possibilitate rerum, & de ente possibili vbi dixi in his propositionibus, *homo est possibilis*, *Angelus est possibilis*, non importari esse simpliciter, quod ex se significat verbum est, quia prædicatum possibile minuit illius significationem, & ita posse dici Petrum ab æterno esse possibilem absque eo quod ab æterno aliquid sit, seu existat, aut coëxistat Deo. Notabam insuper ibidem in propositionibus æternæ veritatis *homo est rationalis*, ratione materiæ copulam est non importare esse, seu existere simpliciter, quod ex se significat, sed tantum dicere connexionem prædicatorum. 22

Dixi insuper dum dicimus modo esse, & ab æterno fuisse hanc connexionem non significare modo simpliciter esse, aut simpliciter ab æterno fuisse aliquid, in quo consistat hæc connexio, nam sicuti ab æterno non habuerunt esse prædicata connexa, sic neque illorum connexio cum ipsis identificata, non enim connectuntur per connexionem superadditam, sed per se ipsa, & ita dum dicimus homo est rationalis, significamus, quod si existat homo existet idemtificatus cum rationali, & ita propositio ista homo est rationalis æternæ veritatis dicitur, quia in quocumque, & proquocumque æternitatis instanti vera est hæc conditionalis, si existit homo existit idemtificatus cum rationali. In similem conditionalem resoluitur propositio ista, rationale est connexum cum animali, quod est dicere si existat rationale existet animal, sic dum absolutè dicimus *Petrus est possibilis*, tantùm significamus, quod si existeret Petrus non existeret duplex contradictorium, seu non existere duo prædicata sibi contradictoria. Hac ratione ibi latè explicui quomodo ab æterno potuerit dici, Petrum esse possibilem, & propositiones illas quæ æternæ veritatis dicuntur in quocumque, & pro quocumque æternitatis instanti veras iudicemus, & quomodo 23

Petrus

Petrus verè dicatur, & sit possibilis in quocumque,& pro quocumque æternitatis instanti, quin ab æterno aliquid fuerit Deo coexistens.

24 Contra hanc doctrinam arguit Soncinas lib.9.quæstion. Metaphysicalium,q.4. his verbis : Eorum,quæ cadunt sub extremis eius contradictionis,aliquid includit vnum,quod non alterum, quia impossibile est,quod contradictoria sint penitus idem. Sed illud nihil quod est impossibile produci puta chymæra,& nihil id,quod est possibile produci puta noua species Angeli cadunt sub conditione, cuius extrema sunt possibile,& impossibile ; ergo aliquid includitur in vno,quod non includatur in alio,sed hoc non potest esse nihileitas, vt sit communis vtrique : ergo est aliquid præter nihileitatem, scilicet aliqua entitas includitur in eo quod est nihil possibile produci. Hoc est argumentum Soncinatis,quod ad meliorem formam accingo. Possibile,& impossibile sunt contradictoria;ergo non possunt vtrumque importare purũ nihil, alias inter se non different:ergo etiamsi Angelus purè possibilis,& Chymæra nihil sint & nihil chymæræ nullam entitatem,seu nihil positiuum adiunctum habeat, nihil rei possibilis debet habere adiunctum aliquam entitatem, seu aliquid positiuum. Hoc argumentum est idem omnino respectu futuri & non futuri consensus absoluti,& respectu fore,& non fore eiusdem consensus, seu esse, & non esse consensus conditionati quorum actu nihil est.

25 Prædicto argumento occurri Contr. Metaph.2.Punct.1. n.12.vbi dixi lapidem possibilem actu non existentem, & Chymæram non distingui per aliquid quod sit, sed per aliquid quod esset, imò si strictè loquamur non distinguũtur, non quia identificentur,sed quia non sunt,& quod non est, non est distinctũ ab alio si verbum est strictè sit sumendũ. Neque ex duobus contradictoriis debet alterum in quocumque statu, & pro quacumque mensura existere, quia cum dico Petrus currit,quod verum est,quia de facto curret,modò non est hoc,quod est curret, neque est negatio illius quod est curret provt significatur per verbum istud de futuro. Ratio est,quia negationes, & habitus habentes contradictoriam oppositionem debent esse,& considerari in eodem statu, & pro eadem mensura, negatio absolutè existens opponitur cum habitu absolutè existenti,& illius existentiam absolutam excludit.Similiter habitus futurus, nempe contritio die crastino elicienda opponitur cum negatione existenti hodie. Eadem ratione consensus conditionatus,qui non est sed esset, opponitur cum negatione non quæ sit,sed quæ esset,bene enim componuntur negatio contritionis absolutè existentis, & contritio sub conditione futura, & ita respectu huius consensus conditionati si Petrus vocetur consentiet nullum est non esse absolutum illi oppositum, neque illa est negatio absoluta excludens hunc consensum, vt conditionatum seu ab illo statu conditionato. & consequenter nullum habet contradictorium absolutum,sed tantum conditionatum quod est carentia, quæ esset consensus procedentis ex principiis positis ex parte hypothesis casu,quo cõditio purificaretur. Imo si daretur modo aliqua negatio absoluta excludens cõsensum cõditionatum,vt conditionatũ hæc immediatè non opponeretur contradictoriè cum consensu absoluto, sed cum conditionato,vt conditionato, quia omnis negatio seu omne non esse contradictoriè opponitur cum eo solum immediatè, quod excludit, & eo modo, quo illud excludit,& est illius non esse. Dixi non opponeretur immediatè, quia ex negatione consensus conditionati rectè infertur negatio consensus absoluti.

26 Ex his si roges quid sit consensus conditionatus, vel quælibet res alia sub conditione existens facilè respondetur, si inquiras quid sit absolutè sumpto verbo esse in sua significatione inquiris, quid sit illud quod non est,seu non significatur esse dum dicitur esse sub conditione. Si inquiras,quid esset casu quo purificaretur conditio, respondebo fore consensum actu absolutè existentem, sicuti est actus, quo ego modo volo hæc scribere, quod si amplius adhuc scire velis, curas adhibe in purificanda conditione, & quod post illius purificationem esse videris illud scito esse,de quo dicebatur, quod esset, si poneretur conditio.

Obiicies, futura conditionata actu habent veritatem obiectiuam : ergo in illis, dandum est aliquid actuale existens, per quod illorum veritas obiectiua actu constituatur. Respondeo eo solùm (si ex aliquo capite dici potest) habere actu veritatem obiectiuam,quia cognitio Dei actu ad illa terminatur, & hæc cognitio habet veritatem formalem actualem, verumtamen hoc non probat ex parte obiecti cognitionis terminatæ ad euentum conditionatum dari aliquid,quod actu,& absolutè sit, quia cognitio diuina actu fertur in obiectum, quod esset eadem certitudine,ac in obiectum, quod est. Negandum igitur esset, si strictè loqueremur maximè his, qui nimis subtiliter arguere volunt habere veritatem obiectiuam, quæ sit & dicendum tantum habere veritatem obiectiuam,quæ esset, talem tamen,vt valeant terminare cognitionem, quæ est, & fundare veritatem formalem actu absolutè existentem, ratione cuius communiter dicitur habere veritatem obiectiuam.

Instabis:futura conditionata,vel habent absolutam virtutem terminandi cognitionem absolutè existentem, & fundandi veritatem formalem absolutè existentem, vel non habent ? Si illam habent iam in illis requiritur aliquid absolutè existens; si non habent non poterunt cognitionem actualem terminare, nec fundare veritatem formalem absolutè existentem. Respondeo nullam habere virtutem in se absolutè existentem terminandi cognitionem, & fundandi veritatem formalem;habere tamen virtutem conditionatam ad terminandum absolutè, & actu cognitionem,& constituendum veritatem formalem actu, & absolutè existentem,hoc enim tantùm importat cognitionem diuinam posse absolutè, & actu terminari ad obiectum, quod non est sed esset, & per conformationem cum hoc obiecto cognitionem diuinam actu constitui formaliter veram. 27

Punctum VII.

Appendix ; quid sit certitudo actus in actu vero.

CErtitudo affectio quædam est veritatis seu propositionis veræ, quæ non omnem veram propositionem comitatur, verumtamen veram tantùm potest comitari, ideo de certitudine ago dum de veritate disputo ; deinde quia dubium est,an certitudo propositionis ab illius veritate distinguatur,quapropter ad perfectam veritatis notitiam plurimum conducit cognitio certitudinis. 1

P. Vasquez 1. part. disp. 9. c.10. triplicem meminit certitudinem. Prima est determinatio sine formidine, quâ quis ita obiecto assentitur vt nolit vel non possit ab eo dissentire. Certitudinem hanc, quando oritur ab actu voluntatis efficaciter imperantis hunc assensum, vocant plures certitudinem affectiuam;ego verò neque hoc nomine dignam esse iudico, quia imperium hoc efficax tantùm determinat intellectum,vt in hoc actu perseueret, quod non est intellectum certum constituere de obiecto, si aliàs ille actus intellectum formaliter certum non reddebat, quia certitudo non consistit in eo quod intellectus non desistat ab assensu, quem semel elicuit, quia existente assensu potest intellectus esse positiuè incertus, & positiuam formidinem habere circa obiectum talis assensus,vehementémque suspicionem forsan rem aliter se habere, & suum assensum falsum esse,quotidie enim dicimus:*sic sentio, & iudico, sed forsan fallor.* Pone ergo voluntatem imperare actum illum quo dico : *sic sentio & iudico* : non ideo certus ero, quia sicut cum illo actu compossibilis erat alter ille, *forsan fallor*, quando nullum erat imperium voluntatis : sic imperio posito, quia incompossibilitas actus inellectus inclinans in dissensum,non habet immediatam incompossibilitatem cum actu voluntatis imperante assensum : sed si aliquam haberet,esset cum ipso assensu immediatè & mediatè cum imperio voluntatis:sed cum assensu nullam habet : ergo neque cum imperio. Posset voluntas non solùm efficaciter imperare perseuerantiam huius assensus ex se incompossibilis cum formidine, sed etiam negationem totius formidinis,& illius actus quo intellectus diceret *forsan fallor.* In hoc casu imperfectè satis & extrinsecè intellectus erit certus præcisè ex negatione actus formidinis orti ex imperio voluntatis,quapropter hæc certitudo tantùm erit extrinseca : sed esto dicatur certitudo necessitas assentiendi orta ex imperio voluntatis, hæc certitudo tantùm erit certitudo inhæsiua,seu in ordine ad subiectum,non verò obiectiua,quia nullo modo infert veritatem iudicij,neque cum illa connexionem aliquam habet, sed æquè componitur cum propositione vera & falsa. 2

Certitudo quâ quis ita assentitur alicui obiecto, vt ex vi illius actus ita firmiter illi adhæreat, vt non possit formidinem aliquam concipere de obiecto cui assentitur. neque locũ relinquet consultationi circa veritatem obiecti, propriè dicitur certitudo inhæsiua, seu obiectiua, quæ reperiri potest in actu scientiæ & erroris, sunt enim plures qui firmiùs adhærent suis erroribus, quàm alij scientificis conclusionibus.

3 Secundò Vasquez certitudinem sumit pro veritate propositionis: hæc acceptio est nimis laxa, & impropria; aliud enim est etiam in communi modo loquendi propositionem esse certam, & esse verã, dicimus enim sæpè ex duobus extremis contradictoriis neutrum esse verum, quia eorum alterum verum esse necesse est. Tertiò sumitur certitudo pro actu reflexo, quo quis iudicat assensum à se præstitum certum esse. In primis hæc certitudo, si nomen certitudinis meretur, non est certitudo obiectiua, quam inquirimus, sed tantùm subiectiua, quæ componi potest cum falsitate propositionis, ideóque quidquid sit de hac, aliam certitudinem nos inquirere necesse est. Affirmo tamen hunc actum, quo ego iudico meum assensum certum esse nullo modo certitudinem adhuc inhæsiuam in se habere, neque deriuare in actum directum, quem respicit tanquam obiectum. Ratio est, quia aliud est actum respicere tanquã obiectum certitudinem, aliud esse formaliter certum, sicuti aliud est actum respicere tanquam obiectum scientiam, aliud actum esse formaliter scientificum: plures enim actus probabiles, imò falsi scientiam respiciunt tanquam obiectum, plura enim de scientia probabilia dicimus, & plura de illa possumus prædicare quæ illi non conueniãt; ergo non ex eo quod actus reflexus respiciat tanquam obiectum certitudinem actus reflexi, formaliter est certus. Confirmatur; sæpè ego dubito, an assensus quem exhibui, sit certus, necne; & habeo formale dubium de certitudine mei actus: ergo possum assentiri huic certitudini cum aliqua formidine: ergo posito assensu reflexo, quo iudicem meum assensum esse certum, possum habere formidinem, an existat talis certitudo & consequenter an existat obiectum actus directi, & vtrumque actum esse incertum.

4 Infero ex his prædictum actum ex obiecto non habere formaliter, neque refundere aliquam certitudinem, non tamen nego posse dari aliquem actum formaliter certum certitudine inhæsiuã, quo iudicem alium assensum esse certum, quia sicut potest dari formalis certitudo inhæsiua circa quolibet aliud obiectum etiam falsum, ita dari poterit hæc formalis certitudo in actu reflexo respiciente tanquam obiectum certitudinem actus directi. Dubium esse potest an actus reflexus formaliter certus respiciens tanquam obiectum certitudinem actus directi deriuet certitudinem in actum directum. Resp. in primis actum illum reddere per se ipsum formaliter certum intellectum de existentia obiecti actus directi. Ratio est perspicua: non possum ego iudicare hunc actum esse verum, quin iudicem obiectum illius existere eo modo, quo repræsentatur per actum; neque possum dubitare de veritate actus, quin dubitem de existentia obiecti, implicat enim aliter iudicare de veritate actus, ac de existentia obiecti repræsentati per illum, quæ formaliter constituit actum verum: ergo eo ipso quod firmiter adhæream veritati actus, adhæreo existentiæ obiecti: ergo eo ipso quod habeam certitudinẽ inhæsiuam de veritate actus, eandem habeo de obiecti existentia. Ex hoc fit, posito actu reflexo, me non posse habere formidinem de existentia obiecti directi, quia habeo certitudinem inhæsiuam de illo, ex vi actus reflexi, quo firmiter adhæreo veritati illius, & dubitare non possum de obiecto, de quo habeo certitudinem inhæsiuam formalem, ex vi huius actus, licet ex alio actu illam non habeam. Cæterùm directum actum nullam certitudinem inhæsiuam existimo habere deriuatam ex actu reflexo, sed ex se formaliter esse æquè incertum, & capacem formidinis ac antea, licet per accidens ratione alius actus impedientis formidinem circa illius obiectum, non possit cum illa coniungi, dum ille alius actus perseuerat, qui est formaliter certitudo inhæsiua de eodem obiecto. Ratio est, quia actus reflexus omnino per accidens se habet respectu directi, quem tãtùm respicit sicuti obiectum, ex quo respectu tantùm accrescit actui denominatio cogniti vt certi; denominatio autem non realiter applicat obiecto prædicatum, quod intentionaliter illi tribuit, hæc enim est inepta consequentia: cognoscitur hic actus vt certus: ergo est certus: sed actus ille reflexus tantùm deriuat in directum esse cognitum vt certũ: ergo non dat illi esse certum.

Sentiunt plures certitudinem esse connexionem propositionis cum obiecto. Verumtamen si conclusio hæc intelligatur de connexione intrinseca actus per suam entitatem exigentem obiecti existentiam vniuersaliter non est vera, quia vt dicebam Punct. 1. hæc propositio, *Petrus est possibilis*, connexionem hanc non habet cum suo obiecto & nihilominus in omnium opinione certa est. P. Vasquez disp. 38. n. 33. & 35. ait actum certum esse illum, qui semper veritatem attingit, verumtamen cùm dixerim propositionem non posse transire de vera in falsam, necessariò iuxta hæc principia, actus qui aliquando est verus, semper est verus, & cùm non omnis actus qui aliquando est verus, certus sit, fit necessariò non omnem actum qui semper est verus, certum esse, verumtamen existimo sententiam Patris Vasquez in re veram esse quam iam explico. 5

Sentio propositionem certam esse propositionem antecedenter necessariò veram, cui falsitas contingere non potest, sic interpretor P. Vasquez dicentem actum verum, esse actum qui semper verus est. hoc est, qui ita verus est, vt non potuerit illi falsitas subesse. Probo hanc conclusionem: certa tendentia in aliquod obiectum est illa, quæ non potest à termino præfixo aberrare, neque ad aliquam partem declinare, & certum dicimus id quod aliter contingere nequit: ergo illa propositio erit vera, quæ ita tendit in obiectum, vt nunquam possit ab illo deflectere, neque declinare ad aliquod extremum in obiecto non repertum: ergo illa propositio erit certa, quæ necessariò conformatur cum obiecto. In hac conclusione conueniunt omnes, qui materiam hanc accuratè euoluunt, in qua de re leuis potest esse dissensio. 6

Diximus iam, quibus propositionibus certitudo conueniat, & propositionem certam in concreto definiuimus, restat modò certitudinem definire, & explicare quid sit, & an sit intrinseca vel extrinseca actui. Certitudo est necessitas veritatis, seu ratio illa, propter quam veritas huius propositionis ab illa separari non potest. Probatur ex dictis: propositio certa addit supra veram non certam, necessitatem veritatis, & ideo ex his propositionibus, *Petrus existit*; *Petrus potest existere*: etsi vtraq; sit vera, secunda est certa, & non prima, quia secunda veritatem habet necessariam, & non prima: ergo propositio certa tantùm addit supra veram non certam, necessitatem veritatis: ergo tota formalis ratio certitudinis consistit in necessitate veritatis: ergo id quod est ratio formalis, propter quam veritas non possit separari à propositione, est formalis ratio, quæ illam certam constituit. Ex hoc infero in aliquibus propositionibus certitudinem esse intrinsecam, in aliis verò extrinsecam. Percurro varias propositiones, quibus rem explicabo. Omnẽ iudicium diuinæ mentis intrinsecè, & per se certum est, quia iudicio mentis diuinæ per suam entitatẽ repugnat falsitas, & essentialiter habet connexionem indispensabilem cum obiecto. His actibus summa omnium certitudinum conuenit, quia conuenit illis summa veritatis necessitas. Cæterùm actus diuinæ mentis versantur circa obiecta necessaria, & circa obiecta contingentia creata. Actus qui versantur circa obiecta necessaria, sicuti actus quo Deus iudicat Angelum esse possibilem, duplicẽ certitudinem habent, quamdam intrinsecam, quam iam exposui; extrinsecam aliam, quæ consistit in necessitate obiecti ratione cuius non potest non esse verus omnis actus qui in illud affirmatiuè feratur, ita vt si per impossibile diuina mens posset actus non veros elicere, actus ille quo iudicat Angelum esse possibilem, non posset non esse verus, quia illius obiectum deficere non potest, & implicat obiecto non deficiente, actum qui in illud affirmatiuè fertur non esse verum. Actus verò qui furuntur in obiecta contingentia non habent hanc infallibilitatem ex obiecto, quia obiectum deficere potest, vnde si aliunde actus, quo Deus iudicat Petrum existere certus non esset, ratione materialis obiecti non illi falsitas repugnaret. Dicendum ergo est omnes actus diuinæ mentis intrinsecè habere certitudinem illis identificatam & insuper actus qui feruntur in obiecta necessaria habere certitudinem aliam extrinsecam ab obiecto, quam non habent actus, qui feruntur in obiectum materiale contingens. Neque ideo hi actus dicendi sunt incerti ab obiecto, quia illis absolutè repugnat incertitudo, neque ex aliquo capite potest conuenire, eo enim ipso quod intrinsecè certi sunt, intrinsecè habent 7

habent non posse neque intrinsecè, neque extrinsecè esse incerti.

8 Actus omnes, qui principia à quibus procedunt respiciunt vt obiecta, intrinsecè certitudinem habent, quia intrinsecè illis repugnat, non coniungi cum tali obiecto, quod licèt non formaliter in ratione obiecti, illud tamen vt priccipium à quo per se dependens supponunt. Insuper conueniet huic actui necessitas alia, ratione obiecti, si hoc ita sit necessarium, vt non possit non esse, eo modo, quo significatur per actum, quo ego iudico Deum existere; etiamsi reuelationi non innitatur, sed sit purè naturalis, discursui scientifico, vel etiam probabili innitens. Ratio est quia huic actui repugnat falsitas ex necessitate obiecti, ita vt si per impossibile efficiententer ab illo non penderet, non posset esse falsus: hæc repugnantia falsitatis, seu necessitas veritatis in qua sita est certitudo, est actui intrinseca: repugnat etiam falsitas eidem actui, quia supponit obiectum tanquam principium, quod illi intrinsecum est, & ita hæc repugnantia falsitatis, seu necessitas veritatis, quæ est etiam certitudo formalis, illi actui intrinseca est. Reliqui omnes actus abstractiui naturales, quorum obiectū distinguitur à principio actus, & ab ipso actu, intrinsecè certi non sunt, quia neque intrinsecè connexionem habent cum obiecto, neque illud supponunt vt dicebam punct. 1. Erunt extrinsecè certi, illi qui feruntur in obiectum necessarium, eo modo quo dixi de actibus diuinæ mentis certitudinem habere ab obiecto necessario independenter ab infallibilitate diuinæ mentis. Actus fidei diuinæ iuxta communem sententiam asserentem essentialiter connecti cum reuelatione existenti certitudinem habent intrinsecam ab obiecto formali desumptam cui intrinsecæ certitudini, adhærebit certitudo extrinseca ex obiecto materiali, si hoc sit necessariū, & similiter ex principio quod supponit, si hoc cum obiecto identificetur. Vnde actus quo ego affirmo Deum existere, triplicem habet certitudinem; duplicem iam explicatam de actu naturali circa idem obiectum, & aliam intrinsecam ab obiecto formali desumptam. Quod si actus fidei de potentia Dei absoluta possit ferri in reuelationem apparentem, & ita veritatem non habere, certus erit naturaliter loquendo, id est, habebit certitudinem, ex vi cuius naturaliter non posset esse falsus, non verò ratione cuius falsitas repugnabit, semper tamen ex suppositione existentiæ formalis obiecti, actus fidei diuinæ certitudinem habebit, cui supernaturaliter etiam falsitas non possit contingere, quia repugnat existente reuelatione actum fidei, verum non esse. Omnes actus intuitiui qui possunt supernaturaliter existere obiectis non existentibus & illius existentiam exigunt, certitudinem intrinsecam habent, ratione cuius naturaliter non possunt non esse veri, non verò ratione cuius non possint supernaturaliter falsitatem habere. Si verò illis ex sua natura intrinsecè repugnet, adhuc supernaturaliter existere sine obiecto, intrinsecè certitudinem habebunt indistinctam ab illis, ratione cuius adhuc supernaturaliter falsitas illis repugnet. Actus verò intuitiuus, qui neque naturaliter exigit existentiam obiecti nullam certitudinem intrinsecam habent. Hi actus intuitiui, sicuti reliqui omnes abstractiuè certitudinem extrinsecam habent identificatam cum obiecto, quando feruntur in obiectum necessarium, quod non potest non existere eâ ratione quâ repræsentatur per actum. Sic intuitiua visio Dei præter certitudiné intrinsecā quam habet, ex eo quod habeat obiectum identificatum cum suo principio, habet aliā certitudinem extrinsecam desumptam ex necessitate obiecti in quod fertur, quod eo ipso quod non possit non existere nod potest non veritatem visionis reddere omnino certā: quibus actibus intuitiuis hæc, vel illa connexio conueniat, vel non conueniat, cum suo obiecto dixi punct. 1.

9 Ex his inferes, quibusdam actibus conuenire certitudinem intrinsecam identificatam cum ipsis, qui diuidi possunt in duas partes: quidam habent hanc certitudinem ratione identitatis obiecti cum principio, sicuti actus, quo ego cognosco meam existentiam; vel actus cum obiecto, sicuti cognitio, quâ Deus seipsū cognoscit, quæ ab obiecto non distinguitur. Alij hanc certitudinem habent ratione obiecti formalis, cum quo intrinsecam connexionē habent, sicuti de actu fidei fert cōmunis sententia. Alij certitudinē extrinsecā habent ratione obiecti necessarij & existētis eo modo quo repræsētatur per actum, quorū certitudo ab ipso nō distinguitur. Alij has omnes certitudines habent sicuti actus quo credo Deum existere propter ipsum dicentem. Infertur etiam certitudinem quamlibet ex his inadæquatè à veritate distingui; quia veritas dicit actum & obiectum, & certitudo intrinseca adæquatè in actu consistit, extrinsecáque in obiecto. Infertur etiam certitudinem extrinsecam talē dici respectu actus, non respectu veritatis, quia si veritas in actu, siue in obiecto cōsistat, sæpe est intrinseca veritati, quia tam actus, quàm obiectum intrinsecè pertinent ad veritatem. Infertur etiam actum ex nullo capite connexionem habentem cum obiecto contingenti, in quod fertur, nullam habere certitudinem; non intrinsecam, quia, cùm non habeat connexionem cum obiecto, non inducit illius existentiam, neque intrinsecè veritatem exigit, non extrinsecam ratione obiecti, quia obiectum contingens veritatem actus non inducit. 10

Obiic. Si Deus reuelaret actum, quo ego iudico modò Petrū currere propter aliquas probabiles coniecturas, esse verum, hic actus esset certus, & tamen intrinsecè connexionē non haberet cum obiecto, neque obiectum esset necessarium: ergo potest dari actus certus non intrinsecè connexus cum obiecto & tendens in obiectum contingēs. Resp. posita illa reuelatione fore certum actum, quo propter ipsam ego crederem illum actum esse verum, tamen actum illum directum quo ego iudicarem propter probabiles coniecturas Petrum currere, non foret certum, quia intrinsecè actus esset idem, & obiectum idem permaneret & antecedenter contingens, quia reuelatio Dei per se loquendo non inducit necessitatem obiecti, sed illud supponit aliunde liberum vel necessarium. Instabis; eadem reuelatione, quâ Deus dicit esse verū aliquem actū, dicit illius obiectum existere, ergo reuelatione quâ dicit illum actum quo ego dico, *Petrus currit*, esse verum, dicit Petrum currere, ergo actus ille quo dico ego, *Petrus currit*, versatur circa obiectum reuelatum: ergo necessariò est verus: ergo est certus. Respondeo concedendo antecedens & primam consequentiam: ad secundam distinguo consequens: Actus ille quo ego dico, *Petrus currit*; versatur circa obiectum reuelatum dependenter è reuelatione, seu tendens aliquo modo in reuelationem, nego consequentiā; independenter à reuelatione, & nullo modo tendens in illam, concedo consequentiam. Deinde distinguo aliud cōsequēs; ergo est necessariò verus necessitate ortā ex aliquo pertinente ad hunc actum, nego consequentiam: necessitate orta ex reuelatione non pertinente ad hunc actū, quæ omnino per accidens se habet ad illum, concedo consequentiam: ergo est certus, nego consequentiam; necessitas enim veritatis, quæ non oritur ab entitate intrinseca actus veri, neque ab illius obiecto formali, neque materiali, non constituit actū certum: quia respectu illius omnino per accidens se habet. Poterit dici obiectum illius actus omnino certum, quia implicat non existere suppositā reuelationē, & similiter implicat esse falsum actum, qui affirmatiuè fertur in obiectum illud reuelatum, quia tamen tota hæc repugnantia oritur ex suppositione reuelationis, quam tātùm supponit & respicit actus qui tendit in obiectum reuelatum, & non alius actus, qui ex aliis motiuis fertur in idem materiale obiectum, quod est reuelatum, certitudo tantùm refunditur ex reuelatione in actum, qui hanc respicit tanquam formale obiectum, non verò in alios actus in ordine ad quos omnino per accidens se habet.

Vltimò noto certitudinem omnem siue identificatam 11
cum actu, siue cum obiecto propriè & per se denominare actum certum, potiùs quàm obiectum, quia certitudo est tendentia fixa in obiectum, ita vt non possit ab illo deflectere, neque in aliam partem ab eodem aberrare, & ratio tendentiæ actui conuenit respectu obiecti, & non obiecto respectu actus, dicimus enim actum tendere in obiectum, & non dicimus obiectum tendere in actum.

Hæc omnia rectè componuntur in mea sententia, quæ 12
non constituit veritatem, aut falsitatem intrinsecam omni actui; in opinione verò, quæ asserit omnem actum verum intrinsecè verum esse, difficilè potest certitudo à veritate distingui, quia omnis actus verus secūdùm hanc sentētiam intrinsecè verus est, & ita necessariò verus, vt non potuerit illi neque supernaturaliter falsitas contingere. Hurtad. qui hæc tenetur cōponere, respōdet disp. 8. de anima sect. 4. illum actum tantùm esse certum, cuius veritas necessaria oritur ex principio, vel ex motiuo quod non cōuenit actui opinatiuo, etiam vero, quo ego iudico existere aliquod obiectum contingēs. Non placet solutio, quia ex quocūque capite oriatur necessitas veritatis constituit tendentiam in obiectum fixam, & rectam absque aliqua errandi contingentia,

tingentia: ergo constituit actum certum. Præterea necessitas huius veritatis in actu est prædicatum quoddam specificum & essentiale actui, quod non potest non specificari ex principiis, vel ex obiecto. Deinde sumitur ex modo tendendi in obiectum, quod actus verus secundùm hanc sententiam essentialiter supponit, & cum quo essentialem connexionem habet. Concludo ob has rationes ægrè in hac sentètia veritatè à certitudine posse distingui.

CONTROVERSIA VIII.

De Voluntate.

VOLVNTAS est potentia spiritualis per actus elicitos appetitiua. Distinguitur ab Appetitu communi homini & bruto per prædicatum spiritualis; & ab aliis innatis, per ordinem ad actus elicitos, quos præcedenti cognitione exercet, mediis quibus fertur in obiectum præcognitum non cæco modo, sicuti fertur innatus appetitus nullâ præeunte cognitione. De potentia volitiua & eius actibus ad latietatem vsquè agunt Theologi 1.2. qui vix aliquid de natura illorum degustandum Philosophis relinquunt, ad quos iure optimo pertinebant plura purè Philosophica, quæ iam Theologorum schola sibi arrogat. Nonnulla ad propriam sedem restituam, & forsan Controuersiis venturis aliquid prælibabo, ex his quæ Theologi iure disputant, sine illorum tamen iniuria, omnia enim ex principiis, terminisq; Philosophicis attingam.

PVNCTVM PRIMVM.

De obiecto voluntatis.

1 OBiectum voluntatis est bonum & malum: in bonum tendit actu prosequutionis, in malum actu fugæ. De natura boni, & mali dicam in Metaphys. Contr. 3. modò breuiter assero bonum esse duplex, vnum absolutum in se, alterum respectiuum; bonum absolutum, quod in se integrum, pulchrumve est sine ordine ad aliquod subiectum. Hanc bonitatè habent etiam obiecta, quæ relatè ad aliud subiectum materialia sunt, sicuti nix in hyeme etiamsi relatè ad animal mala sit, in se tamen habet frigiditatem, & candorem; quibus in se est bona. Bonum alteri conueniès diuiditur in honestum, vtile, & delectabile. Est difficultas inter Authores, an voluntas tantùm feratur in bonum alteri conueniens, an etiam tendat in bonum absolutum, & secundùm se. P. Vasq. 1.2. disp. 3. c 3. Montes. 1.2. disp. 1 q. 1. affirmant voluntatem non ferri actu complacentiæ in bonum absolutum, sed vt relatum alteri & in ordine ad subiectum, quia nix non amatur hyeme, quando tunc non est bona subiecto. etiamsi in se suam integritatè habeat. Non placet ratio; aliud enim est voluntatem complacere in niue secundùm se: aliud in niue quatenus coniuncta seu applicata: ego in hyeme non complaceo in niue quatenus mihi applicatâ, complaceo tamen in illa quatenus in se est integra & pulchra: sicuti complaceo in eo quod amicus sit fortis, pulcher, & cordatus, quin amicum his qualitatibus præditum mihi, alteríve conuenientem apprehendam.

2 Sentio voluntatem posse ferri in bonum absolutum & secundùm se sine ordine, neque delectatione ad subiectũ; ita Hurt. disp. 13. sect. 1. Probo hanc conclusionem, ex actu amicitiæ, quo amo amicum in se ipso, & propter se ipsum, & gaudeo de perfectione, pulchritudine, & integritate amici, quin cogitem an mihi vel alij subiecto sit vtilis, quo feror in bonitatem absolutam sine respectu ad subiectum. Vrgeo in actu charitatis erga Deum, quo ipsum amo propter ipsum abiq; alio respectu ad me, neque ad creaturam aliquã, aliàs talis amor non esset charitatis erga Deũ, sed concupiscentiæ, si amarem Deum quatenus mihi bonum; vel charitatis erga proximum, si Deum, quatenus est bonus proximo, diligerem. Dices actu amicitiæ erga homines, & erga Deum amare bonitatem amici, quatenus bonam ipsi amico, ac proinde semper voluntatem ferri in bonum quatenus conueniens alicui subiecto. Subsistet solutio, quando amo amico diuitias vel honores, aliáve bona ab ipso distincta, quando verò gaudeo de bonitate intrinsecâ ipsius secum identificata propter se ipsam, quia in se bona est, tunc nulla est conuenientia inter id quod amatur, & id cui amatur, quando conuenientia debet semper intercedere inter ea, quæ realiter distinguuntur, nihil enim sibi conueniens esse potest.

Dices nihil esse sibi propriè conueniens, esse tamen impropriè: hac ratione vita hominis, quæ ab ipso non distinguitur primum maximúmque bonorum omnium dicitur; mors verò malorum maximum. Caue ne nominum æquiuocatione materiam quæstionis omnino demas. Si eiuldè entitatis ad se ipsam conuenientiam agnoscas, nullum obiectum poterit assignari, in quo talis conuenientia non reperiatur; si enim dicis amicum secundùm suam entitatem esse sibi conuenientem, sic calorem & quamcumque aliam entitatem, formalitatémve quam assignes, dicam ego sibi esse conuenientè, & ita nunquam quæstio hæc locum inueniet, destruitur enim illius suppositum, videlicet bonum absolutum, cùm omne bonum sibi bonum, & conueniens fingatur. Sed esto dicatur omne ens sibi bonum, atque conueniens, adhuc voluntas fertur in bonum vt absolutum, & sine hac conuenientia ad seipsum, quod sic probo. Voluntas sæpè complacet in persona amici quatenus in se est bona, quin intellectus proponat bonitatem amici, neque ipsum amicum quatenus sibi conuenientem: ergo fertur in bonum quod proponitur vt absolutum ab omni conuenientia, & sine aliquo respectu ad aliud, neque ad se ipsum: ergo eodem modo tenderet in tale obiectum, etiamsi talem conuenientiam non haberet, quod enim non cognoscitur ab intellectu, proinde est ac si non esset in ordine ad actum voluntatis, qui sit sine tali cognitione. 3

Aliud est difficilius circa voluntatis obiectum, An videlicet voluntas possit ferri in bonum vt bonum actu fugæ, & in malum vt malum actu prosequutionis. Affirmant Nominales & alij plures apud Patrem Salas 1.2. q. 1. art. 1. & 2. tract. 1. disp. 13. sect. 1. Quod sequitur P. Azor. t. 1. lib. 1. c. 20. noster Complutensis Hurtad. 1.2. disp. 3. diff. 1. Oppositum docet Vasq. 1.2. disp. 31. cum communi sententia, quæ tenet voluntatem tantùm posse ferri in obiectum bonum formaliter, vt bonum actu prosequutionis, & in malum formaliter vt malum actu fugæ. Hanc conclusionem probat Vasq. Patrum auctoritate præcipuè Aug. & Dionysij dicentis, *nemo intendens ad malum operatur*. Ratione confirmatur desumptâ paritate intellectus, qui non potest assentiri obiecto vt falso, neque illi vt vero dissentire; ergo neque voluntas amare obiectum vt malum, neque odio habere obiectum vt bonum. Sicut enim verum & falsum sunt obiectum intellectus, ita bonum & malum voluntatis. 4

Efficacius eandem conclusionem confirmo: Ad hoc vt affectu odij inimicitiæ personam prosequar, necesse est reperiri in illa aliquam indignitatem, seu malitiam ratione cuius illam odio habeam: ergo ad hoc vt obiectum prosequar actu fugæ, seu odio abominationis, necessum est me cognouisse in illo aliquam rationem mali. Antecedens admittunt omnes; aliàs possem personam quam dignam meo amore apprehendo, & ex nullo capite dignã odio seu malo aliquo, odio afficere, & ita summum bonum vt tale apprehensum odisse. Consequentiam probo: Actus odij respicit essentialiter tam personam cui volo malum, quàm malum quod personæ cupio: ergo sicut nõ potest actus odio inimicitiæ respicere personam, vt bonam, & amicitiâ dignam, ita neque odio abominationis obiectum vt bonum & amore dignum. Idem dico de actu amoris, qui non potest esse actus amicitiæ circa personam indignam, sed necessariò illam vt dignam respicit: ergo neque potest esse amor concupiscentiæ circa obiectum vt malum, sed necessariò debet illud vt bonum respicere. 5

Obiicit Hurtadus suprà: Actus odij circa inimicum debet respicere malum, vt malum inimici, ibi sistendo: ergo circa malum vt malum versari debet: Antecedens probatur; Si ego vellem malũ inimico quatenus mihi bonũ, actus ille non esset odij, sed actus concupiscentiæ propriæ; sicuti actus quo ego volo bonum alteri quatenus mihi bonum, non est actus amicitiæ, quia hic debet sistere in bono amici præcisè quatenus est bonum illius. 6

Duo à nobis explicanda exposcit hæc obiectio: primum est cur actus amicitiæ debeat sistere in bono amici præcisè quatenus est bonũ illius, & actus odij possit respicere malũ inimici, quatenus mihi bonũ. Secundum, quomodo debeat respici 7

respici actu voluntatis malũ inimici vt talis actus habeat rationem odij, non enim quicumque actus respiciens malum alterius, si illud respicit quatenus bonum amanti, vel alteri subiecto, est actus odij, quia actus, quo quis desiderat mortẽ Patris propter hæreditatem capiendã non est odij actus. Vtrumque dabo. Primò appositam disparitatẽ reddo cur actus amicitiæ habeat sistere in bono amici, quatenus bonum illius est, & actus inimicitiæ non debeat sistere in malo inimici quatenus est malum illius. Bonum amico concupitũ potest concupisci quatenus bonum est tam mihi, quàm amico, neque vt ego concupiscam bonum amico necessum est illud vt mihi bonum concupiscere, ac proinde cùm possim bono amico cõcupiscere præcisè, quia bonum illius, quasi amicitiæ lege id teneor præstare, debeo enim amare bonum amici, quasi mei oblitus omni modo, quo possum; quod si non possem bonum amico, nisi etiam vt proprium bonum amare, hoc non esset contra legem amicitiæ, neque actus respiciens bonum amici vt bonum proprium eo modo, quo dicam actũ odij respicere malum inimici, vt proprium bonũ, à vera amicitiæ ratione deflecteret. Tota doctrina aptè explicabitur, & probabitur actu amicitiæ Dei erga creaturas, qui iuxta communem multorum Theologorum sententiam, non possit adhuc formaliter non tendere in propriam Dei bonitatem quia debet obiectum infinitè bonũ respicere, & nihilominus est verus amicitiæ, quod nullus Catholicus potest negare. Ex hac doctrina disparitatem desumo: malum vt malum non est obiectum prosequutionis, ac proinde adhuc inimico non possum illud prosequi, & hinc fit, quod lege odij (fas sit ita meã explicare sententiam) non teneor malũ inimici respicere vt malum illius ibi sistendo, sed etiam vt bonum mihi.

8 Restat nunc aliud ad argumenti solutionem desideratum explicare: Quomodo actus voluntatis debeat tendere in malum personæ, vt talis actus habeat rationem odij, quod sic explico. Actus odij debet tendere expresè in malum personæ ex displicentia talis personæ, & malum personæ, quæ odio afficitur respicere quatenus illi malum est, & quatenus bonum amanti, ita vt si illi malũ non esset, conuenientiam illam non haberet in ordine ad subiectum amans. Rem explicabit exemplum: mors Petri quæ malum illius est, potest à me intendi præcisè quia bona est mihi propter hæreditatem capiendam, & quando actũ voluntatis illam sic intendo, eandem intendam etiam si mortem Petri apprehendam, quatenus illi bonum vt æternã beatitudine perfruatur, conuenientia enim quam respicit meus actus voluntatis, non est sita in disconuenientia, quam habet mors Petri in ordine ad ipsum, & ita eodem modo intendam mortem Petri, & cum eadem conuenientia in ordine ad me, siue mortem Petri vt bonum sibi, vel vt malum illi apprehendam, & talis actus nullo modo habet rationem odij, sed propriæ beneuolentiæ, seu concupiscentiæ. Aliter possum tendere in mortem Petri actu voluntatis, quatenus mihi bonam, ex eo quod illi sit mala, ita vt conuenientia, quam habet in ordine ad me, fundetur in disconuenientia quam habet in ordine ad Petrum, & non illã apprehendere cum illa conueniẽtia in ordine ad me, neque meum esset bonum, si malum Petri mors ipsa nõ esset, neque illam intenderem vt mihi bonam, si per eumdem actum non tenderem in eandem vt malam Petro, & tunc talis actus propriissimam odij rationem sortietur.

Punctum II.

An actus voluntatis dependeat efficienter ab actu intellectus.

1 ACtum voluntatis à cognitione dependere firmum est. Difficultas est an efficienter dependeat, vel tantùm illuminatiuè, seu tanquam à conditione illuminante. Communis verissimáque sententia docet actus voluntatis non pendere efficienter à cognitione, id est, tantùm dependere ab illa tanquam à conditione seu propositione obiecti, & quadam quasi morali applicatione: Ita Vasq. 1.2. disp 36. c.2. apud quem si placet, antiquorum de hac re sententias legere potes.

2 Probatur hæc conclusio. Tota causalitas voluntatis sufficienter intelligitur in applicatione obiecti, ergo nulla alia est necessaria. Probo antecedens: volũtas ideo indiget cognitione, quia est potentia cæca: ergo tantùm indiget illuminatione, seu luce quâ videat obiectum: sed hæc illuminatio fit per cognitionẽ formaliter: ergo non est necessarius alius concursus actiuus cognitionis vt voluntas habeat omnia requisita ad operandũ. Secundò probatur: Voluntas est potentia libera cuius obiectum prosequutionis est bonum, & fugæ malum: ergo viso bono poterit se ipsam determinare ad prosequendum bonũ, & viso malo ad illud fugiendum: ergo non indiget determinãte actiuè, sed tantùm proponente obiectum, vt ipsa pro sua libertate se ipsam determinet: ea enim est natura potẽtiæ liberæ vt respectu actuum, quos liberè exercere potest, seipsam liberè possit determinare, & hæc est ratio propter quam intellectus indigeat speciebus, vel aliis cõprincipiis vt determinetur ad assensum potiùs, quàm ad dissensum, quia cùm sit potẽtia necessaria non potest seipsam determinare; voluntas verò cùm sit potentia libera circa obiecta, quæ semel cognouit, seu vidit posita cognitione, seu visione illorum, non indiget alio comprincipio actiuo vt determinetur.

Obiic. Verbum diuinum simul cum Patre spirat personam: ergo nostrum verbum producit amorem. Nego consequentiam concesso antecedenti, quia Verbum diuinum habet eamdem naturam cum Patre, & habet potentiam spiratiuam, qua est potens spirare, & est fœcundus ad spirationem passiuam; nostrum verò verbum est purum quoddam accidens, longè natura, & essentia diuersum à principio illud, amorémque producente. 3

Obiicies illud axioma vulgare: ab obiecto & potẽtia paritur notitia: sed obiectum tantùm potest influere in amorem media cognitione: ergo cognitio influit actiuè. Resp. amorem non esse notitiam, neque partum illius, neque adhuc remotè pendere efficienter ab obiecto, potest autem aliquo modo dici ab obiecto, quia dependet tanquam à conditione, à cognitione, quæ cognitio pendet ab obiecto. 4

Obiic. Affectus distinguitur specie per cognitionem; ergo dependet efficienter ab illa. Respondeo dato antecedenti de quo Controu. 15. vbi explicabo quomodo actus voluntatis specificetur à cognitione, negando consequentiam, quia in omniũ sentẽtia ex diuersis actibus adæquatis specie diuersam potentiam inferimus, nihilominus potentia non dependet efficienter ab actibus: & ex diuerso termino diuersa relatio transcendentalis, & prædicamentalis infertur in opinione admittente relationem prædicamentalem superadditam, nihilominus non influit terminus efficienter in relationem. 5

Punctum III.

An volitio necessariò & essentialiter pendeat à cognitione.

BOnau. Gerson, aliique viri pij apud Vasq. 1.2. disp 35. c.1. censent in via vnitiua per amorem ardere voluntatem in Deum sine cognitione, quod sanè alienum est à veritate, quia quantumvis ardeat voluntas feruida summi boni contemplatione amans seu ardens per voluntatem scire potest se amare Deum: ergo cognoscit obiectum sui amoris, deinde experientia ipsa manifestè docet nostrã voluntatem nunquam ferri in obiectum incognitum, vnde illud axioma dimanauit; *nihil volitum quin præcognitum*. Deinde probatur, quia Aristoteles & exillo omnes Philosophi atque Theologi voluntarium definiunt, quod est à principio intrinseco cum cognitione; ergo actus voluntatis saltem naturaliter non potest non à cognitione dependere, quod in hac re tanquam firmum & certum statuo & ad dubia progredior. 1

Est quæstio, an amor ita dependeat à cognitione vt adhuc de potentia Dei absoluta non possit non dependere. Affirmant Vasq. 1.2. disp. 35. c. 3. n. 12. Lorca 1.2. disp. 9 Montesinos ibid. disp. 13. n. 38. Hurtad. disp. 14. sect. 4. & Arriaga disp. 7. sect. 4. Non tamen conclusionis communis commune fundamentum vtrique: Hurtadus putat qualitatem in amore inclusam posse produci & vniri voluntati, sine cognitione, non tamen actionem quæ est de ratione volitionis. Arriaga verò qui totam amoris rationem in qualitate constituit, docet hanc non posse in voluntate sine cognitione produci adhuc de potentia Dei absoluta, vel voluntatem non constituendam esse amantem per talem qualitatem sine cognitione in voluntate productam. 2

Affirmo de potentia Dei absoluta posse amorẽ produci 3

&

& voluntatem amantem constitui sine aliqua cognitione. Tenent hanc conclusionem Arg. in 1.dist.1.q.1. art.4. Palud.in 4. dist.49.q.1.art.2 Gran.1.2. disp.2. sect.1.Conimb.3. de anima cap.13. q.3. art.2. Id defendo in quacumque opinione, etiam rationem amoris in actione constituente, quod sic probo. Volitio non pendet à cognitione tanquâ à principio actiuo influente in volitionem, sed tanquam â conditione,ergo poterit Deus independenter à tali cognitione rapere voluntatem, & habitum si necessarius sit ad volitionem, & simul cum illis producere volitionem: Consequentiam probo: totum principium actiuum volitionis consistit in voluntate,habitu,& omnipotentia Dei, & cognitio tantùm requiritur,vt inuitet voluntatem, illique proponat obiectum in cuius amorem ipsa se determinet: ergo si Deus per se ipsum velit in actu primo voluntatem prædeterminare ad amorem, non indigebit cognitione alliciente, neque obiectum proponente, neque ipsam voluntatem illuminante; quando enim cæcus ab alio rapitur, & non it, sed fertur, non indiget luce, vt viam quâ iturus est videat,voluntas autem in hoc casu,etsi physicè concurreret,moraliter tamen non iret,neque aliquid efficeret,quia non esset libera in tali actu,ideo enim Deus dicitur in nobis operari gratiam præuenientem sine nobis, quia fit sine nostro libero concursu, non tamen sine concursu physico, nam sancta cogitatio quæ gratia præueniens dicitur, physicè à nostro intellectu dependet.

4 Eamdem rationem clariùs expendo. Ad actum amoris Dei concurrunt, voluntas & habitus:non ago de concursu causæ primæ.Voluntas indiget cognitione vt seipsam determinet in actu secundo, habitus non indiget hac cognitione neque debet esse cognoscens, quia determinatur à voluntate, quia id quod non se, neque aliud determinat, determinatiuo non indiget, quod tantùm est necessarium illi,quod se vel aliud determinat. Eodem modo comparo ego voluntatem cum omnipotentia Dei.Voluntas humana & omnipotentia diuina sunt principium adæquatum actus naturalis amoris, v. g.circa Ioannem, ideo hæc principia indigent cognitione vt se determinent, & liberè operentur: ergo si Deus determinat voluntatem ad amorem obiecti supernaturalis,voluntas nullo determinatiuo indigebit.Deum autem posse voluntatem prædeterminare de potentia absoluta ad actum non peccaminosum,existimo non posse iuxta bonam Theologiam negari ab aliquo.

5 Eandem sententiam probo contra opinantes qualitatem esse totam rationem cognitionis: qualitas illa potest vniri lapidi:ergo eodem modo potest Deus illam infundere voluntati. Antecedens admittit Arriaga, & consequentiam negat n. 46. quia lapis non est subiectum capax amandi, ac proinde potest in illa qualitas sine cognitione produci; voluntas verò est subiectum capax amandi effectus formalis,quapropter non potest illam sine cognitione recipere. Egregiè sanè, diceret quilibet. Lapis non potest recipere formam amoris, quia non potest recipere formalem effectum, voluntas verò illam potest recipere, quia potest effectum formalem recipere, vt opinatur Arriaga:ideo lapidem posse recipere formam sine cognitione, quia non potest effectum formalem talis formæ,& voluntatem eamdem formam non posse recipere, quia potest effectum formalem recipere, vnde docet incapacitatem effectus formalis iuuare ad receptionem formæ, & capacitatem eiusdem impedire formæ receptionem,quod è communi apprehensione abhorret. Deinde vt bene docet idem Arriaga, effectus formalis nihil aliud est, quàm totum resultans ex forma & subiecto;ergo dicere formam non posse vniri huic subiecto,quia illi communicat suum effectum formalem, idem est ac dicere: non potest vniri huic subiecto, quia ex illo resultabit hoc compositum: quo posito sic arguo: Non repugnat fieri à Deo sine illa cognitione creata compositum ex lapide,& qualitate, in qua formaliter consistit amor: ergo non repugnat fieri à Deo sine illa cognitione creata compositum resultans ex voluntate & eadem qualitate.

6 Respondet posse admitti,Deum posse vnire illam qualitatem voluntati, tunc tamen voluntatem non esse constituendam amantem,quia tunc non esset subiectum proportionatum, quia hoc dicit duo, voluntatè & cognitionem; quam solutionem ait fortè probabiliorem esse. Ego verò vtramque difficiliorem existimo, & hanc efficacissimè impugno. Cognitio non esset subiectum adhuc inadæquatè amans,neque amorem recipiens: ergo tota ratio subiecti amoris consistit in voluntate. Deinde tota ratio formæ consistit in qualitate;ergo posita qualitate in voluntate est tota ratio formalis huius concreti *amans*: ergo si Deus hanc qualitatem voluntati infunderet illam amantem constitueret. Tandem meam conclusionem probo ex solutione argumentorum, ex hac enim constabit nullam inuoluere implicationem, quod potissimum & adæquatum, & efficax est fundamentum in quæstionibus de potentia Dei absoluta.

Obiic. Obiectum voluntaris est bonum cognitum: sed Deus non potest mutare obiectum voluntatis: ergo non potest facere vt versetur circa obiectum non cognitum. Respondeo distinguendo antecedens: Obiectum voluntatis est bonum cognitum materialiter, hoc est, bonum quod cognoscitur seu potest cognosci, concedo; formaliter,id est,vt includens cognitionem, subdistinguo: includens cognitionem tanquam obiectum formale constitutiuum illius,nego;tanquam conditionem vt potentia versetur circa illud, concedo: sed Deus non potest mutare obiectum voluntatis,distinguo minorem;non potest facere vt voluntas versetur extra rationem formalem sui obiecti,concedo minorem:non potest facere vt aliquâdo operetur sine omnibus, quæ requiruntur vt voluntas naturaliter operetur,nego minorem;deinde nego consequentiã. 7

Obiic. Voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione: sed actus voluntatis per se habet esse voluntarium:ergo per se habet dependere à cognitione. Respondeo, ad rationem voluntarij sufficere prouenire à principio intrinseco in actu secundo, & dependere in actu primo à cognitione, hoc est,illam naturaliter exigere, quod conuenit amori sine cognitione producto. Vel secundò responderi potest actum voluntatis non esse adæquatè intrinsecè voluntarium, quia voluntarium dicit duo,esse à principio intrinseco & cum cognitione; actus verò voluntatis habet intrinsecè esse à principio intrinseco, quia per se dependet ab illo non tamen esse cum cognitione, quæ est extrinseca actui voluntatis. 8

Obiic. Arriaga: Causa physica non potest operari quin existat:ergo neque obiectum potest amari quin cognoscatur. Probat consequentiam, quia id quod est existentia causis physicis ad producendum,idem est cognitio obiecti vt ametur. Respondeo concedendo primum antecedens, & negando consequentiam & confirmationem illius,quia existentia causis physicis est ratio formalis potentiæ productiuæ,seu principij,quia existentia potentiæ non distinguitur ab ipsa,cognitio verò non est obiecto ratio formalis vt terminet amorem, sed tantùm conditio vt potentia possit circa illud versari. 9

Placet tamen notare omnia argumenta prædicta fore inefficacia,& infirma,etiamsi concederemus cognitionem esse rationem formalem obiectiuam, & amorem ferri in obiectum vt cognitum,& in ipsam cognitionem: quia sicut color est ratio obiectiua formalis terminans visionem, & nihilominus in probabilissima sententia quam defendo Cont.4.p.4. potest videri color non existens, & terminari visio ad colorem non existẽtem,ita potest terminari amor ad cognitionem non existentem sicut de facto terminatur ad bonum non existens: quod passim notare placuit,licet solutionibus suprà traditis firmiùs adhæream. 10

Obiicit difficilius Hurtadus:Volitio consistens in actione immediatè, & per se dependet à cognitione:ergo non potest non pendere ab illa: Probatur antecedens: dependet, non media alia entitate: ergo per se & immediatè. Dices dependere tanquam à conditione: bene sed quid ad rem? dependet tanquam à conditione per se & immediatè: ergo non potest non habere hoc dependentiæ genus, quia quidquid conuenit rei per se & immediatè non potest ab illa separari.Respondeo.Volitionem non dependere à cognitione per seipsam, sed per coëxistentiam volitionis,& cognitionis repræsentantis obiectum materiale, & formale, in quod tendit volitio, quod latè explicabo Contr.9. punct.5. 11

PVNCTVM IV.

An volitio dependeat sufficienter ab apprehensione, vel indigeat iudicio tenentis se ex parte actus primi?

RECTÈ docuit P. Vasq. 1. 2. t.1. disp.44. cap.2. sufficere apprehensionem de aliquo obiecto, vt voluntas simplicem 1

simplicem delectationem de illo obtineat, quod manifesta experientia suadet, sæpe enim quis humilis statu delectatur de dignitate regia, & cogitat quid esset facturus, si illâ frueretur, singulâque negotia regia disponit, quæ omnia non sine aliquâ animi voluptate fiunt, etiamsi obiectum consideretur moraliter impossibile, & sæpe physicè, vt cùm quis se Angelum contemplatur, & gaudet de dotibus Angelicis, ac possessis.

2 Difficile est definire, an apprehensio sufficiat ad actum efficacem volùtatis, qui tendat in exequutionè mediorum. Negat communis sententia. Ita Med. P. Valentia, P. Azor. P. Soar. apud Salas, 1.2. t.1. q.1. art.1. & 2. tit.1. disput.5. sect.2. Sentio posse hominem temerè contra omnes prudentiæ rectæque rationis regulas efficaciter intendere obiectum, quod tantùm vt bonum consequendum apprehendit, quia potest more brutorum tactus bonitate obiecti apprehensi ferri in illud, quod probat exemplum brutorum, quæ obiectum tantùm apprehensum efficaciter intendunt. Secundò id mihi persuadeo, quia rationes, quæ probant requiri iudicium de obiecto bono consequendo vt efficaciter intendatur, tantùm ostendunt esse contra prudentiæ regulas, sine tali iudicio obiectum efficaciter intendere: ergo cùm physicè impossibile non sit operari contra omnes prudentiæ regulas, & modù homini cordato debitum, idque continuo faciant insani homines, & sæpe rustici, & simplices, sæpe hi obiectù tantum apprehensum efficaciter intendet.

3 Sentio insuper non posse nisi per summam imprudentiam efficaciter intendi obiectum, quod priùs non iudicatur vt bonum consequibile, quo iudicio non præeunte cordati homines, qui rationis momenta mediocriter meditantur, & terminos prudentiæ suis tangunt actionibus, numquam obiectum aliquod efficaciter intendunt; est enim summa imprudentia intendere obiectum quod nondum scitur an sit possibile, & apprehensio obiecti non est scientia de illo; non enim dicam ego, me scire Petrum esse in foro, quia Petrum in foro apprehendi. Faciunt plurimùm ad rem hanc Christi D. verba Lucæ 14 *Quis rex iturus committere bellum aduersùs alium Regem, non sedens priùs cogitat, si cum decem millibus possit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se, alioquin adhuc illo longè agente rogat ea, quæ pacis sunt.* Quibus verbis docet diuina veritas omnem Regem, in quo omnes homines significat, priusquam efficaciter prælium inire intendat, hoc est, negotium aliquod aggrediatur, secum conferre rei euentum, & iudicium facere non solùm de possibilitate illius, sed etiam futuritione hîc & nunc futura, si apponantur media necessaria ad talem finem obtinendum.

4 Ex hoc fit in cordato homine nullo indeliberato motu præuento, neque inaduertentia laborante moraliter esse impossibilem intentionem efficacem finis procedentem ad exequutionem mediorum sine iudicio præcedente circa illius bonitatem vt obtinendam. Neque mirum est me asserere insanum hominem actum voluntatis posse exercere ex illis principiis, quibus cordatus homo alia simul perpendens impotens est illum efficere, hoc enim in actibus intellectus erebrò contingit, quod negabit nullus, videmus enim simplices homines res difficillimas, fictúsque nouellas credere propter testimonium ludentis pueruli, & aliqua executioni mandare, ad consequendum id quod cordatus, & prudens homo credere non potest, non ex alio capite, nisi quia illorum fides est contra omnem rectam rationem rationabilémque prudentiam.

5 Eâdem ratione nullus cordatus homo medium eligit, quousque prius examinauerit vtilitatem illius cum fine, & per scientiam conditionatam iudicauerit aliquâ probilitate futurum esse vtile tale medium si applicetur. Dixi, aliquâ probabilitate iudicandam esse vtilitatem medij, quia neque de medij vtilitate, neque de bonitate finis illiúsque futuritione requiritur certum iudicium hîc & nunc contingentè esse euentum finis intenti, etsi illius negatio multo contingentior appareat, dummodo enim sub aliqua contingentia nobis proponatur finis futuritio, possumus spem aliquam de illa concipere & finem efficaciter intendere.

6 Vltimò noto circa obiectum apprehensum, vt impossibile posse tendere voluntatem per actus, non absolutè efficaces, sed quasi conditionatè, & ex se, quibus ita afficitur voluntas circa obiecta, vt impossibilia proposita, vt si possibilia apparerent ex vi talium actuum mediatè, vel immediatè voluntas exequutioni mandaret omnia requisita ad illa obtinenda.

PVNCTVM V.

An detur imperium ex parte intellectus præcedens actus voluntatis.

1 INter requisita ex parte actus primi ex parte intellectus ad volitionem à potentia volitiua emanaturam Thomistæ constituunt actum quemdam practicum imperij, significatum verbo, *fac hoc*, qui significari nequit verbo Indicatiui modi, quo formale iudicium significetur. Ita Iauellus 9. Metaph. quæst. 4. Sotus tit. 1. de iustitia. q. 1. art. 1. dubio 2. & quæst. 17. art. 1. ad explicationem solutionis ad secundum. N. Bellarminus lib. 3. de gratia, & lib. arb. cap. 8. & 9. & alij interpretes D. Thomæ dictâ q. 17. art. 1 quos impugnat Suar. disp. 9. Met. sect. 6. Hic actus non est iudicium, quo determinatè iudicetur rem hîc, & nunc faciendam esse, deberique amari, & cæteris præferri, quia si omne peccatum ex hoc iudicio procederet, omnis peccator esset hæreticus & in omni peccato, cuiuscumque esset speciei, committeretur hæresis, sed tantùm est actus quidam significatus modo iam dicto.

2 Hunc imperij actum, tanquam superfluum, impossibilem, & destructiuum libertatis impugnant multi è nostris, præcipuè P. Suar. loco citato, P. Vasquez 1.2. q. 49. c. 4. P. Did. Ruiz disput. 3. de prouidentia, sect. 6. P. Arrub. 1. parte, q. 22. art. 1. disp. 63. c. 3. P. Fonseca 9. Metaph. c. 2. q. 6. sect. 3. P. Azor. tom. 1. tit. 1. cap. 29. P. Puente, Hurtad. disp. 15. de anima, sect. 8. P. Arriaga disp. 8. sect. 2. subiect. 1. & ex antiquis plures alij, præcipuè Scoti discipuli, quos prædicti Authores referunt, & Almainus 3. moral. c. 2. affirmat hanc esse sententiam omnium Doctorum.

3 Dico primò, nullum dari actum intellectus, qui non possit significari verbo Indicatiui modi, & qui non sit apprehensio, vel iudiciù, seu discursus, neque posse dari actù imperij, qui non sit iudicium assertuum. Probatur conclusio: In intellectu nullus est possibilis actus, qui non sit intellectio includens formaliter cognitionem: sed omnis cognitio vel est iudicium vel saltem apprehensio ordinata ad iudicium (mitto discursum, quia continetur in iudicio) sed apprehensio & iudicium possunt significari verbo Indicatiuo: ergo omnis actus intellectus Indicatiuo verbo significari potest. Confirmatur: Omnis actus intellectus versatur circa obiectù formaliter vt verù: sed obiectù vt verù, tantù potest terminare iudiciù, vel apprehensione ordinatam ad illâ: ergo nullus est actus in intellectu, qui significari debeat verbo Imperatiuo distinctus ab apprehensione & iudicio, quæ verbo Indicatiuo significantur.

4 Deinde omnis actus imperij, vt fatentur Thomistæ, est intimatio superioris facta inferiori: sed voluntas nullam habet potentiam superiorem, cuius actus possit illi intimari: ergo respectu proprij actus voluntatis nullum potest imperium reperiri. Si dicas voluntati intimari aliù actum eiusdè potentiæ, videlicet volitionem præsuppositam ad imperium: de illa volitione inquiro an processerit ab imperio? Si dicas, non processisse, habeo non omnem volitionem ab imperio procedere, ex quo inferam ad nullam esse necessarium, quia de omnibus est eadem ratio. Si affirmes: volitio illa ab imperio procedens supponet volitionem aliam, cuius imperium sit intimatio & sic in infinitum abimus. Dices sistendum esse in vno actu voluntatis facto à Deo, qui dicitur *primum velle*. Contrà: Ille actus eo ipso, quod sit volitio est vitalis, & à voluntate dependens: ergo voluntas indigebit imperio vt illum eliciat, & consequenter supponet aliud velle.

5 Dico secundò: Etiamsi possibilis esset, talis actus esset omnino impertinens & superfluus respectu nostrarum volitionù: Dicam postea de hoc actu respectu actionù externarù. Probatur: per actù iudicij, quo obiectù repræsentatur voluntati sub ratione boni & mali, est applicatù voluntati motiuum ad amandum, & odio habendum, & est voluntas illuminata repræsentatione obiecti, quod potest amare, & odisse: ergo non indiget alio actu intellectus. Probo antecedens. Applicatio obiecti, & illuminatio potentiæ cõsistit in cognitione, quâ potentiæ ex se cæcæ proponitur obiectum, circa quod potest versari; sed per iudicium de bonitate, & malitia obiecti est sufficienter cognitum obiectù, circa quod voluntas potest tendere actu persecutionis, & fugæ: ergo est sufficienter applicatum obiectù, & potentia

adæquatè illuminata. Consequentia facilem probationem habet. Actus intellectus tantùm prærequiritur ad actum voluntatis, vt replicatio obiecti & illuminatio potentiæ: ergo posito actu, in quo consistit hæc applicatio, & illuminatio potentiæ nullus alius requiritur: ergo præter apprehensionem vel iudicium nullus alius actus intellectus prærequiritur ad volitionem.

6 Respondent nonnulli, requiri imperiũ ad electionem vt insinuet potentiæ volitiuæ intentionem præcedentẽ, quæ insinuatio necessaria est ad electionem, & non fit neque per apprehensionem, neque per iudicium, quibus potest cognosci ratio boni, aut mali in obiecto reperta. In primis hæc solutio aliquantũ recedit à cõclusione, supponit enim imperium non requiri ad intentionem, sed tantùm ad electionem. Sed neque hanc requiri, & hanc imitationẽ esse superfluam ad electionem faciendam probo. Eò præcisè quod voluntati proponatur vtilitas medij & conducentia, quam habet ad finẽ, & illius necessitas ad obtinendum finem, est sufficienter præuenta, vt nõ possit finem non eligere suppositâ intentione, quia ex vna parte obiectum est sufficienter propositum, vt voluntas possit illud amplecti, ex alia cognitio necessitatis, & intẽtio præhabita suppositâ potentiâ ad eligendũ medium sufficiunt vt necessitatem valeant inducere: ergo ad electionem actus necessariò faciendam non prærequiritur tale imperium. Dices, prærequiri adhuc insinuationem ipsius intentionis, quæ non includitur in cognitione vtilitatis, & necessitatis medij. Contrà: si hæc insinuatio requireretur tantũ deberet cõsistere in cognitione ipsius intẽtionis insinuatæ, non in actu imperij respectu medij, non enim intentio posset insinuari per actum respicientem medium, & non ipsam: ergo ex omni capite superfluè ponitur talis imperij actus.

7 Dico tertiò: Si tale imperium daretur, omnino libertatem voluntatis euerteret. Conclusionẽ doctè, & solidè insequitur Suarez suprà in hunc modum. Posito tali imperio nulla est indifferentia in voluntate, quia talis est naturæ, vt non possit non coniungi cum actu, quod ita verũ existimat Med. cit. dubio 2. vt asserat stante imperio efficaci ex parte intellectus nullam restare libertatem in voluntate ad contradicendum, additque imperium non habere hanc efficaciam à voluntate, quia cùm non sit in infinitum abeundum, necessariò perueniendum est ad aliquod imperiũ intellectus anteuertens omnẽ actionem voluntatis, quod hanc efficaciter rapiat ad operandum, ex quibus sic arguo contra Medinam, & omnes, qui illi cõsentiunt. Posito hoc imperio nulla est libertas in voluntate, hoc imperium est ante omnem actum voluntatis: ergo ante omnem actum voluntatis supponitur id, quo posito nulla est libertas: ergo nullus actus voluntatis liber esse potest: duas partes antecedentis desumpsi ex Medina duas illationes factas existimo apud omnes fore magni roboris.

8 Respondet Iauellus 9. Metaphys. q. 4. hoc imperium liberum esse respectu voluntatis, & ita actum ex illo necessariò illatum posse libertate gaudere. Recedit solutio à Thomistarum doctrina, & in maiores incidit difficultates, si actus imperij liberè debet supponere actum voluntatis, hic actus voluntatis aliud imperium, & ita in infinitum abeundum, vel deueniendum ad aliquem actum voluntatis, qui ab imperio non dependeat ad actum imperij necessarium, quod bene nouit Medina, qui ne in hanc difficultatẽ incideret fassus est hoc imperium anteuertere omnẽ actũ voluntatis, & illo posito nullam manere libertatem in voluntate, non sine magna humanæ libertatis iactura. Deinde etiamsi imperium liberum esset, actus quando ab illo necessariò oritur, in se non esset liber, sed liberate imperij secundariò, & deriuatiuè, sicuti electio orta ex intentione libera efficaci in se libera non est, vt probabo in anima Controu. 10. Punct. 3. Plures alias solutiones, & plurima alia argumenta possem adducere contra hanc sententiam. Vide quæ contra omnem prædefinitionem antecedentem nostri Authores adducunt, quæ omnia æquè contra hoc imperium adduci possunt, illa iterum recognosce, quibus poteris vti ad imperium impugnandum.

9 Si velim fundamenta euellere, quibus hoc nititur imperium, vix vllum inuenio. Primum peti solet ex authoritate Aristotelis, apud quem neque relatum ab aduersariis vllum testimonium inuenio, quod quidquam difficultatis præ se ferat. Legatur P. Vasquez disput. 59. citatâ, cap. 5. vbi mentem Aristotelis doctè interpretatur. Circa mentem D. Thomæ lege nostrum Ruizium disput. 3 de prouidentia, sect. 7. à n. 8. vbi probat Angelicum Doctorem nullum posuisse actum imperij in intellectu distinctum à iudicio enunciatiuo, & in hoc consistere actũ imperij iuxta mentem sancti Doctoris, probat ex illius testimoniis, & exinterpretatione Conradi nobilis tãti Præceptoris Discipuli. Probat similiter noster Ruizius multis Scripturæ testimoniis, actum imperij verbo Indicatiuo significari. Quod si ita imperium constituatur facilè illud admittam respectu volitionum efficacium, quas iudiciũ de bonitate obiecti, saltem vt in plurimum præcedere verum est, vnum tamen Thomistis non concedam, quod Angelicus Doctor minimè docuit, videlicet actum illum imperij talis esse naturæ, vt illo posito, nulla in voluntate indifferentia remaneat, hoc enim absque omnimoda libertatis iactura concedinequit; voluntas enim indiget iudicio, vt possit proprium actum elicere, non verò iudicium illud prærequisitum voluntatem determinat, sed voluntatem constitui potentem se determinare, & ita requiritur iudicium vt voluntas se ipsam determinet, non verò, vt illud voluntatem prædeterminet, quod pulchrè dixit Bernardus libro de gratia, & libero arbitrio, his verbis, *Est ratio data voluntati, vt instruat illam, non vt destruat; destrueret autem, si necessitatem vllam imponeret, quo minus pro arbitrio suo sese voluerit.* In confirmationem huius doctrinæ docuit Salas 1. 2. tit. 6. disp. 2. sect. 5. n. 4. ex Viguerio, quem ipse refert imperium directiuum pertinere ad intellectum, & motiuum ad voluntatem.

CONTROVERSIA IX.

De actibus voluntatis imperantibus alios actus eiusdem potentiæ.

OMNIA quæ in hac materia continentur purè sunt Philosophica, quia tamen Theologis valdè necessaria sunt illis disputanda commendant Philosophi; ego tamen illa non omittam hac de causa, munus enim Philosophi est Theologo ministrare illa quæ intra Philosophiæ obiectum continentur.

PVNCTVM PRIMVM.

De imperio reflexo circa actum singularem.

§. I.

Status quæstionis.

OMnium potentiarum Regina voluntas, quæ aliis imperat, & determinat ad proprios actus, cui potentiæ externæ præstò obediunt, vt primùm enim voluntas dicit, *volo deambulare*, potentia loco motiua suum exercet officiũ & voluntati obedit, & intellectus in omnibus, in quibus sufficiens motiuum habet ad assentiendum, vel dissentiendum, & rei euidentia ad aliquem actũ non addicitur, voluntati obedit, & ad imperium illius assensum dicit, vel dissensum simile imperiũ exercet voluntas, respectu suorũ actuum, quãdo per vnum actum alium sibi imperat, vt cùm dicit, *volo elicere actum contritionis*, contritionis actus imperatus dicitur; ille verò alius actus reflexus quo dicit voluntas, *volo elicere contritionem*, imperans appellatur. 1

De ratione actus imperati est ab imperato procedere, & de ratione imperantis in imperatũ influere, inde imperãs & imperatus se habent tanqnam causa & effectus. Addit Ripalda de ratione imperati esse ordinari in finem operantis, & hac ratione dicitur illi seruire, ita vt omnis actus voluntatis ab alio procedens, & in illius finem ordinatus imperatus dicetur. Non placet hic philosophandi modus, quia sæpè actus imperans tanquam finem respicit ipsum imperatum, sæpè enim quis dicit, *volo elicere cõtritionẽ* propter excellentiam ipsius actus nullo alio fine inspecto, quẽ finem non inspicit contritio, quæ tantùm respicit detestationem peccati propter Deum offensum. Secundò, electio mediorũ dependet ab intẽtione, & in illius finẽ ordinatur, 2

&

& tamen intentio non vocatur actus imperans respectu electionis, neque electio imperata dicitur respectu intentionis. Actum imperatum propriè solùm appellarem, illum qui ab alio actu reflexo voluntatis dependet, sed de hoc nomine tenus potest esse quæstio, si enim dicamus actum reflexum tantùm posse dici imperantem, insurget quæstio, an vnus actus directus possit oriri ex alio directo ad cuius finem cõducit, siue hoc sit per influxum imperantis in imperatum, siue per aliam dependentiam causæ ad effectum.

3 Duplex est imperium vnum efficax, inefficax aliud; imperium efficax aliter dicitur, ac cogitatio efficax appellatur, quia inter cogitationes, quæcumque effectum habet, etsi potuerit illum non habere, efficax dicitur, quod ex se effectum habet tali modo sibi connexum, vt illum non possit non habere; imperium autem quod sine effectu, ad quem potentia est in actu primo completa, potuit esse etiamsi de facto illum sortiatur, inefficax dicitur, quia illius efficacia non desumitur ab effectu, sed à sua natura: Rursus imperium est duplex reflexum, & directum. Imperium reflexum consistit in actu respiciente alium actum eiusdem voluntatis tanquam obiectum; Imperiũ directũ, est actus qui directè tendit in obiectum externum, in cuius adeptionem, internus alius actus conducere potest, v. g. amat quis bonitatem diuinam, & ex hoc amore immediatè mouetur ad actum misericordiæ, quia nouit maximoperè conducere hoc opus ad obiectum prius amatum, v.g. ad obsequium præstandum bonitati diuinæ.

4 Actus reflexus triplex potest respicere obiectum, primum est actus determinatus & singularis: secundum est actus indeterminatus sed particularis: tertium, actus confusus, & quasi vniuersalis, exempli gratia, dicit quis volo elicere contritionem, hic actus respicit obiectum determinatum & singulare, si autem dicat, volo elicere actum misericordiæ vel iustitiæ, hoc obiectum est singulare sed indeterminatum, dicit vnum singulare, sed sub disiunctione inter duo. Tandem si dicat, volo elicere actum virtutis immemor alicuius speciei in particulari, & tantùm memor virtutis vt sic in communi.

5 Item actus reflexus qui fertur in actum particularem & indeterminatum, v.g. volo elicere actum iustitiæ vel charitatis, dupliciter potest respicere obiectum indeterminatum. Primò, quia rectè inspecta natura actus iustitiæ & misericordiæ vterque actus placet voluntati, neuter tamen adeò illi gratus est vt ex vi illius volũtas illũ alteri præferat, sed dicat, eliciã alterũ ex his actibus, ac si diceret, neutrũ horum exercere mihi molestum erit, quia tamen non duos actus exercere volo, quemcumque ex his assumam. Alio modo potest dicere voluntas: *volo facere hunc vel illum*, non se potius ad hunc quàm ad illum determinando, quia vtriusque vel saltem alterius naturam nondum rectè perspectam habet, & expectat rectam & adæquatam notitiam illius, vt potiùs hunc eligat, quàm illum ne minùs vtilem vel magis arduum illius naturam ignorans eligat.

6 Duplici etiam modo potest ferri actus reflexus in rationem communem actus, nullâ cognitâ specie, vel non determinatâ materia. Primo, in rationem illam communem exercendam tantùm in aliquo indiuiduo. v. g. actus, quo quis dicit, volo elicere actum virtutis, ac si diceret, volo elicere aliquem actum ex pluribus honestis, qui fieri possunt. Secundo modo potest ferri in rationem illam communem exercendam in omnibus indiuiduis illius, vt si quis diceret, volo adimplere legem Dei, seu volo elicere actus externos mihi præceptos, non cogitando de hoc neque de illo singulari, quia nullus actus præceptus in particulari tunc memoriæ occurrit. Tandem hi omnes actus reflexi possunt respicere actus positiuos & possunt tendere in liberas omissiones. Potest vltimò considerari volitio inclinans voluntatem ad aliam volitionem circa idem formale motiuum cum diuerso obiecto materiali saltem inadæquatè, v.g. amor Dei propter ipsum, ad amorem proximi propter Deum. De his omnibus examinandum est an actus possint inter se imperari.

§. II.

Statuuntur actus reflexi voluntatis imperantes alios actus eiusdem potentiæ.

7 NEgat Vasq. 1.2. disp. 51. c. 5. posse vnum actum voluntatis alium immediatè imperare, & esse causam illius per modum imperij, & consequenter affirmat actum reflexum tantùm comitanter se habere respectu directi, quem respicit, vel tantùm actum reflexum ad directum eliciendum conducere quatenus illum determinat ad motiua inuestiganda, quæ voluntati applicata illam inclinent ad actum directum reflexè volitum.

Affirmatiuam partem tuentur P. Suarez 1. 2. disp. 10. de actibus imperatis sect. 1. & de bonitate actus interioris disp. 6. sect. 3. P. Salas 1.2. lib. 7. disp. 3. sect. 16. P. Ægid. Coninch. 2.2. disp. 27. n. 11. P. Valentia P. Azor, Tann. Alens. Altisiod. Capr. Almai. Caiet. Theo. Conrr. & Lorca apud Ripaldam de ente supernaturali disp. 65. sect. 3 longam istam Theologorum manum ductat S. Th. 2.2. q. 124 art. 2. ad 23. & 1.2. q. 13. art. 1. & q. 19. art. 2. ad primum, vbi hæc habet: *Quantum ad actum voluntatis, non differt bonitas quæ est ex obiecto, à bonitate quæ est ex fine: sicut in actibus aliarum virtutum, nisi forte per accidens prout finis dependet ex fine, & voluntas ex voluntate.* Quibus verbis expresè docet actum voluntatis immediatè pendere ex alio diuerso modo, atq; electio pendet ex intentione, quia tunc non pendet finis ex fine, sed medium ex fine, hæc autem docet finem pendere ex fine, quod nisi per imperium fieri nequit.

9 Abstineo à rationibus Theologicis, quas pro hac conclusione adducit Ripalda, & intra Philosophiæ terminos hanc conclusionem probo. Actus voluntatis quo ego dico, volo elicere actum amoris, conducit ad hunc actum amoris faciendum, vt fatetur Vasquez, & nullus negare potest, si enim non conducunt, æquè expectaremus actum amoris ab homine, qui modò habet volũtatem illum eliciendi, & ab illo qui numquam de tali obiecto cogitauit, neque fundamentum haberemus ad expectandam sacramentalem confessionem ab homine qui firmiter statuit se per hoc sacramentum propriam animam expiaturum, neque peccatorem hortaremur, vt statuat sibi plures actus virtutis exercendos, intendentes hunc hominem illos exercere, quandoquidem actus quibus modò id statuit, non conducunt ad praxim aliorum internorum, quam respiciũt tanquam proprium obiectum, quod concedere valde temerarium est & absurdissimum esset, sed nullo alio modo melius potest conducere, quàm immediatè imperando suum obiectum: ergo hoc modo & non alio conducit. Si probetur minor, discursus vndique firmus erit, sic illam statuo. Actus imperans nullo alio modo potest influere in imperatum nisi per immediatum imperium modo explicando Punct. 3 vel excitando nouas rationes applicando motiua voluntati vt actũm imperatũ eliciat; vt vult Vasq. neque alius modus quo conducat actus reflexus ad directum hucvsque inuctus est, sed non conducit per applicationem motiuorum: ergo. Immediatè non conducere applicando motiua sic probo. Actus, quo ego dico, volo amare Deum, vel mouet voluntatem, vt eliciat actum imperãtè intellectui nouam inquisitionem motiuorũ ad amorem vel immediatè mouet ipsum intellectum ad hanc inquisitionem faciendam, si intellectum applicat ad illam medio actu voluntatis: ergo actus voluntatis, quo ego dico, volo amare Deum, immediatè inclinat volũtatem ad actum, quo dicit, volo indagare motiua ad amandum Deum: ergo potiori ratione poterit eandem voluntatem inclinare ad ipsum amorem ad quem est iam proximè potens, & sufficienti motiuo præuenta: si enim actus voluntatis ad alium potest immediatè mouere, ad nullum potiori ratione quàm ad illum, quem habet pro obiecto. Secundò probo voluntatẽ non posse media alia volitione applicare intellectũ, ad inquisitionem motiuorum: sæpe cùm quis motiuum habet ad amandum Deum, & ad hunc amorem reflexè amandũ propter excellentiam illius, non cogitat de inquisitione aliorum motiuorum, neque aliquid cognoscit præter illa motiua ad amandum Deum amore directo, & ad intendẽdum hunc amorem directum alia volitione reflexa; ergo non potest habere actum quo dicat, volo quærere alia motiua ad Deum amandũ, non enim potest ferri voluntas in inquisitionem mediorum, quæ non cognouit. Tertiò, sæpe potest voluntas cognita bonitate Dei & cognita bonitate actus amoris versantis circa hanc bonitatem elicere actũ reflexum quo dicat, volo propter meam iustificationem elicere actum amoris respicientem tanquam formale motiuum bonitatem Dei, tum impertinens erit inquisitio aliorum motiuorum, cùm actus imperatus tantùm sit eliciendus propter bonitatem Dei, quàm iam intellectus cognouit, quod contingit quotiescumque voluntas

imperat actum amoris Dei qui necessariò respicit hoc motiuum, & non aliud. Dici poterit tunc voluntatem non determinari ad nouum motiuum inquirendum, sed ad idem viuaciùs perfectiori cognitione applicandum. Contra hanc solutionem facit argumentum suprà factum, quia rarò vel ferè numquam cogitat intellectus de hac viuaciori & perfectiori cognitione, quâ motiuum applicetur. Deinde impugnatur, quia durum est dici cum eisdem motiuis ad amandum non esse fundamentum maius ad amorem directum sperandum ab homine, qui actu reflexo dicit, volo amare, quàm ab alio, qui numquam talem actum reflexum habuit.

10 Hæc vltima ratio probat voluntatem reflexam non cõducere ad volitionem directam tantùm determinando immediatè intellectum ad hanc inquisitionem, deinde quia intellectus sæpe sæpius nulla habet principia ad perfectiorem cognitionem habendam, de motiuo proposito ad amorem directum, neque ad alia motiua perscrutanda: ergo volitio reflexa non poterit conducere ad volitionem directam mediâ hac inquisitione & inuentione noui motiui, neque mediâ viuaciori cogitatione eiusdem. Vltimò sic arguo: volitio reflexa tendens in Dei amorem, non habet pro obiecto inquisitionem motiui ad amandũ Deũ, neque connexionem habet cum illa noua inquisitione, quorsum ergo ad illam intellectus determinabitur tali volitione reflexa? Dices determinari hac volitione, quia talis inquisitio conducens est ad obiectum ipsius volitionis. Cõtra: volitio in opinione contraria non determinat, neque inclinat ad suum obiectum: ergo minùs poterit inclinare seu determinare ad id quod conducit ad tale obiectum: vel si volitio reflexa determinat ad id, quod conducit ad suum obiectum, licet illud non habeat pro obiecto, neque aliqua ratione sit cum illo connexum, potiori ratione determinare & inclinare poterit ad proprium obiectum, videlicet ad volitionem reflexam. Respondebis posse determinare ad id, quod conducit ad volitionem directam, quia est quid pertinens ad aliam potentiam voluntati subditam, non tamen posse determinare ad volitionem, quam habet pro obiecto, quia talis volitio pertinet ad ipsam voluntatem, quæ ipsa sibi subdita non est, neque tenetur obedire imperio sui ipsius. Contrà: imperium ex natura sua non efficax neque necessariò connexum cum actu imperato libertatem potentiæ exercentis actum imperatum illæsam relinquit, & actum imperatum liberum seruat; ergo ex eo quod voluntas libera sit non infertur repugnantia actus natura sua non efficacis. An inferatur repugnantia actuum ex se efficacium §. sequenti, explicabo. Diceret aliquis de modo loquẽdi nimis scrupulosus, hos actus reflexos inclinantes potentiam voluntatis ad actus directos saluâ illius libertate, propriè non esse dicenda imperia, sed potiùs preces, seu petitiones, siquidẽ illis positis potest volũtas libera, nullius iure læso, & absq; alicuius iniuria tales directos actus nõ elicere, est autem de ratione imperij aliquo modo obligare ad id, quod imperatur, ita vt physicè, vel saltem moraliter, hoc est, iure, contra illud fieri nequeat. Sed hæc differentia tantum est de nomine, & standum est communi Theologorum loquendi modo, qui hos actus reflexos imperantes, etsi ex natura sua non efficaces, imperia hucusque appellauit.

11 Obiic. pro sententia Patris Vasq. D. Thom. 1.2. q. 18. a. 6. ad 2. vbi hæc habet: *Dicendum quòd ordinari ad talem finem, etsi accidat exteriori actui; non tamen accidit actui interiori voluntatis, qui comparatur ad exteriorem sicut formale ad materiale.* Ex quibus verbis sic potest argui: Actus interior nõ ordinatur ad finem ab alio actu interiori, sicut ordinatur exterior: ergo non imperatur actus interior sicut imperatur exterior, quia si imperaretur ab aliquo, ab illo ordinaretur in finem, non enim alia ratione exterior ordinatur ad finẽ, nisi quia ab interiori imperatur. Resp. D. Thom. in præsenti distinctionẽ assignare inter actus internos & externos ex eo quod actus interni intrinsecè sẽper finẽ respiciunt, quẽ non possunt non respicere, actiones verò externæ nullum intrinsecum finem habent, sed tota ordinatio illarum in finem extrinsecè illis accidit ex interiori actione deriuata.

12 Obiic secundò. Ex eo differunt actus internus, & externus, quod internus finem intrinsecum habet propriámque libertatem, externus verò tantùm habet finem extrinsecũ, & libertatẽ ab actu interno deriuatam: ergo quamuis actio exterior possit sumere moralitatẽ ab imperante, interior nullam poterit ab illo participare. Resp. actum externũ distingui ab interno, quia externus capax non est libertatis immediatè, & non nisi medio interno imperante finẽ respicit, internus verò in se liber esse potest, & per se finem respicit; ex hoc tamen non infertur non posse actum internũ imperari ab alio interno, & medio quo finem extrinsecum respiciat distinctum à fine intrinseco quem per se respicit.

13 Obiic. tertiò. Actus internus potest imperari ab alio: ergo actus cõtritionis poterit imperari ab alio: ergo poterit vitiari, & malitiã habere. Hæc obiectio Theologũ pungit nõ Philosophum; huius enim tantùm est intra limites philosophiæ cuilibet effectui proprias assignare causas, illius verò deriuandi nem bonitatis, & malitiæ constituere talimodo vt malitia nihil polluat quod ab illâ mundum esse debeat; ne tamen terreat aliquem ex Philosophis obiectio peregrina. Resp. iuxta varias Philosophorum sententias posse consequentiam negari, & iuxta aliorum mentẽ absque inconuenienti concedi: illorum in hac re mentẽ breuiter attingam. Hurt. 2.2. tom. 2. disp. 135. sect. 6. §. 27. respondet actum vitiosum non posse imperare actus charitatis, quia virtutes per se infusæ pendent à gratia Christi, & nõ parent vitio, idem in doctrina Patris Vasq. respondendum est, qui docet 1.2. disp. 53. c. 5. n. 26. actum fidei vitiari non posse, & tamen dependet ab imperio voluntatis. Caietan. Bañez, Lorc. 2.2. q. 23. art. 1. ad 2. non solùm negant actum imperij conuenire vitio in virtutem, sed etiam virtuti inferiori in superiorem, & ita in sententia horum Doctorum dicendum est, actum charitatis nullo alio actu posse imperari, siquidem nullus est illo perfectior. P. Coninch. 2.2. disp. 3. n. 121. affirmat posse vnum actum internum imperari ab alio, & extrinsecè in finem ordinari, negat tamen ab illo moralitatem desumere, vnde iuxta hanc sententiam possemus dicere actum contritionis imperatum ab actu vitioso nullam malitiam trahere ab imperanti. P. Ripalda disp. 65. sectione secunda, numer. 8. consequentiam admittit, & latè probat disp. 50. posse actũ internũ intrinsecè bonũ vitiari ex fine extrinseco ratione actus imperãtis.

§. III.

Statuitur imperium inefficax.

14 STatui dari actus imperantes in voluntate respectu aliorum actuum eiusdem potentiæ: indaganda est modò natura horum actuum, an videlicet hi actus imperantes efficaces sint ex natura sua, ita vt illis positis non possit non esse actus imperans, si potentia sit cum omnibus prærequisitis ad tales actus imperandos eliciendos. An verò ita possint influere in actus imperatos vt possint etiã non influere. An verò possint dari actus imperantes vtriusq; naturæ, quidam ex se efficaces, alij verò ex se inefficaces. Ne nomen *efficax* fallat, scito, non dici imperium efficax, eo sensu quo dicitur efficax cogitatio, quæcumque enim cogitatio, quæ de facto effectum habet etiamsi illum potuisset non habere, efficax dicitur, & in hoc sensu imperium efficax dici posse quodcumque de facto imperium sentitur, etiamsi ex sua natura cum negatione illius componi posset, in præsenti autem alio sensu nostra difficultas intelligenda est, desideramus enim cognoscere, an actus imperantes necessariam habeant connexionem cum imperato necne: & ad hanc difficultatem tractandam, & resoluendam, imperium efficax illud tantùm vocamus, quod non potest non cum effectu connecti, & imperium inefficax, quod potest non connecti licèt de facto cum illo coniungatur, in §. hoc imperium inefficax statuam, dicturus in sequenti de efficaci.

15 Tripliciter potest versari voluntas actu reflexo circa actũ directũ, 1. actu amoris stricti, quo illi placet bonitas illius secundùm se, quin per hunc affectum illã alicui desideret. Secundò, actu complacentiæ quo gaudet de bonitate illa sibi possessa, & acquisita, quatenus illi bona. Tertiò, actu desiderij, quo bonitas illa, quæ per amorem in se placet secundùm se, desideratur in ordine ad subiectum, & illam mihi cupio, & hic actus dicitur actus desiderij. Nõ procedet quæstio de actu amoris stricti, neq; gaudij, sed de actu desiderij, an videlicet possit dari desideriũ inefficax seu non efficax respectu actus voluntatis immediatè influens in actum imperatum procedentem ab eadem voluntate.

16 Hurtad. disp. 138. sect. 1. & 2. negat hoc desiderium inefficax, seu hunc actum reflexum voluntatis posse influere in

in actum directum imperatum immediatè ab illo procedentem, sed tantùm posse influere tale desiderium reflexum inefficax per modum intentionis mouendo immediatè ad alium actum reflexum electionis influentem in actum imperatum, v.g. desidero ego inefficaciter actum contritionis propter meam salutem consequendam; ex hoc desiderio inefficaci ex se potest oriri alius actus per modum electionis respiciens idem motiuum, quod respiciebat illa intentio inefficax, quo dicam efficaciter, volo elicere contritionem propter meam salutem, & talis actus ex se efficax erit & immediatè influet in ipsam contritionem, quæ necessariò ab electione procedit.

17 Oppositam veriorem sententiam tenet Ripalda disput. 66. sect. 4. qui contra Hurtadũ adducit testimonium Aug. lib. 8. conf. c. 9. cuius hæc sunt verba: *Imperat animus, vt velit animus nec facit tamen. Vade hoc mõ irum, & quare illud non ex toto vult. Non ergo ex toto imperat, na in tantũ imperat in quantũ vult.* Quibus verbis videtur expressè tradidisse Augustinus imperium ex se non efficax. Posset Hurtadus respondere Augustinum loqui de imperio per modum intentionis, quod ipse inefficax admittit, constituit enim intentionem ex se non efficacem, ex qua potest oriri, & non oriri electio. Reiicitur tamen hæc solutio ex verbis eiusdem Augustini, ipse enim immediatè dixerat: *Imperat animus vt moueatur manus, & tanta est facilitas, vt vix à seruitio discernatur imperium.* Deinde annectit: *Imperat animus, vt velit animus*, &c. Et loquitur Augustinus de imperio, quod habet animus respectu animi, id est, voluntas respectu proprij actus, eodem sensu, ac loquitur de imperio, quo animus immediatè mouet manũ, quod imperium immediatè mouet ipsã manum, & à qua immediatè procedit motus. Adde in communi modo loquendi intentionem non dici imperium electionis, sed actus ille dicitur imperium respectu actus voluntatis, qui reflexè immediatè tendit in illum.

18 Ratione probatur eadem sententia. Datur intentio ex se non efficax, quæ aliquando moueat ad electionem, & possit de facto ad illam non mouere; ergo poterit dari actus reflexus, qui aliquando moueat ad directum, & possit voluntas aliquando ex vi illius pro sua libertate non moueri ad talem actum, sicut enim intentio immediatè tendens in finem tanquam in obiectum amatum ponendum extra causam mediã electione, & positione mediorum, potest esse talis naturæ, vt eadem met possit pro libertate voluntatis mouere ad electionem, & positionem mediorum, & exequutionem finis, & ad nihil horum mouere, cur non poterit dari volitio reflexa amoris immediatè potens ad amorem mouere eiusdem conditionis, cuius influxus dependeat à determinatione voluntatis?

19 Confirmatur: Actus voluntatis diuinæ quo liberè Deus concurrit ad meam volitionem liberam, immediatè est amor ipsius volitionis liberæ, qui ex se indifferens est ad concurrendum vel non concurrendum ad meam volitionem dependenter à mea determinatione, vt probò 2 Physicor. Controu. 10 ergo potiori ratione poterit actus propriæ voluntatis creatæ tendens in actum, ad quem potest conducere independenter à determinatione eiusdem voluntatis, faciliùs enim intelligitur concursus meæ volitionis dependere ab alia mea libera volitione quàm volitionis diuinæ dependenter à mea volitione. Si dicas Deum ita velle meam volitionem dependenter à mea determinatione, vt mihi ius libertatis integrum relinquat, non contradicam, sed quid ad rem? cur ego non potero velle meam volitionem saluâ libertate volitionis reflexæ?

20 Confirmatur secundò: Voluntas potest absque actu imperante elicere actum imperatum seu reflexè volitum: ergo potest illum elicere ex vi eiusdem imperantis. Probo consequentiam. Velle elicere actum ex se voluntatem afficit circa talem actum volitũ, & illam per se & formaliter inclinat ad illũ eliciendũ: ergo si aliàs voluntas sit potens, talẽ actum elicere, quamuis minima & exilis sit inclinatio poterit, illâ adiuuari voluntas ad talem actũ eliciendum.

21 Tertiò, Motus primò primi qui in voluntate insurgunt circa aliquod obiectum, illã inclinant, vt tale obiectum liberè amet, & hac ratione à SS. Patrib. hi motus respectu actuũ conducentiũ ad meritum, gratia per Christũ appellantur, & tamẽ non mouent efficaciter, sed saluâ libertate, quã destruerent, si efficaciter mouerent: ergo potest dari actus voluntatis inefficaciter mouens ad alios actus. Nec valet respõderi hos motus tantùm mouere per modũ electionis mediis aliis actibus reflexis, qui se habeant per modũ electionis; hoc enim est contra communem Theologorum sententiam. Deinde hoc admisso in eandem difficultatem incidit Hurtado, quia vel ille actus reflexus immediatè mouens per modum electionis est ex se efficax, vel non: si dicat ex se non esse efficacem, iam concedit posse actum non efficacem ex se immediatè influere in alium actum: si dicat esse efficacem destruit libertatem talis actus, quod absurdissimum est, quia sequitur nullum actum directum procedentem ab actu primo insurgente in voluntate esse liberum in se, sed tantùm in electione, quæ reflexè fertur in illum.

Affinis est ratione præcedenti alia desumpta ex com- 22
muni opinione Theologorum; id est, omnes actus meritorios imperari à charitate, in qua si omne imperium ex se esset efficax, omne imperium libertatem destrueret, & omnis actus esset necessarius; & consequenter nullus actus, qui non esset charitatis, meritorius esset iuxta communissimam sententiam, quæ tantum actui in se formaliter libero meritum tribuit, quod concedere durum sanè est.

Vltima ratio sumitur à priori ex natura ipsius volunta- 23
tis, quæ talis est vt ipsa possit se determinare per volitionem liberã allecta & attracta ab alio non prædeterminãte, sed tantùm inclinante ad actum saluâ libertate voluntatis, vt patet in cognitione obiecti indifferenter proposiri, quæ inclinat voluntatem ad actum saluâ libertate ipsius voluntatis, ex vi cuius voluntas mouetur ad actum: ergo eodem modo poterit volitio inclinare ad aliam volitionem saluâ libertate volitionis, ad quam inclinat, & ferri in illam cum indifferentia, ad influendũ de facto, vel non influendum dependenter à determinatione voluntatis, ita vt non solùm volitio necessaria, sed etiam libera valeat imperari.

Nihil apud Hurtadum inuenio contra hanc conclusio- 24
nem præter ea quæ obiici possunt, contra omnes actus imperantes tam efficaces, quàm non efficaces, neque aliquid momenti existimo posse adduci in suffragium sententiæ Hurtadi: si obiicias actiones externas nõ posse depẽdere ab imperio inefficaci, sed necessariò requiritur imperium efficax, & ex hoc inferas idem dicendum esse de actionibus externis. Respondeo facilè actiones externas in se non esse liberas formaliter, ac proinde vt absolutè sint, requiri ex parte actus primi absolutum determinatiuum, quod penitùs absorbeat indifferentiam illarum ad existendum, vel non existendum, actiones verò internas voluntatis esse formaliter liberas, ac proinde posse voluntatem se ipsam per illas determinare, etiamsi imperium, quod se tenet ex parte actus primi, absolutè non eas determinet, sed tantùm inclinet ad illas.

§. IV.

Statuitur imperium efficax voluntatis respectu actuum eiusdem potentiæ.

ACtus efficaciter imperans dicetur ille qui talis est 25
naturæ, vt eo posito non possit non esse actus imperatus, & necessariò sit ille eliciẽdus ex suppositione illius. In hoc sensu inquirimus an possit voluntas habere aliquem actum reflexũ, qui illam necessariò determinet ad actum, quem respicit tanquam obiectum, verbi gratiâ, an possit habere actum charitatis quo dicat, volo propter Deum summè beatum, elicere actum internum misericordiæ, qui quidem actus charitatis talis sit, vt illo posito non possit actus misericordiæ non elici à voluntate. Difficultas hæc, vt rectè notauit Suarez t. de gratia, lib. 11. c. 11. n. 10. locum inuenit quando voluntas dicit, volo hic & nunc actum misericordiæ, quia si tantùm actus reflexus respiceret actum misericordiæ futurum, nullo modo posset voluntatem ad illum determinare, quia desiderium quod habeo de actu voluntatis crastinâ die faciendo, hic & nunc non vrget, crastinâ autem die iam non erit, ac proinde non inclinabit ad actum per se ipsum, nisi mediâ sui cognitione, quæ nullum obiectum proponet necessariò determinans voluntatem, quia potest hæc hodie decernere contra id quod heri efficaciter decreuerat; quod si actus heri elicitus adhuc duret, poterit voluntas ab illo in instanti, in quo vrget illius executio per ipsa decreta cessare, & ipsam, hoc est, actum imperatum omittere. Posset tamen procedere difficultas an posset voluntas permanere in illo actu reflexo tempore pro quo directum decreuerat, & talem actum directum omittere. Faciliùs tamen difficultas soluetur si procedat quæstio de actu voluntatis,

qui dicit, hic & nunc volo elicere actum misericordiæ, qui in eodem instanti in quo producitur, corrumpi non potest, ac proinde si ex sua natura efficax sit, necessariò actum misericordiæ inferet.

24 Talem actum possibilem esse affirmat Ripalda disput. 66. sect. 2. Negat P. Vasquez 1.2. disp. 51. num. 36. actum imperantem ex se efficacem, quia tenet nullum actum imperantem voluntatis immediatè influere in imperatum, cuius oppositum defendo. Suar. loco citato n. 11. id negat, quia impossibile iudicat actum imperantem antecedenter ad imperatum, quo dicat voluntas, hic & nunc volo amare, quia cùm ipsa potens sit amare, nullo alio modo meliùs amare vellet, quàm ipsum amorem exhibendo, ac proinde talis actus reflexus superfluus est, ni directum comitetur, vel subsequatur, per modum complacentiæ, quâ gaudeat de amore habito, & iam quasi possesso: si quid probaret hæc ratio concluderet nullum actum reflexum voluntatis adhuc ex se non efficacem posse influere in suum obiectũ, quod falsum esse satis ostendi. Quapropter respondeo voluntatem posse intendere & velle efficere per actum reflexum volitionem, quam elicere potest, quia ipsa volitio est amabilis & sufficiens terminare actum voluntatis ex se conducentem ad illam exercendam, licèt ipsa posset sine tali intentione seu amore reflexo sui ipsius exerceri.

25 Probat hanc sententiam Ripalda: voluntas potest efficaciter imperare id quod est in sua potestate; sed actus contritionis est in sua potestate: ergo voluntas potest illum efficaciter imperare. Confirmatur: voluntas potest appetere efficaciter obiectum quod repræsentatur vt bonum & conducens ad finem intentum ab illa, & aliàs est in sua potestate, sed actus contritionis habet has omnes conditiones: ergo voluntas potest illum efficaciter appetere. Respondeo distinguendo primum antecedens. Voluntas potest imperare efficaciter id quod est in sua potestate imperatiuè, cõcedo: quod est in sua potestate elicitiuè, nego. Distinctionem explico: in potestate voluntatis est elicere actum contritionis, non tamen est in sua potestate elicere actum imperij ex se efficacem respectu actus contritionis, quia actus contritionis est in potestate voluntatis libertate propriâ, non verò libertate imperantis, ac proinde potest liberè elici, non potest tamen liberè (hoc est, imperio libero) efficaciter imperari, quia nequit dari actus imperans ex se efficax respectu actus aliàs liberi libertate propria. Ex his terminos alios distinctionis accipe: Potentia potest imperare efficaciter quidquid est in potestate illius, distinguo: quod est in potestate voluntatis libertate propriâ, nego; quod est in potestate voluntatis libertate imperij, concedo. Diuerso enim modo est in potestate voluntatis actus cõtritionis, & actio externa deambulandi, actio enim externa deambulandi est in potestate voluntatis libertate actus imperantis illam, actus verò contritionis est in potestate voluntatis libertate propriâ eiusdem actus. Ad confirmationem. Respondeo eodem modo voluntatem posse intendere voluntate efficaci obiectum bonum, & conducens ad suum finem, quia tale obiectum est in potestate voluntatis imperatiuè, seu libertate imperij, non verò quia est in potestate voluntatis elicitiuè & libertate propriâ. Doctrinam hanc velit nolit tenetur admittere Ripalda; fatetur enim ipse actum contritionis efficaciter imperatum amittere suam libertatem, & tantùm esse liberum secundariò libertate actus imperantis, quo posito sic arguo: Supposità libertate in actu primo ad actum contritionis, actus contritionis in actu secundo liber est in potestate voluntatis, quæ potest illum elicere, & non elicere; & tamen voluntas non potest efficaciter imperare talem actum contritionis in actu secundo liberum, quia eo ipso quod imperetur amittit suam libertatem; ergo non potest voluntas imperare efficaciter totum id, quod ipsa potest facere: ergo ex eo quod voluntas sit potens elicere contritionem non infertur esse potentem illam imperare.

26 Arguit secundò Ripalda. Voluntas potest efficaciter imperare puram omissionem; ergo potest efficaciter imperare actum positiuum. Respondeo, potest voluntatem non posse efficaciter imperare puram omissionem actus, ad quem eliciendum, vel omittendum voluntas erat indifferens, propter rationem, de actu positiuo traditam.

27 Arguit tertiò: Pœnitentia potest efficaciter intendere suum obiectum, hoc est, compensationẽ pro peccatis: ergo potest illam efficaciter imperare. Respondeo pœnitentiam posse imperare efficaciter suum obiectum, quando hoc est liberum libertate imperantis, seu imperatiuè, non verò quando est liberum libertate propriâ seu elicitiuè. Addo nullum actum virtutis à contritione distinctum fore compensationem peccati, si ab aliquo actu imperanti efficaci procederet, quia actus imperatus efficaciter vt tenet Ripalda, & postea probabo, non est liber libertate propriâ, & consequenter, neque meritorius per se, neque satisfactio pro peccato, vnde si pœnitentia efficaciter intenderet misericordiam ad satisfaciendum pro peccato, destrueret virtutem, quam habet actus misericordiæ ad talem satisfactionem exhibendam, quia destructâ libertate destruitur meritum, & satisfactio actus; Vnde ex hoc capite posset quis moueri ad hæc imperia efficacia neganda, ne concedat hominem formaliter non mereri per actum misericordiæ, quem ex motiuo charitatis, aut aliùs virtutis efficaciter imperauit. Quod docet Ripalda, videlicet actum internum voluntatis, & externum aliarum potentiarum non liberum in se addere rationem meriti supra actu imperantem à quo habent libertatem deriuatam, respectu actuum internorum probabilitate non caret, similem enim doctrinam tradunt Vasquez & Suarez quos referam Contr. 11. Punct. 3. num. 15. asserentes electionem tantùm liberam libertate intentionis in se meritoriam esse. In hac tamen materia oppositum fert communis sententia iuxta quam argumentum instituo. Suarius enim & alij quos adducit Ripalda asserentes actum efficacem imperantem non adimere actui imperato rationem meriti censent actum imperatum adhuc supposito imperio efficaci liberum permanere. Dixi nullum actum virtutis à contritione distinctum efficaciter imperatum fore satisfactionem pro peccatis, quia de actu contritionis specialis est difficultas; si enim ex natura sua sit forma sanctificans etiam necessariò elicitus sanctificabit, & erit compensatio pro peccato non per modũ meriti, neque per modũ cõpensationis, sed per incõpossibilitatẽ formaliter, amittet tamen rationẽ meriti, quam haberet, si liberè eliceretur: De hoc Theologi.

Hæc sunt fundamenta quibus probat Ripalda posse vo- 28
luntatem efficaciter per actus reflexos, directos imperare, quibus ego non fido; nihilominus illius conclusioni assentior, & affirmo posse voluntatem actu reflexo alium actum eiusdem potentiæ efficaciter imperare, ita vt posito illo imperio non possit non elicere actum imperatum. Moueor ad hanc conclusionem, quia intentio efficax in omnium sententia cogit necessariò voluntatem ad electionem faciendam, ergo potest actus voluntatis procedere ab alio necessario, qui illum reflexè non respicit, ergo potiori ratione poterit procedere ab alio reflexè respiciente talem actum: maior enim apparet connexio inter actum, quo dico, decerno volitionem conductiuam equi & volitionem decretam; quàm inter actum, quo dico volo ire Matritum, & ipsam volitionem equi conductiuam.

2. Attritio quâ quis detestatur peccata, incompossibilis 29
est cum peccato actuali, ergo actus quo dico, pœnitet me peccasse, & firmiter decerno non peccare imcompossibilis est cum actu peccaminoso omissionis, & commissionis: ergo talis actus vrgente præcepto de actu misericordiæ eliciendo necessariò determinat ad actum misericordiæ eliciendum: ergo est efficax respectu illius mediatè vel immediatè vt postea explicabo.

3. Pone actum amoris Dei super omnia non esse intrin- 30
secè formam sanctificantem, vt fert probabilis opinio, neque illum comitari, neque præcedere habitum gratiæ, quod de potentia absoluta contingere potuit, etsi demus actum amoris Dei super omnia entitatiuè naturalem, de facto contingat, & non opponetur cum peccato tanquam amicitia, & inimicitia, iustitia, & iniustitia. Posito illo actu sine sanctificatione nullus Theologus admittet posse cum illo actu existenti peccatum actuale componi: ergo talis actus est imperium efficax mediatum, vel immediatum, respectu omnium actuum, quorum præceptum illo durante vrgeat: ergo potest voluntas per vnum actum se ipsam determinare ad alium.

Vltimò, quis non rideret hominem dicentem ex se toto 31
animo velle non peccare, & exequi omnes actus præceptos, si illum videret actu peccantem, & omittentem actum misericordiæ præceptũ? ergo hic actus quo quis ex animo dicit, nolo omittere actum misericordiæ, seu volo elicere actum misericordiæ, voluntatem determinat ad ipsum actum misericordiæ præceptum, dixi actum amoris Dei Sanctitate secluſa & actum amoris Dei naturalem

ralem necessitare voluntatem ad actum præceptum mediatè vel immediatè, quia postea dicam, hæc imperia confusa non semper immediatè, determinare voluntatem ad actus imperatos, sed aliquando per modum intentionis media electione, quæ ex motiuo actus confusè imperantis immediatè & expressè imperat tales actus.

31 Id quod contra hanc conclusionem adducitur, voluntatem esse potentiam liberam, & actus virtutis esse liberos, nullius est momenti, quia voluntas etsi sit potentia libera potest aliquando necessariò operari, & plures actus necessariò ab illa oriuntur, actus enim virtutis, tunc sunt liberi, quando procedunt à principiis indifferentibus, si verò procedant ab aliquo principio determinato erunt necessarij, sicut contingit in actu charitatis erga Deum in patria elicito, qui absque libertate à voluntate procedit.

Punctum II.

De imperio particulari indeterminato, & de imperio vago confuso, & vniuersali.

1 STatui iam actum reflexum voluntatis posse habere rationem imperij respectu actus eiusdem potentiæ, quem respicit tanquam obiectum; quod si alicui conuenit omnium primo actui respicienti tanquam obiectum actum singularem, & determinatum voluntatis. Insurgit maior difficultas de actu respiciente obiectum indeterminatum, v.g. de actu voluntatis quo quis dicit, volo elicere actum charitatis vel religionis, an immediatè possit esse imperium respectu alicuius determinati, vel an requiratur alius actus quo voluntas dicat, volo elicere hunc actum. Hurt. 2.2. t.2. disp.135. sect.6. & disp.137. sect.2. & 138. sect.2. affirmat non posse dari imperium respiciens indeterminatè duos actus voluntatis, Ripalda disp.66. sect.3. affirmatiuam partem tuetur: pro qua sic arguit.

2 Posito actu, quo quis dicat, volo elicere actum religionis, vel charitatis, potest voluntas determinatè actum religionis elicere. At tunc actus religionis erit imperatus. Ergo potest dari imperium respectu obiecti indeterminati: maior est certa, quia quocumque imperio secluso potest dari actus religionis; minor in qua vertitur difficultas, visa fuit clara Ripaldæ quia tunc actus ille religionis elicitur, tali modo, vt illo imperio non præcedente non eliceretur, posset tamen aliquis & non cæcus, dicere se non videre claritatem illius, & affirmare actum religionis elicitum tantùm concomitanter se habere respectu illius imperij indeterminati, & illo deficiente eodem modo eliciendum esse.

3 Arguit secundò Ripalda: posito hoc imperio, volo elicere actum religionis vel charitatis, potest voluntas se determinare ad actum reflexũ, quo dicat, volo elicere actum religionis, etiamsi primus actus reflexus non maiorem connexionem haberet cum actu alio reflexo imperante religionem, quàm cum alio actu reflexo, quo voluntas potest imperare charitatem. Confirmatur: Voluntas ex intentione finis non respiciente magis hoc medium, quàm illud, potest moueri ad eligendum hoc medium, & aliud relinquendum, ergo etiamsi actus reflexus imperet actum indeterminatum, & æquè respiciat actum charitatis & religionis, poterit voluntas ex vi illius se determinare ad actum religionis. Respondeo admisso antecedenti negando consequentiam primæ probationis, & secundæ confirmationis; cùm enim voluntas ex intentione finis respiciente media indeterminatè, eligit hoc singulare & determinatum medium, electio medij attingit obiectum formale intentionis, & in multorum opinione ipsa electio ab intentione dependet efficienter: vnde optimum caput peti potest ex quo dicamus hunc actum pendere ab illo, sicut assensus consequentis pendet ex assensu antecedentis, in imperio verò assignato cùm actus imperatus non attingat obiectum imperantis, & actus imperans sit indifferens ad actum elicitum, & ad alium, qui poterit elici, dicet Hurtado nihil esse in actu directo per quod constituatur dependens ab imperato. Eodem modo respondeo de actu reflexo determinato respectu religionis, qui potuit procedere ex actu alio indeterminato, tunc enim actus reflexus secundus respiciet obiectum formale actus primi reflexi respicientis obiectum indeterminatum, & se habebit per modum electionis respectu illius.

Dico primò: Quando voluntas dicit, volo elicere actum 4
charitatis vel religionis, & non se determinat ad imperandum hunc potiùs quàm illum, quia illorum naturas nondum inspectas habet, vel quia pro sua libertate, vult sibi integrum relinquere postea decernere, quem actum sit elicitura, ex vi illius volitionis reflexæ nullum imperium habet voluntas vt determinetur ad actum religionis determinatè, & ad actum charitatis; quod si ipsa se determinauerit ad eorum alterum, talis determinatio erit ex libertate voluntatis, quam habet respectu talis actus omnino independens ab imperio præcedenti. Ratio huius conclusionis est, quia ex vi talis volitionis reflexæ voluntas adhuc sibi integrum relinquit discernere inter hunc actum faciendum potiùs quàm illum, quod nondum fecerat, quia non perfectè nouerat differentias vtriusque actus, vel quia ex vi talis actus reflexi imperantis nondum volebat potiùs se ad hunc quàm ad illum determinare: ergo productio determinata huius actus, non potest imputari illi volitioni, seu voluntati quatenus elicienti volitionem, per quam ipsas voluntas, ius postea eligendi vnum actum præ alio sibi seruauerat. Exemplum imperij externi rem propalabit. Dicat dominus seruo, placet mihi te rusticatum petere, vel domi manere, quid verò horum determinatè sis facturus, apud me statuam, tibique indicabo. Ex vi huius actus nullam habebat seruus obedientiæ materiam, quod si illo insinuato rusticatũ peteret, posset dominus illũ reprehendere, quia rusticatum absque illius voluntate petiisset nec posset seruus dicere, se illius imperio paruisse, quia adhuc dominus voluntatem suam illi non indicauerat practico modo, siquidem maturiori consilio determinandum reliquerat, quod determinatũ munus seruus esset facturus.

Dico secundò. Quando voluntas rectè inspectâ naturâ 5
actus charitatis, vel religionis dicit, volo elicere actum charitatis vel religionis, & non se determinat ad hunc potius quàm ad illum, quia in vtroque inuenit sufficientem amabilitatem, vt imperetur ab illa, & in neutro rationem aliquam inuenit, qua moueretur ad hunc præferendum illi, vel huic illum, & ita circa vtrumque afficitur, vt nolit sibi reseruare ius eligendi, neque vnum alteri præferendi per alium actum, quia vterque illi placet, & vult determinationem vnius præ alio annectere ipsius actus productioni, non verò alij actui imperanti hunc præ alio, tunc talis actus poterit obire munus imperij respectu cuiuscumque determinati, quia voluntas absolutè placet in bonitate cuiusuis actus, quem practicè amat, indeterminatio autem quam habet respectu obiecti non obest imperio facto potentiæ liberæ, quia illa poterit illam determinationem auferre. In hoc enim distinguitur imperium respectu potentiæ liberæ, & potentiæ necessariæ, quod potentia libera potest seipsam determinare, & indifferentiam, quam habet imperium, per modum actus primi auferre ipso actu secundo, potentia verò, quæ ex se libera non est, non potest hanc indifferentiam auferre: vnde si voluntas dicat: volo petere forum vel rusticatum, potentia locomotiua nullum motum exercet versùs illam partem, quousque voluntas determinatè dicat, volo me versùs hanc partem mouere.

Appositum exemplum habes in imperio externo præ- 6
cepti purificationis, Leuitic. cap.12. quo præcipiebatur indeterminatè offerri par turturum, aut duos pullos columbarum, & femina quæ determinatè par turturũ offerebat, præceptum adimplebat, idem præceptum adimpletura eodem modo, si duos pullos columbarum obtulisset. Ea actus externus imperatus procedens ab imperio indeterminato: ergo eodem modo poterit dari actus internus imperatus ab imperio indeterminato. Si enim obediens præcepto à superiori impositio potest se determinare inter hoc vel illud obiectum, salua obedientia subditi ad legislatorem, cur non poterit interna libertas determinare actum imperatũ respectu imperij interni indeterminati, salua obedientia, quam voluntas potest per vnum actum sibi ipsi exhibere præcipienti per alium.

Obiic. Hurtad. disp.137. sect.2. Obiectum imperij vagi 7
non potest existere: ergo imperium vagum non potest esse factiuum illius, neque voluntas potest ex vi huius imperij moueri ad obiectum illius exercendum. Probat antecedens, obiectum imperij vagi est hic actus vel ille indeterminatus & vagus: sed nõ potest produci, neque existere actus indeterminatus & vagus: ergo non potest volũtas ex illo imperio moueri ad exequutionẽ sui obiecti.

Posset eodem modo arguere Hurtado contra præceptum offerendi par turturum,aut duos pullos columbarum,cuius obiectum est vagum,& indeterminatum,& consequenter non poterit exerceri, & præceptum erit de re impossibili, & non practicum. Resp. obiectum imperij respicientis obiectum vagum & indeterminatum, non ita obiectum indeterminatum respicere, vt voluntas imperet actum indeterminatum, aut velit produci actum vagum, illa enim indeterminatio non se tenet ex parte obiecti, neque est volita,sed tantùm ex parte actus,voluntas enim adhuc per imperium vagum semper vult existere obiectum aliquod determinatum ex parte obiecti, quia tamen vult duplex obiectum,inter quæ non vnum alij præfert, dicitur velle indeterminatè non ex parte obiecti, sed ex parte actus. Ad formam argumenti,Respondendum : obiectum imperij vagi non potest existere eo modo,quo terminat tale imperium;distinguo:eo modo quo terminat secundùm id, quod formaliter se tenet ex parte termini, seu ex parte obiecti talis actus, nego : secundùm id quod se tenet ex parte modi,concedo:tota enim indeterminatio non se tenet ex parte obiecti,sed ex parte actus imperantis, qui licet in se determinatus sit respicit illa obiecta modo indeterminato,hoc est,vtrumque indifferenter,ita vt quodlibet illorum ex vi talis actus possit existere, & neutrum præcisè ratione imperij præ alio inferatur ex illo.

8 Obiic.secundò. Imperium vagum & indifferens non potest immediatè, & per se inferre effectum externum absque alio determinante:ergo neque potest immediatè per se imperare. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam ; quia effectus externi procedunt à potentiis nullam indifferentiam determinare valentibus, ac proinde voluntas determinans potentiam externã debet illam determinare ad hanc speciem actus potiùs quàm illius:actus verò voluntatis procedit à potentia potente se determinare ad hunc potiùs quàm illum actum in specie, atque proinde potest illi imperari cum indifferentia inter hunc & illum actum.

9 Dico tertiò.Actus quo volũtas dicit,volo elicere actum virtutis, abstrahens ab hoc vel illo speciali actu, quorum specificæ differentiæ, & speciales bonitates illi nondum fuerunt medio intellectu applicatæ,vel quia si fuerunt applicatæ adhuc sibi voluit voluntas integrum relinquere per alium actum reflexum imperare, & decernere hunc actum virtutis potiùs quàm illum eliciendum, non potest immediatè imperare actum specialẽ,quia ex vi illius actus nondum est explorata voluntas circa aliquem actum, ita vt absolutè possit dici,hic actus placet voluntati,quia cum illo actu,quo dicit, volo elicere actum virtutis compossibilis est actus,quo dicit, nolo elicere actum temperantiæ & sic de quocumque alio actu. Si verò haberet voluntas differentias omniũ actuum virtutum ad illius satietatem inspectas,& diceret, volo elicere actũ virtutis, idem esset ex parte obiecti,& ex parte modi,ac dicere, volo elicere actum religionis,vel iustitiæ, vel temperantiæ, & in hoc casu philosophandum est modo dicto de imperio particulari indeterminato.Quod dixi de actu,quo dicit voluntas, volo elicere actum virtutis,eodem modo intellige de actu quo dicit, volo adimplere legem, quando lex adimpleri potest actibus specie diuersis.

10 Dico quartò.Quando voluntas diceret,volo adimplere totam legem, seu, volo elicere actus, ad quos teneor ex præcepto, si inspectos habeat speciales actus sibi coniunctos,est idẽ ac dicere,volo elicere actũ iustitiæ mihi præceptũ,& actum charitatis ; ac proinde illa volitio poterit vices imperij gerere respectu cuiuscũque actus præcepti. Si verò volũtas inspectos non habeat actus speciales præceptos,neque adimpletiones legũ secundùm suas rationes specificas,talis volitio non potest esse immediatum imperiũ respectu specialis actus v.g. actus charitatis præcepti. Hanc secundam partem conclusionis defendit Hurtadus suprà Moueor ad hanc conclusionem quia illa volitio respiciens rationẽ communem actuum præceptorum,licet ex parte obiecti sit eadem,ac volitio, quæ dicit, volo elicere hunc actum & illum actum præceptum, tamen ex parte modi est longè diuersa,quia ex modo tendendi in singularia proposita in ratione cõmuni abstracta,ita voluntas fertur in illa ex parte actus, ac si nullo modo rationes peculiares amaret,sed tantùm rationem cõmunem,sicutcognitio abstractiua animalis,ita fertur in rationale,ac sic rationale nullo modo cogitaretur, neque cognitio animalis vt sic,etiamsi in opinione tantùm præscindente ex parte modi,sit cognitio rationalis, potest regere actum voluntatis tendentem expresè in rationale,ergo volitio illa virtutis in communi ita fertur in specialem actum, ac si illum non amaret, neque poterit illum in actu secundo specialiter imperare.

Ex his constat actum quo quis vult adimplere totam II
legem confusè cognitã,tantùm posse influere in adimplẽtionem præcepti charitatis medio alio actu, qui ex intentione adimpsendi totam legem,dicat,volo adimplere hãc partem legis,hoc est, elicere contritionem præceptã, qui actus respicit motiuum primi illius vniuersalis intendentis totam legis obseruationem,ex quo procedit instar electionis, seu instar actus imperantis partialem exequutionem finis.Huic doctrinæ consentit Hurtadus suprà.

Dico tertiò. In omnibus his imperiis assignatis quædam II
sunt efficacia, quædam inefficacia;potest enim quis inefficaciter velle elicere actum misericordiæ,vel iustitiæ ex vi cuius actus voluntas poterit vtrumque obiectum volitum omittere, vel alterum pro sua libertate elicere : & potest quis efficaciter decernere elicere actum misericordiæ,vel iustitiæ,quo decreto posito voluntas non possit non alterum horũ actuum elicere, & tantùm sit libera ad eliciendum vnum præ alio. Idem dicendum de actu illo seu imperio confuso, quo quis dici, volo elicere actum virtutis, qui licèt immediatè non influat in hunc actum virtutis, sed tantùm potest mediatè illum influere per modum intentionis mediæ electione, quã intentione posita non potest non poni quidquid necessariũ fuerit ad exequutionem finis. Hac ratione attritio efficax detestãs omne peccatum confusè cognitum,& propositum de cætero non peccandi, componi non possunt cum ipso peccato, quia habent rationem intẽtionis efficacis respectu negationis cuiuscumque peccati,ac proinde ex vi illius necessariò est inferenda voluntas exequatiua mediorum, & finis, si talis voluntas necessaria fuerit ad talem exequutionem exempli gratia, istendit quis efficaciter non peccare in posterum,permanente hac intentione occurrit vehemens tentatio committendi peccatum luxuriæ,si ad negationem talis peccati imminentis necessaria sit volitio expressa, quæ efficaciter expresè detestetur tale peccatum,inferenda est ex illa intentione. Similiter si occurrat præceptum eliciendi actum contritionis, si ad hunc eliciendum necessaria sit volitio reflexa,(non dico si necessaria sit antecedenter, hoc est, si sine illa elici non possit, sed si necessaria sit saltem consequenter, quia sine illa non elicietur de facto) quæ dicat, volo elicere contritionem, talis volitio inferenda est ex illa efficaci intentione, quia intentio efficax cogit voluntatem ad efficiendum totum illud, sine quo finis non ponetur eo modo,quo intenditur,de hoc latiùs Contr.11.p.5.

PVNCTVM III.

De imperio non reflexo vbi de materiali electione.

IMperium directum directè tendens in obiectum externum,in cuius adeptionem internus alius actus cõducere potest, propugnat Ripalda de ente supernaturali disp.66. sect.3.quod acriter impugnat Hurt.2.2.t.2. disp.135. sect.6. cum Ripalda sensère sapientissimi recentiores,qui electionem quandam materialem constituũt.quæ nullo modo attingit intrinsecè motiuum formale finis, neque medium propter tale motiuũ,sed solùm electio dicitur, quia nascitur ex fine,& conducit ad finem consequendum: exempli gratia, intendit Deus pœnitentiam non præuiso peccato. Ad hunc finem consequendum necessarium est peccatum, ad hoc necessaria permissio, quam Deus debet apponere, Aiunt Deum non teneri permittere peccatum propter pœnitentiam,sed propter pœnitentiam,vel propter alium finem, quem Deus potuit intendere impropria permissione, etiamsi non præcessisset illa intentio pœnitentiæ. Ne Theologicis terminis quæstio Philosophica obscurior non Theologo fiat, rem explico exemplo in vulgari materia posito. Intendit quis efficaciter ire Matritum,ex hac intentione tenetur eligere medium necessarium ad iter agendum;pono necessariũ esse conducere equum,quia alio modo iter agi nequit. Affirmant hi recentiores illum teneri velle equum conducere, non tamen teneri velle conducere equum propter iter agendum, sed propter hunc, I

vel

vel alium finem, v. g. propter delectationem capiendam de equitatione.

2 Hanc materialem electionem ita ſtabiliunt Recentiores, ex intentione finis ad id tantùm teneor quod neceſſarium eſt ad finem conſequendum: ſed ad finem conſequendum non eſt neceſſaria electio medij propter finem, ſed ſufficit volitio efficacis medij propter quemcumque finem, vt per ſe patet, æquè enim Matritum ibo, ſi poſt intentionem efficacem iter agendi equum conducam ex intentione eundi Matritum, vel ex alia quacumque intentione, poſſeſſio enim, & habitio equi æquè vtilis eſt ad iter agendum, ſiue ex hoc ſiue ex alio fine fuerit comparata. Hac philoſophandi ratione nonnulla componunt recentiores ad Theologiam ſpectantia, videlicet prædefinitionem actus liberi, intentionem pœnitentiæ ante præuiſionem peccati, & alia huiuſmodi.

3 Contra hanc materialem electionem & hunc modum influendi actus directi in alium directum voluntatis, ſic argumentatur Hurtadus: Intẽtio finis debet inducere amorem medij conducentis ad finem: ergò ſi actus charitatis eſt medium ad intentionem actus pœnitentiæ, debet actus pœnitentiæ inducere amorem actus charitatis. Ad hanc obiectionem rectè reſpondet Ripalda intentionem debere inducere amorem mediorum externorum, quæ non poteſt exequi, niſi medio illorum amore, non tamen debere inducere amorem mediorum internorum quæ ſine amore ipſorum poſſunt poni ab ipſa voluntate immediatè eliciente talia media, hoc eſt, actus voluntatis internos, qui ſe habent vt media ad talem finem. Si enim ex intentione quadam teneat conducere equum, teneor velle ipſam conductionem, quæ non poteſt niſi mediâ ſui volitione à me dependere; ſi verò ex alia teneatur elicere actum volitionis, v. g. miſericordiæ, non teneor velle ipſam volitionem, ſeu actum miſericordiæ potentem ſine ſui volitione, neque amore reflexo à me dependere.

4 Arguit ſecundò: Actus externi non ſunt imperati quin ſint reflexè voliti, ergo neque interni. Huic obiectioni ſolutionem iam dedi, actus enim externi ideo non poſſunt imperari, quin ſint voliti, quia non niſi media ſui volitione à voluntate dependent: actus verò interni per ſe ipſos dependere poſſunt, ac proinde non tenet conſequentia petita à paritate actuum externorum ad internos actus.

5 Arguit tertiò. Actus charitatis, & actus miſericordiæ, poſſunt coexiſtere, quin actus miſericordiæ, ſe habeat per modum electionis materialis reſpectu intentionis miſericordiæ: ergo vt actus miſericordiæ ſe habeat per modum electionis materialis debet eſſe volitus electione formali reflectente ſuper ipſum. Sed ſibi initat Hurtad. ſimiliter poſſunt eſſe actus reflexus imperans, & actus imperatus, quin vnus procedat ab alio: ergo imperium non conſiſtit in amore reflexo; Huic obiectioni facilè putat Hurtadus ipſum reſpondere dicentem, actum imperatum eſſentialiter requirere diuerſam actionem, quâ procedat ab imperante, quam non haberet ſi ab ipſo non procederet. Sed iuxta hanc doctrinam eodem modo poſſet reſponderi, electionem materialem non reſpicientem intrinſecè motiuũ intentionis, neque medium propter finem, neque vt vtile formaliter indigere ſpeciali actione, quâ dependeat ab intentione, quam non haberet ſi ab illa non dependeret. Ripalda ſoluit hoc argumentum eodem modo, ac in imperio reflexo, & dicit tunc electionem materialem dependere ab intentione, quando ita exiſtit vt non exiſteret, ſi deficeret intentio; quam doctrinam latè impugno punct. 5. § 4. & 5. vbi probo hos conditionatos euentus inutiles eſſe ad explicandum, & conſtituendum influxum inter imperatum & imperantem: quid ego de hoc argumento ſentiam dabo num. 8.

6 Dico primò. Si intentio determinare poteſt ad illum actum, quem electionem materialem appellant recentiores, nulla alia formalis electio ex vi intentionis neceſſaria eſt. Hanc concluſionem rectè probat ratio facta pro illa ſententia, ſcilicet intentionem finis tantùm obligare ad id, quod neceſſarium eſt ad finem conſequendum, ſed poſita electione materiali non eſt neceſſaria electio formalis, quia æquè vtraque idem conſequitur medium: ergo ſi ex vi intentionis efficacis poni poteſt materialis electio, formalis alia neceſſaria non eſt.

7 Dico ſecundò. Si per accidens coniungatur intentio finis cùm volitione medij propter bonitatem aliquam independentem à fine, electio formalis neceſſaria non eſt. Hæc concluſio ex præcedenti infertur neceſſariò, ſi enim electio materialis determinata ad intentionem ſufficit ad finem conſequendum, ſufficiet etiamſi ab illa non determinetur, æquè enim medium conſequitur volitio medij non reſpiciens intrinſecè finem, ſiue ab illius intentione determinetur; ſiue independenter ab illa procedat. Confirmatur: Intentio efficax non obligat ad amandum neque eligendum medium, quod independenter à mea electione poſitum eſt: ergo non obligabit ad amandum electione formali medium quod independenter à tali formali electione exiſtentiam habet.

Dico tertiò: Intentio immediatè non poteſt determinare voluntatem, neque adhuc inefficaciter ad actum electionis materialiter. Hanc concluſionem docent Hurtadus ſuprà & Soar. tom. 3. de gratia lib. 12. cap. 11. num. 15. quam probo argumento Hurtadi nuper adducto, quod in meis principiis ſic fulcio. Poſſunt illi duo actus quos intentionem, & electionem materialem appellant recentiores coexiſtere, & non dependere vnus ab alio: ergo ad hãc dependentiam aliquid ſuperadditum requiritur, diuerſitatem actionis in actu imperato ſeu dependente ab alio, & conditionalem euentũ, quibus hæc imperia conſtituantur influentia abundè impugno, punct. 5. neque recurſus patet ad coexiſtentiam horum actuum, licèt enim dixerim actum reflexum non poſſe coexiſtere directè, quin hic ab illo dependeat, hoc dici nequit de his actibus quos intentionem, & electionem materialem vocamus, nullus enim ex ſe intrinſecè dicit ordinem ad alium, & ex hac coexiſtentia ſæpe non maior dependentia poteſt inferri huius ab illo, quàm illius ab hoc; poſſunt enim actus reſpicere obiecta, quorum quodlibet ex ſe vtile eſſe poſſit ad aliud, v. g. cupio ſanitatem propter ipſam, & cupio balneum ingredi propter voluptatem quam ex illo capio: hæc duo obiecta poſſunt inter ſe eſſe vtilia quodlibet illorum ad alterum comparandum, ingreſſus enim in balneum vtilis eſſe poteſt ad ſanitatem comparandam: poſſum enim intrare in balneum propter ſanitatem comparandam, & ſanitas vtilis eſt ad ingreſſum in balneum; poſſum enim ſanitatem amare propter ingreſſum in balneum mihi maximoperè delectabilem, ergo quando ſunt hi duo actus, amo ſanitatem propter ipſam: amo ingreſſum in balneum propter delectationem capiendam, nulla eſt ratio propter quam dicamus amorem ſanitatis ſe habere tanquam finem & amorẽ ingreſſus in balneum tanquam medium vel è contra: ergo neuter habebit rationem finis neque rationem medij præcisè ex coexiſtentia: ergo nullum eſt caput, ex quo poſſimus inuenire dependentiam inter duos actus. Si dicas non omnia obiecta eſſe mutuò inter ſe vnum vtile ad alterum. Reſpondeo pleroſque eſſe huius conditionis in quibus tenebit hæc ratio, quia de facto obiecta illorum actuũ mutuò poſſunt eſſe vtilia, alterum ad alterum comparandum, & ſaltem ex falſa apprehenſione in omnibus hæc ratio poteſt inueniri, quia intentio non ſolum determinat ad electionem medii quod in re eſt vtile, ſed ad electionem cuiuſcumque rei, quæ apprehendatur vt vtilis, & vt habens rationem medij, licèt illam non habeat.

Dico quartò. Intentio efficax poteſt immediatè mouere ad actum reflexum, quo ametur electio materialis vt vtilis ad finem intentum. Probo hanc concluſionem, illa materialis electio vtilis eſt ad finem conſequendum, coniungitur enim cùm medio vtili: ergo cognita vt vtilis poterit amari ex intentione talis finis, habet enim ſufficientem bonitatem quæ poſſit amari propter finem intentum: exempli gratia intendo ire Matritum: cognoſco fore vtilem ad talem finem velle conducere equum, etiamſi volitio conductionis equi non illam reſpiciat propter iter agendum, ſed propter equum poſſidendum, vel propter voluptatem capiẽdam ex equitatione. Ex illo fine adeundi Matritum, poſſum actu reflexo eligere propter finem intentum volitionem conducendi equum reſpicientem voluptatem capiendam ex equitatione per ſuammet entitatem, & finem intentum eundi Matritum non per ſuam entitatem, ſed tantùm extrinſecè ratione electionis formalis imperantis talem volitionem, moneo tamen in hoc caſu volitionem directam, qua equum conduco propter voluptatem capiendam non habere rationem electionis, ſed rationem medij imperati ab electione.

De aliis actibus voluntatis inclinantibus voluntatem ad alias volitiones circa idem formale motiuum, v. g. quãdo ex amore Dei amo proximum propter ipſum Deum rectè

rectè monet P. Didacus Ruiz tom.de prouidentia disp. 3. sect.8.num.9.non habere rationem imperantis neque imperati, sed esse nouam extensionem ad idem obiectum motiuum.

II Disputant Theologi à quo habitu procedat actus imperatus,An ab habitu imperantis,vel à proprio habitu, in qua quæstione dicendum omnem actum siue imperantem, siue imperatum procedere ab habitu illius virtutis, ad quem pertinet ex motiuo intrinseco, ita vt si actus charitatis efficaciter imperet actum religionis, actus imperans charitatis procedat ab habitu charitatis, & actus imperatus religionis ab habitu religionis,& tantùm mediatè dependeat ab habitu charitatis, quatenus dependet ab actu charitatis qui dependet à tali habitu charitatis. Ratio huius conclusionis est quia nullus habitus virtutem habet Versandi extra suum motiuum, versaretur autem habitus charitatis circa motiuum religionis, si actus religionis imperatus procederet ab habitu charitatis. Quæstio alia, scilicet cuius speciei sit bonitas imperata,an pertineat ad eandem speciem ad quam pertinet bonitas imperantis, & habeant motiua specie diuersa,est purè Theologica.

Punctum IV.

An imperium natura sua efficax libertatem adimat.

VAria imperiorum genera assignaui & statui posse in quolibet illorum genere aliquo ex natura sua assignari efficacia : est modò definiendum de singulis seorsim sumptis an libertatem adimant voluntati.

§. I.

Propria sententia.

1 SEntentia est Recentiorum,actus imperantes quantumuis natura sua efficaces non adimere libertatem,quam referunt Hurtadus & Ripalda postea citandi, in illius suffragium prædicti recentiores vocant plures Authores, quos, vt bene norant Hurtadus & Ripalda,non ad illorum mentem referunt, quia tantùm illi asserunt voluntatem liberè elicere actum imperatum vel eligere medium vnicum suppositâ intentione vel imperio efficaci, quia illi liberum fuit cessare ab intentione seu imperio, ex quo tantùm infertur actum imperatum esse liberum secundariò libertate deriuata ab imperante. Existimo tamen immeritò dixisse Hurtadum sententiam hanc solum defendi ab his Recentioribus, illam enim expresè tenet P. Suarez lib.12.de gratia c.11. n.14. quam perperam explicat Ripalda, quasi id non asseruisset, quia licèt n.11. ad meritum facilùs defendendum in actu imperato negauerit actus efficaces imperantes, postea tamen his admissis, meritum & libertatem sibi seruare voluit imperatos, est enim illi familiarissimum varios assignare modos, ad eamdem defendendam quæstionem.

2 Sententiam affirmantem actus efficaces libertatem adimere defendunt P.Salas 1.2. t.1 lib.6. disp.1. sect.5. §.*dices sumere*,& disp.2.sect.6. n.66. Ripalda de ente supernaturali disp.63.sect.2. Hurtadus 2.2.disp.136.P.Vasquez & Torres, quos perperam referri ait Ripalda,quia vterque neget hos actus imperantes efficaces absque ratione tamen prohibere vult Ripalda hos Doctores referri pro hac sententia,licèt enim actus imperatos efficaces non concedant, inferunt tamen actus imperatos non fore liberos si tales actus efficaciter imperantes darentur : legatur P.Vasquez 1.2. disp.51. n.58.

3 Dico primò. Actus imperans ex natura sua efficax si determinatum respiciat obiectum actui imperato propriam illius libertatem adimit, & in illum deriuat libertatem quam in se formaliter habet, sicut volitio libera imperans actionem externam illam denominat extrinsecè liberam. Secundam conclusionis partem nullus negabit, priorem sic probo. Talis actus imperans antecedit actum imperatum,& illius est causa,& non est indifferens ad existentiam actus imperati,& negationem illius, sed determinatus ad existentiã imperati; ergo antequam actus imperatus sit determinatus in se ipso,est determinatus in causa,& antequã videatur existens absolutè,vel sub conditione ex positione præcisa actus imperantis infertur necessariò actus imperatus ergo necessitas talis imperati non est subsequens sed antecedens, quia nascitur ex aliquo antecedenti ipsum actum imperatum,& tenente se ex parte principij respectu illius, illa est enim necessitas antecedens quæ nascitur ex aliquo antecedenti ipsum actum.

Respondent Recentiores illam esse necessitatem consequentem, quia nascitur ex determinatione libera voluntatis,contra quos sic arguo. Necessitas actus imperati oritur ex determinatione voluntatis ad actum imperantẽ,ante determinationem eiusdem voluntatis ad ipsum imperatum : ergo licèt nascatur ex determinatione subsequenti seu comitante actum imperantem,nascitur ex determinatione antecedenti actum imperatum:ergo licet non obstet libertati actus imperantis,oberit tamen libertati actus imperati, nihil enim refert determinationem esse subsequentem ad aliquem actum,vt libertatem lædat aliùs, cuius est infallibilis determinatio, quemque causalitate præcedit sicuti contingit in nostro casu. 4

Aliter respondent, voluntatem determinantem se ad actum imperantem, quem nouit connexionem habere cũ imperato,libere se ad illum determinare,ac proinde illam determinationem libertatem non lædere. Resp.voluntatem determinantem se liberè ad actum imperantem, liberè se determinare ad actum imperatum libertate primariò affluente actum imperantem, & secundariò & denominatiuè actum imperatum, non tamen se liberè determinare libertate propriâ actus imperati, sicut contingit in imperio actus externi ad quod liberè se determinat voluntas libertate actus interni deriuata in externum, non tamẽ primariò illi inhærentem. Ratio huius conclusionis est quia libertas propria actus dicit ipsam entitatem actus dependentem à principiis indifferentibus, determinatio autem ad actum imperantem quantumuis hic præuideatur connexus cum imperiò non dicit formaliter entitatem actus imperati,& si illam diceret esset cum dependentia à principio non indifferenti,scilicet ab actu imperante, ergo nullo modo potest dicere libertatẽ formalem actus imperati. In hanc eamdem solutionem coincidit alia,quã dicũt Recentiores actum imperantem esse determinationem radicalem non formalem actus imperati,ac proinde illius libertati non obesse. Contrà : determinatio illa radicalis actus secundi est formalis per modum actus primi ad eundem actum secundum, quâ posita principium non est indifferens ad actum imperatum, & ad negationem illius, sed determinatum ad illius existentiam : ergo aufert totam indifferentiam voluntatis,& inducit necessitatem ad actum imperatum eodem modo ac illam induceret quodcumque principium prædeterminans,quod non est determinatio formalis ipsius actus secundi, per modum actus secundi, hæc enim non distinguitur ab ipso actu, qui formaliter determinat potentiã ad actum secundum,cum negatione cuius cõponi non potest. 5

Confirmatur : Si hoc imperium efficax esset influxum potentiæ absque vlla libertate ipsius, actus imperatus procedens ab illo non posset habere propriam libertatem ergo modò quando actus imperans liberè elicitur à voluntate,actus imperatus eadem libertate caret:Probo consequentiam,actus imperans siue necessarius siue liber sic in se ipso eodem modo præcedit actum imperatũ & est causa illius,& eandem connexionem habet cũ illo,quia actus imperans non influit in imperatum per propriam libertatem imperantis, sed per tendentiam intrinsecam, quam habet in illum tanquam in obiectum : ergo eodem modo propriam libertatem illi adimit, libertas enim propria & formalis actus imperati,& cuiusuis actus voluntatis sumitur ex modo,quo procedit à suis principiis immediatis cũ indifferentia,vt procedat & non procedat ab illis;non verò ex indifferentia,vel necessitate,quam habent principia ad sui existentiam,actus enim liber dicitur, quia processit à cogitatione,à qua potuit non procedere, licet talis cogitatio,& quidquid se tenet ex parte principij respectu illius non sit liberũ, sed necessario existens independenter ab aliqua determinatione voluntatis:ex hoc inferes actum imperatũ procedentem ab imperio libero,vel necessario, in se ipso formaliter esse æquè necessarium,& differre tantùm ex eo,quod actus procedens ab imperio libero,etsi sit necessarius in se ipso,est tamen liber in causa, & libertate causæ deriuata in effectum, sicut est libera deambulatio procedens necessariò ab imperio libero voluntatis. 6

Dicunt alij actum imperantem supponere potentiã indifferentem per cogitationes,quas habet inclinãtes cũ indifferentia ad actum imperatum, ac, proinde non tollere libertatem ad talem actum. Idem diceres de Physica prædeter- 7

prædeterminatione, ipsa enim contingere potest voluntati præuente cogitationibus cum principiis, & circunstantiis quibus libera constituitur, ad actum ad quem qualitas illa prædeterminat, & hac ratione potentiam liberam supponere, & illi necessitatem non inferre. Respondeo imperium posse accidere voluntati independenter ab illo principio indifferenti, ipsum tamen libertatem destruere, quam sine ipso habebat voluntas, quia quoties plures causæ ad eundem effectum concurrunt, & vna connexionem habet necessariam, & intrinsecam cum effectu, effectus ille absolutè & simpliciter est necessarius, licet necessitas non illi ex omnibus causis proueniat, sed tantùm ex illa, quæ cum ipso est necessariò connexa, quæ reliqua comprincipia ex se indifferentia ad actum & negationem illius, ita determinat, vt non possint in consortio talis comprincipij intrinsecè connexi cum effectu, coniungi cum negatione illius, hæc est enim differentia inter libertatem, & necessitatem effectus, quod necessitas sumi potest ex quocumque principio connexo intrinsecè cum effectu, quantumuis inadæquatum sit tale principium etiamsi reliqua comprincipia ex natura sua sint indifferentia ad effectum, & negationem illius; libertas tamen effectus desumenda est ex omni principio adæquato influente secundùm se totum, & secundum quodlibet inadæquatum principium inclusum in principio adæquato indifferenti ad actum & ad negationem illius.

8 Alij respondent hoc imperium libertatem non adimere, quia non est simpliciter necessarium ad actum imperatum qui dependenter ab imperato existere potuit. Contra: Etiamsi hoc imperium necessarium non sit, & sine illo posset fieri actus imperatus de facto tamen ad illum concurrit, & illum præcedit prioritate causæ connexæ cum illo: ergo actus imperatus procedens ab illo, de facto procedit à principio non indifferenti, sed determinato ad sui existentiam: ergo procedit necessariò & non liberè, libertas enim, & necessitas effectus sumitur à principio, à quo de facto pendet & non solùm ab illo principio, à quo necessariò dependere debebat, quia si de facto depẽdet à principio, à quo posset non dependere, tale principium est prius illo, & si connexionem habeat cum ipso effectu, ille erit necessarius in causa, à qua dependet, quæ necessitas opponitur cum libertate formali effectus.

9 In similibus casibus solent plurimi ad scientiam Dei conditionatam recurrere, qui in præsenti dicent Deum potuisse scientia conditionata præuidisse actum imperatum liberè futurum, ac proinde imperium non posse illi libertatem adimere conditione purificata. Hanc solutionem passim Magistri nostri efficacissimè reiiciunt in hunc modum. Deus præuidit actum imperatum sub conditione actus imperantis, vel sine illa? si vidit sub conditione imperantis, non potuit liberum adhuc in statu conditionato illũ videre; si enim ex existẽtia absoluta imperantis infertur existentia absoluta necessariò actus imperati, eadẽ necessitate infertur in statu conditionato, ideo enim est necessaria hæc conditionalis, *si Sol est, lux est*, quia posito absolutè Sole, necessariò ponitur existentia absoluta lucis. Si vidit Deus illum actum imperatum, sub aliis conditionibus, in quibus non erat imperium, impertinens est illa scientia ad hoc vt posito imperio actus imperatus sit liber, quia iam non purificantur conditiones sub quibus actus ille liber fuerat præuisus, vna enim ex conditionibus sub quibus præuidendus est actus, qui in statu conditionato liberè præuidetur, est negatio imperij efficacis, & cuiusuis causæ prædeterminantis ad illum, sicut enim ad hoc vt actus in statu absoluto sit liber, non solùm requiritur procedere ab hac cogitatione, sed non procedere ab aliquo comprincipio determinante, ita in statu cõditionato præuidendus est sub conditione principiorum ex se indifferentium, & negationis totius principij intrinsecè connexi cum tali effectu liberè futuro. Positis autem diuersis principiis in statu absoluto, ac fuerunt præuisa in statu conditionato, non infertur libertas absoluta ex libertate conditionata, quæ tantùm transit in absolutam, quando illius conditiones purificantur: exempli gratia, præuidit Deus scientia conditionata, si ego dedero hanc cogitationem sine imperio efficaci, & sine physica prædeterminatione, erit consensus liber: in statu absoluto dat cogitationem cum physica prædeterminatione, vel cum imperio; non infertur consensum futurum esse liberum, quia effectus qui liber esset, si non procederet ab imperio efficaci, vel à physica prædeterminatione, si procedat à quocumque illorum necessarius euadit.

Dico secundò. Quando voluntas postquam rectè inspectas habuit naturas actus Iustitiæ, & Misericordiæ, & æquè complacens in vtroque efficaciter decernit statuere vnum ex his actibus sub disiunctione, non potiùs hunc quàm illum, voluntas libera non remanet ad componendum cum hoc actu negationem vtriusque actus; est tamen libera & indifferens ad ponendum hunc, potiùs quàm illum, & quemcumque ponat liberè ille procedit ab illa, & totus ille actus secundùm omnia prædicata intrinseca liberè procedit à voluntate, quia omnia prædicata illius sunt identificata identitate physica actus cum speciali differentia illius, quæ potuit à voluntate non procedere, & tota entitas physica huius actus potuit non esse: ergo physicè totus ille actus liberè procedit à voluntate. Dixi physicè totam entitatem liberè procedere à voluntate libertate physica, quia cùm voluntas teneatur elicere alium ex suppositione quod hunc non eliciat, moraliter non reputatur cum plena libertate ad istum, neque libertas cum onere faciendi alium actum, si hunc omittat, æqualem æstimabilitatem habet, cum libertate absoluta omittendi, & in ordine ad meritum libertas hæc nullius est momenti, quia in prudentis æstimatione nullas gratias agere debeo homini, qui tenetur mihi tribuere aureum vnum sub disiunctione, & liberè eligit hunc mihi dandum potiùs quàm illum, alium non minoris pretij mihi necessariò daturus, si hunc non eligeret. Conducet tamen hæc libertas ad meritum quando est inter actus non æquè bonos, si exerceatur respectu actus magis boni, gratias enim agere debeo homini aliàs obligato ad conferendum hoc vel illud bonum, & libero adhoc præ alio præstandum cùm maius bonum mihi liberè confert: suæ obligationi satisfacturus si minus, quod conferre poterat, mihi dedisset. De hac re latè Theologi, vbi de merito, præcipuè tertia parte disputantes de merito Christi in ordine ad opera præcepta. 10

Dico tertiò. De aliis imperiis, quæ immediatè non determinant ad actum imperantem, v.g. de actu quo voluntas dicit, volo elicere actum Iustitiæ vel Temperantiæ, cuius determinationem sibi relinquit per alium actum discernendum, quia nondum illius naturas inspectas habet: & de actu quo dicit voluntas, volo elicere opera præcepta: qui actus mediis aliis determinant hunc actũ hîc & nunc efficiendum, philosophandum est eodem modo ac de intentione efficaci respectu electionis, & exequutionis mediorum, concurrunt enim per modum intentionis, vt explicaui punct. 3. quomodo autem intentio necessitatem electionis inducat dicam Contr 11. Punct. 3. 11

§. II.

Argumentorum solutio.

OBiiciunt 1. Recentiores, qui defendunt actum imperatum esse liberum in hunc modum. Antequam voluntas eliciat actum imperantem est libera ad actum imperatum: ergo si eliciat actum imperatum, actus ille liber euadet. Respond. voluntatem, antequam eliciat actum imperantem esse proximè liberam ad actum imperatum, ac proinde liberè illum elicitura, si illum eliceret ante ipsum actum imperantem, seu independenter ab illo; quando verò aduenit actus imperans, iam volũtas ex vi illius amittit libertatem immediatam, quam habebat, quia libertas actus imperati complebatur per negationem imperantis, quæ destruitur per ipsum actum imperantem, quo posito non manet libertas proxima ad actum imperatum, sed remota in libertate imperantis, quæ imperatum secundariò liberum denominat. 12

Obiicies secundò. Actus odij determinat voluntatem ad omissionẽ amoris, quam ex suppositione suæ existentiæ infert necessariò, & tamen ad amorem liberè eliciendum non supponitur negatio odij; ergo etiamsi imperium prædeterminet ad actum imperatum non supponetur negatio imperij ad actum imperatum liberè eliciendum. Respondeo longè disparem esse rationem, quia licèt odium connexionem habeat cum negatione amoris, & illam necessariò inferat, tamen odium auferibile est per amorem, & voluntas potens est per amorem auferre negationem eiusdem amoris, & odij quæ illam inferebat, & hac de causa 13

non

non supponitur ad amorem negatio odij, neque odium ablatum quia omnia impedimenta actus secundi, quæ per illum destrui possunt non debent supponi ablata ad illum, sic forma quæ impedimentum est respectu contrariæ non debet supponi expulsa ad introductionem contrariæ potentis illam expellere, non enim ad productionem caloris supponitur negatio frigiditatis in subiecto, sæpe enim hæc ab illa procedit: impedimenta verò quæ auferri non possunt per actum secundum debent supponi ad illum ablata, cùm verò actus imperans non possit auferri per actum imperatum, & ex alio capite illum inferat necessariò illi debet supponi aliunde ablatus, vt actus imperatus possit liber euadere: secundò ad actum amoris non supponitur ex parte principij actus odij neque negatio illius, ac proinde quantumuis odium sit connexum cum negatione amoris non supponitur ad amorem aliquid connexum cum illo, neque cum negatione illius, neque ex parte principij supponitur aliquid prædeterminans alteram contradictionis partem; actus verò imperatus supponit ex parte principij actum imperantem connexum intrinsecè cum imperato, ac proinde procedit à principio determinato ad vnam contradictionis partem. Addo actum liberum imperatum supponere negationem actus imperantis influentis in illum, non tamen negationem actus imperantis secundùm suam entitatem nudam, quia si daretur actus imperans non influens in imperatum, illius libertati non obesset, & actum amoris liberum vel necessarium supponeret negationem odij influentis in ipsum amorem, quia non potest actus amoris ab odio procedere, vnde sicut actus imperatus liber excludit ex parte principij influentis in illum actum imperantem, sic actus amoris non solùm liber, sed etiam necessarius excludit ex parte principij influentis in illum, actum odij, à quo neque liberè neque necessariò procedere potest. Vnde ex hoc capite maiorem exclusionem dicit actus amoris odij actus, quàm actus imperatus imperantis actus, quia actus imperatus solùm excludit ex parte principij actum imperantem, quatenus liber, actus verò amoris quatenus liber, & quatenus necessarius excludit ex parte sui principij actum odij, à quo nullo modo procedere potest. Fateor exclusionem, quam dicit actus imperatus, quatenus liber actus imperantis esse quasi positiuam, quia talis actus imperans libertatem illius destrueret; exclusionem verò quam dicit actus amoris actus odij ex parte principij non esse positiuam, quia actus odij tenens se ex parte principij actum amoris destrueret; sed quasi negatiuam, quia actus amoris ab actu odij dependere non potest, quia est incompossibilis cum sua causa, & quia actus odij virtutem non habet producendi actum amoris.

14 Obiicies tertiò. Amor habet necessariam connexionem cum omissione odij, & nihilominus existente amore potest voluntas liberè omittere odium, ergo etiamsi actus imperans necessariâ habeat connexionẽ cum imperato, potuit imperatus esse liber adhuc imperante existẽte. Respõdet Hurtadus disputatione centesima trigesima sexta, sectione secunda, subsectione quarta, paragrapho quadragesimo quarto, voluntatem prius omittere liberè odium, deinde supposita omissione libera, elicere amorem, ac proinde hunc non posse inducere necessitatem illius, quæ ante ipsum supponitur libera. Neque ab hac solutione nimis dissentit Ripalda, qui asserit posse amorem esse quin sit causa inducens omissionem odij, quia potest talis omissio amore existente aliunde induci, quàm per amorem, videlicet per voluntatem purè omittentem, aut per voluntatem reflexam omissionis.

15 Difficultate solutio non caret, videtur enim in instanti in quo est amor, voluntatem non posse liberè omittere odium, sed hanc omissionem tantùm esse liberam remotè libertate, qua amor fuit elicitus, & consequenter videtur non posse produci amorem ex præuisione omissionis liberæ pro eodem instanti, in quo producẽdus est amor, quod sic probo. Omissionem liberè procedere à voluntate, non importat influxum aliquem positiuum, neque actionem aliquam à voluntate in omissionem deriuatam, sed tantùm entitatem omissionis cum potentia ad actum cuius dicitur omissio, & cum negatione entitatis necessariò cõnexæ cum omissione; ergo vt videatur omissio odij libera pro hoc instanti debet præuideri in hoc instanti voluntas cum omissione odij, & cum potentia ad odium, & cum negatione totius entitatis necessariò connexæ cum hac omissione, ergo debet præuideri in hoc instanti in quo videtur omissio libera, negatio amoris necessariò connexi cum omissione: ergo in instanti in quo supponitur omissio odij libera debet supponi negatio amoris: ergo implicat ex suppositione omissionis liberæ in hoc instanti, existentia amoris in hoc instanti, quia suppositâ negatione amoris implicat amor in illa mensura in qua supponitur negatio.

16 Dices ad omissionem liberam non debere supponi negationem amoris absolutè, sed negationem amoris determinantis ipsam omissionem, sicut ad actum liberum non debet supponi absolutè negatio physicæ determinationis influentis in actum, ac proinde etiamsi amor sit in eodem instanti in quo fit omissio odij, dummodò non influat in illam, talis omissio poterit esse libera. Contrà: omissionem esse liberam nihil aliud est quàm entitatem omissionis, & voluntatem esse potentem elicere actum cuius est omissio, & non habere principium determinatiuum, neque inter principium determinatiuum omissionis, & illam determinans vlla potest esse distinctio, quia principium determinare omissionem non dicit aliquem influxum supra principium determinatiuum: amor enim per suammet entitatem determinatiuus negationis odij, per eamdem est determinans in actu exercito ipsam voluntatem ad negationem odij, & illi adimens torà indifferentiam ad odium, ergo vt voluntas videatur libera ad omittendum debet videri cum negatione illius, quod formaliter aufert indifferentiam per suammet entitatem; ergo debet videri cum negatione absoluta amoris: ergo implicat videri omissionem liberam in hoc instanti, quin in hoc instanti videatur absoluta negatio amoris: ergo implicat amorem infundi ex præuisione omissionis liberæ, quia hæc essentialiter dicit negationem amoris, quâ posita implicat amorem existere.

17 Exemplum adductum de actu positiuo rem non conuincit, est enim longè diuersa ratio de actu positiuo libero, & omissione libera, quia cum actus positiuus physicè procedat à causis, potest videri procedens ab his causis, & ex hac præuisione induci qualitas prædeterminatiua ad talem actum, quæ iam non poterit esse illius causa, quia talis effectus supponitur productus, & cùm illius causa, neque circunstantia sit productionis, quam supponit, non potest libertatem adimere tali actui: omissio verò libera non producitur physicè, neque secundùm suam entitatem dependet ab aliqua causa, neque respectu illius datur aliquid quod sit proprie priùs natura, sed tantùm interpretatiuè dicimus procedere à voluntate, ac proinde procedere dicimus à causis productiuis actus cui omissio opponitur, & inductiuis eiusdem omissionis cum quibus de facto tempore coniungitur.

18 Illud verò quod addit Ripalda, amorem non esse necessariò inducentem negationem odij, quia potest voluntas aliunde supponi determinata ad omissionem odij explicatione indiget. Poterit enim negari amorem posse supponere voluntatẽ liberè omittentem actum odij propter rationem iam dictam, & concedi posse amorem supponere voluntatem necessariò determinatam ad negationem odij, & simul affirmari amorem tunc etiam iterum determinare voluntatem ad eandem omissionem odij, quia rectè potest voluntas esse ex duplici titulo adæquato impedita ad actum odij, quorum quilibet illam determinabit ad omissionem, determinare enim ad omissionem nihil aliud est, quàm efficaciter odium impedire. Verum est amorem superuenientem voluntati iam determinatæ necessariò ad omissionem odij, non tollere indifferentiam ad actum, & ad omissionẽ; sed illam ita afficere, vt præcisè ex vi illius quolibet alio secluso necessariò futura sit omissio, & hoc est voluntatem ad omissionem determinare, quod essentialiter non est connexum cum ablatione indifferentiæ, est enim hæc quasi effectus secundarius determinationis, quæ ablatio indifferentiæ dicitur quando immediatè indifferentia præcessit, & hac non præcedente est pura determinatio, sicut non esse lucis dicitur lucis corruptio quando hæc immediatè præcessit, quod si lux non præcessit immediatè ipsius non esse dicitur. Expulsio enim in esse expulsionis completur per extrinsecam denominationem: sic determinatio, quæ est non esse indifferentiæ, expulsio indifferentiæ dicitur seu ablatio illius, quando indifferentia immediatè præcessit, & aliunde priùs non supponitur ablata, addit enim ablatio indifferentiæ supra determinationem extrinsecam quãdam denominationem

desumptam

desumptam ex indifferentia præcedente, & aliunde non ablata.

19 Ad argumentum contra nostram conclusionem adductum facilis est solutio, quidquid sit de præcedenti, negando voluntatem liberè omittere odium in instanti, in quo elicit amorem obiecti, libertate proxima & immediata odij, tantùm enim illa omissio est libera, quatenus liber est amor illam inducens, quod si ante amorem voluntas se determinauerat ad omittendum per actum quo dixerat, volo omittere, illa dererminatio positiua, seu ille actus quo reflexè amabatur omissio, libertatem habebit, quam posset habere etiam, si amorem non præcederet, quia amor non illum inducit, ipsa tamen omissio in se est necessaria, neque talis volitio reflexa quidquam conducere posset ad propriam libertatem immediatam omissionis, sed potiùs si efficax esset illam destrueret.

20 Obiic. quartò. si Actus imperans, libertatem adimit imperato: ergo si quis morte imminente ex affectu pœnitentiæ imperaret efficaciter charitatem, talis actus charitatis liber non esset: ergo non haberet meritum charitatis: ergo talis homo non consequeretur suam iustificationem, vel si illam consequeretur, eandem esset consequuturus, si posito imperio efficaci charitatis, charitatem non eliceret ex defectu habitus, vel auxilij extrinseci, quia in vtroque casu eandem exerceret libertatem. Multa inuoluuntur in hac obiectione, quæ breuiter attingam, & Theologis latiùs expendenda remittam, quia captum Philosophi superant. Opinatur P Vasquez, quem plurimi sequuntur actum contritionis perfectæ per se ipsum esse formam sanctificantem, in qua sententia obiectio nullam vim habet, quia licet contritio non haberet proprium meritum, per suam entitatem hominem sanctum redderet, quam sanctitatem non haberet homo ille, quatumuis illam efficaciter imperaret, si de facto illam non eliceret, quia effectus formalis Physicus formæ, non datur per imperium formæ, sed per ipsam formam. Sentiunt alij effectū charitatis non posse efficaciter imperari ab actu aliùs virtutis, in hanc sententiam inclinat Hurtadus suprà §. 50. illam tenent Doctores relati punct. 1. §. 2. num. 13. asserentes actum perfectioris virtutis non posse imperari ab actu virtutis imperfectioris, ex quo infertur actum charitatis perfectissimum omnium actuum à nullo posse imperari. Defendit Ripalda suprà sect. 4. actum imperantem non adimere proprium meritum actui imperato, etiamsi illum expoliet libertate, & asserit actum internum, & actionem externam addere meritum supra actum efficaciter imperantem, ita vt distinctum præmium correspondeat largitioni eleemosynæ, à præmio respondente actui interno illam imperanti, & distinctum actui misericordiæ, à præmio respondente actui charitatis illum efficaciter imperanti: pro qua opinione adducit Scotum cum suis, quæ respectu actuum internorum maius fundamentum habet quàm respectu actionum externarum, quia actus interni intrinsecè motiuum honestum respiciunt distinctum in imperato, & imperante, ac proinde libertas cadens, licèt secundariò, supra actum imperatum, cadit suprà maiorem honestatem, quam si solum afficeret actum imperantem, ac proinde maius meritum potest constituere, quod non est in imperio actionis externæ, quæ ex se nullum motiuum respicit. Iuxta hanc sententiam nullam vim habet proposita obiectio. Sentiunt alij actum contritionis esse physicam dispositionem ad habitum gratiæ, & iuxta hanc sententiam homo ille eliciens actum contritionis, etiam sine propria libertate iustificationem obtineret non per modum meriti, sed quia poneret dispositionem physicam, quam necessariò consequitur forma. Vltimò si nulla ex his sententiis admittatur, dici poterit Deum acceptare meritum illud hominis elicientis necessariò actū charitatis, ex imperio libero actus pœnitentiæ ad gratiam habitualem conferendam, quia cùm gratia habitualis detur homini peccatori, non vt præmium meriti de condigno, sed de congruo, poterit intuitu maioris minorísve meriti conferri ex voluntate Dei, cùm nullum meritum gratiæ, quâ homo de facto fit iustus illam de condigno promereatur: ita sentit Hurtadus suprà.

21 Vltimò aduerto, quod etiamsi concedatur idem præmium respondere homini iusto vel peccatori imperanti ex se efficaciter per actum charitatis actum misericordiæ, siue eliciat actum misericordiæ, siue non illum eliciat ex impotentia physica, non ideo concedi correspondere homini illi imperanti efficaciter actum misericordiæ, quod tribueretur, si actum misericordiæ, & actum charitatis liberè eliceret, quia actus misericordiæ elicitus ab imperio charitatis meritum non habet distinctum ab imperio charitatis, quod haberet si procederet imdependenter ab illo, & ob hanc rationem, qui efficaciter desiderat elicere actum virtutis, quem non elicit, non meretur id quod mereretur, si talem actum liberè eliceret, quia tale imperium efficax non potest esse actus liberè eliciendi, implicat enim actum in sensu composito liberum imperari, posset tamen concedi, si opus imperatum adhuc non addat meritum supra internum imperium, hominem efficaciter imperantem ex charitate actum misericordiæ idem præmium reportaturum, si actum imperatum eliciat, siue illum ex defectu concursus, vel ex alio capite non eliciat. Hæc ad Theologum attinent, ideo illa non probo, sed refero, ne meus Philosophus terminis Theologicis non auditis terreatur.

Punctum V.

De influxu imperij inefficaci,

Vbi maximum fundamentum exhibetur ad omissionem liberam, & ex motiuo defendendam.

Difficultatem hanc diligenter inquiram, ex illa enim pendet solutio aliùs celebris, præcipuè inter nostros recentiores, de influxu voluntatis in puram omissionem.

§. I.

Status difficultatis proponitur.

Actus reflexus voluntatis alium actum eiusdem potentiæ tanquam obiectum respiciens, illiúsque existentiam determinans actus imperans dicitur respectu sui obiecti, in quod influit, procedit enim actus imperatus ab imperante determinatus, v.g. actus quo ego volo elicere contritionem propter iustificationem consequendam imperans est respectu contritionis, vt iam vidimus suprà. Est difficultas. quæ sit causalitas, mediâ quâ imperans influit in imperatum, quídve in rerum natura ponatur, ratione cuius dicamus hunc actum contritionis prouenire ab alio actu imperante. Procedit quæstio tam respectu actus imperantis efficaciter, quàm inefficacis, ex suppositione quod detur imperium efficax, & inefficax respectu actuum eiusdé potentiæ volitiuæ, & vrget difficultas præcipuè in imperio inefficaci, quod potest esse cum effectu, & sine illo, & connexionem non habet necessariam cum actu imperato, & fortiter premit, cùm ponuntur duo imperia inefficacia respectu eiusdé actus imperati, verbi gratia, habet quis actum imperantem, quo dicit, volo elicere actum contritionis propter meam iustificationem consequendam, & simul alium actum quo dicit, volo elicere contritionem propter obediendum legi, quâ tenor contritionem elicere. Supponamus positis his duobus imperiis hominem contritionem elicere, quæ potest à quolibet illorum imperiorum procedere, & non procedere, & ab vno procedere, & non ab alio, quid speciale erit in contritione quando procedit ab actu illam imperante propter propriam iustificationem, quod non haberet si imperaretur non ab illo actu sed ab alio respiciente legis obedientiam, quidve quando ab vtroque, vel à neutro contritio procedat. 1

In actu imperij efficacis respectu actus imperati, facilior apparet quæstionis solutio, quia cùm de ratione imperij efficacis sit connexio cum actu imperato, videtur non posse dari imperium efficax sine actu imperato procedente ab illo, ac proinde posito imperante, & imperato, necessarium est hunc procedere ab illo, ac proinde dici poterit hanc processionem, seu dependentiam consistere in coëxistentia duorum actuum. Nihilominus adhuc in imperio efficaci difficultate non vacat nostra quæstio, quia multi volunt de ratione imperij efficacis non esse actu influere, & determinare actum imperatum, sed tantùm ad illum determinare sub conditione, quod non esset extiturus. Vnde si ego à me, vel à Deo determinatus, contritionem elicerem, & simul haberem 2

haberem imperium efficax contritionis, hoc imperium determinaret ad contritionem, neque in illam influeret; ita Ripalda libro tertio de ente supernaturali, disputatione sexagesima septima, sectione tertia, numero sexto. Rectè explicatur hæc doctrina exemplo intentionis, quæ determinat ad amorem mediorum, quæ non supponuntur non verò ad amanda illa, quæ independenter ab intentione existentiam habent, vnde qui intendit equester ire Matritum, si iam supponatur habere equum non tenetur equum quærere, nec illius acquisitionem, seu possessionem eligere ad iter agendum. Ex quo videtur inferri influxum actus efficaciter imperantis non consistere in simultate illius cum actu imperato.

3 Dicam in quo consistat influxus actus imperantis efficacis & inefficacis, qui actum imperatum respicit tanquam obiectum, quod reflexè amatur; aliud enim imperium, quod defendit Ripalda disput. 66. section. 3. num. 14. fine hac reflexione per amorem directum obiecti externi, ad quod potest conducere alius actus voluntatis, verbi gratia, actus amoris Dei, qui immediatè moueat ad impletionem legis propter motiuum alicuius specialis virtutis, dicam influere per modum intentionis efficacis respectu finis media electione; influxum verò intentionis in electionem, medium electum & executionem finis explicabo Controuers. 11. Punct. 6.

§. II.

Thomistarum sententia euertitur.

4 NOnnulli Thomistæ quos refert Lorca, 1.2. q. 114 inter quos Zumel 1.2. q. 114. art. 4. disp. 2. in append. concluſ. 3. docent actum imperantem impingere nescio quem modum superadditum actui imperato, ratione cuius constituitur dependens ab imperante & imperatus dicitur.

5 Hanc opinionem iure optimo reliciunt omnes nostri Authores, tanquam destitutam omni fundamento, & manifestè rationi oppositam, quod sic probant: absque illo modo superaddito rectè intelligitur actus imperatus procedens ab actu imperante: ergo absque fundamento talis modus physicus constituitur. Secundò, quia intelligi nequit quid sit modus ille, quo actus imperatus constituitur in ratione imperati, non enim potest esse supernaturalis, quia sæpe actus naturalis imperat actum supernaturalem, & ratio imperij procedit ab actu naturali, nulla verò entitas naturalis potest quid supernaturale producere; Deinde non potest esse naturalis, quia sæpè procedit imperium ab actu supernaturali, & ordinatur ad finem supernaturelem; ergo debet esse supernaturalis. Neque potest esse relatio transcendentalis inhærens actui, quia omnis relatio transcendentalis non respicit terminum vt purè terminum, sed aliquam denominationem illi tribuit, & aliquid circa illud præstat, nihilque potest præstare actui talis modus circa obiectum, nisi illud appetendo: quod si hoc præstet, illa ratio imperij formaliter erit actus voluntatis: non est autem intelligibilis affectus voluntatis affectui inhærens.

6 His rationibus sententiam Thomistarum impugnat Ripalda disp. 60. citata sectione, quibus ego minimè acquiesco, & si fortior mihi alia non esset, illam amplecterer, vt rem ex difficilioribus totius Philosophiæ clarè explicarem. Rationes adductas expendam, & propriam dabo. Ad primam dicent Thomistæ maximo fundamento, & summa necessitate assignari hunc modum, quia sine illo non potest solui præsens difficultas, neque aliquid assignari per quod constituatur actus imperatus ab imperante procedens. Frigidum autem erit argumentum, quo tu probes inuenisse modum alium constitutiuum imperij passiui in actu imperato: quicumque enim excogitatur non sine difficultate defenditur, tantum abest vt efficaciter possit conuinci, talem modum esse sufficientem, & aptiorem ad imperium defendendum modo illo superaddito à Thomistis inuento.

7 Minùs vrget secunda ratio, qua modus hic reiicitur, quia illius natura non cognoscitur, & non potest esse naturalis, neque supernaturalis propter rationes suprà adductas. Respondeo pro Thomistis, modum illum actui imperato adiunctum fore naturalem, si procedat ab actu imperante naturali, neque inconueniens est modum naturalem constituere actum supernaturalem formaliter imperatum: si inconueniens non est actum supernaturalem imperari actu naturali, in opinione Ripaldæ, præcipuè cum ipsa admittat habitum naturalem reddere potentiam facilem ad actus supernaturales, ad quos naturalis habitus ab actibus naturaliter productus effectiuè concurrit. Thomistæ verò negantes actum supernaturalem posse imperari actu naturali rectè defendent imperium formale actus supernaturalis esse supernaturale, quia semper ab actu supernaturali procedit. Si constituatur actus imperans, & imperatus supernaturalis, facilè poterit defendi modum illum superadditum imperij esse supernaturalem. Vltimò si actus imperans sit supernaturalis, & imperatus naturalis dici poterit modum imperij esse naturalem, quia ordinatur ad constituendum imperatum naturalem actum, neque inconueniens fuisse productum ab actu supernaturali: sæpe enim repetit Ripalda entitatem supernaturalem posse entitatem naturalem producere sicut in sua opinione contingit in actibus supernaturalibus, qui intendunt naturalem habitum productum ab actibus naturalibus respicientibus idem formale obiectum. Ex his constat modum illum respicientem actum imperatum quem informat, vel imperantem à quo procedit, posse esse naturalem, si tamen respicit vtrumque actum, tam imperatum, quàm imperantem supernaturalem, optimè poterit illi supernaturalitas competere. Vltimò, quod adducitur in relatione transcendentali, doctrina iam tradita, alia non indiget solutione, quia modus ille iuxta dicta immediatè respicit actum, quem constituit imperatum, & medio hoc, & non alio modo obiectum, sicut præsentia cognitionis, respicit ipsam cognitionem, quam præsentem constituit, & non obiectum, nisi remotè, quia respicit cognitionem respicientem obiectum.

8 Efficaciùs contra hunc modum superadditum arguo. Modus iste est superadditus actui imperato: ergo supponit substantiam actus imperati tanquam subiectum; ergo supponit illam iam productam à suis causis. Antecedens est aduersariorum conclusio, prior consequentia vix ab ea adhuc formaliter differt, & ex ipsis terminis patet, posterior vndequaque est firmissima, quia quidquid supponitur existens, debet supponi dependens à suis causis, & procedens ab illis si non sit ens increatum, cùm ad existentiam rei necessariò supponatur actio, mediâ quâ à suis causis recipit esse. His factis illationibus procedit argumentum; modus ille supponit subiectum iam productum & dependens à suis causis, ergo non potest illud constituere dependens ab illis. Probo consequentiam, dependentia actus imperati à suis causis est prior illo modo: ergo non potest esse illo posterior, & ab illis dependere.

9 Dices modum illum supponere actum dependentem ab aliis causis, à quibus illum non constituit dependentem, non tamen illum supponere dependentem ab actu imperante, ac proinde posse ab hoc illum dependentem constituere. Contra: actus imperans per se & immediatè non influit imperatum, sed imperat aliis principiis, vt influant in illum, & quia reliqua principia ab imperante determinata in illum influent, dicitur actus imperatus ab imperante dependere: ergo modus ille, qui non potest constituere actum imperantem dependentem ab aliis principiis, non poterit eum ab actu imperante dependentem constituere: sed sic est quod modus ille supponit actum imperatum dependentem ab aliis principiis, vt probaui, ergo non potest esse ratio vt ab illis dependeat, ergo neque vt ab imperante, quia ab hoc non nisi mediis illis dependet.

10 Non restat aliud latibulum præter illud Thomistis satis notum, de diuerso causarum genere, in quibus affirmant rem posse esse priorem & posteriorem, quod præclusi in Physica, illud tamen libens modò Thomistis aperio, quos intra illud insequor. Actus imperatus supponitur in genere causæ materialis ad hunc modum à Thomistis inuentum: ergo etiamsi ex vi illius, quod supponitur ad hunc modum non supponatur actus ille dependens à causa efficiente (quod numquam concipere valeo) saltem in illo priori supponitur actus determinatus, vt in alio signo efficienter dependeat, quia implicat esse in hoc signo in genere causæ materialis, quin saltem in alio sit dependens in genere causæ efficientis: ergo antequam existat modus ille ex vi entitatis actus quatenus suppositæ in genere causæ materialis intelligitur determinatus, vt existat, & vt dependeat saltem in alio signo: ergo non poterit imperium illud

illud determinare,vt existat, & vt dependeat , vel saltem eodem modo existeret,& dependeret , siue modus ille illi adueniat,siue non adueniat ; ergo numquam ita erit actus imperatus ex vi imperantis,vt hoc deficiente ille deficeret.

§ III.

Recentes nostræ Societatis impugnantur.

10 REcentiores ex nostris apud Ripald. suprà , cùm nihil inuenirent,quo possit actus imperatus cõstitui in actu secundo ab imperante dependens, neque aliquid superadditum auderent actui imperato concedere,ad actiones recurrerunt , asseruntque actum constitui imperatum ex vi huius actionis,mediâ quâ non procederet ab efficiente , si imperatus non esset , sed mediâ aliâ , quæ à nullo potest imperari, quia hoc quod est imperari,& non imperari intrinsecum est actionibus , & illis competens per suasmet entitates.

11 Nouum non est in similibus angustiis,cum nullus effectus neque accidens superadditum potest inueniri ad formalitatem constituendam , solamen ab actionibus petere: sic P. Lugo grauissimâ si qua est in re philosophica difficultate oppressus durationis assignandæ, eidé entitati potenti in diuerso tempore durare ad actiones confugit t.de Incarnatione disp.19.sect.1.n.20. vbi dixit rem habere hanc durationem esse per hanc actionem à suo efficiente depẽdere.P. Herice disp.17.c.2.n.30.vt assignaret aliquid speciale in gratia destruente peccatum veniale, diuersam actionem constituit , quâ producitur gratia intra sacramentum destruens veniale peccatum ab actione,quâ extra sacramẽtum gratia producitur,& cum veniali componitur. Eodem modo ibidem disp. 19. diuersa connotata dedit decretis, quibus Deus ex diuerso motiuo eundem effectum producebat petita ex diuersitate actionum. Et noster Arrubal tom.1.1.p.disp.38.c.4.& 5.hæc diuersa connotata constituit ex diuersitate actionum , quàm ex diuerso fine operantis venatur.

12 Hanc diuersitatem actionum, quam prædicti Recentiores ex relatis Magistris desumere potuerunt multis reiicio.In primis eodem modo possent prædicti Recentiores constituere actus per suasmet entitates imperatos,ac constituunt actiones ; sicut enim ipsi asserunt hanc actionem non posse non esse imperatam,& aliam fore, & non istam si in voluntate non præcessisset imperium , cur non dicent hunc actum per se ipsum esse imperatum,& alium fore,& non istum,si voluntas actum imperij non elicuisset?eadem enim de actione,& de ipso actu est difficultas, sicut enim non possumus experientiâ conuincere hanc eandem numero actionem posse imperari,& non imperari,sic non poterimus eâdem id de actu demonstrare. Rationes autem quibus diuersitas actionum potest impugnari , & propugnari,eædem actibus valent aplicari. Addo in opinione maioris partis Philosophorum actum vitalem in suo conceptu essentiali dicere actionem,ac proinde non posse dari diuersam actionem sine actus diuersitate.

13 Secundò,eandem opinionem impugno. Actus imperans per se & immediatè non influit physicè in actum imperatum,sed determinat seu inuitat alia principia vt illũ producant;ergo non diuersificat actionem.Probo consequentiam:quidquid principia faciunt determinata ab hoc principio,possunt immediatè à se ipsis determinata facere , sicut possum ego eandem actionem exercere determinatus ab alio agente extrinseco,vel à me ipso liberè talem actionem intendente,ergo possunt principia producentia actũ imperatum determinata ab imperante eundem actum producere,actu imperante non præcedenti, sed à se ipsis determinata,vel à Deo prædefiniente actionem, quam principia libera adiuta imperio,vel illo destituta posset elicere.

14 Actionis tas omnes tristis vmbra negationum insequitur.quæ illos sæpe modò vexauit, & eodem rerum *non esse* illorum rationem confodit,& illorum sententiam ad miserum *non esse* reduxit;sic idem argumentum in hac materia instituì , quod quàm plures Theologi contra Arrubalem & Herice relatos validissimè tradunt.Omissio actus potest esse libera ibsq; vllo imperio,& potest ab imperio procedere, possum enim ego furtũ omittere determinatus actu voluntatis,quo dicam,volo omittere actum voluntatis tẽdentem in furtum propter Deum summè bonum , & possum omittere eundem actum internum furti absque hoc actu imperij reflexo. In vno casu omissio procedit ab imperio,in altero erit independens ab illo.in vtroque est eadem negatio actionis,quia est negatio totius actus tendentis in furtum,& nulla reperitur actio positiua : ergo omissio quæ potest esse independens ab imperio constituitur dependens absque noua actione , ergo non est necessaria noua actio,vt idem actus,qui erat independens ab imperio, constituatur dependens.

15 Dices non esse necessariam hanc actionem in negatione,in qua non potest noua excogitari actio,secùs in actu positiuo , qui verè per actionem dependet & per diuersas dependere potest.Contrà;in omissione respectu cuius non potest dari noua actio,non requiritur hæc, vt constituatur dependens ab imperio:ergo in actu positiuo , in quo possibilis est actio non requiretur:sic enim arguo:eadem omissio omnino intrinsecè inuariata potest imperari , & non imperari:ergo eadem actio intrinsecè inuariata poterit imperari,& non imperari. Rursus omnes tenẽtur assignare in omissione per quod constituatur dependens ab imperio sine vlla actionis variatione : ergo modus ille omissioni assignatus,in quo illius dependentia ab imperio consistit, poterit esse communis actui positiuo , cuius dependentia ab imperante per eundem modum poterit explicari.

§. IV.

Ripaldæ sententia exponitur , illiúsque fundamenta soluuntur.

16 PAter Martinez de Ripalda dictâ disp.67. sect. 3. asserit actum imperatum procedere ab imperante , non esse aliud,quàm mouente imperante fieri imperatum, & volũtate non eliciturâ,nisi imperans rapuisset. Quare tria importat hic influxus ; existentiam actus imperantis in actu primo mouentis;existentiam actus imperati , seu potentis imperari;& veritatem conditionatam,qua verum est dicere,si non esset actus imperans non esset imperatus. Vnde si sunt duo imperia respectu eiusdem actus imperati, illud imperans influet in imperatum , respectu cuius verum sit dicere,si non esset hoc imperans hìc & nunc , neque aliud supplens vices illius,non esset actus imperatus : exempli gratiâ,est actus imperij quo ego dico, volo elicere amorẽ propter propriam iustificationem , hùnc comitatur alius actus imperij,quo ego dico volo elicere actum amoris Dei propter adimplendum præceptum,de dilectione Dei, elicio de facto dilectionem.Si verum sit dicere,secluso imperio respiciente adimpletionem legis, existeret actus amoris,non extiturus si simul remoueretur imperiũ respiciens propriam iustificationem,certum est hoc imperium iustificationem respiciens influere adæquatè in actũ amoris;rursus si verum sit,si deficeret quilibet horum actuum imperantium,dummodò permaneret alter, esset actus imperatus,non futurus si vterque deficeret, tunc dicetur vtrũque imperium adæquatè influere in imperatum, tandem si ex defectu cuiuslibet actus imperantis,etiamsi alter permaneret,non esset futurus actus imperatus, qui est modò ; tunc nullum imperium adæquatè influeret in imperatum,sed ab vtroque adæquatè actus imperatus adæquatè dependeret, & à quolibet inadæquatè. Quando actus imperans vnicus est,facilius cognoscitur influxus,si enim verum sit dicere,si imperans non esset,non esset actus imperatus , in imperatum influit;si autem verè dicatur , etiamsi non esset actus imperans hic & nunc esset imperatus , imperans in imperatum non influit.

17 Ex his deducit Ripalda processionem quasi passiuam actus imperati , dicere in recto ipsum actum imperatum, & in obliquo actum imperantem , & veritatem conditionatam suprà explicatam. Eodem modo explicat Ripalda influxum cognitionis, & affectus , seu motus præuenientis libertatem in actum liberum.Sed notat doctrina suprà traditâ tantùm explicari influxum actualem actus voluntatis à cogitatione,& affectu non per se,& essentialiter requisitis ad elicientiam actus,quia in his quæ per se requiruntur semper necessaria veritas conditionata , si talis affectus, seu talis cogitatio non existunt , non daretur actus voluntatis Vnde ex hac veritate non possumus deducere influxũ in actum,sed totus in his desumendus ex ipsa entitate necessaria ad actum , & ex veritate conditionata , quâ verum est voluntatem his positis esse consensuram : neque inspicienda est alia veritas,videlicet,si hæc non poneretur non esset consensus , quia hæc necessaria & communis cogitationi , & actui influxuro , & non influxuro.

Quare, ait Ripalda, nostræ Societatis schola desumens efficaciam cognitionis ex defectu conditionatè futuro, intelligenda est de cogitatione per se necessariò requisitâ ad actum. Vltimò concludit influxum actualem actus necessarij, seu liberi imperij voluntatis, & cogitationum in actu, ad quem necessariò non requiruntur, dicere veritates conditionatas suprà explicatas; influxum verò cogitationis seu actus voluntatis in actum qui non potest fieri sine illis, tantùm dicere simultatem eorum, quæ per se requiruntur ad effectum cum entitate ipsius effectus. His fideliter opinionem retuli Ripaldæ desumptam ex sect. 3. vbi eam tradit ex doctrina tradita sect. 5. ad argumentorum solutionem.

18 Laudo Ripaldæ opinionem, quam ingeniosè excogitauit & acutè explicuit Auctor, illi tamen non acquiesco, quia verbis pulchra omnino, re vacua est: rationem huius Auctoris soluam & postea illum propriis impugnabo.

19 Probat sententiam sic explicatam, quia nullus alius superest modus quo explicetur influxus imperantis ab imperato. Infirmus argumentandi modus, qui in defectum aliùs bonæ sententiæ vult suam principem constituere. Respondeo alium mihi superesse modum, quem postea dabo, & si mihi neque alicui aliquis superesset, responderem dato antecedenti negando consequentiam, & affirmarem verum modum, quo influunt actus imperantes in imperatos, omnibus fuisse ignotum, non enim ex eo quod veram rationem alicuius rei non inueniremus, sinistram aliam admittere debemus. Addit nos non posse apprehendere voluntatem exerceri per actum imperatum, influente in illum actu imperante per conditionatum euentum, quin apprehendamus actum conditionatum respicere extrinsecè finem operantis, ex quo infert rectè ab illo explicari imperium voluntatis per conditionatum euentum. Respondeo non posse apprehendi actum imperantem influere in imperatum, quin imperatus respiciat extrinsecè finem imperantis, siue imperans influat in imperatum per euentum conditionatum, siue quocumque alio modo, non tamen rectè apprehendi actum imperantem influere in imperatum, medio conditionato euentu, ac proinde non apprehendi imperantem medio euentu conditionato respicere adhuc extrinsecè finem imperantis.

20 Tertiò probat suam conclusionem ex communi hominum apprehensione. Eo enim ipso, quod apprehendamus affectum alicuius finis totaliter mouere voluntatem, ita vt eâ motione positâ, voluntas operetur actum, non operatura motione deficiente, iudicamus voluntatem inductam fuisse ad operandum ex vi talis motionis, & donec ista perpendamus, non iudicamus voluntatem fuisse inductam ex tali motione. Præterea hac ratione iudicamus an consilium Petri fuerit efficax erga Ioannem: si enim illo posito videmus poni effectum, quem iudicamus non fuisse ponêdum, si abesset consilium, rectè effectus consilio tribuitur: quod si videmus Petrum & Ioannem eandem rem cõsulere Antonio, & cogno camus deficiente consilio Petri illam rem esse futuram permanente Ioannis consilio, dicimus consilium Petri efficax non fuisse, & effectum reverà à consilio Ioannis dimanasse: erge rectè ex his conditionatis euentibus arguimus influxum actus imperantis in imperatum.

21 Respondeo communem hominum apprehensionem rectâ Doctorum ratione debere corrigi vel approbari, qui tenentur rationem reddere illarum rerum, quas imperitum vulgus sine examine probat, quod in hac materia inquirimus, & ex hominum apprehensione desumi non potest. Aliud enim est, quotiescumque est talis euentus conditionatus est influxus; aliud influxum constitui per ipsum euentum conditionatum: primum enim etsi falsum, non omnino fundamento saltem apparenti destitutum est; secundum valde à ratione alienum, vt probabo: vltimò nego ex euentu conditionato posse sumi certam regulam ad influxum actus imperantis in imperatum cognoscendum, licèt enim hæc sit bona consequentia: Posito actu imperante datur actus, qui non daretur illo deficiente: ergo actus imperans influit in imperatum: Hæc tamen non est bona: Posito actu imperante datur actus, qui daretur etiamsi non esset actus imperans; ergo hic non influit in illum. Rationem hanc latiùs contra hanc opinionem postea expendam.

§. V.

Fortiùs exploditur eadem sententia.

COntra hunc influxum actuum imperantium in imperatos per euentum conditionatum sic arguo. Procedere modò actum, v.g. abstinentiæ ex imperio pœnitentiæ est aliquid modò absolutè existens: ergo non potest cõsistere in euentu, qui non existit, sed qui existeret posita conditione; quæ numquam purificabitur, neque iam purificari potest, est enim euentus, ex quo sumitur influxus imperantis in imperatum, qui modò elicitur, negotio imperati, qui nunc esset si non daretur imperans, & imperatus, numquam purificabitur conditio, quæ ex suppositione existentis imperantis implicat purificari, neque erit talis euentus ex defectu conditionis, & ex eo quod iam supponitur existentia actus imperati, quâ posità repugnat consequenter illius negatio. Antecedens est certum, quia actus imperatus de facto hîc & nunc ab imperante procedit. Consequentia videtur necessaria; id enim quod existit, non potest identificari cum euentu, qui non existit, neque existet; sed tantùm existeret. Vrgeo eamdem rationẽ: euentus ille absolutè non existit, & verè de illo dicitur, nunc absolutè non est; de influxu autem verè dicitur nunc est: ergo euentus & influxus distinguuntur: de eadem enim re dici non potest absolutè existere, & absolutè non existere. Rursus arguo, Influxus vel consistit in toto illo complexo, *si non esset actus imperans, non esset imperatus*, ita vt identificetur cum conditione, & euentu sub ipsa futuro, vel tantùm cum euentu: neutrum dici potest: ergo non potest in tali conditionato influxus consistere. Minorem probo, conditio est negatio imperantis, & conditionatus euentus est negatio imperati: sed negatio imperantis non potest neque inadæquatè identificari cum influxu eiusdem imperantis, quia talis influxus essentialiter dicit imperantem actum; ergo essentialiter excludit illius negationem: ergo neque inadæquatè potest cum tlla identificari: neque negatio imperati aliquo modo potest in ipsum actum imperatum influere, quia influxus in imperatum dicit essentialiter ipsum actum imperatum excludentem negationem sui. 22

Dices influxum in actum imperatum connotare existentiam absolutâ actus imperati, quæ non opponitur cum negatione conditionata eiusdem: Contrà negatio absoluta, & conditionata est eadem in diuerso statu seu diuerso modo cognita, & semper negatio dicit non esse eiusdem rei. Fateor tamen non opponi existentiam absolutam cum negatione conditionata, ita vt non possit esse existentia absoluta, & negatio conditionata, hoc tamen non prouenit ex eo quod non opponatur existentia cum illa negatione, quę dicitur conditionata, sed ex eo, quod purè conditionatum non est, sed esset; quod autem non est non opponitur, neque aliud destruit. Sed damus non opponi: nihilominus, quis dicet negationem actus in quocumque statu siue absoluto, siue conditionato consideratam influere in ipsum actum & eandem entitatem dependere à non esse sui? hoc sanè lumine naturæ plusquam falsum apparet, totique Philosophiæ, & hominum apprehensioni repugnans.

Mitius posset agi cum hac opinione, si diceret influxũ non esse ipsum euentum conditionatè futurum, sed explicari per illum, & ex ipso inferri. Contra hunc dicendi modum, quo non semel vidi recentiores intendere huic difficultati satisfacere, sic obiiciendum. Influxus ille non cõsistit in euentu conditionato, sed infertur ex illo: ergo est aliquid distinctum ab euentu conditionato; dicant huius sententiæ Auctores, quidnam sit illud. Respondent rem ampliùs non posse declarari. Credo in hac sententia rem vltrà explicari non potuisse, nego tamen illam non posse magis explicari. Tandem reiiciẽdus est hic modus cognoscendi influxum actus imperantis in imperatum, quia adhuc non potest deseruire euentus conditionatus ad hunc influxum inferendum vt suprà tetigi & iam expendo, argumento contra prædictam sententiam valde efficaci. 24

Potest homo præueniri cogitatione sufficienti & efficaci ad eliciendum liberè actum independenter à quocumq; imperio, potest simul præuenire cũ imperio comitante cogitationem, & actũ elicere, allectus cogitatione efficaci & imperio, vel tantùm elicere actũ determinatus à cogitatione, & non ab imperio, quod in principis huius Auctoris nequit negari, ex eo enim quod principia distincta ab imperio essent effectum habitura independenter ab illo, non 25

impeditur

impeditur influxus imperij; fatetur enim num. 56. posse eũdem actum adæquatè prouenire à duplici cogitatione; neque in alio extremo potest esse difficultas, quia imperium ex se nullam habet connexionem cum actu, & potest cum illo coniungi, vt sæpe admisit hic auctor, & non influere in illum: tamen in vtroque casu idem esset euentus conditionatus & diuersus influxus; ergo ex euentu conditionato non semper rectè arguitur influxus. In vtroque casu eundem fore euentum conditionatum probo: casu quo actus imperans nõ influeret in imperatum, deficiente imperante permaneret actus imperatus, dummodo permaneret cognitio; casu autem quo influeret, etiamsi auferretur idem actus imperans, dummodo permaneret cognitio, eodem modo permaneret actus imperatus, quia vt dicebam talis actus adæquatè dependebat à cognitione; si verò cognitio tollatur, in quocumque casu, siue actus imperans influat, siue non influat, actus imperatus non permanebit, quia dependet essentialiter à cognitione: ergo quando actus imperatus, qui sine imperio potuit fieri, dependet adæquatè à cognitione, eadem est veritas conditionata, siue imperans influat, siue non influat, ergo diuersitas influẽdi non potest sumi ex diuersitate veritatis conditionatæ, siquidem cum eadem veritate conditionata potest actus imperans influere & non influere.

26 Responderet aliquis casu, quo actus imperans non influeret in imperatum, ablato imperio, permansurum actum cum eadem dependentia, quam antea habebat. Casu verò quo imperans influeret, non permansurum cum eadem dependentia ab imperante, quam habebat, dum erat actus imperans, sed solùm cum dependentia à cogitatione. Annuo: sed inquiro quid sit actum habere existente imperante dependentiam, quã caret, illo imperante deficiente? quid, habere diuersam dependentiam quando existit imperans. & quando non existit, hoc est, quid sit existente solã cogitatione actum existere ex vi solius cogitationis, & existente cogitatione, & imperio aliquando existere actum ex vi cogitationis, & imperij, & aliquando solùm ex vi cogitationis? Certè non est euentus conditionatus, quia in his casibus semper est idem conditionatus euentus.

27 Vrgeo eandem rationem: Suppono posito actu imperante simul cum cogitatione ex se sufficiente mouere ad actum, & posito actu imperato prouenire inadæquatè hunc actum ab illo imperio, & illã cogitatione; quã suppositione factã, videtur non adeò premi Ripaldam argumento suprà facto, neque ex hac suppositione, aliquod deducitur inconueniens, sic enim rem necessariò semper contingere postea probabo, & per se contingere nullus negat: in hoc casu, si auferretur actus imperans, posset voluntas ab actu imperato cessare, quia ille dependebat à duplici causa inadæquata, & vnã ablatã, etsi alia potens esset adæquatè illum producere, cùm sit libera, potest talem actum non elicere. Deinde posset tali imperio ablato permanere idem actus qui antea imperabatur, & cogitatio, quæ in illum inadæquatè influebat, incipere adæquatè in illum influere, quia cùm sufficiens sit ilum elicere, & voluntas maneret, illo imperio ablato, libera ad actum eliciendum, illum posset elicere eodem modo ac elicit plures actus sine aliquo imperio, quos eliceret ex vi imperij, si hoc haberet ad illos: ergo cum eodem influxu potest esse diuersa veritas conditionata, & hæc est mala consequentia: ablato imperio permanet actus: ergo actus non dependebat ab imperio, quia actus qui antea dependebat ab imperio, potest modò permanere cum dependentia à cogitatione. Nec valet responderi influxum imperij expectandum esse, non solùm ex eo, quod illo ablato, & nullo alio substituente vices illius, non permaneat actus, quia in hoc casu id, quod potest fingi substitutum imperij est cogitatio, & hac deficiente necessario deficit actus, qui essentialiter ab illa dependet, siue sit, vel non sit, influat vel non influat, simul cum illa actus imperandi, qui sine illa numquam poterit influere: ergo ex hoc euentu conditionato, *si deest cogitatio ad actum non erit actus.* Nihil potest inferri de influxu actus imperantis, quia hic euentus est necessarius & generalis in quocumque casu.

28 Vires resumit ratio ex ipso exemplo, quod adducit Ripalda ad suam doctrinã confirmandam. Sæpe quis precibus amici præuentus, propriaque ratione motus rem facit, quam etiamsi preces non extitissent solùm propria ratione ductus faceret; sæpe id facit precibus rogatus, quod à se numquam faceret, in vtroque casu preces influunt, & in vno est verum dicere, *si preces non extitissent adhuc fieret res*, ergo influxus precum non sumendus est ex his conditionatis euentibus, neque valet: *hoc fieret si preces non extitissent, ergo preces non influunt*, licet bene inferatur, *si preces non extitissent, res non fieret: ergo preces in rem influunt*: ergo eodem modo de imperio philosophandum est.

§. VI.

Propria sententia explicatur.

PLacet asserere influxum actus imperantis in imperatum situm esse in coexientia actus imperantis potentis in actu primo influere in imperatum, & actus imperati potentis in actu primo ab imperato dependere, & in negatione alicuius dependentiæ imperantis ab imperato, ex vi cuius illius influxus possit impediri. Rem tenet: Affero actum, quo ego dico volo elicere actum charitatis perfectæ erga Deum propter meam iustificationem consequendam, influere in actum amoris Dei, nihil aliud esse, quàm esse simul in voluntate actum amoris Dei directum, & actum reflexum imperantem ipsum amorem potentem in illum influere, ita vt eo ipso quod actus imperans potens influere imperatum coniungatur cum imperato necessariò sit prior illo, & in illum influat, ita vt suppositâ tali coexistentia aliter de potentia Dei absoluta contingere non possit. Dixi influxum consistere in coexistentia actus imperati cum actu imperante potente influere, neque vanè addidi particulam illam *potente influere*, non enim omnis actus reflexus, quo quis dicit, volo elicere actum misericordiæ, v.g. potest in ipsum actum directum influere: ad hoc enim vt actus reflexus possit influere in directum, requiritur vt nullo modo dependeat ab illo, quapropter si reflexus fuisset infusus ex præuisione directi in illum non posset influere, deinde vt actus imperans ex se non efficax possit influere in imperatum requiritur, vt potentia non solùm sit potens sed etiam libera ad talem imperatum, ac proinde actus imperãs inefficaciter seu non efficaciter ex natura sua in consortio prædeterminationis vel cuiuscumque imperij efficacis libertatem lædentis influere non poterit, quod non habet imperium ex se efficax, quod etiam in consortio physicæ prædeterminationis influet in actum imperatum, quæ omnia sigillatim probabo. De actu imperante efficaci facilè intelligitur conclusio tradita, cùm enim semper actum efficacem imperantem actus sequatur imperatus, nihil prohibet in coexistentia vtriusque influxum vnius in aliud constituere. 29

De aliis actibus imperantibus inefficaciter qui possunt esse sine actu imperato, non difficiliùs percipi potest mea sententia, quia licet actus imperans possit esse sine imperato, & in illum non influere, & actus imperatus sine imperato, & ab illo non dependere, non ex eo probatur posse actum imperantem & imperatum simul coexistere, sine dependentia imperantis ab imperato, quin imperans in imperatum influat. 30

Conclusionem traditam probo. Posità hac coexistentia actus imperantis independentis ab imperato, quolibet alio secluso superaddito rectè intelligitur, vnum actum ab alio dependere; ergo nihil aliud est necessarium ad hanc dependentiam, seu hunc influxum imperantis in imperatũ constituendum. Antecedens probatur: de ratione influxus non est entitas superaddita inter principium influens, & effectum, in quem principium influit; ergo ex hoc capite non requiritur entitas distincta ab imperato, & imperante, vt hic influat in alium. Deinde positis his duobus actibus rectè intelligitur in actu imperante aliquid propter quod constituatur per coexistentiam cum alio influens in illum, quod non sit in alio actu, videlicet esse actum reflexum respicientem alium tanquam obiectum, quod non reperitur in actu imperato, & aliquid reperitur in hoc, propter quod constituatur imperatus per coexistentiam cum imperante, videlicet esse actum directè respicientem suum obiectum, & non actum illum, à quo imperatur cuius tantùm est obiectum: ergo positis his duobus actibus nihil requiritur, vt in actu secundo reflexus dicatur imperans, & directus imperatus. 31

Requiri actum imperantem seu reflexum non dependere ab imperato vt sit prior illo, facilè probatur, quia quãtumvis imperans sit in actu primo prior imperato, si ex 32

aliquo capite per accidens sit illo posterior, quia Deus ex præuisione actus directi iam existentis ab aliis causis auxilia contulit ad actū imperantem, vel illum infudit, vel prædefiniuit, non poterit esse in actu secundo prior illo, quia non potest esse simul prior, & posterior. Idem in causis Physicis contingit, ignis *A*, virtutē habet ad producendum ignem *B*, si tamen ex aliquo capite sit posterior igne *B*, illum non poterit causare. Deinde imperium ex se non efficax requirere voluntatem indifferentem vt possit influere probatur. Influxus imperij inefficacis non est determinare voluntatem per se ipsum, sed inclinare volūtatem, vt ipsa se liberè determinet, ergo si voluntas non est potēs se determinare, non poterit illam inclinare vt se liberè determinet, neque aliquid influere. Quæ ratio est longè diuersa in imperio efficaci, cum enim illius influxus sit per se ipsum voluntatem determinare, & ad alteram partem contradictionis addicere, quantumuis illa sit determinata poterit illam iterum determinare, quia potest esse duplex prædeterminatio, & duplex impedimentum adæquatum ad eandem rem faciendam, vel non faciendam.

33 Ex his facilè distingues imperium tam actiuum, quàm passiuum in actu primo ab ipso imperio in actu secundo seu influxu. Imperium actiuum per modum actus primi est entitas actus reflexi respicientis tanquam obiectum actum directum voluntatis. Imperium passiuum in actu primo seu posse imperari est actus potens determinare alium actum reflexum tendentem in ipsum. Dixi imperium in actu primo esse entitatem actus reflexi, quia actus imperans necessariò debet esse reflexus respiciens actum alium voluntatis; actus verò imperatus potest esse reflexus, & directus, actus enim reflexus alium imperans potest imperari alio actu quasi super reflectente respiciente tanquam obiectum ipsum actum reflexum, sicut enim voluntas dicit, volo elicere actum amoris, potest dicere, volo elicere actum quo velim elicere actum amoris, & hoc modo semel & iterum reflectere, & super reflectere; vocaui tamen sæpe actum imperatum directum; vt illum distinguerem ab imperante reflectente supra illum.

34 Influxus seu imperium tam actiuum quàm passiuum, dicit coëxistentiam imperij actiui & passiui per modum actus primi, hoc est coëxistentiam vtriusque actus. Neque influxus actiuus & passiuus seu imperium actiuum & passiuum in actu secundo inter se distinguūtur realiter: quilibet enim dicit coëxistentiam eorumdem actuum: coëxistentia autem eorumdem actuum non potest esse diuersa, quia coëxistentia ab actibus non distinguitur; vnde si actus sunt iidē, & coëxistentia eadem erit. Poterunt tamen imperium actiuum & passiuum distingui, etsi non realiter, ex modo concipiendi, & dici imperium actiuum actus imperans in recto connotans actum imperatum in obliquo: & imperium passiuum in actu secundo, actus imperatus in recto connotans actum imperantem in obliquo, & hac ratione rectè distinguuntur influxus actiuus imperantis, & passiuus imperati. Hæc tamen distinctio, vt sæpè dixi, non est distinctio realis & physica, sed tantùm intentionalis ex modo cognoscendi, quia obiectum in recto & obliquo significatum tantùm dicit distinctionem ex parte cognitionis, non verò ex parte sui, realiter enim & à parte rei cognitione salua, non reperiuntur recta neque obliqua.

35 Ex his inferes cogitationem influere in actum, nihil aliud esse, quàm esse simul cum actu, in quem potest influere, vnde actus positiuus respiciens motiuum charitatis non potest non dependere à cogitatione proponente tale motiuum, quæ tali actu ex aliquo capite non est posterior. Rationem non incongruam conclusionis accipe. Cogitationem influere in actum, nihil aliud est quàm voluntatem ferri in obiectum illuminatam cogitatione illud proponente: sed eo ipso quod cogitatio proponat obiectum, voluntas est illuminata tali cogitatione, circa obiectum: ergo si fertur in illud, fertur illuminata cogitatione: ergo cogitatio influit in actum.

36 Dices, voluntatem illuminatam cogitatione circa tale obiectum, posse ferri in illud, non vt illuminatam dependenter ab illuminatione, quod est ferri ex vi cognitionis, sed independenter ab illuminatione, & non ex vi illuminationis. Contrà: ferri vt illuminatam, nihil aliud est quàm ipsam voluntatem, iam illuminatā ferri in obiectum, neque distingui potest ferri vt illuminatam & ferri iam illuminatam, neque voluntas, quæ illuminata fertur circa obiectum, potest non ferri vt illuminata, sicut ille qui sciens rem esse malam, illam operatur, non potest non operari ex scientia malitiæ, neque qui videt viam, quam peritus potest dici illam cæcè ambulare: nihil enim est operari ex scientia obiecti, quàm operari cum scientia illius, neque amare ex cognitione, quàm amare cum cognitione, alias posset quis habens cognitionem, qua liber constituitur ad peccandum: & non peccandum, dicere se non liberè peccare, quia etsi operetur peccatum cum cognitione, non illud ex cognitione operatur.

Hæc dixerim iuxta cōmunem opinionem, quæ non concedit influxum actiuum cognitioni respectu volitionis: si enim cognitio actiuè volitionem produceret, actio media qua dependeret, esset formalis ratio, propter quam constitueretur cognitio à volitione dependens. Hæc dicta sunt de actu positiuo, quæ postea applicabo actui negatiuo, seu omissioni liberæ, & ex doctrina tradita, illius dependentiam à cognitione explicabo Controu. 10. 37

§. VII.

Vberior probatio eiusdem sententiæ & argumentorum solutio.

PRima sit obiectio. Potest actus imperatus coniungi cum imperante, & non dependere ab illo: ergo dependentia non consistit in simultate vtriusque actus. Antecedens probatur: potest dari duplex imperium respectu eiusdem actus, v. g. actus, quo quis dicat, volo elicere actum misericordiæ erga Petrum propter præmium consequendum misericordiæ respondens, & alius actus quo dicat, volo elicere actum misericordiæ erga Petrum propter Deum amandum, & voluntas talem actum misericordiæ elicere mota imperio respiciente Deum vt amandum, & non ex imperio respiciente præmium consequendum, vel contra elicere ex imperio respiciente dictum præmium obtinendum, & non ex imperio respiciente Deum diligendum: vel talem actum elicere ex vtroque imperio adæquatè, & ex illorum quolibet inadæquatè: vel ex quocūque adæquatè, & in his diuersis influxibus, semper erit eadem coniunctio actus potentis imperari cum actibus potentibus imperare: ergo influxus imperantis in imperatum non consistit in simultate vtriusque actus. Hoc argumentum totam ferè difficultatem huius materiæ cōtinet, illud ad amussim tractabo. Procedere non potest difficultas, casu quo vnum imperium esset efficax, & aliud inefficax, quia tunc inefficax nihil influeret iuxta suprà dicta; locū habebit si vtrumque imperium efficax ponatur, vel vtrumque inefficax: dicam modò quid si vtrumque imperium inefficax sit: & dicam postea quid si vtrumque efficax ponatur. 38

Resp. positis duobus imperiis vtroque inefficaci circa eundem actum imperatum potentem procedere à quocūque illorum necessariò procedere adæquatè ab vtroque simul & inadæquatè à quolibet illorum, neque in modo influendi posse dari diuersitatem si non sit in coëxistentia actuū imperantium cum actu imperato. Ratio huius doctrinæ est illa, quam dedi conclusionis, quam defendo videlicet influxum consistere in simultate imperantis cum imperato, quapropter si plures actus imperantes actu imperato coëxistunt, plures in illum influere necesse est. 39

Instabis, positis duobus actibus imperantibus inefficacibus simul cum imperato, potest Deus cognoscere, quod si hic actus imperatus permaneret, & alter auferretur, subsisteret actus imperatus: & si ille permaneret, & hic auferretur, actus imperatus non subsisteret: ergo diuerso modo dependet actus imperatus ab hoc imperio, quàm ab illo. Probo consequentiam: quando positis duabus causis physicis, ita existit effectus, vt vna ablata, alia superstite idem remanet, effectus adæquatè dependet ab illa, quæ sine consortio alterius effectum sustineat, quando verò ablata vna causa, & permanente alia effectus non remanet, rectè infertur effectum non dependisse ab illa eodem modo ac dependebat ab ea, qua permanente sine consortio alterius effectus subsisteret: sed hoc potest contingere, positis duobus imperiis sufficientibus influere in actum imperatum: ergo diuerso modo effectus potest ab illis dependere. 40

Respondeo posse Deum cognoscere actum imperatum permansurum permanente hoc actu imperante sine illo, & non permansurum permanente illo actu imperante sine isto, ex quo infertur illos diuerso modo influxuros, casu quo seorsim alter sine altero poneretur, non tamen ex hoc probatur, de facto diuerso modo influere, cùm simul ponuntur 41

huntur in voluntate, in physicis enim plures causæ, quæ sine consortio aliarum nihil influerent in effectum, si cum aliis coniunguntur, inadæquatè influunt, & plures quæ adæquatè influerent, si aliæ concausæ ipsis non adjungerentur, inadæquatè influunt, si cum aliis coniunguntur. Exemplum causarum physicarum non pro te, sed in te militat: volo tamen explicare differentiam inter causas physicas, producentes mediâ actione, & morales per imperium tantùm influentes, vt clariùs solutio patefiat.

42 Quando duæ causæ physicè influunt in effectum quarum quælibet totum illum potest producere: verbi gratia, duo ignes in calorem vt quatuor, & vno igne semoto, & alio permanente permaneret effectus, videndum est, an effectus permaneat existens ex vi eiusdem causalitatis, quâ antea dependebat ab illo igne, vel ex alia: si permanet existens ex vi eiusdem causalitatis, certum est antea adæquatè influxisse sicuti modò influit, quod si effectus permanet existens ex vi aliûs causalitatis, dicendum est modò ignem adæquatè influere, & anteà influxisse. Alio modo philosophandum est quando semoto hoc igne & alio permanente, effectus non permanet, tunc enim licet inferre ignem superstitem non adæquatè influxisse in effectum, quia si adæquatè influxisset indepenter ab alio, illo ablato, eodem modo influeret; non tamen licet inferre non influxisse inadæquatè, quia forsan ita influebat, & modò non influit, quia id, quod præstare poterat alio igne adiûtus, non potest illius adiuuamine destitutus exercere.

43 Hæc in causis physicis; in his verò causis moralibus, in quibus nulla est media actio interiecta, non ita clarè potest res exponi; verumtamen proportionali modo locum habet doctrina de causis physicis suprà tradita. Dixi causalitatem componi ex actu primo imperante, & actu secundo, actu videlicet imperato; ex qua doctrina potest responderi actum imperatum, qui modò coëxistit duobus actibus imperantibus, casu quo permaneret, vno actu imperante permanente, & altero secluso non permansurum ex vi eiusdem causalitatis, sed ex vi aliûs, quia coëxistentia actus imperati cum imperio in actu primo non esset eadem, quia modò coexistit duobus actibus imperantibus, & tunc vni tantùm coëxistit, & coëxistentiâ variatâ, causalitatem eandem cum illa variari necesse est. Quando actus imperatus coëxistit duobus imperiis vt hoc deficiente, alij non coëxisteret, tunc tantùm licet inferri illum alium, cui soli non coëxisteret, de facto adæquatè non influere, vt dixi de causis physicis.

44 Ex dictis ad formam argumenti facilis est solutio. Actus imperatus coëxistens duobus imperijs, vni tantùm coëxistens adæquatè dependeret ab illo; distinguo antecedens; dependeret adæquatè per eandem causalitatem, per quam modò dependet, nego; per aliam, transeat; sed tunc dependeret adæquatè, distinguo minorem: per eandem causalitatem, per quam modò dependet, nego minorem; per aliam transeat: ergo modò pendet adæquatè, nego consequentiam. Ad aliud argumentum huic affine, vel ad aliam partem eiusdem argumenti, sic in forma responde: Actus imperatus coëxistens duobus actibus imperantibus non coëxisteret huic, si ille abesset, concedo antecedens: ergo modò non dependet ab hoc, distinguo consequens: ergo non dependet modò ab hoc adæquatè, concedo consequentiam: ergo non dependet inadæquatè, nego consequentiam. Si argumentum ita proponatur: Actus imperatus coëxistens modò duplici imperanti coëxisteret, & dependeret ab hoc si ille auferretur, & non coëxisteret illi si auferretur iste: ergo diuerso modo dependet modò ab hoc quàm ab illo: sic in forma respondebis. Actus imperatus coëxistentes duobus imperantibus coëxisteret huic, & ab illo dependeret illo deficiente, distinguo hanc partem: per eandem causalitatem, per quam modò dependet, nego hanc partem antecedentis: per diuersam, concedo; & non coëxisteret illi, neque ab illo dependeret isto deficiente, concedo hanc partem: ergo diuerso modo dependet modò, nego consequentiam; calidum enim vt quatuor modò dependens à calido vt sex & à calido vt duo, semoto calido, vt duo, dependeret à calido vt sex adæquatè, & semoto calido vt sex, nullo modo dependeret à calido vt duo, nihilominus de facto ab vtroque seorsim sumpto nunc inadæquatè, & eodem modo dependet.

45 Obiicies: Hic actus imperatus modò coëxistens actui imperato est adæquatè imperans: ergo etiamsi alius actus imperans huic adiungatur, permanebit adæquatè imperans. Probatur consequentia: causalitas imperantis in imperatum erat coëxistentia imperantis cum imperato: permanet eadem coëxistentia: ergo permanet eadem causalitas; ergo si antè actus imperans, cùm erat solus adæquatè imperabat, postea alij adiunctus adæquatè imperabit: Respondeo concesso primo antecedenti, negando consequentiam. Ad confirmationem respondeo cum distinctione primi antecedentis. Causalitas est coëxistentia imperantis cum imperato, distinguo; causalitas adæquata vel inadæquata, concedo antecedens; causalitas adæquata, subdistinguo: coëxistentia actus imperati cum omni imperanti cui coëxistit, concedo antecedens; cum aliquo imperanti cui coexistit simul cum alio, nego. Causalitas enim adæquata huius imperantis respectu imperati dicit existentiam imperantis cum negatione aliûs, vnde eo ipso quod tunc imperanti aliud adiungatur, etiamsi antea fuisset imperans adæquatè, constituitur inadæquatè imperans, quia adæquata causalitas dicit totum id, quod ex parte actus primi potest imperari.

46 Desiderabis rationem cur in consortio aliûs actus imperantis non possit vnus sufficiens imperare adæquatè, licèt ex se non efficax esset causa adæquata; ita vt si alius actus imperans causet effectum, id faciat per aliam adæquatam causalitatem, & de facto actus imperatus à duobus imperantibus adæquatè dependeat, ita vt vnus actus imperans sit tota causalitas se tenens ex parte actus primi, & alius imperans nihil influat de facto. Dignissimo dubio satisfaciam, & illius solutione totam doctrinam traditam confirmabo, illiúsque fundamenta profundè præiactâ clarè monstrabo. Attentè lege. Rebus omnino eodem modo se habentibus nullâ superadditâ, neque ablatâ entitate reali, neque modali, idem est influxus causæ in effectum: sed quotiescumque actus imperatus coëxistit duobus imperantibus, res eodem modo se habent: ergo idem est influxus imperantium in imperatum. Consequentia perfectum claudit syllogismum. Maior est per se nota: Minorem ostendo. Posito actu imperato coëxistenti duobus imperantibus, tantùm est in rerum natura entitas intrinseca actus imperati, & entitates imperantium, neque aliquid superadditum inuenies pertinens ad influxum imperantium, & imperatum: ergo res omnino sunt immutatæ: ergo influxus semper est idem. Ex hoc consequenti legitimè illato sic arguo. Posito actu imperato coëxistenti duobus imperantibus semper dependet eodem modo ab illis: ergo semper dependet à quolibet adæquatè, vel semper ab vno adæquatè, & nullo modo ab alio, vel semper à quolibet inadæquatè, & ab vtroque adæquatè. Sed non potest semper dependere à quolibet, neque ab altero adæquatè, ergo semper dependet à quolibet inadæquatè, & ab vtroque adæquatè. Minorem probo, reliqua per se patent. Posito actu imperato coëxistente duobus imperantibus potest Deus cognoscere, si non coëxisteret vterque, quod actus imperans ex vi vnius non esset actus imperatus, quia voluntas quæ duplici imperio mouetur potest vnico tantùm non moueri: ergo actus imperatus non semper procedit adæquatè ab altero imperante. Consequentia est legitima, quia actus adæquatè imperans effectum sortitur, alio imperio secluso: ergo quotiescumque res eodem modo se habent, nullus actus imperans in consortio alterius adæquatè imperat: ergo semper vterque simul adæquatè imperat. Meditator discursum factum, quem iustum, & vndique plenum esse iudico.

47 Reclamabis, posito actu imperato coëxistenti duobus imperantibus ex se non efficacibus res se habere eodem modo physicè non tamen moraliter. Facilè te fugientem apprehendâ. Res se habent eodem modo physicè: ergo, & moraliter. Probo consequentiam: moralitas resurgit ex entitate physicâ, sed nulla est noua entitas physica, ergo nulla est noua moralitas: ergo si res se habent eodem modo physicè, eodem modo se habebunt moraliter. Dices res se habere diuerso modo moraliter, quia voluntas mouetur ex hoc imperio & non ex illo. Aculeum non sentis. Quid est hoc quod est moueri ex hoc imperio, & non ex illo? Respondes esse fieri actum imperatum dependenter ab hoc imperio & non ab illo. Pedem non moues: quid datur in rerum natura propter quod voluntas moueatur ad actum imperatum potiùs ex hoc imperio, quàm ex illo, & propter quod actus imperatus dependeat

ab hoc imperio & non ab illo. Ad veritates conditionatas confugis, multùm retrocedis: has enim abundè impugnaui, certè nihil inuenies: fatere ergo nobiscum non posse non actum imperatum coëxistentem duobus imperiis ab vtroque simul adæquatè & à quolibet inadæquatè dependere.

48 Obiic. Actus ex se non efficax quando coniungitur cum actu imperato positâ negatione aliûs imperantis, non magis influit, ac quando simul coniungitur cum alio coimperante, & cum imperato: ergo si influit adæquatè quando est cum negatione aliûs coimperantis, influet eodem modo quando ille alius actus imperans adiungitur. Antecedens probatur: Quando est negatio aliûs imperantis, ipse influit per suam entitatem tantùm, & non per negationé alterius, & illius influxus non distinguitur ab ipso imperante & imperato, ad quem constituendum negatio non conducit: sed idem actus imperatus est quando cõiungitur illis alius actus imperans: ergo si antea ex hoc actu imperante & imperato constituebatur influxus adæquatus, postea eisdem permanentibus idem influxus constituetur.

49 Resp. eundem influxum præstare hunc actum imperantem respectu huius imperati, quando est cum negatione aliûs imperantis & quando est cum alio imperante, nihilominus quando est cum negatione aliûs imperantis dicitur influxus adæquatus; & quando est cum alio imperante dicitur influxus inadæquatus, sicut eadem aqua quando est vnica alteri dicitur aqua inadæquata, licet negatio non illam constituat in ratione aquæ.

50 Obiic. In physicis actio, quæ semel est adæquatus influxus non potest fieri ex consortio aliûs actionis influxus inadæquatus: ergo neque imperium, quod semel est adæquatus influxus, potest fieri influxus inadæquatus. Ratione deinde idem euincitur: influxus adæquatus est ille qui ex se sufficiens est independenter ab alio, vt ex vi illius effectus existentiam habeat; & influxus inadæquatus est ille vi cuius effectus existentiam habere nequit, alio non adiuuante: ergo influxus ex vi cuius, omni alio secluso, effectus semel existentiam habet, semper est influxus adæquatus, quia semper ex vi eiusdem illam habere potest.

51 Ad rationem respondeo, & simul disparitatem reddo inter influxum consistentem in actione, & influxum actus imperantis ex se non efficacis. Dico influxum physicum vel ex se necessariò connexum cum effectu prout distinctum ab illo esse illum, ex vi cuius esse potest effectus alio quocumque secluso; influxus verò actiuus actus imperantis, etiamsi sufficiens sit vt ex vi illius possit esse effectus, non ideo est adæquatus influxus, quia cùm possit coniungi cum negatione effectus, & ex vi illius non esse effectus, potest similiter non esse effectus adæquatè ex vi eiusdem; si enim sufficientia vt ex vi illius ponatur effectus non arguit de facto poni minus, arguet adæquatè poni ex vi eiusdem. Secundò cùm influens iste actus imperantis in imperatum necessarius non sit ad existentiam imperati, sed sine illo posset esse actus imperatus, quilibet influxus quãtumuis minimus sufficiens erit, vt adæquatè imperet existentiam, quæ sine imperio poterat esse, vnde non potest cognosci adęquatio vel inadęquatio influxus imperãtis in imperatum ex sufficientia, quam habeat, vt ex vi illius sit actus imperatus; consistit enim influxum esse adæquatum in eo quod est voluntatem de facto pro sua libertate moueri adæquatè ex vi illius, moueri autem liberè ex vi imperij nihil aliud est, quàm ipsam præuentam hoc vel his imperantibus moueri, & ex vi illorum adæquatè moueri dicitur, quibus de facto mouetur.

52 Hæc de duplici imperio inefficaci simul eundem actum imperatum imperantis; si verò vtrumque imperium sit ex se efficax, faciliùs soluitur quæstio, tunc enim affirmo ex vi vniuscuiusque adæquatè moueri, quia quocumque posito, altero secluso, necessariò existit actus imperatus, & cùm influxus actuum ex se efficaciter imperantium necessarius sit, vt posteà probabo, valet consequentia: quodlibet imperium efficax independenter ab alio valet efficaciter imperare: ergo quodlibet efficaciter imperat, quia causa necessariò influens semper influit totum id quod potest. Similiter si imperium efficax coniungatur cum physica prædeterminatione, actus erit adæquatè prædeterminatus ab imperio, & adæquatè à physica prædeterminatione, quia non repugnat actum esse necessarium ex duplici capite, & cùm tam physica prædeterminatio, quàm actus efficaciter imperans ex se necessitatem inducant, actus imperati illam semper inducent, & ex potentia ad actum valebit consequentia, quæ non valet in actibus imperantibus ex se non efficacibus, quia exercitium potentiæ illorum est dependens à libertate voluntatis potentis illam ad actum reducere vel non reducere.

Obiicies. Intentio efficax non determinat ad amorem medij seu ad electionem, quando medium supponitur existens: ergo imperium efficax non determinabit ad actum imperatum, quando iam actus imperans supponitur existens. Respondeo concedendo antecedens, & negãdo consequentiam; est enim longè dispar ratio, quia intentio efficax per se non determinat ad electionem immediatè, sed ad existentiam medij quam exigit, & mediatè, & quasi cõsequenter ad id, quod necessarium est ad talem existentiã medij, vnde si electio necessaria sit, determinabit ad illam: si verò electio necessaria non sit vt medium existat, de illa non curabit intentio, imperium verò ex se efficax immediatè determinat ad actum imperatum, & semper connectitur cum illo, sicut intentio connectitur cum medio, quod per se exigit. 53

Obiicies contra id, quod diximus posito imperio efficaci, seu physicâ prædeterminatione imperium inefficax nihil posse influere: Positâ physicâ prædeterminatione ad amorem, cognitio ex se ad illum liberè inclinans potest influere in actum amoris: ergo positâ eadem prædeterminatione imperium inefficax ex se liberè inclinans ad amorem poterit influere in illum. Respondeo disparem esse rationem, quia cogitatio inclinãs ad amorem simpliciter requiritur ad actum amoris, & sine illa physica prædeterminatio effectum sortiri nequit, secus sine imperio quod non requiritur ad amorem. Deinde cogitatio inclinans ad amorem ex se non inclinat liberè, non enim illius influxus libertatem supponit, neque constituit, imò potiùs cogitatio inclinãs ad amorem ex se necessitatem induceret, si alia retrahens, illam non coëxerceret, ablatâ enim cogitatione retrahente ex vi illius cogitationis amor absq; vlla indifferentia necessariò procedet à voluntate, imperiũ verò inefficax ex se supponit libertatẽ, est enim illius propriũ munus voluntatẽ allicere, vt ipsa se liberè determinet. 54

Obiic. Actus imperans, quando est sine alio imperante influit adæquatè in imperatum: ergo eodem modo influet in consortio alterius imperantis. Probo consequentiam: Actus imperans non influit per negationem alterius, sed per suammet entitatem, & coexistentiam imperati: ergo non maiorem exhibet influxum, quando est cum negatione alterius imperantis, ac quando est cum alio imperante: ergo si quando est cum negatione exhibet influxum adæquatum, eundem adæquatum influxum exhibebit, quando est cum alio imperante. Vrgeo & confirmo argumentum: Influxus in mea sententia, nihil aliud est quàm entitas imperantis, & imperati: sed eadem entitas seu eadem coëxistentia est huius imperantis cum imperato altero imperante, existente vel non existente; ergo idem est influxus huius imperantis cum imperato, altero imperante existente, vel non existente; ergo si altero non existente hic actus imperans influit adæquatè, etiam altero existente adæquatè influet. 55

Respondeo actum imperantẽ non influere per negationem alterius, sed præcisè per suam entitatem coexistentem actui imperato, & similiter concedo quod rectè infert argumentum, eundem esse influxum huius imperantis cum imperato, altero imperante existente vel non existente; nego tamen vltimam consequentiam in qua infertur influxum fore adæquatum altero imperante existente, ex eo quod idemmet esset adæquatus altero non existente; aliud enim est influxum esse eundem, aliud verò esse eodem modo adæquatum, quia idemmet influxus cum negatione alterius adæquatus dicitur & in consortio illius dicitur inadæquatus, sicut eademmet aqua cum negatione vnionis ad aliam aquam dicitur aqua adæquata, & totum adæquatum, & eademmet inadæquata dicitur, si illi superueniat vnio alterius aquæ. 56

Instabis influxus imperantis qui est in consortio aliûs imperantis est idemmet ac erat antea: ergo ex se sufficiens est vt sit influxus adæquatus: ergo altero influxu superueniente eamdem adæquationem retinebit. Probo consequentiam, Actio ex se sufficiens, vt sit influxus adæquatus, influxus adęquatus remanet, etiamsi illi coniungatur altera actio terminata ad eundem effectum: ergo si etiam huic influxui imperantis sufficienti ex se ponere effectũ scilicet 57

actum

actum imperatum, alius influxus adiungatur : influxus adæquatus permanebit, influxus enim, qui semel estadæquatus, non potest non semper esse adæquatus altero adueniente, vel non adueniente.

58 Respondeo influxum huius imperantis semper esse eundem alio adueniente, vel non adueniente, & cum negatione alterius influxum adæquatum dici, non tamen esse sufficientem dici adæquatum in consortio alterius influxus propter rationem dictam. Ad exemplum ex actione seu influxu physico petito. Respondeo disparem esse rationem, quia influxus physicus provt distinctus ab effectu habet necessariam connexionem cum illo & influit secũdùm totum id quod potest independenter à libertate effectus, influxus verò moralis in actum liberum, qualis est imperantis in imperatum, effectu secluso nullam connexionem habet cum illo & quidquid effectum producit potest coniungi cum negatione illius. Vnde non infertur, hic imperans sufficiens est vt sit influxus adæquatus, ergo de facto influit, quia posito imperante potest imperatus non esse. Vnde minus inferetur, ex se est sufficiens : ergo adæquatè influit, habet enim totum suum influxum dependentem à libertate actus imperantis. Vnde ex sufficientia ad influendum, seu ex sufficientia vt sit influxus non potest inferri talem esse de facto, sed talis dicetur, quando voluntas de facto imperante existente eliciet imperatum, & ex vi illius imperantis dicetur imperatus existere, cum quo voluntas fuerit præuenta, quando talem elicit imperatum. Vnde si tantùm vnicum imperantem habuerit, quamtumuis remissus ille sit, erit adæquatus respectu imperati, cùm enim ad existentiam huius nullus actus imperans requiratur, quilibet est sufficiens, vt sit imperatus, si verò plures imperantes imperato coëxistant, ex omnibus fiet vnicus influxus adæquatus imperantium in imperatum, non enim influxus adæquatus dicitur respectu imperantis qui sufficiens est ponere effectum, sed totus ille ex vi cuius effectus ponitur propter differentias assignatas inter influxum physicum & moralem in actum liberum : Erit tamen eadẽ ratio in influxu morali inferente necessariò effectum, quia influxus necessariò connexus cum effectu, siue physicus, siue moralis distinctus, vel indistinctus ab actu primo semper influit secundùm totum id quod potest. Vnde rectè infertur ; hic influxus est sufficiens ex se adæquatè ponere effectum : ergo ponit : & ob hanc rationem dixi positis duobus imperantibus efficacibus ex se quemlibet adæquatè influere in imperatum permansurum ex vi cuiuscumque altero secluso.

59 Obiicies. Potest esse imperium in voluntate quo dicat, exerce actum misericordiæ cum Petro, vt à te illius miseria subleuata possit Petrus Matriti commodè viuere, & alius actus imperij, quo dicat voluntas, exerce actum misericordiæ cum Petro, vt à te illius miseria subleuata possit Romã petere beneficij obtinendi causa : qui duo actus fines incompossibiles respiciunt; videlicet Matriti permanere, & Romam petere: ergo si actus imperatus dependeret ab vtroque fieret propter fines incompossibiles : sed nullus actus potest fieri propter fines incompossibiles: ergo actus misericordiæ non potest ex his duobus imperiis procedere. Huic argumento respondet Ripalda disp. 67. citata n. 20. eundem actum rectè posse fieri propter duos fines extrinsecos inefficaciter intentos, si enim non repugnat intendi vterque finis oppositus, cur repugnabit ex illis effectus procedere, qui non per se immediatè & intrinsecè fines respicit, sed mediis actibus à quibus procedit. Actus enim misericordiæ ex quocumque motiuo fiat semper respicit tantùm intrinsecè motiuum misericordiæ, & extrinsecè medio actu imperante, motiuum quod respicit intrinsecè idem actus imperans.

60 Obiic. Actus imperatus coëxistens duplici imperanti ab vtroque procedit: ergo si coëxistat actui imperanti honesto, & actui turpi ab vtroque procedit: ergo ab vno imperio trahet bonitatem, & malitiam ab alio. Respondeo eandem esse difficultatem de actione externa imperata à duplici actu voluntatis altero turpi, & honesto alio, cui respondeo, non fore bonam & malam à principiis, à quibus tantùm traheret malitiam, quia etiamsi ab vno imperio posset trahere bonitatem, illam de facto non trahit, quia vitiatur ratione alius comprincipij, bonũ enim debet esse ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu, vnde effectus procedens à quodam actu honesto, & ab alio malo, malus & non bonus euadit ratione principij.

Hæc dixi ex suppositione, quod actus imperans malitiam & bonitatẽ deriuet in alium actum voluntatis per se liberum, quod multi negant; legatur Vasquez 1. 2. disp. 51. Suar. 1. 2. lib. de voluntario & inuoluntario disput. 8. sect. 1. Ripalda disp. 65. apud quos plures citatos reperies disputantes de hanc materia, cui ego supersedeo, quia non Philosophica est, sed Theologa. Neque definio an actus moraliter malus possit imperare actum charitatis, de quo prædicti Auctores locis citatis, vnum tãtùm affirmo, quẽlibet actum ex se potentẽ alium imperare, de facto suũ exercere imperiũ per coëxistẽtiam cum illo, modo supra explicato. 61

Hæc omnia proportionali modo locum habent in influxu cognitionis respectu actus voluntatis, est enim quæstio an cognitio naturalis possit determinare voluntatem ad actum supernaturalem, cuius pars affirmans, vel negans ad resolutionem huius quæstionis nihil conducit, in qua tantùm definio omnem cognitionem potentem determinare ad actum volũtatis, ad illum de facto determinare per coëxistentiam ipsius cognitionis, & actus, ad quem potest determinare, & plures cognitiones eidem actui voluntatis coëxistentes, quæ possunt ad illum determinare per modum vnius, omnes adæquatè, & illarum quamlibet inadæquatè, iuxta dicta de actibus imperantibus respectu actus imperati. 62

Obiic. Potest voluntas amare bonitatem alicuius obiecti ex vi vnius cognitionis, & postea illi aduenire alia cognitio eiusdem bonitatis posterior amore ad quem posset determinare cui coëxistit, & non illum determinauit; ergo coëxistentia non est necessariò determinatio. Respondeo talem cognitionem superueniẽtem posse esse posteriorem tempore, vel naturâ. Si sit posterior tempore, illa cognitio non determinauit ad productionem amoris, quia in instanti in quo amor fuit productus illi non coëxistebat, determinabit tamen ad conseruationem illius in instanti, in quo coëxistet tali amori. Si sit posterior natura, dum hanc habeat posterioritatem non determinabit ad actum amoris, quia iam dixi influxũ actus imperantis in imperatum, & cognitionis in actũ volũtatis, dicere negationẽ dependẽtię actus imperãtis ab imperato & cognitionis à volitione. 63

Obicies: Potest voluntas habere actum efficacem quo dicat nolo elicere actum charitatis imperatũ ab actu pœnitentiæ, seu, quod idem est, nolo elicere actum charitatis dependentem extrinsecè ex motiuo pœnitentiæ, seu extrinsecè respicientẽ motiuum pœnitentiæ. Sed cum hoc actu non stat, actum charitatis ab eadem voluntate esse imperatum ab actu pœnitentiæ, seu dependere ex motiuo pœnitentiæ, illudve extrinsecè respiciens: ergo stante hoc actu, etiam si coëxistant actus pœnitentiæ potens imperare actum charitatis, & charitatis potens imperari ab illo in actu secundo actus pœnitentiæ non imperabit actum charitatis, neque hic ab illo dependebit illius motiuum extrinsecè respiciens, neque à tali motiuo dependebit. 64

Possem totum, quod argumentum intendit admittere, & adhuc mea conclusio integra permaneret. Si enim actus ille, quo voluntas diceret nolo elicere actũ charitatis dependenter ab actu pœnitentiæ, seu ab illo imperatum impedimentum esset, quo minus actus charitatis posset imperari ab actu pœnitentiæ, iam non daretur actus pœnitentiæ in actu primo potens imperare, seu expeditum ad imperandum, & actus charitatis potens imperari, ac proinde non esset contra meam conclusionem asserere illorũ coëxistentiã nonesse influxũ imperantis in imperatum, hanc enim non ego constituo in quacumq; coëxistentia, sed in coëxistentia actuũ, quomodocumq; existentium, sed in coëxistentia actus imperantis proximè expediti, & in actu primo constituti omni impedimento seclusо ad imperandum, & actus eadem ratione potentis imperari. 65

Aliter respondeo; actum illum, quo voluntas dicat nolo elicere actum charitatis depen dentem ab imperio pœnitentiæ posse esse efficacem ad impediendam hanc dependentiam, si efficax sit ad impediendum alterum ex duobus actibus nempe actum pœnitentiæ imperantem, vel actum charitatis imperandum, nam altero destructo destruitur coëxistentia vtriusque, in qua imperium consistit. Si vero hãc efficaciam non habeat, sed admittat secum actum pœnitentiæ imperantem actum charitatis, & ipsum actum charitatis inter se coëxistentes non posse esse efficacẽ ad impediẽdam dependentiam vnius ab altero, sed quantumuis ardenter voluntas dependentiam hanc impedire intendat, talis intentio efficax in affectu permanebit, non tamen efficax 66

efficax in effectu. Ratio est facilis, volũtas libera est ad eliciendum hunc actum, vel non eliciendum, non tamen libera est ad eliciendũ hunc actum dependentem ab his solum principiis, & non ab aliis, quæ de facto habet, sed eo ipso, quod illum libere eliciat actus necessario dependet ab omnibus principiis potentibus influere in actum, quibus de facto voluntas est præuenta. Nec quando voluntas habet principia naturalia ex se sufficientia ad producendũ actum naturalem circa hoc formale obiectum, & supernaturalia, quibus potest tendere actu supernaturali circa idẽ obiectum formale liberum est voluntati producere actum naturalem ex principiis purè naturalibus circa illud obiectum, & non supernaturalem circa idem obiectũ ex principiis supernaturalibus, sed tantum illi liberum est tendere in tale obiectum, in quod si liberè tendat necessario tendet ex vi omnium principiorum, à quibus tendentia in tale obiectum potest procedere, ac proinde ex vi tendentiæ supernaturalis ita talis tendentia supernaturalis euadet. Exemplum esto. Voluntas potest sine habitu charitatis elicere actum naturalem dilectionis Dei, si habitu charitatis præueniatur non poterit independenter ab illo dilectionem elicere, sed si eam eliciat, ab habitu charitatis dilectio procedet, & ita erit supernaturalis. Eadem ratione voluntas poterit elicere actum charitatis sine imperio, si tamen imperium habeat non poterit illum elicere non dependens ab imperio, etsi absolutè possit illum omittere.

67 Instant RR. liberum est voluntati dilectionem elicere, vel non elicere ex motiuo extrinseco pœnitentiæ: ergo liberum erit voluntati illam elicere, vel non elicere dependentem ab imperio pœnitentiæ. Resp. eatenus forè liberũ elicere, vel non elicere actum charitatis ex motiuo extrinseco pœnitentiæ quatenus illi erit liberum habere imperium charitatis respiciens motiuum pœnitentiæ, hoc tamen supposito illi non esse liberum, vt in actum charitatis, quem liberè, vel necessariò elicit deriuetur motiuum extrinsecum pœnitentiæ: motiua enim extrinseca tantùm sunt libera quatenus liber est actus respiciens motiuum extrinsecum respectu illius, quod respectu alius actus extrinsecè efficiendus est motiuo intrinseco alterius, supposito verò actu, ex quo motiuum extrinsece in alium deriuandum, est, & actu, in quem tale motiuum est extrinsece deriuandum, quod deriuetur, vel non deriuetur non cadit sub obiectum liberum voluntatis.

68 RR. quidam, qui hanc meam sententiam impugnandam suscepere nihil in Philosophia inuenientes, quo id possent præstare ad Theologiam recurrêre arguentes sic: sequeretur ex eo quod influxus actus imperantis consisteret in coexistentia vtriusque actus peccare hominem, qui cum haberet motum inefficacem voluntatis indeliberatum circa pollutionem, vel deliberatum licitum ex affectu sanitatis, & cognosceret equitationem posse conducere ad pollutionem, & equitationem tunc intenderet ex motiuo honesto tunc peccare, quia tunc volitio equitandi respiceret tanquam motiuum extrinsecum pollutionem, & ita esset propter pollutionem, elicere verò actionem externam propter pollutionem habendam seu ex motiuo intrinseco pollutionis intrinsecè illicitum, est peccatum.

69 Ne philosophici termini Theologicis impediantur in primis respondeo; obiectionem hanc omnino alienam esse à materia quam disputamus, nam argumentum non procedit de actu imperante reflexo, qui debet respicere tanquam obiectum materiale alium actum voluntatis imperatum, affectus enim pollutionis, & volitio equitationis sunt actus directi, quorum vnus non reflectit circa alium, & ita non potest dici vnus imperans, & alius imperatus, esto vnus possit ad alium conducere, hic non agimus de omnibus actibus, quibus vnus ad alium possit conducere, sed de actibus, quorum vnus est formalis volitio alterius, & supra alterum reflectens, qui imperium dicitur illius, supra quem reflectitur. Hoc sufficit vt Philosophus argumentum istud non admittat, & sententiam traditam absque impugnatione tueatur.

70 Theologus vero ex multis capitibus prædictum argumentum potest reiicere, si enim affectus inefficax circa pollutionem malus non est, vel quia non est liber, vel quia si liber est inefficax est, & ex motiuo honesto quomodo malitiam deriuare poterit in affectum equitandi elicitum ex motiuo intrinseco honesto. Nec refe[illegible] equitationis affectus sit respectu equitationis, & alias respiciat tanquã motiuum extrinsecum pollutionem, nam si hæc non refundit malitiam in actum inefficacem intrinsece, & immediate respicientem illam multo minus illam valebit refundere in alium actum, quem tantùm medio isto, & extrinsecè afficit, id enim, quod respicit effectum remotum eatenus solum, & eo tantum modo influit in illum quatenus influit in proximum. Nec refert affectum equitationis esse efficacem, quia efficax non est respectu pollutionis, sed respectu equitationis. Ad hac doctrinam conducit, quod tradi. 2. tract. 4. Contr. 7. P. 1. n. 22. videlicet actũ intrinsecè honestũ ex suo formali obiecto procedentem ab imperio inefficaci illicito suam intrinsecam bonitatem retinere, & nullam malitiam formalem immediatè illi inhærentem contrahere, sed tantum mediatam deriuatam ab imperante eo modo, quo talis malitia immediatè imperanti conueniat.

Deinde dici potest in duobus illis actibus directis in 71
argumento adductis non reperiri influxum vnius in alium quod est iuxta dicta Controu. 9. de anima Punct. 3 vbi electiones materiales non admitto. Deinde etiamsi dicatur vnum ex illis actibus in alium influere, dici poterit illum, in quem alter influit non respicere adhuc extrinsecè motiuum influentis, neque ab illo bonitatem, aut malitiam deriuatam participare, quia habet suam propriam libertatem immediatam distinctam à libertate influentis. Neque ego dum affero actum imperantem elicitum ex motiuo pœnitentiæ influere in actum charitatis defendendum suscipio dicendum esse, actum charitatis extrinsecè respicere pœnitentiæ motiuum, hoc enim ad loquendi modum pertinet, & facilè quisque vtrumlibet poterit affirmare, & neutrum efficaciter probare, aut impugnare, sed tantum defendo, actum charitatis dependere tanquam à principio, etsi non necessariò ab actu pœnitentiæ illum imperante. Minus hîc curo, an actus inefficaciter alium imperans in alium suam bonitatem, aut malitiam deriuet, hoc enim ad Philosophum non pertinet, & dum Theologum agens in hanc quæstionem incidi 1. 2. tractat. 4. Controuers. 3. Punct. 8. num. 88. & Controuers. 7. Punct. 1. num. 7. neutrum posse efficaciter probari, aut impugnari defendi.

De dependentia puræ omissionis à cognitionibus illi 72
coëxistentibus, & motiuis per cognitionem propositis idem iudicium fero Controuers. 10. Punct. 1. §. 4. num. 34. & 35. ad influxum actuum imperantium in imperatum, & sicuti affero, actum potentem imperari de facto dependere ab omnibus actibus coëxistentibus, qui illum possunt imperare, eodem modo affero puram omissionem de facto dependere ab omnibus cognitionibus illi coëxistentibus, & ab omnibus motiuis propositis, à quibus potest dependere. Affero ibi num. 32. omissionem non posse dependere à motiuo quod voluntas detestatur, seu de quo displicet. Exemplum esto proponitur omissio missæ, vt vtilis ad ludum, & ad studium, & voluntas displicentiam habet circa studium, tunc si voluntas omittat, omissio dependere non poterit à motiuo ludi, quia obiectum, quod displicet, non potest voluntatem mouere ad ponenda media, quibus consequatur, sed quibus euertatur.

Nonnulli hanc doctrinam voluerunt etiam applicare 73
ad actus imperantes, afferentes actum illum imperantem, de cuius motiuo displiceat, voluntas in imperatum non influit. In hac tamen materia locum non habet hæc doctrina, quia dum actus imperans existit certum est voluntatem non displicere, quia vt dicebam num. 31. citato voluntas non potest de eodem formali obiecto placere, etiamsi vnus, vel vterque actus inefficax dicatur. Deinde, quia cum per puram omissionem affectus circa motiuum sit interpretatiuus locum non habet interpretatio, dum voluntas positiuè displicet de obiecto, actus enim imperans cum positiuè, intrinsecè, & expresse sit tendentia in obiectum, dum actus existit non potest non ex vi illius tale obiectum placere, quantumuis alius actus quicumque sit illum actum imperantem comittetur.

CONTRO

CONTROVERSIA X.

De pura omissione.

DISPVTANT Doctores an possit dari pura omissio libera; dicitur pura omissio, illa, quæ est in voluntate absque alio actu illam inducente, seu incompossibili cum actu positiuo, cui omissio positiuè opponitur, neque imperatur aliquo actu directo. Vnde quando est actus amoris in voluntate, omissio odij non est pura, quia amor incompossibilis est cum odio, & quando quis dicit, nolo odio habere, omissio odij pura non est, quia imperatur ab actu positiuo illam imperante. Omissio libera necessariò dependet à cognitione; id autem, quod à cognitione dependet, ab illius obiecto aliquo modo necessum est dependere, vnde ad eandem quæstionem pertinet definire, an detur omissio, & an à motiuo aliquo omissio dependeat. Posito respectu ad motiuum in omissione insurgit difficultas an ex motiuo supernaturali ipsa omissio supernaturalitatem trahat. Ex his procedunt Theologi ad disputandum an pura omissio sit moraliter honesta, & meritoria. Definiam ergo an omissio libera sit, Quomodo ex cognitione dependeat, An motiuum habeat intrinsecè vel extrinsecè: an supernaturalitatem ab obiecto trahere possit, quæ ad Philosophum pertinent. An verò sit honesta moraliter, & meritoria, Theologis disputandum relinquam, ne in alienam messem falcem mittam. Alio sensu solet inquiri, an possit esse pura omissio, videlicet an voluntas possit libere cessare ab omni actu, quod hic similiter definiam. Controuersia hæc acrem inter Recentiores nostros disputationem excitauit, ideò illam exactè tractabo inter Philosophiæ terminos.

PVNCTVM PRIMVM.

An possit dari pura omissio?

§. I.

Singularis sententia refertur.

1 SIngularis est sententia quam tenet Gabriel in 2. distinctione 41. quæstione vnica, articulo 3. dub. 3. pro qua Neotericorum quemdam refert Salas 1.2. tom. 13. disp. 2. sect. 5 n. 82. quámque ex Caiet. 1. part. q. 63. art. 5. defendendam suscepit Hurtad. tomo de Incarnatione, disp. 62. sect. 3. in qua defenditur voluntatem posse elicere actum amoris, & illum omittere absque vllo actu positiuo, non tamen liberè omittere, dum actu positiuo non dicit, volo omittere, & potentiam liberè exercentem actum positiuum non liberè eodem euentu omissuram, etiamsi omitteret in instanti in quo posset non omittere; & actum positiuum elicere.

2 Fundamentum huius sententiæ sumitur ex non esse, in quo consistit omissio: actus enim amoris physicè est, & habet entitatem, physicéque producitur, omissio verò illius non est physicè secundùm entitatem, vnde per metaphoram illi esse tribuimus, & metaphoricè dicimus, cæcitas est, dicturi, si propriè loqueremur, visus non est, nunquam negationem absolutè esse significantes.

3 Ex hoc duplici actu, vno physico in entitate actus positiuè constituto, & altero metaphorico in non esse actus, seu in omissione, quæ metaphoricè est actus, & dicitur esse, duplicem potentiam actiuam meditatur Hurtad. propriam & metaphoricam. Potentia propriè operatiua est respectu actus proprij & physici. Potentia metaphorica est respectu actus metaphorici, & improprij, scilicet omissionis, quem actum Logicum appellat Hurtadus, & potentiam respectu illius Logicam, & logicè potentem esse affirmat.

4 His iactis principiis sic arguit Hurtadus: Omnis terminus liber voluntatis est operabilis: sed omissio non est operabilis: ergo non est libera. Secundò, Potentia est libera respectu illius termini, quem potest operari, & non operari: sed non potest operari, & non operari omissionem: ergo respectu omissionis non est libera. Probatur minor. Potentia non potest operari omissionem: ergo potentia non respicit omissionem, tanquam terminum operabilem, & non operabilem: ergo non illam respicit tanquam terminum libertatis.

5 Si respondeas potentiam dici propriè operatiuam respectu vnius termini, videlicet respectu termini positiui, impropriè comparatione alterius, quod sufficit vt respectu vtriusque sit libera. Occurrit Hurtadus: Definitio cuiusvis rei absque vlla metaphora debet conuenire definito, vt sit tale simpliciter; pratum enim cui per metaphoram definitio risus competere potest, simpliciter, & verè non ridet: ergo vt omissio simpliciter, & propriè libera esset, illi debebat absque vlla metaphora competere definitio libertatis: ergo absque vlla metaphora debebat esse operabilis, & non operabilis: sed sic est, quod seclusâ metaphorâ omissio non est operabilis: ergo non potest esse simpliciter libera. Hoc est fundamentum magis fucatum huius sententiæ; nonnulla alia adducit Hurtadus, quæ postea obiiciam.

§. II.

Relata sententia repellitur.

6 COncedendum est Hurtado, omissionem physicè entitatem non habere, est enim ipsum non esse entitatis, nihilominus concedendum non est, voluntatem metaphoricè, seu dependenter ab aliqua metaphora, seu ente rationis omittere, neque dicitur de voluntate omittere, sicut de pratis dicitur ridere, quia seclusâ metaphorâ & translatione, prata non rident, neque propriè risus pratis conuenit, qualibet autem metaphorâ seclusâ, & quolibet ente rationis præciso, voluntas omittit, seu non operatur, quod est idem; & propriissimè absque vlla metaphora dicimus, voluntas non operatur, & potest operari. Dicitur, omissionem habere esse metaphoricum; si entitatem illi propriam, & physicam tribuamus, quæ illi non conuenit, & voluntas cùm omittit, dicitur metaphoricè operari; propriè tamen & absque vlla metaphora non operari, seu omittere.

7 Deinde potentiam ad non esse, seu ad omissionem quæ metaphoricè dicitur, simpliciter esse, & modo positiuo significatur esse potentiam metaphoricam impropriam, & Logicam duplicem sensum potest habere. Primus est ipsam potentiam, & virtutem physicam per suammet entitatem physicam, per quam est operatiua, respicere actum metaphoricum, & improprium. Secundus est, ipsam potentiam intrinsecè, & ipsam virtutem metaphoricam esse. Secundus hic sensus ab omni veritate alienus est. Primus est castigandus, iuxta modò dicta de natura omissionis. Datur enim potentia physica, & positiua ad negationes, quæ physicæ non sunt, sicut datur potentia realis factiua entium rationis, & ad chimæricum actum datur potentia physica. Fateor potentiam physicam, intellectum videlicet, immediatè tantùm efficere suas operationes, ex quibus entia rationis resultant: Veruntamen ex eo quod efficiat cognitiones, ex quibus entia rationis resultant, dicitur intellectus entia rationis efficere per virtutem physicam & positiuam secum identificatam; & voluntas liberè imperans cognitionem circa ens rationis, dicitur liberè efficere entia rationis, neque minorem libertatem habet circa entia rationis resultantia ex cognitione, quàm haberet circa alia entia realia, quæ ex ipsis cognitionibus resultarent. Rem hanc disertè, clarè, & doctè, paucis terminis complexus est sapientissimus Soar. tom. 1. Metaphys. disp. 19. sect. 4. num. 8. vbi dicit potestatem ad nolendum, seu suspendendum actionem, in se positiuam quandam perfectionem esse, tamen in vsu per solam negationem, seu carentiam actus exerceri posse. His præiactis Hurtadum impugno.

8 Potentia ita amat, vt possit non amare: ergo est indifferens ad amandum, vel non amandum: ergo est libera ad amandum,

amandum, & non amandum: ergo ad amandum, & ad omittendum amorem, quia nihil aliud est amorem omittere, quàm non amare. Concedis ita amare, vt possit non amare, & concedes similiter esse indifferentem ad amandum, & non amandum; negabis tamen esse liberam ad non amandum, quia libertas respicit terminum positiuum physicum, & operabilem, & id quod est, non amare, non est physicum, neque operabile, ac proinde non potest esse liberum, neque respici tanquam terminum libertatis. Contrà: potentia est indifferens respectu amoris, & non amoris: ergo libera. Probo consequentiam: libertas nihil aliud est, quàm indifferentia orta in voluntate ex principio intrinseco, videlicet ex cognitione, & naturâ eiusdem potentiæ: sed voluntas est indifferens ad amorem, & non amorem, seu omissionem amoris, indifferentiâ ortâ ex cognitione, & ex ipsa natura voluntatis: ergo est libera.

7 Dices, libertatem esse indifferentiam ad terminum positiuum, non tamen ad terminum negatiuum. Contrà: Indifferentia est eadem respectu termini positiui, & respectu termini negatiui: ergo libertas eadem. Probo antecedens: quælibet indifferentia ex suo conceptu formali præciso essentialiter respicit duos terminos, ad quos datur indifferentia, & principium, vel subiectum constituitur indifferens: ergo indifferentia ad actum, ex suo conceptu formali per eundem respectum, per quem constituitur indifferentia ad illum, debet respicere aliud extremum, scilicet negationem actus: ergo est omnino eadem indifferentia respectu actus, & respectu negationis: ergo eadem omnino libertas. Vrgeo: voluntatem esse liberam ad aliquem actum, nihil aliud est quàm à principio intrinseco esse indifferentem, indifferentiâ, quam ipsa potest à seipsa tollere: sed hoc modo est indifferens ad actum, & ad omissionem: ergo est libera ad actum, & ad omissionem. Si dicas, libertatem non esse indifferentiam assignatam, in quacumque materia, sed tantùm respectu materiæ positiuæ; absque fundamento hoc confingis, & eodem modo posses dicere libertatem non esse indifferentiam ad omnes actus, sed actus certæ speciei, verbi gratiâ, ad actus amoris, & non odij.

8 Secundò, ad hominem contra Hurtadum, qui huic patrocinatur sententiæ, sic argumentor. Ad libertatem requiritur, vt illius terminus sit operabilis, & non operabilis, & quia omissioni conuenit tantùm esse non operabilem, & illi non conuenit esse operabilem, non est libera: sed actui positiuo tantùm conuenit esse operabilem, & non illi conuenit aliud extremum, videlicet, esse non operabilem: ergo actus positiuus non est liber. Negat Hurtadus minorem propositionem §. sexagesimo quinto, & asserit, actui conuenire esse non operabilem, quia omissio actus est eius corruptio, à qua denominatur actus corruptus: & sicut corruptio dicit actum corruptum, ita omissio denominat actum omissum: omissibile autem, & non operabile, idem sunt. Totam doctrinam in ipsum retorqueo: omissibile & non operabile sunt idem per te: sed per te actus est omissibilis & non operabilis à voluntate: ergo omissio, & non operatio est à voluntate. Patet consequentia: Actus denominatur omissus ab omissione, & constituitur talis per illam: ergo non potest esse omissus à voluntate, quin omissio sit à voluntate, neque voluntas valet esse potens ad illum omittendum, quin sit potens ad omissionem: sed actus omissus est à voluntate, & voluntas est potens ad actum omissum: ergo omissio est à voluntate, & voluntas est potens ad omissionem.

9 Tertiò obiicit sibi Hurtadus: libertas contradictionis est libertas ad operandum & non operandum: ergo datur libertas respectu operationis, & negationis operationis. Tradit §. 63. libertatem contradictionis non esse definiendam per libertatem ad operandum, & non operandum, sed per potentiam ad operandum, & non operandum, & ex hoc capite negat antecedens. Mitto potentiam ad operandum, & non operandum, esse potentiam indifferentem ad vtrumque, & consequenter potentiam liberam: sumo id, quod concedit Hurtadus, & sic argumentor. Libertas contradictionis est potentia ad operandum, & non operandum: ergo vt detur hæc libertas, debet dari potentia ad non operandum: consequentia est à definito, ad partem definitionis. Hæc potentia ad non operandum, vel est potentia Logica, & metaphorica, vel Physica: si est potentia physica; ergo respectu omissionis datur potentia physica operatiua; ergo poterit esse libera. Probo consequentiam, quia ideo non datur libertas respectu omissionis, quia respectu illius non datur potentia physica in sententia Hurtadi: ergo si datur hæc potentia, omissio poterit euadere libera. Si non datur potentia physica respectu omissionis: ergo non datur libertas contradictionis. Probo consequentiam: definitio libertatis contradictionis importat potentiam respectu omissionis: ergo si talis potentia non datur, non datur importatum per definitionem: ergo non datur definitum; dices, sufficere potentiam metaphoricam, qualem concedit Hurtadus respectu omissionis. Bene: ex eo quod definitio libertatis petat potentiam ad terminum liberum, & non detur potentia physica, sed metaphorica ad omissionem, non datur libertas respectu illius, quia verba in definitione posita non debent conuenire definito metaphoricè; sed propriè, neque metaphoram, sed propriam rationem sonant, vt argumentatur Hurtadus §. sexagesimo secundo: ergo definitio libertatis contradictionis, quæ petit potentiam ad omittendum, debet intelligi de potentia physica ad omittendum, neque poterit esse libertas contradictionis, vel si dicas, potentiam requisitam ad omittendum in definitione libertatis contradictionis debere intelligi de potentia metaphorica, similiter dicito, potentiam ad operandum positam in definitione libertatis, posse intelligi respectu omissionis de potentia metaphorica.

Quartò: Illa est potentia libera in omittendo, quæ 10
positis omnibus requisitis ad omittendum, potest omittere, & non omittere: sed voluntas positis omnibus requisitis ad omittendum, potest omittere, & non omittere: ergo est potentia libera in omittendo. Probatur maior: Illa est potentia libera in operando, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari: ergo illa est potentia libera in omittendo, quæ positis omnibus requisitis ad omittendum, potest omittere, & non omittere. Respondet Hurtadus §. sexagesimo septimo, maiorem propositionem esse de subiecto non supponenti, quia nullibi est talis definitio potentiæ liberæ, neque potest esse; definitio enim potentiæ liberæ non est quæ potest omittere, & non omittere, sed quæ possit operari, & non operari. Potrò verbis hæret Hurtado videas facilè, quàm parum illi præstent. Omittere formalissime est non operari, non omittere formalissimè est operari, quia non esse negationis est ipsamet entitas actus, vt ipse Hurtadus probat: ergo omittere, & non omittere, est idem, ac operari, & non operari; ergo idem est, potentiam posse omittere, & non omittere, & posse operari, & non operari: ergo parum consequenter affirmat Hurtad. definitionem potentiæ liberæ dari per posse operari, & non operari, & esse de subiecto non supponenti, definitionem datam per posse omittere, & non omittere.

Quintò, Omissio est à voluntate, non necessariò: ergo 11
liberè, quia nihil potest esse à voluntate, quin sit liberè, vel necessariò ab illa dimanans. Respondet Hurtadus, omissionem non esse liberam, neque necessariam, quia non est à voluntate tanquam à potentia physica, sed tanquam à potentia Logica, à qua Logicè, & per metaphoram procedit, quod autem tantum habet esse metaphoricum, & non à potentia propriè liberum non est. Contrà: illud esse metaphoricum, quomodocumque sit, potest destrui, & poni à voluntate: ergo est libera respectu illius, & eo modo improprio, & metaphorico, quo est, vel potiùs non est, potest auferri à voluntate; ergo illud non esse metaphoricum, liberum est respectu voluntatis. Secundò falsò dicitur, illud non esse negationis, seu esse metaphoricum, quod appellat Hurtad. esse à potentia Logica, probaui enim suprà, potentiam per modum actus primi esse intrinsecè eandem respectu omissionis, & respectu actus positiui: neque est inconueniens, *non esse* rei, seu negationem illius, quod appellat Hurtadus esse metaphoricum, procedere à potentia Physica reali liberâ.

Sextum & vltimum argumentum, & omnium efficaci- 12
simum contra hanc sententiam sic habet. Sine actu positiuo omissio non est libera, etiamsi voluntas possit exercere oppositum actum: ergo etiamsi instet præceptum audiendi Missam, & quis possit illam audire, & de facto illam non audiat, neque velit eam audire, dummodo non habeat actum, quo dicat, volo non audire Missam, non peccauit. Patet consequentia, quia omissio libera non erit absque illo actu positiuo, quantumuis voluntas possit actum oppositum omissioni producere. Vis consequentiæ eludi nequit,

nequit, & consequens durissimum est, quis enim dicit filiam, qui patrem videt fame pereuntem, & iam animam exhalantem,& cibis abundat,quibus potest patris subleuare miseriam, non esse reprehensione dignum si patrem fame mori permittat, si actum positiuum non habeat, quo dicat,nolo meo indigenti patri subuenire, sed tantùm negatiuè se habeat,nullúmque positiuum actum eliciat?Cùm hoc argumentum proposuisset Hurtadus, illius grauitate, ac difficultate oppressus, nonnihil ab hac sententia discessit,asseritque, non adeò esse authoritate, vel ratione firmatam,vt non possit ab aliquibus morderi,quapropter ipse non semel illam impugnat, alibi eandem impugnaturus: ait tamen ipsi placere adhuc probabilem esse ostendere propter authoritatem Caietani, & sui Magistri, qui eam defendit: ad obiectionem autem respondet,casum propositum nunquam in via contingere, quia omissio parum temporis potest durare, intra quod præceptum affirmatiuum,quod semper obligat cum temporis extensione, non vrget,neque peccatum omissionis committitur.Suffragium petit ad hanc solutionem commendandam ex Vasquio docente,ex multis grauissimisque Doctoribus, non dari peccatum puræ omissionis, quorum aliqui repugnare censent; alij liberam esse negant.

13 Frustrà conatur Hurtadus nostrum Vasquium, & Doctores alios suæ sententiæ,presentíque solutioni suffragari; qui enim negant, posse dari puram omissionem, vel affirmant liberam non esse, non dicunt, voluntatem posse elicere actum positiuum,& illum non elicere per puram omissionem. Deinde siue contingat,de facto siue non contingat talis modus omittendi: Inquiro, An si de facto contingeret absque omni actu,talis omissio esset peccaminosa? Tenetur Hurtadus vi illationis negatiuè respondere, si aliquid respondeat, quod prudens non audet. Id mihi sanè mirum est in hac opinione,vt id,ad quod tota illa ordinatur, quódque totus illius discursus substentare procurat, concedere non audet. Attendas precor. Inuenta fuit hæc sententia à Caietano, & illam est amplexus tanquam probabilem Hurtado vt defendant, Christum, supposito Patris præcepto de morte obeunda, liberè fuisse mortuum, quia Christus absque peccato per puram omissionem potuisset non velle mori, etiamsi Pater illi præcepisset mortem pati,quia in pura omissione, etiamsi actus illi oppositus sit præceptus, & fieri possit, nullum est peccatum, & hanc eandem doctrinam, quam stabilire intendunt huius sententiæ patroni,concedere non audent.

14 Hanc sententiam tanquam parum tutam reiicit Patet Salas,quia videtur esse contra illud Iacobi 4.*Scienti bonum, & non facienti,peccatum est illi*: & Matth.3.& 7. *Omnis arbor, quæ non facit bonos fructus, eradicabitur*: & Lucæ 12. *Seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit multis*: & Roman.1.*Digni sunt morte,non solum qui talia agunt, sed etiam qui consentiunt*, quæ testimonia expendere meum non est, qui intra terminos Philosophiæ me contineo.

§. III.

Quid de quæstione?

15 PRo sententia negante puram omissionem referuntur P.Valentia disp 6.q.1.part.4.Vasquez 1.2. disp.82. hi tamen Doctores rem tractant Theologicè, disputantes de peccato omissionis, quod affirmant nunquam dari per puram omissionem, quia hæc non potest notabili tempore durare, intra quod cum latitudine obligat præceptum positiuum, cuius adimplerionis omissio donec totum sit transactum non imputatur peccato.Hac ratione docet Valentia,puram omissionem non posse dari moraliter loquendo, non tamen physicè; nec illam ex natura rei contingere non posse docet Vasquez,vt malè illum interpretatur Mõtesinos postea citandus,concedit enim loco citato num.6. omissionem puram posse per breue aliquod tempus durare, ex quo infertur in doctrina huius Doctoris semper in omnibus sibi valde consonâ, & tenacissimè rem semel traditam defendens hanc impossibilitatem esse moralem, & non physicam; quia si esset physica, eadem esset pro breuissimo tempore, & pro longa ipsius omissionis duratione. Eodem modo negauit Medina 1. 2. q.71. posse dari puram omissionem moraliter loquendo, non physicè, quia in illa nulla repugnantia physica reperitur.

16 Sententiam absolutè negantem tenet Montesinos 1. 2. tom.2. disput.2.q.2.apud quem nonnullos citatos inuenies pro hac sententia; sed ferè omnes illos, aliósque quàm plurimos explicatos inuenies apud Salas postea citandum de impossibilitate morali,& non physica.

Posse dari puram omissionem,defendit P. Ruiz. de Pro- 17
uid.disput.37.sect 1.num.13.& disp.42. sect.7. num 17. Salas 1.2.lib.13.disp.2.sect.5. Ripalda de ente supernaturali disp. 70.Hurtadus Complutensis 1.2. lib.de peccatis,disp.3.difficult.17.Arriaga de anima disp.8.sect.6.& alij apud istos,& quàm plurimi apud Salas, qui docent omissionem puram tantùm moraliter esse impossibilem (hoc est rarò & difficilè dari)non physicè,ita expresè Suar. tom.1. Metaph. disput.19. sect.4. n.8. Prædictam conclusionem sic probo. Voluntas indifferens ad amandum,vel odio habendum,ita potest amare, vt possit non amare, & ita potest odio habere, vt possit non odio habere: ergo potest cessare ab amore, & odio: ergo potest omittere. Respondent nonnulli, tunc voluntatem elicituram necessariò actum, quo dicat, nolo amare, & ita omissionem amoris non fore liberam.Contrà: Si tunc voluntas esset elicitura actum,quò diceret, nolo amare,similiter deberet elicere actum, quo diceret, nolo odisse, quia non est maior ratio vnius quàm alterius.Deinde si tantùm eliceret actum,quo diceret,nolo amare,talis actus non esset incomposibilis cum odio, bene enim componuntur,nolo amare, & odio habere; ergo omissio odij esset pura omissio.

Tandem nullum ex his actibus voluntatem esse elici- 18
turam sic probo.. Ad hoc vt voluntas sit indifferens ad amandum, vel odio habendum sufficit propositio obiecti boni cum admixtione mali,absque illa cognitione amoris, vel odij; sed proposito obiecto partim amabili, & partim odibili,absque cognitione amoris,vel odij,voluntas est indifferens ad amandum,vel odio habendum subiectum, & non est potens elicere actum reflexum, quo dicat, volo amare,vel volo odio habere: ergo si tunc potens est omittere amorem, & odium,potens est purè omittere, neque tenebitur elicere actum reflexum, quo dicat, volo amare, seu volo odisse.Posse proponi obiectum,partim amabile,& partim odibile,absque cognitione amoris, vel odij, nemo in dubium vocare poterit:posità hac propositione,sine cognitione amoris,& odij,voluntatem non esse potentem dicere,volo amare,seu odio habere, est per se notum, quia voluntas ferri non potest in obiectum incognitum.

Vltimò hanc solutionem impugno. Voluntas potest sus- 19
pendere omnem actum circa obiectum directum illi propositum,ita vt viso obiecto amabili,& odibili,non exerceat actum amoris circa illud: ergo etiam poterit suspendere omnem actum reflexum circa amorem & odium,ita vt non dicat,volo omittere amorem,aut odium.

Aliter respondent alij,voluntatem indifferentè ad amo- 20
rem,& odiũ teneri amare, vel odio habere,& dici potentiã liberam,non quia possit vtrumque actum omittere, sed quia ex his duobus,scilic.amore,& odio, potest quem ipsa maluerit eligere Contrà: nullum est caput,ex quo oriatur hæc necessitas sub disiunctione,obiectũ enim ita proponitur amabile,vt possit non amari,& ita proponitur odibile, vt possit nõ odio haberi:ergo est potens voluntas omittere hunc actum,& illum,saltem disiunctiuè:ergo vtrumque simul:probo consequentiã:nullum est principium,quod determinet,aut inclinet ad actũ sub disiũctione, sed quælibet cogitatio inclinat determinare ad actum determinatum: ergo si ex nulla necessitat ad hunc actum determinatum, nihil est,quod in communi ad hunc vel illum necessitet.

Fortiùs arguo in libertate contradictionis, in qua vo- 21
luntas est potens amare, & non amare, & non valet odio habere,in qua dici non potest, teneri amare, vel odio habere, quia ex vno capite est impotens ad odium: ergo si alio cogeretur amare,vel odio habere,esset necessitata ad amorem:bene enim valet,voluntas necessariò tenetur amare,vel odisse; non potest odisse: ergo necessariò tenetur amare. Ex quo infero, voluntatem liberam libertate contradictionis posse amare,& purè omittere,cùm possit cessare ab amore, sine actu odij, ad quem non est potens, & sine actu,quo dicat,nolo amare,quia,vt dicebam;ad libertatem amandi,& non amandi obiectum directum,non requiritur libertas ad actũ reflexum neque cognitio amoris; Ex libertate contradictionis gradum facio ad libertatem contrarietatis, quæ nihil aliud est, quàm duplex libertas contradictionis circa duos actus inter se oppositos.

Exemplo causarum naturalium explicatur, & probatur 22

nostra cõclusio. Causæ naturales inclinatæ in effectus contrarios, possunt se mutuò impedire, ita vt nulla aliquid producat: ergo eodem modo duplex cogitatio inclinãs ad diuersos actus, possunt ita se mutuò impedire, vt cogitatio inclinans ad amorem, voluntatem retrahat ab odio, & cogitatio inclinans ad odium voluntatem retrahat ab amore, ita vt ipsa in neutram partem feratur, sed omnem actum liberè suspendat, & purè omittat.

23 Specialiter contra Thomistas physicam prædeterminationem propugnantes dari posse puram omissionem, quod ipsi communiter negant efficaciter probatur. Asserunt huiusmodi prædeterminantes prædeterminationem non requiri ad posse sed ad operari, vt hac ratione defendãt hominem non prædeterminatum ad actum honnestum illum libere omittere, inquirunt enim, quod etiam si careat physica prædeterminatione ad actum, non carere poterunt ad illum, quia physica prædeterminatio non pertinet ad constituiuum potentiæ neque actus primi, sed est quid medium, inter actum primum, & secundum, seu complementum actus primi, & illius applicationem ad actum secundum. Insuper asserunt implicare de facto dari actum sine physica prædeterminatione ad illum, & ita implicare hæc duo coniungi carentia physicæ prædeterminationis ad amorem, & amoris actum, sicuti implicat dari physicam prædeterminationem ad amorem, & non dari actum amoris, quod est implicare hæc duo coniungi existentia physicæ prædeterminationis ad amorem, & carentiam amoris.

24 Ex his principiis sanctis physice prædeterminantibus argumentor sic. Pone hominem cum iudicio indifferenti rationis ad amorem, & carentiam amoris omni physica prædeterminatione destitutum, hic homo nullum actum positiuum eliciet, quia implicat hunc de facto dari sine physica prædeterminatione: ergo omittet amorem nullo actu amori opposito habito, insuper est potens ad amorẽ omissum, quia ad illum, & carentiam illius habet iudicium indifferens rationis: ergo omittet actum, quem potest elicere absque eo, quod alium actum incompossibilem cum actu omisso eliciat: ergo homo ille habebit puram omissionem liberam.

25 Respondent Discalceati Carmelitani 1.2.tract.10.disp.3. dub.4.n.36. in eo casu voluntatem posse elicere actum præceptum, & nihilominus illum omittentem non omittere libere, quia ad hoc vt omissio sit libera respectu voluntatis non sufficit hanc posse elicere actum omissioni oppositum, & illum omittere, sed requiritur, vt illud, quod est liberum egrediatur à volũtate. Hoc est dicere requiri esse actũ positiuum, quod est egregia petitio principij: deinde est contra lumen rationis asserere libere non omittere illum, qui omittit, & potest operari, seu non omittere, omne enim, cuius oppositum potest voluntas ponere liberum est respectu illius, cum ad illud, & ad oppositum indifferens sit. Aliter respondent ijdem Carmelitani ibidem asserendo, voluntatem omni prædeterminatione destitutam ad nullum actum habere potentiam, data tamen prædeterminatione ad alterum potentem esse ad vtrumque v.g. data prædeterminatione ad amorem ex vi huius prædeterminationis constitui potentem ad amorem, & ad actum oppositum, odium videlicet, vel nolitionem amoris. Vt hoc componãt cum conclusione asserente prædeterminationem esse applicationem supponentem posse, egregiam quandam Philosophiam meditantur. Affirmant prius naturã produci in quolibet effectu gradus vniuersaliores, quam minus vniuersales suo ordine vsque ad gradum infimum. v.g. in homine prius natura produci gradum substantiæ, deinde gradum corporis, & postea viuentis, &c. Et si hi omnes gradus realiter sint idemtificati, eodem ordine asserunt prius natura prædeterminari causam ad gradus vniuersaliores, & postea ad minus vniuersales, & si prædeterminatio ad omnes physice sit vna simplex entitas. Rursus affirmant prædeterminationẽ ad gradũ substantiæ quæ respectu illius tantum est applicatio, & non dat posse, sed supponit, dare posse respectu gradus immediati minus vniuersalis, v.g. respectu gradus corporis, & prædeterminationẽ ad gradũ corporis, quæ respectu illius est applicatio dare posse ad gradum viuentis, & sic in aliis. Ex hoc fit omnẽ prædeterminationem ad hunc gradũ esse tantum applicationem ad illum, & supponere illius posse iam constitutum per applicationem ad gradũ superiorem immediatũ, & constituere posse ad gradum inferiorẽ immediatũ. v.g. prædeterminatio ad gradũ corporis est tantum applicatio ad hunc gradũ, & supponit posse ad illum iam constitutum per applicationẽ, seu prædeterminationẽ ad gradum substantiæ, & constituere posse ad gradum viuentis immediate inferiorem. Fit etiam ingrata hanc doctrinam prædeterminationem ad illum gradum in quo immediate conueniunt, amor, & nolitio amoris, vel odium constituere posse ad vtrũque, & prædeterminationẽ ad gradum specificum amoris esse tantum applicationem respectu illius, & carentiam prædeterminationis ad gradũ specificum odij, seu nolitionem amoris esse carentiam applicationis ad hunc gradum specificum, & non carentiam posse, seu potestatis ad illum. Rursus fit voluntatem nullam habentem prædeterminationẽ non habere posse ad gradus differentiales, & inferiores, quia non habet applicationem ad gradus superiores, cum enim nullam habeat prædeterminationem, nullam habet applicationem.

Hic dicendi modus plurimis scatet implicationibus. 26 imprimis implicat in his, quæ realiter sunt idemtificata reperiri prioritatem naturæ; cum enim prioritas naturæ sit prioritas causalitatis, & nihil possit esse causa sui ipsius, nihil potest esse prius se ipso, seu aliquo secum idemtificato. Ex hoc fit Chymeram esse prioritatem illam naturæ, quam inter gradus magis, & minus vniuersales physice idemtificatos modus iste dicendi confingit. Eandem Chymeram cõtinet prioritas illa naturæ inter prædeterminationes sola intellectus cognitione distinctas in simplici entitate vnius prædeterminationis repertas. Est etiam insigne figmentum assignare quoddam constitutiuum posse, seu potentiæ per suam entitatem intrinsece essentialiter oppositum, & incompossibile cum actu, cuius est potentia, posse enim, & potentia ordinantur ad dandam existentiam effectui, quomodo igitur ad hoc ordinari poterit id quod cum tali existentia essentialem, & quidditatiuam continet repugnantiam. Deinde si posse ad quemlibet gradũ constituitur per applicationem ad gradum immediatum illi superiorem, Inquiro per quam applicationẽ, seu applicationem ad quẽ gradum constituatur posse ad gradum supremum. Profecto ægre discalceati homines per hæc dumeta, & inuia incedere valebunt, redeant ad verã, & tritã philosophiæ viam, si forte intra illam sibi commendatissimam physicam prædeterminationem insequi, & comitari valeant.

§. IV.

Quomodo omissio libera dependeat à cognitione.

OMissionem liberam procedere ex cognitione, adeò 27 certum est, vt nemo possit oppositum in dubium vocare, quod breuiter efficacissimis rationibus euincitur. Implicat libertas ad omittendum, sine cognitione, per quam vltimò completur, & constituitur voluntas libera: ergo implicat, dari omissionem liberam sine cognitione. Probo consequentiam: implicat omissionem liberam sine libertate: sed cognitio est quid pertinens, tanquam constitutiuum libertatis: ergo implicat omissio libera sine cognitione. Breuius; libertas in actu secundo dependet à libertate in actu primo: sed omissio est libertas in actu secundo, hoc est, id, quo voluntas exercet suam libertatem: ergo dependet à libertate in actu primo: sed libertas in actu primo est cognitio: ergo dependet à cognitione.

Confirmatur: voluntas impulsa vehementi cogitatione 28 inclinante ad amorẽ, amat necessariò, ni aliâ cogitatione ab eodem amore retrahatur: ergo sine hac cogitatione retrahente non potest nõ amare, seu omittere; ergo suppositâ cogitatione inclinante ad amorem, omissio dependet necessariò à cogitatione inclinante ad odium, vel saltem retrahente ad amorem. Nota fit consequentia, & vrgetur ratio. Quoties duo, ita se habent, vt vnum non possit esse sine alio, quod potest esse sine illo, extremũ quod sine consortio alterius subsistere valet, independẽs dicitur, & alterũ, quod sine aliũs consortio subsistere nequit, dependens iudicatur: sed omissio libera nõ potest esse sine cognitione, cognitio autẽ potest esse sine omissione libera: ergo omissio dependet à cognitione, & cognitio ab omissione non dependet.

Posita hac dependentia inter omissionem liberam, & cognitionem, difficile sanè est, explicare, in quo cõsistat, & quomodo possit cognitio in omissionẽ influere, quam difficultatem nostri Recentiores peracutè diuoluunt. Neque eadẽ tibi videatur de influxu cognitionis in negationem, & in actum positiuum, est enim longè maior in omissione, quæ non vrget, quando in voluntate vnica solùm datur cogitatio à qua possit omissio dependere, tunc enim facilè

soluitur quæstio de omissione, eodé modo ac de actu positiuo dicendo, influxũ precisè consistere in cognitione, & in omissione simul existentibus: sed nos premit, quando duplex cognitio proponens diuersa motiua, & sæpe incompossibilia, voluntatem ad omissionem inclinat, v. g. cognitio, quæ dicit, ne audias sacrum, vt domi ludas, & cognitio, quæ dicit, ne audias sacrum, vt cum amicis rusticeris: & de facto voluntas omittit actum internum circa auditionem sacri, à qua cogitatione dicendum est, procedere talem omissionem? vel quid sit speciale in voluntate, quando procedit ab hac, quod non sit quando procedit ab illa? Neque similis est difficultas respectu actuum positiuorum, quia quando moueor cogitatione quæ dicit, ne audias sacrũ, vt domi ludas, elicio actũ quo dico, nolo audire Missam vt domi ludam, quando vero moueor cogitatione, quæ dicit, ne audias Missã, vt cũ amicis rusticeris, elicio alium actũ, quo dico, nolo audire Missam, vt cũ amicis rus petam, qui actus sunt inter se distincti, & oppositi, neq; vnus potest ex motiuo alterius dependere, neque alterius regi cognitione, in omissione autem semper datur eadem omissio, quæ secundùm se indiuisibiliter eadem, ex quacumque cognitionum illarum seorsim sumpta dependere potuit.

31 Non eisdem terminis, sed aliis in re idem significantibus difficultatẽ hãc exagitauit Ripald. sect. 8. vbi disputat, quid sit omissionẽ procedere ex hoc motiuo, vel ex illo, quando duo motiua sunt illi propositа, in cuius sententia idem est, omissionem procedere ex hac cognitione, & procedere ex motiuo repræsẽtato per illã, quapropter iure potero meis terminis applicare, id quod suis in eadem difficultate respondeat hic author. Inuenit ipse præter omissionẽ, & cogitationes inclinantes ad illã, actus quosdã inefficaces volũtatis, quibus cõplacere, & displicere potest volũtas de obiectis per cognitionẽ propositis, exẽpli gratiã, proponitur mihi cogitatio dicens, ne audias Missam, vt rusticeris; & alia quæ dicit, ne audias Missam, vt ludas, possum habere actum inefficacem, quo dicam, displicet mihi ludus, & aliũ, quo dicam, placet mihi rusticatio; tunc si purè omittam actum audiendi Missam, talis omissio procedere non potest à cogitatione, quæ dicebat, ne audias Missam, vt ludas, quia illius motiuum per displicentiam inefficacem detestatus sum, sed necessario procedit à cogitatione, quæ dicit, ne audias Missam, vt rusticeris, in cuius obiecto motiuo complaceo: imò etiamsi hanc complacentiam non haberem, dum adesset illa displicentia circa ludum, cognitio ludum proponens non moueret, sed quæ proponebat rusticationem, quam non sum detestatus sicut ludum.

32 Vidit Ripalda, hoc dicendi modo, non plenè difficultatẽ solui, quia potest voluntas omittere sine aliquo actu cõplacentiæ, neque displicentiæ circa obiecta propositа, vel complacens in vtroque obiecto, & tunc eadem redit difficultas, per quid constituatur omissio dependens ab hac cognitione, potiùs quàm ab illa, cùm vtriusque motiua, æquè placeant, vel saltem sint æquè non detestata. Addo ego positã complacẽtiã circa motiuum vnius cogitationis, & circa aliud, adhuc voluntate negatiuè se habente circa aliud, posse omissionem saltem inadæquatè dependere à motiuo quod voluntas non erat detestata, & tunc est eadem difficultas, per quid constituatur omissio ab illo dependens. Vt hæc solueret Ripalda, vltimò confugit ad veritatem conditionatam, quã influxum assignauit inter actus imperantes, & imperatos, & asserit, tunc omissionem pendre ab hac cognitione, & non ab illa quando illã ablatã, & hac permanente permaneret omissio. In eandẽ sententiam, existimo, Ruizium incidisse, asserentẽ disp. 37. sect. 1. n. 13. omissionem actus, tunc fore meritoriam quando liberè omittimus actum prohibitum, & omittendi ratio fuit obseruatio præcepti, quã sublatã, cæteræ circunstantiæ nos impellebant ad actum prohibitum, ac si diceret, quando ablato præcepto, non daretur talis omissio, tunc dicenda est meritoria, ac proinde procedere ex motiuo, quod idem est ac à cognitione dependere.

33 Hunc modum assignandi influxum existentem, per id quod non existit, sed existeret, latè, & ni fallor, efficacissimè explosi Contr. 9. Punct. 5. §. 4. & 5. Vbi de influxu actus imperantis in imperatum disputabam. Vide ibi dicta, & omnia ad difficultatẽ præsentẽ eodem modo applica. Tantùm breuiter pertingam egregium argumentum, quod ibi expendi. Omissionem non futuram, deficiente hac cogitatione, dicit negationem cogitationis, & entitatem actus, cui priuatiuè opponitur omissio, quæ non sunt, sed essent: sed omissio, v. g. amoris non potest dependere, tanquam à causa, neque tanquam à causalitate, ab amore, qui est non esse omissionis, & illi opponitur; ergo non potest dependere ab illa veritate cõditionata secundùm id, quod dicit ex parte consequentis sub conditione, neque secundùm id, quod dicit ex parte conditionis, hoc enim est negatio cognitionis, à qua modò omissio dependet: ergo non potest ab illa depẽdere. Patet consequẽtia: nihil potest dependere à cognitione, & à negatione eiusdẽ cognitionis; sed omissio libera depẽdet modò à cognitione: ergo nõ depẽdere simul à negatione eiusdẽ cognitionis, adhuc quæ esset. Eadẽ formã, licet in diuersa materia, idem argumentũ expendi loco citato, ideo illud latiùs non expendo, sed tetigisse sufficiat.

Arriag. sect. 6. citatã, subs. 3. n. 132. ait, influere cogitationẽ in omissionem, dicere coëxistentiam cogitationis proponentis motiuum ad omittendum, & ipsam omissionem; ita vt non possint hæc duo coëxistere, quin cognitio influat in omissionem; casu autem quo duplex cogitatio occurrat, ab vtraque procedet omissio, dum vtrique coëxistat, quantumuis motiua proposita per duplicem cognitionem inter se sint opposita. 34

Hæc opinio non omnino displicet, verumtamen vt iacet, illam falsam esse iudico, quod sic probo. Potest voluntas, propositis duobus motiuis ad omittendum, displicere de altero, & omittere: v g. positã cognitione, quæ dicit, ne audias missam vt ludas; ne audias missam, vt rusticeris, elicere actũ displicentiæ circa ludum; & purè omittere actum circa auditionem Missæ, & tunc coëxistet omissio cogitationi inclinanti ad illam propter ludum, quin ab illa dependeat: ergo dependentia non consistit in mera coëxistentia. Maior ex nullo capite poterit negari; Minorẽ probo: motiuũ, quod voluntas detestatur, non potest in eodẽ instãti, in quo detestatur mouere efficaciter voluntatem, adhuc ad effectũ negatiuũ propter ipsum, quia nihil potest fieri propter illud, quod fugere intendimus, aliàs actu prosequutionis, & fugæ verseretur voluntas circa idem formale motiuum: sed voluntas in casu proposito vult, vt non sit ludus, & quasi actu fugæ verseretur in illũ: ergo non potest ex illo moueri ad omittendum. Neque respondere poteris, posse omittere voluntatem propter obiectũ, quod tantùm inefficaciter fuit detestata, quia adhuc inefficaciter nõ potest volũtas se exercere actu prosequutionis, & fugæ circa idẽ formale motiuũ, & casu proposito moueretur efficaciter ad omittendum ex fine, quod inefficaciter fuerat detestata. Deinde idem argumentum fieri potest, casu quo voluntas non solùm inefficaciter, sed etiam efficaciter ludũ detestetur. Posset etiã hæc sententia impugnari, quia potest altera cogitatio esse posterior natura ipsa omissione, si ex præuisione huius, illam Deus infuderit, & tunc omissioni coëxistet, & non influet in illam: ergo hic influxus non consistit in pura coëxistentia cogitationis, & actus omissi. 35

Dicendum est cognitionem, cuius motiuũ detestatur voluntas, non posse influere in omissionem, ac proinde requirere negationem talis detestationis, vt per modum actus primi influxiua sit. Eodem modo affirmo, cogitationem ex aliquo capite dependentem, non posse in illam influere. Non affirmo, cogitationẽ posse dependere ab omissione, à quo abstraho, sed affirmo, exigere negationem depẽdentiæ, siue hæc sit possibilis, siue nõ, vt influat in ipsam omissionẽ eo modo, quo dixi, actum imperatẽ exigere negationẽ dependentiæ ab imperato, vt influat in illũ. Probatur hæc cõclusio ratione, qua eandem probaui in actu imperante respectu imperati. Id quod dependet ab aliquo est posterius illo: sed quod est posterius, non potest esse prius: ergo ad hoc vt possit esse prius, requirit, non esse posterius: ergo ad hoc vt cognitio possit esse prior omissione, & influere in illam, requirit, non esse eamdem posteriorẽ: his positis 36

Dicendum est secundò cognitionem per modum actus primi potentis influere in omissionẽ amoris, dicere negationem totius qualitatis prædeterminantis, & decreti prædefinitiui incõpossibilis cũ amore, seu destructiui libertatis ad amandũ, vel omittendũ. Ratio est clara, quia si voluntas ante ipsam cognitionẽ seu independẽter ab illa, est prædeterminata ad non esse amoris, omissio amoris non poterit esse libera: ergo cognitio non poterit per modũ actus primi influere in ipsam omissionem, vt liberam; ergo nullo modo. Probo consequentiam, cogitatio tantùm influit in omissionẽ, quatenus inclinat voluntatẽ, vt cesset ab actu, quem potest elicere: sed non potest inclinare voluntatem determinatam ad omissionem, & impotentem elicere 37

actum: ergo non potest voluntas addicta ad omittendum influere in omissionem, quia tantùm potest influere in omissionem, quatenus non elicit actum, quem potest: ergo cogitatio non potest illaminclinare, vt omittat, seu vt influat in omissionem per influxum, quê ipsa præstare nequit.

38 Neque refert, me dixisse actum necessarium posse prouenire à principio prædeterminante, & ab alio comprincipio ex se non determinante, quia cùm actus positiuus habeat entitatem physicam, postquam voluntas sit determinata per modum actus primi ab vno principio, potest in actu secundo concurrere cum principio prædeterminante, & cum aliis principiis ex se non prædeterminantibus, à quibus oriatur actus secundus, & determinatio ad illum per modum actus primi. In negatione autem, cùm nullus sit influxus positiuus ab illo principio dicitur tota procedere, quod per modum actus primi ad illam prædeterminat, nec alia non prædeterminantia possunt quidquâ in negationem influere, Ex hoc capite fatentur omnes, omissionem actus in voluntate non potente actum elicere, non procedere à voluntate, sed ab illo principio positiuo, vel negatiuo, ex vi cuius voluntas impotens est amorem producere.

39 Dicendum est tertiò, omissionem in actu secundo procedere ab hac cogitatione, nihil aliud esse, quàm actum primum potentem influere in omissionem, & ipsam omissionem illi coexistentem, ita vt si plures cogitationes, etiã repræsentantes obiecta in se incompossibilia potentes influere in hanc omissionem, coniungantur cum illa, omnes simul per modum vnius principij adæquati, & quælibet illarum per modum inadæquati principij, necessariò influant, ita vt non possit omissio hac coexistentiâ supposita, non ita ab illis procedere. Dixi, omnem actum primum, vt comprehenderem complacentias inefficaces circa obiectum, quod potest mouere ad omissionem, si hæ per se ipsas possunt in omissionem influere, à quibus omissio procedet simul & à cogitatione per modum vnius adæquati principij modo dicto, ita vt numquam simplex complacentia sit principium adæquatum omissionis, cùm semper cum cognitione coniungantur.

40 Non immorabor in hac conclusione probanda, quia rationes omnes, quæ rem ita contingere euincunt, adduxi iam Contr. 9. p. 5. ad probandum, similem influxum in actibus imperantibus respectu actuum imperatorum. Vide ibi dicta, & omnia omnino eodem modo ad præsentem doctrinam applica, & sicut ibi dixi, influxum actiuum imperantis includere nostro modo concipiendi actum imperãtem in recto, & imperatum in obliquo, & influxum passiuũ dicere actum imperatum in recto, & imperantem in obliquo, in re tamen esse eundem omnino, quia vterque dicit eamdem coexistentiam, & sicut dixi, posito actu, cum duobus imperiis, dependere à quolibet inadæquatè, & vno ablato, si permaneat coexistens alteri actui imperanti, iam dependere ab illo adæquatè per aliam causalitatem: sic dicito de omissione coexistenti duabus cognitionibus, dependere à qualibet illarum inadæquatè, quod si vna cognitione ablata permaneat omissio coexistens alteri cognitioni iam soli, iam dependere ab illa per aliam causalitatem, dicendum est.

41 Vnum tantùm in hac re apparet difficilius, quàm in actibus imperatis. Quomodo, videlicet, possit omissio dependere à duobus motiuis inter se oppositis, licet enim dixerim, actum imperatum posse dependere à duobus imperantibus respicientibus motiua inter se opposita, ibi faciliùs percipitur, quia actus imperatus immediatè non attingit motiua imperantium, in nostro verò casu omissio immediatè attingit motiua per cogitationes proposita. Respondeo rectè posse omissionem respicere duo motiua inter se incompossibilia tanquam fines sub disiunctione exercendos, quod etiam in actibus positiuis contingit, potest quis emere equum ex intentione equitandi in vrbe, vel iter agendi, per actum, quo dicat, volo emere equum propter equitationem in vrbe exercendam, vel propter iter Matritum peragendum, aut si dicat, volo equum emere, vt possim equitare, & iter agere: sic qui omittit, proposito ludo, & proposita rusticatione, potest omittere propter vtrumque motiuum, quæ omissio est propter ludum, vel rusticationem sub disiunctione exercendam, seu vt voluntas sit apta & indifferens, ad actum, quo velit ludere, & actum, quo velit rusticari, ex quibus pro sua libertate postea, quem maluerit eligere, poterit.

§. V.

An omissio libera motiuum habeat?

OMissionem etiam liberam, non habere motiuum, docuit expresè Soar. lib. 12. de gratia c. 2. n. 9. & Arriaga subsect. 3. citatâ. Oppositam sententiam defendit P. Didacus Ruiz disp. 37. sect. 1. n. 13. vbi docet, omissionem esse meritoriam præmij naturalis, & bonam bonitate naturali, non posset autem esse bona, si ex bono motiuo non fieret, Ripalda tenacissimè defendit disp. 70. citatâ per totam, omissionem esse meritoriam propter honestatem, quam trahit ex motiuo honesto, à quo procedit: idem tenent Augestus, & Zumel apud Ripaldam, & sapientissimorum recentiorum consensus, quibus ergo subscribo, huic opinioni non immeritò suffragatur. 42

Deterruit multos, ad concedendum motiuum respectu omissionis, difficultas, quam §. precedenti solui, scilicet, nihil esse, per quod omissio constituatur dependens ab hoc motiuo, potiùs quàm ab illo, quando occurrit duplex motiuum disparatum, vel oppositum: sed hi Authores rem attentè non sunt meditati, est enim idem soluendus nodus, siue omissio motiuum habeat, siue careat illo, dum semel libera constituatur, eo enim ipso, quod sit libera, dependet à cognitione, & ex hac dependentia eadem oritur difficultas, quomodo constituatur omissio dependens à cognitione, quæ sine illa esset eadem, & qua ratione dependeat ab hac cognitione potiùs, quàm ab illa, cùm duplex occurrit cognitio, obiecta disparata, vel opposita proponens. 43

Dicendum est primò, omissionem nullum habere motiuum intrinsecum imbibitum in sua entitate, sicut illud habet actus positiuus, qui per se ipsum respicit hoc obiectum motiuum, & terminatur ad illud, ita vt de potentia Dei absoluta non possit ad aliud, vel non ad istud terminari. Ab hac conclusione nullus dissentiet, cuius ratio hæc est efficacissima. Omissio intrinsecè nihil aliud est, quàm non esse actus: sed idem non esse actus reperitur, quando est liberum respectu voluntatis, ac quando est omnino necessarium independenter à voluntate, cui nullum motiuũ proponitur ad actum, & ad negationem illius; ergo eadem est omissio quando liberè procedit à voluntate, & quando necessariò existit independenter à voluntate, quæ nulla cogitatione præuenitur circa obiectum amoris, vel omissionis: sed quando est necessaria independenter à cognitione nullum potest habere motiuum: ergo neque quando est libera illud habet per suam entitatem, quæ semper est eadem: Secundo, si omissio habet motiuum, debet esse illud, quod per cognitionẽ proponitur voluntati: sed possunt diuersa motiua proponi voluntati, quibus moueatur ad eandem omissionem: ergo omissio eadem potest habere diuersa motiua: ergo non sunt illi intrinseca, quidquid enim est intrinsecum, semper illam necessariò comitatur. Omissionem esse eandem, siue ab hoc, siue ab illo motiuo procedat, est certum quia semper est negatio eiusdem actus, & suspensio eiusdem actionis. 44

Dicendum est secundò, omissionem habere motiuum extrinsecum immediatum, quasi interpretatiuum, & virtuale, ex eo præcisè, quod dependeat ex cognitione illud proponente. Probatur conclusio. Cognitio inclinat, & allicit volũtatem ad omissionem liberam, sed nullo alio modo id facit, quàm proponendo, seu applicando obiectum, quod retrahat voluntatem ab actu omissioni opposito, & illam trahat ad omissionem illius, & sæpè, vel semper trahere intendat ad actum oppositum: ergo cognitio influit in voluntatem liberam, quasi per applicationem motiũ: ergo motiuum ad illam conducit, aliàs ad quid esset applicandum superflua: semper enim est applicatio rei non conducentis ad effectum; ergo si motiuum propositum per cognitionem non influit in omissionem liberam; superflua erit illius applicatio: ergo superflua erit cognitio, cuius totũ munus est applicare obiecta, & motiua voluntati, vt ipsa se determinet propter motiua, quæ cognitio proposuit. Sed dici nequit, applicationẽ motiui, quæ est cognitio, non cõducere ad omissionẽ liberã: ergo dici nequit, ipsum motiuũ in ipsam non influere, implicat enim puram applicationem rei non conducentis ad effectum, ad ipsum cõducere. 45

Dixi motiuum proueniens voluntati ex dependentia à cognitione, esse immediatum, quia motiuum nullo medio influit in ipsam omissionem; sed per suam entitatem media cognitione applicatam, applicatio autem non se habet, vt 46

medium

medium inter causam,& effectum,neque ex eo quod ignis calorem producat in ligno dependenter ab applicatione, dicitur illum producere mediatè, seu mediâ applicatione, quæ non est medium inter agens,& effectum,sed se tenet ex parte agentis,& simul cum illo est immediatè prior effectu per se ipsam,non prioritate virtutis,sed conditionis. Motiuum dici virtuale, & interpretatiuum, significat non esse intrinsecum ipsi omissioni, sed interpretari, quasi intrinsecum,ex eo,quod omissio ab illo motiuo procedat. In eodem sensu virtuale dicitur,quia omissio,quæ formaliter intrinsecè motiuum non habet,quasi virtute,& æquiualenter,illud intrinsecè continet,ex eo quod ab illo procedat.

47 Respondet Arriaga subsect.3.citatâ,cognitionem, à qua dependet omissio,tantùm influere in illam, tanquâ putam conditionem,ne cognitio inuitam ad actum positiuum necessariò trahat, & determinet voluntatem, eo enim ipso, quod obiectum proponatur vt bonum, si alia cognitio illud non proponat cum aliqua ratione mali, voluntas illud necessariò amabit; est ergo cognitio influens in omissionem, conditio, ne voluntas necessariò feratur in omissionem,& quasi ablatiua illius,quod necessariò voluntatẽ impelleret ad amorem;sicut remotio ignis aufert applicationem, quâ posità ignis combureret absque alio influxu, & causalitate in negationem ignis. Hac ratione quando cognitio hæc proponit obiectum amabile, & illa odibile, & voluntas suspendit omnẽ actum,cognitio proponens obiectum amabile se habet tanquam conditio,ne voluntas necessariò eliciat odium, & cognitio proponens obiectum odibile est conditio, vt voluntas non necessariò feratur actu amoris in obiectum propositum.

48 Fateor, cognitionem proponentem obiectum odibile, esse conditionem, ne cognitio proponens obiectum amabile,necessariò voluntatem ad amorem adigat: Verumtamen nullo alio modo potest exercere tale munus conditionis,nisi proponendo obiectum motiuum,quod per modum actus primi voluntatem reuocet ab amore, & inuitet ad omissionem amoris, & ad actum positiuum illius, quia cognitio proponens obiectum odibile non destruit cognitionem proponentem illud amabile,neque tollit motiuum amoris:ergo non impedit illius operationem,sicut remotio ignis impedit calefactionem,sed positiuè in oppositum inclinat,per propositionem obiecti,quo voluntati persuadere intendit,vt ab amore desistat,& obiectum propositum odio prosequatur; sicut cùm trutina æquè libratas habet lances,& quantitas alteri superponitur,quæ illam deprimit,& alteram eleuat, alia quantitas posita in alia lance impedit depressionem,quam produceret prima quantitas; non per remotionem virturis,sed per conatum ad contrarium motum, & vtraque quantitas operationem alterius impedit per conatum ad propriam operationem incompossibilem cum operatione alterius: sic in cogitationibus inclinantibus ad amorem,& odium,quælibet proponendo suum motiuum,inclinat per modum actus primi ad suum actum,& hac ratione operationem alterius impedit,vel saltem non necessariam constituit,quia voluntas ad oppositam,inuitata ab hac cessare potuit.

49 Secundò impugnatur eadem solutio: Cogitatio remouens voluntatem ab amore,non tantùm præstat cogitationem inclinantem ad illum non inducere necessitatem voluntati, quando hæc liberè omittit; sed iam liberam voluntatem constitutam ad amandum, & non amandum,efficaciter mouet ad suspendendum actum amoris: ergo ex vi illius voluntas,non tantùm non amat necessario,verùm etiam liberè omittit amorem, quem posset elicere: ergo illa cogitatio retraxit voluntatem,non solùm ab amore necessariò,sed etiam libero,qui adhuc illâ positâ, ex vi alius cogitationis poterat oriri à voluntate: ergo non tantùm retrahit voluntatem ab amore per ablationem virium aliùs cogitationis ad voluntatem necessariò determinandam, neque per remotionem virtutis, vt talis cogitatio posset efficaciter voluntatem allicere ad amorem, sed per positiuam virtutem, quâ in actu primo voluntatem retrahit ab amore quod alio modo fieri nequit,nisi per manifestationem motiui, ratione cuius apparet obiectum, quasi indignum amore, quæ indignitas visa voluntatem retrahit ab illius amore, & omissionis est causa per modum motiui applicati per cognitionem.

50 Ex motiuo supernaturali supernaturalitatẽ extrinsecam trahere omissionẽ,tenet Ripalda disp.70.citatâ,n.45.negat P.Didacus Ruiz.disp.37.de prouidentia sect.1.& iure opti-

mo, non enim ex eo quod aliquid procedat ex motiuo supernaturali,supernaturale dici potest, quia supernaturalitas intrinseca est imbibita in ipsa entitate,& omissioni cõuenire nequit,vt fatentur omnes;extrinseca sine fundamẽto ex motiuo tantũ tribui potest, quia in rebus positiuis motiuũ supernaturale per se sufficiens non est ad inducendum effectum supernaturalem, ad quem semper supernaturale principium efficiens necessarium est: sed omissio non dependet à principio efficienti supernaturali,motiuum enim ex eo quod sit motiuum,efficiens non est: ergo nullum est fundamentum,vt omissio,adhuc extrinsecè,virtualiter,vel aliquo modo, supernaturalis dicatur. Nec de hac re amplius est contendendum, quidquid enim vltra hæc de illa dicatur,erit contentio de puro nomine, certum enim est, omissionem intrinsecè non esse supernaturalem, & iuxta principia tradita dependere aliquando à motiuis supernaturalibus, an verò præcisè ex hoc quod est in re, & nihil aliud, omissio dicenda sit extrinsecè supernaturalis, vel non,vltra nomen,differentia non est.

Id,quod Ripalda refert ibidem posse omissionẽ esse in- 51
trinsecè supernaturalẽ, secundùm opinionem aliquorum, qui omissiones distinguunt secundùm distinctionem principiorũ,à quibus procedunt,ita vt diuersa sit omissio,quando procedit ab hoc motiuo ab omissione, quæ est quando procedit ab alio,omni verisimilitudine caret,quia quotiescunque est omissio amoris, non est vllus amor,ergo est omnis possibilis negatio amoris.Probo cõsequentiam, esse negationis,nihil aliud est,quâ nõ esse actus,qui opponitur, sed quando voluntas omittit,nullus est actus aliquo modo: ergo est omnis negatio,omni modo quo potest esse: ergo semper est eadem,cùm semper æquè non sit actus.

§. V.

Argumentorum solutio.

Obiici solet contra conclusionem, quâ diximus posse 52
dari puram omissionem liberam S. Thom. 1. 2. q.71. art.9.& aliis in locis;sed parum fideliter Angelici Doctoris testimonia referunt aduersarij,quæ nostram sententiam non impugnãt,sed propugnant.Sic Doctor Angelicus art. 5.citato: *Ad secundum,dicendum,quod aliquid dicitur voluntarium,non solùm quia cadit supra ipsum actus voluntatis, sed quia in potestate nostra est, vt fiat, vel non fiat: vnde etiam ipsum non velle,potest dici voluntarium,in quantum in potestate hominis est velle,& non velle.* Hæc D. Thom. quibus verbis disertè nostram exprimit sententiam, & P. Vasquez oppositã tenens, illa interpretari conatur de actu reflexo, pertinente ad omissionẽ,quo dicat volũtas,volo omittere, quæ interpretatio vtilis est,ne tanti Doctoris sentẽtia apertè deseratur.

Obiicies secundò Omissio est negatio: sed ad negatio- 53
nem non datur potentia: ergo ad negationem non datur libertas,quæ essentialiter includit potentiam.Respondeo, non dari potentiam ad negationem respectu principij impotentis elicere actum negationi oppositum,exempli gratiâ,ad non videndum non est necessaria, neque datur potentia in lapide, dari tamen potentiam ad negationem respectu principij potentis elicere actum oppositum, & inuitati, seu quasi attracti ad illum,cui principio maximæ virtuti tribuitur,se cõtinere,& non prorumpere in actum, ad quem viuida cogitatio, vehementsque tentatio animum inclinabat. Hac ratione non potentiæ, sed imbecillitati, tribuitur,hominẽ tactum dulcedine obiecti,quod amplecti potest,illud statim,& quasi necessariò amplexari,& incontinenter,impotentesque vocamus,& dicimus,se continere non posse, & non esse sui compotes,homines, qui ita in obiectum belluino more, positiuè feruntur, quos valde potentes validissimósque viros diceremus,si eisdem euentibus,quibus, quasi fatali quadam calamitate, per actus positiuos in consuetudinem,quasi innatam,labuntur, de propria imbecillitate illis quidem fortiore per puram suspensionem actus victoriam reportarent.Ad formam argumenti respondeo. Ad negationem actus non est necessaria potentia,distinguo:Ad negationem actus, ortam à principio potenti exercere,& non exercere actũ,nego: Ad negationem actus,respectu subiecti impotentis actũ elicere, concedo,deinde nego consequentiam. Distinctionem clariùs percipies,si percalleas doctrinam,quam opportunè satis ad rem nostram tradit sapientissimus Soar. disp.19. Metaph. sect.4.n.11.Ad hoc,vt voluntas possit non agere, seu omittere,requiritur potentia, vt possit libere agere, per quam consti

constituitur voluntas potens non agere, sine qua non esset potens ad non agendum; sed impotens ad agendum, quæ duo inter se sunt valde distincta, in principio enim potenti ad non agendum, non actio, seu omissio oritur ab ipso principio, quod per potentiam physicam, & realem potens est agere, & similiter potens non agere; in principio verò impotenti ad agendum, sicut est lapis respectu visionis, negatio visionis, non lapidi tribuitur, tanquã principio illius, sed dicimus negationẽ visionis oriri in lapide ex negatione potentiæ ad videndũ, & hæc causalis vera est, ideo est negatio visionis in lapide, quia illi non est potẽtia ad videndũ, quæ causalis falsa est in homine liberè omittente, de quo non possumus dicere, ideo est in homine negatio amoris, quia illi non est potentia ad talem amorem eliciendum.

54 Obiicies tertiò. Voluntas purè omittens, nihil habet, per quod in actu secundo constituatur libera: ergo omissio non potest esse libera. Probatur consequentia: libertas in actu secundo debet dicere aliquid, quod non dicat in actu primo: sed in voluntate purè omittente nihil est, quod non sit in libertate per modum actus primi, ergo nihil est, quo constituatur libera in actu secundo. Respondeo, libertatem in actu primo non dicere actum, neque negationem illius, vt per se patet, quia libertas in actu primo est indifferens, vt coniungatur cum actu, & cum negatione illius, & libertatem in actu secundo dicere negationem actus, per quam voluntas, suppositâ libertate in actu primo constituitur libera in actu secundo.

55 Obiicies quartò. Libertas est potentia vitalis: ergo non potest reduci ad actum, nisi per actum vitalem, sed omissio non est actus vitalis: ergo non potest libertas per illam ad actum reduci. Respondeo, distinguendo primum consequens. Non potest reduci ad actum, secundùm positiuum, seu commissionis nisi per actum vitalem, concedo consequentiam: Non potest reduci ad actum, secundùm priuatiuum, seu omissionis, nisi per actum vitalem, subdistinguo: nisi per actum vitalem positiuum, nego consequentiam: nisi per actum vitalem negatiuum, hoc est per negationem actus vitalis, concedo consequentiam. Alio modo respondere poteris, si distinguas primum antecedens: libertas est potentia vitalis, distinguo: respectu actus positiui, concedo, respectu actus negatiui, etiam liberi, nego. Alio modo: libertas est potentia vitalis exercens suam vitalitatem per actum positiuum, concedo: exercens suam vitalitatem per actum negatiuum, nego: deinde nego consequentiam.

56 Obiicic. quintò. Omissio non est à principio intrinseco, neque voluntaria: ergo non potest esse libera. Respondeo, omissionem esse à principio intrinseco, & voluntariam negatiuè, quatenus potest tolli per actum voluntarium prouenientem à principio intrinseco, cuius est priuatio, & de facto non tollitur propter motiuum propositum per cognitionem intrinsecam, quod voluntatem detinet, ne eliciat actum, & tollat omissionem.

57 Obiic. sextò. Entitas libera, ablatâ illius libertate, manet voluntaria: ergo si omissio esset libera, ablatâ libertate, maneret voluntaria: sed omissio libera non potest esse voluntaria; ergo non potest esse libera. Respondeo, actum positiuum liberum, ablatâ libertate, manere voluntarium, quia remanet cum dependentia physica à voluntate, à qua cùm erat liber physicè, & moraliter dependebat; actum verò negatiuum, ablatâ libertate, non manere voluntarium, quia ablatâ libertate, aufertur dependentia moralis, quam habebat omissio à voluntate, & hac ablatâ, nulla illi remanet dependentia physica, quia omissio libera non physicè, & moraliter dependet à voluntate, vnde omissio amoris circa obiectum non cognitum non tribuitur voluntati, tanquam causæ physicæ, vel morali; actus verò amoris necessariò producti tribuitur voluntati, tanquam causæ Physicæ, illum producenti.

58 Obiic. septimò. Intellectus non potest omittere actum, ad quem habet sufficientia principia, nisi per alium actum: ergo neque voluntas id poterit. Respondeo, longè disparem esse rationem, quia intellectus est potentia necessaria, & non potest se ipsum determinare ad intelligendum, vel ad suspendendum actum, quem semel exercet, vnde vt cesset ab hoc actu, necessarius est alius actus incompossibilis cum isto, vel voluntatem illum determinare ad cessationem illius, quæ determinatio voluntatis, actum intellectus essentialiter supponit. Voluntas verò est potentia libera, quæ non indiget alio extrinseco determinante, sed ipsa per proprium positiuum actum se determinat ad amandum, & per negationem illius ad non amandum.

Obiicit ex Recentioribus Arriaga, sequi ex libertate omissionis, illã fore meritoriam, quam illationem, tanquam absurdã soluere conatur: sed Ripalda disp. 70. citatâ pagina cissimè defendit, tanquam consonũ Scripturæ, sanctis Patribus, & rationi, meritũ omissionis, & illud probat eisdem testimoniis, quibus Arriaga illud tanquam absurdum inferebat, quapropter quidquid sit de illatione, & merito omissiouis, tenendum est, omissionem posse dari liberam absque actu, qui sit causa illius, & nullum erit absurdũ concedere, omissionem esse meritoriam, si id inferatur, quod modo non definio, quia pendet illatio ex principiis requisitæ ad meritum, quorum examen Theologo datur, non Philosopho, rem intra terminos puræ Philosophiæ tractanti.

PVNCTVM II.

An possit dari omissio omnium actuum collectiuè sumptorum.

PRobaui iam voluntatem posse merè negatiuè se habere, omnémque suspendere actum circa obiectum propositũ; sed adhuc restat difficultas, an id possit præstare circa omnia obiecta proposita collectiuè sumpta, ita vt nullum actum ratione vigilante exerceat voluntas. Negat P. Ruiz de prouidentia disp. 42. sect. 7. n. 161. vbi asserit voluntatem teneri, quando intellectus intelligit, eligere vni ex actibus, quos ipse assignat, & refero. Primus est volitio deliberandi circa obiectum sibi propositum ab intellectu, vtrùm faciendum, vel non faciendum sit; vel vtrùm statim aggrediendum, vel quomodo, & quibus circumstantiis. Secundus est volitio non deliberandi, sed laxandi habenas intellectui, vt proponat, quod occurrerit, & provt occurrerit, cogitandum. Tertius est, volitio diuertendi cogitationem ad alia obiecta. Quartus est, volitio amans aliquod obiectum actu propositum. Quartus est, penetrandi melius & perseuerandi in intuitu, & consideratione obiecti, priùs repræsentati ab intellectu. Inter quas volitiones, & alias penè innumeras ab his contentas, asserit, teneri voluntatem vagè hanc, vel illam elicere, retentâ libertate circa determinatam quamlibet volitionem.

Sto pro affirmatiua parte cum Gaspare Hurtad. 1.1 lib. de Pecc. disp. 3. dific. 17. & affirmo, voluntatem posse purè negatiuè se habere circa omnia obiecta collectiuè sumpta. Conclusionem probo, eâdem ratione, quâ probaui, posse dari puram omissionem circa vnum obiectum, applicando eandem formam ad extensiorem materiam, Nullum obiectum necessariò proponitur voluntati necessariò amandum, vel odio habendum, seu nullus actus voluntatis per se sumptus, in particulari est necessarius: ergo adhuc disiunctiuè nullum tenetur exercere voluntas. Probo consequentiam; nullum est principium, quod determinet ad actum sub disiunctione, sed quodlibet determinat ad proprium suum actum: ergo si nullus actus in particulari est necessarius, neque in communi, seu sub disiunctione necessarius erit. Primum antecedens concedit Ruizius, & nullus negat, sæpe enim volntati omnia obiecta ita sunt proposita, vt possit à quocumque actu in particulari cessare, quia nullum proponitur summè bonum, quod ad amorem necessariò trahat voluntatem, vel ad odium, absque indifferentia determinet. Confirmatio consequentiæ firma videtur, quia quælibet cogitatio tantùm inclinat ad suum obiectum, & non ampliùs: ergo nulla datur, quæ determinet ad amandum rationem aliquam communem præter illam quam ipsa repræsentat. Fundamenta Ruizij oppositam tenentis sententiam prop onam, & soluam.

Arguit primò P. Ruizius: dominium respicit voluntatem, non in quantùm est causa naturalis, sed in quantùm est causa libera. At verò voluntas, vt causa naturalis, inclinatur ad bonum, sublatis impedimentis, ergo per libertatem voluntatis cohiberi ad hoc nõ potest. Respondeo, dominium voluntatis tantùm illã respicere, vt causam liberã, esse tamen liberam circa omnia obiecta proposita cum admixtione boni, & mali, & posse omnia obiecta aliquando ita proponi, vt in quolibet rationem aliquam inueniat mali & boni, & libera circa omnes actus, ad quos potens est, constituatur. Quando verò aliquod obiectum bonũ sine admixtione mali proponatur, vel bonũ in communi illi repræsente

repræsentetur, tum illud amare tenebitur; sed talis propositio, seu repræsentatio non semper occurrit.

4 Arguit secundò, nullum hominem posse scire in hac vita, an per puram omissionem, an per actum positiuum cesset ab omnibus volitionibus; quod si per actum positiuum se applicat ad volitiones suspendendas, iam tunc voluntas eliciet actum, quo dicat, volo omittere, quem si non eliciat, necessariò aliquem ex relatis est elicitura. Resp. admittendo nullum posse scire in hac vita, an cesset ab omni actu, & implicare sciri, neque apprehendi ab aliquo, nisi per summam ignorantiam, voluntatem cessare ab omni actu per actum positiuum; implicat enim ab omni actu cessare, dum habet actum positiuum; nego tamen, hoc deficiente, necessariò voluntatem elicituram aliquem actum ex relatis à Patre Ruizio.

5 Arguit tertiò, & hoc argumentum probationem principalem suæ conclusionis esse dicit: numquam posse voluntatem se reducere de potentia ad actum & redire ad habendas volitiones, nisi vera sit conclusio ab ipso tradita. Sequelam probat, quia postquam voluntas libera voluit suspendere omnem actum collectiuè per tempus, v. g. semiquadrantis horæ; transacto illo semiquadrante, nihil est, ratione cuius voluntas possit redire ad exercitium suarum actionum, neque se ad volitiones determinare, quia volitio præterita, quæ omissionem per semiquadrantem præfixit; nihil reliquit in voluntate, ratione cuius, illo tempore transacto voluntas se possit determinare, quia non potest liberam volitionem inchoare, quin aliqua volitio necessaria exercitium libertatis præcedat, quod probasse dicit sect. 3.

6 Supponit Doctissimus Pater voluntatem se debere determinare per actum positiuum ad omissionem, casu, quo illam sit habitura, quod falsum iudico, quia illa voluntas, quæ diceret, volo omittere omnem actum, non conduceret ad omissionem sui; faciliùs enim voluntas illa volitione careret; si eam non habuisset, neque ad volitionem aliorum actuum, quia tempore, quo esset tota omissio omnium actuum collectiuè sumptorum, non erat futura illa volitio: ergo per se ipsam ad nihil poterat voluntatem determinare, volitio enim, quæ non est, sed fuit, nihil potest influere, nisi media sui cognitione, cognitio autem voluntati diceret: tu proposuisti suspendere omnè actum, vel quodvis aliud nouum obiectum proponeret, in quod posset voluntas tendere actu positiuo, ac proinde difficiliorem omissionem redderet. Ex his respondeo, voluntatem posse cessare ab omni actu, absque eo quod præcesserit aliquis actus positiuus, quo se ad cessationem determinauerit; sed per puram omissionem se constituendo purè omittentem, & determinatam ad omissionem, sicut determinatur ad actum amoris per ipsum amorem absque eo quod præcesserit actus, quo dicat, volo amare. Eodem modo affirmo, voluntatem posse in quocumque instanti ad positiuum libertatis exercitium redire, ex vi cognitionum, quibus voluntas liberè omittebat, quod posset in quocumque instanti semiquadrantis efficere, etiamsi antea decreuisset, per illud tempus omittere, quia actus, quo diceret voluntas, volo per semiquadrantem omittere, non ita illam necessariò determinaret ad omissionem, vt non posset operari, & non omittere toto illo tempore. Illud quod addit, voluntatem in quolibet negotio incipere ab actu necessariò eiusdem voluntatis primum actum liberum præcedentem, forsan non est verum, quia ex eo quod obiectum ab intellectu voluntati proponatur sub ratione boni, & mali, voluntas poterit absque alio præuio actu eiusdem, liberè illud amore, vel odio afficere. Sectionem tertiam, qua id probasse dicit, legi totam, in quam eruditionè, quam in omnibus hic author doctissimè affectat, reperi, nihil tamen ratione, neque authoritate firmum ad conclusionem probandam inueni. Si autem verum sit voluntatem incipere in quolibet negotio ab actu necessario, in his ad quæ positiuè determinat, in illis, in quæ per puram omissionem tantùm tendit, hoc admitti necessarium non est.

7 Arguit quartò. Si Deus non necessitat voluntatem quoad exercitium aliquam volitionem determinatam vagè, non poterunt defendi S. Thomas, & alij Scholastici dicentes causas secundas necessarias, & liberas moueri & applicari à Deo non solùm quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium. Resp. Deum applicare, & mouere causas secundas liberas quoad exercitium, quia illis præbet concursum generalem, & cogitationes ministrat, quæ causam liberam ad exercitium actus mouent, & inclinant per modum actus primi, dependenter tamen ab illius libertate, ex vi cuius poterit voluntas, suppositâ hac applicatione, & motione per modum actus primi adhuc in sensu composito, non se aliquo positiuo actu exercere.

Arguit quintò, non posse, nisi in sua sententia conciliari testimonia S. Thomæ & aliorum, asserentium voluntatem non necessitari ad volitionem boni, seu beatitudinis in communi quoad exercitium, & postea affirmantium, talem volitionem esse necessariam. Respondeo, non pertinere ad perfectam huius difficultatis tractationem, testimonia relata conciliari, & in quacumque sententia, vt sonant explicatu sunt difficilia; nihil enim est aliud, voluntatem necessitari, quàm actum necessarium elicere. Possunt tamen prædicti Doctores intelligi, cùm dicunt voluntatem necessariò amare beatitudinem, seu bonum in communi, de voluntate præuenta cogitatione boni, & beatitudinis sine admixtione mali; quando verò non dicunt, non necessitari ad hanc volitionem quoad exercitium, sed quoad specificationem, interpretari possunt de voluntate secundùm se, provt astrahit ab ipsa præuenta cogitatione, vel sine illa, quia quando voluntas non præuenitur cognitione boni, seu beatitudinis in communi, non est necessaria ad exercitium, ad quod adhuc non est proximè potens, est tamen determinata semper quoad specificationem, quia ratio boni in communi, vt sic, numquam potest odio haberi.

Arguit sextò, secundùm doctrinam ab ipso traditam, 9 Angelis fore similiorem animum rationalem, qui nũquam possunt ab omni actu cessare. Respondeo, naturam voluntatis humanæ me constituere ex principiis Philosophicis, & effectibus, quos in illa agnosco, independenter à maiori vel minori similitudine cum Angelis, de quo modò non curo, neque aliquid definio, quia nihil de similitudine extremorum potest tradi, quovsque vniuscuiusque natura eæactè sit explicata.

CONTROVERSIA XI.

De intentione & electione.

PVNCTVM I.

Explicatur obiectum intentionis, & electionis.

INTER omnes actus voluntatis, primus omnium 1 est quidam simplex affectus, quo bonum voluntati placet secundùm se consideratum, absque vllo ordine ad possessionem, absentiam, vel præsentiam illius. Affectus iste primogenitus voluntatis, nomen genitricis assumit, & voluntas dici solet: alias amor strictus, provt distinguitur à desiderio, quod bonum adquirendum respicit, & gaudio, quod iam adquisitum intuetur. Ex hoc actu omnes alij, quibus voluntas obiectum prosequitur, originem trahunt: inter quos vnus est desiderij actus qui respicit bonum obtinendum. Desiderium istud aliquando est in ordine ad media, aliquando sine illo respectu ad ipsa, sæpè enim quis desiderat obtinere dignitatem præcisè ex eo quòd illi repræsentetur commoda, & illâ careat, quin illi in particulari, neque in confuso media aliqua in ordine ad illam adquirendam repræsententur. Frequentiùs tamen desiderium istud ordinem dicit ad media aliqua, confusè, vel determinatè cognita, quibus dignitas illa adquirenda est, & illam voluntas dependenter à mediis adquirere desiderat, cuius applicationem virtualiter, & quasi implicitè amat, quia eo ipso quòd quis enixè desiderat honorem Crucis D. Iacobi obtinere mediis obsequiis Regi factis, & facinoribus egregiis pace, bellóque perperratis, virtualiter vult illa obsequia Regi præstare, & hæc faciniora peragere, vt dignitatem, & propositum sibi honorem consequatur.

Hæc desideria aliquando sunt efficacia, aliquando non 2 efficacia sunt. Efficacia dicuntur illa, ex vi quorum nullum non medium ponetur ad finem obtinendum, & componi nequeunt cum omissione positionis medij requisiti

ad propositum sibi finem consequendum, dummodò tale medium in desiderantis potestate sit.

3 Ex his desideriis, illud quod efficax est, & media connotat, in omnium sententia intentio dicitur: desiderium aliud quod non necessariò infert mediorum applicationem, ab aliquibus excluditur à ratione intentionis, dicunt enim hi de ratione intentionis esse efficaciam per modũ actus primi, & connexionem cum mediis, quæ à voluntate dependent. Desiderium aliud, quod media non respicit, quia regitur ab actu intellectus non repræsentante, neque confusè, neque explicitè media aliqua, ferè omnes Authores à ratione intentionis explodunt. Sed adhuc illud attentioris mentis rimandum intuitu. Forsan enim illius natura expressius cognita sibi intentionis rationem arrogabit. Potest voluntas efficaciter amare bonum aliquod sibi adquirendum, affectu quodam regulato per actum, neque expresè, neque confusè proponentem media ad illud consequendum, ita vt liberum voluntati non fuerit, aliquid de mediis vllo modo decernere, tamen ex vi illius desiderij, sic esse affectam circa tale obiectum, vt propositis mediis ab intellectu, quibus talis finis est consequendus, ex vi illius primi desiderij illa prosequetur voluntas propter finem prius amatum obtinendum, tali modo, vt licèt primum illud boni desiderium, neque expresè, neque confusè, media tetigerit, sicut tangit illa actus, quo dicit voluntas, volo obtinere dignitatem per media, tamen illa tangit quasi interpretatiuè, quia ex vi illius, vt primum media proponantur ab intellectu, voluntas alio actu feretur in illa, & propter bonum illud desideratum obtinendum, illa mandabit executioni. Huiusmodi desiderium nullo modo à ratione intentionis excludendum puto: Etenim ex vi illius potest esse electio mediorum, & propositi finis certa exequutio. Ergo propriam & rigorosam intentionis naturam, & conditiones apprimè conseruabit.

4 Addo desiderij actum, quo ita afficitur voluntas circa finem, cuius media non sunt ab intellectu proposita ex vi cuius mediis positis potest voluntas moueri ad illorum electionem, etiamsi huiusmodi electionem necessariò non inducat, non esse vllo pacto excludendum à ratione intentionis, si intentio aliqua ex se non efficax admittatur, quam quidem iure optimo admittendam censeo. Ratio est: quia affectus ille, quo voluntas tendit propter se in aliquod bonum, ex vi cuius potest voluntas determinari ad applicationem mediorum, & finem propter se amatum obtinere non sine iniuria à ratione intentionis excludetur.

5 Affectum alium efficacem in voluntate reperio, circa bonum acquirendum, propter suam bonitatem amatum independenter à mediis, quia nullum est necessarium ad tale bonum obtinendum verbi gratia affectus, quo ego potens elicere actum virtutis, amo illius exercitium propter honestatem intrinsecam ipsius independenter à mediis, quia nullum est requisitum ad exercendum talem actum, qui immediatè est in voluntate, quem ego inter intentiones annumero, quia de ratione intentionis puto non esse connotationem ad media, quando hæc necessaria non sunt ad finem, sed bonum propter se amatum obtinendum, quia de ratione intentionis tantùm est, virtualiter velle omnia, quæ requisita sunt ad finem obtinendum & media illa tenetur amare voluntas ex vi intentionis, quæ necessaria sint, plura, vel pauciora, & præter necessaria, non alia: ergo si nullum medium est necessarium ad finem obtinendum, non erit contra rationem intentionis talis finis nullo modo agere de medio. Alio modo posset talis effectus dici propria intentio, quia ex vi illius ita est affecta voluntas, vt si media necessaria essent ad obtinendum tam finem, illa applicaret. Exemplum adhibui in actu interno internum alium imperante, quia vix potest obiectum externum inueniri, in quod voluntas feratur independenter ab aliquo medio, si enim intendam elargitionem externam eleemosynæ propter honestatem virtutis, honestas virtutis distinguitur ab ipsa actione externa, & hæc potest se habere tanquam medium respectu illius, si actum comedendi, vel deambulandi propter delectationem capiendam, delectatio quæ se habet tanquam finis intentus distinguitur à deambulatione, & comestione, quæ se habent tanquam media: & sic de quocumque alio obiecto externo, medium aliquod inueniri poterit.

6 Ex dictis constat, tantum excludendum esse à ratione intentionis ex actibus, quibus voluntas bonum acquirendum amat propter se, actum quo ita gelidè voluntas bonum prosequitur, vt ex vi illius volitionis nullum medium eligere valeat, talis est actus quo quis vellet sibi naturam Angelicam impetrare, vel se in Deum conuerti.

Ex his inferes, malè docuisse Aureolum apud Capreolum, in secundo distinctione decimaquarta, quæst. 1. intentionem non esse actum voluntatis, sed circumstantiam electionis, quia *intendere* est alicuius gratia hoc facere, quod circumstantiam electionis tantùm importat, neque omnino standum esse D. Bonauenturæ asserenti in 2. distinct. 39. part. 2. quæst. 2. intentionem æquè ad voluntatẽ, & ad intellectum pertinere, sed dicendum, totam illius rationem formalem in actu voluntatis sitam esse dependentem ab actu intellectus, ac proinde hunc prærequiri ad intentionem, non tamen esse de ratione formali illius, ita D. Tho. 1. 2. q. 8. & ferè omnes Doctores in 2. dist. 38. ratio est, quia intendere est, tendere in aliquod obiectum per affectum, quod proprium est voluntatis: à posteriori etiam probatur quia ex intentione præcipuè dependet bonitas, & malitia operum, & harum illa est præcipuum fundamentum; opus enim ex se bonum, dicimus vitari ex intentione, & malitiam trahere ex illa, ex quo infertur, intentionẽ esse actum voluntatis, quæ fundamentum est proximum bonitatis, & malitiæ, & subiectum illius. Neque refert, intentionem esse circunstantiam electionis, vt actus voluntatis non sit, quidam enim actus alius circunstantiæ esse optimè potest, itaque concedendum est Capreolo, intentionem esse circunstantiam electionis, sed negandum est illi non esse actum voluntatis. 7

Electio est volitio efficax rei particularis, quæ non propter se amatur, sed propter finem intentum ad quem conducit. Differt ab intentione, quia illam supponit, & quia intentio fertur in suum obiectum, propter se ipsum, neque propter bonitatem propriam illius sed propter finem, intentum consequendum. Dixi electionem esse volitionem rei particularis, quia electio, vt postea dicam, supponit consultationem, & consilium intellectus, circa medium conducens ad finem obtinendum. ex quo consilio prouenit, vt voluntas medium, quod illi fuerit propositum aptum ad finem obtinendum, amplectatur propter ipsum finem, & illum ab aliis, quæ omittit secernat. Hac ratione volitio mediorum propter finem electio dicitur, cuius nominis significatio importat discretionem vnius ab alio, vel ab aliis quibus est coniunctum. Quod si posita intentione efficaci finis, voluntas nullo consilio præeunte circa bonitatem mediorum, eliciat actum, quo dicat, volo elicere media propter finem non respiciendo medium aliquod in particulari, talis volitio non erit electio perfecta, quia non erit immediatè efficax; actus enim qui nullum medium in particulari respicit nullum in particulari potest efficere, medium autem in communi non efficitur, neque talis actus consilium supponit, quod est de ratione intentionis, neque vnum secernit ab alio, neque erit appetitus præconsiliati, ideſt medij electi præsuppositio consilio intellectus, quod est de ratione electionis, vt docuit Aristotel. 3. ethic. c. 2. & ex illo eodem Philosopho, & S. Thoma, Damasceno, & aliis rectè ostendit P. Vasquez 1. 2. disp. 41. c. 3. & Soar disp. 18. sect. 1. sapiet tamen naturam electionis, actus, quo voluntas amat media in communi propter finem obtinendum, quia vult illa, quæ vtilia sunt ad finem propter intentionis motiuum. 8

Insurgit difficultas, an volitio medij vnici propter finem obtinẽdum habeat rationem electionis. Pars negatiua suaderi potest, quia eligere est vnum præ alio sumere, vbi autem vnicum est medium non potest illud sumi præ alio, si quidem non est aliud, quod assumi possit. Deinde vbi non sunt plura media, non potest esse consilium intellectus circa illorum electionem, neque potest vnum cum alio conferri, vt hoc assumatur, illo relicto: ergo non potest esse electio. Propter hanc rationem, negantem sententiam tenet P. Vasquez 1. 2. disp. 43. c. 2. n. 11. & q. 34 art. 4. num. 12. vbi plura adducit testimonia Aristot. asserentis, idem esse consultabile, & eligibile, ex quo infert, medium vnicũ non esse eligibile, quia non potest esse consilium de illo, quod necessariò est eligendum. Consentit P. Salas 1. 2. t. 1. lib. 6. sect. 5. §. *dico tertiò*, ad finem. Nihilominus dicendum est cum Soar. suprà num. 2. volitionem vnici medij propter finem obtinendum esse propriè electionem, licèt enim non participet rationem illam, à qua nomen electionis, est impositum, videlicet discretionem vnius ab alio, tamen habet 9

habet totam rationem intrinsecam, quam haberet volitio eiusdem medij etiamsi non esset vnicum, quia volitio medij vnici tendit in idem obiectum materiale, & formale, in quod tenderet, si tale medium vnicum non esset, quod si non illam præcedat consilium, quo media conferuntur, præcedit tamen cognitio practica, quâ iudicatur, medium illud esse vtile, & prudenter applicari ad finem obtinendum, & similiter præcedit consultatio, non de prælatione mediorum, quæ non apparent, sed an sint alia media, vel non, ad finem obtinendum, an illud medium, quod vnicum apparet, & habet veram, vel apparentem tantùm vtilitatem ad finem obtinendum, & ex vi cognitionis, quâ cognoscitur, habere veram vtilitatem, secernitur ab aliis rebus, quæ vtilia non apparent, & his, quæ vtilia apparent, & non sunt.

10 Obiectum electionis debet esse aliquid, quod à nobis fieri potest: conspirant in hanc conclusionem omnes, qui de hac re agunt. Ratio est manifesta: ex intentione mouemur efficaciter ad media ponenda, & ad aliquid operandum, vt finis obtineatur: ergo debent talia media posse à nobis poni, & tales operationes esse in nostra potestate, aliàs voluntas non ad illas efficaciter moueretur, nequit enim voluntas efficaciter ferri in obiectum, quod non illi repræsentetur, vt possibile. Quod si aliquando eligamus illa, quæ non facimus, vt cibos, ligna, ignem, &c. illa eligimus eo modo, quo sub nostram cadunt potestatem, quatenus nobis coniuncta, vel passo applicata, coniunctione, & applicatione, quæ possunt exhiberi à nobis, sic eligimus sumptionem cibi, quem non facimus, quatenus illa potest fieri à nobis, & applicationem ignis, quem non producimus, quatenus ille potest à nobis cuicumque passo applicari.

11 Ex his inferes cum communi Doctorum sententia, electionem esse actum voluntatis connotantem, vel supponentem actum intellectus: ita D. Thom. quæst. 22. de veritate artic. 15. vbi dixit, electionem dependere à ratione, tanquam à forma non simpliciter, vt existat, sed vt sit prudens, vel imprudens, quod eodem docuit Aristoteles 6. ethic. cap. 5. vbi dixit: *Quapropter electio, vel est intellectus appetitiuus, vel appetitus intellectiuus.* Et in hunc sensum explicandus est, D. Thomas 1. 2. quæst. 13. art. 1. vbi dixit, electionem materialiter esse in voluntate, & formaliter in intellectu. Hæc omnia clarè docuit Aristoteles 3. Ethic. cap. 3. vbi dixit: *Quid, aut quale quid est electio, cum nihil sit eorum, quæ diximus, videtur itaque sponte quidem à nobis fieri, attamen non omne, quod sponte agimus, est eligibile, sed id cuius consultatio antecesserit, electio namque cum ratione est, atque mente.* Et cap. 3. eiusdem libri subdit: *& ipsa electio deliberatiua operatio rerum erit earum, quæ in nostra sunt potestate.*

Punctum II.

An distinguantur intentio & electio.

§. I.

Proponuntur aliorum sententiæ.

1 EXplicui obiectum intentionis, & electionis, est modò explicandum, an voluntas eodem actu feratur in vtrumque, an verò prius feratur in obiectum intentionis volitione quadam, quæ voluntatem determinet ad aliam, quâ attingat obiectum electionis, ita vt hæc obiecta diuersis tangantur actibus: quam quæstionem sub alio titulo, videlicet an voluntas eodem actu feratur in finem, & in media propter finem, exagitant interpretes Diui Thomæ prima secundæ, quæstione 8. art. 3. & sub terminis à nobis propositam quæst. 12. art. 4. P. Vasquez 1, 2. disp. 33. cap. 2. docet, diuersum esse actum, quo voluntas fertur in finem ab actu, quo amat media propter finem, ac proinde esse diuersam intentionem ab electione. Refert pro hac sententia Gregorium in 1. distinct. 1. quæst. 1. art. 2. Marsil. 1. quæst. 4. artic. 1. dub. 2. P. Vasquium sequitur P. Gaspar Hurtad. 1. 2. lib. de actibus voluntatis disp. 3. diffic. 4. qui ex eodem Vasquio docet, voluntatem finis indirectè, & quasi in obliquo, amare media, non verò directè, & expressè, & voluntatem medij similiter indirectè in obliquo tantùm finem attingere, eandem sententiam tandem tradidit Salas, qui postquam variè de hac scripserat 1. 2. tit. 5. disp. 1. sect. 6. n. 64. dicit, probabilius existimare volitionem finis effectiuè concurrere ad electionem medij, ac proinde distingui intentionem ab electione, & diuerso actu amari finem propter se, & media propter finem. Pro eadem sententia refero P. Iacobum Ruizium tom. de Prouident. lib. 3 disp. 36. sect. 5. n. 12. vbi ait, intentionem sine dubio concurrere efficienter ad electionem mediorum; tandem eidem sententiæ tribuo Authores, quos pro illa refert idem Ruirius ibidem, plures enim illorum tantùm asserunt, intentionem mouere ad electionem, vt constat ex verbis, quæ ex S. Thoma refert Ruizius, quod absque vllo influxu physico intentionis in electionem fieri potest, & adhuc hoc influxu physico admisso, in sententiam oppositam explicari possent illius assertores, vt dicam postea.

Voluntatem aliquando eodem actu amare expressè, & 2
formaliter, finem & media propter finem docet Azor lib. 1. c. 25. q. 7. Salas suprà n. 64. & alij innumeri apud ipsum n. 60. Eandem sententiam defendit P. Soar. 1. 2. lib. 1. disp. 8. sect. 6. cuius sententiam ex professo referam, plura enim in illa inuenio, quæ non leuem difficultatem audienti inferent. Docet n. 2. electionem semper habere idem motiuum cum intentione, & semper ipsa electione esse finem aliquo modo volitum, quamuis aliquando tantùm virtualiter, & concedit n. 4. hoc fieri posse sine cognitione actuali finis, asseritque infirmum nihil cogitantem de sanitate, sumere potionem, quam non vult propter ipsam. Addit n. 5. per electionem posse amari finem expressè & formaliter, non vt obiectum *quod*, sed vt *quo*. Et postea cùm sibi obiecisset, non posse obiectum amari vt *quo*, quin amaretur vt *quod*: Respõdet, sinè amari vt *quo*, tantùm esse, amari media virtute actuum præcedentium circa finem, & sufficere, vt voluntas feratur in medium, vt ordinatur ad finem virtute actus respicientis finem, vt finis dicatur amari vt *quo*: sicut actu fidei quis credit obiectum reuelatum propter summam veritatem reuelantem, quamuis actu non credat, Deum esse summam veritatem reuelantẽ. Tandem concludit intentionem, & electionem aliquando realiter distingui, tunc tamen electionem vniri intentioni tanquam partem parti, ex quibus totum quoddam heterogeneum resultat, compositum ex intentione, & electione.

§. II.

Nonnulla præmittuntur ad propriam sententiam præcipuè contra P. Suarium.

PRo decisione quæstionis statuo, posse rationem aliquam 3
esse obiectum *vt quo* amoris, vel odij, & non amari, vel odio haberi *vt quod*, sed tantùm *vt quo*, v. g. esse rationem formalem, & motiuum, vt alia obiecta amentur, vel odio habeantur, ipsa tamen, neque amari, neque odio habeti, huius rei exempla passim suppetunt: vult Deus conferre malum aliquod pœnæ propter peccatum commissum, malum illud est obiectum *vt quod* amatum: peccatum autem est obiectum, quo Deus mouetur ad tale malum inferendum, & obiectum *vt quo* amoris, seu prosequutionis erga pœnam, non tamen peccatum illud est obiectum *vt quod* amoris, seu prosequutionis respectu voluntatis diuinæ. Deus displicet de obiecto peccaminoso v. g. de comestione carnis mala moraliter, obiectum *vt quo* huius displicentiæ est malitia, qua talis comestio constituitur moraliter mala, & in multorum opinione malitia conflatur ex ipsa actione, & libertate tenente se ex parte actus primi, & ex aliis circunstantiis, quæ Deus non odio habet, & in quibus non displicet.

Statuo secundò contra P. Soar. rationem aliquam esse 4
obiectum *quo* respectu actus, seu actum respicere tãquam obiectum *quo* rationem aliquam, non esse fieri virtute aliorum actuum, illam respicientem, sed immediatè, & intrinsecè illam tangere, tanquam rationem formalem tenentem se ex parte obiecti respectu actus, quo amatur *vt quo*. Ratio est facilis: obiectum *vt quo* est id, quo voluntas mouetur ad obiectum *vt quod*, & ratio formalis sub qua voluntas tangit obiectum *quod*: ergo se debet tenere ex parte obiecti talis actus: ergo vt sit obiectum *vt quo* huius actus, non sufficit terminare alium actum à quo iste procedat, quia quilibet actus voluntatis proprium habet motiuum sub quo tangit obiectum materiale, & ex eo ratio aliqua est motiuum *quo* actus, quia ipso tangitur, non verò quia

tangatur

tangatur alio actu, qui sit causa illius, vt patet in actu imperante, & imperato, imperatus enim ab imperante procedit, non tamen ideo actus imperatus respicit motiuum imperantis, neque *vt quod*, neque *vt quo*, actus enim amoris imperatus ab actu pœnitentiæ, tantùm respicit motiuum amoris non verò motiuum pœnitentiæ.

5 Statuo tertiò contra eundem Soarium, non posse esse obiectum amatum *vt quo* nisi actualiter cognoscatur sub illa ratione, sub qua mouet. Hanc conclusionem existimo esse certissimam, quia obiectum *vt quo* est ratio formalis, quæ mouet, & formaliter terminat actum voluntatis, vt suprà dixi; ergo debet esse cognita, quia non potest mouere ad amorem, neque trahere voluntatem, ratio illa, quæ non cognoscitur, neque possum ego amare obiectum propter bonitatem quam in illo non apprehendo, vt perspicuum est, aliàs omnia obiecta æquè mouerent voluntatem, quia si possent amari, vel odio haberi propter bonitatem, & malitiam, quæ in illis non cognoscuntur, quodlibet obiectum posset amari, vel odio haberi propter quamlibet bonitatem, vel malitiam.

6 Eandem conclusionem tenerem etiamsi assentirem Suario asserenti, obiectum *quo* dici respectu huius actus, ex eo quod actus procedat ab alio tale obiectum respiciente, in cuius sententia meam conclusionem necessariò tenendam esse, sic probo. Vt ratio finis obiectum *vt quo* electionis, debet procedere electio ab intentione respiciente finem, sed vt intentio respiciat finem, requiritur cognitio illius: ergo vt sit obiectum *quo* electionis, requiritur talis cognitio. Dices ex Suario, requiri cognitionem finis tempore præexistentem ad electionem, non tamen coëxistentem electioni. Contrà: in instanti temporis, in quo electio procedit ab intentione, debet existere intentio simul cum electione, quia nulla causa potest non coëxistere effectui tempore, quo influit in illum: sed in instanti, in quo est intentio, necessariò est cognitio finis: ergo in instanti, in quo electio procedit ab intentione, debet esse cognitio eiusdem finis; ergo finis nullo modo potest esse motiuum *vt quo* electionis, nisi tunc temporis proponatur voluntati, vel tanquam motiuum formale terminans electionem, seu actum respectu cuius dicitur obiectum *quo* in mea sententia, vel tanquam obiectum actus influentis in illum, respectu cuius dicitur obiectum *quo* in sententia Patris Suarij. Ex his inferes, verum non esse quod docuit Soar. infirmum non cogitantem de sanitate, potionem sumere, non propter ipsam, sed propter sanitatem, de qua nihil cogitat. Exemplum, quod adducit de credente obiectum reuelatum propter primam veritatem reuelantem, quin actu cognoscat primam veritatem reuelantem, eandem difficultatem habet, & eodem modo negandum est.

7 Statuo quartò, electionem distinctam ab intentione, non esse vniendam integraliter actui intentionis; sed fore actum adæquatè distinctum ab intentione. Hæc conclusio est contra Soarium suprà, & contra plures alios, qui eam docent apud Salas suprà. Ratio est, quia intentio & electio, etiamsi idem obiectum formale respiciant, inter se sunt valdè dissimiles, & illud diuerso modo respiciunt; intentio enim tantùm expressè & formaliter respicit ipsum finem; electio verò non tantùm respicit finem; sed media propter finem. Deinde nullum est caput, ex quo requiratur hæc vnio inter intentionem, & electionem, præcipuè cùm constet de intentione subsistere posse sine electione: ergo absque fundamento talis vnio inter electionem, & intentionem confingitur. Vrgeo: Controu. 1. de anima, Punct. 7. dixi, partes animæ diuisibiles non esse inter se heterogeneas, quia si adeò essent diuersæ, vt vna pars principium esset nutritionis, & ratiocinationis, & alia nutritionis tantùm, non possent integraliter vniri; ergo eadem ratione intentio, & electio ob notabilem differentiam, quam in se habent, integraliter vniri non poterunt. Dices, illam esse differentiam notabilem inter partes animæ, non verò istam inter intentionem, & electionem: Quæ sit notabilis differentia, vel non, arbitrio prudentis tax da est non alia fixa certaque regula, quapropter non possum ratione metaphysica solutionem repellere, illam tamen reiicio à paritate aliarum entitatum. Species impressa directa alicuius obiecti, in communi sententia, non vnitur cum reflexa eiusdem ob differentiam, quam in se habent, & sic similiter alia plura accidentia: ergo cùm maior sit differentia, quæ intercedit inter electionem, & intentionem, sufficiens erit, vt hi duo actus inter se non vniantur.

§. III.

Propria sententia explicatur.

DIco primò: Voluntas sæpè efficaciter intendit finem actu, qui non expressè, & formaliter media respicit; neque rationem habet electionis, sed tantùm intentionis. Ab hac conclusione dissentit nullus, & est expressa Diui Thomæ, vt postea ostendam, illamque facilè probo. Sæpè quis sibi statuit, rem aliquam obtinendam, firmitérque apud se decernit, illam consequi, quin illi appareant media, quibus talem rem est adepturus, neque expressè de illis cogitet: ergo tunc talis voluntas rationem habet intentionis, & non attingit electionis naturam, quæ essentialiter est volitio expressa mediorum. 8

Dico secundò: Omnis electio formalis essentialiter attingit motiuum intentionis, & finem respicit, saltem vt motiuum, quo tendit in media. Hanc conclusionem tenent ferè omnes Thomistæ, Soar. loco citato, Salas suprà, & expressè traditur à D. Thoma cum conclusione præcedenti, 1. 2. quæst. 8. art. 4. in corpore vbi hæc habet: *Respondeo dicendum, quod cum finis sit secundum se volitus; id autem quod est ad finem in quantum huiusmodi non sit volitum, nisi propter finem, in quantum huiusmodi sine hoc quod feratur in ea, quæ sunt ad finem.* En primam conclusionem à nobis traditam subdit immediatè secundam Angelicus Doctor: *Sed in ea, quæ sunt ad finem, in quantum huiusmodi non potest sisti, nisi feratur in ipsum finem.* idem clarissimè docet quæst. 11. art. 4. cuius pulchra verba etsi non breuia, præter morem refero, tum quia elegantissima, tum quia clarissima, & expressissima, ad duplicem conclusionem propositam propriis terminis tradendam: sic D. Thomas: *Respondeo, dicendum, quod motus voluntatis in finem & in id quod est ad finem, potest considerari dupliciter: vno modo secundum quod voluntas in vtrumque fertur absolute & secundùm se: & sic sunt simpliciter duo motus voluntatis in vtrumque. Alio modo potest considerari secundùm quod voluntas fertur in id quod est ad finem; cum enim dico, volo medicinam propter sanitatem, non designo nisi vnum motum voluntatis: cuius ratio est, quia finis est ratio volendi ea, quæ sunt ad finem, idem autem actus tendit super obiectum, & super rationem obiecti, sicut eadem visio est coloris, & luminis.* Quod si ex mente D. Thomæ voluntas non potest ferri in ea, quæ sunt ad finem, vt ipse verbis relatis expressè testatur quin feratur in finem, finis saltem erit motiuum *vt quo*, & amatus *vt quo* amore mediorum. Secundò probatur conclusio. Tota essentia, & ratio constitutiua electionis, per quam distinguitur à ratione formali electionis in eo sita est, quod electio non respicit medium, quod proprium illius est obiectum propter ipsum, sed propter aliud, videlicet propter finem: ergo de ratione electionis est attingere finem, tanquam id propter quod medium attingit, & tanquam motiuum amoris mediorum, ex ipsis enim terminis implicationem videtur inuoluere, hanc volitionem tendere in hoc propter illud, quin ipsa volitio attingat hoc, & illud. Confirmatur; si electio formaliter, & intrinsecè finem non respiceret, medium esset id, quod vltimò ab illa respiceretur, & ratio formalis motiua tenens se ex parte obiecti, propter quam ipsum medium amaretur, finis enim non respectus ab electione, non posset esse ratio motiua illius, tenens se ex parte obiecti: ergo medium haberet rationem finis vltimi, & esset propter se amatum: ergo volitio medij non haberet rationem electionis, sed intentionis: ergo non daretur formalis electio respectu finis. 9

Probatur secundò eadem conclusio: Si volitio medij non respiceret rationem formalem finis, actus quo quis vult diuinis officiis interesse propter videndam puellam, quam tuppiter amat, nullam haberet dehonestatem obiectiuam, imò potiùs ratione obiecti esset honestus, & dignus præmio: consequens nullus Theologus audebit admittere: ergo antecedens est falsum, si firma sit consequentia, quam sic stabilio. Hic actus respicit hoc, quod est interesse diuinis officijs 10

officiis tanquam medium ad turpem visionem : hoc quod est adesse diuinis officiis secundùm se, secluso fine, est honestum , & laude dignum : ergo si non respicit hic actus finem tenentem se ex parte obiecti , hic actus ex obiecto nullam poterit dehonestatem habere siquidem tantùm respicit obiectum honestum,& laude dignum.

11 Respondebis , hunc actum habere dehonestatem , non ex fine, quem formaliter respiciat, tanquam proprium illius obiectum,sed ex intentione finis,à qua procedit,quia electio etiàsi non intrinsecè respiciat finem, vt obiectum, procedit tamen ab intentione illius efficienter , vera efficientia physica,vel saltem morali, qua electio determinatur ab intentione,ratione cuius influxus & efficientiæ trahit dehonestatem,& malitiam ab intentione,& cõsequenter à fine,qui est intentionis obiectum. Contrà : ergo talis electio propter finem turpem nullam malitiam, neque dehonestatem habebit ab obiecto,sed tantùm à principio: ergo ratione obiecti potiùs est honesta , & laude digna, quàm turpis & inhonesta. Probo consequentiam : actus charitatis vel religionis respiciens proprium motiuum hohonestum,quantumuis imperetur actu reflexo respiciente motiuum inhonestum ; v. g. actus quo quis vellet elicere charitatem ega Deum propter vanitatem, semper retinet suam honestatem obiectiuam intrinsecam actui,& dicimus talem actum intrinsecè esse honestum : ergo si actus , quo quis vult adesse diuinis officiis propter finem turpem,non respicit finem turpem tanquam motiuum tenens se ex parte obiecti, talis actus habebit honestatem obiectiuam, ex eo enim illam retinet actus imperatus respiciens motiuum honestum, etiamsi procedat ab imperante respiciente motiuum turpe,quia motiuum imperantis non refunditur in imperatum:ergo si motiuum intentionis non refunditur in electionem,electio respiciens medium honestum, suam honestatem intrinsecam retinebit,etiamsi procedat ab intentione respiciente turpe motiuum.

12 Probatur tertiò eadem conclusio : Si electio non respicit motiuum finis,non potest habere rationem propriam electionis,neque media possunt dici amari propter finem; ergo electio essentialiter respicit motiuum intentionis. Antecedens probatur : Influxus actiuus intentionis in electionem,etiamsi detur,non sufficit,vt obiectum electionis sit amatum propter finem:ergo vt medium ametur propter finem , illius volitio debet respicere , tanquam rationem obiectiuam , finem propter quem amatur. Patet anteecdens in actibus imperatis respectu imperantium,quamuis enim actus charitatis imperet actum misericordiæ , & in illum influat actiuè vera efficientia actiua,vt multi volunt, seu efficientia morali determinante voluntatem ad elicientiam actus , nihilominus actus misericordiæ respicit suum obiectum propter ipsum , neque dicimus misericordiæ actum velle suum obiectum propter motiuum charitatis:ergo vt hoc obiectum ametur propter illud,non sufficit,vt actus respiciens hoc obiectum producatur ab actu respiciente illud, sed necessarium est , vt actus respiciens hoc obiectum tangat illud propter quod dicitur hoc amare. Si dicas cum P. Vasquez , electionem respicere finem indirectè, & in obliquo , & hac ratione posse velle media propter finem:Obiiciam;in opinione P.Vasquez,sicut electio attingit in obliquo obiectum intentionis,ita intentio attingit in obliquo obiectum electionis : ergo ex hoc capite,si hæc obliqua magis non explicentur,non magis electio tendet in medium propter finem,quàm intentio in finem propter media.

13 Dico tertiò:Potest voluntas eodem actu velle formaliter,& expressè media propter finem , & finem ipsum non tantùm vt obiectum amatum *vt quo*, sed *vt quod* amatum, ita vt talis actus habeat rationem propriam intentionis, & electionis identificatam , & dicatur electio , quatenus respicit media propter finem,& intentio quatenus respicit finem propter se ipsum. Hanc conclusionem docet Soar. loco citato. Antonius Perez sect.1. examinis , part.3.c.5. & 6. Salas suprà n.60. & innumeri apud ipsum;inter quos Thomistæ. Caiet. Conr.Medina,& alij illam defendunt,vt traditam à D.Thoma,verbis pro conclusione ptæcedente à me relatis,quibus illam expressè tradidisse puto,quia tamen posset aliquis S.Thomam interpretari de fine amato *vt quo* voluntate mediorum,quod non tantùm intendimus conclusione præcedenti,alia verba ex eodem articulo desumam, quibus constat, non tantùm loqui de fine amato, *vt quo* , sed etiam *vt quod* , qui dicitur electione ipsa volitus, & amatus,& non tantùm ratio volendi,& amandi.Sic obiecerat in 2.Angelicus Doctor : *Eodem actu videtur lumen, & color,ergo idem est motus voluntatis , quo voluntas fertur in finem,& in ea quæ sunt ad finem.* Respondet postea:*Ad secundum dicendum quod quandocumque videtur color , eodem actu videtur lumen,potest tamen videri lumen, sine hoc quod videatur color,& similiter quandocumque quis vult ea,quæ sunt ad finem, vult eodem actu finem , non tamen è conuerso.* Quibus verbis comparat B.Thomas visionem coloris, quæ nùquam contingit sine visione luminis,ad voluntatem mediorum,quæ semper est volũtas finis,& visio lucis,quæ sæpè non est visio coloris,ad voluntatẽ finis,quæ non semper est voluntas mediorum, sed si lumen , & color videantur eodem actu, lumen non tantùm videtur *vt quo* sed *vt quod*, & est obiectum,quod denominatur visum : ergo quando medium,& finis amantur eodem actu,finis non tantùm amatur *vt quo* sed *vt quod* est obiectum , quod denominatur volitum , & amatum. Idem clarissimè docet quæst.12. art. 4. loco suprà adducto.

Ratione conclusionem sic probo. Eodem indiuiduali 14
actu voluntas diuerso modo respicit finem *cuius*,& finem *cui*, & eodem indiuiduali actu amat voluntas Deum propter se,& proximum propter Deum amatum : ergo eodem indiuiduali actu potest amare diuerso modo finẽ,& media; finẽ propter se,& media propter finẽ.Confirmatur:bonitas quæ mouet ad amorẽ mediorũ,non est bonitas intentionis, sed bonitas finis, qui est obiectum intentionis : ergo possunt amari media propter bonitatem finis , quin supponatur ad amorem illorum intentio finis iam amata per alium actum dummodo ametur per ipsam volitionem mediorum , & poterit mediorum amor dependere à fine,& non ab amore finis, cùm sit idem cum amore mediorum.

Dico quartò. Si voluntati simul proponantur finis , & 15
media conducentia ad talem finem secundùm totam conuenientiam absolutam, quam habet quodlibet medium in ordine ad finem obtinendum , & secundùm respectiuam, quam habet vnum præ alio, itavt nullum aliud consilium expectet ad eligendum potiùs hoc medium , quàm illud eodem actu feretur in finem,& in media,quibus talem finem obtinere placet. Pro hac conclusione refero omnes Authores adductos pro præcedenti , asserentes aliquando eodem actu amari finem , & media propter finem , quam sic probo. Voluntas potest eodem actu amare finem & media propter finem,& aliàs non potest amare efficaciter finem,quin amet media,neque ferri in media quin feratur in finem, saltem ex vi aliûs actus:ergo si illi sint sufficienter applicata,eodem actu omnia illa prosequetur,ad quid enim dandi sunt actus diuersi respectu obiectorum , quæ possunt eodem tangi, & quorum vnius amor connexus est cum amore alterius? Confirmatur: volitio medij necessariò debet attingere finem,saltem vt motiuum *quo*, vt iam probaui, & si illum non attingat vt obiectum *quod* , debet dari alius actus distinctus , qui finem tangat vt obiectum *quod*,deinde non facilè intelligitur, vt postea dicam,quomodo finis possit esse obiectum *vt quo* & non *vt quod* : ergo melius dicetur eodem actu,quo amantur media amari finem *vt quo*, & *vt quod* sine multiplicatione actuum, cùm nullum sit fundamentum ad talem multiplicationem adstruendam.

Obiicies primò:Assensus præmissarum semper præcedit 16
assensum conclusionis ; ergo amor finis semper præcedit amorem mediorum. Respondeo , non sine aliquo fundamento posse negari antecedens,quia S.Thomas q.12.art.4. citato,postquam relatis verbis dixerat, eodem actu amari finem,& media propter finem,asserit eodem modo dicendum esse de intellectu respectu assensus præmissarum & conclusionis,verba Doctoris Angelici sic se habent , *Et est simile de intellectu , quia si absolutè principium , & conclusionem consideret , diuersa est consideratio vtriusque, in hoc autem, quod conclusioni propter principia assentit , est vnus actus intellectus tantùm.* Dato tamen antecedenti , nego consequentiam; est enim diuersa ratio , quia in discursu cognitio antecedentis ducit in cognitionem consequentis , & discursus essentialiter est illatio vnius ex alio , & eadem cognitio non potest ducere in se ipsam,neque inferri ex ipsa;illatio enim,& deductio in cognitionem ex cognitione , essentialiter dicit distinctionem inter ipsas cognitiones.Intentio verò & electio neque dicũt ductionem vnius in aliud, neque illationem vnius ex alio,tantùm enim dicit electio esse amorem mediorum propter finem , & dependere ab

ipso

ipso fine tanquam ab obiecto formali, propter quod media amantur, quod fieri potest, etiamsi mediorum amor non dependeat ab amore finis. Adde, assensum præmissarum esse propositionem obiecti formalis, in quod fertur assensus conclusionis, intentio verò non est propositio obiecti formalis electionis, quod non per intentionem, sed per cognitionem sui supponitur, vt voluntas media propter illud amplectatur.

17 Obiic. secundò. Intentio non supponit consilium, sed electio illud, supponit: ergo distinguitur intentio & electio. Respondeo, distinguendo maiorem: Intentio identificata cum electione non supponit consilium, nego maiorem: intentio non identificata cum electione, concedo maiorem: sed electio supponit consilium, concedo minorem: ergò intentio distinguitur ab electione; distinguo consequens; Intentio quæ non supponit consilium concedo consequētiam: intentio, quæ illud supponit, nego consequentiam.

18 Obiic. tertiò, Amor mediorum est propter amorem finis: ergo amor mediorum distinguitur ab amore finis. Respondeo, negando antecedens, quia amor finis non est propter amorem finis, sed propter ipsum finem; finis enim definitur, cuius gratia cætera fiunt, hoc est, propter quem cætera amantur. Instabis, finis non mouet ad electionem mediorum secundùm se, præcisè quatenus bonus est, sed quatenus amatus: ergo ad hoc vt moueat ad amorem mediorū, debet supponi amatus; ergo amor finis debet supponi ad amorē mediorum, ergo amor mediorū & amor finis necessariò distinguuntur. Resp. finē non moueri ad amorem mediorum, quin moueat ad amorem sui, quia potest non amari, id propter quod amantur alia, ac proinde quotiescumque media amantur propter finem, finis debet amari, vel amore, qui supponatur ad amorem mediorum, vel ipso amore mediorum; & in hoc sensu potest dici, finem vt amatum, moueri ad amorem mediorum, non verò propriè & strictè, quia amor finis non semper præsupponitur ad amorem mediorum, sed aliquando idem est amor mediorum, & finis.

19 Obiicies quartò: Sæpè intentio est amor, & prosequutio sui obiecti, & electio est odium, & fuga proprij obiecti; & è contra, intentio est fuga, detestatio, & odium obiecti, & electio prosequutio, & amor medij: sæpè enim quis ex intentione boni obtinendi detestatur, fugit, & odio habet id, quod potest boni consequutionem retardare, & ex detestatione, fuga, & odio mali imminētis voluntas amat tanquam medium, id quod potest auertere tale malum: sed idem actus non potest esse amor, & prosequutio, simúlque fuga, & odium: ergo idem actus non potest habere rationem electionis, & intentionis. Respondeo cum Soar suprà, Salas num. 69. eundem actum posse esse volitionem & nolitionem respectu diuersi obiecti; quod docet Vasq. disp. 35. cap. 4. n. 25. ex Caietan. 1.2. q. 8. artic. 3. Capreol. in 1. dist. 1. quæst. 1. art. 3. ad 4. asserentibus, eundem actum posse esse odium, & amorem, quia detestatio peccati ex complacentia Dei est odium respectu peccati, & amor respectu Dei.

20 Dico quintò: Postquam voluntas habuit efficacem intentionem finis, non tendentem in media, quia nondum de illius conuenientia plenè consuluerat, postea cùm iam illam ad satietatem agnouit, cùm per electionem fertur in media conuenientia ad finem obtinendum, simul fertur in finem, tanquam in obiectum, *vt quod* amatum ex vi illius actus, ita vt per illum quasi repetatur intentio, & voluntas amet, non solùm media, sed finem, eo modo, quo vtraque amaret si simul primò fuissent finis, & media, discussa illorum conuenientia proposita. Hanc conclusionem ex præcedenti sic infero. Si simul fuissent proposita media, & finis cum omni notitia requisita ad faciendam electionem, voluntas eodem actu amplecteretur finem & media: ergo cùm posteaquam semel finem amauit, cùm media cum omni ipsorum conuenientia, & finis proponuntur eadem ratione, eodem actu feretur voluntas in hæc obiecta, ac si nūquam alio actu finem attigisset, quid enim refert priùs amasse finem sine mediis expressè amatis, vt modò per alium actum simul amet finem, & media, cùm eodem modo sit amatura voluntas finem propter media, & non possit hæc amare, quin eodem amore attingat finem saltem vt obiectum *quo*.

21 Dices, electionem medij simul cogniti cum omni sua conuenientia esse amorem finis, electionem verò medij, ad cuius cognitionem supponitur amor finis non esse huius amorem, quia ante ipsam iam supponitur finis amatus, ac proinde superfluè per alium actum amaretur, imò amari non posse, quia non potest esse simul in voluntate duplex amor eiusdem obiecti. Facilè solutionem reiicio. Secundus ille amor superfluus non erit, quia cùm necessarius sit amor, quo amentur media propter finem, necessarius est amor tendens in finem, saltem vt in obiectum *quo* media amantur, si tamen semel admittitur nouus amor tangens finem *vt quo*, cur non dicetur illum tangere vt obiectum *quod*, cùm sit valde difficile concipere finem amatum vt *quo*, & non vt *quod* ex vi eiusdem actus. Ad vltimum, quod obiiciebatur, non posse esse simul in eadem voluntate duplicem amorem eiusdem obiecti. Respondeo, dato antecedenti, non ex illo inferri, electionem non ferri in finem tanquam in obiectum amatum *vt quod*, sed voluntatem destituram à primo amore, quo finem, & non media per ipsum expressè, & formaliter amabat. Dixi, dato antecedenti, quod facilè negari potest, quia etiamsi duplex amor eiusdem obiecti, eiusdem omnino rationis non possit esse in eadem voluntate, si tamen amor sit diuersæ rationis, etiamsi ob idem formale motiuum, componi potuerit in eodem subiecto, sicuti componuntur duplex species impressa, & expressa, directa & reflexa eiusdem obiecti, quia sunt actus inter se dissimiles, etiamsi idem obiectum formale pertingant; sic intentio finis identificata cum electione mediorum, & intentio finis non attingens media propter ipsum, rectè componentur in eodem actu propter diuersitatem actuum, & illorum dissimilitudinem.

Secundò probo, electionem non distingui ab intentione respiciente medium in particulari. Intentio respiciens 23
medium in particulari, est actus, quo dicit voluntas, volo vt sit hic finis per hoc medium, sanitatem, scilicet, per scissionem venæ in quo actu formaliter includitur amor scissionis venæ. Electio est actus, quo dicit voluntas, volo vt sit hoc medium, vt ex vi illius sit finis; in quo actu necessariò includitur amor finis, si enim voluntas dicit, volo scissionem, vt sit sanitas, expressissimè dicit, volo vt sit sanitas, vterque enim actus idem obiectum includit, quia idem formalissimè est, velle assequi finē per tale medium, & velle vtile medium ad assequendum finem, quod est idem, ac velle, vt per tale medium finis assequatur, vt bene docet suprà Perez, velle autem finem per tale medium, intentio dicitur, & velle medium ad talem finem, seu velle vt per tale medium finis assequatur, dicitur electio ex diuerso modo significandi, seu concipiendi eundemmet actum, qui intrinsecè, & realiter est intentio, & electio; & hoc modo cōceptus intentio dicitur; illo verò significatus electio appellatur, sicut eadem via accliuis est, & decliuis, dicitur tamen accliuis hoc modo inspecta, & decliuis illo considerata. In hunc sensum interpretor Angelicum Doctorem q. 12. art. 4. ad 2. vbi intentionem, & electionem distinguit, sicuti motum sursum, & deorsum: nomine autem motus non intelligit actionem ipsam, qua corpus mouetur ad spatium, per quod mouetur, vt expressè constat ex ipsius verbis, ait motum sursum, & deorsum esse vnum, & tantùm differre secundùm principium, & finem, quod verum non est de ipsa actione, qua corpus mouetur, est enim diuersa actio, & adæquatè motus diuersus, quo ego tendo Matrito Toletum, ab actione, qua tendo Toleto Matritum. Constat etiam, hunc esse Angelici Doctoris sensum ex textu Aristotelis quem refert pro sua doctrina 3. Physic. textu 21. vbi expressè Philosophus agit de identitate viæ, non verò de identitate, nec de distinctione motuum, & illud satis vulgare exemplum adducit de via à Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas.

Ex his infero, finem non posse esse motiuum *vt quo* me- 24
dia amentur, quin finis ipse sit amatus, vt obiectum *quod*, licet enim plura obiecta possint attingi *vt quo*, actu prosequutionis, sine eo, quod attingantur *vt quod*, vt patet in exemplo adducto de amore pœnæ, cuius motiuum, quo pœna amatur, est peccatum, & peccatum ipsum non est obiectum *vt quod* talis amoris, hoc in fine contingere nequit, diuerso enim modo amantur media propter finem, ac amatur pœna propter delictum, quia vt quis intendat pœnam propter delictum, neque actu, quo pœnam amat, neque alio, tenetur amare delictum: ad hoc verò vt quis amet media propter finem in omnium opinione, tenetur saltem ex vi illius actus amare finem tanquam obiectum, non solùm *vt quo*, sed *vt quod*. Ex qua disparitate robur accipit nostra conclusio: quando amo creaturam propter Deum,

Deum, non solùm amo creaturam, & Deum vt obiectum *quo*, sed ipsum Deum vt obiectum *quod*, quia non possum amare creaturam, quin amem ipsum Deum: ergo quando amo medium propter finem, illo actu non solum amo finem vt obiectum *quo*, sed etiam vt obiectum *quod*, quia non possum amare media propter finem, qui namem finem. Ex hac doctrina regulam istam tibi præfiges; quando vt aliquod obiectum ametur, vel odio habeatur propter aliud, quod sit motiuum *quo*, necessum est vt tale aliud mouens vt *quo*, sit obiectũ *quod* amoris, vel odij ex vi alicuius actus, respectu illius actus, cuius est motiuum *quo*, erit etiam obiectum *quod*: quando verò vt sit motiuum *quo*, amoris, necessum non est, esse obiectum vt *quod*, adhuc amoris distinstinctiposterit esse obiectum vt *quo* amoris, quin ametur per talem actum. Hac ratione potest peccatum esse motiuum, *quo* ametur pœna, quin ipsum peccatum ametur *vt quod*; quia ad amandum pœnam propter peccatum, necessum non est, amari peccatum aliquo actu; finis verò non potest esse motiuũ, *quo* media amẽtur, quin talis finis ametur, *vt quod*, quia non potest subsistere amor mediorum, sine amore finis. Neque creatura potest amari propter Deũ, quin eodem actu Deus ametur vt obiectum *quod*, quia non potest amari creatura propter Deum, quin Deus ipse ametur. Dixi, peccatum posse esse obiectum *quo* amoris pœnę, quin ipsum peccatum ametur, non verò quin ipsum peccatum sit obiectum *quod* talis actus, quia forsan ex vi eiusdem actus, quo amatur pœna propter peccatum, peccatum ipsum odio habetur tanquam obiectum *quod*, ita vt sit obiectum *quo* actus, quatenus est prosequutio pœnæ, & obiectũ *quod* eiusdem actus, quatenus est displicentia peccatisicut actus, quo detestor peccatum propter Deum, respicit Deum tanquam obiectum *quo* detestationis peccati, & tanquam obiectum *quod* amoris erga Deum, imbibitum in eodem actu; quia sicut ad hoc vt detester ego peccatum propter Deum, requiritur amor erga Deum; ad hoc vt Deus velit pœnam propter peccatum, requiritur displicentia erga peccatum ipsum: ergo sicut inferimus ex eo quod sit necessarium, Deum esse obiectum *vt quod* amoris, vt sit obiectum *vt quo* detestationis peccati, habere has duas rationes obiecti *vt quod* amoris, & obiecti *vt quo* detestationis peccati respectu eiusdem actus, sic ex eo quod sit necessarium, peccatum esse obiectum *quod* displicentiæ circa se ipsum, vt sit obiectum *vt quo* amoris erga pœnam, inferre debemus rationem hanc obiecti *vt quod* displicentiæ circa se ipsum, & obiecti *vt quo* amoris erga pœnam, habere respectu eiusdem actus.

Punctum III.

De connexione inter intentionem, & electionem.

1 Disputant Theologi de connexione inter actum intentionis, & electiouis, quam difficultatem iuxta diuersas sententias, de horum actuum naturis expediã. Si primus voluntatis actus, quo fertur in finem, sit etiam expressus, & for nalis amor efficax mediorum, nulla potest in hac re difficultas exagitari: cùm enim omnino sit amor mediorum, & finis, idemque omnino intentionis, & electionis actus, vnus ab alio oriri nequaquam potest. Proprium locum inuenit quæstio in opinione, quæ distinguit amorem mediorum ab amore finis, quo finis ipse attingitur vt obiectum *quod*. Neque quæstionem fugimus asserentes, omnem amorem mediorum respicere finem tanquam obiectũ amatum vt *quod*, cùm asseramus, aliquando hunc amorem tendentem in media propter finem, & in finem ipsum vt obiectum *quo*, & *quod*, esse posteriorem sæpe sæpius alio amore, quo tantùm expressè amatur efficaciter finis, & non expressè media, quia nondum ad illorum conuenientiã est mediata voluntas. Neque de illis ad satietatem vsque consilium iniuit intellectus, iuxta quem dicendi modum dubiũ suboritur, quomodo amor iste mediorum, & finis, qui consilium supponit, nascatur ab illo priori, qui consilium præcessit. Aperiam quid iuxta communem sententiam, quid iuxta hunc dicendi modum, sentiendum sit.

2 Vna est fere omnium Doctorum sententia, voluntatem ex intentione efficaci teneri ad actum illum electionis, qui necessarius fuerit ad media obtinenda, quapropter si multa occurrunt, quibus idem medium potest obtineri, tenetur sub disiunctione vnum vel alterum eligere, quod si medium fuerit vnicum illud tenetur eligere voluntas: ita D. Th. 1. p. q. 19. art. 3. q. 82. art. 2. & 1. 2. q. 10. art. 2. ad 3. & q. 13. art. 6. ad 1. & 2. Valen. ibid. disp. 2. q. 8. punct. 3. Azor. tom. 1. lib 1. c. 17. Salas 1. 2. tr. 6. disp. 1. sect. 5. n. 38. Valq. 1. 2. disp. 43. c. 4. Soar. 1. 2. disp. 8. sect. 4. n. 4. & interpretes D. Thomæ in loco citato, quos propriis locis apud suprà relatos inuenies. Neque oppositam sententiam apud auctorem bonæ notæ reperio; pro illa nescio quos doctores suppresso nomine refert Medina. Dixi, sentire hos auctores, voluntatem teneri suppositã intentione finis, ad eligendum vnicum medium, abstrahendo ab illa quæstione, an volitio vnici medij sit propriè electio, & consequenter ab electione, propriã, & impropria, quod consequenter satis ad suã principia notauit Vasq. n. 11. vbi dixit conclusionem traditã intelligendam esse de electione propria; vel impropria, hoc est, de volitione medij vnici propter finẽ. Hæc dixerim de electione orta ex intentione, quæ respicit exequutionem finis in instãti, in quo ipsa elicitur, quæ statim vrget ad electionẽ faciendã, quia electio ex intentione, tempore præcedente finis exequutionem, quæ potuit hac, vel illa temporis mensura fieri, specialem exigit disputationẽ, vt illius necessitas, libertásve nobis innotescat, quã infra exhibebo.

Conclusionem sic explicatam probat Vasquez, quia supposita intentione efficaci, nulla potest apparere ratio mali in medio vnico, ac proinde voluntatem teneri ad illud amplectendum, quia hæc necessariò amat quidquid sub nulla mali mixtura illi proponitur vt bonum: non posse in medio vnico apparere rationem mali, probat, quia etiamsi in se tale medium malum sit, & difficile, hanc malitiam nõ habet in ordine ad finem, neque illam habet quatenus vtilẽ ad finem, ac proinde sub ratione vtilis, & relati ad finem omnino bonum apparet. Tanti Magistri pace, illius rationi non acquiesco, quia etiamsi medium, vt medium formaliter, & vt vtile, ad finemque relatum, malum non sit, si tamen in se malitiam habet absolutam intrinsecam entitati, sufficiens hæc posset esse ad retrahendam voluntatem à prosequutione talis finis, qui enim suppositã intẽtione, secum init consilium de mediis eligendis, non tantùm considerat malitiam, quam habet medium in ordine ad finem: sed etiam quam in se habet, & ex duobus mediis quibus æquali infallibilitate finis obtineretur, hoc alteri præfert, quia in se non habet malitiam absolutam, quam habet aliud: ergo ad electionem faciendam, plurimum cõducit bonitas absoluta, vel saltem defectus absolutæ malitiæ, & hæc ex sua natura retrahit voluntatem ab electione medij, quæ in se malum est etiamsi nullam respectiuam malitiam habeat. 3

Contra eandem rationem secundò sic insurgo: medium vnicum in ordine ad talem finem singularem cognitum vt vtile, & vnicum in ordine ad suum finem cum eadem bonitate, & malitia apparet suppositã intentione efficaci, & illa secluſa: ergo si intentione efficaci secluſa, non ita bonum apparet, vt necessitatem inferat voluntati amandi illud, neque hac intentione posita, talem necessitatem inducet. Consequentiam legitimam esse puto, & antecedens facile probandum esse censeo: Intentio efficax, neque est quid se tenens ex parte obiecti respectu cognitionis, quã repræsentatur medium vt vtile, neque aliquid ponit in ipso medio, ratione cuius melius conducere possit ad finem, vel in se minorem habeat difficultatem, & malitiam absolutam: ergo eodem modo cognoscitur medium ex parte obiecti posita intentione efficaci, & illã ablata: sed ablata non apparet adeò bonum, vt necessitatẽ inducat volantati illud amplectendi: ergo neque illa posita, præcisè per obiectiuam bonitatem talem necessitatem inducet. Vltimò, si medium illud quod non apparet cum ratione mali formaliter vt medium, & vt relatum ad finem vtileque ad illud obtinendum, necessitatẽ inferret voluntati, nullum medium ad bonum finem ordinatum illam non induceret, quia tunc medium, quatenus medium, & formaliter quatenus vtile ad bonum finem, est bonum formaliter & non malum, quia præcisã ratione vtilitatis ad bonum finem est bonitas, in qua non reperietur malitia sub eadem ratione vtilitatis: sed sub alia quæ materialiter se habeat respectu talis, & respectu ad finem. 4

Melius existimo conclusionem probari, ex eo quod voluntas efficaciter amans finem, tenetur illum amare eo modo, quo possibilis est: ergo si mediũ est vnicũ ad finem obtinendũ, cùm finis possibilis non sit, nisi per tale medium, tenetur voluntas velle finem per tale medium: velle autem finem per hoc medium ad finem obtinendum. 5

Cùm media plura occurrunt, finis possibilis non est, nisi per aliquod medium illorum. Vnde voluntas efficaciter amans finem, tenetur velle finem per aliquod medium, quo possit comparari, quia cùm finis comparari nequeat nisi per medium aliquod,& hoc determinatè in exequutione ponendum, & voluntas efficaciter intendat finem comparare, tenetur velle in particulari medium aliquod exequi, vt finis possibilis sit, nihil enim efficaciter amari potest, nisi eo modo, quo possibile est. Hac ratione cùm medium aliquod requisitum ad finem obtinendum impossibile apparet,finis ex impossibilitate medij impossibilis redditur,& voluntas ab illius intentione desistit,quod docuit Arist.3.Ethic.c.3.vbi ait,*quod si consultantes in aliquid inciderint,quod quidem fieri nequeat desistunt, vt si pecuniis opus est,his autem habere non possint.*

6 Intentionem necessitare voluntatem ad electionem alicuius medij, sub disiunctione, vel determinati vnici, si aliud non apparet, iuxta modò dicta in opinione, quæ electionem ab intentione distinguit verum esse existimo propter rationem dictam. Addo tamen, quod doctè notauit Soar suprà num.5. & Salas dicto tractat.6. disput.1. sect.5. n.40.intentionem solam non necessitare ad cognitionem, sed simul cum cognitione vtilitatis, & necessitatis medij, quia quamtumuis voluntas efficaciter finem amet & medium vnicum sit,& simpliciter necessarium,si non cognoscatur illius necessitas, voluntas non tenebitur illud eligere, etiamsi appareat vtile. Docuit etiam optimè Salas n.40. intentionē medij cum cognitione necessitatis illius, non inducere necessitatem eligendi in illo instanti,in quo primò est intentio cum prædicta cognitione, sed in instanti,in quo finis est exequutioni mandandus:v.g.intendo ego modò efficaciter Missam audire die crastina, video necessarium esse ad hanc auditionem Ecclesiam petere, non teneor modò eligere hoc medium,neque illud positiuè velle,sed sufficiet, si illud eligam tempore, quo Missa est audienda, quia ante illud, neque electio, neque medium necessarium est ad finem obtinendum; ex intentione autem id tantùm infertur, quod necessarium est ad finis consequutionem,ex quo infertur, non sufficere intentionem finis, & cognitionem vtcumque necessitatis medij ad inferendam necessariò electionem, sed requiri cognitionem, qua iudicetur, hic & nunc vrgere exequutionem finis secundùm decretum intentionis.

7 Obiic.sequi ex hac doctrina, nullam intentionem non respicientem instans determinatum posse ad electionem determinare. Obiectionem explicabit exemplum:Intendo ego finem ad cuius executionem necessaria est electio medij intra hunc annum,& ante intiatiuum sequentis. Hæc electio tantùm potest esse necessaria in instanti,in quo vrget illius necessitas ad finis exequutionem, & in quolibet instanti antecedenti liberè fiet: sed nullum est instans, in quo ita vrgeat, vt non possit in aliud subsequens differri: ergo non est instans,in quo ita vrgeat, vt necessaria sit, & non libera euadat.Minor facilè probatur in sententia Aristotelis componentis continuum ex infinitis partibus proportionalibus, quia nullum est instans pertinens ad hunc annum ante instans initiatiuum sequentis ita illi immediatum, intra quod non distent alia infinita instantia posteriora instanti assignato pertinenti ad hunc annum, & priora initiatiuo anni sequentis.

Si dicas,necessitatem electionis vrgere tempore determinato ante initiatiuum anni sequentis, quia non potest durare tantùm tempore indeterminato, sed est necessariò duratura tempore determinato,ac proinde vt habeat mensuram, quâ possit durare necessum esse incipere tempore determinato ante instans anni sequentis, facilè tibi effugium præcludetur,quia electio poterit incipere hoc anno, & durare in sequenti, ac proinde ad terminatam durationem etiamsi inceptura sit hoc anno, non tenetur incipere tempore determinato ante instans intiatiuum anni sequentis. Deinde eadem remanet difficultas, etiamsi hoc anno esset tempore determinato duratura, quia nullum datur instans, in quo debeat incipere electio, vt duret in hoc anno tempore determinato, post quod non detur aliquod, in quo si inciperet electio, non posset tempore determinato durare.

Dices, cognitionem humanam non posse præscindere
9 inter hæc instantia, etsi in re sint distincta, sed certum determinatum tempus immediatum anno venturo reputare pro vltima,& indiuisibili mensura immediata instanti initiatiuo anni venturi; quæ quidem mensura,etsi secundùm se totam non sit immediata physicè tali initiatiuo, moraliter est immediata, quia non potest voluntas quicquam intra illam expectare prudenter, secura sibi postea tempus futurum,in quo possit electionem exhibere. Solutio hæc respectu humani intellectus forsan poterit subsistere,verumtamen respectu intellectus Angelici omnino ruit,quia Angelus cùm intuitiuè tempus cognoscat,certò scit post hoc instans, quod ab aliis distinguit, esse aliud præcedens initiatiuum anni venturi, quod cognoscit de quolibet instanti,quod tu assignes ad hunc annum pertinenti.

Res hæc difficilis, indigna tamen longâ explicatione, 10
non enim placet præcipuam Philosophiæ materiam prolixà continui compositione, & infinitudine partium numquam explicata permiscere,quæ si explicaretur,alia explicatione non indigeret argumentum in hac materia factum ad quam absurdè trahitur difficultas continui, quæ hic nos vrget, ex materia enim,quam tractamus, nihil illius desumitur. Respondeo, electionem factam in mensura diuisibili, siue indiuisibili, immediatè præcedentem initiatiuum anni venturi,esse necessariam,in illa enim vrget finis ad electionem; An verò possit assignari hæc mensura immediata indiuisibilis, vel necessariò diuisibilis sit assignanda,ad continui compositionem pertinet.

In mea sententia,quæ electionem omnem affirmat,formaliter esse intentionem, alia insurgit quæstio.An quando 11
voluntas finem intendit absque expresso amore huius medij in particulari actu quodam, qui formalitatem electionis non sortitur, postea ex vi eius intentionis alia formaliter inferatur, quæ sit simul electio, & intentio, itaut intentio identificata cum electione, oriatur ab alia intentione,quæ rationem electionis non habet. Certum est, in illa temporis mensura, qua vrget exequutio finis iuxta decretum primæ intentionis, non posse voluntatem primam illam intentionem conseruare, & non elicere aliam, quæ formaliter tendat in singulare medium, quo finis est exequutioni mandandus propter rationem illam generalem intentionis efficacis,quæ sine electione medij esse non potest.Suboritur tamen difficultas.An prior illa intentio, quæ electio non est, componatur cum intentione, quæ sit electio, vel an voluntas desistat à prima illa intentione non attingente singulare medium,& aliam eliciat,qui pertingat finem, & medium hoc singulare, quo finis est exequendus.

Vasquez disputatione 2. quæst.4. pun.2. Hisp. in 1.dist.1. 12
quæst. 1.not.7.& ad 1.& 3.contra 3. concl. Dur.in 2.dist.24. quæst.2. num.25. affirmant, actum præcedentem non permanere. Durandi fundamentum est, non posse in sua sententia coëxistere duos actus in intellectu, neque in voluntate, quod omnino falsum est, & omni ratione destitutum:assensus enim præmissarum, & conclusionis necessariò simul existunt, & in aliis potentiis exterioribus compertum est, simul percipere plura obiecta specie distincta, simúlque plures elicere sensationes: potentiæ autem, quò perfectiores sunt eò plures actus simul exercere valent, vnde si potentia visiua pluribus simul se exercet visionibus, cur intellectus, & voluntas non poterit pluribus se actibus exercere? & intellectus actum fidei elicit imperatum pro effectu voluntatis, qui cognitione regitur distincta ab actu fidei, & illi coëxistente,ex quo manifestè probatur posse intellectum plures habere actus, & in voluntate Beati manifestè patet, qui numquam ab amore summi boni desistit, & plures alios actus similes exercet. Posset nonnullam vim fundamentum desumere restrictum ad diuersos actus amoris, vel odij respectu eiusdem obiecti, quod non adeò manifestis instantiis, atque rationibus potest reiici, nihilominus alienum est à veritate, quia sicut in eodem subiecto reperiuntur plures species impressæ, & plures species expressæ in eadem potentia respectu eiusdem obiecti absque vlla alia vnione, eo præcisè,quod obiectum diuerso modo repræsentent:in intellectu cognitio, in qua formaliter consistit definitio, & cognitio definiti,quibus obiectum confusè, & expresè repræsentatur; cur non poterunt esse in voluntate duo actus,quibus idem obiectum diuerso modo ametur; vnus, quo ametur obiectum,& media confusè cognita,non potius hoc,vel illud alius,quo ametur idem finis,& hoc singulare medium,quo extra causas ponendus est.

Hoc reiecto fundamento, modus ille defendi posset,eò 13
præcisè,quod aduenientе secundo actu,primus necessarius non

non est; sed contra illum occurrit non leuis difficultas, quia si actus ille primus non coexistit actui secundo qui rationem habet electionis, non poterit ad illum determinare, neque electio modo aliquo ab intentione procedet quia nullus effectus potest procedere à causa, cui in primo instanti suæ existentiæ non existit, dicere autem, voluntatem determinari in hoc instanti ad eligendum mediũ, ex eo quod in præcedenti finem efficaciter intendisset sicut dicunt nonnulli, materiam determinari ad recipiendam formam in hoc instanti per dispositiones, quæ non existunt in hoc instanti, sed in præcedenti extitère, mea non feret schola, & falsum est, quia id quod non est, sed fuit, influere non potest in id, quod non fuit, sed est.

14 Diceret aliquis, actum illum intentionis, qui secum habet identificatam electionem, non procedere ab illo actu qui tantùm fuit intentio, & iam præcessit, sed liberè elici à voluntate, & hac ratione rectè sibi defendere videbitur actum electionis, adhuc circa medium vnicum semper esse liberum, quia est identificatus cum electione, quæ non procedit ab alia, in qua tanquam in causa, sit necessaria, sed à voluntate omnino indifferenti. Contra hunc dicendi modum obiicio, sequi ex illo, voluntatem posse efficaciter finem intendere in ipso instanti, in quo est exequutioni mãdandus, & non eligere medium ad talem finem necessariò requisitum; quia si intentio efficax, qua media confusè cognita amantur, non influit, neque determinat voluntatem ad electionem singularis medij, illa permanente, posset voluntas medium non eligere eodem modo, ac posset cessante prima intentione, non elicere aliam identificatam cum electione. Hæc obiectio non est leuis momenti, nihilominus respondet aliquis, electionem numquam ab intentione necessariò procedere, sed hanc non posse permanere in instanti, in quo finis est exequendus sine electione medij, quia pro illo instanti impossibilis est intentio aliqua, quæ formaliter non sit electio singularis medij, ac proinde in instanti, in quo vrget exequutio finis, necessariò cessare intentionem non respicientem singulare medium. Quapropter si in illo instanti aliqua est intentio circa finẽ, est etiam formaliter electio omnium mediorum, sine quibus finis non erit. Quod si dicas, cur intentio illa nõ respiciés singularia media, quæ possibilis erat in mẽsura præcedente exequutionẽ finis in mẽsura, qua finis est exequẽdus fiat impossibilis? Inquirã ego, cur intẽtio illa vagè respiciés finem, non determinabat iuxta alium dicendi modum ad electionem mediorum tempore præcedenti exequutionem finis, & in illo instanti, quo finis est exequendus, ita determinet ad electionem, vt componi nequeat cum negatione illius: & differentiam illam, quam tu assignabis, propter quam tempore præcedenti compossibilis sit cum negatione electionis, & incompossibilis in instanti, quo exequutio finis exercenda est; assignabo ego, vt intentio, quæ antea erat possibilis impossibilis fiat in hoc instãti, quo nõscit intellectus, vrgere finis exequutionem, & absolutè dici poterit, illam intentionem repugnare in instanti, in quo finis est exequendus, quia cum intellectus proponat finem exequendum in illo instanti, voluntas non potest illum in ordine ad exequutionem amare, nisi voluntate immediatè exequutiua, quia iam locus non relinquitur consilio in vlteriori tempore capiendo, sed immediatè finis exequendus est; & amandus, modo quo ex illo amore immediato exequutioni mandetur, amor autem ille, qui non respicit media determinata, sed consilium expectat intellectus, & determinationem aliam voluntatis pro illo instanti inutilis est, & exhiberi nequit à voluntate agente de immediata exequutione finis, quæ per talem amorem exhiberi non potest.

15 Prædictum modum sic ego componebam, vt defenderem, numquam electionem necessariò procedere ab intentione, quod in Theologia vtile est, vt meritum electionis expeditè defendi possit, & consonum Doctoribus Scholasticis asserentibus electionẽ ex se esse actum liberũ. Ita D. Th. q. 13. a. 6. in corpore, & illius interpretes ibid. Val. disp. 2. q. 8. punct. 3. Bell. 3. de grat. & liber. arb. c. 3. Nihilominus veriùs, clariusque existimo, defendi intentionem illam primam, respicientẽ media vagè, & indeterminatè coexistere alij intentioni respicienti media singularia, ex vi cuius voluntas determinatur ad eligendum mediũ aliquod, quod pro sua libertate illi libuerit, si plura concurrãt, vel hoc determinatũ, si vnicũ sit, in quo philosophandi modo rationem nullã inuenio cõtrà illum, quæ facilè solui non possit.

Obiic. Si electio medij necessariò requisiti ad cõsequutionem finis, cuius executio est decreta pro determinata temporis mensura, supposita intentione, libera non est, sequitur; non esse meritoriam, quod absurdum videtur: si quis enim ex intentione profitendi fidem, martyrium subiret, sine quo non posset hic, & nunc fidem non negare, planè magis mereretur, quàm alius, qui medium non adeò arduum apponeret ad Catholicæ fidei professionem. Respondet Vasquez: electionem necessariam ex suppositione intentionis habere posse nouam rationem meriti, vel demeriti, si secundum se rationem habeat honestatis, vel dehonestatis, quia honestas electionis (idem de inhonestate intellige) libertate intentionis fiet meritoria, quia ad nouũ meritum non requiritur noua libertas, cùm hæc tantùm sit fundamentum meriti, & sicut in eodem actu potest reperiri duplex bonitas ex diuersis circunstantiis, etiamsi vna tantùm libertate liber euadat, sic intentio & electio duplicem possunt habere bonitatem, duplex meritum, etiamsi intentio tantùm primariò libera sit, electio secundariò libertate ab intentione deriuata. Ita Vasquez 1 2. disp. 33. c. 4. num. 24. eãdem ratione respondet Soar suprà num. 5. vbi asserit, electionem liberã tantùm libertate intentionis nouam addere rationem meriti supra intentionem, & differentiam adducit inter ipsam, & actum externum virtutis, qui supra internum meritum non addit, etiamsi secundariò libertate interni sit liber, quam assignat ex eo quod electio pertineat ad potentiam ex se liberam, quorum actus possunt libertate gaudere, actus verò externi proueniunt à potentia necessaria, & per se imperio subdita voluntatis quorum actus liberi esse nequeunt. Hæc differentia mihi quidem sufficiens non esset ad adscribendum nouum meritum actibus internis, & illud externis negandum, si enim hic internus actus, hìc, & nunc liber non est: sed necessarius, quid refert ad meritum, procedere à potentia ex se libera? certè si aliquid cõduceret, possemus dicere, omnes motus primò primos voluntatis meritum, vel demeritum habere, quia etiamsi necessarij sint, procedunt à voluntate, quæ ex se est potentia libera. Meliorem rationem disparitatis existimo desumi ex doctrina Vasq. suprà, quam reddit Ripalda de ente supernaturali disp. 6. sect. 5. videlicet, actus externos aliarum potentiarum ex se nullam habere honestatem, ac proinde nequeunt; nouum fundare meritum; actus verò interni, cùm intrinsecè motiuum respiciant diuersa tendentia, qua suum motiuum respicit alius internus actus, à quo necessariò proueniunt, nouam rationem meriti fundare possunt, si illis saltem secundariò libertas contingat; & hac ratione dixit Vasquez suprà electionem non addere nouum meritum, vel demeritum intentioni, quando medium ex se malitiam, vel bonitatem non habet. 16

Alij dicunt, electionem ortam necessariò ab intentione in se formaliter non esse meritoriam, sed totum meritum in intentione consistere; neque ideo æquè meretur, qui ex eadem intentione profitendi fidem, martyrium eligit, & qui non alio excellenti, & arduo medio eamdem intentionem retinet, quia perseuerare in intentione, quando ex illa ad electionem ex se meliorem, & difficilioris medij obligatur, maioris meriti est quàm in eadẽ intentione permanere, cùm absque tali electione potest intentione arrepta, persistere; hac ratione cùm ad intentionem fidei conseruandæ vrget martyrii electio, conseruationi talis intentionis accrescit meritum martyrii, quod meritũ est in intẽtione licèt in electione nõ formaliter, & primariò, sed secundariò liberum sit, quapropter eadem est bonitas in ordine ad meritum eligentis necessariò opus martyrij ex intentione fidei conseruandæ, siue dicatur, electionem necessariò prouenientem ex suppositione intentionis esse liberam in se formaliter, siue teneatur, tantùm esse liberam in intentione. 17

Obiic. tertiò. Etiamsi medium sit necessariò requisitũ ad finem, non apparet vt summè bonum: ergo non inducit necessitatem, in voluntate illud amandi. Resp. Vasq. ex suppositione intentionis apparere vt summè bonum, seu absque vlla ratione mali, quod supra impugnaui; ideo modò, concesso antecedenti, nego consequentiam, quia amor obiecti cogniti cum aliqua ratione potest esse necessarius, ex alia ratione distincta, ab obiectiuè repræsentata; non enim omnis necessitas actus prouenit ex obiecto, præcisè seu prouenire potest ex alio principio, aliàs physica prædeterminatio libertatem non auferret, hìc autem oritur 18

electionis necessitas,ex intentione,& cognitione necessitatis medij pro instãti, quo finis est exequutioni mãdãdus.

19 Inquirit Salas n.45.quid contingeret, si quis efficaciter amans Deum iudicaret erroneè, necessarium esse odium Dei, vel cessationem ab amore Dei esse necessariam ad consequutionem talis finis.Respondet ex Geruasio, illum efficaciter electurum esse tale odium, non tamen illud esse exequuturum, quia ipsa intentio, amor videlicet Dei, impedit exequutionem talis medij.Nõ acquiesco solutioni,quia adhuc existimo,compossibilem non esse in voluntate actum,quo quis velit odio habere Deũ, & cessare ab illius amore,cũ actu amoris liberè elicito. Resp. in primis casum incompossibilem apparere, quia cuicumque rustico extrema contradictoria expressè cognita,sicut esse, & nõ esse eiusdem rei apparent inter se incompossibilia,& repugnantia, tantùm abest, vt vnum appareat vtile ad consequutionem alterius:ergo non potest homini, quantumuis rustico,apparere vt vtile *non esse* amoris Dei,ad Deũ amãdum,neque minori repugnantia apparet vtilitas odij alicuius obiecti,ad illud efficaciter amandum. Quapropter cẽseo saltem moraliter impossibile esse,hominẽ ratione præditum iudicare,vtile odium Dei ad ipsum Deum diligendum:sed quidquid sit de veritate casus. Resp.intentionem non obligare voluntatem ad omne id, quod iudicatur necessarium ad finem obtinendum, etiamsi illud sit in potestate voluntatis,sed ad illud, quod necessarium apparet ad finem consequendum,& inferri potest,saltem tanquam effectus moralis proximus, vel remotus ex ipsa intentione; quapropter si electio cessationis amoris Dei,& ipsius odij Dei possunt esse effectus intentionis, quã Deus efficaciter amatur,in casu prædicto talis homo cessabit à tali intentione, & ex suppositione quod non cesset, intentio inferet electionem, quã voluntas velit cessare ab amore, & odio habere Deum;quod si talis electio inferri non possit ex illa intentione,quod verius iudico,non ex eo quod vtilis appareret ad finem intentum,intentio ad illam eligendam determinaret voluntatem.Hac ratione dixi intentionem non posse determinare immediatè ad electionem materialem,etiamsi ex se vtilis sit ad finem.

Punctum IV.

An electio facta vltimo instanti,in quo vrget executio finis, quæ potuit in anterioribus liberè fieri,in hoc vltimo facta, libertatem amittat.

1 Statui,electionem exercitam ante instans,in quo vrget exequutio finis,esse liberam,quia potuit in illo instanti non esse,&omnia illa,quæ erant in duratione,in qua fuit elicita,componi poterant cum negatione illius. In examẽ voco sententiam aliam Patris Ruizij 1. p. de prouidentia tract.2.disp.8.sect.11.vbi affirmat varietatem,& multiplicitatem partium temporis, in quibus exercendus est actus liber conciliare libertatem cum prædefinitione vagâ, & necessitate actus exercendi in hoc instanti, vel in illo, non solùm pro instantibus præcedentibus vltimum, in quo vrget illius exequutio,sed etiam pro vltimo instanti, vltra quod nequit actus differri,quia etiamsi in illo instanti actus sit necessarius, illius necessitas non est præcisè ab aliquo intrinseco voluntati inhærente suborta, sed ab extrinseco deuoluta, quæ quidem necessitas non opponitur libertati.Sic respectu intentionis, quæ obligat ad electionem intra hoc tempus faciendam,in hoc,vel in illo instanti vagè philosophari liceret,si verũ teneat doctrina à Ruiz. tradita, eadem enim est necessitas orta à prædefinitione, seu ab electione antecedenti,quoad inferendam necessitatem actus,si vtraque tempus determinatum illiusque partes,in quibus potest actus prædefinitus, seu ex intentione illatus exerceri,vagè & indeterminatè respiciat.

2 Neutiquam placet hæc opinio,quia si intentio, seu prædefinitio antecedens, infert necessariò actum faciendum in his quatuor instantibus,cum iam tria transierunt, & ad vltimum deuenitur, nulla est libertas ad talem actum faciendum,vel non faciendum,quod sic probo:In illo instanti,supposita intentione (idem est de intentione,ac de prædefinitione, de qua disputat Ruizius) electio non est indifferens:ergo necessaria,non necessitate consequenti,quia hæc necessitas oritur ab ipsa intentione & à cognitione instantis iam existentis,in quo vrget exequutio finis, quæ omnia electionem antecedunt,cognitio, & intentio, tanquam causa, existentia temporis tanquam quid independens à voluntate:ergo oritur tota illa necessitas independenter ab ipso actu secundo electionis,seu ab ipsa electione;ergo est necessitas antecedens;quod autem sit deuoluta ab extrinseco, vt ait Ruizius, nihil ad rem, quælibet enim necessitas antecedens,siue intrinseca,siue extrinseca, libertatem destruit.

Respondet Ruizius:determinationem in vltimo instanti actus, qui potuit liberè in prioribus exerceri, oriri ab 3
omissionibus præcedentibus in instantibus anterioribus, quæ liberæ fuerunt respectu voluntatis,quia si voluntas in prioribus instantibus, quibus potuit exercere actum intra certum tempus præfinitum exercuisset,non teneretur illum in hoc instanti exercere. Hac ratione potest defendere Ruizius,hominem auidum propriæ vitæ defendendæ,omnia tentantem media, vt inimicum inuadentem fugiat,liberè mori,quando ab illo violenter comprehenditur, & nihil ipsius impediente resistentia, enecatur, quia necessitas eius necis dependet ab omissione ipsius necis,quam in instantibus præcedẽtibus potuit idem homo sibi infligere, quia si ille se ipsum liberè enecasset,ante quam ab inimico comprehenderetur,non postea ab illo mortem recepisset. Sic philosophatur Ruizius in præsenti: si voluntas liberè elicuisset hunc actum in instantibus præcedentibus, non cogeretur in hoc instanti illum elicere;ergo necessitas illum eliciendi in hoc instanti oritur ex determinatione voluntatis:ergo componitur cum libertate. Sic omnis homo,qui aliquando se ipsum interimere potuit liberè moritur,quando repentè corruente domo, obruitur,vel acẽtissima febri,nullo præstante remedio, maxima animi lactâ,vita eripitur,quia si antea liberè non omisisset propriæ inflictionem mortis, non postea ad has illius ineuitabiles angustias peruenisset.

Respondeo,necessitatem actus non prouenire ab omis- 4
sionibus præcedentibus, tanquam ab aliquo conducente ad actum hîc,& nunc efficiendum, licèt verum sit quod si illæ non præcessissent,non esset actus modò necessarius: quia si voluntas liberè se determinasset in vltimo instanti, intra quod actus erat exercendus, necessarius non esset ex vi intentionis,seu ex vi prædefinitionis pro illo instanti,hoc tamen non sufficit,vt hîc,& nunc actus necessarius non sit, quia etsi illius necessitas potuit exercitio libero eiusdem præueniri,& declinari, & aliquando ab omissione illius dependeat, non dependet ab omissione,tanquam ab aliquo inclinante, seu determinante ad actum, neque per se ad actum conducente; quia omissio actus per se non est causa illius; neque ad illum inclinat. Sed demus, actum dependere ab omissione libera, ex hoc non infertur, esse liberum in se,sed in sua omissione, sicut necessitas electionis oritur ex intentione libera; ex quo non infertur, electionem esse necessariam in se; sed in intentione.

Arguit Ruizius: In instantibus præcedentibus vlti- 5
mum, in quo constat exercitium actus, talis actus liberè efficitur: ergo in vltimo liberè elicietur.Probat consequentiam, quia in omnibus instantibus eodem modo se habet voluntas:ergo si aliquo instanti liberè elicit actum, in omnibus illum eliciet. Ad hoc argumentum respondi punct. præcedenti, vbi dixi in instanti vltimo,esse diuersam cognitionem in illum, vel saltem diuersam temporis circunstantiam,qua posita,tanquam conditione, voluntas libertatem amittit,quam antea habebat.

Arguit deinde Ruizius. In vltimo instanti temporis elec- 6
tio est necessaria,non absolutè, sed ex suppositione,quod non fuerit facta in prioribus:sed in primo instanti, etiam est necessaria ex suppositione, quod non sit facienda in posterioribus: ergo eadem est necessitas electionis in primo instanti, & in vltimo: sed in primo liberè elicitur:ergo in vltimo liberè elicietur. Præ oculis se offert disparitas suppositionis, quia suppositio omissionum præteritarum fuit iam posita extra causas, suppositio verò omissionum futurarum adhuc est intra causas, & in potestate liberi arbitrij. Præoccupat Ruizius hanc solutionem, & discrimen fatetur,aitque nihil ad rem pertinere,quia vtraque suppositio in hoc conuenit, quod voluntas neutram suppositionem habet realiter præsentem, aut afficientem ipsam voluntatem, quia id, quod fuit,& id, quod erit, æquè non est.Conuenientiam hanc suppositionum Ruizio concedo,

concedo,verumtamen differentia,quam ipse admittit,plurimum ad rem conducit,quia id,quod est futurum,& nondum est,adhuc est in potestate voluntatis,& antecedēter possibilis est futuritio, & negatio futuritionis ; id autem, quod est præteritū,non est in potestate voluntatis,nec adhuc antecedenter possibilis est negatio præteritionis.

7 Differentiam aliam suppositionum Ruizio assignabo.Procedit difficultas de tempore , intra quod actus necessariò est exercendus,& fieri potest,quia si actus esset præfinitus intra spatium vnius horæ, & in dimidia vltima non posset exerceri, idem esset,ac si præfinitus tātùm esset intra spatium horæ dimidiæ,in cuius fine necessariò esset actus eliciendus.Idem dico de delectione finis,cuius exequutio intenta est exercēda intra horam,quia si intellectus noscat, non posse talem finem exerceri in dimidia vltima,perinde esset ac si illa exequutio ex vi intentionis futura esset in prima dimidia parte,in cuius vltimo instanti vrgebit exequutio finis,& electionis. Pono,electionem posse fieri in quolibet spatio horæ , ad hoc vt videatur , non futura in posterioribus instantibus , necesse est supponi existens in prioribus,ideo enim non est in instanti *D*,neque in sequētibus,quia fuit in instanti *C*,quod si in instanti *C*, neque in anterioribus fuisset , absque dubio esset in posterioribus. Vnde suppositio non futuritionis in instanti *D* , neque in posterioribus concludit,vel supponit existentiam eiusdem electionis in instanti aliquo præcedenti instans *D* : ex quo infertur,necessitatem existentiæ electionis in instanti præcedenti instans *D*, ex suppositione negationis illius in instanti *D*,& in sequentibus, oriri ex ipsa existentia electionis ac proinde esse necessitatem omnino consequentem ortam ex suppositione eiusdem electionis,quæ dicitur necessaria,necessitas autem existentiæ quæ oritur ex ipsa existentia,& necessitas illa quā omne quod est,ex suppositione quod sit, necesse est esse, optimè compossibilis cum libertate. Necessitas verò electionis in vltimo instanti , ex suppositione , quod non fuerit in prioribus , non oritur ex ipsa existentia electionis, neque ad hoc vt electio non sit in primo instanti supponitur futura in sequentibus ; prius enim est , non esse in hoc instanti , quàm esse futuram in posterioribus,ideo enim est in vltimo instāti quia non fuit in prioribus,non tamen ideo non est in prioribus quia est futura in vltimo. Vnde hæc consequentia : *electio non est futura in instantibus sequentibus primum instans:ergo est in primo*, est consequentia à posteriori, hæc autem : *non est in primo: ergo erit in sequentibus*,est quasi à priori.

8 Arguit insuper Ruizius:Posita collectione hominum in mundo existentiū,qui omnes æquè liberi sunt ad furtum, certum,& infallibile est,moraliter aliquos illorum furtum commissuros:reuelet Deus,homines illos,qui furaturi non sunt.optimā, & infallibili consequentia infertur:ergo reliqui furabuntur;& tamen liberè furabuntur;ergo infallibilitas vaga,orta respectu huius singularis ex reliquorum exclusione rectè cum libertate componitur. Resp.infallibilitatem vagam posse esse antecedentem,& consequentem, & hanc numquam tollere libertātem , & huiusmodi esse infallibilitatem, qua infertur, illos homines furtum commissuros, quia illa infallibitas est moralis , quæ non oritur ex aliquo antecedenti actus ipsos, qui moraliter dicuntur infallibiles,sed ex ipsis, qui moraliter dicūtur infallibiles; quia ex tot furtis , ad quæ est libertas respectu tot hominum adeò diuersæ indolis, inter quos plures sunt actibus furandi valde dediti,& assueti,penès miraculum esset,aliquod non contingere. Addo,hanc infallibilitatem moralem, adhuc respectu vnius indiuidui , vniúsque actus determinati,cum libertate non opponi. Moraliter enim infallibile est,hominem auarum, & in extrema pecuniarum necessitate constitutum acceptaturum pecunias, quas ego illi gratis offeram,& nihilominus postquàm illas obtulero, ille pecunias liberè acceptabit.

Punctvm V.

An electio procedens ex intentione efficaci,quæ obligat pro tempore diuisibili,facta ante vltimum instans, in quo vrget exequutio finis,libertatem retineat.

1 Dixi , electionem necessariam ad finem obtinendum necessariò procedere ab intentione finis, illam verò quæ necessaria non est,vt finis exequutioni mandetur , liberam permanere ; ex hoc principio inferebam puncto præcedenti , posita electione materiali medij, concomitanter ad intentionem,electionem formalem liberam esse, quia illa posita , necessaria non est hæc formalis electio, quia ex vi electionis materialis medium erit, & hoc posito,ex quacumque electione ponatur, æquè bene finis obtinebitur. posset tamen quis contendere, tunc electionem formalem possibilem non esse, quia si iam supponitur medium ex vi electionis materialis, formalis electio nullam poterit habere efficaciam circa illud.Resp.tamen effectum posse depēdere à duplici actu adæquato voluntatis , ac proinde effectum adæquatè dependentem , ab electione materiali , posse simul dependere à formali electione, etiamsi non indigeat dependere ab illa.

2 Secundò potest obiici:tunc electionem non esse simpliciter liberam,quia ex vi intentionis tenetur voluntas,electionem materialem;vel formalem elicere, & non potest ab vtraque cessare. Respondeo vtramque electionem esse formaliter liberam & voluntatem non teneri vnam ; vel alteram electionem efficere;quia etiamsi ablata electione materiali , voluntas teneretur ad electionem formalem, formali ablata, numquam ad materialem teneretur , quia intentio influere non potest in electionem materialem,vt probabam loco citato,ac proinde etiamsi vtilis sit ad exequutionem medij, non tenetur ad illam voluntas ex vi intentionis , quia ex vi huius non tenetur voluntas ad præstanda omnia, quæ sunt vtilia, & necessaria, & ab illa intentione procedere possunt. Ex hoc inferes : electionem materialem simpliciter esse liberam,& hac supposita liberam similiter esse simpliciter formalem electionem , quia supposita electione materiali formalis electio necessaria non est ad finem obtinendum,ac proinde ad illam non tenetur voluntas. Quod autem ablata electione materiali necessaria esset formalis electio, & ad illam teneretur voluntas,probat hanc electionem formalem non esse liberè elicendam,non verò de facto nunc liberam non esse, quia deficiente electione materiali,cognosceretur medium necessarium , & ex nulla causa extiturum independenter à formali electione,ac proinde ad hanc teneretur voluntas & ex vi huius cognitionis , & prædictæ intentionis : existente verò electione materiali ; etiamsi medium cognosceretur necessarium cognosceretur extiturum ex vi electionis materialis;ac proinde si teneretur voluntas ad electionem formalem, sicut non tenetur,adhuc supposita intentione ad amandum medium , quod independenter ab illius amore,iam existens,supponitur.

3 Grauior in hac re alia suboritur difficultas,an posita intentione efficaci finis , & cognitione necessitatis medij nondum producti ad illum obtinendum,si ex illa intentione oriatur electio priùs tempore , quàm vrgeat exequutio medij , an illa electio simpliciter absolutè esset libera, etsi in vltimo instanti , in quo vrget finis exequutio , & electionis positio, ipsa exerceatur, eodem modo philosophandum sit. Dicam modò de electione exhibita ante instans,in quo vrget finis exequutio,& postea de electione elicita in vltimo instanti in quo ex vi intentionis finis vrgebat exequutio. Pro vtraque parte non leuis occurrit dubitandi ratio , vtramque expendam dum meam explicabo sententiam , & argumentis in contrarium satisfaciam. Affirmo cum Patre Salas suprà num. 40. & clariùs num. 46. pro eadem sententia possem referre Hurtadum Complutensem tomo de Incarnatione , disputat.14. difficult. 3. numer. 16. & Patrem Didacum Ruiz.tom. de Prouidentia, tractat 2. disputat. 9. sectione 12. numer.16. vbi affirmant, opus præceptum Christo à Deo , quod Christus omittere nequit, liberè fieri ab illo, ex eo præcisè, quod liberum fuerit Christo, hoc vel illo tempore opus præceptum efficere , & non teneretur in hoc determinato tempore illud exhibere. Prædictam conclusionem sic probo: Intentio per se,neque cognitio necessitatis medij,non inducit electionem necessariò,quousque aduenial cognitio, qua cognoscam iam existere tempus,in quo secundùm decretum intentionis vrget exequutio finis:ergo si antequam aduenial hæc cognitio,qua cognoscam expletum esse tempus,in quo vrget exequutio finis, electionem eliciam , illam exhibeo independenter ab illa cognitione,quæ simul cum intentione necessitatem illius potest inferre voluntati:ergo omnino liberè. Probo consequentiam:tunc actus voluntatis est liber , quando procedit à principiis , quæ

componi possunt cum actu, & cum negatione illius: sed totum id, quod præcedit ad electionem factam, antequam vrgeat exequutio finis, componi potest cum electione, & negatione illius: ergo electio liberè procedit à voluntate Maiorem nullus negat, neque consequentia fugi potest. Minorem probo: ad electionem factam antequam vrgeat exequutio finis, tantùm supponitur intentio, & cognitio necessitatis medij, non verò cognitio, qua iudicetur hîc, & nunc de facto iam vrgere exequutionem finis, & adesse tempus adimpletionis illius secundùm decretum intentionis: sed intentio finis, & cognitio necessitatis medij sine hac vltima cognitione, qua iudicetur, vrgere exequutionem finis, componi possunt cum negatione electionis, & de facto componuntur, quousque hæc vltima cognitio adeniat: ergo electio, ad quam non supponitur hęc vltima cognitio, sed tantùm intentio finis, & cognitio vtilitatis, & necessitatis medij prouenit à principiis, quæ componi possunt cum negatione illius, & consequenter liberè procedit ab illis.

4 Obiicies supposita intentione efficaci finis, & cognitione necessitatis medij medium necessariò est eligendum, & non potest non eligi: ergo non potest liberè eligi. Resp. distinguendo antecedens: medium non potest non eligi, in illo instanti, in quo eligitur, si fit antequam vrgeat exequutio medij nego: non potest non eligi in illo instanti, vel in alio sequenti, subdistinguo: non potest non eligi, ex vi illius, quod est ante instans, in quo vrget exequutio, nego: non poterit non eligi ex vi illius, quod erit in instanti, in quo vrgeat exequutio, concedo: ergo non est libera electio talis medij, distinguo consequens si eliciatur in instanti, in quo vrget exequutio medij, in quo exitit totum illud ex vi cuius non potest non esse electio, concedo: si eliciatur ante instans, in quo vrget exequutio medij, in quo non est totum illud, ex vi cuius electio non potest esse, nego. Ratio præsto est, quia actus non est necessarius quousque sit totum illud, quod componi non potest cum negatione illius, cùm verò totum illud quod est ante instans, in quo vrget electio, componi possit cum substantia negationis actus, si præcisè, & secundùm se sumatur, non tollit illius libertatem, & indifferentiam.

5 Obiicies. Ex intentione efficaci, & cognitione necessitatis medij sequitur necessariò vltima illa cognitio, cum qua non potest componi negatio electionis: ergo infertur necessariò electio: distinguo antecedens, ex intentione, & cognitione vtilitatis medij sequitur vltima cognitio, quæ componi non potest cum negatione electionis, in instanti, in quo vrget exequutio finis, concedo antecedens: sequitur in tempore præcedenti instans, in quo vrget exequutio finis, nego: ergo tollit libertatem, distinguo consequens; tollit libertatem in instanti, in quo vrget exequutio finis, si in illo sit necessaria electio transeat: in instantibus præcedentibus, nego.

6 Obiicies. Totum illud, quod tollit libertatem (sumo mihi illam tollere in illo instanti, quod dictum fuit Puncto præcedenti) in instanti, in quo vrget exequutio finis, est in instantibus præcedentibus: ergo electio in omnibus est necessaria. Antecedens probatur: Cognitio illa, qua cognoscitur in instanti, in quo vrget exequutio medij hîc & nunc tempus adesse, in quo finis est exequendus simul cum intentione, & cognitione necessitatis medij, præcessit in instantibus præcedentibus illud, in quo vrgebat exequutio medij: ergo præcessit totum illud, quod libertatem adimit electionis in instanti, in quo vrget medium, quia intentionem, & cognitionem necessitatis medij certum est præcessisse. Antecedens probatur, eadem cognitio, qua modo ego existens in instanti *A*, cognosco fore, vt vrgeat exequutio medij in instanti *D*, durans instanti *D*, dicit hîc, & nunc in hoc instanti *D*, vrget exequutio finis, quia eadem cognitione, quâ ego hodie cognosco obiectum futurum crastina die, cognosco crastina die illud actu existens: ergo cognitio, quæ crastina die vrgebit ad exequutionem finis repræsentans existens tempus, quo finis est exequendus, est hodie repræsentans futurum tempus, in quo vrgeat exequutio finis: ergo totum id, quod crastina die determinabit ad electionem existit modò: ergo modò determinabit eodem modo.

7 Difficultatem obiectionis agnosco, sed omnes illam dissoluere tenentur, siue dicant electionem factam antequam vrgeat exequutio finis esse liberam, quoad substantiam, siue non, quia negare nequeunt, electionem factam antequam vrgeat exequutio finis, esse liberam saltem quoad circunstantiam durationis, & electionem factam in instanti, in quo vrget exequutio finis, adhuc, quoad circunstantiam durationis, esse necessariam: ex quo infertur, diuerso modo necessitari volũtatem per eamdem cognitionem tempore, quo vrget exequutio finis, quàm tempore præcedenti. Responderet aliquis, non esse eamdem cognitionem, qua ego hodie cognosco obiectum crastina die futurum, cum cognitione, qua crastina die cognoscam illud iam existens: sed hæc solutio etiamsi difficultatem fugere vi deatur, in maiorem aliam incidet; facilè enim oppositum probari potest. In primis enim respectu cognitionis diuinæ, quâ me cognoscit modò existentem, quam nullus probatus Theologus distinguet, adhuc formaliter à cognitione, qua ab æterno me cognouit futurũm in ordine ad durationem, quam nunc habeo, neque à cognitione, qua me cognoscet iam præteritum in posterum: aliàs in Deo cognitio, qua me modo præsentem agnoscit, in tempore inciperet, & non in æternum duraret, nullus autem potest ponere in Deo cognitionem, quæ non sit ab æterno, & in æternum duratura. Secundò idem contingere in omni cognitione creata facilè probatur, quia sicut me hodie actu existere, & fieri extiturum hodierna die, & crastina die extitisse hodie non distinguuntur, ita neque distinguitur cognitio, qua cognosco existens in hoc die, actu respectu eiusdem diei, & extiturus etiam in eodem die respectu diei hesternæ, & etiam extitisse in eodem respectu crastinæ.

8 Melius responderi posse existimo: illam cognitionem, qua necessitatur ad electione necessariam ille, qui finem efficaciter intendit in instanti, in quo vrget exequutio illius, potuisse existere, & sæpe extitisse in instantibus præcedentibus illud, in quo vrget exequutio finis, in quibus non necessitatem intulit electionis, quia non erat cum omnibus requisitis, vt talem necessitatem inducerer, videlicet, quia non erat cum duratione correspondenti instanti temporis in quo vrget finis exequutio, sine qua illa cogitatio adhuc cum intẽtione efficaci necessitatem electionis non inducebat, neque volũtatem determinabat ad illam eliciendam. Exemplum aptum accipe in actu efficaci Dei quo ab æterno decreuit mundum in tali duratione producere: idem actus fuit ab æterno, & quousque adimpletum est tempus illud, quod respiciebat tanquam obiectum, & tanquam mensuram respondentem creationi mundi secundùm decretum diuinum, omnipotentiam non determinauit, vt de facto mundum produceret, & idem existens ab æterno, in instanti, in quo mũdi creationẽ decreuerat Deus omnipotentiæ illius creationẽ efficaciter imperauit, quam per totam æternitatem non efficaciter imperauerat. Dico imperasse creationẽ efficaciter vsque ad illud instans, quia etiamsi imperium fuerit ab æterno, vsque ad illud instans, efficaciam non habuerat: quod eodem modo significabitur, si dicamus illud decretum ab æterno imperasse creationem omnipotentiæ, faciendam tamen tali tempore, quo non impleto ex vi talis decreti, omnipotentiæ non tenebatur mundum producere, neque ad illius productionem in actu secundo determinabatur, quod eodem modo dici poterit in nostro casu, si dicamus cognitionem illam temporis, in quo vrget exequutio finis efficaciter intenti vrgere ad electionem necessariam, pro illo tempore, in quo vrget talis exequutio, si in illo sit necessaria electio, ante quod voluntas absolutè non tenetur ad substantiam electionis, quia deficit circumstantia quædam, videlicet adimpletio temporis, sub quo tantùm voluntas tenetur ad electionem, si illo tempore fuerit necessaria.

9 Obiic. Posito decreto Dei de Verbo incarnato abstrahente à tempore, ex vi cuius Deus non tenetur producere Christum in hoc tempore, sed illi liberum est in hoc vel in illo Christum producere, non manet Deus liber ad substantiam Christi producendã, etiamsi maneat liber ad producendum Christum in tempore, in quo posset illum non producere: similiter Beatissima virgo, & sancti Patres, qui meruerunt accelerationem Incarnationis, iuxta plurium Theologorum sententiam non potuerũt mereri illius substantiam, quia illorum merita suppenebant decretum illud de Verbo incarnato: ergo etiamsi electio producatur tempore, quo illam poterat voluntas non producere, libera non erat supposita intentione, ex vi cuius voluntas tenebatur hoc, vel illo tempore illam elicere. Respond. disparem esse rationem quia ex illo decreto de Verbo incarnato, quocunque alio secluso, tenebatur Deus absolutè

Christum

Christum producere, ex vi tamen intentionis, & cuiuscumque cognitionis, dum non respicit tempus iam præsens, & illi coexistens, in quo vrget exequutio finis, ad nihil tenetur voluntas, quia intentio per se non obligat ad electionem, sicut decretum Dei obligat Deum ad illius obiectum adimplendum, sed tantum est quid inadæquatum, quod simul cum aliis circunstantiis, inter quas vna est adimpletio temporis, in quo vrget exequutio finis iuxta decretum intentionis determinabit ad electionem.

PVNCTVM VI.

An voluntas ex duobus mediis positis possit eligere minus bonum.

1 DIxi, voluntatem suppositâ intentione finis, ad quem plura media occurrunt, pro sua libertate posse eligere vnum, vel aliud; specialiùs inquirendum est An possit eligere minùs bonum, vel æquè bonum. An verò ex suppositione, quod vnum eligat teneatur magis bonum eligere? Dupliciter potest aliquid apparere magis bonum; ex parte obiecti, vel ex parte modi; ex parte obiecti, quando maior bonitas apparet in hoc medio, quàm in illo; ex parte modi, quia etiamsi non appareat maior bonitas in hoc medio, quàm in illo, sed æqualis, aut minor, viuaciùs tamen, & efficaciùs proponitur voluntati minor illa bonitas, quàm alia maior, ita vt ex modo cognoscendi magis alliciat voluntatem obiectum cognitum cum minori bonitate, quàm aliud cum maiore bonitate frigidè, & ineffi-caciter voluntati propositum, quod non est apparere vt maius bonum, sed magis bene, hoc est, efficaciùs atque viuaciùs proponi. Hæc difficultas aliquid habet commune in mediis electis, & in finibus intentis, & aliquid singulare in mediis conducentibus ad eumdem finem. Communis est difficultas respectu electionis mediorum, & intentionum diuersorum finium. An voluntas semper feratur in obiectum, quod in illo instanti, in quo operatur efficaciùs proponitur de qua disputant Theologi 1.2. quapropter hic non disputabo, an voluntas semper feratur in medium, quod in illo instanti efficaciùs proponitur, sed an semper eligat medium, quod ex parte obiecti melius, & vtilius apparet ad finem consequendum; quæ difficultas est propria electionis mediorum, & non communis intentioni finis.

2 Dupliciter potest medium esse melius; vel formaliter vt medium, quia per illud certiùs, & infallibiliùs, perfectiùs & faciliùs finis obtinebitur, quàm per aliud, vel quia etiamsi æquè citò, infallibiliter, perfectè, & facilè medium per illud obtinebitur, hoc tamen alias rationes bonitatis in se habet, vel propter se amabiles, vel propter alium finem, ad quem possunt conducere. Doctores, qui affirmant ex duobus mediis voluntatem eligere semper illud, quod perfectiùs iudicat, existimo loqui de medio perfectiori formaliter in ratione medij, hoc est, de viliori ad finem obtinendum.

3 Audiui virum doctum defendisse; non esse vnum medium formaliter vtilius alio in ordine ad eumdem finem, cuius fundamentum hoc erat: medium, quo citiùs finis obtinetur non est vtilius ad obtinendum finem alio, quo non ita citò finis obtineretur, quia finis citò, vel serò obtentus idem est quoad substantiam, ex quo fit respectu intentionis respicientis substantiam finis abstrahentis à tempore æquè vtile esse medium, quo in hoc tempore, vel in illo finis obtinetur, quia æquè completur intentio per finem hoc, vel illo tempore obtentum, illud tamen habebit speciale tale medium, quod non solùm erit vtile ad finem obtinendum, quem voluntas intenderat, sed etiam erit vtile ad illud obtinendum in tali tempore, quod voluntas per aliam intentionem intendisse poterat. Quod si per eamdem intentionem, non solùm voluntas intenderat finem, sed finem in tali tempore obtinendum, vtile non erat, si voluntas taliter intendisset finem in tali tempore, quod illo transacto, non ampliùs de fine acquirendo curaret; quod si illum intendisset in tali tempore acquirendum, ita vt si illo acquiri non posset, ex vi illius intentionis in sequenti finis esset amandus, tale medium, quod vtile erat ad acquirendum finem, & non in tempore præfixo, non erat adæquatè vtile, vel non erat vtile respectu finis adæquati, sed inadæquatè, quia finis adæquatus erat substantia rei obtinendæ, & talis duratio, & medium illud esset vtile ad substantiam rei acquirendam, non verò ad illius durationem. Hæc quidem sunt contra communem modum concipiendi hominum, leuis momenti, & nullius fundamenti, quicumque enim intendit finem vtiliter intendit illum obtinere minori incommodo, quo possit, & vt primùm commodè possit, si aliud non exprimat, aut ipsa materia intenta exigat, quapropter medium illud, quo minori incommodo, citiùsque finis obtinetur respectu eiusdem finis indiuisibiliter intenti vtilius est, & iure optimo dicitur aptius medium.

Suppositâ intentione efficaci finis voluntatem non 4
posse eligere medium inæquale, aut minùs bonum docent Conr. 1.2. quæst. 13. art. 6. ad 3. Burid. 3. & hic quæst. 4. & 5. Orontius in margarita Philosophica lib. 2. c. 15. & expressè Vasquez 1.2. quæst. 43. cap. 2. & Azorius tom. 2. lib. 1. cap. 25. quæstione 6. & 7. licèt de mente huius posset nonnulla suboriri dubitatio, ipse enim addit quæstione septima, quæstionem non esse, An minus bonum velle, vel eligere possimus quà bonum iudicas, nam constat minora bona nos sæpe eligere quatenus vtiliora, iucundiora, & aptiora arbitramur: sed inquiri, An minus bonum quà minus est, velle, aut eligere possit voluntas. Hæc Azor. Numquam vellem in æquiuocum laborare, neque definire quæstionem, cuius status omnibus compertus non esset, si enim de eadem re non certemus, forsan, qui affirmant, & qui negant, in eandem mentem concidunt. Existimo quæstionem non esse, an minus bonum ex ratione, quâ minus bonum, id est, sub ratione carentiæ bonitatis quam habet, possit eligi, ita vt motiuum electionis sit formalis ipsa carentia bonitatis, hoc enim nullus in quæstionem vocauit, quia carentia bonitatis vt talis non est obiectum prosequutionis; quæstio debet esse an duobus mediis propositis æqualiter, vel inæqualiter bonis, postquàm intellectus voluntati proposuerit hoc esse melius, seu vtilius, possit aliud eligere, vel vnum è duobus æquè bonis, seu vtilibus propositis, neque aliud potest inquiri, etiamsi inquiratur an voluntas comparando vnum ad aliud possit medium minus bonum eligere, quia voluntas in electione per proprium voluntatis actum comparationem non facit, sed factâ comparatione mediorum ab intellectu voluntas eligit hoc, vel illud. Quæstionem sic explicatam tractabo.

Voluntatem posse eligere medium minus bonum tenent 5
Soar. in tabula lib. 9. Metaph. cap. 5. q. 3. & disp. 19. sect. 6. num. 13. & 1.2. disp. 4. sect. 4. citatâ, & plures apud Salas, quos ipse sequitur sect. 5. citatâ. Moneo tamen ibi referre Vasquium pro hac sententia, qui illam impugnat, & oppositam pugnacissimè defendit, licèt enim asserat ex duobus finibus posse voluntatem eligere minus bonum si illi efficaciùs proponatur; in mediis autem aliter rem contingere expressè affirmat cap. 2. citato, vbi disparitatem affert inter electiones diuersorum mediorum respectu eiusdem finis, & intentionum in diuersos fines tendentium, quapropter finistrè interpretatur Salas mentem Vazquij, dum illa, quæ de finibus docet, ad media vult transferri, siquidem expressè dixerit ille aliter de mediis, quàm de finibus philosophandum esse.

Dicendum est, voluntatem non teneri eligere ex sup- 6
positione, quod sit electura medium eo ipso, quod melius materialiter appareat, hoc est non magis vtile, sed bonitatem aliam habentem in se amabilem, propter ipsam seu in ordine ad alios fines. Probatur hæc conclusio, quia si bonitas illa sit amabilis propter ipsam mouebit bonitatem per modum intentionis, & non per modum electionis: ergo non necessitatem inferet voluntati amandi illam, quia bonitas per modum intentionis, seu in ordine ad intentionem proposita non necessitatem infert voluntati, nisi appareat absque vlla admixtione mali: si bonitas illa maior sit amabilis propter alios fines, voluntas, quæ non agit de electione in ordine ad illos, nullo modo trahetur illâ, sed tantùm mouebitur bonitate, seu vtilitate conducente ad finem, quem per illa media intendit obtinere.

Dicendum est secundo, Voluntatem ex duobus mediis 7
æquè bonis vndequaque, & æquè vtilibus ad eumdem finem posse pro sua libertate vnum, vel alterum eligere. Hanc conclusionem modò vnicâ probo ratione, quam doctè adducit Soar. sect. 4. citatâ. Irrationale est cessare ab omni electione finis quem ardentissimè intendo, quia mihi duo media occurrunt, quibus illum consequi possum,

si enim medium istud amplecterer in ordine ad illum finem, mihique valde iucundum esset illud inuenisse, quo possem dignitatem, quam per intentionem vehementer ambiebam adipisci, alienum à ratione erit, alio medio æque vtili proposito neutrum eligere, & ob hanc rationem ab intentione cessare, vel illam irritam facere. Quod si in causis physicis, quando duo agentia eiusdem virtutis occurrunt quæ effectus incompossibiles producere intendunt, vtrumque cesset ab actione, ratio est, quia victoria actionis tantùm est penes illa, & cùm neutrum possit alterum vincere, vtrumque absque victoria manet. Cùm verò duo media per cognitionem æquè in actu primo vtilia apparent, & voluntatem inclinant ad sui amorem, penès voluntatem est eorum litem dirimere, & poterit huius annuere cognitioni, & illius propositionem irritam facere, licet enim voluntas iuxta rationem operetur, ratio ipsa exigit, vt ipsa pro sua libertate saltem cæteris paribus medium eligat, quod maluerit.

8 Dicendum est tertiò voluntatem ex duobus mediis inæqualiter vtilibus posse eligere minùs vtile, vtiliori relicto. Hæc conclusio probatur à priori ex libertate voluntatis, cui integrum est tendere in obiectum, in quo inuenit sufficientem rationem motiuam amoris, dum alio incompossibili non rapiatur propter summam bonitatem, quam habeat, sed medium minus vtile habet, quâ ratione vtile est, sufficientem rationem mouendi, siquidem alio vtiliori ablato illam moueret, & voluntas non rapitur vtiliori medio, in quo non summam bonitatem reperit, & à cuius amore cessare poterat ergo poterit minùs bonum eligere.

9 Confirmo, & explico eamdem rationem: Propositio medij vtilioris non infert necessitatem absolutam medij, quod proponit, vt concedit Vasquez, & voluntas potest cessare ab electione illius: ergo postquàm voluntas cessauerit ab electione vtilioris medij. poterit, illâ propositione permanente eligere minùs bonum, quod adhuc illi proponitur vt obiectum electionis, quia propositio medij vtilioris immediatè, & per se non opponitur cum electione medij minùs vtilis, electio vtilioris medij non datur: ergo positâ illâ propositione vtilioris medij & cessante electione eiusdem poterit voluntas in electionem medij minùs vtilis prorumpere. Ratio est, quia propositio medij vtilioris per se & immediatè non retrahit voluntatem ab electione medij minùs vtilis, sed immediate inclinat ad electionem medij, quod proponit, & consequenter ad negationem aliùs electionis, quæ hanc impediret: ergo si ita inclinat voluntatem ad electionem sui obiecti, vt ius illi relinquat ad eliciendam aliam electionem, quia non apponit illam ad quam inclinat mediâ quâ voluntatem auertere potest ab alia electione.

10 Probatur eadem conclusio ex libertate electionis diuinæ. Deus enim non semper eligit id, quod est melius, aliàs semper necessariò eligeret, & vt fatetur Vasquez num. 17. Deus amat creaturas tanquam medium comparatum cum sua bonitate: ergo sicuti Deus ex intentione non tenetur eligere vtilius medium, sed sufficit si medium vtile eligat, ita neque creatura tenebitur eligere medium vtilius, sed satis illi erit medium ex se vtile eligere, etsi minùs vtile alio. Respondet Vasquez dicto num. 17. Deum non eligere vnam creaturam comparatè cum alia, etsi vnam creaturam relatè ad aliam cognoscat, quia iudicium diuinum non proponit vnam creaturam, vt potiùs eligendam, quàm aliam, sed simpliciter proponit bonitatem cuiusque. Hoc autem affirmat esse, quia nos ex indigentia eligimus, Deus autem numquam ex indigentia eligit, ideoque nos ad consultationem procedimus, vt melius eligamus. Non acquiesco solutioni, neque disparitatem percipio, quia intellectus diuinus, vt admittit Vasquez confert vnam creaturam cum alia, & dicit: hæc est illâ vtilior ad hunc finem, & dicit hæc aptior est, vt eligatur, & voluntas diuina relicta illa creatura, quam intellectus illi proponit vt aptiorem, minùs aptam eligit: ergo cum eadem comparatione eligit voluntas diuina, ac voluntas creata. Probo consequentiam, quando voluntas eligit formaliter per ipsum actum voluntatis, qui est comparatio, non comparat vnum medium cum alio, sed illud amat, quod eligit, & abstrahit à reliquis: sed tota comparatio consistit in cognitione præcedente electionem, quâ dicit intellectus, hoc medium est vtilius illo, in ordine ad finem, & in hoc consistit tota ratio consilij ad electionem requisita, nam eo ipso, quod dicat intellectus, hoc medium habet tantam vtilitatem, & illud tantam, & hoc est vtilius illo, est totum illud, quod requiritur, vt physicè, & moraliter fiat prudens electio, neque adhuc requiritur cognitio, quâ dicat intellectus, hoc medium est eligibilius illo, quia ad electionem faciendam non requiritur cognitio ipsius electionis, seu eligibilitatis, sed bonitatis mediorum: ergo tota illa comparatio, quæ per modum consilij reperta est in voluntate creata, reperitur, in voluntate diuina, licèt non per modum consilij, quia hoc dicit imperfectionem, sed per simplicem intuitionem: ergo ex modo eligendi voluntatis humanæ comparatiuè non oritur specialis necessitas, quæ in Deo non oriatur ex alio diuerso modo eligendi, amplectendi medium, quod est melius. Demum caput illud, ex quo oritur diuersus modus eligendi in Deo, & in creaturis, iuxta mentem Patris Vasquez videlicet, quod Deus eligit liberè, & creatura necessariò, non probo: quia antecedenter ad intentionem efficacem creatura liberè eligit, & intentione efficaci suppositâ, tam Deus, quàm creatura necessariò eligunt medium requisitum necessariò ad talem intentionem adimplendam. Imò aliquo modo magis necessariò eligit Deus, quàm creatura, quia suppositâ intentione efficaci in creatura potest illa electionem differre vsque ad præfinitum tempus ab electione, in quo finis est obtinendus, & postea vrgente iam tempore exequutionis finis, & electionis necessariò faciendæ, cessare ab intentione, & electionem omittere: Deus autem si semel obiectum efficaciter intendit, non potest electionem differre, neque ab intentione cessare, quia omnis actus Dei est æternus, & ab æterno, ac proinde semel intentione efficaci posità nullo modo electionem requisitam ad finis exequutionem potest fugere.

Rationem vltimam conclusionis, quam defendo, trado à priori. Intentio efficax tantùm obligat ad id, quod simpliciter necessarium est ad finem obtinendum: sed ad id non est necessaria electio medij vtilioris, sed sufficit electio medij vtilis: ergo non obligat ad electionem finis vtilioris, sed tantùm vtilis. Dices intentionem per se non obligare ad electionem medij vtilioris, sed medij vtilis, quia tamen cognito medio vtiliori, possibilis non est electio medij minùs vtilis, per accidens obligat ad electionem medij vtilioris, quia si per se obligat sub disiunctione ad electionem duplicis medij, & hìc, & nunc electio huius impossibilis est, necessariò manet voluntas determinata ad illud eligendum. Hæc solutio reiicienda est ex dictis suprà, quia cognitio, quæ non infert necessariò amorem sui obiecti, non potest necessariò inferre negationem amoris aliùs obiecti, cum quo non existeret amor proprij obiecti. Neque cum aliquo fundamento dici potest cognitionem obiecti vtilioris necessitare voluntatem, vt ex suppositione, quod non amet medium ab illa propositum, aliud non amet, quia talis cognitio per se, & immediatè non inclinat absolutè, neque sub conditione ad negationem amoris medij minùs vtilis sed ad positiuum amoris vtilioris medij. 11

Obiicit Vasquez pro sua sententia Aristotelem lib. 3. de anima cap. 11. text. 58. ex quo hæc refert: *At deliberatiua in iis est tantùm, quibus ratio inest, nam vtrùm hoc agat, an hoc, rationis iam opus, atque officium est, atque necesse est vnoquoque metiri: maius enim persequitur.* Hæc ex Aristotele Vasquez, quæ sic expendit: In deliberatione, quâ inquiritur, vtrùm hoc opus, an illud agendum sit, esse debet vna regula, quæ metiatur, & expendat singula, quæ proponuntur: quod autem hac regulâ iudicatum est maius, prosequitur, & eligit voluntas: ergo non minùs vtile, neque æquale, &c. 12

Vt verba Aristotelis clarè explicem, placet adducere, quæ ex vtroque latere immediatè annectit Aristoteles, præcedentibus relatis, quæ mihi sunt lib. 3. de anima cap. 9. text. 56. *Sensitiua igitur & imaginatio, sicut dictum est, & in aliis animalibus inest. Deliberatiua autem in rationalibus. Vtrum enim aget hoc, an hoc, iam rationis est opus, & necesse est vna mensurare, maius enim prosequitur. Et causa hæc est, quia opinionem non videtur habere, quoniam ea, quæ syllogismo non habet, hæc autem illam.* Hæc Aristoteles cuius sensus alienus à mente Vasq. hic est: Sensitiua, & imaginatio inest animalibus: Deliberatiua tantùm rationalibus, quorum rationalium, vel cuius deliberatiuæ est, quia est rationis opus, inquirere, an hoc, vel illud agendum sit, *quapropter necesse est mensurare*, hoc est, vnum cum alio conferre, *maius enim persequitur*, hoc est, quia ad plura se extendit deliberatiua, quàm imaginatio, quia hæc non confert vnum cum alio, secus 13

delibera

deliberatiua,quæ ad hanc collationem se extendit,& ideo maiora attingit,& maiora persequitur , quàm imaginatiua. Pulchram rationem adducit Aristoteles, quia opinionem non videtur habere imaginatiua , quia non habet notionem illam, quæ ex syllogismo nascitur : hæc autem, videlicet deliberatiua, illam, scilicet opinionem, & notionem syllogisticam habet. En Aristotelis verba clarè,& perspicuè explicata, quibus nihil meminit Aristoteles ex his, quæ ad nostram quæstionem attinent.

14 Obiicit secundò Vasquez D. Th.1.2. q.13. art. 6. dicentem : totam rationem electionis prouenire ab intellectu, tanquam à iudice, eo quod intellectus possit in quocumque medio inuenire rationem mali , & boni : ergo sentit voluntatem posse repudiare medium, nisi in illo inueniat aliquam rationem mali ; si autem voluntas posset minùs, aut æquale vtile eligere,posset nulla in medio inuenta ratione mali , illud repudiare. Respondeo optimam esse doctrinam Angelici Doctoris, qua docet voluntatem non posse repudiare medium , quin in illo rationem aliquam mali inueniat ; ex hoc tamen non infertur, quod intendit Vasq. quia etiamsi ratio mali requiratur , vt voluntas non feratur necessariò in medium, quod illi vt bonum est propositum , quia bonum , quod sine admixtione mali appareat, necessariò voluntatem trahit,non ex hoc infertur voluntatem teneri respuere id , quod magis malum & minùs bonum apparet,& eligere maius bonum , quia positâ bonitate,& malitia in obiecto, quam intellectus cognoscat, liberum est voluntati illud amare, vel odio habere, etiâsi malitia bonitatem excedat,autè contra, quia excessus ille non reddit subiectum summè bonum , neque summè malum , quod enim habet mixturam boni,aut mali neutrum in summo habere potest. Hac ratione eleganter subdit S.Thomas,postquam dixerat electionem esse liberam propter rationem dictam, & amorem beatitudinis necessariũ esse, quia in beatitudine nulla mali ratio potest apparere. Aliud argumentum desumit Vasquez ex eodem articulo, vbi obiecerat Angelicus Doctor casum , quo vtrumque medium æquè vtile apparebat , in quo voluntas non potest eligere, & respondet ad 3. voluntatem adhuc manere liberam ad electionem, quia potest consultare de mediis, quousque vnum vtilius appareret : quod si voluntas posset æquè bonum eligere , necessum non erat ad consultationẽ recurrere, sed diceret Angelicus Doctor, tunc voluntatẽ liberam esse ad eligẽdum alterum è duobus mediis æquè bonis. Respondeo cum Caietano:Angelicum Doctorem hic curasse de argumento soluendo, non verò de veritate antecedentis : an videlicet in illo casu voluntas proximè absque noua consultatione libera esset ad eligendum hoc enim necessarium non erat,ad solutionem argumenti, neque illa, quæ ad solutionem argumẽtorum necessaria non sunt , rectè adducuntur , præcipuè si sub opinionem cadant , quibus in aliam, & aliam quæstionem inciditur, & perennis fit argumentatio.

15 Arguit tertiò,pro sua opinione : Electio supponit consultationem,qua non tantùm inquiritur mediorum vtilitas absoluta, sed respectiua vnius præ alio,ideo electio appetitus præconsiliati dicitur : ergo electio semper fertur in id, quod melius apparet , alioquin ad quid requireretur consultatio aut consilium , quod voluntas non esset amplexura,& à quo electio non proueniret : consilium enim proponit , quod melius est. Vnde si minus bonum eligat voluntas, illa electio ex consilio non dimanabit. Resp.electionem supponere consultationem , qua inquiritur quid vtile,& quid vtilius , nihilominus non infertur , voluntatem teneri vtilius eligere , quia hæc consultatio non requiritur,vt voluntas teneatur ; sed vt possit, quod melius est eligere, & vt eligat , quod pro sua libertate maluerit; & quocumque electo medio , electio ex consilio dimanabit,quia si minus vtile eligatur,electio procedit ex cognitione, quæ dicebat illud medium habere aliquam vtilitatem , & sufficientem ad finem,quæ cognitio pars est consultationis, & ad consilium requisita , si illius pars non sit, & omissio electionis medij vtilioris libera fit per cognitionem illius,qua repræsentabatur medium vtilius,ac proinde adhuc hæc cognitio medij vtilioris conducit, vt electio minus vtilis sit magis libera hoc est , vt medium minùs vtile præ magis vtili liberè eligatur. Adde , quod etiamsi semper voluntas iudicio consultationis , seu consilio obtemperaret , aliquando posset consultationem concludere, vtrumque medium esse æque vtile, & quodlibet pro libito eligi posse, quo casu libera maneret voluntas ad eligendum medium æquè bonum.

Arguit quartò. Minùs vtile , vt minùs vtile est non habere rationem boni, ac proinde non posse eligi sub hac 16
ratione. Solui hoc argumentum, dum quid quæstionis explicaui, quia dum dicimus eligi minùs vtile, non dicimus rationem formalem mouendi voluntatem esse carentiam vtilitatis , qua formaliter medium constituitur in ratione minùs vtilis , sed vtilitatem positiuam , quæ per negationem alius sibi adiunctæ minor denominatur , illa verò vtilitas rationem habet bonitatis , & amabilitatis respectu voluntatis.

Punctum VII.

Quomodo intentio influat in electionem.

COnsultò difficultatem hanc hucvsque soluendam reliqui, quia ex principiis suprà traditis, illius sumpturus eram resolutionem. Explicui iam , quam connexionem habeat intentio efficax cum electione , quando hæc liberè , quando necessariò connectatur cum effectu. Ex quo facile erit dirimere an hæc connexio sit per modum principij physicè influentis, an verò per modum principij moraliter determinantis. 1

Circa primam difficultatem:intentionem effectiuè concurrere ad electionem docent Vasquez 1.2. disp.33. cap. 4. n.21. Salas 1.2. q.8. tract.6. disp 5. sect.6. n. 94. §. *Existimo probabilius*, Ruizius 1. de prouident.disp.36. sect.5. n.12.vbi plures pro hac opinione refert , qui pro illa sine examine admittendi non sunt, cuius rationem dedi. 2

Intentionem non concurrere ad electionẽ docent Thomistæ apud Vasquez suprà, Valent.Hispal.& Dur.citati suprà, dum asserunt primum actum intentionis non permanere, quando elicitur secundus , qui est simul intentio , & electio , quam opinionem amplector propter rationem, quam subiicio. Sufficiens principium est ad producendam electionem voluntas : ergo non requiritur intentio , tanquam principium electionis. Antecedens probo : intentio producitur absque alio actu illam præcedente tanquam principio effectiuo illius : ergo eodem modo poterit electio produci. Dices electionem dependere ab intentione, & hac ratione illa indigere tanquam principio productiuo. Fateor, electionem pendere ab intentione, sed fundamentum , aut necessitatem physicam non inuenio , vt physicè dependeat,sicut enim dependentia volitionis à cognitione subsistit sine dependentia physica , cur dependentia electionis ab intentione non poterit eodem modo subsistere? non enim ex eo,quod intentio ad electionem determinet, licet influxum physicum intentionis in electionem inferre , cognitio enim bonitatis obiecti , si sit sine alia cognitione,qua obiectum appareat sub aliqua ratione mali,voluntatem necessariò determinat ad amorem , & tamen in actum amoris necessariò non influit. 3

Secundò, ex modo ,quo intentio ad electionem determinat, physicum illius influxum impugno . Si ex aliquo capite influxus physicus intentionis in electionem posset requiri, vel inferri , esset quia intentio determinat ad electionem , hæc determinatio fieri nequit sine influxu physico: sed quando occurrunt plura media eligenda, intentio non determinat ad electionem huius, potiùs quam illius, sed voluntas pro sua libertate ad hanc,vel ad illam intentionem se determinat: ergo influxus intentionis non requiritur, vt electio ab intentione determinetur . Dices intentionem determinare ad hanc , vel ad illam electionem sub disiunctione, quod præstat per influxũ physicum. Cõtrà:determinatio sub disiunctione ad electiones diuersorum mediorum non potest fieri per influxum physicum, quia hic semper est determinatus respectu talis effectus, & indifferens non est ad hanc,vel illam electionem,sicuti est ipsa intentio, quæ cum electione huius,vel illius medij coniungi valet: ergo ex hac determinatione intentionis ad electionem sub disiunctione talis influxus necessarius non est. Hæc ratio probat intentionem non influere in electionem,quando occurunt plura media : quando verò vnum occurit, & electio est necessaria à paritate rationis probandum est. 4

Demùm si intentio concurreret effectiuè ad electionem quia ad illam determinat,eodem modo deberet cõcurrere 5
cognitio,

cognitio,quà mediũ repræsentatur vt necessariũ ad finem obtinendum, quia vt dicebam suprà intentio non infert necessitatem electionis sine hac cognione : ergo determinatio,& necessitas electionis æquè nascitur ab intentione,& à cognitione necessitatis medij : ergo ex hoc capite æquè infertur influxus actiuus intentionis, & cognitionis necessitas medij in electionem : sed nullus ex hoc capite dixit cognitionem necessitatis medij influere in electionem : ergo neque ex illo influxus iste cognitioni tribuendus est.

6 Vltimò tota ratio electionis, & intentionis, & optimum caput distinctionis inter vtrumque actum,& dependentiæ electionis ab intentione sine hoc influxu reperitur: ergo hic influxus necessarius non est. Antecedens probatur quia electio semper respicit medium amatum propter motiuum intentionis, & pura intentio, tantùm respicit finem, & non medium. Neque ad hoc vt electio intentionis motiuum respiciat physica dependentia necessaria est, quia assensus conclusionis obiectum respicit formale præmissarum, à quibus physicè non dependet,& actus voluntatis respicit obiectum propositum per cognitionẽ, à qua physicè non dependet : ergo sine hac dependentia physica optima reperitur distinctio inter intentionem, & electionem:reperitur etiam dependentia, quia sicut assensus præmissarum præcedit assensum conclusionis, & conclusionis assensus supponit necessariò assensum præmissarum, & non potest esse independenter ab illo, quod fit absque vllo physico influxu, sic intentio potest supponi ad electionem, & electio supponere intentionem (si dicatur intentionem, & electionem necessariò distingui) ita vt non possit existere electio, quin intentio præcesserit, & totum hoc sine influxu physico subsistere. Quod si dicatur vt ego affirmo, omnem electionem esse necessariò intentionem, electio non procedet necessariò ab intentione, differet tamen intentio, quæ simul est electio à pura intentione;quia pura intentio media non respicit in particulari, intentio autem, quæ simul est electio, finem respicit, & medium in particulari eligendum ; insuper differunt ex eo,quod pura intentio potest voluntatem determinare & de facto illam determinat ad alium actum,qui simul est intentio, & electio, hic tamen actus,qui rationem intentionis, & electionis habet non potest ad puram intentionem determinare.

PVNCTVM VIII.

Quomodo differat intentio efficax ab efficaci.

1 EXplicui quid sit intentio, & quomodo ab electione differat. Explico modò rationem peculiarem, qua intentio efficax ab inefficaci distinguatur, & qua formaliter intentio in ratione efficacis constituatur. Huius efficacitatis naturam, neque in se, neque in causis cognoscere possumus, cùm nullam supponat causam necessariò cum illa connexam,consistit enim in ipsa intentione,quæ in se formaliter est libera,& prouenit à principio adæquato indifferenti ad ipsam & ad negationem eiusdem,quapropter non nisi à posteriori huius efficacitatis naturam venari possumus, ideo vltimo loco postquàm omnes illius effectus nouerimus, illius notitiam exhibere placuit.

2 Quidam efficaciam intentionis in intentione constituebant, quorum sententiam omnes Scholastici nostri temporis reiiciunt ; plures enim intensè valde finem amant, inefficaciter tamen, quia illius difficultatibus ab ipsius exequutione retrahuntur,vt patet in infirmo,qui ardentissimè sanitatem desiderat,quia tamen ad illam obtinendam medium est necessarium brachij amputatio,quæ illi valde dura esset & laboriosa,sanitatem efficaciter non amat,neque ad illam obtinendam medium applicat. Adde intentionem Dei propriè non dici intensam, neque remissam, dici tamen efficacem, & inefficacem. Affirmabant alij voluntatem efficacem esse illam, quæ fertur in rei exequtionem,seu in rem, provt exequutioni mandãdam, quam sententiam videbatur insinuasse P. Vasquez 1.2. disp.43. num.24. non tamen illi consensit quia complacentia, seu intentio inefficax in ipsam executionem fertur : quando enim mihi inefficaciter amo sanitatem, illam pro vt mihi coniungendam, & in me exercendam, amo, & quando inefficaciter ludum intendo, in ipsum ludendi exercitium inefficaciter feror.

Dicebant alij:intẽtionem inefficacem obiectum conditionatum respicere, quam opinionem impugnat Vasquez 1.2.disp.42.c.3.quia putat volũtatem nunquã ferri in obiectum conditionatum. Quidquid sit de possibilitate volitionis respicientis conditionatum obiectum displicet hæc sententia,quia si possibilis est volitio respiciens conditionatum obiectum , plures huiusmodi volitiones efficaces sunt. Volitio enim quâ ego dico,volo sanitatem obtinere si aliquod medium ad illam acquirendam,etsi difficillimum possibile est, volitio est conditionata, & necessariò inferet purificatâ conditione exequutionem finis, durante enim hac volitione, non poterit voluntas alias potens applicare medium aliquod probabiliter ad sanitatem conducens,illud non applicare. Secundo plures sunt volitiones absolutæ inefficaces tamen , Deus enim absolutè vult salutem omnium hominum , non tamen omnium efficaciter, & homo absolute appetit sanitatem, non tamen efficaciter,quia difficultate acquisitionis illius retardatur ab exequutione mediorum. 3

Affirmant alij : intentionem efficacem explicari verbo *volo*,inefficacem verbo *vellem*. Hæc opinio vel coincidit cum opinione suprà impugnata de obiecto absoluto, & conditionato, vel nihil dicit,& quocumque modo intelligatur, sustineri nequit,quia si illius auctores dicant conceptum illum obiectiuum correspondentem verbo *vellem*, tantùm deseruire ad explicandum alium, in quo consistit ratio formalis intentionis efficacis ; rem sanè obscuram per obscuriorem explicant, & nobis non ostendunt naturam intentionis efficacis, & inefficacis ; si verò affirment in ipso consistere rationem formalem actus inefficacis, manifestè conuincentur , quia verbum *vellem* , non dicit formaliter actum, qui est, sed qui esset, quia cùm ego dico : si hoc fecisses , vellem ego hoc tibi dare, non dico me modò velle inefficaciter, sed fore vt vellem, si conditio illa accessisset, quod nihil absolutè existens significat, neque actus voluntatis, etiamsi obiectum conditionatum respiciat rectè explicatur per verbum *vellem*, sed *volo* , sicuti actus intellectus terminatus ad obiectum conditionatum non dicitur actus , quo cognoscerem , sed quo cognosco obiectum , quod esset. Ex quo infertur, volitionem inefficacem non posse consistere in actu significato per verbum *vellem*,sed per verbum *volo*, quia intentio inefficax non tantùm existeret, sed actu existit, & per illam voluntas absolutè amat obiectum. 4

Affirmo intentionem efficacem, esse illam,quam robustam vocauit August.& à parua, hoc est, ab inefficaci distinxit, lib.de gratia, & libero arbitrio c.7. illam scilicet, quæ necessariò coniungitur cum electione mediorum necessaria ad finem obtinendum ; intentionem verò inefficacem esse illam,quæ coniungi potest cum negatione electionis requisitæ ad media eligenda : ita Vasquez c.4. cit. Salas 1.2.tract.6. disp.13. art.6. Angestus in moralibus c.3. §.3.Probatur ex dictis suprà, vbi probaui intentionem efficacem inducere necessitatem electionis requisitæ ad positionem mediorum,quod proprium est intentionis efficacis,quæ intentione efficaci id non impedit,vt certum est, postquàm enim quis inefficaciter finem intendit indifferens ad media eligenda vel non eligenda, nullam incurrit necessitatem electionis necessariæ exhibendæ, quamtumuis requisitæ ad finis exequutionem. 5

Alia in me incidit dubitatio. An videlicet inter intentiones efficaces detur vna formaliter efficacior alia.Quam quæstionem nondum apud aliquem legi.Inquiro an detur vna voluntas formaliter efficacior, quia materialiter loquendo parum quæstionis esse poterat ; quia cùm intentionis efficacia in actu primo non distinguatur ab ipsa intentione,& quò intentio fuerit intensior, dici poterit efficacior in actu primo , quod ego voco intentionem materialiter efficaciorem. Inquiro de efficacitate formali intensiori,seu maiori, si intentionis nomen non admittas, vbi non est additio gradus ad gradum, hoc est, an duplex intentio vtraque efficax, vtraque intensa vt quatuor possit esse inæqualiter efficax, ita vt hæc intentio aliam vincat efficacitate? 6

Pro negatiua parte stat prima concipiendi ratio quæ non parum roboris videtur habere , & sic primò omnibus occurrit. Nulla intentio efficax cuiuscumque sit intensionis vel remissionis, potest coniungi cum negatione electionis requisitæ ad finem: ergo omnis intentio habet æqualem connexionem cum fine:ergo ex omni intentione æquè 7

æquè infertur electio: ergo omnis intentio est æquè efficax. Probo consequentiam: Efficacia intentionis consistit in connexione ipsius cum electione exequutiua mediorum, quam infert, sed omnis intentio est æquè connexa cum electione: ergo omnis intentio est æquè efficax.

8 Placet asserere non obstanti ratione suprà facta, esse vnam intentionem efficaciorem alia. Pro hac conclusione suppono, quod negabit nullus, voluntatem per diuersos actus circa idem obiectum amatum posse tenaciùs, & minùs tenaciter obiectum prosequi. Rem explico: Certum est aliquando voluntatem ita amare obiectum, verbi gratia, sanitatem, vt si illi proponatur tanquam medium necessarium sciſſio brachij ab illius amore non desistet, sed patietur abscindi, & ipsam abscissionem positiuè per electionem amabit ad finem propositum consequendum. Certum etiam est, aliquando voluntatem eamdem efficaciter sanitatem amare, tali amore, seu intentione, vt si illi proponatur tanquam medium necessarium ad illam acquirendam, eadem brachij abscissio, statim voluntas ab illa intentione deficiet, & consentiet intellectui dicenti, non est tanti pretij digna dolore salus. Ex his intentionibus affirmo illam esse efficaciorem, quæ non deficit obiecto medio efficaci necessario ex suppositione, quod perseueret, eligendo, quàm illam, quæ obiecto eodem medio deficit, & à qua cadit voluntas, ne eidem insistens teneatur assumere electionem medij adeò duri, atque difficilis Conclusionem sic explicatam probo: Illa intentio est efficacior, quæ infallibiliùs infert effectum: sed intentio, quæ non deficit obiecto medio difficili infallibiliùs infert effectum, quàm illa, quæ deficiet eodem medio ablato, quia in eadem rerum peristasi perseuerat, & infert effectum, in qua alia deficit, & effectum non infert: ergo est efficacior intentio. Confirmatur: illa est virtus efficacior, quæ contrario resistit, vt suum effectum producat, quam illa, quæ ab eodem contrario interimitur, & remanet sine effectu: ergo intentio erit efficacior, quæ proposito difficili medio, persistit, & effectum consequitur, quàm illa, quæ eodem obiecto medio deficit, & non remanet cum effectu, neque adhuc sine illo: ergo inter intentiones efficaces datur intentio intentione efficacior.

9 Ad rationem dubitandi suprà propositam facilis est solutio. Respondeo omnem intentionem æquè coniungi cum effectu, ex suppositione, quod perseueret, quia sine illo perseuerare nequit, non tamè omnes æquè perseuerare cognitâ medij difficultate: efficacia autem sumitur ex coniunctione intentionis cum electione, & firmitate ipsius intentionis, seu propositi, quapropter quò firmior fuerit intentio, quæ existere non potest sine electione efficacior erit. Ad formam argumenti, Respond. omnis intentio efficax æquè coniungitur cum effectu, distinguo antecedẽs: suppositâ productione & perseuerantia intentionis cum præuisione medij, concedo maiorem: suppositâ tantùm intentione, sine perseuerantia cum præuisione medij, nego maiorem: sed efficacia consistit in connexione intentionis tum electione, distinguo: id, quod essentialiter requiritur, vt intentio sit efficax consistit in hac connexione tantùm, concedo minorem: id, quo intentio dicitur efficacior, & efficacior consistit in connexione intentionis cum electione, quæ tantùm sit ex suppositione perseuerantiæ intentionis cum præuisione medij difficilis nego minorem: in connexione, quam habeat intentio cum electione, ante præuisionem difficilis medij, & independenter à tali præuisione, quoad esse intentionis, & connexionis ipsius cum electione, concedo minorem. Deinde nego consequentiam,

CONTROVERSIA XII.

De libertate voluntatis.

PRopriissima affectio actuum voluntatis est libertas, maximaque huius potentiæ perfectio; quapropter postquam egimus de voluntate, & de actibus illius, disputationem de libertate insti tuimus.

PVNCTVM PRIMVM.

Statuitur libertas voluntatis.

MAximam rationalis substantiæ perfectionem, in li- 1
bertate Philosophi atque Theologi sitam esse agnoscunt, quam nullus negat, præter stolidos quosdam hæreticos, qui idipsum, quod verbis negant, rationibus, atque operationibus probant. Hi fuêre, teste August. lib. 5. de ciuit. Dei c. 1. & lib. 4. Confessionum cap. 3. antiqui quidam Philosophi, quos postea sequuti sunt Simon Magus, Bardasanes, Priscillianus, vt constat ex Aug. lib. de hæresibus c. 35. 46. & 70. ex Clem. lib. 3. Recognitionum, & ex Bellarmino libr. 3. de grat. & libero arbitrio.

Communis Philosophorum consensus homini libertatem assignat, ita Aristoteles cum suis, vt constat ex lib. 9. metaph. cap. 2. & 3. Ethicorum, à principio libertatem hanc statuit tanquam fundamentum totius moralis doctrinæ. Eamdem libertatem concedit Plato lib. vltimo de Republica, & Stoici à necessitate fati, quam aliis rebus tribuebant voluntates humanas excipiebant, vt refert August. lib. 5. de ciuit. Dei cap. 10. Cicero lib. de diuinit. & natura Deorum, vt hanc libertatem concederet, Dei præsentiam negauit, de quo Augustinus modò relatus dicebat: *vt homines faceret liberos, fecit sacrilegos.* Libertatem hanc acerrimè propugnant omnes Patres, inter quos omnium primus Augustinus tom. 1. tribus lib. de libero arbitrio, & tom. 7. vbi acerrimè egit contra Pelagium, & efficaciam gratiæ cum libero arbitrio composuit, cuius in hac re tanta est auctoritas, vt nullus possit in illa ab Augustino dissentire, qui manifestè Conciliorum definitionibus, præcipuè Arausicani non aduersetur. Plures Patres pro hac veritate citatos reperies apud Bellarminum suprà, modò nobis dicere sufficiat illam tanquam certam fide sancta omnes Catholicos amplecti. 2

Persuadetur veritas illa ex communi hominum operandi ratione, si enim hominibus libertas non inesset, ad quid consilium & deliberatio de re agenda, vel non agenda? Quorsum leges, & exhortationes? cur fruſtra obsequia hominibus exhiberemus; si enim illorum operationes liberæ non essent, sed ferino modo in obiecta ferrentur, hæc omnia essent inutilia, sicut quis fruſtrà mihi persuadere conaretur, & inutiliter à me postularet vt meæ staturæ cubitum vnum adiicerem, quod meæ libertati non subest, ac proinde impertinens est huius accrementi cogitatio ad illud obtinendum; sic de omnibus aliis dicendum esset, si omnia non ingenua libertate, sed miseræ necessitate contingerent. 3

Diceret amens aliquis has exhortationes, preces, atque consilia ablata libertate non inutiles fore, quia seruiunt vt hominem necessariò moueant ad opus exhibendum, quod illis deficientibus non præstaret, quia deficeret id, quo necessariò cogitur opus tale exercere, sicuti contingit in brutis, quibus non inutiles sunt inflictæ pœnæ, & illatæ blanditiæ vt moueantur ad onera portanda, aliáque exhibenda quæ absque illa indifferentia operantur. Quod si quæras, ex quo principio oriantur exhortationes, seu preces, quæ potuerunt non esse, dicent procedere necessariò ex alia apprehensione, & si hæc non sit prima, ex alia, quousque deueniatur ad aliquam quæ misera calamitate, & fato ineuitabili contigit. 4

Effugium hoc, quod non nisi proteruus pertináxque hæreticus tentabit, experientia præcluditur, qua notum est, eadem cogitationum serie constitutos posse idem obiectũ amplecti & non amplecti, quod ipsi hæretici fatentur, dum iniurias sibi illatas vindicare procurant, & grauiter ferunt sibi malum ali quod ab aliis hominibus infligi, & illos increpant & reprehendunt, qui suos errores non amplectuntur, & suis legibus non obediunt, quæ omnia irrationabiliter fierent, si libertas hominibus non esset: immeritò enim quis iraſcitur cum homine infligente alapam quam non potuit non infligere, vel occidente filium, vel parentem, in cuius mortem perpetrandam necessariò fuit addictus 5

Vltimò, libertas voluntatis à priori probatur ex modo, quo intellectus obiecta proponit: Intellectus proponit obiecta cũ indifferentia vt amentur, & odio habeãtur, cum aliqua ratione boni, quam potest actu prosequutionis voluntas amplecti, & cum rationem ali, quam potest voluntas 6

actu

actu fugæ deteſtari : ergo ex vi obiecti propoſiti cum indifferentia vt ametur & odio habeatur, voluntas manet indifferens ad amandum, & non amandum, & odio habendum, quia motiuum illud, quod poteſt mouere ad odium, poteſt mouere ad omiſſionem amoris, & quod inclinat ad amorem, poteſt voluntatem mouere ad odij omiſſionem. Probat hæc ratio omnem ſubſtantiam rationalem eſſe liberam, quod fatentur omnes Catholici : ego verò in præſentiarum agam de libertate hominis, illa enim quæ ſpectant ad libertatem Dei, tractant Theologi 1.p. q.19. & ad libertatem Angelorum eadem prima parte.

PVNCTVM II.

Quid ſit potentia libera.

1 POtentia libera ab omnibus definitur : *quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum poteſt operari, & non operari* : in qua definitione duo requiruntur, ſcilicet quod poſitis requiſitis ad operandum, potentia interna vi valeat in actum prorumpere, & quod eadem vi valeat ſe continere, & non in actum erumpere ; quæ duo ex parte actus ſecundi diſtinguuntur tanquam poſitiuum & negatiuum; ex parte vero actus primi, vtrumque importat potentiam actiuam, quæ requiritur vt principium illud, quod poteſt operari permanens cum eadem potentia poſſit non operari, quod illi conuenire nequit, ſi non habeat omnia requiſita ex parte actus primi ad operationem, quia voluntas, quæ non habet cogitationem aliquam circa obiectum non dicitur poſſe illud non amare, ſed non poſſe amare ; & negatio amoris non illi tribuitur potentiæ, ſed impotentiæ, ſicuti tribuitur lapidi, quem non dicimus poſſe non amare, ſed non poſſe amare. Rationem huius rei dedi Contr. 9. Punct. 1. vbi probaui omiſſionem tantùm quatenus liberam dependere à potentia, vnde ſi ipſa libera non ſit, non poteſt à voluntate dependere. Ex quo manifeſtè infertur dependentiam omiſſionis à voluntate includere libertatem ad actum poſitiuum, quia eadem eſt libertas ad omiſſionem & ad actum poſitiuum.

2 Hæc definitio apprimè libertatem creatam explicat, non tamen poterit conuenire libertati increatæ Dei, ſi verbum illud operari actionem ſignificet, quia volitio Dei non eſt actio; ac proinde etiáſi Deus poſitis omnibus requiſitis indifferens ſit ad amandũ, & non amandũ; non tamen ad aliquam actionẽ immanentẽ, quia amor in Deo non eſt actio phyca, poterit tamen illa definitio Deo cõuenire, ſi nomen *operationis* latè ſumatur pro volitione, ſiue identificata cum ipſa ſubſtantia, quæ dicitur volens, ſiue cum actione diſtincta à potentia, ſeu ſubſtantia volente. Quomodo autem poſſit eſſe ſubſtantia Dei indifferens ad amandum, & non amandum cùm illius amor ab ipſius ſubſtantia non diſtinguatur, eſt omnium maxima difficultas, quas tota Theologia complectitur, quam modo diſſoluere alienum eſt ab hoc opere, in quo de libertate humana tantùm diſputationem inſtituo, quæ per ordinem ad operationem, quæ propriè actio eſt, rectè definitur, quia omnis volitio creata neceſſariò actionem importat vel tanquam rationem formalem conſtituentem ipſum amorem, vel tanquam cauſalitatem, media qua, ratio illa, in qua conſiſtit formaliter amor à voluntate efficienter dependet.

3 Dupliciter poteſt aliquid ad actionem requiri, primò vt prærequiſitum, & tenens ſe ex parte actus primi ad ipſam actionem, ſeu actum ſecundum. Secundò, tanquam quid comitans, & imbibitum, ſeu identificatum cum ipſo actu ſecundo, ſeu cum actione, eo modo, quo dicere ſolemus, requiri differentiam rationalis ad conſtituendum hominem. Quæ hoc modo requiri dicuntur, propriè non requiruntur, nihil enim ad ſe ipſum requiritur, ac proinde non de his intelligenda eſt definitio, nam hæc non poſſunt eſſe indifferentia ad operationem, & ad negationem operationis : ſicut enim operatio non poteſt eſſe indifferens ad ſe ipſam & ad ſui negationem, neque non ad ſe ipſam determinata, ita illa quæ per identitatem ipſam actionem comitantur non poſſunt eſſe ad illam indifferentia, neque non ad eamdem determinata. Intelligenda eſt definitio de his quæ actionem præcedunt, & ſe habent per modũ actus primi ad illam tanquã ad actum ſecũdum.

4 Hæc eſt omnium Philoſophorum mens, qui vno ore definitionem adductam proferunt, ſcilicet : *Potentia libera eſt quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poteſt operari & non operari*, quia tamen res eſt magni momenti volo illam Doctorum auctoritate comprobare. Ariſtot. 9. Metaph. c. 5. his verbis potentiam neceſſariam explicuit, *Hiuſmodi potentis neceſſe eſt vt cum qua adpoſſint actiuum, & paſſiuum approximent.* Et definit potentias neceſſarias Ariſtoteles per neceſſitatem agendi id quod poſſunt poſitis ad agendum requiſitis. Neque dixit potentias neceſſarias neceſſariò operari poſita tantùm virtute operatiua ſine aliis requiſitis, quia hoc falſum eſſet, ignis enim ſine approximatione non calefacit, ſed omnia requiſita ad operationem affignauit vt operatio eſſet neceſſaria, & potentiam neceſſariam induceret, quod ſibi volunt verba illa *actiuum & paſſiuum approximent.*

5 Eam definitionem tradit Nemeſius lib. de natura hominis & animæ facultatibus, c.35. à medio, vbi refert Chryſippum & alios Philoſophos pro eadem ſententia. Eamdem ſententiam tenent Thomiſtæ. Sic enim Capreolus in 1. diſtinct. 6. quæſt. vnica, art. 3. ad arg. Scoti contra 4. concluſ. agens neceſſarium & liberum definiunt : *Illud dicitur agens naturale, quod poſitis omnibus requiſitis ad agendum, & nullo poſito impedimento quin ipſum poſſit agere, neceſſariò agit. Illud verò agens dicitur liberum, quod eodem modo poſitis omnibus requiſitis ita vt poſſit agere non neceſſario agit, ſed in poteſtate eius eſt vt agat, & non agat.* Dominicus Sotus nobiliſſimus Dominicanus lib. de natura & gratia cap. 6. eodem modo principium liberum definiuit, & ne aliquis exiſtimaret deficere definitionem ex neceſſitate concurſus Dei, addit adhuc illo poſito, voluntatem eſſe indifferentem ad actum & ad negationem illius, quod intelligendum eſt de concurſu in actu primo, hoc eſt de applicatione omnipotentiæ, & decreto, quo Deus illam applicat, non verò de concurſu in actu ſecundo, quia hic non diſtinguitur ab ipſo actu voluntatis, qui ſemel poſitus non poteſt non poni. Qui plurimos alios ex antiquis & recentioribus, qui definitionem liberi principij ſic tradunt videre voluerit, adeat P. Didac. Ruiz diſp 50. de ſcientia, ſect. 4. vbi ad ſatietatem illos citatos reperiet.

6 Ratione naturæ lumine omnibus nota eadem libertatis definitio comprobatur: libertas dicit indifferentiam ad faciendum, & non faciendum, poſſe facere & non facere, ſi enim miſerè ad alteram contradictionis partem ſim addictus, ita vt non poſſim me ad aliam conuertere ; quam indifferentiam habere potero? vel quæ extrema hæc indifferentia reſpiciet ? vel cur ignis ex natura ſua determinatus ad calorem producendum non dicetur indifferens ad illius productionem ? Hanc indifferentiam eſſe debere ſuppoſitis omnibus requiſitis ad agendum, clariùs patet, quia antequam ſint requiſita ex parte actus primi ad actionem, actio eſſe nequit: ergo tunc non eſt indifferentia ad actionem. Deinde agens liberum, & neceſſarium diſtinguuntur ex eo quod hoc ſit determinatum ad agendum ; illud verò indifferens : ſed agens liberum non eſt ſufficiens, neque neceſſarium adæquatè determinatum ad agendum quouſque habeat omnia requiſita ad agendum, & antequam hæc adſint, diſcerni nequit differentia inter agens liberum & neceſſarium, quia vtrumque conuenit in hoc quod eſt liberum eſſe indifferens ad agendum & non agendum ſuppoſitis omnibus requiſitis, & neceſſarium his ſuppoſitis nullam indifferentiam habere.

7 Dices, poſſe differre agens liberum, & neceſſarium, ex eo quod neceſſarium quando eſt ſine omnibus requiſitis ad agendum exigit illud, quo indiget ad agendum, quod ſine aliqua violentia negari nequit, ac proinde tunc exigit operari, quia exigit omnia requiſita ad operationem, quibus eſt annexa operatio. Agens verò liberum quando eſt ſine requiſitis ad operandum non exigit illa, ac proinde etiamſi his ſit connexa operatio non exigit operationem.

8 Nonnulla dubia, alia falſa, & nihil ad rem continet hæc ſolutio. Do agens neceſſarium exigere omnia requiſita ad operãdum antequam illa habeat & illa non exigere agens liberum, quod verum non eſt, quia ignis etiamſi exigeret applicationem ad aliquod paſſum, non illam exigeret ad omnia, quibus de facto applicatur, ac proinde reſpectu calefactionum circa obiecta, quorum applicationem non exigebat eamdem haberet indifferentiam, quam habet voluntas. Deinde hæc ſaltem ordine ad aliquos actus exigit omnia requiſita ad illos, quia petit eſſe proximè potens operari: ergo æquè exigunt cauſa

causa libera, & causa necessaria, requisita ad agendum: ergo ex hoc capite non differunt

9 Sed demus aduersarijs hanc differentiam, penè illam non potest voluntas libera constitui, neque habere dominium in hoc, quod est non exigere requisita ad operandum, quia hoc non est aliquid agere, & conuenit illi necessariò per suam entitatem, non illud exercet in acquisitione illorum quæ requiruntur ad operandum, quia absque vlla libertate illius illi contingunt, & liberaliter à Deo conferuntur respectu bonorum actuum, & respectu aliorum ex concursu naturalium causarum propositione obiectorum, & Dæmonis suggestione contingunt: ergo si iam supositis requisitis ad agendum non habeat aliquod dominium suarum actionum causa libera, quo careat necessaria, non possunt differre, nec vna libera, & alia necessaria dici poterit.

10 Neque ad libertatem sufficit indifferentia rationis scilicet iudicij, quo obiectum indifferenter repræsentetur, si aliunde voluntas determinatur ab alio principio ad aliquem actum circa obiectum indifferenter positum, quia si posito iudicio indifferenti Deus decernat independenter à libertate voluntatis concurrere ad aliquem actum voluntas non poterit non concurrere, neque absolutè indifferentiam habebit, aliàs posita vnione hypostatica posset natura libera manere ad actus prauos. Dicunt cum vnione hypostatica non componi iudicium practicum indifferens ad mendacium. Contrà ideo cum vnione hypostatica non conponitur iudicium indifferens ad mendacium, quia vnio hypostatica incompossibilis est cum mendacio: ergo cum principio determinato ad amorem non est compossibilis negatio amoris, neque actus odij: ergo cum hoc principio compossibile non est iudicium indifferens ad odium, neque ad negationem amoris. Vrgeo: posita indifferentia ex parte intellectus, si Deus decernat non concurrere cum voluntate ad amandum, nullam libertatem habebit ad amorem, vt per se notum est, implicat enim actus amoris Deo non concurrente, & voluntas nequit esse libera ad actum pro illo statu, in quo implicat. Ex hoc infero posito decreto Dei concurrendi independenter à voluntate ad actum amoris voluntatem non esse liberam ad odium, quia posito hoc decreto determinato ad amorem, non potest Deus habere decretum adhuc indifferens ad odium, quia non possunt componi adhuc per diuinam potentiam decretum determinatum Dei ad amorem, & decretum indifferens ad odium, determinatio enim ad vnam partem tollit indifferentiam ad oppositam, infero similiter non posse voluntatem esse liberam ad negationem amoris, posito decreto Dei ad amorem, quia sicut esse nequit amor cum negatione decreti concurrendi ad amorem, ita non potest esse negatio amoris cum positione decreti concurrendi ad amorem: ergo sicut negatio decreti ad amorem, seu decretum non concurrendi ad amorem destruxit libertatem amoris, ita decretum determinatum ad amorem independens à voluntate destruet libertatem ad negationem amoris.

11 Confirmatur: Hæretici huius temporis, qui voluntati libertatem negant, illi concedunt iudicium indifferens, & dicunt ita per motionem Dei determinari vt necessariò & absque vlla libertate consentiat, quod si vera esset expositio adducta, hæretici in re libertatem concederent, licèt verbis illam negarent, & eorum loquutio, & non sententia damnaretur à Patribus, vt in simili fecit Augustinus lib. 5. de ciuit. cap. 1. vbi contra eos qui factum inducebant sic habet: *Quæ si propterea quispiam fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat sententiam teneat, linguam corrigat*: ergo simili modo Concilium Tridentinum contra modum loquendi Caluini, & aliorum hæreticorum, deberet agere, non contra illorum sententiam, quia si in re libertas nihil aliud esset quàm iudicium indifferens & omnis actus qui à voluntate tali iudicio præuenta procederet, liber euaderet, etiàsi aliunde antecedenter esset determinatus, hæretici, qui dicebant actus nostros prouenire à iudicio indifferenti, etiamsi dicerent esse necessarios, quia motione Dei erant prædeterminati libertatem in re secundùm hunc dicendi modũ concedebant, quia indifferentiam ex parte obiecti admittebant, & licet nomen definiti negabant, rei definitionem concedebant iuxta sententiam horum dictorum eodem modo, ac si dicerent Christum esse animal rationale, & non esse hominem, ideóque ad meliorem loquendi modum trahendi essent in eadem sententia perseuerantes.

12 Hæreticos concedere indifferentiam ex parte obiecti, hoc est, iudicium indifferens, probatur; quia Lutherus, Caluinus, Melanchton, & Kemnitius, vt probent hominem scire bonum, & velle, sed explere non posse, ideóque necessariò peccare adducunt pro se testimonia ad Romanos 7. quibus Paulus expresè tradit cognitionem, & volitionem boni, scilicet illud: *Peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Et rursus: *Scio quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum venundatus sub peccato.* Et iterum: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: Insuper: *velle mihi adiacet, perficere non inuenio.* Ex quibus testimoniis pessimè inferunt impossibilitatem vitandi peccata, rectè tamen fatentur, cognitionem boni & mali. Legantur quæ refert Bellarminus toto lib. 5. de amissione gratiæ, & statu peccati, præsertim cap. 4. notentúrque obiectiones hæreticorum, quas refert cap. 10. 11. & 12.

13 Do hæreticos non concedere iudicium indifferens, & probo auctoritate Patrum hoc non sufficere ad indifferentiam constituendam. Sancti Patres, qui toti in conciliandã efficacia gratiæ, & infallibilitate prædestinationis cum libero arbitrio, nunquam probarunt hoc illæsum permanere suppositã prædestinatione, & efficaciã gratiæ, quia manebat iudicium indifferens proponens voluntati bonũ, & malum: ergo sensère hoc iudicium non sufficere ad libertatem constituendam, si aliunde voluntas aliquo præueniebatur ex se necessario actum inferente, si enim iudicium indifferens ita voluntatem liberam constitueret, vt illo permanente non posset voluntas non liberè operati quamtumvis aliunde determinata, quorsum tam prolixa disputatio de concordia gratiæ, & diuinæ prædestinationis cum libero arbitrio constitueretur à Patribus, qui possent per simplicem iudicij indifferentis propositionem rem totam dirimere,

14 Ex his faciliùs refutabitur modus alius dicendi, voluntatem ex natura indeterminata esse liberam, & ita liberum esse quidquid ab illa oritur, quod absurdissimum est, aliàs omnes actus, quos primò primos vocamus à voluntate prouenientes liberi essent, & peccaminosi, si obiecta turpia haberent, quod falsum est. Deinde inter gratiam præuenientem, quam Deus in nobis operatur, annumerant Theologi motum voluntatis, qui à nostra libertate nequit dependere, absurdissimum enim esset asserere gratiam præuenientem à nostra libertate procedere.

Punctum III.

Per ordinem ad quam potentiam definiatur libertas.

1 Definitur libertas creata per ordinem ad potentiam & internam vim, quæ potentia debet esse actiua; non enim per ordinem ad passionem rectè definitur libertas, neque principium purè passiuum liberum esse potest. Hæc conclusio est communis inter Scholasticos, & illam tradunt Soar. tom. 2 Metaph. disp. 19. sect. 2. n. 21. & Hurtad. disp. 15. sect. 1. Probat Soar. in hunc modum. Passio vt passio non potest esse libera patienti, sed tantùm quatenus est actio, & dicit ordinem ad agens vt agens est: ergo libertas non per ordinem ad potentiam passiuam, sed per respectum ad actiuam sumenda est. Antecedens probat, quia actio si sit circa subiectum de quo modò est sermo, necessariò infert passionem, & passio non infert actionem, neque esse potest nisi quatenus per actionem infertur: ergo tota libertas consistit formaliter in actione, & nequit consistere in passione: ergo libertas per ordinem ad potentiam actiuam definienda est, & per ordinem ad passiuam nequit explicari.

2 Hæc ratio forsan quidquã rei inuoluit, nihilominus, vt iacet, firma non apparet, totũ enim illius robur situm est in eo, quod actio inferat passionẽ, & non inferatur ex illa, & è contra, quod passio non inferat actionẽ, sed ex illa inferatur, quod facilè quisq; negabit, cùm actio circa subiectum, de qua agit Soar. identificetur cum passione & inter ea, quæ omnino sunt idem, non potest esse illatio realis, nequevnũ ab alio procedere cùm non sit vnũ neq; aliud. Secundò, actionem eductiuã adhuc formaliter multi à passione non distinguunt: ergo adhuc per intellectũ dici nequit passionem inferri ex actione eductiua, & non è contra.

Tandem differentia inter actionem,& passionẽ non sumitur præcisè ex entitate actionis, & passionis, quæ est vna insectilis, sed ex extremo seu principio connotato,per ordinem enim ad principium effectiuũ entitas,quæ in se est actio,& passio denominatur formaliter, & eadem per ordinem ad principiũ passiuum passio dicitur:ergo differentia influendi inter efficiens & passiuum non sumẽda est ex entitate influxus, seu actus secundi secũdùm se,sed etiam ex eiusdem principiis: ergo non probandum est efficiens esse liberum, & non passum præcisè ex actu secundo, sed ex isto,& ex diuersitate principiorum in actu primo.

3 Eamdem conclusionẽ probat Hurtad.quia passum ita patiturvt si agens velit operari,non possit non pati,& si agẽs nonvelit operari,non possit pati:ergo tota indifferẽtia consistit in actione,& non in passione. Quod si passum possit resistere actioni,hæc resistentia fiet medio aliquo superaddito, respectu cuius habebit rationem agentis:si verò resistentiã exhibeat passum per suãmet entitatem,non poterit illam non exhibere,ac proinde non erit libera. Non nimis premit hæc ratio,vix enim aliquid vltra conclusionẽ continet,& ad quã responderet;qui oppositã defendendam susciperet negando antecedens vniuersaliter de omni passo prolatum,& asserendo posse dari passum,quod cùm vellet pateretur,& non pateretur,& per passionẽ liberè suam indifferentiã determinaret ad patiendum & non patiendum.

4 Probanda est conclusio ex Trid.sess.6. can.4.vbi definitur,nostrum liberũ arbitrium non se habere vt inanime instrumẽtum merè passiuè in actibus supernaturalibus,quod infert Conciliũ ex eo quod liberè ad illos concurrat:ergo sentit Conc.libertatem non posse in passione cõstitui.Vim huius illationis agnouit Arriaga disp.8. sect.1. non tamen conclusioni acquiescit,qui putat difficilè ratione illius inueniri & oppositam efficaciter probari,quapropter asserit duplicem passionẽ posse reperiri ex parte subiecti vnã quæ communiter assignatur in materia respectu formarum materialiũ, quæ causalitas dicitur, media qua materia causat formas in genere causæ materialis.Aliã verò reperiri,quæ cõstituitur in materia ab aliquibus negantibusmateriã esse veram causam respectu formarum, quam opinionem docuit Lessius à me relatus & impugnatus lib 2. Physicor.

5 His positis; docet posse constitui libertatẽ per ordinem ad passionem,quæ verè sit causalitas respectu formæ qualis est quæ cõmuniter ab omnibus assignatur,nonverò per ordinem ad passionẽ,quam materiæ primæ tribuunt, qui illi denegant verũ influxum causæ materialis,neq; per ordinẽ ad passionẽ,quam illi respectu rationalis animi tribuimus, qui in nullo genere causæ ab illo dependet, quia hæ tantùm passiones mediis quibus forma non dependet à subiecto tanquã à vera causa materiali impropriæ sunt,respectu quarum liberum arbitrium se habet velut inanime quoddam instrumentum,& de his tantùm Concilium est intelligendum;non verò de passione propria,quam communiter Doctores respectu formarum materiæ assignant.

6 Hæc doctrina maximoperè mihi displicet,ægrè enim & & ni fallor,absurdè Concilium explicat, ex illa enim infertur nihil contra Concilium asserturum, qui modò defenderet animum concurrere tantùm ad opera supernaturalia in genere causæ materialis per passionem,quam tota Schola cognouit, illa enim passio quæ non est causalitas, quam ex Lessio adducit Arriaga, vix lucem vidit, neque de illa mentionem hucvsque Scholastici fecerunt,hoc fatetur Arriaga.Ego id sanè concedere non auderem, quia Concilium definit animum tantùm passiuè, quod intelligi debet de passione, quam tota Schola talem appellat, non de illa quam vnus,vel alter denuò inuenit,& tempore Concilij forsan nullus agnouerat;quæ sanè passio non est, sicuti neque receptio animi rationalis in materia, quam absque vllo fundamento passionem appellat Arriaga,cùm tantùm sit informatio,seu vnio formæ ad subiectum.

Dicendum ergo est per ordinem ad passionem non posse libertatem in actu primo explicari, neque per passionem in genere causæ materialis in actu secundo constitui.Ratio est,quia causa materialis determinatur ab efficiente,& efficiens determinat materialem. Vnde determinatio numquam oritur à causa materiali,quapropter non potest illi tribui libertas in actu secundo, quæ propria est principij determinantis talem actum secundum,ac proinde neq; in actu primo,quia actus primus ordinatur ad secundum.

7 Dices nullam esse rationem,propter quam dicatur causam efficientem determinare causam materialem, & materialem non determinare efficientem.Respondeo,rationem esse diuersum modum respiciendi actionem identificatam cum passione, principium effectiuum, & causam materialem:illud enim respicit tanquam id, à quo exit, & hanc tanquam id, in quod tendit, & in quo recipitur; & sicut prius concipitur ex modo concipiendi exire, quàm recipi seu peruenire ad id in quod tenditur,ita priùs concipitur agens determinare materiã, quàm materia determinare agens, quæ conceptio licèt tantùm sit ex parte actus,quatenus præscindit exitum ab agenti, & accessum, ad terminum aliquid importat ex parte obiecti, ratione cuius eadem entitas, quæ est actio & passio diuerso modo respiciat principium effectiuum,& causam materialem.

Deinde eamdem conclusionem probo à paritate aliarum 8
potentiarum, quæ in se sunt necessariæ, possunt tamen dici secudùm suas operationes, liberæ libertate deriuata à voluntate, quarum nulla indiget imperio voluntatis ad causandum in genere causæ materialis, seu ad patiendum, neque secundùm hanc rationem voluntati subditur, subduntur autem plurimæ ad efficiendum, vt constat in potentia loco motiua, & productiua impulsus subiectis in homine illius imperio(nõ loquor de imperio propriè dicto quod cõsistat in intimatione præcepti)quæ determinatur, ad agendum,nulla autem potest detetminari ad patiendum à voluntate, sed tantùm ab agente: ergo sicut in potentiis externis libertas deriuata non potest consistere in passione, sed tantùm in actione, ita in volitiua potentia propria libertas in actione, & non in passione consistit.

Obiicit Arriaga, Effectus dependens à causa efficiente 9
& materialis,æquè potest impediri ex defectu causę materialis, ac ex defectu causæ efficientis: ergo eodem modo est necessaria ad illius existentiam determinatio causæ materialis, ac efficientis: ergo sicut efficiens potest constitui libera per suam determinationem efficientiam videlicet, ita materialis per suam determinationem, nempe passionem ? quia sicut efficiens est indifferens ad actionem, & negationem illius? ita potest concipi materialis indifferens ad passionem,& negationem illius: sicut enim actio dependet ab agente, ita passio à causa materiali. Respondeo ad effectum requiri determinationem omnium causarum, diuerso tamen modo, quia determinatio efficientis in causa, quæ libera dicitur, oritur ab ipso efficienti, in nulla verò causa materiali determinatio materiæ tribuitur ipsi materiæ,ac proinde nunquã potest causæ materiali tribui libertas,hæc enim est vera causalis,saltem in sensu formali,quia principiũ effectiuũ agit,causa materialis patitur, hæc autẽ adhuc in sensu formali est falsa, quia principium passiuum patitur,effectiuum agit, semper enim priùs concipitur agi, quã pati,& actio potest separari à passione in actione creatiua,in nulla autẽ passione passio potest ab actione separari.

Statuimus libertatem definiri per potentiam actiuam, 10
definiendum est modò quæ sit hæc actiua potentia, quæ formaliter libera dicitur, vel per quam homo formaliter liber constituitur. Nos qui potentias superadditas animo denegamus, non possumus potẽtiam hanc liberam ab ipso animo distinguere, verumtamen eadem nos vrget difficultas, ac si illas superadditas concederemus, tenemur enim assignare actus, in ordine ad quos animus potentia libera dicitur, & secundum quam rationem formalem illi conueniat ratio principij liberi, quapropter eodem modo in præsenti quæstione philosophamur, ac si potentias superadditas tribueremus animo rationali. Nullam potentiam, materialem esse formaliter liberam admittunt omnes, quia libertas est prõpria rationalis substantiæ illi quatenus rationali competens, cùm vero potentiæ animi rationalis vt rationalis, spirituales sint, libertatem in potentia spirituali constituendam esse omnes Doctores, & disputant cui ex potentiis spiritualibus primò & per se conueniat libertas, in qua vix vel leue dissidium est.

Durand. in 1.dist.24.q.3.asseruit libertatem primariò in- 11
tellectui, & voluntati competere, & principaliùs intellectui,quàm voluntati, quia intellectus, primariò & principaliùs est rationalis,& libertas prædicatum rationalis,cõsequitur.Libertatem tantùm voluntati primariò cõpetere est iam in scholis omnibus compertũ,quod docuit Angel. Doct.1.p q.83.art.3.& 1.2.q.23.art.1. & in 2.dist.24.q.1.quem sequuntur Thomistæ, Caietan. Capr. Conr.locis citatis. Idem tenet Scot.distinct.25. cum Ricard. in 2.distinct.24. & Henr. quodlib.1. quæst.16. quibus recentiores auctores vnanimes assentiuntur. Ratio à priori est, quia intellectus

ex

ex natura sua determinatus est ad assentiendum vero, & dissentiendum falso, neque potest vero non assentiri, neque dissensum à falso cohibere si vt alia appareant neque assentire, neque dissentire poterit: ergo intellectus nunquam est formaliter liber ad proprium actum, neque huic primariò libertas competere potest. Probo consequentiã, & rationem confirmo: si in aliquo casu intellectus esset liber, maximè quando obiectum non apparet euidenter verum, neque euidenter falsum, sed pro vtraque parte probabiles rationes occurrunt vt intellectus ex vi harum assentiat, & ex vi illarum dissentiat: sed tunc illa indifferentia auferenda est per actum voluntatis, quo voluntas imperet assensum, potiùs quàm dissensum: ergo neque in hoc casu libertas competit intellectui. Minorem probat manifesta experientia, quâ compertum est voluntatem in his casibus intellectum in alteram partem determinare, & hac ratione ad actum fidei, cuius obiectum euidens non est pium voluntatis affectum Theologi requirunt & ad opinandũ piam affectionẽ plurimùm conducere dicimus.

13 Ratio huius à priori posita hæc est; tota obiecti indifferentia, vt possit esse actus assensus, vel dissensus circa illud, oritur ex imperfecta applicatione ipsius obiecti & ex obscuritate, qua obiicitur intellectui non vt in se est, non ex ipsa obiecti natura, quæ in se & ratione sui indifferens non est, si clarè obiiciatur ad terminandum assensum, vel dissensum, sed necessariò in determinatum actum inclinat, & ita respectu intellectus diuini, cui non potest confusè obiici, nunquam potest hanc indifferentiam habere, neque intellectus diuinus aliquando indifferens est ad assentiendum, vel dissentiendum; si enim obiectum existat necessariò terminat assensum intellectus, diuini, si verò non existat, ad illud dissensus diuinæ mentis necessariò terminatur. Ex quo infertur, non posse indifferentiam propriã, & per se in intellectum refundere, quia hæc illi non accrescit ex proprio obiecto, sed ex imperfecto modo, quo illi obiicitur, & priùs arguit imperfectionem intellectus, quàm perfectionem aliquam: ex imperfectione verò potentiæ non potest libertas, quæ maxima perfectio est, illi adiungi, sed sicut tota indifferentia intellectus ad assentiendum seu non assentiendum, vel dissentiendum illi ab extrinseco contingit, ita ab extrinseco, hoc est, à potentia, cui per se indifferentia competit, scilicet voluntate determinanda est.

14 Confirmatur conclusio, & vrgetur ratio: Obiectum voluntatis ex sua natura tale est, vt in se habeat rationes permixtas, quibus trahat ad amorem, retrahátque ab odio & quibus trahat ad odium, & retrahat ab amore, quia habet ens creatum rationem boni, & mali admixtam, & postquam voluntati per cognitionem etiam comprehensiuam illi fuerit propositum, rationem motiuam inuenit in illo ad amorem, & odium, & ad vtriusque actus negationem. Intellectus autem nunquam in obiecto proprio reperire potest motiuum ad assentiendum, vel dissentiendum, seu omittendum actum, ad quem habet sufficiens motiuum, quia obiectum vel existit, vel non existit: si existit, ex se necessariò terminat assensum; si non existit, est determinatum ex se ad determinandum dissensum, neque aliter, nisi ex errore, aut deceptione contingere potest: ergo obiectum voluntatis ex natura sua indifferens respectu voluntatis adhuc diuinæ potest terminare complacentiam, vel displicentiam sui, & obiectum intellectus ex se est determinatum ad assensum, vel dissensum, & tantùm illi per accidens potest conuenire indifferentia ad actus respectu intellectus creati, cui imperfectè propositum sit, & aliter ac est, non verò respectu intellectus diuini: ergo obiectum voluntaris quasi ex propriis meritis indifferentiam refundit in suam potentiam, quam illi determinandam relinquit, & obiectum intellectus hunc addicit ad actum determinatum, quem per se loquendo non potest intellectus vitare, sed tantùm aliquando per accidens ex imperfecta applicatione obiecti.

15 Confirmatur eadem conclusio. Omnis actus liber debet esse voluntarius, quia debet nasci à principio non se determinante per modum naturæ, sed cum indifferentia, & ab intrinseco, & sponte sua: sed tantùm actus potentiæ est voluntarius: ergo tantùm actus huius potentiæ est formaliter liber. Vltimò conclusionem hanc confirmat vox cunctorum hominum à minimo infante vsque ad iam ætatis caducæ senem, & à rusticissimo baiulo vsque ad peritissimum iurisconsultum, à quibus si petas cur rem hanc faciant, cùm possent oppositum præstare, vno ore respondent omnes, quia volo: ergo sentiunt omnes libertatem, & indifferentiam primariò, & per se actui voluntatis, & non alij potentiæ competere. Circa naturam liberæ potentiæ restat modò explicandum, quæ sint illa requisita: quibus positis voluntas potest operari, & non operari, seu quæ requirantur, vt voluntas hanc habeat indifferentiam, & potestatem se determinandi, quod punctis sequentibus explicabo.

Punctum IV.

In quo consistat ratio formalis libertatis in actu primo, & quid sit liberum arbitrium.

DIxi potentiam volitiuam esse formaliter liberam, & non aliam, & explicui rationem essentialem principij liberi, est modo examinandum: An libertas conueniat voluntati per suammet entitatem, ita vt per se ipsam sit formaliter in actu primo libera, an verò aliquid superadditum voluntati importet libertas in actu primo: quâ quæstione explicata, alia facilè soluetur. In quonam consistat essentia liberi arbitrij. An dicat potẽtiam, vel actũ, & an dicat potentiam ab intellectu, & voluntate distinctam. 1

Alens. 2. q. 72. membro 2. art 1. §. 3. docuit liberum arbitrium, esse potentiam quamdam motricem ab intellectu, & voluntate distinctam. Alij apud Soar disput. 19. sect. 5. num. 4. liberum arbitrium constituebant in quodam actu, vel habitu, vel in potentia provt aliquo actu affecta. Dicam quid sit, per quod voluntas in actu primo libera constituatur, & postea quid sit liberum arbitrium facilè definiam. 2

Hurtadus disp. 15. sect. 3. docet, libertatem esse idem cum voluntate, cognitionémque obiecti & alia extrinseca requisita esse connotata libertatis, non tamen esse de cõstitutione formali illius. Displicet mihi Hurtadi sententia, quam sic impugno: libertas in actu primo non distinguitur à voluntate: ergo non potest separari ab illa: ergo quomodocumque consideretur voluntas semper est libera & in actu primo ad liberè operandum: ergo quantumuis careat cognitione erit libera ad actum, & culpæ illi dabitur omissio illius, quod absurdissimum est, quia qui inuincibiliter ignorat præceptum, non dicitur liber ad illud adimplendum, & qui non cognoscit obiecti bonitatem liber non est ad illud amandum. Respondendum est in doctrina Hurtadi voluntati tunc deficere connotata libertatis, non tamen rationem formalem illius. Mirandum sanè doctrinam Hurtadi feduli connotatorum impugnatoris indigere connotatorum auxilio, cogíque ex illis solutionem petere. Illa sæpe cum Hurtado impugnaui, modò contra eumdem Hurtadum eadem impugno more solito. Hæc connotata vel pertinent ad rationem formalem libertatis, vel hæc adæquatè in voluntate consistit: si non pertinent, sed tota formalis ratio libertatis est adæquatè in voluntate constituta, quotiescumque subsistit voluntas subsistit tota ratio formalis constitutiua libertatis, & voluntatis liberæ: ergo permanet formaliter libera voluntas, quia posita ratione formali, & subiecto capaci non potest non poni effectus formalis præcipuè si subiecto per suam entitatem conueniat. 3

Dicendum est libertatem in actu primo dicere entitatem potentiæ, quæ libera denominatur, scilicet voluntatem cum omnibus aliis positiuè, & negatiuè prærequisitis ad actum secundum exercendum absque illa determinatione ad illum ex parte principij. Inter positiuè requisita præcipuè numeratur obiecti cognitio ex vi cuius voluntas possit ita tendere ad illud per hunc actum, vt possit per alium oppositum tendere in idem obiectum, vel saltem non tendere in illud. Hac ratione communis sententia libertatem formalem voluntatis constituit in duplici cognitione, qua obiectum bonum & malum repræsentatur & ex vtraque parte voluntas vocata potest cui maluerit annuere, & indifferens manet ad vtramque cum virtute intrinseca se determinandi. Requiritur etiam positiuè ad rationem constitutiuam libertatis habitus infusus, vel saltem omnipotentia parata ad supplendum illius influxum, si actus producendus sit supernaturalis, & non possit sine habitu, aut auxilio extrinseco supplẽte vices habitus produci à potentia naturali scilicet voluntate. Requiritur 4

eodem modo decretum Dei, quo decernat concurrere cum causa secunda, ex vi cuius ita assistat omnipotentia causæ secundæ, vt nũquam ex defectu causæ primæ effectus deficiat. Ratio est facilis. Causa secunda non potest operari nisi adiuta à prima & effectus à causa secunda productus dependet etiam à prima liberè concurrente ad illum: ergo supponit actum diuinæ voluntatis, quo velit ad illum concurrere, quia omnis effectus liberè à Deo dependens debet supponere actum liberum Dei, neque aliâ ratione potest dici liber respectu Dei, nisi quia dependet à decreto libero Dei, cùm ipse per se, & formaliter non sit quo voluntas diuina libera constituatur, sicuti constituitur voluntas creata, quia huius est formalis volitio, non voluntatis diuinæ à qua dependet, non tanquam actus à potentia, sed tanquam effectus à causa. Tandem requiritur ad rationem constitutiuam libertatis, quidquid ita influit in actum, vt actus esse non possit quin ab illo dependeat. Ratio est quia libertas dicit potentiam absolutè, & adæquatè expeditam ad efficiendum actum, & nequit esse potentia expedita ad actum, quando non est cum omnibus necessariò ad illum ex parte antecedentis, seu actus primi requisitis, seu quando abest aliquid, sine quo effectus esse non potest.

5 Requiritur negatiuè ad libertatem negatio totius principij immediatè influentis in actum ex natura sua intrinsecè connexi cum tali actu, ita vt in sensu composito coniungi nequeat cum negatione actus. Hanc conclasionem vniuersaliter intelligo de omni principio ita connexo cum effectu, siue intrinsece inhærente voluntati, siue tantùm extrinsecè sicuti decretum Dei extrinsecè assistit, & ita intellectam sic probo. Potentia libera est illa, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari, sed posito aliquo principio necessariò cõnexo cum effectu non potest operari, & non operari: ergo non est libera. Minorem probo: principium illud non potest componi cum negatione operationis: ergo illo posito non potest esse negatio operationis: ergo non potest voluntas non operari, seu ab operatione desistere, quod est idem ac ponere negationem operationis. Confirmatur: tale principium inducit necessariò existentiam actus: ergo reddit impossibilem negationem illius: ergo destruit indifferentiam requisitam ad actum, & ad negationem illius: ergo destruit principium liberum: ergo vt hoc subsistat requiritur negatio talis principij.

6 Respondent aliqui doctrinam hanc veram esse de principio intrinsecè inhærente voluntati, non verò de principio extrinseco ipsi voluntati, quia principium voluntatis extrinsecum intrinsecè illam eodem modo relinquit: ergo si antea erat libera, illo posito libera permanebit. Ratio à me facta eodem modo probat de principio intrinseco, & extrinseco, & disparitas assignata nullius est momenti, vt probabo, quapropter eidem insisto conclusioni. Disparitatem esse nullam sic probo. Voluntas eodem modo potest cogi ad actum, & negationem illius per principium extrinsecum, & intrinsecum: ergo nulla est disparitas. Antecedens probatur: Voluntas eodem modo intrinsecè existens potest esse libera, & non libera ad actum, quia si positâ voluntate cum duplici cognitione circa aliquod obiectum, & omnibus ex parte voluntatis, & causæ creatæ ad actum requisitis, si Deus suam omnipotentiam applicet ad concurrendum cum voluntate, voluntas erit libera, & si omnipotentiam non applicet, sed decernat non concurrere cum voluntate antecedenter ad omnem determinationem voluntatis præuisam, voluntas non erit libera, etiam si omnia intrinsecè inhærentia voluntati permaneant eodem modo: ergo voluntas eodem modo intrinsecè se habens potest esse libera, & non libera ex positione, vel ablatione alicuius extrinseci: ergo malè infertur, manet eodem modo intrinsecè: ergo manet cum eadem libertate, cùm hæc ex extrinseco possit deficere, vel accrescere intrinseco supposito. Deinde sequeretur ex hac doctrina Deum non posse cogere voluntatem ad eliciendum actum ad quem ex se erat indifferens sine introductione alicuius intrinseci voluntati antecedentis actum, ex vi cuius libertatem amitteret voluntas, quod falsum est, quia quocumque principio posito ex natura sua libera potest Deus ita cum illo concurrere ad actum positiuum vt nullo modo tale principium valeat concursui resistere, neque illum non elicere, sed necessariò illum debeat exhibere, & potest, vt suprà dicebam, concursum causæ primæ denegare, ita vt voluntas nullo modo possit in actum secundum prosilire.

Alij duplex principium distinguunt respectu eiusdem actus: aliud per se requisitum ad talem actũ sine quo actus esse non potest: aliud non per se requisitum, sed, ita influens in actum, vt illo non influente, actus eodem modo posset euadere: illius primi negationem ad libertatem requiri fatentur non verò secundi, quod putant rectè posse cum libertate componi. Hæc differentia nonnullum videtur habere fundamentũ in definitione libertatis: *Principium quod positis omnibus requisitis ad operandum, potest operari & non operari*: ergo ad rationem liberi tantùm requiritur vt illa, quæ requiruntur ad effectum possint componi cum actu & negatione illius: ergo non erit contra rationem liberi, vt aliquod principium per se non requisitum ad effectum componi nequeat cum negatione actus. 7

Standum est dictis, & dicendum requiri ad libertatem negationem totius principij influentis in actum, siue talis actus illud principium per se requirat, siue posset sisti independenter, si tale principium abesset, dum enim tale principium in actum influit, non potest talis actus liber euadere propter rationem dictam, tunc enim ille actus ita producitur, vt non possit tali principio posito non produci: ergo non producitur liberè, neque voluntas cum tali principio fuit indifferens ad producendum & non producendum actum, sed necessariò illum producere fuit coacta. Ad fundamentum desumptum ex definitione principij liberi respondeo per illam particulam *positis omnibus requisitis*, debere intelligi omnia, quæ de facto concurrunt per modum actus primi, quia in quolibet illorum eamdem determinationem habet actus secundus tanquam in causa, quam haberet si non posset ab illo non produci. Alij respondent hæc decreta, seu principia connexa cum actu secundo posse componi cum libertate, quia ponuntur ex præuisione eiusdem actus secundi sub conditione liberi præuisi: hanc solutionem impugnaui Controu. 9. Punct. 4. n. 9. vbi probo actum imperantem ex se efficacem libertatem adimere imperato. 8

Dixi requiri negationem principij, seu decreti per se determinati ad actum immediatè in illum influentis, quia si decretum hoc immediatè non influat in actum, sed mediis aliis principiis spectanda est natura horum principiorum; quod si hæc ex natura sua sint connexa cum actu, ita vt non possint componi cum negatione illius, ex vi horum principiorum determinatur libertas in actu primo ad actum, & hic necessarius euadet: quod si decretum hoc tantùm influat in actum mediis aliis principis, quæ ex natura sua possint componi cum actu & negatione illius, ratio est longè diuersa, & videtur actum liberum relinquere, quia actus procedit à principiis proximis ex se indifferentibus, quæ rectè cum libertate componuntur, & decretum illud tantùm est connexum cum actu mediis principiis, & eatenus infert actum, quatenus illam inferunt principia immediata, neque aliam inducit necessitatem actus, quàm illam inducunt principia immediata, cùm autem principia non sint antecedenter connexa cum actu, neque inducant necessitatem antecedentem illius, sed tantùm consequentem cum libertate compossibilem, eamdem & non aliam infert decretum. 9

Requiritur insuper ad libertatem in actu primo respectu actus secundi negatio impedimenti, seu formæ incompossibilis cum actu secundo inauferibilis per illum. Ratio est manifesta. Potentia non potest componere actum secundum cum impedimento: ergo si per actum secundum non potest illud auferre, non poterit exercere ipsum actum secundum, donec illud impedimentum supponatur aliunde ablatum. Ex quo inferas hæc impedimenta inauferibilia non tantùm opponi cum formis incompossibilibus per modũ incompossibilitatis formalis, sed tanquam quid destruens actum primum ad talem formam, seu in quo formaliter consistit non esse actus primi ad illam. Negatio impedimenti auferibilis per actum secundum non requiritur ex parte actus primi ad illum, quia cùm hæc per ipsum actum secundum poni possit, non supponitur aliunde posita. Hac ratione non supponitur negatio frigoris in subiecto ad introductionem caloris, quia per ipsam introductionem potest poni hæc negatio vtriusque impedimenti; exemplum accipe in motu localis vt ego ex hoc loco Ecclesiã petam linea rectâ est duplex impedimentum: aër occupans spatium intermedium, quo non amoto non potero illius spatium occupare, neque 10

ad

ad Ecclesiam peruenire : & murus interpositus:quo etiam non amoto , vel disrupto impossibilis sit aditus lineâ rectâ ad Ecclesiam.His positis impedimentis, vt ego liberè motum exerceam requisitum, vt ad Ecclesiam perueniam,non necessum est supponi ablatum impedimentum aëris, quod per motum auferre possum , est tamen necessum supponi ablatum muri impedimentum, quod ego per motum auferre nequeo Hanc doctrinam apprimè nota, quâ facilè explicatur quomodo vnio hypostatica constituat Christum impeccabilem,quod non præstat gratia habitualis.

11 Ex his inferes libertatem voluntatis dicere pro formali suammet entitatem potentiæ , & simul entitates alias intrinsecas voluntati , & omnino inhærentes videlicet habitum respectu actus, qui ab illo est producendus : deinde aliud extrinsecum decretum, quo Deus suam omnipotentiam applicat, vt præstò adsit ad occurrendum per modum causæ primæ,& sæpè decretum aliud, quo Deus suam omnipotentiam parat ad concurrendum loco habitus ad actum supernaturalem cum homine peccatore hoc habitu carente. Ex his omnibus libertas consurgit , quâ potentia volitiua libera constituitur , quia ex omnibus principiis indifferentibus ad actum, & ad negationem illius tantùm potentia volitiua est quæ vim habet ad illorum indifferentiam determinandam , in qua determinatione consistit actus secundus libertatis in ordine ad quem illius potentia,scilicet voluntas, libera dicitur per suammet entitatem, & per alia comprincipia, reliquasque circunstantias,quæ ex parte actus primi ad actum secundum libertatis supponuntur.

12 Ex his facile erit quid sit liberum arbitrium definire,& non difficile sententiæ omnes suprà relatæ in concordiam redigi poterunt. Si enim nomine liberi arbitrij intelligatur potentia illa quæ liberè operatur, & formaliter libera constituitur potens se determinare , hæc tantùm est voluntas : si autem nomine liberi arbitrij intelligatur non solùm potentia,quæ libera constituitur,sed connotans illa, per quæ proximè libera constituitur liberum arbitrium erit voluntas connotans habitum requisitum ad actum, & actus intellectus quibus obiectum repræsentatur indifferens ad amorem , & odium , vel saltem ad negationem amoris,& decretum applicatiuum omnipotentiæ.Tandem si nomine liberi arbitrij intelligatur principium liberum, vt formaliter liberum, & proximè in actu primo constitutum in esse liberi , liberum arbitrium non solùm dicit potentiam volitiuam , sed habitum respectu actus , qui nequit fieri sine illo , & actus intellectus , & omnia illa, quibus formaliter constituitur libertas. Secundùm has acceptiones liberi arbitrij facile est in concordiam redigere omnes opiniones suprà relatas , & illarum quamlibet in bonum sensum explicare. Si quæras , quæ harum acceptio nunc aliis sit præferenda,& quid sonet hæc vox: *liberum arbitrium* ? Respondeo , quæstionem esse purè de nomine , in qua parum refert hoc vel illo modo loqui, omnes enim acceptiones iuxta communem loquendi modum receptæ sunt , sæpè enim dicitur liberum arbitrium esse homini innatum , & propriam passionem illius , & tunc nomine liberi arbitrij tantùm intelligimus potentiam volitiuam,& non omnia requisita ad libertatem,quia decretum applicatiuum omnipotentiæ non est passio hominis. Aliquando etiam dicimus hominem ebrium vel nimis iracundum libero arbitrio carere , & tunc nomine liberi arbitrij libertatem intelligimus. Frequenter etiam dicimus amentes carere libero arbitrio,quod non dicimus eodem modo de dormientibus, & tunc liberum arbitrium significat potentiam volitiuam connotantem omnia requisita ad libertatem proximè & naturaliter possibilia.

PVNCTVM V.

An deficiente libertate in causa prima necessariò deficeret in secunda.

1 CONtradictoria docuisse Philosophos asserêtes Deum operari ex necessitate naturæ , & causam secundam liberè operari docuit Scotus , qui constanter defendit deficiente libertate in causa prima, inferri per locum intrinsecum causam secundam non posse liberè operari.Ita tenet in 1.distinct.1. quæstione 1. distinct.9. quæstione 4. dist.38. ad 1. & in 1. distinct.1. quæst.3. Scotum sequuntur illius sectatores, teste Corduba in 1. lib. quæst.55. dub.9. Oppositam sententiam defendunt plures Thomistæ , præcipuè ex vetustioribus , qui affirmant non inferri per locum intrinsecum causam secundam necessariò operari , ex eo quod prima absque libertate operetur, quia potest effectus procedere à duplici causa, ab vna necessariò , & liberè ab alia:ita tenent Caietan.1.p.q.14 art.13.& q.19.art.8.& Ferr. 1.contra Gentes,c.67.Capr.in 1.dist.38.qui sententiæ huius patronum aduocant D.Thom. eo quod docuerit à scientia necessaria Dei effectus contingentes prodire , quia illius influxus in secundis causis modificatur. Eamdem sententiam defendit Gabr.1. dist.38. q. vnica,art.1.parte 2.& Palacios disp.2.

Quæstionem hanc in varios sensus doctè explicuit Noster Soar.tom.1.Metaph.disp.19.sect.3.& quia non in omnibus eodem modo dirimenda est quæstio , quid iuxta illorum quemlibet tenendum sit figillatim explicabo. 2

Primus quæstionis sensus esse potest an deficiente libertate in causa prima,deficeret in secunda id , quod ex parte illius requiritur,vt liberè operetur, ita vt nõ solum operaretur necessariò , quia causa prima illam prædeterminaret ad operandum;sed quia ipsa ex se non haberet quidquid requiritur ex parte ipsius ad operãdum;sed ita esset vt eadem inuariata permanens, etiamsi causæ primæ libertas accresceret,liberè operari non posset.Quæstione in hunc sensum explicata docet Soar. suprà n. 5. assentiendum esse Scoto. Ego tamen neque Scoto,neque Soario assentior, sed affirmo ex suppositione , quod causa prima non esset libera, non inferri causam secundam non posse habere quidquid ex parte illius ad libertatem requirebatur,sed posse adhuc prædicta hypothesi gaudere omnibus requisitis ad libertatem ex parte causæ creatæ , ita vt si non posset liberè operari, tota illius necessitas oriretur ex prædeterminatione causæ primæ , quæ secundam ex se liberam necessariò adigeret in alteram contradictionis partem. 3

Moueor ad hanc conclusionem defendendam , quia , vt bene Soar causa secunda non constituitur libera formaliter quatenus est ex se per libertatem causæ primæ : ergo deficiente libertate causæ primæ non ex eo deficeret formaliter libertas causæ secundæ. Neque deficeret causaliter vt contendit Soar.quia deficeret libertas causæ primæ à qua dependet libertas causæ secundæ tamquam virtus finita participata à libertate Dei , quia non ex eo quod aliquid deficiat in Deo formaliter,deficit eminenter,hoc est,deficit virtus ad illud producendum in creatura;itaque libertas,quæ in Deo non esset , posset in creatura esse producta à Deo & dependens non à libertate Dei,sed à virtute,quam Deus haberet ad producendam libertatem,sicut ratio corporis , quæ est in substantia materiali dependet à Deo , in quo eminenter continetur, licet in illo talis ratio formaliter non reperiatur. 4

Obiic.Soar.Omnis perfectio nullam inuoluens imperfectionẽ debet esse participata à Deo : sed libertas est perfectio non inuoluens imperfectionẽ : ergo debet esse participata à Deo : ergo si in eo non reperiatur , non potest creatura illam à Deo participare:ergo neque illã habere. Resp.omnem perfectionem siue inuoluentem in se imperfectionem aliquã,siue non , essentialiter dependere à Deo tanquã à principio efficiente,à quo illam recepit creatura, quod tantũ ex se petit creata perfectio,quia tamen omnis perfectio non inuoluẽs perfectionẽ reperitur in Deo,hinc est quod huiusmodi perfectio dicatur à Deo participata, quia à Deo dependet & in Deo reperitur;primum petit ens creatũ ex se,secundum pertinet ad indefinitam perfectionem Dei,in hypothesi verò,in qua procedit hæc quæstio, supponimus libertatẽ non reperiri in Deo , etiamsi sit perfectio nullã inuoluens imperfectionem. Vnde in prædicta suppositione inconueniens non est asserere aliquam perfectionem nullam imperfectionem inuoluentem futuram dependentem à Deo, non tamen participatam ab alia perfectione eiusdem rationis,quæ esset in Deo formaliter.sed tantùm eminenter , quia illud principium : *Omnis perfectio non inuoluens imperfectionem,est participata à Deo,* fundatur in alio, videlicet,*omnis perfectio quæ non inuoluit imperfectionem reperitur formaliter in Deo* ; cùm autem supponamus libertatis perfectionem non inuoluentem imperfectionem nõ reperiri in Deo,supponimus deficere hoc principium : *Omnis perfectio non inuoluens imperfectionem reperitur formaliter in Deo.* Vnde mirum non est si deficiat conclusio ex illo illata: 5

Omnis perfectio non inuoluens imperfectionem, est participatio eiusdem perfectionis in Deo formaliter repertæ, quia ex suppositione, quod in Deo talis perfectio non reperiatur, sufficiet vt ipsa existat, reperiri eminēter, hoc est, reperiri in Deo virtutem ad illam producendam, quod ens creatum quatenus est ex se, petit vt existat, illa enim participatio perfectionis formaliter existentis in Deo, non prouenit tantum ab exigentia entis increati, sed ab exigentia entis creati, quā petit dependere à Deo & ab ipsa constitutione Dei includēte formaliter talem perfectionem, & ex his duobus prouenit, vt omnis participatio perfectionis non inuoluentis imperfectionem sit participatio perfectionis formaliter in Deo repertæ.

6 Secundus quæstionis sensus est. An positâ voluntate ex se liberâ ex eo quod causa prima necessariò operetur quidquid potest operari libertas voluntatis impediretur, & omnis actus secundus voluntatis necessariò ab illa produret? Negatiuam partem tribuit Soarius Thomistis afferentibus voluntatem nunquam posse necessitatem pati ab obiecto, sed hoc fundamentum impugnatum est punct. præcedenti, & punct. 1. vbi probaui voluntatem posse à Deo immediatè cogi ad actum secundum necessariò producendum permanente positione obiecti, ex vi cuius posset actus liberè procedere, si decretum immediatè prædeterminatiuū actus independēter à libertate illius non intercederet.

7 Hypothesis hæc maiori indigere videtur explicatione, illā, quam Doctores præmittunt ad resolutionem quæstionis. Non possumus supponere Deum necessariò producere effectus contentos in omnipotentia quia cùm plures illorum in communi sententia adhuc de potentia Dei absoluta coëxistere nequeant, non potest illos simul producere. Exempli gratiâ, non potest, vt vult communis sententiâ (licet ego aliter sentiam) intellectus simul assentire, & dissentire eidem obiecto. Neque voluntas idem obiectū amare & odio habere, neque eadem numero materia recipere simul duas formas substantiales, neque tota collectio possibilium produci potest, ita vt nulla creatura superstit producenda: ergo non potest concipi omnipotentia determinata ad producendum simul hos affectus, nisi supponatur etiam illorum compossibilitas, quia non potest esse omnipotentia determinata ad faciendum id, quod implicat fieri: ergo si Deus supponeretur æquè determinatus necessariò ad omnes effectus contentos in omnipotentia, ad hoc vt produceret amorem, potiùs quàm odium, si vterque actus non potest simul existere, determinandus esset ab aliqua causa creata, quia esset indifferens ad hunc actum vel ad illum producendum, & cum libertatem non haberet non posset à se determinari: ergo determinaretur ab alia causa secunda. Similiter cùm non posset tota collectio possibilium produci: determinandus esset ad hæc possibilia, potiùs quàm illa producenda, ni supponas producibilem esse totam possibilium collectionem.

8 Ex hoc infero, casu, quo Deus per modum actus primi esset æquè determinatus ad producendos effectus contentos in omnipotentia omnique libertate careret ad producendum ex incompossibilibus hunc præ alio, voluntatem creatam liberam permansuram ad eliciendum priùs amorem vel odium, si verum esset hos actus, cōponi non posse in eadem voluntate, quia ad hanc prælationem vnius præ alio Deus non esset determinatus: ergo si voluntas ex se libera erat posset se ipsam determinare & Deum ipsum, vt potius amorē quàm odium produceret, quæ determinatio libera voluntatis per actum secundum non esset contra determinationem necessariam, quam haberet Deus per modum actus primi, quia hæc non esset ad amorem, & odium simul producendū, quos actus nō posse coëxistere in communi opinione supponimus, neque ad vnū actum præ alio, quia ad vtrumque esset Deus æquè determinatus, sed ad vnum sub disiunctione, cum qua determinatione per modum actus primi, rectè cōponitur determinatio libera per modum actus secundi ad hunc potius actum quàm illum.

9 Illud mihi sanè valde dubium est in hac re an voluntas in tali casu posset liberè omittere vtrumque actū incompossibilem amoris & odij necne? Negatiua pars suadetur, quia licet Deus non esset determinatus ad producendum potiùs amorem quàm odium, esset determinatus ad vnum, vel ad alterum actum sub disiunctione producendum: ergo licet non determinaret voluntatem ad producendum actum amoris præ actu odij, neque è contrà determinaret illam ad vnum vel alium producendum. Confirmatur: si Deus esset determinatus ad producendum hunc numero actum amoris, determinaret voluntatem ad producendum talem actum: ergo quando est sub disiunctione determinatus, illam sub disiunctione determinat. Affirmatiua pars videlicet voluntatem adhuc in illo casu posse vtrumque actum liberè omittere sic posset fulciri. Deus ex natura sua determinatus ad producendum amorem, vel odium indigeret determinatione voluntatis, vt aliquem numero actum ex his duobus produceret: ergo si voluntas hanc determinationem non exhibebat, non posset hæc determinatio ad actum sub disiunctione aliquam habere efficaciam, quia actus sub disiunctione non producitur: ergo posset voluntas hanc determinationem non exhibere, & illa determinatio Dei nullum sortiri effectum ex defectu vltimæ determinationis requisitæ ad hunc actum, potiùs quàm illum producendum. Ex hac ratione facilis solutio desumitur ad argumentum factum pro altera parte à paritate desumptū, quia quando Deus est determinatus ad hunc actum præ alio producendum nulla expectanda est determinatio voluntatis, vt hunc potiùs quàm illum producat, & ideo non potest ex defectu determinationis voluntatis effectus non produci, quando verò est sub disiunctione determinatus expectanda est determinatio voluntatis ad alterum extremum, ex defectu cuius potest illa Dei determinatio nullum habere effectum. Confirmatur eadem pars in hac hypothesi: voluntas ex se & præcisè ex accidentibus illi intrinsecè inhærentibus adhuc non erat determinata ad alterum actum sub disiunctione, sed quatenus est ex se vtrumque posset omittere: sed per determinationem extrinsecam Dei non determinaretur necessariò ad alterum actum sub disiunctione eliciendū: ergo adhuc maneret indifferens ad omittendū simul vtrumque: Minori probata legitimus est discursus; sic illā probo. Determinatio extrinseca relinquit volūtatē intrinsecè eodē modo ac erat antea: ergo tantùm potest illam determinare, quatenus independenter à determinatione illius in actum secundum prorūpit: sed determinatio per modū actus primi sub disiunctione principij non potentis se ad hunc actum præ alio determinare non potest independenter à determinatione aliùs comprincipij in actum secundum prorumpere: ergo nullo modo potest illud adhuc sub disiunctione voluntatem determinare. Hac ratione maximopere in hanc partem propendeo, secundùm quam dicendum est determinationem sub disiunctione non posse prouenire à principio extrinseco determinate ad alterum extremum determinare, nihilominus nihil definio, mihi euoluisse sufficiat rem hanc, quæstionemque mouisse quam alij definiant.

Respectu illorum actuum, qui incompossibiles non sunt cum aliis, vel ad quos determinatè Deus esset per modum naturæ necessariò determinatus, certum est, non posse voluntatem liberam permanere, quia omnes hi effectus ita existunt vt non possent non existere, & prouenient à principio adæquato non indifferenti, & quod componi nequit cum negatione actus. 10

Alius quæstionis sensus esse potest, An si Deus liber non esset ad effectus producendos, vel non producendos, neque ad productionem illorum independenter à determinatione voluntatis determinatus, sed determinatus ad producendos effectus dependenter à determinatione voluntatis, ita vt determinationem, quam modò habet per liberum suum decretum indifferens, habet tunc per modum naturæ ita vt non posset illam non habere. Hac hypothesi factā affirmo voluntatem ex se liberam, nullam à causa prima determinationem passuram; imò firmiorem habituram libertatem, quam nunc habet, quia modò potest Deus per negationem concursus, vel per concursum exhibitum independenter à determinatione voluntatis, illius lædere libertatem, quod in prædictā hypothesi non posset, quia liberum non esset Deo concursum non exhibere, neque illum præstare independenter à voluntate. Præcipua cōclusio probatur ratione à priori desumpta ex definitione libertatis, quia tunc actus voluntatis penderet à principio adæquato indifferenti ad actum, & ad negationem illius, cuius indifferentiam tantùm determinaret Voluntas: ergo talis actus esset liber. Neque ad libertatem vnius principij requiritur libertas aliùs comprincipij, vt patet in voluntate concurrente cum habitu, sed tantùm indifferentia, hoc est, posse componi cum actu & cum illius negatione. In hunc sensum explicandus est Soar suprà, numero 15. vbi affirmat voluntatem liberam fore casu quo Deus necessariò exhiberet 11

exhiberet eundem concursum; quem modò exhibet, & non alium neque maiori motione, neque magnitudine diuersum. Quæ conclusio vera est, eademque cum illa, quam modò probaui si intelligatur de cõcursu in actu primo, hoc est, de præparatione omnipotentiæ ad concurrendũ, quam sæpe concursum appellat Soar, vt constabit legenti totam disputationẽ. Quod si de concursu in actu secundo intelligatur hypothesis, falsa est conclusio, quia si Deus eumdem numero concursum, quem modò præbet ad actum liberum meæ voluntatis per decretum ex se indifferens ad actũ & ad negationem illius, præberet per decretum ex natura sua determinatum ad actum independenter à voluntate, vel per naturam, quæ non posset componi cum negatione actus voluntatis, hic non procederet à principio indifferenti, ac proinde non esset liber, sed necessarius.

12 Obiic. pro Scoto. Causa secunda non agit nisi mota à prima: ergo si prima necessariò mouet secũdam, hæc operabitur necessariò. Resp. concedendo antecedens, & negãdo consequentiam, & doctrinam solutionis sic explico. Deus duplici modo mouet voluntatem per concursum generalem, quem exhibet causæ primæ omnibus causis cõmunem, & per cogitationes, & auxilia, quibus suauiter, & efficaciter voluntatẽ trahit ad actus honestos cõducentes ad vitam æternam. Motio facta mediis auxiliis non est huius rei, neque illa diuerso modo determinabit voluntatẽ siue sit necessaria, siue libera respectu Dei, quia idẽ auxilium, eademque cogitatio, siue necessariò, siue liberè producatur à Deo, eodẽ modo voluntatem inclinat ad actũ. Motio alia, quæ consistit in concursu causæ primæ respectu actus liberi, qui concursus, seu quæ motio non distinguitur ab ipso actu voluntatis siue liberè exhibeatur à Deo, siue necessariò, potest exhiberi dependenter, & independenter à determinatione voluntatis, independenter ex vi principij incompossibilis cum negatione actus, dependenter ex vi principij indifferẽtis vt coniungatur cum actu & cũ negatione illius modo explicato. Si motio illa exhibeatur à Deo independenter à voluntate, siue sit libera, siue necessaria respectu Dei nõ poterit cõponi cum libertate, si verò illam præstet Deus dependẽter à voluntate, siue id faciat Deus liberè siue necessariò libertatẽ voluntatis illæsã relinquet.

Punctum VI.

Diuisio libertatis quoad specificationem, & quoad exercitium.

1 PEruulgaris est diuisio libertatis in libertatem quoad specificationem, & quoad exercitium; cui duplex alia necessitas opponitur, qua partitur necessitas in necessitatẽ quoad specificationẽ & quoad exercitium. Sumitur hæc libertatis diuisio ex Angelico Doctore 1.2. q.13. art.6. vbi dixit voluntatẽ esse liberam in electione ad eligendum, & non eligẽdum hoc medium, quam libertatẽ vocant quoad exercitium & posse eligere hoc medium, illud renuere, vel hoc renuere & aliud eligere, & hæc dicitur libertas quoad specificationem. Tradunt hanc diuisionem ad locum citatum D. Thomæ, Caiet. & Conr. & P. Vasquez in explicatione illius articuli, P. Soar in Met. disp. 19. sect. 4. n. 9. P. Mol. 1. p. q. 14. disp. 2. Libertas quoad exercitium vulgo dicitur qua voluntas est indifferens ad amandum, vel non amandum: & libertas quoad specificationem, qua voluntas est indifferens non solùm ad amandum, vel non amandum, sed etiam ad amandum vel odio habendum. Alij explicant libertatem quoad specificationem non solùm ad amandum vel odio habendum obiectum propositum, sed per indifferentiam ad amandum obiectum spreto alio huic opposito, & amãdum oppositum hoc spreto. Exempli gratia, proposita voluptate prohibita & proposita bonitate Dei amanda super omnia, voluntas habet libertatem quoad specificationem, si valeat, non solùm voluptatem prohibitam amare, sed etiam odio habere & Dei bonitatem amare, cuius amor opponitur cum amore voluptatis. Hanc libertatem assignat D. Thom. art. citato vbi duobus mediis propositis non tantùm constituit voluntatem indifferentem ad hoc medium, sed etiam ad amandum hoc vel illud alio odio habito: alij cõstituunt hanc libertatẽ quoad specificationem non per ordinem ad obiecta directa respectu voluntatis, sed per ordinem ad vnum obiectum directum, & aliud reflexum, respectu eiusdem voluntatis. v.g. indifferentia ad amandum hoc obiectum amore directo, & ad alium actum reflexum, quo voluntas talis obiecti amorem detestari possit, ita vt non solũ possit amare obiectum, & illud non amare, atque odio habere, sed etiam habere alium actum, quo dicat: nolo habere amorem talis obiecti. Hac ratione nonnulli appellant libertatem contradictionis libertatem quoad actum, & libertatem contrarietatis quoad obiecta, quia semper respicit obiecta diuersa.

Noto duplicem esse necessitatem, quoad exercitium; 2
vna est qua voluntas adstringitur ad exercitium vagum, v.g. ad exercitium huius, vel illius actus: ita vt non possit voluntas vtrumque simul omittere, potest tamen alterum quod maluerit non exhibere, dummodo aliud amplectatur. Hæc necessitas non opponitur cum libertate quoad specificationem, imò si alia non superueniat voluntati, illam arguit, si enim voluntas tantùm tenetur amare, vel odio habere sub disiunctione, libere est illi amorem relinquere, & odium exequi, vel è contra, ac proinde indifferens est inter actus specie distinctos. Hæc necessitas comitatur semper voluntatem in opinione illorum, qui puram omissionem non admittunt, quia cùm voluntas potens amare non possit se ab amore cohibere sine actu illi opposito, tenetur necessariò ad amorem, vel ad actum amori oppositum.

Huic necessitati opponitur alia libertas, qua voluntas 3
est absoluta obligatione eliciendi actum in particulari vel sub disiunctione, quæ essentialiter dicit carentiam necessitatis quoad specificationem, non tamen ex suo conceptu formaliter includit per locum intrinsecũ libertatem, quoad specificationem, quia si supponamus voluntatem esse indifferentem ad amandum, vel non amandum aliquam bonitatem, non tamen esse potentem illam odio habere, vel tendere circa aliud obiectum tali bonitati oppositum, voluntas erit absoluta à necessitate supradicta, tamen libera neque determinata quoad specificationem, dicit tamen hæc carentia necessitatis quoad exercitium adhuc sub disiunctione libertatem quoad omnem specificationem, circa quam voluntas supponitur potens, & quia numquam voluntas libertatem habet circa vnicam tantùm speciem actus semper dicit libertatem quoad specificationem, quia quotiescumque est potentia ad species distinctas, & ad neutram est determinatio, seu necessitas, ad vtramque est necessariò libertas. Necessitatem supradictam exercitij sub disiunctione huius, vel illius plerique non meminere, quia componitur cum libertate quoad specificationem, quam dicunt includere essentialiter negationem necessitatis quoad exercitium & libertatem illi oppositam, quod intelligi nequit de necessitate supradicta, neque de libertate, quam hæc necessitas excludit.

Alia est necessitas quoad exercitium determinatum in 4
particulari circa hunc actũ in specie, quam absolutè Doctores vocant necessitatem quoad exercitium, & opponitur cum libertate quoad specificationem, quia nullã relinquit indifferentiam inter differentias specie oppositas, & dicit necessitatẽ contrarietatis, & contradictionis, hoc est, necessitatem inter actus contrarios, qua voluntas tenetur amare, & non potest odio habere, quæ necessitas opponitur libertati contrarietatis, & dicit necessitatem contradictionis, qua voluntas ita tenetur amare vt non possit non amare, quæ opponitur libertati contradictionis, quæ ita dicitur, quia est inter extrema contradictoriè opposita, v.g. inter amorem, & negationem amoris.

Alia necessitas est tantùm quoad specificationem qua 5
voluntas tenetur ex suppositione quod tendat circa tale obiectum materiale, tẽdere actu huius speciei v.g. amoris, & non odij, non tamen ex vi huius necessitatis tenetur absolutè tale obiectum amare, sed potest illud amare & non amare. Hæc necessitas est eadem cum necessitate contrarietatis. Huic necessitati opponitur libertas, quoad specificationem, seu libertas contrarietatis, qua voluntas potest amare, & odio habere idem materiale obiectum, quæ libertas includit essentialiter libertatem, quoad exercitium determinatum talis actus, quia cum necessitate ad exercitium in particulari, libertas quoad specificationẽ subsistere nequit, vt dicebam modo. Dixi libertatẽ contrarietatis esse, qua voluntas potest amare, & odio habere idem obiectum materiale, quia circa idem obiectum formale numquam potest esse hæc indifferentia, quia bonum vt bonum ita amatur vt possit odio haberi, & malum vt malum ita odio habetur vt non possit amari. His positis

6 Dico primò. Nulla est libertas circa obiectum, quod possit naturaliter amari,& odio haberi,inter extrema purè contradictoria, quæ non includat essentialiter libertatem in actu primo inter extrema positiua inter se incompossibilia, etiamsi pura omissio admittatur. Hanc conclusionem docet Soar in Metaph. disp. 19. sect. 4. n.9. cuius rationem impugnabo postea, conclusionem verò sic probo. Vt voluntas, cui proposita est bonitas in obiecto, quod potest amare, sit libera ad illud non amandum, necessum est vt illi repræsentetur aliqua ratio mali, vel in obiecto proposito vt amabili, vel in illius amore, sed eo ipso quod illi proponatur aliqua ratio mali in obiecto amando vel in amore potest odio habere obiectum illud, vel amorem: ergo quotiescumque voluntas est libera ad aliquem actum est libera ad versandum circa duplicem illam rationem boni,aut mali,quæ apparet in obiecto, vel in obiecto, & in amore illius: ergo numquam est libera pura libertate contradictionis inter actum,& negationem illius. Primum antecedens negari nequit, quotiescumque enim in obiecto amando, aut in amore illius nulla apparet ratio mali, & repræsentatur vt bonum, necessariò amatur, neque ex alio capite resultat in voluntate amor necessarius aliquorum obiectorum, nisi quia repræsentatur vt bona sine admixtione mali. Consequentiam probo: Quotiescumque voluntati proponitur ratio mali, est potens odio habere,& quotiescumque proponitur ratio boni in obiecto, quod naturaliter potest amari, est potens amare: sed quotiescumque est voluntas libera debet illi proponi ratio boni,& ratio mali, ne proposita ratione boni sine admixtione mali necessariò amet, aut proposita ratione mali sine admixtione boni necessariò odio habeat: ergo quotiescumque voluntas est libera ad aliquem actum est libera ad amandum, & odio habendum: ergo nũquam est libera libertate pura contradictionis inter actum, & illius negationem,quin libera sit inter duplicem actum.

7 Dico secundò. Non quotiescumque voluntas est libera ad amorem eliciendum,vel non eliciendum, est libera ad actum reflexum,quo dicat, volo amorem elicere, vel non elicere. Hæc conclusio est contra Suarium suprà, qui ex illa præcedentem probat quam ego sic suadeo. Vt voluntas liberè amet non necessum est ipsam cognoscere amorem, sed sufficiet si cognoscat bonitatem & malitiam obiecti: ergo poterit liberè amare quin possit habere actum reflexum quo dicat,volo elicere,vel non elicere amorem. Consequentiam probo: vt voluntas possit dicere, volo amare, necessaria est cognitio amoris; sed potest esse libera ad amandum sine cognitione amoris. Ergo potest esse libera ad amandum absque eo quod sit potens reflexè tendere supra suum amorem per actum quo dicat, volo amare.

8 Dico tertiò. Quotiescumque voluntas est libera ad amandum, & odio habendum idem obiectum materiale, habet libertatem contrarietatis propriam,& strictam, neque necessum est hanc libertatem tendere inter obiecta materialiter distincta. Probatur conclusio: libertas ad amandum, & odio habendum idem obiectum materiale (loquor de amore efficaci) est libertas inter actus propriissimè contrarios:ergo est libertas contrariorum:ergo contrarietas. Hanc conclusionem existimo absque impugnatione ab omnibus admitti,quapropter in illa probanda non amplius immoror.

9 Dico quartò. Libertas contrarietatis super assignata includit in se duplicem libertatem contradictionis secum identificatam. Priorem partem conclusionis probo: qui amat ita vt possit odio habere,ita amat vt possit non amare: ergo in libertate ad amandum & odio habendum, includitur libertas ad amandum. Similiter qui ita potest odio habere vt possit amare,ita potest odio habere vt possit non odio habere:ergo in libertate ad odio habendum, & amandum essentialiter includitur libertas ad odio habendum, & non habendum:ergo in prædicta libertate includitur libertas inter hæc contradictoria amare & non amare; odio habere,& non odio habere: ergo includitur duplex libertas cõtradictionis. Posteriorem partem conclusionis,videlicet has libertates cõtradictorias esse identificatas cum libertate contrarietatis non tantùm quamlibet inadæquatè & vtramque adæquatè, sed quamlibet adæquatè,sic probo;libertas contradictionis ad amandum, & non amandum,idem dico de actu opposito,constituitur per duplicem cognitionem, qua obiectum repræsentetur bonum,& malum,neque ad hanc libertatem sufficit si vnica ratio boni,vel mali appareat,sed per eamdem duplicem cognitionem repræsentantem rationem boni,& mali constituitur libertas contrarietatis: ergo libertas contrarietatis,& contradictionis non distinguuntur. Non sum obliuiscus me dixisse ad libertatem contradictionis non requiri cognosci rationem boni,& mali in obiecto, sed sufficere si appareat ratio boni in obiecto amando, & ratio mali in exercitio amoris, & tunc distinguetur libertas ad amandum,& non amandum obiectum à libertate ad amandum, & odio habendum tale obiectum. Dico tamen adhuc in hoc casu non distingui libertatem cõtradictionis à libertate ad amandum obiectum, & ad odio habendum amorem illius,& tunc in hac libertate ad amandum obiectum, & odio habendum illius amorem,in eludi duplicem libertatem contradictionis,videlicet ad amandũ,& non amandum obiectum,& ad odio habendum,& non odio habendum amorem illius. Cum hoc tamen rectè componitur libertatem contrarietatis ad amandum,& odio habendum semper secum habere identificatam duplicem libertatem contradictionis non resultantem ex cognitione bonitatis in obiecto amando, & malitia in illius amore, sed ex cognitione bonitatis, & malitiæ in eodem obiecto, quæ essentialiter constituit libertatem contrarietatis, & duplicem libertatem contradictionis illi identificatam, seu potiùs vnitam libertatem circa duo obiecta contraria,& circa illius contradictoria, quæ dicitur duplex libertas contradictionis ex parte obiecti non tamen ex parte formæ quia est eademmet indiuisibilis libertas ad actus contrarios & ad illius contradictoria indiuisibiliter in duplici illa cognitione constituta.

Dico quintò. Quando est libertas non solùm ad actus 10
contrarios circa idem obiectum materiale,sed etiam circa obiecta materialiter distincta inter se incompossibilia, verbi gratia, est libertas in voluntate vt velit Matritum petere, vel Toletum;tunc est in voluntate duplex libertas contrarietatis includens quatuor libertates contradictionis, quia tunc voluntas est potens habere actus positiuos volendi, & nolendi ire Matritum, & similiter est potens ad contradictorium cuiuslibet illius actus, nam eo ipso quod sit potens ad actum,quo dicat,volo ire Toletum est potens ad carentiam actus,quo diceret,nolo ire Toletum, & sic de aliis.

Dico sextò. Quando voluntati proponitur tantùm bo- 11
nitas obiecti, & malitia in illius exercitio & tantum est potens ad amandum obiectum, vel odio habendum illius amorem, tunc non dicitur libera libertate contrarietatis, sed libertate contradictionis. Hæc conclusio est tantùm de modo loquendi, quia in re iam dixi tunc esse liberam ad amandum,& non amandum obiectum, & odio habendum & non odio habendum amorem obiecti: An vero hæc libertas tantùm dicenda sit libertas contradictionis, vel contrarietatis, est tantùm quæstio de nomine. Placet illam vocare libertatem cõtradictionis tantùm,vt concedam aliquam libertatem contradictionis cum communi sententia,quæ libertatem hanc ab illa distinguit,& prædictam libertatem contradictionis appellat. Deinde quia libertas hæc non est inter actus propriè contrarios, amor enim obiecti, & odium amoris eiusdem obiecti non opponuntur propriè contrariè,quia non sunt amor & odium eiusdem obiecti, qui sub genere actus voluntatis maximè distant, neque opponuntur per puram incompossibilitatem formarum, sed quia odium amoris inducit quasi sufficienter negationem amoris,& voluntatem determinat ad talem negationem, ita opponitur cum amore tanquam cum habitu oppositio negationi ad quam tale odium voluntatem determinat.

Dico septimo. Circa obiectum,quod naturaliter potest 12
amari, & odio haberi, potest contingere de potentia Dei absoluta libertas pura contradictionis sine libertate contrarietatis. Probo hanc conclusionem:Potest Deus voluntati, cui est proposita ratio boni, & mali circa aliquod obiectum applicare suam potentiam indifferentem ad amorem producendum, & non producendum, non tamen ad odium: ergo tunc voluntas illa erit libera ad amandum,& non amandum,cum habeat omnia prærequisita ad amorem ex se compossibilia cum negatione amoris, & non erit libera ad odio habendum, quia non habet omnipotentiam præparatam ad eliciendum tale odium sine qua repræsentatione actum odij elicere non valet.

Dico

13 Dico octauò. Si obiectum talis sit naturæ vt naturaliter amari nequeat, potest dari naturaliter circa illud pura libertas contradictionis sine libertate contrarietatis. Sic conclusionem probo : Supponamus bonitatem Dei amari non posse naturaliter sine cognitione supernaturali, tunc proponatur Deus homini sub aliqua ratione, qua illũ apprehendat vt malum sibi, & proponatur in se bonus per cognitionem naturalem, tunc talis homo physicè erit liber ad odium Dei, & negationem illius, quia habet cognitionem inclinantem ad odium & cognitionem, qua Deus illi repræsentatur vt bonus, quæ sufficiens est vt possit hominẽ retrahere à tali odio, quia licet cognitio naturalis Dei non sufficiens sit, vt Deus ametur, quia illius bonitas amanda est amore supernaturali, qui à cognitione supernaturali dependet, tamen sufficiens esse poterit vt voluntatem retrahat ab odio Dei, quia talis retractio non est supernaturalis, ac proinde non dependet à cognitione supernaturali; non tamen talis homo poterit amare Dei bonitatem, quia supponimus non posse dari hunc amorẽ sine cognitione supernaturali, & hominem tantùm esse naturali cognitione præuentum. Hæc conclusio tantùm est conditionalis ex eo quod sit obiectum aliquod quod naturaliter amari nequeat amore naturali: an verò Deus, in quo potissimè hæc ratio posset inueniri, si in aliquo obiecto esset inuenienda; amari possit adhuc vt bonus in se ipso amore naturali, alibi definiendum est, sufficiat modo ad naturam libertatis cognoscendam hanc conclusionem conditionatam tradidisse.

14 Ex his constat libertatem contrarietatis semper esse circa obiecta formaliter distincta, quia est inter actũ amoris, & odij, quorum vnus bonitatem, alter malitiã respicit, non tamen requirere distinctionem materialem obiectorum, quia circa idem obiectum materiale voluntas est indifferens ad amorem, vel odium. Constat similiter libertatem contradictionis non esse circa obiecta adhuc formaliter distincta, sed inter actum, & non actum, ex quibus extremis actus respicit quoddam obiectum, negatio verò actus nullum respicit obiectum, sed tantùm est negatio tendentiæ circa idem obiectum, circa quod tenderet actus, ac proinde in libertate contradictionis neque positiuè neque negatiuè connotatur duplex obiectum materiale, neque formale, sed vnum simplicissimum.

Punctum VII.

De libertate in actu secundo.

1 Dixi libertatem in actu primo, seu principium liberum in actu esse voluntatem, ita constitutam vt habeat omnia requisita ad operationem, cum quibus indifferens maneat ad operandum, & non operandum. Hac definitione supposita facilè erit explicare quid sit libertas in actu secundo, omnis enim actiua virtus ad actum secundum reducitur per suam actionem, & libertas in actu secundo erit principium illud liberũ in actu primo cum sua actione, quæ erit formaliter actus secundus, qua liberum in actu primo constituetur in actu secundo. Actionem hanc esse volitionem certũ est in mea sententia constituente actionem vitalem in ipso actuali influxu indistincto à termino. Reliqui qui totam rationem actionis vitalis constituunt in termino ab actione distincto tenentur dicere rationem vitalem, videlicet volitionem, desumere totam suam libertatem ab actione, in qua consistit tota determinatio principij potentis operari, & non operari.

2 Libertatem in actu secundo consistere in actione existimo esse per se notũ, in quo enim cõstituendus est actus secũdus virtutis actiuæ nisi in ipsa actione per quã formaliter id quod erat potens efficere, efficiens constituitur? Rationem per se notam expendo: liberũ in actu primo est quod potest operari, & non operari: ergo in actu secundo liberum constituetur per exercitium talis actus primi, seu potentiæ: sed hoc exercitium est ipsa actio; ergo in hac constituenda est ratio actus primi. Primum antecedens est definitio libertatis ab omnibus doctoribus tradita, prior consequutio est euidens; secundum antecedens, seu minorem, quæ tacitam minorem supponit sic probo : illud est exercitium potentiæ, per quod formaliter constituitur efficiens id, respectu cuius est potentia, & per quod formaliter se exercet, & tribuit esse effectui, sed principium potens operari constituitur operans per id respectu cuius est potentia, & se formaliter exercet, tribuitque esse effectui intra se contento per actionem: ergo actio ipsa est actus secundus huius actus primi.

Confirmatur. Per actionem constituitur voluntas operans: ergo si ad actionem voluntas supponitur potens operari per actionem constituitur operans effectum quem potuit non operari. 3

Neque in hac operatione constituenda est aliqua relatio, seu accidens superadditum, per quod constituatur in actu secundo libera, quia omni superaddito secluso est determinatio actus primi, & illum constituit in actu secundo, & per nudam actionem virtus quæ antea erat actiua dicitur iam formaliter efficiens : ergo ante omne accidens superadditum actio determinat virtutem actiuam. Confirmatur : Per illud reducitur virtus actiua ad actum secundum efficiendi, per quod constituitur efficiens : sed virtus actiua constituitur formaliter efficiens per actionem, & non per aliquod actioni superadditum: ergo per actionem & non aliud accidens superadditum reducitur ad actum secundum virtus actiua, seu principium potens operari, & non operari. 4

Confirmo eamdem conclusionem. Nullum est accidens superadditum per quod possit constitui volitio potens existere & non existere, quia nullum est accidens per quod constituatur libera in actu secundo. Probo antecedens. Omne accidens inhærens subiecto supponit illius existentiam: ergo non potest illud constituere potens existere, siquidem ante illud est iam non solùm potentia ad existendum, sed etiam ipsa existentia. Deinde negatio existentiæ est necessariò independenter ab accidente superaddito, nihil enim potest non existere per aliquod illi superadditum, quia non existenti nihil superaddi potest: ergo neque potentia ad existendum, neque ad non existendum potest conuenire volitioni per accidens superadditum : ergo indifferentia ad existendum, & non existendum, in qua consistit libertas non potest consistere in accidenti superaddito. Stat iam libertatem in actu secundo nihil aliud esse præter libertatem in actu primo, cum actione, qua formaliter constituitur in actu secundo voluntas efficiens tanquam per actum secundum actus primi liberi. Restat modò examinare ; An hæc actio libera in actu secundo, formaliter per suammet entitatem libera constituatur, ita vt eadem necessaria esse non possit sed aliquid speciale habeat actio libera, per quod distinguatur à necessaria, & è contrà: An verò actio voluntatis extrinsecè libera dicatur à principio indifferenti, ita vt eadem actio, quæ modò est libera, potuerit antecedenter in eodem instanti esse necessaria, & possit transire de necessaria in non liberam, & è contrà, quam difficultatem dissoluet punctum sequens. 5

Punctum VIII.

An ratio liberi sit actioni intrinseca.

EXplicui punct. præcedenti tituli difficultatem, circa quam duplex est opinio. Prima defendit libertatem esse intrinsecam actioni, hanc defendit Hurtadus disp. 15. sect. 6. subse. 2. cum paucis ex vetustioribus Thomistis, quos citatos inuenies apud Vasquez, & Salas, quos modo dabo. Secunda sententia asserit libertatem esse extrinsecam actioni voluntatis modo suprà explicato: hanc defendunt Vasquez 1.2. disp. 34. cap. 3 n. 15. & disp. 55. cap. 3. n. 12. Soar 1.2. disput. 1. de voluntario, sect. 3. num. 18. Salas 1.2. quæst. 18. tractat. 7. disputat. 2. section. 5. & 6. Arriaga disput. 8. sect. 4. subsect... & communiter ferè omnes nostri Doctores. 1

§. I.

Propria sententia.

LIbertatem esse extrinsecam actioni probo ratione à priori desumpta ex natura libertatis, & definitione libertatis in actu primo, & in actu secundo. Actus liber est ille, qui prouenit à principio indifferẽti ad illud efficiendũ, & non efficiendũ: sed est extrinsecũ huic actioni prouenire à principio cũ hac indifferentia constituto, & prouenire potuit à principio determinato ad illum : ergo huic actui 2

est

est extrinseca libertas, & illi deficere potuit probabo minorem, & discursus vndique constans erit. Actui amoris supponenti ex parte principij duplicem cognitionem, quamdam inuitantem ad amorem, & aliam retrahentem ab ipso amore, est accidentale, & omnino per accidens ad illum supponi cognitionem retrahentem voluntatem ab illo eliciendo: ergo est omnino per accidens respectu illius prouenire à principio indifferenti: consequentiam nemo negabit, quia indifferentia essentialiter duplicem illam cognitionem includit, & non potest conuenire per se alicui actui prouenire à principio indifferenti, cui per se non conueniat prouenire à duplici cognitione. Antecedens probo: Cognitio retrahens voluntatem ab amore non influit per se in actum, imò potiùs aliquo modo est impedimentum, vt talis actus eliciatur, & ex se ordinatur vt fiat actus oppositus, & ne fiat actus amoris: ergo actus amoris non dependet per se ab illa, nihil enim per se dependet ab alio, quod per se non influit in ipsum, sed tantùm retrahit ne illud producatur. Cognitionem retrahentem ad amorem tantùm influere hoc modo certum est, quia illa cognitio tantùm habet ex se proponere voluntati motiuum inclinans ad actum oppositum actui amoris, vel saltem motiuum ad omissionem odij: ergo cogitatio retrahens ab amore, quam essentialiter includit libertas ad amorem, tantùm influit retrahendo voluntatem à productione amoris, & inclinando illam ne talem actum producat: ergo non influit per se in talem actum.

3 Confirmatur. Cognitio tantùm influit in volitionem eliciendam, & potentia tantùm illuminatur ad actum quatenus illi proponitur motiuum ad actum: ergo tantùm illa cognitio influit in volitionem, quæ proponit motiuum ad volitionem eliciendam: sed cognitio retrahens voluntatem ab amore non proposuit motiuum ad amorem, sed potiùs ad oppositum: ergo non influit in amorem: ergo extrinsecum est amori supponi hanc cogitationem ex parte intellectus, vt eliciatur ipse amor: ergo extrinsecum est illi prouenire à principio indifferenti, quod essentialiter in ratione indifferentis constituitur per duplicem cognitionem inuitantem ad actum, & ab eodem retrahentem: ergo extrinsecum est illi prouenire à principio libero: ergo extrinseca est illi libertas.

4 Secundò eamdem conclusionem probo: cognitio inclinans ad amorem, quæ in consortio aliùs retrahentis ab ipso amore, efficaciter voluntatem allexit ad amorem, posset efficaciter ad eumdem numero actum voluntatem allicere deficiéte alia cognitione, quæ retrahebat ab amore: ergo idemmet actus, qui modò est liber potuit esse necessarius. Consequentia est necessaria, quia si cognitio inclinans ad amorem potest allicere voluntatem efficaciter ad eumdem actum in consortio aliùs retrahentis, & se solâ, amor idem potest prouenire à voluntate præuenta duplici cogitatione, vnâ inclinante ad ipsum, altera ab eodem retrahente, & potest ab vnica tantùm prouenire: ergo potest prouenire à principio indifferenti constituto per duplicem illam cognitionem, & determinato ex vi eiusdem: ergo eidem actui potuit indifferenter contingere liberè aut necessariò produci. Antecedens probo. Cogitatio inclinans ad amorem non iuuatur ab alia cogitatio retrahente ne ad talem numero amorem inclinet, potiùs illa cogitatio retrahit voluntatem ab omni amore, & intendit impedire, & detinere cogitationem inclinantem per suam entitatem in actu primo ad amorem, ne efficaciter in actu secundo ad illum voluntatem inclinet: ergo melius poterit cogitatio illa suum effectum sortiri, & voluntatem allicere ad eumdem actum alterâ cogitatione non impediente, neque obstante, quàm cum illa, quælibet enim causa faciliùs producit effectum sine impedimento, aut resistentia, quàm cum illa, quæcumque illa sit neque excogitari potest causa aliqua in rerum natura, quæ per se, & essentialiter indigeat impedimento aliquo ad effectum producendum, vt illum producat, neque effectus, qui ex natura sua per se & essentialiter dependeat ab illo, quod tantùm se habeat per modum impedimenti ad talem actum & per modum retrahentis, & remouentis potentiam à productione illius.

5 Argumentatus sum vt probem libertatem esse extrinsecam volitioni, argumento desumpto ex cogitatione retrahente ab actu, quæ ad libertatem supponitur: modò argumentum desumo ex concursu Dei, ex quo libertas actus essentialiter dependet. Potest idem actus, qui procedit à decreto indifferenti Dei, quo decernit concurrere dependenter à voluntate, procedere à decreto absoluto ex se determinato ad talem actum producendum: ergo idem actus, qui modò est liber potest esse necessarius. Consequentia patet ex dictis de decreto antecedenti nostros actus liberos, quod si ex se sit efficax libertatem destruit. Antecedens probo: hic actus liber tantùm dependet à decreto Dei tanquam à decreto omnipotentiæ vt concurrat cum voluntate: ergo idem erit siue omnipotentia applicetur ex vi huius decreti indifferentis, siue illius determinati. Antecedens admittunt omnes; consequentiam probo: principium immediatum & per se attingens actum ex parte Dei non est decretum applicans omnipotentiam sed ipsa omnipotentia: ergo siue omnipotentia sit applicata per hoc decretum, siue per illud ex parte Dei est idem immediatum principium per se attingens actum ex parte creaturæ (suppono voluntatem eamdem eiidem cõprincipiis adiutam, & cogitationibus præuentam concurrere ad actum) ergo ex eo quod decretum, quo omnipotentia applicatur ad volitionem producendam, sit indifferens vel determinatum, seu ex eo quod omnipotentia applicetur ex vi huius, vel illius decreti, non variatur principium immediatum, & per se attingens actum: ergo ex huius variatione decreti præcisè non variatur actus, quia quotiescumque principium immediatum attingens effectum est omnino idem, effectus potest esse idem. Principium immediatè attingens actum ex parte Dei non est decretum applicatum omnipotentiæ, sed ipsam omnipotentiam sic probo, Decretum diuinum applicans omnipoteniiam ad volitionem creatam producendam, se habet respectu volitionis creatæ producendæ, sicuti se habet actus meæ voluntatis applicans potentiam locomotiuam ad deambulationem: sed deambulatio à me facta tantùm per se dependet à potentia locomotiua, & non ab actu voluntatis illam applicante: ergo volitio creata tantùm dependet ab omnipotentia, & non à decreto diuino per se, & immediatè, sed tantum tanquam à conditione applicante omnipotentiam. Maiorem probaui Controuers. 10. Physic. Punct. 4. vbi explicui quomodo causa prima cum secunda operatur, & ab omnibus admittitur. Minorem probo: eadem erit deambulatio, siue ego deambulem actu applicante potentiam locomotiuam ex hoc, vel ex illo motiuo: ergo deambulatio non dependet per se & immediatè ab hoc actu voluntatis applicante potentiam locomotiuam. Idem argumentum efformo in Deo. Idem actus voluntatis erit siue Deus applicet omnipotentiam ad illum producendum ex vi decreti respicientis hoc, vel illud motiuum: ergo mea volitio non dependet immediate ab hoc determinato decreto.

6 Respondebis: meam volitionem fore eamdem prouenientem ex decreto indifferenti respicienti hoc, vel illud motiuum, & per se hanc volitionem liberam non dependere à decreto indifferenti respicienti hoc motiuum, dependere tamen à decreto indifferenti vt sic & non posse dependere à decreto efficaciter determinato. Contrà: actus voluntatis idem numero potest dependere ab hoc vel ab illo decreto indifferenti: ergo physicè immediatè per se non attingit dependentiam ab hoc neque ab illo in particulari: ergo neque in communi, quia non potest dari dependentia intrinseca, & immediata per se huius numero actionis à causa in communi, neque sub disiunctione ab hac, vel ab illa, hæc enim numero actio semper respicit hoc numero principium: ergo dependentia, quam habet mea volitio à decreto Dei non est tanquam à principio immediatè & physicè influente in ipsam volitionem, sed tanquam à principio omnipotentiam determinante: ergo poterit dependere à quocumque decreto determinatiuo omnipotentiæ. Instabis posse dependere à quocumque principio determinante, seu applicante omnipotentiam hoc modo, videlicet cum indifferentia ad producendum, vel non producendum determinanda ex parte voluntatis non à decreto antecedenter efficaciter determinante omnipotentiam. Contrà: talis diuersus modus determinandi solùm arguit diuersitatem ex parte decreti, seu applicationis, quæ per se physicè non conducit ad actum, sed tantùm vt conditio applicans omnipotentiam: ergo non arguit diuersitatem effectus.

7 Ex eodem principio iterum arguo: nulla est repugnantia in eo quod Deus prædeterminet efficaciter independenter

denter à voluntate actum,quem præuidit posse liberè fieri à voluntate : ergo actus, qui liber esse potuit , necessariò potuit procedere. Antecedens probo:si aliqua esset repugnantia,maximè, quia talis actus, quem Deus præuidit posse liberè produci per se & essentialiter dependet à decreto indifferenti , & à negatione talis prædeterminationis,vel quia talis actus productus ex vi talis prædeterminationis , esset necessarius, & liber,quod inuoluit contradictionem:necessarius quia procedit à principio determinato liber,quia intrinsecè,& ex natura sua liber est , siquidem præuisus est à Deo potens liberè produci ; actus autè qui liber esse potest,intrinsecè,& efficaciter liber est. Non sequitur prior repugnantia;quia iam probaui actum non dependere per se & immediatè ab hoc numero , vel specie decreto Dei. Non posterior,quod sic probo:ille actus ita productus non produceretur à principio determinato, & à principio indifferéti:ergo non esset liber, & necessarius;patet antecedens,quia suppono actũ, qui potuit procedere à principio cum indifferentia , processisse à principio carente indifferentia. Consequentiã probo:vt actus sit liber essentialiter requirit procedere à principio indifferéti,sed talis actus non procederet à principio indifferenti: ergo non esset liber : ergo non esset simul liber & necessarius. Hæc ratio attingit aliam à priori , quam postea expendam.

8 Ex eadem principio rursus efficaciter arguo : Sequitur ex hac sententia Deum non potuisse volitionem quamdã quam habui in instanti præcedenti,& iam illa careo, quia liberè illam elicui,& liberè ab illa abstineo permanentibus eisdem principiis ex vi quorum illam habebam in instanti antecedenti de potentia Dei absoluta ad hoc vsque præsens instans conseruare , non producta alia cogitatione de nouo , sed permanente eadem eisdemque aliis comprincipiis creatis , quæ antea influxerant in volitionem. Sequelam probo : vel Deus conseruaturus erat illam volitionem liberam, vel necessariam respectu voluntatis : non necessariam,aliàs eadem volitio transibit de necessaria in liberam:non liberam,quod sic probo. Deus tantùm potest determinare conseruationem liberam volitionis,quatenus potest parare suam omnipotentiam , & applicare cogitationes , & principia indifferentia , ex vi quorum liberè exhibeatur à voluntate : ergo non potest Deus adhuc antecedenter facere vt voluntas , quæ ex vi huius principij liberè non conseruat suam volitionem , illam conseruet liberè ex vi talis principij. Probo consequentiam : Volitio mea libera eatenus est in potestate Dei , quatenus est in potestate Dei ponere hæc vel illa principia quibus eliciam , vel non eliciam talem volitionem : ergo si Deus ponat hæc principia,cum quibus ego quatenus est ex me,non consentiam, & non alia,non poterit aliis non positis volitionem meam liberè conseruare : ergo si non potest conseruare volitionem iam necessariam respectu meæ voluntatis,quæ antea fuit libera nullo modo adhuc antecedenter potuit sine productione aliorum principiorum conseruare volitionem,quam habui in instanti præcedenti à qua liberè cessaui permanentibus eisdem principiis,quibus antè illam produxeram. Rursus:Posito eodem decreto Dei,& eisdem principiis creatis respectu effectus sine aliqua variatione, non est in potestate Dei effectum aliter se habere, ac se habet ex vi talis decreti,& talis principij,vt per se patet,quia effectus externus tantùm est in potestate Dei quatenus est in potestate illius ponere hoc, vel illud decretum.& non est Deus liber ad producendum, vel non producendum ex vi eiusdem decreti , aliàs esset immediatè liber respectu actionum ad extra & non tantùm mediâ volitione;sed posito decreto Dei indifferenti ad actum & positis his principiis inclinantibus ad conseruationem illius,non illum conseruari in hoc instanti:ergo non est in potestate Dei adhuc antecedenter vt illum conseruem inuariato decreto, & inuariatis principiis creatis : ergo si Deus velit conseruari actum inuariatis principiis creatis, debet variari decretum,& non poni indifferens, ex vi cuius volitio non conseruatur, sed aliud determinatum , vt seruetur:ergo si volitio mea quæ de facto non conseruatur ex vi huius cogitationis conseruanda esset cum eadem cogitatione , & cum eisdem principiis, & non aliis debebat esse decretum antecedenter determinans volitionem , & connexum ex natura sua cum illa : ergo conseruanda esset necessariò : ergo si hæc volitio , quæ modo est libera, non potest transire in necessariam absolutè verum est Deum de potentia absoluta non posse conseruare vsque ad hoc instans volitionem,quam habui in instanti præcedenti,non productis aliis principiis distinctis ab his, cum quibus antea illam produxeram,& modò permanentibus non illam conseruo.

Forsan vi illationis admittent sequelam aduersarij, quã 9
nullus difficultate non oppressus tanquam absurdum non reiiciet , nulla enim poterit assignari contradictio in eo quod Deus volitionem prædictam conseruet sine productione nouæ cogitationis , imò absurdum videtur substantiã effectus, quæ libera esse potest respectu voluntatis cũ his principiis, non esse liberam respectu Dei, neque posse illam cum eisdem principiis & non aliis producere , & eisdem cogitationibus , & principiis creatis positis respectu volitionis,voluntatem posse constitui liberã respectu effectus,ad quem Deus antecedenter ad omne suũ decretũ circa talẽ effectũ libet esse non possit. Quæ omnia nullus concedet,nisi vi illationis coactus , quapropter si aliquem hoc argumento vexare contenderem, sic illud proponeré: Ad omnẽ volitionẽ, ad quã est libera voluntas cũ his cogitationibus , & cõprincipiis creatis est liber etiam Deus suppositis eisdem comprincipiis creatis ex parte voluntatis antecedenter ad aliud decretum concurrendi, vel non concurrendi cum voluntate:ergo libertas non est intrinseca actioni,latet adhuc vis illationis, quà non præuisâ nullus antecedens negabit,quod si semel concedatur , ex illo euidenter infertur Deũ esse liberũ ad conseruandũ actũ, quem non conseruat mea voluntas cum his comprincipiis creatis:ergo potest illũ conseruare , non liberum respectu voluntatis,quia ex vi horum principiorum & decreti indifferentis voluntas non se determinat : ergo necessarium respectu voluntatis ex vi decreti efficacis,& determinati. Recognoscere discursum suprà factum.

Pro eadem conclusione arguo à priori ex definitione 10
actus liberi. Actus liber est ille,qui positis omnibus ad illũ prærequisitis potuit esse , & non esse : ergo ex eo præcisè potest intelligi hic actus liber,quod processerit à voluntate cũ omnibus prærequisitis vt talis actus potuerit esse & non esse:Et ex eo præcisè actus erit necessarius quod processerit à principio non indifferenti ad actũ,& ad negationẽ illius:ergo superfluè ponitur prædicatũ intrinsecũ actui, per quod constituatur liberũ aut necessariũ.Rẽ explico, & argumẽtum confirmo.Constituatur voluntas potens amare cũ cogitatione inclinante ad amorẽ,& cum nulla alia retrahente,neque ad oppositum inclinante.Amor productus à tali voluntate sic constitutã necessarius erit,vt permaneat idẽ amor,eadémque cogitatio inclinans ad amorẽ , & superueniat alia cogitatio retrahẽs ab amore,& inclinans ad odium præcisè ex aduentu talis cogitationis retrahentis ab amore,amor qui antè erat necessarius incipiet esse liber : ergo amor intrinsecè inuariatus potest esse liber & necessarius. Antecedens probo : ex eo præcisè quod aduenìat alia cogitatio retrahens ab amore voluntas quæ sine illa non poterat non elicere amorem, potest illum non elicere:imò & potest odio habere ex vi cogitationis aduenientis,inclinans ad odium:ergo positã hac cogitatione ita permanet amor vt possit non permanere : ergo amor qui antea erat necessarius,est liber : ergo non solùm amor necessarius antecedenter potuit esse liber , & amor liber antecedenter potuit esse necessarius , sed idemmet amor potest de necessario in liberum transire.

Confirmatur.Omissio eadem potest esse libera,& neces- 11
saria,vt probaui Controuers.10. Punct.1.& fatetur Hurtadus ibidem citatus : sed in omissione libertas, seu necessitas non prouenit ex prædicato intrinseco ipsius omissionis, sed tantùm ex diuersitate principij retrahentis ab actu positiuo , quod per se influit in omisionem eo modo,quo in illam potest esse influxus , & principij inuitantis ad actum positiuum , quod per se retrahit ab omisione , & non influit in ipsam, sed voluntatem liberam constituit ad omittendum , & non omittendum : ergo eodem modo de actu positiuo philosophari licebit:omisionem nõ constitui liberam aut necessariã per aliquod intrinsecum constabit ex dictis loco citato , & facilè probari potest , quia omisio siue libera , siue necessaria est negatio eiusdem actus , cùm enim quis liberè omittit amorem huius obiecti , habet negationem omnis actus amoris circa tale obiectum , & cùm necessariò omittit , habet negationem eorumdem actuum , & in vtroque casu habet omnem negationem possibilem amoris , cùm nullum actum amoris habeat;

habeat: ergo eadem est omissio siue necessaria, siue libera: ergo libertas, & necessitas est extrinseca negationi: ergo & actui positiuo.

§. II.

Præcipuum argumentum pro sententia Hurtadi expenditur & soluitur.

12 PRæcipuum argumentum, quod pro sua sententia adducit Hurtadus, hoc est: Actus liber est obiectum specialis complacentiæ Dei, cuius non est actus necessarius: ergo vt liber habet aliquam intrinsecam perfectionem, quam non habet necessarius, sed hæc perfectio non est superaddita actioni liberæ: ergo est identificata cum ipsa. Antecedens probat: cùm quis liberè Deum colit, cultus ille mouet Deum vt præmium conferat colenti, quam motionem non haberet si liber non esset, quia libertas essentialiter requiritur ad præmium: ergo habet in se specialem bonitatẽ, quam non haberet si esset necessarius: ergo specialem aliquam perfectionem, sed hæc non potest esse superaddita, vt ipse probat hac disp. 15. sect. 5 §. 4. & nos concedimus: ergo est illi intrinseca. Eodem modo arguitur de actu malo, qui malitiam habet aliquam ex vi cuius dignus est suplicio, quando est liber, quam non habet actus necessarius, delectatio enim de obiecto turpi in voluntate suborta absque vlla libertate, peccaminosa non est, neque digna supplicio, delectatio verò libera de eodem obiecto est peccaminosa, dignáque supplicio.

13 Hoc argumẽtum sic infringere contendit Arriaga: potest actus præcisè per aliquid extrinsecum esse dignus præmio ad quod extrinseco secluso dignitatem non haberet: ergo dignitas ad præmium non arguit perfectionem intrinsecam actui. Antecedens probat. Maior dignitas est in amore ad præmium obtinendum libero libertate contrarietatis, quàm tantùm libero libertate contradictionis: sed libertas cõtrarietatis est extrinseca actui, quia extrinsecum est amori voluntatem esse liberam ad odium: ergo ex libertate purè extrinseca actui, illi accrescit noua dignitas ad præmium: ergo hæc non arguit perfectionem intrinsecam. Si respondeas in amore libero libertate contrarietatis esse duplex exercitium libertatis, vnũ respectu amoris, aliud respectu negationis odij. Occurrit Arriaga: voluntas quando liberè amat libertate contrarietatis non semper exercet duplicem hanc libertatem per duplicem positiuum actum, non enim voluntas indifferens ad amandum. & odio habendum quotiescumque amat dicit, nolo odisse: ergo tantùm est vnum positiuum exercitium libertatis, videlicet amor; esto aliud negatiuum, videlicet omissio odij; sed hæc omissio odij in se non est digna præmio, quia pura omissio meritoria non est: ergo maior illa dignitas ad præmium tota est in actu positiuo: ergo actus positiuus intrinsecè inuariatus potest habere maiorem, & minorem dignitatem ad præmium, ergo hæc dignitas non est intrinseca.

14 Non vrget argumentum Arriagæ: in primis, quia multi censent puram omissionem esse meritoriam, in quorum opinione nullam vim habet, deinde respondeo: actum liberum libertate contradictionis tantùm non habere eamdem numero libertatem contradictionis, quando est liber libertate contrarietatis, quia in opinione quæ libertatem in aliquo extrinseco constituit per eamdemmet formam, per quam actus constituitur liber libertate contrarietatis constituitur liber libertate contradictionis, vt probaui supra, & in opinione quæ asserit libertatem esse intrinsecam, hæc intrinseca libertas in actu secundo diuersitatem sumit à libertate in actu primo: vnde cùm actus liber contrarietatis libertate, & actus liber libertate contradictionis non sumant in actu secundo eamdem libertatem, ideóque Doctores asserentes non potuisse eumdem actum esse liberum & necessarium consequenter dicere debent non posse esse liberum hac vel illa libertate, & consequenter non posse eumdem actum esse liberum tantùm libertate contradictionis & libertate contrarietatis adhuc sub distinctione. Ex qua doctrina argumentum euidenter distinguitur tunc maior illa dignitas in amore libero libertate contrarietatis non oritur præcisè ex aliquo extrinseco, sed ex diuersitate intrinseca actus.

15 Eadem ferè ratione contra Hurtadum alio modo argumentatur Arriaga. Si quis esset necessitatus ad actum humilitatis vel temperantiæ, vtrumque æquè bonum, ita vt quemlibet posset omittere, si alium præstaret, non tamen vtrumque, nullo præmio esset dignus, si alterũ actum, videlicet humilitatis eliceret, quia etsi ad illum haberet libertatem contradictionis, quâ posset talem actum elicere, & non elicere, non tamen haberet libertatem mottem requisitam ad præmium, vt fatetur Hurtadus; si verò eundem actum humilitatis eliceret absque vlla necessitate adhuc sub disiunctione ad actum humilitatis, vel temperantiæ, talis actus humilitatis esset dignus præmio, & vtroque casu esset omnino idem, ac liber libertate contradictionis: ergo eidemmet actui potest abesse, & adesse dignitas ad præmium: ergo hæc non est intrinseca. Vget Arriaga. Demus hominem necessitatum ad actum temperantiæ vel humilitatis modo dicto, & eumdem alio casu necessitatum ad actum temperantiæ, vel positiuæ intemperantiæ: homo necessitatus ad temperantiam vel humilitatem, non esset dignus præmio, si actum temperantiæ eliceret, si tamen idemmet homo necessitatus ad temperantiam, vel intemperantiam positiuam actum eliceret temperantiæ, esset dignus præmio, & in vtroque casu esset idemmet actus temperantiæ liber libertate contradictionis: ergo eidemmet actui potest contingere dignitas, & negatio eiusdem.

Ad hæc argumenta ait Arriaga nullam posse dari solutionem; sed illam ego facillimè dabo. Respondeo, in 16
omnibus casibus adductis actum humilitatis esse liberum diuersâ libertate contradictionis, quia quando homo nullam habet necessitatem ad actum sub disiunctione, est liber ad actum humilitatis libertate contradictionis absolutâ, & potest illum non elicere independenterà quocumque alio actu positiuo; quando verò est necessitatus ad humilitatem, vel temperantiam, non est liber ad actum humilitatis libertate contradictionis absolutâ, quia non potest actum humilitatis omittere independenter à quocumque alio actu positiuo, sed sub conditione, vel quasi cùm onere actus humilitatis præstandi, & quando necessitatur ad actum humilitatis dependenter à diuerso actu positiuo & diuersâ conditione, seu onere actus diuersi præstandi, habet diuersam libertatem contradictionis saltem in actu primo voluntas ad actum humilitatis, ex diuersitate autem libertatis in actu primo inferri diuersam libertatem in actu secundo, & diuersum actum ostendi suprà. Ex quibus respondeo, hominem necessitatum ad actum humilitatis, vel temperantiæ vtrumque æquè bonum non esse dignum præmio, si actum eliciat temperantiæ; & hominem ad nullum actum necessitatum, vel necessitatum ad temperantiam, vel positiuam intemperantiam, esse dignum præmio, si actum eliciat temperantiæ, nego tamen ex hoc inferri posse eidem actui temperantiæ dignitatem abesse, & adesse, quia in his casibus non esset idem numero actus, sed diuersus.

Respondent nonnulli bonitatem & malitiam actus si- 17
tam esse in entitate illius positâ libertate tanquam connotato non pertinente ad rationem constitutiuam malitiæ, aut bonitatis. Hæc connotatorum doctrina mihi semper magnoperè fuit exosa, quam impugnaui multis in locis: rationem iterum attingo, quâ illam sæpè reieci. Hoc connotatum vel se habet tanquam quid pertinens ab bonitatem actus, tanquam constitutiuum, saltem inadæquatum illius, vel non: si primum dixeris, non est purum connotatum; si secundum: ergo tota ratio formalis bonitatis est identificata cum actu: ergo posito actu ponitur illius bonitas secluso quolibet non constitutiuo illius. Respondebunt esse bonitatem, quoad entitatem, non quoad denominationem. Contra quos iterum arguo. Bonitas quoad entitatem, & quoad denominationem non distinguuntur realiter: ergo non potest esse vna sine alia. Latiùs hanc solutionem impugnatam inuenies Controu 11. Punct. 4. §. 2.

Respondeo, bonitatem & malitiam esse moralitates 18
quasdam desumptas ex entitate actus, & ex libertate eiusdem (non definio modò an desumatur ex præcepto formaliter, vel tantùm tanquam ex obiecto, quia meum solùm est modò explicare quomodo libertas conducat ad malitiam) ex quibus formaliter constituitur malitia formaliter denominas malum eundem actum, à quo forma malitiæ inadæquatè distinguitur, sicuti veritas formalis iudicij resultat ex actu intellectus, & ex obiecto, & denominat verum ipsum actum. Ex quo infertur posito actu sine libertate non esse rationem formalem malitiæ, neque bonitatis,

bonitatis, quæ formaliter indiuisibiliter consistit in aggregato actus & libertatis. Neque ex hoc infertur Deum complacere in ipsa libertate tanquã in obiecto adhuc inadæquatè digno præmio, libertas enim non dicitur neq; inadæquatè(rem explico indiscriminatim, modò in bonitate, modò in malicia, in quibus est eadem ratio bona, sed constitutiuum inadæquatum bonitatis, quod non est bonũ, sed id quo actus bonus constituitur, sicuti cognitio est id, quo obiectum cognitum constituitur, non tamen est cognita formaliter sine alio actu reflexo.

20 Obiicies ex eodem Hurtado. Libertas secundùm se formaliter non est bona, neq; est secundùm se bonitas: ergo non potest denominare actum bonum, neque constituere bonitatem. Respondeo, libertatem non esse bonam, ex hoc tamen non inferri non posse denominari actum bonum, albedo enim non est alba & denominat subiectum album. Ad aliam partem antecedentis, videlicet libertatem non esse bonitatem. Respõdeo libertatem secundùm se non esse bonitatem, sed simul cum actu, sicuti forma hominis non est humanitas, tamen est apta ad constituendam humanitatem simul cum materia, nec nouum est in Philosophia dari cõpositum constans partibus quarũ nulla seorsim sumpta adhuc inadæquatè habet denominationẽ totius, passim enim de hac re occurrunt exempla. Vnicum do præter iam insinuata. Suppositũ constituitur ex materia & ex forma, vnitis subsistentiis propriis terminatis, tamen materia separata à forma non dicitur suppositum, neque inadæquatum. Neque forma rationalis in statu separationis propria subsistentia terminata suppositum inadæquatum, aut persona inadæquata dicitur. Sic malitia, seu bonitas constituitur ex libertate, & ex actu, non tamen libertas seorsim sumpta dicitur inadæquata bonitas, vel malitia licet sit illud, per quod inadæquatè bonitas & malitia constituitur denominans actum inadæquatè distinctum à forma, à qua denominatur tanquam inclusum ab includente, sicuti dixi de subiecto veritatis formalis respectu eiusdem veritatis; quà verum formaliter constituitur.

§ III.

Alia argumenta soluuntur.

21 ARguit secundò Hurtadus. Libertas in actu secundo est terminus, & effectus potentiæ operatiuæ physicæ vt physicè operatiuæ: ergo est actus secundus physicus quia terminus, potentiæ physicæ operatiuæ physicè est terminus, & exercitium physicum. Antecedens probat sectione 1. vbi ostendisse dicit libertatem in actu primo esse potentiam physicè operatiuam. Respondeo distinguendo illud antecedens: libertas in actu secundo est effectus potentiæ physicæ operatiuæ vt physicè operatiuæ, secundùm totum id quod dicit libertas in actu secundo, nego; secundum rationem physicam actus, quà libertas quæ in actu primo iam supponitur, reducitur ad actum secundum, concedo: ergo libertas in actu secundo est terminus physicus potentiæ, nego consequentiam. Ratio est, quia libertas in actu secundo dicit duo, subsistantiam actus & libertatem in actu primo non est terminus potentiæ operatiuæ scilicet voluntatis, sed tantum dicitur voluntas causa libertatis in actu secundo, quia est causa actus physici, ex quo & ex libertate in actu primo, quam supponit constituitur in actu secundo.

22 Posses obiicere, libertas in actu secundo per nos dicit duo, actum physicum voluntatis, & libertatem in actu primo: Hæc se tenet vt forma, ille vt subiectum, quod denominatur liberum: ergo libertas in actu secundo præcipuè debet imputari agenti, quod producit libertatem in actu primo, quàm voluntati producenti volitionem physicam, quia concretum præcipuè procedit ab agente producenti formam illius, quàm ab illo, quod producit materiam eiusdem. Consequens autem absurdum est, quia meritum, & demeritum consistit in libertate in actu secundo, ac proinde si hæc imputaretur agenti quod producit libertatem in actu primo non esset voluntas, quæ mereretur, aut demereretur. Respondeo, concretum imputari agenti quod coniungit materiã cum forma: sic dicimus hominem, hominem producere, quia producit vnionẽ inter materiã & formam, etiãsi illius formam non producat, neq; materiã: hac ratione libertas in actu secundo impugnatur voluntati quia, ipsa est quæ coniungit actũ physicum ipsius videlicet volitionẽ cum libertate in actu primo, exquibus resultat libertas in actu secũdo, cùm enim ante productionẽ volitionis supponatur libertas in actu primo, agẽs illud quod volitionem producit coniungit volitionem ipsam cum libertate in actu primo; illud enim agens, quod supposito vno extremo alterum producit, dicitur produxisse coëxistentiam, & coniunctionem illorum, non verò illud quod prius vnum extremum produxerat. Nec refert voluntatem in actu primo esse formam constituentem volitionem in actu secundo liberam ne priùs sit libertas in actu primo, quæ se habet tamquam forma, volitione ipsa se habente tanquam subiectum, quia forma extrinseca subiecto, quæ non educitur ex potentia illius non supponit existentiam subiecti, neque ex illo dependet. Hæc doctrina attentè obseruanda est: ex illa enim soluitur grauis difficultas in materia de auxiliis, quomodo videlicet gratia efficax, si constituitur per nostrum consensum conditionatum & entitatem physicam auxilij, prouenientem à Deo, non nobis, sed Deo imputanda sit, tanquam principio, & causæ illius.

Ad confirmationem illius antecedentis respondeo, di- 23
stinguendo antecedens. Potentia libera est physicè operatiua secundùm totum id quod dicit libertas respectu simplicis effectus liberi, nego: secundùm aliquid, quod includitur in ipsa potentia libera, quod per se ipsum formaliter non est liberum, concedo: ergo potentia libera habet effectum physicum, distinguo eodem modo: secundùm totum id, quod dicit potentia libera, nego; secundùm aliquid, quod includitur in ipsa potentia libera concedo: ergo libertas in actu secundo est effectus physicus, nego cõsequentiam. Ratio distinctionis suprà datæ in antecedenti, & priori consequenti, hæc est: libertas in actu primo ad amorem dicit voluntatem cum cogitatione inclinante ad amorem, & cum cogitatione retrahente ab ipso amore: cogitatio retrahens ab amore non influit in ipsum, neque amor physicè, neque secundùm suam entitatem aliquo modo ab illa dependet, sed tantùm illa cogitatio se habet respectu amoris tanquam forma extrinseca, quæ simul cum alia cogitatione ipsum amorem formaliter liberum constituit, ac proinde cogitatio retrahens ab amore, quæ voluntatem liberam constituit ad amandum, neque physicè, neque moraliter influit in amorem influxu actiuo. Ex quo clarè infertur totam illam rationem adæquatam, in qua indiuisibiliter consistit libertas in actu primo, in nullum effectum influere secundùm se totam sed secundùm aliquid illius, & secundùm diuersas partes in diuersos effectus, voluntas cum cogitatione inclinante ad amorem influit in amorem, ad quem non conducit altera cogitatio ab illa retrahens: voluntas cum hac cogitatione retrahente influere potest in alium actum positiuum circa obiectum motiuum, quod proponit, v.g. in odium, si retrahit ab amore inclinando ad odium eiusdem obiecti, vel in actum reflexum, quo amorem detestetur, si cogitatio retrahat ab amore, inclinando ad nolitionem illius, seu odium reflexum amoris, ad quem inclinat alia cogitatio. Quod si velis voluntatem constitui liberam libertate purâ contradictionis, quà possit amare, & non amare præcisè, non tamen elicere volitionem aliam. Dicam cogitationem retrahentem ab amore in nullum effectum posse physicè influere, & tantùm deseruire vt formaliter amorem, illiúsque omissionem liberam constituat. Ex quo infertur volitionem secundùm se non esse intrinsecè exercitium libertatis, sed dici exercitium libertatis, seu potentiæ liberæ, quando ad illam supponitur voluntas cum libertate in actu primo, quam libertatem volitio secundùm suam entitatem, neque supponit, neque exigit.

Tertiò alij obiiciunt: Vitalitas est intrinseca actui: ergo 24
libertas. Insto: Voluntas non potest producere volitionem non vitalem: ergo neque non liberam. Veraque consequentia eadem est. Respondeo, admisso antecedenti negando consequentiam. Ratio disparitatis desumenda est ex diuersis rationibus, quibus actus constituitur vitalis & liber, vitalitas enim consistit in immanentia actionis, quæ non potest actioni abesse, libertas autem actionis dicit duplicem cogitationem ex parte actus primi, quarum vna non influit in ipsam actionem, & illa ablata æquè bene erit actio, imò erit necessariò existens volitio, cuius existentia ex vi huius cogitationis contingens redditur.

Obiicies quartò: Libertas est perfectio actus: ergo est 25
illi intrinseca. Nego consequentiam, satis enim explicatum est quomodo libertas sit perfectio extrinseca actus.

25 Obiic. quinto : Volitio libera quæ dependet à duplici hac cogitatione dependet ab vtraque per se & immediatè : ergo non potest non dependere ab vtraque: ergo non potest non esse libera. Respondeo antecedens esse falsum, sæpè enim dixi volitionem non depẽdere à cogitatione retrahente ab illa, & modò affero neque per se dependere ab hac cogitatione inuitante, esset enim eadem met volitio variata cogitatione, ex vi cuius elicitur, dummodo cognitio variata repræsentet idem obiectum, & dixi posse de potentia Dei absoluta dari hanc numero volitionem absque illa cogitatione, sed adhuc admisso antecedenti, non tenet consequentia, quia positis his duabus cogitationibus potest hic actus non esse liber ex diuerso modo, quo Deus in hunc numero actum influeret per decretum antecedenter efficax independenter à determinatione, voluntatis ratione cuius etiamsi modò liber sit tunc esset necessarius.

26 Sextò obiicies : Actus liber habet perfectiorem rationem voluntarij: sed ratio voluntarij est intrinceca actui : ergo habet perfectiorem rationem intrinsecam actus liber quàm habet necessarius. Resp. rationem voluntarij in hoc statu duo dicere, exigentiam dependendi actus à cognitione, & dependentiam actualem à tali cognitione : exigentia dependendi est intrinseca actui voluntatis, dependentia actualis ab hac vel illa cogitatione est extrinceca, & secundum hanc rationem crescit perfectio voluntarij in actu libero, qui ratione libertatis habet maiorem perfectionem in ratione voluntarij. Ad argumentum in forma, Resp. Actus liber habet rationem perfectiorem voluntarij secundùm id, quod actus voluntatis dicit intrinsecè in ipso actu, nego ; secundùm id quod pertinet ad rationem voluntarij tanquam quid extrinsecum actui, concedo: sed ratio voluntarij est intrinseca actui, distinguo minorem, secundùm totam rationem quod dicit hoc perfectius voluntarium, nego: secundùm aliquam rationem, concedo: ergo actus liber habet perfectionem aliquam intrinsecam, quam non habeat actus necessarius, nego consequentiam. Dixi rationem talis voluntarii dicere aliquid extrinsecum huic actui, de quo est disputatio, & abstraxi in argumenti solutione ab illa quæstione: An ratio voluntarij vt sic sit intrinseca actui, si tamen desideras huius quæstionis solutionem Resp. dependere ex alia quæstione videlicet in quo formaliter consistat ratio voluntarij vt sic. Si hæc ponatur in exigentia dependendi à cognitione, certum est esse adæquatè intrinsecam actui voluntatis, qui per suam entitatem petit procedere à cognitione. Si ponatur in dependentia actuali volitionis à cognitione, ad huc non potest dici rationem voluntarij esse intrinsecam actui, hoc est illi conuenire per suam entitatem, quod sic probo. Omnis volitio sumpta in particulari potest dependere ab hac vel ab illa cognitione: ergo nulla singulariter sumpta dependet per suam entitatem ab hac cognitione, quia si ita dependeret non posset non depedere, quod enim alicui entitati per se conuenit, nunquam abesse potest: ergo neque volitio in communi perse dependet à cognitione in communi, quia dependentia in abstracto sumenda est eodem modo, quo est in indiuiduis præcisâ hac vel illâ differentia, & si volitio in communi haberet hoc, quod est per suam entitatem dependere à cognitione, hoc prædicatum esset in qualibet volitione in particulari, & non posset aliqua singularis volitio hanc dependentiam non habere. In alio sensu posset hæc dependentia in communi dici intrinseca, non quia conueniret volitioni per suam entitatem, sed quia adhuc de potentia absoluta non posset ab illa separari, sed adhuc hoc modo affirmo dependentiam actualem volitionis à cognitione, neque rationem voluntarij in hac dependentia constitutam non esse intrinsecam actui voluntatis, quia de potentia Dei absoluta potest volitio fieri sine cognitione, in quo casu ab illa non dependebit, neque erit actu voluntaria, si ratio voluntarij actualis constituatur per dependentiam actualem volitionis à cognitione.

27 Obiicies septimò. Potentia libera differt essentialiter à necessaria: ergo actus liber differt essentialiter à necessario. Resp. comparationem fieri posse inter potentiam naturaliter suam necessariò operantem, & libertatis incapacem, sicuti intellectus, aut potentia visiua & potentiam ex natura sua liberam, vel inter potentiam necessariam ex defectu alijs prærequisiti ad libertatem, quod potest habere, sicuti inter voluntatem præuentam cogitatione obiecti tantùm sub ratione boni, quà necessario illud amat, & voluntatem præuentam cogitatione bonitatis, & malitiæ in obiecto in actu primo potente amare, & non amare. Si comparatio fiat inter potentiam liberam, & necessariam in priori acceptione essentialiter different: si comparatio fiat inter potentias secundo modo acceptas, non differunt essentialiter, sed tantùm accidentaliter per cognitionem, vel aliud comprincipium cum quo de facto coniungitur haec potentia, & non alia, quæ cum illo coniungi potest. Eodem modo philosophandum est in actu intellectus, qui formaliter non potest in se esse liber, & essentialiter differt ab actu voluntatis, siue libero, siue necessario, qui libertatem potest habere. Actus verò voluntatis, qui necessariò fit productus, & liberè potuit produci, non differt essentialiter ab alio actu voluntatis circa idem obiectum liberè elicitũ, quia vterque potuit esse necessarius, & vterque liber, & libertas actualis, quæ est in hoc, & non in illo tantùm dicit indifferentiam ex parte principij extrinsecam actui.

CONTROVERSIA XIII.

De speciebus impressis potentiarum materialium, & spiritualium.

SPECIES sunt qualitates quædam, quæ potentias complent in ordine ad actus intentionales tã materiales, quàm spirituales ; ideo placuit de illis disputare, postquàm iam explicaueram naturas omnium potentiarum. De illis variæ quæstiones exagitandæ sunt: an dentur ? in quibus potentiis ? quæ sit illarum causa: quomodo ad actus concurrant: Quas quæstiones latâ chartâ scripsêre auctores antiqui, atque moderni. Conimbricenses legito lib. 2. cap. 6. & lib. 3. cap. 5. apud quos ad satietatem pro quacunque sententia peruetustos inuenies auctores : quidam enim species omnibus potentiis denegabant; alij eas potentiis materialibus concedebant, & spiritualibus negabant ; alij omnibus potentiis iuxta diuersas illarum naturas has species largè impertiuntur; quos hic referri plus molestiæ, quàm vtilitatis afferret lectori, qui apud plurimos omnium opiniones relatas inueniet ; adducam tamen nonnullos inter meas conclusiones explicandas. Quæ de hac re cõmunis sententia docuit stricto calamo scribam, quæ autem minùs communia sint laxiori tractabo, in omnibus pertingam omnia, quæ ad plenam, atque perfectam rei intelligentiam mihi necessaria visa fuerint.

PVNCTVM PRIMVM.

An dentur species sensuum externorum.

§. I.

De speciebus visu.

SIT CONCLVSIO. Potentia visiua indiget speciebus, ad proprios actus exercendos. Hãc docent omnes, qui species in aliqua potentia admittunt, in nulla enim argumenta adeò efficacia pro speciebus defendendis reperiuntur. Sit primum huius conclusionis argumentum ratio desumpta ex manifesta experientia: Color, & lux sub distantia non modica videntur: ergo color, & lux concurrunt ad visionem, aliàs in quacumque distantia; imò etiamsi non existerent, possent videri, sed non concurrunt immediatè & per se: ergo medio alio effectu ab illis producto. Minorem probo: Color, & lux distant à potentia : ergo non possunt per se, & immediatè concurrere. 1

Dices lucem, & colorem distantem saltem approximari potentiæ media luce existente in medio. Contrà : Do, obiectum posse media luce approximari, sæpè inter obiectum visum, & potentiam visiuam nulla intercedit lux, quæ videri possit, vt cùm quis existens in specu perobscura videt obiectum 2

obiectum lucidum, existens extra specum : ergo tunc obiectum illud non approximatur media luce existente in medio:ergo media specie ab illo producta.

3 Secundò probatur:si inter obiectum videndum, & potentiam visiuam ponatur corpus opacum,impeditur visio: ergò, quia corpus opacum non est medium aptum, vt per illud diffundatur actio obiecti,sed hoc non potest concurrere per se propter rationem dictam : ergo concurrit medio effectu à se producto productiuo visionis, seu speciei expressæ,qui effectus,seu virtus productiua speciei expressæ, species impressa appellatur.

4 Efficaciùs probatur eadem conclusio exemplo reflexionis factæ in speculo, quod si faciei obiicias, reddit illius imaginem eodem modo,ac si teipsum tibi ante oculos obiiceres,quod fieri non potest, quin obiectũ visum aliquem diffundat effectum per medium, qui speculum tangens, iterum reflectat, sicut lux in crystallo, & in pariete color, & aliæ huiusmodi qualitates. Eadem reperitur reflexio, licet non adeò perfecta in aqua,in chalybe,lacte, aliisque quàm plurimis corporibus,maximè in diaphanis.

5 Deinde probatur eadem conclusio ex perspiciliis,mediis quibus videtur obiectum iam clarius, iam obscurius, maius,vel minus secundùm diuersitatem perspiciliorum. Insuper dantur perspicilia ita elaborata,vt vnum obiectum, ita multiplicent,vt multiplex appareat. Talia sunt perspicilia rotunda in plures partes,quasdam aliis eminentiores per acutos angulos diuisa, quæ vulgo *ochauados* dicuntur. Deinde lapis philosophicus,seu triangulare vitrum ita repræsentat obiecta,vt illa inter se confundat,& multiplici, apparentique variegata colore potentiæ illa repræsentet, quæ omnia fieri non possunt, quin aliquod comprincipium detur visionis diuersum secundùm medij diuersitatem, quod ab obiecto procedit, & species impressa dicitur.

6 Ex experientia adducta vitri triangularis rationem colliges,propter quam,quando in eodem speculo sunt diuersi circuli in quolibet illorum totum repetatur in obiectum, quod non repetitur in toto speculo quantumuis grandi. Circuli enim aguntur linea extrema acuta illos diuidẽte figura,seu positione à reliquo speculo,ratione cuius lineæ species,quæ reflectuntur à quolibet circulo non cõtinuantur cum aliis in simplici repræsentatione obiecti,sed species cuiuslibet circuli adæquatè obiecti figuram repræsentat. Idem continget, si duo specula coniungas non eamdem rectitudinem habentia, sed efformantia angulum quemdam acutum ea parte,qua coniunguntur, tunc enim quodlibet illorum adæquatè repræsentabit obiectum, siue physicè sint vnita, siue diuisa:si autem eadem specula ponas supra mensam planam vnum alteri coniunctum, ita vt illorum iunctura nullum efformet angulum, eodem modo in vtroque faciem videbis, ac si esset vnum tantùm speculum, mediam, videlicet, in vno, & mediam in alio.

7 Dubitatis circa reflexionem speculi : cur obiectum repræsentetur distans ab alio. Resp. speculum, & quoduis aliud corpus reflectens species reflectere repræsentatiuas obiecti in tanta distantia,quanta illud repræsentarent species directæ in speculo existentes. Inde quò magis quis accedit à parte antea ad speculum, eo videtur magis accedere à parte post illius figura, existens post speculum, & magis recedere, quò magis obiectum visum ab speculo recedit.

8 Ex hoc poteris cognoscere rationem propter quam turris visa in qua ordine videatur inuerso,fundamentum eminentius,& suppressior pars illius extrema:cum enim fundamentum sit magis propinquum aquæ,species reflexæ illud repræsentant cum maiori propinquitate ; cùm verò pars superior turris magis distet ab aqua,hæc reflectit species, quæ illam magis distantem repræsentent, ratione quarum fundamentum turris apparet,quasi superius parte superiori eiusdem.

§. II.

De speciebus aliorum sensuum.

9 PRIMA CONCLVSIO. Sonus,qui est obiectum auditiuæ potentiæ non percipitur mediis speciebus, sed immediatè simul cùm potentia sui sensationem producit. Hæc conclusio est contra P.Soar lib.3. de anima cap.21. contra Hurt.disp.12.sect.1.& contra Arriag disp.4.sect.1.subsect.3. Patronos habet Ochamum in 2. q.17.& 18. Gabrielem q.2. Greg.in 1.dist.3. q.1. & in 2.dist.7. q 3. qui negant omnibus potentiis externis species impressas. Hac vnica ratione illam persuadeo : quotiescunque percipitur sonus, est sufficienter approximatus, vt immediatè, & per se producat sensationem sui:ergo non indiget speciebus superadditis, vt sentiatur. Consequentiam probo:totum fundamentum assignandi has species desumitur ex distantia obiectorum, vt per se ipsa immediatè suas sensationes producant, propter quam non illis possumus tribuere tanquam principiis immediatis influxum in sensationes, quibus percipiuntur, sed mediatum tribuimus rationem specierum,quæ immediatè procedunt ab obiectis, & sensationes producunt tanquam principia immediata, mediis quibus obiecta concurrant : ergo destructo hoc fundamento nullum remanebit ad has species, quas ex alio capite non cognouimus constituendas : ergo non constituendæ, sed abigendæ sunt : ergo. Integra erit huius conclusionis ratio, si probem illud antecedens,quo posui,sonum esse sufficienter applicatum potentiæ ad sui sensationem producendam quod inter respondendum argumentis, quibus impugnatur,positiuè probabo, explicando modum,quo sonus sufficienter sit approximatus potentiis ad suas sensatione immediatè edendas.

Obiicit primo Arriaga loco supra citato, ex reflexione 10
soni, quæ fit Echo, inferri specierum reflexionem. Resp. Echum fieri per reflexionem soni realis ; non verò specierum intentionalium. Hanc conclusionem impugnat, quia dici nequit, eumdem numero sonum ferri ab aere, & iterum ad potẽtiam redire.Hoc fateor,ego enim non affirmo, reflectere eundem numero sonum,sed alium productum à primo,vel à sono existente in obsistente,quod Arriaga non impugnat.

Obiic.secundò.Cùm quis concionatur,duo,aut tria mil- 11
lia hominum audiunt integras voces : implicat autem, integrum aërem,in quo vox efformatur,ad omnẽ aures peruenire,neque peruenire potest alius sonus similis,quia nullus dicit Ecclesiam esse repletam voce sicut dicimus, esse odore plenam : ergo ex eo, quod sentimus vocem non diffundi per totam Ecclesiam,& odorem diffundi.

Respondeo omnes audientes eundem concionatorem 12
eamdem vocem percipere, id est, eumdem sonum immediatè productum à concionatore, non per applicationem immediatam eiusdem soni ad omnium aures ; sed mediis aliis sonis similibus eiusdem rationis,productis à sono immediatè concionatore producto. Ad confirmationẽ,Resp. Nullius esse momenti:illius fundamentum tantum sumitur ex communi modo loquendi,qui non semper ex naturis rerum trahit originem;sed ex vulgari apprehendendi modo, qui multoties longè aliter attingit res,quàm sunt in se.Sed ad illud, quodcumque sit. Respondeo : Vocem non dici quemcumque sonum, etsi omnino similem sono producto immediatè ab animali:sed importare sonum immediatè ab animali productum,qui tantùm est in parte aëris immediata concionanti,vel alio modo vociferanti,& ita, quamuis totum cubiculum repletum est sono, non tamen repletum est voce.

Obiicit Arriaga : Eodem modo posse dici colorem vi- 13
deri medio alio. Hoc non posse dici, adhuc de luce, probaui semel, & iterum, & de colore certissimum est, quia aër non est capax coloris, quod à posteriori nobis constat. Deinde,quia color est qualitas natura sua diu durans ac proinde, si cùm ego video colorem viridem distantem in arbore, aër colorem viridem reciperet amota arbore, aër permaneret viridis, quod asserere, falsum, ac ridiculum esset.

Obiicit. Si produceretur sonus vsque ad aures, & sonus 14
ibi existens produceret auditionem, non posset vllo modo percipi, ex qua parte veniret sonus, sicut non potest peecipi in gustu, ex qua parte veniat sapor, quia sonus immediatus potentiæ non potest esse repræsentatiuus obiecti distantis, scilicet, præsentiæ soni loco distantis. Respondeo auditum non tantùm percipere sonum immediatum potentiæ : sed etiam sonum distantem,qui simul cum propinquo sui ipsius, atque præsentiæ propriæ speciem expressam producit. Ad exemplum de sensu gustus. Respondeo,paritatem non tenere, quia, sicut in opinione aduersariorum hæc est mala consequentia : *Gustus non percipit saporem distantem : gustus non recipit species à suo obiecto:*

ergo neque auditus, ita in mea opinione, *gustus tantùm immutatur ab obiecto immediato concurrente per se ipsum: ergo auditus tantùm immutatur ab obiecto immediato.* Respondeo enim has potentias esse diuersas, cuius natura à posteriori nobis innotescit.

15 Obiicit vltimò Arriaga. Tubulus positus in fundibulo deseruit surdastris, ad percipiendum sonum, sicut inspicilia ad videndum homini, cæcitate laboranti: ergo, sicut hic recipit species visiuas mediis inspiciliis, ille auditiuas medio tubulo. Respondeo negando consequentiam, potest enim dici, tubulum deseruire ad recipiendum sonum realem, medio quo potentia immutatur, sicut tu asseris tubulum esse medium aptius aëre ad recipiendas species soni, & ita, medio illo, melius audiri, ego affirmo, esse medium aptius aëre ad recipiendum sonum, & ita melius audiri medio illo, quàm medio aëre.

16 Satis clarè respondisse existimo omnibus argumentis, quibus auctores probant, necessarias esse species auditus, & quorum solutione apertè constat, ex defectu applicationis soni ad potentiam auditiuam has species necessarias non esse, quod sufficiens est, ad illas negandas, quando enim agitur de entitatibus superfluis in rerum natura non admittendis efficax est probatio, clara, & manifesta solutio argumentorum, quibus illarum existentia propugnatur.

17 Secvnda conclvsio. Odor non sentitur mediis speciebus. Duplicis conclusionis, huius, & præcedentis vnum est fundamentum, solutiones argumentorum, quibus impugnantur, diuersæ. Dedi illas, quæ ad præcedentem conclusionem attinent; do, quæ ad hanc spectant.

18 Obiicit Soar: odor non potest alium odorem producere, cum sit qualitas secunda, resultans ex temperamento primarum qualitatum: ergo tantum diffunditur per cubiculum in tenuibus substantiis odoriferis, quæ non possunt ita replere cubiculum, vt realiter ad potentiam accedant: ergo tantum accedunt intentionaliter. Multa inuoluit hoc argumentum; omnia tamen valde incerta, quæ vix possunt, neque à priori, neque à posteriori probabiliter confirmari. Fateor enim: odorem primò oriri à temperamento primarum qualitatum, cur tamen odor ortus ex his, non poterit alium odorem immediatè producere in subiecto non habenti tales qualitates, sicut calor in igne erit à forma ignis, postea tamen calor ortus à forma ignis alium calorem immediatè producit in subiecto, in quo non est forma ignis. Ex eo enim, quod forma ignis calorē producat, non infertur, omnem calorem producendum esse necessariò à forma ignis, sic de odore respectu temperamenti philosophare, quod probabilius puto, quia difficile possunt tot partes materiæ exhalari, quot reperiuntur cum hac qualitate in diuersis cubiculis, in quibus odorifera substantia fuit posita, & odorem relinquit.

19 Dices colorem non esse productiuum alterius coloris, quia oritur ex temperamento primarum qualitatum: ergo neque odor est productiuus alterius odoris. Nego consequentiam, color enim est qualitas specie distincta ab odore, cuius natura à posteriori cognoscitur impotens alium colorem producere; quod de odore non constat. Vnde nego, colorem ex eo præcisè non esse productiuum aliùs coloris, quia oritur ex temperamento primarum qualitatum; sed quia ita oritur ex temperamento, vt non possit naturaliter oriri ab alio colore, quod ex sua natura habet, quæ tantùm à posteriori nobis innotescit: & non à priori.

20 Deinde admitto: odorem non esse productiuum odoris, & subiectum huius tantùm esse partes, quasdam exhalatas substantiæ odoriferæ: nego tamen has non posse realiter ad potentiam peruenire, quia, etsi totum cubiculum non valeant replere, cùm hæ partes exhalatæ non sint omnes continuæ, neque contiguæ, possunt ita per cubiculum diffundi, vt nulla sit notabilis pars spatij illius, quod non contineat aliquam partem substantiæ odoriferæ, quæ per aspirationem simul cum aëre ad odoratus organum realiter trahatur.

21 Tertia conclvsio. Obiecta gustus, & tactus immediatè producunt proprias sensationes; non mediis speciebus. Hanc clusionem docent Hurtadus, & Arriaga suprà contra Soar lib. 3. de anima cap. 26. Faciliùs hæc conclusio probatur, quàm præcedentes, quia hæc obiecta numquam sentiuntur, nisi immediatè applicata suis potentiis: ergo nunquam indigent speciebus, supplentibus applicationem illorum.

§. III.

De speciebus sensibilis communis.

Sensibile commune dicitur quod pluribus sensibus percipitur, sicuti figura, & præsentia, quæ duplex est, circunscriptiua, & definitiua; de vtraque est difficultas, an percipiatur, & an obiectum percipi valeat sine illa, & specialiter de circunscriptiua, quâ aliquibus cõclusionibus explicabo. 22

Prima conclvsio. Visus, & auditus percipiunt præsentias suorum obiectorum. Probatur hæc conclusio, quia ego video vnum hominem distantem ab alio. & hunc post illum: ergo video præsentiam illorum. Respondent aliqui: videre hominem distantem ab alio, non esse videre illorum præsentias, sed aliud corpus medium inter vtrũque. Contrà. Videre corpus esse inter vtrumque, & hoc esse ad dextrã, & illud ad læuam, est videre præsentiam trium corporum. Non enim eo ipso, quod videam substantiam illorum, video, hoc corpus esse medium, & alia duo, hoc ad dextram, & illud ad sinistram; possent enim illorum substantiæ alio modo collocari, neque hoc corpus esse medium inter alia duo, est aliquid distinctum, sed omnino idem cum præsentia corporis medij, & extremorum, ac proinde qui videt corpus medium inter alia duo, necessariũ videt præsentiam illorum. 23

De auditu probatur eodem modo, quia, quãdo audio sonũ, planè sensu percipio, sonum primò produci ad hoc latus, & non ad illud, quod experientia manifesta conuincit. 24

Secvnda Conclvsio. Visus percipit figuram mathematicam, v. g. rotunditatem, & longitudinẽ. Hæc conclusio constabit ex dicendis in metaph. vbi probabo, figuram mathematicam non distingui à præsentia, neque aliquid addere supra illam, in qua formaliter consistit distantia partium, quæ rotunditatem formaliter constituit; sed visus percipit præsentiam, & distantiam partium: ergo percipit figuram mathematicam. 25

Tertia Conclvsio, Auditus percipit hanc figuram: adeo tamen imperfectè, vt intellectus non possit illam discernere ex vi sensationis auditus, sicut diximus, potentiam visiuam videre colorem longè distantem secundum rationem genericam, & specificam, licet intellectus non possit ex vitalis visionis elicere conceptum respondentem huic complexo: color ille est viridis, neque illum discernere à reliquis coloribus. Prior pars conclusionis ex præcedenti probatur, quia hæc figura mathematica est idẽ cũ præsentia; sed auditus percipit præsentiam; ergo figurã idẽtificatã cũ illa. Quod verò illã imperfectè percipiat patet, quia auditus non valet discernere inter diuersas partes soni, sicut visus discernit. Deinde probatur ex imperfectione, qua ipsam præsentiam percipit. quia, licèt auditus discernat, sonum edi versus dextram, & non versus sinistram, non valet intellectus ex vi auditionis asserere: sonus est in hoc numero spatio distans per triginta, & non per quadraginta passus. Propter hanc imperfectionem audiendi præsentiam seu figuram, potest dici, figuram audiri ex parte obiecti, nó verò ex parte modi, sicut, quando à longè video animal, ignorans an sit rationale, vel irrationale, in nostra sententia differentia ex parte obiecti cognoscitur æquè ac genus, non vero ex modo cognoscendi. 26

Qvarta Conclvsio. Olfactus, gustus, & tactus non percipiunt sensibile commune, v. g. præsentiam, quia, dum quis immotus has sensationes elicit, non percipit, vnde veniant obiecta, neq; aliqua est ratio, quæ suadeat, illorũ præsentias his sensibus percipi: Quod verò ex diuersa applicatione potentiæ, sub qua diuersam sensationem obiecti elicit potentia, possit homo affirmare, obiectũ sensatũ existere in hoc loco, & non in illo, non prouenit ex intuitione immediatè; sed ex hoc discursu: obiectũ intensius sentitur per applicationem potentiæ spatio, in quo est; sed obiectũ meliùs sentitur per applicationem potẽtiæ huic spatio: ergo obiectum est in hoc spatio. Quod autem insectentur odorẽ animalia, sine discursu est, quia in illum feruntur, & cùm primùm discedunt ab spatio, in quo odorem sentiunt, statim ad illud redeunt, & illuc feruntur. quò magis odorem sibi gratum percipiunt, quod fit sine discursu aliquo. 27

Qvinta Conclvsio. De facto, rebus hoc modo existentibus, visus, neque auditus non possunt naturaliter percipere propriũ sensibile sine communi. Hæc conclusio probatur experientia, numquam enim percipimus colorẽ, nisi alicubi existentem, & idem patet in sono. Deinde à priori quia sensibile commune naturaliter non potest separari à sensibi 28

à sensibili proprio:ergo quotiescumque applicatur sensibile proprium, applicatur etiam commune:ergo quotiescúque sensibile proprium producit speciem sui,eam producet sensibile commune, cum vtrumque eodem modo applicetur,& eamdem virtutem habeat producendi speciê.

29 Sexta Conclvsio. Si Deus conseruaret obiectum visus v.g.colorem sine præsentia:color adhuc,suppolita illius conseruatione sine præsentia, non posset videri naturaliter;posset tamen supernaturaliter.Priorem parte tenêt ferè omnes scholastici. Posteriorem tenent Alex. Alensis 4.p. q.10. n.7.art.3.§.8. Sotus in 4.dist.10. q.1.art.7.qui affirmant,de facto Beatam Virginem supernaturaliter vidisse Christum in Eucharistia, non viso modo inextensionis, quem habet. Priorem partem ostendo ex dictis 7.physic. vbi probaui, præsentiam requiri ex parte actus primi ad agendum:ergo color sine præsentia non est in actu primo ad producendam speciem sui : ergo non potest naturaliter illâ producere:ergo neque videri. Posteriorem suadeo ex dictis ibi, vbi statui Deum posse supplere defectum præsentiæ, & agens sine præsentia requisita ad operationem posse supernaturaliter agere in distans extra totam sphæram. Ex quo infertur : posse,supernaturaliter operari sine omni præsentia,quia præsentia, quæ non applicat agens ad passum intra sphærâ illius, non se tenet ex parte principij actiui existentis ad operandum, cùm non adiuuet ad operationem:imò potiùs illius naturaliter impeditiua sit ratione distantiæ,quam fundat talis præsentia.

30 Septima conclvsio. Si Deus impediret concursum sensibilis communis, ad producendam speciem sui, sensibile proprium naturaliter speciem sui produceret,& colôr existens cũ præsentia videretur,non visa præsentia. Ratio est quia color,vt sit in actu primo potens producere speciem sui, non indiget concursu sensibilis communis, seu præsentiæ;sed tantùm præsentia:ergo etiamsi Deus impediret hunc concursum,dummodo conseruaret colorẽ cum præsentia,color esset in actu primo ad producendam speciem sui. Antecedens probo:Color tantùm indiget præsentia,ad producendam speciem sui,sicut quodlibet agens indiget præsentia,ad suas operationes,vt sit debitè agenti applicatum. Neque fundamentum est ad constituendam aliam exigentiam in colore,ad producendam sui speciem, quam in aliis agentibus ad producendos suos effectus. Quod autem,quotiescumque datur productio speciei sensibilis proprij detur productio speciei sensibilis communis,non probat dependentiam actionum,sed earum concomitantiam prouenientem ex concomitantia agentium potentium species sui producere.

31 Octava conclvsio. Si præsentia definitiua non distinguitur à circunscriptiua, sed tantùm sit circunscriptiuarum repetitio, obiectum indiuisibiliter existens potest videri naturalitet, non tantùm secundum se, sed cum præsentia definitiua, seu multitudine circunscriptiuarum. Probatur hæc conclusio : quod vna pars sit cum alia penetrata,neque quod sit in multiplici, loco non impedit actiuitatem illius, quia penetrata in hoc loco eamdem approximationem habet cum passo, ac si non esset penetrata,& præsens in hoc spatio. Secundùm hanc sentẽtiam dicendum est : Christum in Eucharistia ex natura rei naturaliter posse videri:ex merito autem fidei impediri visionem illius. Quod de facto ita contingere, adhuc datâ præsentia definitiua specie distincta, tenent Nominales, quos infrà referam.

32 Nona conclvsio. Si præsentia definitiua specie differt à circumscriptiua, obiectum definitiuè existens non potest videri,vt præsens definitiuè, hoc est,illius præsentia definitiua videri non potest. Defendunt hanc conclusionem Ricard.14.dist.2. art.5.q.2. Palud.& Capreol. q.vlt. P.Soar.3 p. tom.3. disp.53. sect.4. Probatur hæc conclusio: obiectum commune adæquatum est præsentia, quam de facto videmus,quod probatur ex eo, quod nullum est fundamentum,ad asserendum,illam præsentiam contineri sub obiecto huius potentiæ, neque hanc potentiam habere virtutem, adhuc inchoatam producendi speciem expressam illius, ac proinde adhuc supernaturaliter videri non posset talis præsentia. Quod efficaciùs probabitur, si asseramus,talem præsentiam fore supernaturalem.

33 Decima Conclvsio. Obiectum definitiuè existens per præsentiam definitiuam, specie distinctam à circunscriptiua potest naturaliter videri non visa præsentia illius. Defendunt hanc sententiã præcipuè secũdùm partem affirmatiuam, quam hic specialiter tradidimus Ocham in 4.dist. 10 quæst 5.art.3.Maior quæst.5. illam probabilem censet,Gabriel lect.45. in Canone Missæ littera P.Rationẽ conclusionis accipe.Præsentiam ipsam non posse speciem sui producere, non est impedimentum, ad hoc, vt illam producat sensibile proprium, quia, vt dicebam conclusione 8. concursus sensibilis communis non requiritur ad concursum sensibilis proprij,sed requiritur præsentia sensibilis proprij, vt applicet virtutem actiuam passo, & illam constituat in actu primo ad operandum, tanquã conditio requisita ; sed præsentia definitiua applicat virtutem actiuam,ad operandum, & illam constituit in eodem spatio,in quo præsentia circunscriptiua constitueret eãdem: ergo obiectum definitiuè præsens poterit sui speciem producere. Minor probatur : obiectum definitiuè præsens in palmo spatij v.g. habet omnes partes correspondentes eisdem partibus spatij,ac correspõderent si in eodem palmo spatij esset circunscriptiuè,quia,cùm quælibet pars obiecti correspondeat omnibus partibus spatij, correspondet parti illi,cui correspõderet, si esset circumscriptiuè præsens,& insuper aliis partibus : ergo habet eamdem applicationem,quam haberet circunscriptiuè respectu illius spatij,quod occuparet. Quod autem habeat alias respectũ aliarum partium spatij, non est impedimentum, ad agendum,quia, si corpus ex vi huius præsentiæ est applicatum huic passo, quod ex vi aliùs præsentiæ sit applicatum alij passo distanti, non impedit operationem, quia ad agendum in hoc passum non supponitur negatio applicationis ad aliud, sed positiua applicatio ad hoc. In hac sententia dicendum est cum Nominalibus suprà citatis,Christum in Eucharistia secundùm naturæ leges posse videri : impediri tamen illius visionem ob meritum fidei.

34 Vndecima Conclvsio. Indiuisibile quantitatiuum separatum non posset naturaliter videri,secus supernaturaliter.Prior pars probatur : obiectum exiguum vix potest sensu percipi,vt patet in grano tritici,quod non potest videri,nisi in minima distantia, & alia sunt adeò exigua vt penitus non percipiantur, vt patet in puluere per aërem sparso,qui non videtur,nisi nimiâ illius quantitas luce diffundatur : ergo indiuisibile,quod multo minus est, videri non poterit.Ratio huius conclusionis est,quia species producta ab obiecto indiuisibili, vel nimis paruo non potest ita pulsare animum, vt illum ab aliis operationibus reuocet,& ad visionem eliciendam indiuisibilis obiecti trahat. Posterior pars conclusionis probatur. Potest Deus cum animo, seu potentia concurrere ad visionem talis obiecti, etiamsi potentia in actu primo non sit naturaliter ad illum excitata per speciem impressam,quia talis visio vtpote obiecti visibilis non repugnat.

35 Dvodecima Conclvsio. Sensibile commune,v.g. præsentia, non est vna numero entitas duobus sensibus percepta, quia, licet visus, & auditus percipiant præsentiam : visus percipit præsentiam coloris,& auditus præsentiam soni, quæ præsentiæ realiter distinguuntur : dicuntur autem sensibile commune, quia vtraque præsentia eodem nomine gaudet.

36 Decima tertia Conclvsio.Præsentia coloris sentitur mediis speciebus,& præsentia soni immediatè,nullis speciebus productis.Probatur conclusio:præsentia,& qualitas cuius est præsentia,eamdem approximationem,& distantiam habent cum potentia : ergo præsentia qualitatis exigentis species ratione distantiæ,eisdem indigebit propter eamdem rationem, & præsentia qualitatis, quæ his non eget ratione approximationis,illis non indigebit : sed color eget speciebus,vt probaui : ergo & præsentia coloris, sonique præsentia sine illis sentitur, siquidem sonus mediis speciebus non sentitur.

Pvnctvm II.

De speciebus sensus communis.

1 Prima Conclvsio. Sensus internus non indiget speciebus,ad percipiendas sensationes externorum, sed immediatè simul cum sensationibus externis potest sensationem internam elicere.Probo hanc conclusionẽ ex sufficienti applicatione quam habent sensationes externæ ad immediatè producẽdas sensiationes;quã sic ostendo. In homine sẽsatio externa est intimè præsẽs animæ indiuisibili,

& eademmet anima indiuisibilis secundum eãdem animæ entitatem est sufficienter applicata, ad producendam sensationem internam in cerebro: ergo sensatio externa, etiãsi existat in pede ratione animæ, est sufficienter approximata ad producendam sensationem internam procedentem ab illa, tanquam à principio immediato, inadæquato applicato ratione aliùs comprincipij inadæquati, scilicet, animæ. In reliquis viuentibus eamdem applicationem ostendere secundùm mea principia haud difficilius erit. Anima diuisibilis secundùm se totam, & secundùm omnes sui partes concurit ad sensationem factam in qualibet parte corporis. Exempli gratiâ, anima diuisibilis equi secundum partem pedis concurit ad sensationem internam factam in cerebro, vt probaui Controu.3. punct.1. ergo sensatio facta in pede, intimè præsens parti animæ existenti in pede, & immediatè concurrenti ad sensationem internam cerebri eamdem applicationem habebit ad eundem effectum, ac habet prædicta pars animæ, cui est intimè præsens, & ratione aliarum partium animæ, quæ cerebro proximiores sunt, cum quibus concurrit per actionem, procedentem ab omnibus tanquam ab vno adæquato principio, sufficientem applicationem habebit ad talem sensationem immediatè producendam. Rem confirmo, & explico: tota anima diuisibilis equi est sufficienter applicata ad immediarè producendam sensationem internam: ergo quælibet sensatio ex eo præcisè, quod esset immediata animæ, etiamsi penetrata alicui parti illius non esset, sicuti est de facto, esset sufficienter applicata ad eamdem sensationem immediatè producendam. Consequentia est legitima iuxta principia tradita lib.7.physic.vbi cum communi sententia probaui: principium inadæquatum, passo applicatum medio alio comprincipio inadæquato posse immediatè in passum influere. Statutâ sufficienti applicatione sensationis externæ, ad internam producendam, eadem ratio, qua probatur, sensus externos assignatos punct. 1.§.2.speciebus non indigere, manifestè conuincit, sensum internum posse sine illis sensationes externas percipere. Deinde ex eadem applicatione inferunt multi, quos dabo punct. sequenti, intellectum speciebus non indigere, ad percipiendum sensationes externas: ergo eodem modo debet inferri de sensu interno respectu sensationum externarum posita eadem applicatione, quæ indiuisibilis est. Quapropter non nimis consequenter loquutos esse recentiores, negantes species intellectui ad sensationes externas intellectui, qui illas concedunt sensui interno hominis ad externas sensationes percipiendas, non temerè iudico.

2 Secvnda Conclvsio. Sensatio interna producit speciem sui, qua sensus internus illam absentem recordatur. Hæc conclusio ex memoria brutorum necessariò infertur. Experimur enim animalia meminisse suarum sensationum: ergo sensationes, quarum datur memoria, aliquod semen reliquerunt, vt sensus internus illas non existentes recordetur, aliàs ex nullo principio posset internus illas sensatione reflexa percipere.

3 Tertia conclvsio. Sensatio interna, dum actu existit potest sentiri alia sensatione interna reflexa, procedente immediatè ab illa, & non ab speciebus. Probo hanc conclusionem: Sensatio externa virtutem habet, ad producendam immediatè sensationem internam sui: ergo sensatio interna similem virtutem habebit, vt immediatè sui sensationem producat. Dices disparem esse rationem, quia sensatio externa non producit species, & ita necessum est, per se, & immediatè concurrere ad sui sensationem; sensatio autem interna sui species impressas producit, & ita necessum non est, immediatè concurrere, sicuti color, qui mediis speciebus sensationem producit, non immediatè sensationem producere valet. Disparitatem hanc nullam esse ostendam, cum fundamentum huius conclusionis aperuerim, ostendam enim diuersam sensationem reflexam produci ab speciebus ab illa, quæ ab ipsa sensatione producitur, quod iam præsto, & conclusionem confirmo. Sensus internus diuerso modo sentit per sensationem reflexam sensationem actu existentem, & iam præteritam, quia in homine per sensationem reflexam de sensatione iam præterita fundamentum habet intellectus ad iudicandum, sensationem extitisse, & per sensationem reflexam de sensatione præsenti fundamentum habet, ad iudicandum, sensationem existere: ergo sensatio reflexa de sensatione interna præsenti, & de eadem iam præterita distinguuntur: ergo habent diuersa principia: ergo sensatio externa de sensatione præsenti procedit ab ipsa sensatione, & de sensatione præterita ab speciebus, quas ipsa reliquit, vt in illius absentia munus obiret, quo antea sensatio externa immediatè fungebatur, nulla enim alia diuersa principia horum sensationum reperiri possunt.

Obiicies: Species impressa producta à phantasmate virtutem habet producendi phantasma reflexum, quo illud, à quo processit, repræsentetur, vt præteritum, vel tali modo, vt fundamentum tribuat intellectui, vt iudicet: illud phantasma repræsentatum per aliud reflexum, præteritum esse, sed in primo instanti, in quo phantasma, producit hanc speciem impressam sui: ergo in primo instanti, in quo existit, repræsentabitur vt præteritum modo iuprà explicato. Antecedens est certum, quia phantasma, sui species necessariò producit, & agens necessarium in primo instanti, in quo omnia requisita habet ad operandum, necessariò operatur, neque vlla potest excogitari ratio, propter quam phantasma non producat speciem sui in primo instanti, in quo existit, illam in aliquo productum. Consequentia probatur, quia species eandem virtutem habet, præsente phantasmate, à quo fuit producta, & eadẽ absente, & in primo instanti, in quo producitur, & in viceribus: ergo si in aliis, absẽte phãtasmate, potest producere speciem expressam reflexam illius, eamdẽ poterit in primo instanti, quo producitur, præsenti phantasmate producere: ergo illam necessariò producet, quia omne agens necessarium applicatum in primo instanti applicationis agit totum id, quod potest. Respondeo speciem impressam non esse agens ita necessarium, vt in omni instanti, in quo est, absque vlla contingentia operetur, vt in omnium sententia apertum est, sunt enim plurimæ species in intellectu, & in sensu interno, quæ per longa tempora dormitant & nullum habent suæ viriutis exercitium: ergo non in eodem instanti, in quo sunt operantur. Respondeo secundò, non eo ipso, quod intellectus haberet in sensu communi phantasma reflexum productum ab speciebus, si directum ibi permanebat, intellectum iudicaturum: illud phantasma reflexè sensatum formaliter fuisse præteritum, hoc est extitisse, & non existere, quia ipsius existentia, quæ cognitionem ipsius vt existentis produceret, intellectum ab hoc iudicio auerteret: quod si talis sensatio reflexa procedens ab speciebus, & non à phantasmate fundamentum præbeat, vt intellectus iudicet suum obiectum præfuisse in instanti antecedenti fundamentum ad iudicandum modò non existere, desumendum est ex negatione cognitionis immediatè excitatæ ab illo, & ex his duobus, videlicet, ex negatione huius cognitionis, & ex illa sensatione reflexâ procedente à phantasmate fundamentum desumit intellectus, ad iudicandum illud phantasma esse præteritum, hoc est extitisse, & non existere.

Difficilius est, rationem assignare, propter quam species hæ in primo instanti, quo producuntur, non possint aliquo modo excitari ad producendum phantasma reflexum, quo intellectus, etsi fundamentum non habeat, ad iudicandum: phantasma sensatum per aliquid reflexum præteritum esse, hoc est extitisse & non existere; tamen fundamentum habebit, ad iudicandum præfuisse in instanti antecedenti & ita intellectus nullum principium habebit, ad iudicandum, an phantasma, quod habet, illud habuerit in antecedenti. Responderi posset incompossibilia esse phantasma reflexum productum ab speciebus, quas illud producit, cum ipso phantasmate per reflexum sentiendo, & ita non posse hoc reflexum produci, donec aliud directum absit, reflexum necessariò species supponit tanquam à principio, à quo procedit, & hæ à phantasmate directo dependent in instanti quo primò producuntur, ac proinde si tale phantasma reflexum ab speciebus produceretur, directum supponeretur, vt principium remotum, & simul existerent, quod fieri nequit propter incompossibilitatem ipsorum.

Hæc phantasmatum incompossibilitas gratis conficta videtur. Cur enim phantasma directum compossibile cum alio reflexo procedẽti ab ipso incõpossibile erit cũ reflexo procedente ab speciebus; Deinde intellectus ex phantasmatibus principium habet, ad iudicandum, modò existere hoc phantasma, & extitisse in instanti præcedenti: ergo ex eo, quod existunt simul phantasma directum, excitans cognitionem suæ actualis existentiæ, & reflexum productum ab speciebus, excitans cognitionem sui obiecti, vt existentis tempore præcedenti.

Aliter

7 Aliter respondeo: species productas à phantasmate non posse aliud phantasma reflexum producere in primo instãti, in quo existit phantasma directum, quia illis non debetur concursus, neque potest naturaliter dari in illo primo instanti: sed tantùm in sequentibus: Desumenda est ratio ex ipsarum natura, sunt enim species commemoratiuæ obiecti præexistentis, & aliâ excitatione indigentes, vt operentur, quæ excitatio non illis debetur, quousque illorum obiectum præcesserit, & sit illo modo, quo ab ipsis virtualiter repræsentatur, videlicet cum aliqua duratione, iam præterita, quia licet producantur in primo instanti, in quo est illorum principium, & obiectum, non producũtur, vt illud repræsentent in illo primo instanti, sed in sequentibus, in quibus verum sit dicere præcessisse sensationem internam, cuius aliam reflexam producunt. Neque pro hac difficultate fugienda genus hoc specierum, quibus non debeatur concursus in primo instanti, in quo existunt, sed in aliis in quibus est obiectum repræsentandum, inuentum est. Communis enim Theologorum opinio species impressas constituit in Angelo à primo instanti suæ creationis obiectorum nondum existentium, quibus non debetur concursus donec illa obiecta actu sint existentia. Sic ego affirmo: species productas à phantasmate esse productiuas aliûs phãtasmatis reflexi, quo directum quasi præexistens repræsentatur, & ita affirmo, non illis deberi concursum, donec verum sit obiectum præextitisse.

8 Quarta Conclvsio. Sensatio externa nullam sui speciem producit in sensu externo, neque interno, vt ipsa præterita percipiatur: illam non producere in sensu externo, probatur: Quia nullus in his sensibus memoriã constituit; non in sensu interno, quia sensus internus ad memoriam sensationis externæ non indiget speciebus illius, sed speciebus sensationis internæ, qua ipsa fuit sensata, quibus producitur memoria sensationis internæ, & consequenter externæ, quæ se habet vt obiectum phantasmatis seu internæ sensationis. Neque opinio, quæ asserit, sensationes externas producere species sui in sensu externo, has debet ad memoriam in sensu interno relinquere, sed tantùm illas dependentes, in conseruari à sensatione externa constituere, vt, dum obiectum est præsens illius speciẽ expressam producant: alioqui species impressa relicta in sensu interno ab externa sensatione, eodem modo produceret speciem expressam sui obiecti, scilicet, sensationis externæ, siue hæc actu existeret, siue iam fuisset corrupta. Quia sensatio interna secundùm hanc sentẽtiam adæquatè ab speciebus impressis producitur: ergo, dum hæ eædem permanerent, eamdem sensationem internam circa sensationẽ externam producerẽt, siue sensatio interna existeret, siue non existeret, quia existentia obiecti, immediatè non influentis necessaria non est, cùm reliqua principia, quæ immediatè influunt in sensationem, existunt. Consequens illatum admitti nequit, quia, si internus sensus posset eodem modo percipere sensationem externam præsentem, & iam præteritam, bruta, quorum appetitus regitur, & agitur immediatè sensationibus, eodem modo mouerentur sensationẽ interna sensationis externæ præsentis, & iam præteritæ, & ita ouis eodem modo fugeret cùm recordaretur visionem externam lupi, & quando illam primo sensu interno cognouit, & canis eodem modo infectaretur leporem cùm sensationem externam illius meminisset & cùm illam primo sensu interno actu existentẽ attigit. Quia internæ sensationes in his animalibus in vtroque casu essent omnino einsdem rationis, quia ab eodẽ omnino principio actiuo, & passiuo cum eisdem circumstantiis, dispositionibus, & conditionibus processissent, præsentia enim, vel absentia obiecti nihil conducit ad actum intentionalẽ, quando obiectum immediatè, & per se non influit in actũ, sed tantùm ratione principij, & ita omnes qui asserũt, non posse dari visionem intuitiuam coloris non existentis, dicunt non posse dari speciem impressam eiusdem coloris non existentis, quia si semel concedatur species impressa coloris non existentis pupillæ applicata ad producendam visionem, negari non poterit: visionem ipsam possibilem esse: imò necessariò esse producendam, etiam absente obiecto, quia, posito actu primo adæquato principij necessariò operantis, naturaliter effectus impediri nequit.

9 Obiic. Sensus internus non solùm percipit sensationem internam, vt iam præteritam, sed etiam sensationem externam, & non solùm habet memoriam sensationis internæ, sed etiam externæ: ergo non solùm habet species impressas productas à sensatione interna, sed etiam ab externa sensatione. Adhibui hanc obiectionem ad explicandam illius doctrinam, non vt illius difficultati, quæ leuis momenti est, satisfacerem. Resp. sensum internum non percipere sensationẽ internam, neque externam, vt præteritam, neq; vt præsentẽ actu, quia sensatio interna, vel externa, vt præsens actu, & vt iam præterita inuoluit durationem, quàm sensu internus non potest percipere, quia non potest attingere correspondentiam ad tempus reale existens, vel possibile, quæ percipi non potest à potentia, quæ tempus ipsũ non percipiat, per quam duratio constituitur, quæ tantùm est obiectum intellectus cognoscentis hanc, & illam durationem, & inter vtramque discernentis. Ad illud, quod dicitur: sensum internum habere memoriam sensationis externæ respondeo: esse diuersos memoriæ actus circa hæc obiecta: circa sensationem internam sensus internus memoriam habet actu, quo illam attingit tanquam obiectum adæquatum, quãdo est absens, sicuti illam immediatè præsentẽ attingebat, diuersâ tamen sensatione ex parte actus, quia, quando sentit sensationẽ internam præsentem, illam attingit sensatione procedente à phantasmate, quod sentitur: Quando verò sensationem absentem alia interna sẽsatione cognoscit: sensatio hæc reflexa tãtùm procedit ab speciebus impressis à sensatione interna directè productã, & ita hæc sensatio reflexa de sensatione absente, & alia similiter reflexa de eadẽ interna sensatione, etsi habeant idẽmet obiectũ, quia duratio diuersa sui obiecti ipsis non attingitur, sunt valde diuersæ ex diuersitate principiorum, ex quorũ diuersitate fundamẽtum desumit intellectus, ad iudicandũ, obiectũ huius reflexæ sensationis adesse, vel abesse, & discernendi inter diuersas durationes eiusdẽ entitatis. Aliter se res habent in memoria sensationis externæ, seu in cognitione materiali sensationis externæ tam præteritæ, quæ tantùm immediatè per sensationem internam non reflexiuam supra aliam internam sensationem cognoscitur, quando est præsens, tunc enim immediatè attingitur per internã sensationẽ, dependentẽ in fieri, & conseruari ab externa; postea verò, quando iã præteriit nullũ semen sui relinquit, neq; vltra sensu interno cognoscitur, nisi actu tendente in sensationem internam qua priùs fuit cognita, qui actus interni sensus dicitur actus memoriæ sensationis externæ, quia tendens in sensationem internã, respicientem externam tanquã obiectũ, in ipsam externã sensationem tendere dicitur. Ex hoc diuerso modo tendẽdi in sensationem externam, quando adest, ac quãdo abest, fundamentũ desumit intellectus, ad cognoscendum sensationem externam adesse, vel abesse, præteritam esse, vel præsentem: Quando enim sensationem externam percipit cognitione excitata à phantasmate procedenti immediatè à sensatione externa, seu producta ab ipsa visione, cognoscit visionẽ ipsam actu esse præsentem; quando verò sensationem externam cognoscit cognitione excitata à phantasmate reflexo procedente ab speciebus, quas produxit phãtasma, productũ à sensatione externa, sensationem externã tempore antecedenti præcessisse, & ex hac cognitione, & negatione illius, cognoscit, sensationem externam esse præteritam, hoc est; extitisse antea, & modò non existere.

Obiic. Sensus internus non potest percipere durationem obiecti: ergo non potest sentire reflexè sensationem internam, vt præsentem, neque vt existentem, neque illam diuerso modo sentire præsentem, aut præteritam, neque inter has durationes eiusdem obiecti discernere. Antecedens probatur: duratio est extrinseca quædam denominatio desumpta à tẽpore reali possibili, quæ sine hoc percipi nequit, sed sensus internus non potest percipere tempus possibile, neque extrinsecam hanc denominationẽ: ergo neque durationem, neque inter durationem, & durationem discernere. Consequentia efficax est: quia sensatio præterita, & existens tantùm distinguitur penès diuersam durationem: ergo sensus internus, qui non valet percipere durationẽ, non valet percipere sensationẽ internã, vt præsentem, neque vt præteritam, neque inter sensationem vt præsentem, & vt præteritam discernere. Resp. Verũ esse sensum internum non percipere durationem sensationis, neque sensationem ipsam formaliter, vt præteritam, neq; vt præsentem, neque aliquid diuersum ex parte obiecti cognoscere, quando attingit sensationem ipsam præsentem, aut absentem: nihilominus ex parte actus seu ipsius sensationis diuerso modo attingere sensationem præsentem, & sensationem præteritam, quia, licèt siue præteritam siue

10

præsentem agnoscat attingit eamdemmet entitatem sensationis externæ tãtùm secundùm id quod dicit intrinsecè, tamen per actum diuersæ rationis illam attingæ, quãdo est absens, quod probant argumenta suprà facta, & in hoc sensu verum est, dicere, sensum internum attingere sensationem internam, vt præsentem, & vt absentem, hoc est, illam intensionem dum est præsens attingere actu quodam, qui ingerit cognitionem intellectui illius sensationis formaliter vt præsentis, & eamdem cognoscit vt absentem, hoc est, alio actu diuersæ rationis, qui in intellectu hominis producit speciem expressam sensationis, vt absentis formaliter: Quod in aliis animalibus per productionem intellectionum explicari non valet, in homine tamen rectè explicatur per diuersas cogitationes, quas hæc phantasmata reflexa, tendentia circa idem obiectum, & à diuersis principiis procedentia, excitant.

11 Nonnulli in sensu communi species, quas vocant insensatas, apponunt, quibus obiecta percipit, quæ per sensus externos percepta non fuere. Has ego omnino relego, & assero, in sensu communi nullam dari speciem non productam à sensationibus externis, quæ tantùm producunt speciem repræsentatiuam ipsarum, & obiectorum, quæ per ipsas sentiuntur. Ratio est, quia nulla est causa, à qua species hæ insensatæ produci possint. Nulla enim entitas producit speciem obiecti, in quod ipsa non feratur tanquam in obiectum: ergo sensationes externæ producere non poterunt speciem obiecti, in quod non feratur sensatio, quæ speciem producit, neque alia est causa, à qua possit internus sensus species alias accipere, nisi dicas, illi infundi species obiectorum, quæ sensus non percepêre; quod omni fundamento caret. Quomodo verò ouis cognoscat disconuenientiam cum lupo, & conuenienientiam cum cane, dixi Controu. 4. Punct. 2. n. 6.

12 Obiic. Sensus externus non percipit motum, & sensus internus percipit illum: ergo aliquid percipit sensus internus, quod non percipit externus: ergo dantur species insensatæ. Prior pars antecedentis probatur. Quia sensus externus tantùm percipit obiectum præsens: eo tempore, quo est præsens: ergo tantùm percipit præsentiam eo tempore, quo durat: ergo non percipit præsentiam, iam præteritam: ergo neque motum, quia motus dicit præsentiam præteritam, & præsentem. Posterior pars probatur: quia canis percipit fugam leporis, & eam insequitur: ergo percipit motum. Respõdeo: neque internum propriè percipere motum, quia motus non dicit præsentiam præteritam, & præsentẽ, sed negationem præsentiæ, quæ fuit, & præsentiam, quæ est: nullus autem sensus neque internus, neque externus percipit negationem. Dixi nullum sensum propriè percipere motum, quia sensus internus impropriè illum cognoscit, seu æquiualenter; non, quia attingat, neque impropriè negationem, quam includit motus, sed quia habet memoriam præsentiæ quæ præteriit, & simul cognitionem præsentiæ modò existentis, qui duo actus quasi æquiualent cognitioni motus, & per illos excitatur canis ad insectandum fugientem leporem, qui actus non reperiuntur in sensu externo, qui memoriam non habent, neque fiunt per species insensatas, sed per species obiecti, quod fuit sensatum sensu externo, & per species obiecti, quod modò eodem sensu externo percipitur.

PVNCTVM III.

De speciebus intellectus.

1 MVlti ex antiquis Theologis species intellectiuas omnino demunt asserentes, sat esse, esse phantasmata ad quascumque intellectiones cognoscendas. Ita Durand. Bachonus, Gotfredus apud Conimbr. lib. 3. de anima cap. 5. quæst. 3. art. 1. Consentit ex parte Gabriel in 2. distinct. 3. quæst. 2. affirmans non requiri speciem ad cognitiones intuitiuas; requiri tamen ad abstractiuas. Auctores suprà relatos nonnulli recentes sequuntur.

2 Communis opinio, quam tenet Angelicus Doctor 1. p. q. 55. art. 1. & alij quàm plurimi ex antiquioribus & recentioribus, quos recensere longum esset, species impressas in intellectu constituit, quæ ab intellectu agente, & à phantasmate vulgò produci dicuntur.

3 PRIMA CONCLVSIO. In anima dantur species impressæ pro memoriæ actibus. Rationem non inueni, quâ nimis efficaciter conclusionem hanc probarem; nonnullæ tamen sunt, quæ satis probabiliter illam suadent. Accedit his Doctorum auctoritas, præcipuè Augustini lib 11. de Trinitate c. 2. vbi non solùm docet, dari has species, sed asserit tardioris ingenij esse, de his dubitare. Quod si species aliquæ iuxta mentem Augustini, & communem sententiã D. Thomæ, aliorúmque scholasticorum in intellectu sunt admittendæ, has ad memoriæ actus esse designandas, censendum est.

4 Potissima ratio huius conclusionis desumenda est ex memoria actuum intellectus, & voluntatis, seu ex cognitione reflexa, quâ, postquam præterière, cognoscuntur, eius cognitionis nullum aliud potest esse principium præter speciem, relictam in intellectu ab actu, qui iam præteriit, & modo cognoscitur. Dices: principium comitans intellectum in horum actuum productione esse phantasma, quia adhuc illam hoc comitatur. Contrà tamen quia certum esse non potest memoriam horum actuum phantasma comitari. Deinde assignari nequit obiectum phantasmatis producemis hunc actum; hoc enim esse nequit obiectum intellectionis productæ, scilicet, intellectio, seu volitio præterita, quia intellectio & volitio, vtpote obiecta spiritualia non possunt materiali phantasmate attingi. Secundò anima separata habet memoriam horum actuum sine phantasmatibus: ergo illi actus dum fuerunt exerciti ab anima informante materiam, speciem produxêre, qui postea anima in statu separationis illorum recordatur: ergo illæ species, quæ ante separationem existebant cum eadem virtute, eodem modo producebant actum memoriæ, seu cognitionem actus intellectus, vel voluntatis iam præteritæ: ergo dantur species in intellectu, & de facto illis cognoscit actus proprios, actúsque voluntatis iam præteritos, & his mediis obiecta, quæ priùs cognouerat, respectu quorum cognitio reflexiua memoria dicitur.

5 SECVNDA CONCLVSIO. Species impressæ horum actuum non producuntur ab intellectu, sed à suis obiectis tanquam à principiis adæquatis. Ratio est manifesta: obiecta illa spiritualia sunt: ergo, vt speciem spiritualem producant, non indigent alio comprincipio spiritualiter: ergo immediatè tanquam principia adæquata possunt species impressas ipsorum repræsentatiuas producere. Sicuti omnia alia obiecta eiusdem rationis secundùm materialitatem, vel spiritualitatem cum specie producenda illam producunt: v. g. color, & omnia obiecta sensuum externorum, & interni, quæ species producunt, & sicuti phantasma in sensu interno speciem impressam relinquit ab ipso phantasmate tanquam à principio adæquato productam sine consortio sensus interni.

6 TERITA CONCLVSIO. Phantasma immediatè concurrit ad cognitionem sui, & obiecti sensati per illud sine vlla specie intermedia. Probanda est hæc conclusio eiusdẽ omnino rationibus, quibus probaui puncto præcedenti, sensationem externam concurrere ad sensationem internam. Illas iterum repetere non placet, quia mutatâ materiâ eodem omnino modo procedunt.

7 QVARTA CONCLVSIO. Phantasma nullam producit speciem impressam in intellectu ad sui memoriam. Probo hanc conclusionem ex dictis Punct. præcedenti de sensu interno, & ex doctrina ibi tradita. Sensatio externa non producit speciem sui in sensu interno, vt hic illius recordetur: ergo sensatio interna non illam producet in intellectu, vt eius sensationis internæ intellectus memoriam habeat. Consequentiam probo, & rationem à priori desumo eidem paritati innitens. Sensus internus sufficienter recordatur sensationis externæ per species relictas à sensationibus internis, quibus producit sensationes reflexas circa sensationes proprias internas, quæ ab externis processerunt & illas tanquam obiecta inspexêre, & per has internas sensationes reflexas immediatè versantes circa alias internas externas memoria habet: ergo eodem modo intellectus per cognitionem reflexam cognitionis præteritæ recordabitur sensationis externæ, & aliorum obiectorum, quæ respiciebat cognitio directa, quæ modò reflexè cognoscitur. Et in hoc sensu verum est dicere animam habere speciem impressam obiectorum omnium, quæ aliquando cognoscit, quia habet speciem actuum, quibus illa cognouit, quæ producunt cognitionem non solùm aliarum cognitionum, à quibus fuerunt productæ, sed etiam obiectorum,

obiectorũ,quæ his cognitionibus reflexis cognoscebãtur.

8 Obiic. Sæpe quis recordatur obiectorum, quæ cognoscit,& non recordatur cognouisse illa obiecta:ergo habet species impressas repræsentatiuas obiectorum, quæ repræsentatiuæ non sint cognitionum. Huic argumento in omnium sententia respondendum est; communis enim sententia quæ in anima constituit species productas à phantasmate, non illas constituere debet ad actum memoriæ; sed ad perceptionem phantasmatis, actu existentis, quæ species transeunt amoto phantasmate,à quo in conseruari dependent,sicuti qui species productas à sensationibus externis in sensu adtruunt, non illas ad memoriam harum sensationum; sed vt percipiantur, dum sunt actu præsentia,constituunt,omnésque memoriam cuiuscunque potentiæ constituunt in speciebus productis ab actibus eiusdem potentiæ. Sed esto, producerentur species à phantasmatibus,deseruientes actibus memoriæ intellectiuæ, adhuc staret argumentum: sæpe quis recordatur obiectum perceptum sensatione externâ,& intellectione, quin recordetur cognitionis,aut phantasmatis:ergo habet species illius obiecti distinctas ab speciebus cognitionis,& phantasmatis,quibus illud primò percepit.

9 Respondeo cognitionem memoratiuam simul ferri in obiectum prius cognitum, & in cognitionem præteritam; expressiùs tamen in obiectum cognitum, quia cognitio præterita non fuit sensata sensibus externis, neque interno, & semper obscurius, & confusius cognoscimus illa, quæ priùs sensata non fuêre,& quo pluribus sensibus fuêre sensata,& faciliùs nos obiecta cognoscimus.

10 Placet solutionem aliam adducere in re occulta nimis, in qua vix aliquid ex principiis certis dici potest. Assero numquâ cognosci obiecta per species memoratiuas, quin aliquo modo cognoscantur actus, quibus fuerunt cognita; nihilominus, intellectum discernere inter obiecta externa cognita; & non inter ipsos actus, quia species expressa, quâ interni actus,& externa obiecta cognoscuntur, non tantùm procedit ab specie impressa propria illius actus,sed ab aliis speciebus,quibus vtitur intellectus, ad hæc obiecta cognoscenda non solùm per species proprias, sed etiam per alienas, quæ omnes simul producunt speciem expressam, quâ viuaciùs cognoscitur obiectum externum, quàm internum; quia, etsi propria species impressa expressiorem cognitionem produceret circa actum internum,à quo fuit producta,quàm circa illius obiectum, si ipsa nullo adiuta comprincipio expressam produceret, ratione aliarum specierum, quæ se habent per modum vnius principij cum illa,simúlque sumptæ per modum vnius principij alienæ sunt respectu cuiusuis actus interni, & externi obiecti, & quia illarum quælibet in expressionem diuersi obiecti producendam sunt destinatæ, potest species expressa produci, quæ viuacius obiectum externum cuius non sunt immediatè species in intellectu,quàm internum,quod speciem propriam in intellectu genuit,repræsentet. Quod si actus memoriæ fieret per speciem propriam vnius simplicis actus interni, non ita contingeret; sed semper expressiùs internus actus tenens se, vt obiectum cognitionis reflexæ viuaciùs, quàm aliud obiectum externum perciperetur.

11 Hanc ego rationem reddam, propter quam aliquando quis ita cognoscit obiectum, quod actu sensu externo, & interno percipit,tali modo,vt intellectus possit, circa obiectum externum discernere;& non circa sensationes,mediis quibus cognoscitur. In quo casu dicendum, existimo: cognitionem illius obiecti non dependere tantùm à sensationibus illius; sed ab aliis speciebus, seu ab aliis phantasmatibus,quibus intellectus tanquam vno principio vtitur ad illud obiectum cognoscendum.

12 Quinta Conclvsio. Intellectio dum actu existit, potest immediatè concurrere ad intellectionem reflexam de illa producendam,diuersæ rationis ab illa,quam absens mediis speciebus produceret.Idem dico de volutione,quæ dum actu existit,per se ipsam potest concurrere ad sui cognitionem,& dum abest,mediis speciebus. Hæc conclusio probatur à paritate phantasmatis, de quo doctrinam hanc tradidi Punct. præcedenti, quæ eisdem rationibus hic stabilienda est. Fauent huic conclusioni,quatenus de actibus voluntatis procedit Molina 1. part.q.57. artic.4. Bañez 1.p. q.87. artic.3. asserentes actus voluntatis cognosci per se ipsos intellectui præsentes,aut certè per speciem impressam,ab ipsis in intellectu productam.

Sexta Conclvsio. Anima, illius potentiæ(si dentur superadditæ) habitus,& species impressæ, aliáque similia accidentia cognoscuntur tantùm per species alienas, & à posteriori per effectus. Ita Toletus lib.3. de anima, q.11. Rub.lib.3.de anima tractat.de intellectu possibili q.6.& 7. Conimbr.lib.3.de anima c.8 q.5.artic.2.& alij plurimi apud hos. Probatur hæc conclusio. Quia nullus ex alio capite probat se habere has potentias,nisi ex effectibus,ex quibus illas infert,neque vllus audebit,dicere:se experiri, habere potentiam intellectiuam, speciem impressam alicuius obiecti,aut animam,neque de his meminisset, si illorum effectus non fuisset expertus:ergo tantùm cognoscit hæc obiecta à posteriori per effectus,& per alienas species. 13

Obiic.Hæc obiecta sunt intimè animæ præsentia: ergo per se ipsa producunt cognitionem sui. Probatur consequentia iuxta nostra principia, quibus ex hac immediata applicatione intulimus: plura obiecta sensationes, & cognitiones immediatè producere. Respondeo consequentiam esse malam, & consequens falsum, neque ex nostris principiis posse deduci. Ego enim tantùm intuli obiecti ad potentiam immediatum concursum in his obiectis, quorum concursus actiuus in actum vitalem immediatè ab illis, vel mediis speciebus necessariò concedendus est, & argumento desumpto ex applicatione obiecti ad potentiam vsus sum ad species impressas auferendas; non ad concursum obiecti in suam cognitionem, vel sensationem probandum, quod si ex alio capite constabat specierum ablatio, illum concursum esse immediatum inferebam, quod ego tantùm prædicto argumento contendo. Quapropter, cùm ex nullo capite nobis constet virtus actiua horum obiectorum ad producendam cognitionem immediatè, vel mediis speciebus; imò argumentis probetur, talem virtutem non inesse his obiectis, applicatio immediata nihil concludit, ad probandum hæc obiecta immediatè concurrere. Instabis alio modo: Anima,intellectus habitus, & huiusmodi obiecta percipiuntur per species alienas; & non proprias: ergo idem dici poterit de actibus intellectus, & voluntatis, aliquando à posteriori cognosci ex effectibus, & per alienas species cognitione productâ à phantasmatibus aliorum obiectorum,& specierum diuersorum actuum, existentium in intellectu; sæpe tamen per species proprias cognoscuntur, quia experimur nos cognoscere actus intellectus, & voluntatis, qui nullum habent effectum, simplex enim affectus complacentiæ, sæpe nullum effectum habet, adhuc per accidens, neque per se tendit in productionem illius, & cogitatio speculatiua de aliquo obiecto per se cum nullo effectu coniungitur, & tamen experimur huiusmodi actus: ergo virtutem habent producendi cognitionem sui independenter ab effectibus, & ab speciebus aliorum obiectorum. Denique, si aliquæ species memoriæ deseruientes in animo ponendæ sunt, debent esse productæ ab his actibus: ergo debent esse repræsentatiuæ illorum. Consequentia patet: quia omnis species est repræsentatiua obiecti, à quo producitur. Antecedens probo; quia reliqua obiecta tantùm possent producere species medio phantasmate; hoc autem non producit species in intellectu,& si illas produceret, non illas ad memoriam, sed ad cognitionem actualem ipsiusmet existentis dependentes in conseruari ab obiecto,produceret,sicuti sensatio externa species impressas producit in sensu interno iuxta sententiam, quæ sensationem internam per species missas ab externa effici censet. 14

Punctvm IV.

Quod sit munus speciei impressæ.

Affirmant nonnulli: speciem impressam esse eiusdem rationis,& speciei atomæ cum obiecto, ex quo inferunt speciem impressam deseruire ad cognitionem tanquam idolum,seu imaginem priùs cognitam,quæ per similitudinem sui ducit in cognitionem obiecti.Addúntque ex obiecto cognito, & cognoscente fieri vnum per se magis propriè quàm ex materia & forma. 1

Primam partem huius conclusionis in bonum sensum explicatam Perspectiui nonnulli defendunt, qui asserunt vnum colorem esse productiuum alterius; & posse sentiri 2

medio

medio colore producto, qui immediatè potentiam attingat,& gerat vices speciei impressæ,respectu coloris,à quo producitur & hac ratione rectè componitur species esse eiusdem rationis cum obiecto.Doctrinam hanc impugnaui satis hîc Punct.1.§. 1. vbi probaui coloré videri mediis speciebus in aere productis in quo non producitur color, ex quo infertur colorem, non medio colore videri,neque colorem productum gerere vices speciei impressæ respectu coloris producentis. Quod si hæc doctrina sustineretur, adhuc vniuersaliter sustineri non posset species esse eiusdem rationis cum obiecto, sed tantùm in prædicto casu. Alij absolutè, vt sonat, defendunt species omnes in quacunque potentia existentes, esse eiusdem rationis cum obiecto,quod falsum esse lumine naturæ notum est; si enim brutorum species eiusdem essent rationis cum ipsis, intellectus humanus,in quo sunt plurium brutorum species pergrande quoddam esset stabulum, coniungens gryphes equis, & pardis leones. Profectò nescio quid aduersarij apprehendant,dum hæc defendere, præsumunt.

3 Secunda pars falsitatis etiam conuincitur. Quia nos non experimur, cognoscere tale idolum, sicut experimur cognoscere obiectum externum: ergo non cognoscitur:aliàs eodem modo experiremur, illud cognosci, sicut experimur, externum obiectum cognosci. Deinde, quia, cùm falsum sit tale idolum posse esse eiusdem rationis,& speciei cum obiecto, implicat, tale idolum priùs cognitum ducere in cognitionem obiecti modo, quo hi auctores fieri affirmant.Tandem impugnatur hæc sententia, quia impertinens est tale idolum. Sicut enim hi auctores fingunt cognitionem terminatam immediatè ad idolum, & mediatè ad obiectum, cur non illam constituent immediatè ad obiectum terminatam?

4 Vltimum, quod ex Auctoribus retuli, non possunt ipsi sine maxima ipsorum iniuria proferre, Quia, si ex cognoscente & obiecto fit vnum per se,magis quàm ex materia, & forma,infertur ex quocumque obiecto,ab illis cognito, & ex ipsis fieri vnum per se magis quàm ex materia,& forma,Nouerint autem plura obiecta,quorum vnio nihil illis proficua sit.

5 Alij affirmant: speciem impressam esse formalem similitudinem, & imaginem, non quæ priùs cognita ducat in cognitionem obiecti, sed per se ipsam formaliter repræsentet obiectum, & constituat potentiam. Hæc sententia similiter impugnatur. Quia hoc munus repræsentandi formaliter, & constituendi potentiam cognoscentem,est speciei expressæ, quæ necessaria non esset, si species impressa illud obiret. Deinde impugnatur: species impressa producitur in subiecto,non cognoscente. Species enim albi producitur in aëre,in quo non potest, produci imago, seu expressio formalis coloris; sed species expressa non potest produci in hoc subiecto: ergo species expressa, & impressa distinguuntur.

6 Dicendum est cum communi sententia, quam defendunt D. Thomas 1.p.quæst.56.art.1.Scot.in 1.distinctione 3. quæst.7. Capr.in 1. distinctione 33. quæstione 1. art.1. Rub. lib.2. de anima, tract.de speciebus, q.2. Hurtadus disp.12. sectione 4. Arriag.disp.4. sect.8. speciem impressam concurrere actiuè ad sensationem, & intellectionem per modum principij complentis potentiam ad suas operationes. Hanc conclusionem probo. Species impressa concurrit ad expressam, & ad ipsam requiritur, vt probat experientia: non potest autem concurrere in alio genere,nisi in genere causæ efficientis, quia ingenere causæ materialis, neque formalis conducere non potest: non in genere causæ materialis, quia potentia ex se est capax recipiendi suos actus,deinde quia minor virtus requiritur ad recipiendum effectum, quàm ad producendum: ergo potentia potiùs indigebit comprincipio ad producendum actiuè suas operationes,quàm ad illas passiuè recipiendas. Neque conducere potest in genere causæ formalis. Quia, cum species impressa non sit formalis imago obiecti, non potest formaliter illuminare subiectum ad suas operationes, sicut intellectio illuminat formaliter voluntatem ad amorem, neque modus alius apparet, concurrendi in genere causæ formalis.

7 Dices: concurrere formaliter eo modo, quo concurrit habitus requisitus ad actum, inclinando potentiam absque vllo influxu. Difficile est mihi habitus acquisitos concedere distinctos ab speciebus, & cognitione, quia difficillimè illorum influxus explicantur, & ostendam, non nisi actiuum futurum, si tales darentur habitus.Sed esto, possent dari in voluntate illâ inclinantes sine aliquo concursu, hoc fieret propter naturâ huius potentiæ liberæ, quæ potest allici ad exercitium suorum actuum concursu quasi morali,& non physico, in reliquis verò potentiis influxus concipi nequit.

Dices secundò,concurrere tanquam conditionē, determinantem potentiam ad hunc actū,potiùs quàm ad illum. 8
Contrà: Quia hæc determinatio conditionis non potest, esse in genere causæ formalis quia potentia informata eisdem speciebus modò producit hanc intellectionem,& postea illam: ergo hæc determinatio est per modum comprincipij,concurrentis cum potentia,quod dicitur, illam determinare ad hunc actū, non quia quotiescumque datur species impressa,necessariò detur expressa circa illud obiectum,sed, quia potentia intellectiua v.g. indifferens ex se, ad cognoscendum hoc, vel illud obiectum, & impotens aliquod cognoscere sine specie,eo ipso, quod cum hac specie tanquā cum comprincipio illam adiuuante operationem eliciat,debet illam elicere circa hoc obiectū.Quia intellectus non potest, simul cū specie impressa equi coniungi per modum vnius principij, ad producēdam speciem expressam leonis. Species enim impressa est determinata ad producendam speciem expressam sui obiecti, & quotiescumque potentia illâ vtitur,debet esse in ordine ad cognitionem sui obiecti.Et in hoc sensu vera est opinio, quæ docet:munus speciei impressæ esse determinare potentiam ad hunc actum potius producendum,quàm illum.

Contra præcedentem conclusionem nonnulla adducit Tolet.lib.2.de anima c.5. q.12. vbi concursum actiuum speciebus denegat, quæ facilè ex dictis solui possunt. Arguit primò ex immanentia visionis, quam non putat stare posse si species sit actiuum principium, quod solui, dum dixi actionem vitalem non debere esse immanentem respectu omnium principiorū, sed respectu animæ. Arguit secundò: sentire est opus animæ. Explicui sæpe non esse idem esse principium sensationis,& sentire,quia hoc importat principium immanens,& vitale. Arguit tertiò: si species actiuè concurreret, quotiescumque daretur species, daretur illius influxus.Resp.in multis speciebus ita cōtingere, non tamen in memoratiuis sensus interni,& intellectus, quæ si nō excitentur ab anima,nihil operantur. Quomodo autem excitētur,res est omnium difficillima, quam inueni in tota Philosophia. Ad quā soluendā;parum refert,species in hoc vel illo genere concurrere. Quapropter non est huius loci illam dirimere.Nonnihil dixi in præcedentibus. 9

Nota: species impressas non ita esse determinatas,ad producendas expressas obiectorum,vt aliquando nō possit intellectus, coniungere species proprias dictorū obiectorū.& per productionem quandā,quasi monstrosam producere adiutus illis speciebus impressis expressam abstractiuam aliūs tertij obiecti, cuius intellectus non habet species proprias.Quod contingit in cognitione substantiæ,& aliorum obiectorum,quæ non habent species proprias.Sed adhuc in his productionibus species impressæ, concurrentes cum illis ad productionem speciei expressæ obiecti nō habentis species proprias,possunt dici determinatæ ad productionem illius speciei expressæ,quia illa specierum collectio non potest aliam speciem expressam producere, nisi hanc abstractiuam huius obiecti:licet enim quælibet species per se fit determinata ad productionem speciei expressæ obiecti, cuius est propria; cùm tamen coniungitur cum aliis speciebus aliorum obiectorum, species illæ per accidens ex coniunctione ipsarum per modum vnius principij determinantur ad speciem expressam monstrosam obiecti, cuius propria non est vlla ex his speciebus. Hæc enim propositio est vniuersaliter vera: *Intellectus non potest eisdem indiuisibilibus speciebus impressis, quibus producit speciem expressam huius obiecti producere speciem expressam alius obiecti.* Et similiter hæc est vera propositio: *Ideo intellectus producit speciem expressam huius obiecti potiùs quàm illius, quia adiuuatur his speciebus,& non illis.* 10

Aliqui probant, speciem impressam concurrere actiuè, quia non possunt omnia prædicata speciei expressæ correspondere potentiæ. Hanc tamen rationem nullam esse constat ex dictis 2. Physic. Controu.9. punct.9. vbi hanc correspondentiam prædicatorum inutilem esse ad cognoscendam causam adæquatam effectus, & tantùm importare nugatoriam quamdam petitionem principij latè tradidi. 11

Inquires,

13 Inquires, an obiectum tantùm concurrat ad speciem expressam mediâ impressâ; an simul cum specie impressa immediatè ratione sui. Hanc difficultatem attingit Arriaga citatus suprà, cui negatiuè respondet cum communi sententia, quæ id non probat; sed supponit: tamen recentiores aliqui docuêre, obiectum, colorem scilicet, immediatè concurrere ad visionem simul cum specie impressa in medio productâ. Tota ratio huius sententiæ est, quia distantia obiecti non obstat: Sicut enim Sol simul cum calore immediatè producto, & per se ipsum producit ignê in subiecto distanti: sic color simul cum specie impressa producta in medio producet in potentia distanti expressam. Respondeo, verum esse obiectum sufficienter applicari media specie impressâ ad productionem expressæ, & ex hoc capite non repugnare, illam produci ab obiecto; repugnare tamen ex defectu virtutis in obiecto, quia nullum est fundamentum, vt dicamus hoc esse productiuum speciei expressæ per se, & immediatè; sine fundamento autem hoc contra communem sententiam concedere nefas est. Ad illud Solis producentis ignem in passo distanti. Respondeo, hoc concedi in hoc casu, & aliis similibus, quia fundamentum habemus ad hoc, vt talis virtus productiua tribuatur Soli, cùm calor in medio productus non possit esse virtus productiua ignis; in præsenti autem defendi, colorem producere speciem expressam, omni fundamento caret.

14 Inquires secundò, an species se teneat ex parte potentiæ, vel ex parte obiecti, tanquam vicaria illius. In hac quæstione nulla potest esse de re difficultas, cùm dixerimus speciem impressam simul cum potentia actiuè concurrere, & miti ab obiecto, quod est causa illius, mediâ quâ obiectum speciem expressam producat. Hæc de re, neque aliud potest inquiri sub illis terminis, *An species teneat se ex parte obiecti tanquam vicaria illius, vel ex parte potentiæ*. De modo loquendi neque multum disputandum est, neque potest à priori, vel à posteriori certa præscribi regula. Potest dici, speciem expressam se tenere ex parte potentiæ, quatenus cum illa concurrit per modum vnius adæquati principij & illam complet in ratione principij actiui, & potest etiam dici se tenere ex parte obiecti, quia obiectum media illa speciem expressam producit, & quia obiectum producendo speciem expressam in potentia hâc complet in ratione principij actiui. Non tamen propriè dici potest vicaria obiecti, quia vicarium est quod aliûs vices gerit, hoc est, quod præstat id, quod ab illo, cuius vicarium dicitur præstandum erat: cùm autem obiectum non esset producturum speciem expressam, impressa illam producens non propriè dicitur vicaria illius. Potest talis impropriè dici, quia præstat id quod obiectum per se præstaret si haberet virtutem, defectu cuius vtitur specie impressâ: obiecto enim incumbit, speciem expressam producere, quam cùm non possit immediatè efficere, eam mediâ impressâ producit.

Punctum V.

De distinctione, extensione, & intensione specierum.

1 Prima Conclvsio. Obiectum diuisibile secundum extensionem diuersas species producit, correspondentes diuersis partibus obiecti. Hæc conclusio probatur, quia pars *A*, verbi gratia, non producit speciem repræsentatiuam partis *B*, neque è contrà: ergo quælibet pars producit speciem distinctam ab specie aliûs partis. Secundò probatur: Quia, quando duo alba sunt diuisa, quodlibet producit suam speciem distinctam: ergo quâdo sunt vnita. Dices: quodlibet album producere speciem distinctam, quia sunt diuisa, vel non coniunguntur ad producendam speciem impressam; si autem coniunguntur, vtrumque producere speciem indiuisibilem distinctam ab illis, quas ipsa alba separata producerent. Contrà: ex hoc sequitur, totam speciem productam ab obiecto corrumpi, quando minima pars illius incipit apparere, vel latere, quod sine fundamento dicitur; imò contra rationem, cui magis consonum est, vt quælibet pars obiecti speciem repræsentatiuam sui producat, distinctam ab specie repræsentatiua alterius partis.

2 Secundò: Si esset eadem species impressa totius cæli, existens in aere existente prope fenestram, species illa produceret in interiori parte cubiculi speciem, qua posset videri tanta pars cæli, quanta videtur ex spatio fenestræ immediato, quia species impressa producta est eiusdem rationis cum producente. Quod non ita contingere monstrat experientia: ergo signum est in spatio immediato fenestræ esse plures species correspondentes pluribus cæli partibus, quarum aliquæ speciem aliam similem producunt in interiori parte cubiculi, aliis nihil in eadem producentibus.

3 Secvnda Conclvsio. Obiectum diuisibile secundùm intensionem producit speciem sui secundum omnes gradus intensionis, ita vt cuilibet gradui distincto distincta species correspondeat. Fundamentum huius conclusionis est idem ac præcedentis, ac proinde non in illo adhibendo, immorandum est.

4 Tertia conclvsio. Quodlibet obiectum indiuisibile, & quælibet pars obiecti diuisibilis quantumuis minima, etiam indiuisibilis secundùm extensionem & intensionem producit speciem sui diuisibil secundùm intensionem, ita vt idem indiuisibile obiectum intensiorem, & intensiorem speciem producat secundùm maiorem, vel minorem distantiam, vel virtutem actiuitatis. Hæc conclusio probatur: obiectum indiuisibiliter idem secundum intensionem & extensionem remissius, & intensius videtur secundùm maiorem, vel minorem applicationem: ergo producit species intensiores & remissiores.

5 Qvarta conclvsio. Subiectum diuisibile receptiuum harum specierum, aër v.g. receptiuus specierum coloris in qualibet parte sui recipit omnes species suprà dictas omnium graduum extensionis, & intensioni obiecti, & intensionem speciei respectu cuiuslibet partis indiuisibilis obiecti. Hæc conclusio probatur, quia, cùm quælibet pars aeris sit receptiua specierum, & obiectum possit illas producere, eas producit in qualibet parte, seu indiuisibili aeris contento intra sphæram actiuitatis illius. Deinde à posteriori eadem conclusio probatur; quia idem obiectum videtur secundùm se totum ex diuersis partibus spatij: ergo in qualibet illarum producit species repræsentatiuas omnium partium sui, siue sui totius.

6 Ex hac conclusione infertur, species receptas in subiecto materiali habere extensionem subiectiuam, quia sunt extensæ per omnes partes subiecti secundùm diuersas partes sui, hæ partes speciei in hac parte subiecti, & in illa aliæ partes speciei eiusdem rationis. Infertur secundò: in qualibet parte siue indiuisibili subiecti reperiri species indiuisibiles secundùm extensionem triplici modo, quorum duo impropriè dicuntur intensio, alter verò propriissimè. In primis in eodem indiuisibili subiecti reperiuntur species diuersarum partium extensarum obiecti, quæ species aliquo modo possunt dici intensionem constituere, quia sunt in eodem indiuisibili subiecti, impropriè tamen, quia sunt respectu diuersorum obiectorum. Dicentur tamen inextensæ obiectiuè, quia non sunt in subiecto extenso, & extensæ obiectiuè, quia repræsentant obiectum extensum. Reperiuntur etiam in eodem indiuisibili subiecti species omnium graduum intensionis, qui sunt in obiecto, quæ species adhuc non propriam intensionem constituunt, quia sunt respectu obiectorum diuersorum, licet constituentium vnum obiectum intensum, ob hanc rationem hæ species intensæ obiectiuè dicentur. Tertiò reperitur in quolibet indiuisibili subiecti species intensa respectu cuiuslibet gradus omnino indiuisibilis secundùm intensionem, & extensionem obiecti, quæ propriè dicitur intensio, quia est multitudo specierum seu partium speciei respectu subiecti, & obiecti indiuisibilis.

7 Infertur tertiò in quolibet indiuisibili aëris, vel pupillæ reperiri non solùm tot indiuisibilia speciei, quot sunt coloris & lucis secundùm extensionem, & intensionem in toto obiecto viso, sed etiam pro singulis indiuisibilibus obiecti multiplicari in pupilla multa indiuisibilia speciei, quibus idem obiectum intensè videtur, & eò plura, quò intensius & clarius videtur, in quo nullum inconueniens reperio, neque in opinione constituente continuum ex infinitis partibus, neque ex finitis indiuisibilibus, quia secundùm hanc, etsi specierum indiuisibilia maximopere numero vincant indiuisibilia obiecti, non tamen in infinitum multiplicantur, & secundùm illam admisso vno infinito partium, aliud, & aliud addi, non est inconueniens. In quolibet enim digito sunt infinitæ partes, & tamen manus constat quinque digitis, in quibus quinque partium infinitæ

nita continentur, & longè plura, cùm quælibet medietas cuiusvis digiti infinitas etiam partes contineat, imò quælibet pars proportionalis ex infinitis, quæ in digito reperiuntur, componatur.

8 Quinta conclvsio. Subiectum indiuisibile, v. g. intellectus recipiens species obiecti diuisibilis, recipit illas cum omni diuisibilitate suprà assignata, præter subiectiuam, quam non possunt species habere in subiecto indiuisibili. Si verò subiectum, & obiectum sint indiuisibilia, species tantùm possunt habere diuisibilitatem propriam intensionis, quia idem obiectum intensius, & intensius videatur.

9 Sexta Conclvsio. Id quod diximus de diuisibilitate speciei impressæ, eodem modo speciei expressæ applicandum & propter eadem rationes, quas repetere inutile esset.

10 Obiicies. Quilibet gradus coloris, productus in aëre, producitur indiuisibiliter ab omnibus partibus ignis, siue lucis: ergo idem dicendum est de gradibus, seu partibus specierum. Resp. concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia calor non est repræsentatiuus ignis, neque lucis, ac proinde potest idem indiuisibilis calor produci à diuersis partibus lucis, & coloris, species autem est repræsentatiua obiecti, ac proinde tantùm potest ab illo produci. Hic solet obiici, granum tritici separatum ab aliis non videri in aliqua distantia; videri tamen coniunctum cum aliis. Ex quo aliqui inferunt: omnia grana tritici ad inuicem iuuari ad productionem speciei. Hanc illationem malam esse, sic probo: obiecta diuersæ speciei, v. g. colores specie diuersi non iuuantur ad productionem propriæ speciei impressæ, vt patet, quando à longè videmus parietem album, non viso corpusculo aliùs coloris, cuius color, si iuuaretur parietis colore, ad speciem producendam, videretur, sicuti videtur color in pariete existens: & tamen si plura minima corpuscula conseruentur, etiam colore diuisa in magna distantia videbuntur, sub qua nullum eorum videretur, quin vnum aliud adiuuet, ad suam speciem producendam: ergo hoc quod, est videri plura corpuscula simul, quorum neutrum seorsim videri potest, non prouenit ex eo, quod adiuuentur inuicem, ad species producendas. Alio modo soluenda est difficultas, quam explicaui Controu. 4. punct. 11. num. 27. vbi de tactu disputabam.

Pvnctvm VI.

An sit possibilis species impressa Dei,

1 De specie impressa Dei disputant Theologi cum S. Thoma, 1. p. quæst. 11. apud quos non rei difficultate, sed auctoritate Doctorum prolixè certatur de possibilitate, & existentia speciei impressæ Dei. Quæ ad existentiam spectant ex principiis purè Theologicis definienda sunt. De his quæ ad possibilitatem attinent, breui calamo scribam.

2 Sentiunt Thomistæ negasse D. Thomam speciem impressam Dei, quam pugnacissimè ipsi relegant. Capreolus in 4. dist. 49. q. 5. art. 1. Caiet. 1. p. q. 12. art. 2. Ferrar. 3. contra Gentes, Nauarrete, Zumel, & Gonzalez. Ex externis, Henric. Durand. & Bassolis, quibus ex nostris accessit P. Arrubal disp 16. cap. 4. & 5.

3 Oppositam sententiam, videlicet speciem impressam Dei possibilem esse, tuentur ferè omnes nostri Doctores cum Scoto, & illius schola. Iti P. Molina q. 12. art. 2. P. Vasquez 1. p. disp. 38. c. 2. & disp. 39. & 43. P. Suarius in Metaph. disp 30. sect. 11. & lib. 2. de attribut. negat cap. 13. P. Valentia q. 12. punct. 2. P. Salas q. 3. tract. 2. disput. 5. sect. 2. P. Beccanus cap. 9. de visione concluſ. 2. P. Erice disput. 40. cap. 8 P. Hurtad. disp. 12. de anima, sect. 3. P. Arriaga disp. 2. section. 2. aliique ex externis Doctoribus, quos nostri referunt.

4 Ratione probo conclusionem traditam à nostris Doctoribus, quibus subscribo. Possibilis est expressa species Dei, vt ferè omnes Theologi fatentur, & vt Thomistas omnes comprehendam loco speciei expressæ, visionem claram Dei, quæ mea sententia idem est cum specie expressa, in antecedenti pronuntio, & sic argumentor. Possibilis est visio clara Dei: ergo possibilis est species impressa illius: antecedens nullus Catholicus negat. Consequentiam probo: non est maior proportio inter speciem impressam Dei, & Deum, quàm inter expressam, seu visionem claram Dei, & ipsum Deum: ergo sicuti non repugnat creatura, quæ habeat proportionem sufficientem vt sit species expressa, seu visio clara Dei, ita non repugnabit creatura, quæ habeat proportionē sufficientem, vt sit species impressa Dei. Antecedens probo: Species expressa, seu visio clara Dei illum immediatè in se attingit, vt obiectum visum; species autem impressa, media expressa tantùm, quatenus huius est productiua, Deum attingit: ergo immediatiùs species expressa, seu, visio Dei respicit Deum, quàm species impressa: ergo maiorem, vel saltem æqualem proportionem debet habere species expressa, seu visio Dei cum ipso Deo, quàm species impressa. Ex eisdem principiis aliud argumentum efformo. Possibilis est visio beata Dei producta ab intellectu creato, eleuato supernaturaliter à Deo: ergo poterit intellectus eleuari media qualitate supernaturali, quæ simul cum intellectu beati visionem producat, quam speciem impressam nostri Doctores iure appellant. Intellectum media qualitate eleuari, non repugnare, constabit ex solutionibus argumentorum, quæ contra illam fieri possunt. Adducam fundamentum Thomistarum, quibus speciem impressam Dei relegare contendunt, ex quorum solutionibus clariùs constabit veritas sententiæ, quam defendendam suscepi.

Primò obiiciunt Thomistæ: Per speciem impressam inferioris ordinis non potest cognosci obiectum: sed quælibet species impressa creata est inferioris ordinis cum Deo: ergo per illam non potest cognosci Deus: totas consumunt vires Thomistæ, in minori probanda. Sic illam probant: Vt intellectus rem cognoscat debet fieri ipsum obiectum per speciē impressam; sed non potest fieri ipsum obiectum per speciem inferioris ordinis: ergo species impressa non potest esse inferioris ordinis cum obiecto. 5

Mille modis potest hoc argumentum in Thomistas retorqueri: tantum in ipsos species impressas Angelorum modò adduco Angelus habet speciem impressam, vt ipsi fatentur, plurium substantiarum, alius Angeli, & sui ipsius sed species horum obiectorum sunt accidentia: ergo sunt inferioris ordinis cum illis: ergo defendere, nequeunt speciem impressam non posse esse inferioris ordinis cum obiecto. Quod adducunt in probationem huius antecedentis, scilicet, intellectum debere fieri ipsum obiectum intelligibile, forsan in aliquo sensu, quem Thomistæ hucvsque non explicarunt, verum est, vt sonat autem longè alienum est à veritate. Intellectus enim, vt Deum intelligat, non debet fieri obiectum intelligibile. Alias deberet fieri Deum, quod plusquam chimæricum est. Si verò sensus sit intellectum debere fieri obiectum virtualiter, & repræsentatiuè, hoc est, debere, in se habere virtualem repræsentationem obiecti potentem producere formalem repræsentationem illius, hoc admittam. Sed hac ratione poterit intellectus fieri obiectum per entitatem inferioris ordinis cum illo, quia non potest formaliter, & virtualiter repræsentari obiectum per entitatem inferioris ordinis cum ipso. 6

Obiic. secundò. Species impressa debet habere æqualem immaterialitatem cum obiecto; sed nulla entitas creata potest habere æqualem immaterialitatem cum Deo: ergo nulla entitas creata potest esse species impressa Dei. Maior probatur inductione factâ per omnes species impressas quorumcūque obiectorū: Minor ex se patet: Consequentia ex terminorum dispositione. Hoc argumentum magis directè procedet contra speciem expressam, quàm impressam, magis enim immediatè expressa, quàm impressa obiectum attingit, & ita cum illo propinquiorem vnionem habere debet. Et inductio, quæ fieri poterit de speciebus expressis, & de impressis, ad probandam hanc immaterialitatis affinitatem inter ipsam, & obiectum. Resp. speciem impressam obiecti spiritualis debere esse spiritualem, quæ eo ipso, quod spiritualis sit nihil materialitatis habebit, quatenus materiale idem est cum corporeo, quia omne ens spirituale est omnino expers corporeitatis. Et in hoc sensu potest dici omnis species æquè immaterialis cum obiecto. Si autem per immaterialitatem intelligant Thomistæ simplicitatem entis seu carentiam compositionis, & perfectionem entis vt videntur in obiectione supponere, falsum est, omnem speciem debere esse æquè immaterialem cum obiecto, quia potest esse species diuisibilis obiecti indiuisibilis, & species accidentalis obiecti 7

substantialis,

substantialis,& consequenter species creata & dependens obiecti increati,& species finita respiciens obiectum infinitum. Vt de specie expressa, seu de visione Dei tenentur omnes fateri.

8 Obiicies tertiò, Deus in sua entitate est incircumscriptus, & illimitatus:ergo non potest circunscribi specie impressa, aliàs posset comprehendi. Inferrent melius Thomistæ : ergo non potest circunscribi specie expressa. Resp. Deum esse incircunscriptum, & illimitatum, & ita non posse circunscribi specie impressa productiua expressæ comprehensiuæ Dei ; posse tamen cognosci media specie impressa productiua speciei expressæ claræ Dei, non comprehensiuæ. Quid addat species expressa, seu cognitio comprehensiua supra cognitionem claram, & intuitiuam obiecti,dixi Contr.6. Punct.5.

9 Obiicies 4. Species impressa producitur necessariò à suo obiecto:sed nulla creatura potest produci necessariò à Deo: ergo nulla creatura potest esse species impressa Dei.Maiorem probant Thomistæ inductione aliorum obiectorum, quæ producunt species sui non liberè,sed necessariò. Deinde ratione:species impressa est semen intentionale obiecti:ergo,etiamsi obiectum aliàs sit agens liberum procedet ab illo, non vt vult obiectum, sed vt est. Vrgent : species impressa procedit ab obiecto, vt cognoscibili,& emissiuo speciei impressæ ; sed obiectum est necessariò emissiuum specierum impressarum:ergo illas necessariò emittit : ergo si Deus speciem impressam sui produceret, illam produceret necessariò. Retorqueo argumentum in sententia, quæ negat speciem impressam Dei. Omne obiectum immediatè concurrens ad sui cognitionem,vel sensationem, concurrit necessariò ; sed Deus non potest concurrere necessariò ad sui cognitionem : ergo nullo modo. Forma arguendi est eadem,quam aduersarij in nos obseruant.Minor est eadem in vtraque argumentatione. Maior easdem habet probationes ex inductione aliorum obiectorũ,& ex ratione,quam aduersarij adducunt. Quia obiectum concurrit immediatè ad sui visionem,quatenus visibile,& productiuum visionis;sed necessariò est visibile,& productiuum visionis;ergo necessariò concurrit ad visionem.

10 Respondeo : non omnem speciem produci necessariò à suo obiecto,quia species impressæ, quas habent Angeli, producuntur liberè à Deo. Inductio,quæ fit,ad probãdum omnem speciem produci necessariò à suo obiecto probat omnem speciem impressam, productam à proprio obiecto creato, produci necessariò ab illo ; non verò idem esse dicendum de specie impressa, producta ab obiecto increato: Sicuti non ex eo quod omne obiectum creatum immediatè concurrens ad speciem expressam sui,concurrat necessariò, potest inferri Deum necessariò concursurum, si concurrat immediatè ad speciem expressam sui. Illa enim, quæ in creaturis necessariò contingunt, in Deo liberè fiunt propter infinitam perfectionem Dei. Ad illud, quod dicitur : speciem impressam esse semen obiecti,dicendum est: speciem impressam dici semen obiecti metaphoricè, & ita non in omnibus species impressa debet procedere ab obiecto eodem modo, quo procedit verum semen à viuenti, à quo deciditur.Et distinguendum est consequens illatum, scilicet,ergo procedet ab obiecto,non vt libero;sed vt est. Procedet ab obiecto eo ipso,quod sit,& non eo ipso quod velit illam producere,nego. Procedet ab obiecto, quando liberè ab illo procedit, repræsentans illud, vt in se est, & non, vt obiectum vult repræsentari, si velit repræsentari aliter,quàm est concedo consequentiam. Vltimum, quod in argumento adducitur egregiam continet æquiuocationem latentem in illa minori : *obiectum est necessariò emissiuum specierum* ; quam claritatis gratia, distinguo. Obiectum habet necessariò, & non liberè virtutem emissiuam specierum,concedo : obiectum habet virtutem emissiuam specierum, quæ operetur necessariò, nego : ergo species producuntur necessariò ab obiecto, nego consequentiam. Vide eamdem arguendi formam in quacumque alia creatura, Ignis v.g. procedit à Deo,quatenus Deus habet virtutem productiuam illius:sed Deus necessariò habet talem virtutem : ergo necessariò producit ignem. Pessima consequentia.

11 Obiicies. Munus speciei impressæ est, supplere absentiam obiecti, & vices illius ; sed Deus semper est intimè præsens:ergo potest dari species impressa,quæ suppleat vices illius. Prolixè multi hic disputant,An species impressa sit vicaria obiecti,& an suppleat vices illius: Quæ contentio est purè de nomine. Resp. munus speciei impressæ esse,cõcurrere ad expressam producendã, quotiescumque obiectum non concurrit, vel quia non habet virtutẽ concurrendi, vel quia absens est, vel quia liberè non vult immediatè concurrere, etiamsi virtutem habeat, & præsens sit,vel ex quocumque alio capite;& hac ratione potest species impressa concurrere ad speciem expressam Dei producendam quia Deus,etiamsi virtutem habeat concurrendi immediatè ad illam,& præsens sit pro sua libertate,non vult concurrere immediatè ad speciem expressam sui:sed media specie impressa.

12 Non multum ab hac ratione distat illa,quam P. Arrubal pro hac sententia adduxit, licet argumentum ab illo factum longè alia excedat specie,& modo proponendi.Paucis do argumentum Arrub. Deus immediatè, & per suam essentiam est obiectum visibile,& motiuum visionis : ergo non potest ad illam mouere medio alio:probat consequentiam. Nulla entitas habet media alia forma id, quo gaudet per suam entitatem : sed essentia diuina per suam entitatem est motiua visionis : ergo non potest habere hanc virtutem motiuam media alia entitate : ergo non potest mouere ad visionem media specie impressa. Resp. duo habere obiectum ; terminare visionem, & mouere ad illam, seu actiuè concurrere ad productionem ipsius. Primum semper conuenit diuinæ essentiæ per suam entitatem ; siue detur species impressa siue non, vt docet Arrub.& ego admitto. Secundum quod est mouere ad visionem, seu concurrere actiuè ad illam, potest considerari in actu primo, & in actu secundo:in actu primo conuenit Deo secundùm suam entitatem posse concurrere ad visionem, & similiter conuenit illi immediatè,quia potest, non solùm immediatè, sed mediatè concurrere ad visionem, & in hoc nulla est repugnantia. Sicuti non est in eo quod Deus sit productiuus immediatè caloris,& mediatè, quia per suam entitatem potest calorem producere,& medio igne. Si consideretur in actu secundo, hoc quod est Deum mouere ad visionem,non conuenit illi per suam entitatem,sed semper per actionem superadditam procedentem immediatè à Deo,si immediatè mouet ad visionem;& mediatè,si mouet ad illam media specie.Ad illud,quod addit Arrub. nullam entitatem habere per aliam superadditam,quod per se habet. Resp. Deum per suam entitatem tantùm habere,posse immediatè mouere ad visionem,& illam producere, quod non habet per speciem impressam, quia per hanc non potest immediatè visionem producere, neque immediatè ad illam mouere;sed tantùm mediatè. Et de facto mouere ad illam,ipsamque producere, non habet Deus neque per se ipsum, neque per speciem impressam, sed per actionem procedentem ab ipso, vel ab specie impressa. Ex qua doctrina rectè defenditur possibilitas speciei impressæ Dei, admisso illo principio, scilicet, nullam entitatem posse habere per aliquid superadditum id,quod per se habet.

CONTROVERSIA XIV.

De Habitibus.

HABITVS est quædam animi affectio illi inhærens, qua adiutus suas elicit operationes. Est enim illarum principium modo postea explicando. Quapropter, ad exactam potentiarum, actuumque naturam cognoscendam, habituum notitia perutilis est, & necessaria. Habitus est duplex, vnus supernaturalis, & infusus ; alius naturalis, & acquisitus. De vtriusque natura in hoc Puncto sermonem instituam.

PVNCTVM PRIMVM.

De habitibus infusis.

1 HAbitus supernaturalis est *qualitas quædam,à Deo infusa potentiæ, vt eam eleuet, ad actus altioris ordinis producendos,*

cendos, quos natura sua sine alio com principio attingere non potest. Dicitur *habitus à Deo infusus*, quia primò à Deo datur,& infunditur animæ sine aliquo illius influxu. Eleuare potentiam dicitur, quia illo instructa anima producit actum excellentioris naturæ, quem sine illo producere non potest. Voluntas enim naturalis potentia naturales tantùm actus ex se potest producere, instructa verò habitu charitatis infuso actum supernaturalem amoris Dei producit perfectiorem aliis actibus, quos sine habitu eadem anima producere valet, & simul perfectiorem ipsa anima secundùm prædicatum supernaturalitatis ex se perfectius prædicato naturalitatis.

2 Ex hoc infero: hos habitus esse simpliciter necessarios ad suos actus, quia sine illis non est potentia simpliciter adæquatè potens,seu in actu primo,ad actus producendos. Ex hoc capite sumitur prima differentia inter habitus infusos,& acquisitos. Quia infusi dantur,vt simpliciter anima fiat potens,elicere actus supernaturales,vt explicatum est, acquisiti verò dantur,vt anima,simpliciter potens operari sine illis,faciliùs cum illis operetur. Dico requiri habitus infusos ad actus supernaturales eliciendos, quod non ita intelligendum est,vt non possit supernaturaliter dari actus supernaturalis sine habitu. Potest enim Deus supplere concursum habitus supernaturalis, & per auxilium extrinsecum potentiam eleuare ad actum supernaturalem producendum,quia semper ille requiritur,vel aliquid,quod suppleat illius vices: quo modo habitus acquisiti non requiruntur,quia sine illis, & sine aliquo, quod illius vices suppleat,actus naturales optimè eliciuntur.

3 Habitus infusus est simplex qualitas deseruiens ad omnes actus, qui fiunt in quacumque materia ex proprio motiuo. Exempli gratia:habitus charitatis eleuat animã,vt possit Deũ amare, & propter ipsum,& vt possit,proximũ propter ipsum Deum amare:vt possit abstinere à cibo,& potu,aliisque quibuscumque corporis voluptatibus propter Deum, & vt possit ex eodem motiuo mortem subire. Qui omnes actus ex eodem motiuo in materiis adeò diuersis ab eodem supernaturali habitu procedunt. Ex hoc capite alia suboritur differentia inter habitus infusos, & acquisitos, quia habitus acquisiti multiplicantur pro multiplicatione materiæ, in quibus diuersa reperitur difficultas, etiamsi motiuum in materiis diuersis sit idem. Exempli gratiã: Potest quis habere habitum acquisitum, eliciendi actus temperantiæ circa cibum,ex vi cuius facilis sit, ad exercendos actus temperantiæ circa cibum, & nihilominus ex vitalis habitus non habere facilitatem, vt abstineat à potu. Quod sæpe experimur in multis hominibus, qui diu famem sustinent,& sui impotes sunt,vt à nimio,& intemperato potu abstineant. Ratio disparitatis,à priori petita,hæc est. Habitus acquisiti dantur præcisè, propter difficultatẽ vincendam:cùm verò ex distinctis materiis distincta difficultas suboriatur,distincta facilitas, seu distinctus habitus,ad illam vincendam necessarius est. Habitus infusi non dantur propter facilitatem, sed vt actus ex tali motiuo supernaturales euadant. Cùm verò ex diuersa materia motiuum,neque supernaturalitas, non distinguatur, habitum distingui,necessum non est.

4 Habitus supernaturales moraliter,& meritoriè intendi ab actibus,certum est. Et non solùm intenduntur ab actibus,qui fiunt ex motiuo,ad quod eleuant habitus; sed ex quocumque actu elicito ab homine iusto,habente dignitatem ad gratiam,& gloriam. Quia per quemcumque actum meritorium hominis iusti augetur gratia habitualis,& habitus charitatis,& cum his (vt concors Theologorum tenet sententia) omnes habitus supernaturales virtutem infusarum,qui charitatem comitantur. Dubium esse poterat, an habitus hi non solùm moraliter, sed etiam physicè intendantur ab actibus. Circa quod Arriaga disp.9.sect.1.subsect.2. num.8.hæc habet *Fateor,non improbabiliter dici posse eos* (scilicet habitus) *physice per actus intendi, in quo nec leue video absurdum.* Contra sententiam,quam satis insinuat Arriaga,tota reluctatur schola Theologorum,qui omnes docent habitus supernaturales neque produci physicè ab actibus. Ita D.Thom 1.2.q.51.art.4.& q.55.art.4 q.1 & jcum illo Caietan.Conr.Theol.& omnes Thomistæ:P.Soar lib.8.de gra. cap.4.Salas 1.2. tom. 1.tract 11.disp 6.sect. 9. Torres 2.2. disput. 4. dub. 7. Hurtad. ibidem disp. 62. sect. 2. Ripald. lib.3. de supern. disp. 51. sectione. 1. & alij plurimi apud illum. Quod adeò certum putant Theologi, vt Medina oppositum temerarium esse affirmet,& N.Coninck,esse contra Tridentinum; monétque P. Soar lib. 8. de grat. cap. 4. num. 17. in eodem gradu certitudinis ponendam esse efficientiam actuum supernaturalium in habitus per se infusos quoad intentionem,& primam productionem.

Plures rationes adducuntur pro cõmuni sententia Theologorum,quas expendunt Ripalda, & Arriaga locis suprà citatis. Illas omitto,quia sunt nimis Theologicæ,& affirmo;sufficienter probari habitus supernaturales non produci ab actibus ex eo præcisè,quod nullum sit fundamentum, vt tribuamus actibus talem virtutem productiuam respectu habituum supernaturalium: Scimus enim habitus esse productiuos actuum,& nullum habemus fũdamentum,ad asserendum, ipsos posse produci ab actibus:quorsum ergo dicetur,actus,& habitus habere mutuò virtutem productiuam,se ad inuicem efficiendi.

Secundò:Quando actu potentiæ elicito ab homine iusto intenduntur omnes habitus infusi reliquarum virtutum,non omnes intenduntur physicè ab illo actu, actus enim iustitiæ non intendit habitum infusum temperantiæ; sed tantùm ille posset physicè intendi,qui respicit motiuum actus, à quo intenditur:ergo reliqui intenduntur meritoriè:ergo simul ille habitus, circa cuius obiectum actu fuit elicitus, poterit moraliter intendi. Vltimò,quando actus ex motiuo honestus sit necessariò ab homine iusto, non intenditur habitus infusi; quando fit liberè,intenduntur:ergo non intenduntur physicè,sed moraliter. Quia si physicè intenderentus, eadem intensio procederet ab actu necessario, & à libero, quia efficientia procederet à substantia actus, tanquam à virtute, necessariò operante: non à libertate illius, quæ nimis est extrinseca actui, ac proinde eadem esset ab eodem actu, siue liberè, siue necessariò producto. 6

Obiicies primò. Actus supernaturalis est vltima dispositio ad habitum;sed vltima dispositio formæ illam efficienter producit:ergo actus supernaturalis producit supernaturalẽ habitum. Maior examinanda est à Theologis,quam si negent, vel dicant actum supernaturalem esse vltimam dispositionem ad habitum supernaturalem, nullum erit argumentum adductum: Quia non est de ratione dispositionis moralis physicè producere formam,ad quam disponit. Si illum absolutè concedant,minorem ego negabo: Quia non est de ratione dispositionis, adhuc vltimæ,formam,ad quam disponit,efficienter producere. 7

Obiicies secundò:Si actus supernaturalis non produceret habitum supernaturalẽ,posset augeri habitus per actum remissiorem illo:sed nõ augetur:ergo quia physicè ab actu producitur. Resp.admissa maiori conditionali,posse negari minorem propositionem, in quo nullum est absurdum. Rectè enim,& consequenter ad omnia principia Theologica dicitur, habitum charitatis vt sex per nouum actum charitatis vt duo augeri in homine iusto. 8

Obiicies tertiò. Actus naturales producunt habitum naturalem:ergo habitus supernaturales producẽt habitum supernaturalem. Resp.distinguendo antecedens:Actus naturales producunt actum naturalem,necessariò requisitum ad substantiam actuum, nego:conducentem ad facilitatem illorum,transeat:ergo actus supernaturales producent habitum supernaturalem, distinguo consequens:habitum supernaturalem infusum requisitum ad substantiam illorum, nego: acquisitum conducentem ad ipsorum facilitatem, transeat. Modò enim non disputo: an actus supernaturales producant habitum supernaturalem acquisitum;sed an producant habitum infusum, qui non datur respectu actuum supernaturalium, ac proinde ex his non potest argumentum desumi ad præsentem difficultatem. De alia, quæ argumento attingitur; an videlicet, actus supernaturales producant habitum acquisitum supernaturalem dicam Puncto 7. postquam naturam acquisitorum habituum explicauerim. 9

PVNCTVM II.

An dentur habitus acquisiti in potentiis,à voluntate distinctis.

MAioris longè momenti sunt fundamenta,quæ reperiuntur,ad habitus acquisitos in volũtate cõstituendos,quàm in aliis potẽtiis, ideo speciale Punctũ instituam de 1

de habitibus voluntatis, & in hoc de aliarum potentiarum habitibus dicam.

§. I.

De potentiis materialibus.

2 SCotus, Gabriel, & Ocham apud Soar disp. 44. sect. 2. n. 2. existimant dari habitum in potentia locomotiua. Quia experimur visu, & exercitio faciliùs hominem currere, & saltare, citharámque motu digitorum pulsare. Hæc ratio nullius est momenti, hæc enim facilitas potest consistere, vt docet idem Soar ibid. n. 5. in habitu voluntatis, quo faciliùs voluntas has actiones potentiis externis imperat. Deinde ex dispositione passiua membrorum, quæ vsu magis expediuntur; non per qualitatem aliquam productam; sed per maiorem, vel minorem nexum, quem habent in ordine ad cõiunctionem localem quæ fieri potest per attritionem aliquarum partium, vel indurationem earum, qua non caustatur tantus dolor mutua eorum collisione.

3 Dicendum est, in potentia locomotiua nullum habitum reperiri. Ita Soar n. 2. cum D. Thoma & aliis. Quod probatur: quia potentia locomotiua est potentia necessaria, absque vlla indifferentia suos actus eliciens; potentia autem necessaria non potest habere habitus. Cùm enim semper producat, non potest habitus illam inclinare ad productionem actuum. Per se enim est determinata, ad producẽdum omne id, quod potest; potẽtia autem determinata per suam entitatem non potest inclinari ad id, ad quod est iam determinata. Nullam enim efficaciã potest habere, neque vllum effectum potest præstare habitus ex se inclinans respectu potentiæ non tantùm inclinatæ, sed etiã determinatæ.

4 Dicendum est secundò, sensus externos non posse habere habitum acquisitum propter eamdem rationem. Quotiescumque enim potentia externa est potens, per speciem actum producere, illum in quantum potest producit, ad cuius productionem potentia ex se intrinsecam inclinationem habet.

5 Obiicit Arriaga: habitum posse, potentiam necessariam adiuuare, vt faciliùs, hoc est, minori conatu effectum producat, ac proinde rectam non esse hanc ratiocinationem, *est potentia necessaria: ergo non est capax habitus.* Hæc obiectio nihil præstat. Quia effectus habitus non est tantùm adiuuare potentiam, vt minori conatu effectum producat; sed illam inclinare, ad effectum producendum, illamque allicere, vt effectum producat. Hoc enim est munus habitus, non vt effectus minori conatu producatur, quia hoc prouenit ex maiori virtute agenti, & ex multitudine agentium, etsi eiusdem ordinis: Duo enim homines minori conatu portant lapidem coniuncti, quàm vnus seorsim eumdem lapidem portaret.

6 Ex hoc infertur: nullum sensum externum indigere habitibus, neque illos habere posse ad productionem suarum sensationum, quas ita elicit, vt non possit, semel in actu primo ad illas constitutus eas non elicere.

7 Infertur similiter, in sensu interno, neque in appetitu brutorum non dari habitus distinctos ab speciebus impressis, & phantasmatibus: ita Soar sect. 3. n. 3. Ratio est. Quia sensationes internæ necessariò producuntur à sensu interno speciebus instructo, quæ sensationes internæ, seu phantasmata determinant actus appetitus. Quia bruta in omnibus suis actionibus determinantur ad vnum ex vi obiectorum, pro vt illis repræsentatur.

8 Obiicies: In brutis experimur facilitatem acquisitam ad aliquos actus. Sæpe enim repetito exercitio alicuius motus, quem difficile præstabant, illum postea facilè exercent, quam facilitatem non acquirunt in externis sensibus: ergo præter species dantur in sensu brutorum aliqui habitus. Respondeo bruta facilitatem acquirere ad illa, quæ sæpe exercuêre: Quia exercitio præterito species retinent in sensu interno, quibus obiectum præteritum meliùs agnoscunt, & faciliùs appetunt, quod fit sine aliis habitibus: in sensibus autem externis hanc facilitatem non acquirunt, quia in illis nullæ remanent species præteritorum actuum.

9 De hominis cogitatiua aliter philosophatur Soar n. 6. existimat enim dari in hac habitum distinctum ab speciebus dantem facilitatem, & inclinantem potentiam, ad operandum. Quia hominis cogitatiua non est ita simpliciter determinata ad vnum sicut phantasia bruti, quia potest ex rationis imperio moueri, & determinari ad operandum. Nihilominus dicendum est; cogitatiuam, seu sensum internum hominis nullum habere habitum distinctum ab specie, quia indifferentia, quam habet deriuatam à voluntate, non sufficit, vt respectu illius habitus constituatur. Quod constabit ex dicendis §. sequenti, vbi probabo intellectum non habere habitum distinctum ab speciebus, qui non immediatiùs participat hanc indifferentiam à voluntate, quàm cogitatiua, seu internus sensus.

§. II.

De Habitibus intellectus.

P. Soar sect. 4. n. 3. docet cum Caietano, Capreolo, Soncinate, & aliis Thomistis: in intellectu dari habitus distinctos ab speciebus. Magis placet opposita sententia, negans habitus distinctos ab speciebus existentes in intellectu. Quam defendunt Hurtad. disp. 16. sect. 2. & Arriaga disp. 9. sect. 1. subsect. 1. & alij ex antiquis apud Soar suprà. Hæc sententia probatur ex fundamento facto §. præcedenti. Intellectus est potentia necessaria: ergo non indiget habitu, vt inclinetur in proprios actus, quam rationem iam explico, & expendo. 10

Intellectus, posita specie sufficiente ad apprehensionem obiecti, necessariò illud apprehendit absque vlla indifferentia, sicut potentia visiua, posita specie, necessariò videt obiectum: ergo in ordine ad apprehensiones non indiget intellectus habitibus, quod concedunt auctores oppositæ sententiæ, qui illos tantùm pro aliis operationibus constituũt, ad quas adhuc nõ esse necessarios, sic probo. Obiectũ vel apprehenditur euidenter vt verũ, vel tãtùm probabiliter: si euidẽter vt verũ, non potest non intellectus illi assentiri. Si probabiliter, tota indifferentia intellectus ad assentiendum, vel non assentiendum determinatur à voluntate: ergo intellectus non indiget habitu vt se determinet. Quod sic explico. Proposito obiecto vt probabili intellectui, non potest intellectus sine imperio voluntatis assentiri quantumuis aliis habitibus instruatur, & ideo ad actus fidei, quorum obiecta non repræsentantur euidenter vt vera, requiritur prius affectus voluntatis; deinde, posito imperio voluntatis intellectus non potest non assentiri obiecto proposito, vt probabili: ergo tota determinatio intellectus respectu obiectorum, ad quorum assensum est indifferens, est penès imperium voluntatis: ergo ille non indiget habitu, vt se determinet, quia semper operatur, vel omnino necessariò, si obiectum proponitur euidenter vt verum, vel determinatus à voluntate, quando obiectum vt probabile repræsentatur. Obiectum, vt probabile appello, quod repræsentatur motiuo sufficienti, vt versetur assensus circa illud, siue hoc sit releuatio humana hominis fide digni, siue diuina. Idẽ, quod dixi de obiecto repræsentato, vt toto respectu assensus, assero de obiecto repræsentato, vt falso respectu dissensus. Eadem doctrina intelligenda est de assensu primorum principiorum probabilium, & euidentium per apprehensioeem, qua probabiliter, & euidenter proponuntur, & de assensu discursiuo conclusionis euidenti, & probabili per præmissas probabiles, vel euidentes. 11

Obiic. Soar. Obiectum aliquando non sufficienter determinat intellectum ad actus: ergo pro his actibus indiget habitibus. Nego consequentiam. Quia intellectus in his actibus non determinatur à se sed à voluntate, & ita non indiget determinatiuo proprio, sed sufficit illi imperium voluntatis, vt determinetur. 12

Obiic. 2. Habitus quidam dicuntur practici, alij speculatiui, alij virtutes, alij facultates; sed hæ denominationes non possunt conuenire speciebus: ergo dantur alij habitus, ab speciebus distincti, quibus hæ denominationes conueniant. Nego minorem. Species enim, quæ inclinant in actum practicum, practicæ dicuntur, & speculatiuæ, quæ inclinant in actum speculatiuum, similiter quæ inclinant ad actus scientiæ dicentur habitus scientifici, & quæ ad prudentiæ actus, habitus prudentiæ dicentur. 13

Obiic. 3. Habitus producuntur ab actibus: sed species non producuntus ab actibus: ergo species distinguuntur ab habitibus. Nego minorem. Quia actus intellectus relinquunt sui memoriam, & speciem repræsentatiuam, tum ipsorum actuum, tum obiectorum repræsentatorũ per actus, vnde quò magis repetuntur actus circa idem obiectum, 14

eò plures, & intensiores species obiecti sunt in intellectu, & faciliùs percipitur, quia specierum intensio maximopere conducit, ad cognitionem faciliùs eliciendam.

14 Vltimò noto, intellectum non solùm faciliorem reddi per repetitionem actuum, ad alios similes eliciendos; sed etiam per multitudinem cognitionum, seu specierum diuersorum obiectorum, etiam reddi aptiorem ad cognoscenda alia obiecta, distincta ab his, quorum species habet. Ratio est. Quia, cùm intellectus inferat vnum ex alio, quo plura principia habet, eo plures conclusiones potest inferre ex illis, & ideo homines docti circa varia obiecta facilè circa quodcumque aliud, denuo propositum discurrunt. Quia iuuantur variis notitiis, tum propter connexionem obiectorum, tum propter paritatem, & proportionem eamdem in diuersis obiectis illatis ad sua principia.

PVNCTVM III.

An dentur habitus in voluntate.

1 TEnet communis sententia dari habitus acquisitos in voluntate, distinctos ab speciebus, & cognitionibus, proponentibus obiectum. Lego apud Arriag. disp. 9. sect. 3. subs. 1. n. 43. duos, vel tres recentiores à voluntate habitus relegasse, docuisseque: facilitatem voluntatis ad suos actus consistere in cognitione intensa bonitatis obiecti. Et P. Lugo de incar. disp. 16. sect. 7. n. 119. ait insinuasse in libris de anima: habitus acquisitos potentiæ volitiuæ consistere in recta ordinatione specierum, & experientia actuũ præteritorum, & emolumenti subsequuti ex illis. Quod postea testatur: aliquos recentiores docuisse, & ipse apertè defendit loco citato. In eamdem sententiam conspirant nonnulli recentiores.

§. I.

Fundamentum recentiorum pro sententia negante habitus voluntatis distinctos à cognitione obiecti, refellitur.

2 FVndamentum, quod ex recentioribus refert Arriaga, ad relegandos habitus, distinctos ab speciebus, & cognitione obiecti, nullius est ponderis. Illius rationes breuiter refello.

3 Arguunt primò. Actus supernaturales non producunt habitus acquisitos: ergo neque naturales. Antecedens huius argumenti est valde dubium, & multi illius oppositum ex oppositio consequentis inferunt, arguentes: actus naturales producunt habitus acquisitos: ergo & supernaturales. Cur autem naturales actus producant habitus naturales, & supernaturales non illos supernaturales producant, dicam Punct. 7. Neque ratione formæ argumentum vim habet. Hæc enim est inepta consequentia: *Homo potest producere alium hominem: ergo lignum potest aliud lignum producere.* Ex his infero: hoc argumentum nullam vim habere pro recentiorum sententia; potest tamen efficax esse ad hominem desumptum contra eos, qui nouam facilitatem concedunt ad actus supernaturales sine nouo habitu. Qua ratione illud postea expendam.

4 Arguunt secundò recentiores: Voluntas nequit ferri in incognitum; sed si daretur habitus, ferretur in incognitum secundùm illum excessum inclinationis prouenientis ab habitu: ergo non dantur tales habitus. Hoc argumentum potest retorqueri in recentiores, constituentes facilitatem, & inclinationem ad obiectum in ipsa cognitione; Quia sicuti voluntas non cognosceret habitum inclinantem, si daretur, ita non semper cognoscit cognitionem, qua in obiectum propendet. Quod si aliquando illam cognoscat, hæc cognitio impertinens est ad amorem obiecti, quia ad hunc tantùm trahit cognitio bonitatis obiecti; non verò cognitio reflexa cognitionis, qua obiectum cognoscitur: ergo eadem ratione diceretur obiectum ferri in obiectum incognitum secundùm rationem propensionis, quam habet in illud, siue propensio à cognitione, siue ab habitu alio procedat: ideoque in omnium sententia hoc argumentum soluendum est. Quod facilè præsto. Respondeo: Ad amorem obiecti requiri cognitionem, tendentem in ipsum obiectum, & in illius bonitatem; non verò in propensionem, quam voluntas habet ad obiectum, ac proinde eo ipso quod voluntas feratur in obiectum, bonitas illi proposita est per cognitionem, fertur in obiectum cognitum per amorem illius; quia amor non tendit in propensionem, sed in obiectum, quod amat, & cognitione proponitur, vt bonum.

Arguunt tertiò: Facilitas, quâ habet voluntas, ad amandum aliquod obiectum, non potest prouenire ab habitu: ergo non dantur habitus in voluntate. Antecedens probatur. 5
si facilitas proueniret ab habitu, quotiescumque est habitus, voluntas illam facultatem sentiret, eamdemque semper ante ipsum actum experiretur: sed sic est, quod voluntas aliquando sentit hanc facilitatem; aliquando non: ergo non consistit in habitu, permanente in ipsa voluntate; sed in cognitione, quæ aliquando adest, & aliquando abest. Respondeo, illam facilitatem, etiamsi ab habitu procederet, posse sentiri aliquando, & aliquando non; aliquando ante ipsum actum, aliquando tantùm in instanti, in quo est actus. Ratio præsto adest. Voluntas dependet in operari à cognitione, ita vt sine hac operari nequeat. Ex quo fit, voluntatem, non habentem cognitionem obiecti, non inclinari ad illud, donec illam habeat, & potens sit ferri in illud: Sicuti physica prædeterminatio, quæ non solùm inclinat, sed determinat voluntatem carentem cognitione. Illius enim formalis effectus est determinare voluntatem ad actum, quem potest elicere: sic effectus formalis habitus est inclinare voluntatem ad actum, ad quem aliàs supponitur potens. Ex hoc fit voluntatem aliquando sentire inclinationem ad actum ante ipsum actum, aliquando tantùm in ipso instanti in quo exercetur, quia aliquando cognitio obiecti tempore præcedit; aliquando verò in eadem mensura temporis coexistunt.

Arguunt quartò: Habitus superadditi non sunt necessarij, vt voluntas facilè prosequatur obiectum: ergo non sunt dandi habitus in voluntate. Antecedens exigebat ad sui probationem explicationem modi, quo voluntas, antea difficilis ad obiectum amandum sine nouo habitu facilis constituebatur. Quam si recentiores exhiberent, illorum argumentum efficax esset; dum tamen ab illis non præstatur, non possumus ipsorum rationi acquiescere. 6

Vltimò, si horum recentiorum sententia apud ipsos maiorem explicationem non habet, quàm ex ipsis refert Arriaga, facilè reiicitur; quia potest quis valde intensam, atque viuacem cogitationem habere de aliquo obiecto, & non habere inclinationem, & facilitatem ad illud amore prosequendum: ergo facilitas, & inclinatio non consistit in cognitione intensa, atque viuaci bonitatis, seu delectabilitatis obiecti. Antecedens patet in homine timoratæ conscientiæ, qui vehementi cogitatione repræsentante delectabilitatem obiecti pulsatur; & nihilominus magnam sentit difficultatem in illius prosequutione, ne gratiam perdat, seque æternæ pœnæ periculo exponat, Deumque grauiter offendat. 7

§. II.

Explicatur modus, quo posset defendi non distinguibilis habitus voluntatis à cognitione obiecti, & specibus.

PLacet modum quemdam exponere, quo existimo haud difficile posse defendi, non dari habitus voluntatis inhærentes, sed facilitatem illius totam ad actus intellectus, & illius species reducendam esse. Quod sic explico: Voluntas constituitur potens amare obiectum per cognitionem, qua illi repræsentatur vt bonum, & per negationem impedimenti ad talem actum, & prædefinitionis ad oppositum independenter à voluntate: quia, si potentia sit impedita, quantumuis obiectum proponatur vt bonum, non potest illud amare: quæ cognitio est attractiua voluntatis ad amorem talis obiecti, & eo magis attrahit, quo obiectum apparet magis bonum, hoc autem, quod est apparere magis bonum aliquando se tenet ex parte obiecti, quia maior bonitas repræsentatur in obiecto, & maior conuenientia illius in ordine ad subiectum, aliquando ex parte actus, quia eadem bonitas, & eadem conuenientia obiectiua viuacius apparet per cognitionem magis efficacem viuaciori modo voluntatem alliciente. 8

Voluntas iam constituta potens amare obiectum modo suprà explicato, constituitur potens, illud non amare, per aliam cognitionem ex seretardantem ab amore talis obiecti, vel inclinantem voluntatẽ in actum oppositum ad talem amorem: quæ cognitio similiter constituit voluntatem 9

potentem

potentem non amare,& potentem,actum oppositum amori elicere per se ipsam , & per negationem prædeterminationis ad actum amoris,vel negationem actus oppositi.Eodem enim modo voluntas attrahitur per cognitionem bonitatis, & conuenientiæ ad amorem, quàm per cognitionem malitiæ,& disconuenientiæ ad odium.

10 Voluntas iam constituta potens amare , & potens non amare, seu odio habere,ita per hanc cognitionem trahitur ad amorem,vt per eamdem retrahatur ab odio, & à negatione amoris , quæ cum amore opponuntur , & quo magis attrahitur ad amorem magis ab odio retrahitur , similiter per cognitionẽ,quâ trahitur ad odium retrahitur ab amore, & quò magis ad odiũ trahitur,magis retrahitur ab amore.

11 Hæc certa sunt in omnium sententia. Deinde suppono, quod nullus negare potest, videlicet, voluntatem facilius ferri in illud obiectum,in quod magis trahitur per cognitionem bonitatis illius;& à quo minus retrahitur per aliam cognitionem,inclinantem in actum oppositum , seu in negationem actus , ad quem trahatur. Ratio est,quia tota ratio, propter quam voluntas liberè fertur , & inclinatur in obiectum est, quia trahitur bonitate illius : ergo,quò magis trahatur,siue quia maior bonitas apparet, siue quia eadem viuaciùs proponitur , faciliùs feretur in obiectum in quod magis trahitur.Deinde certum est , quamlibet causá faciliùs in effectum prosilire , quò minùs talis effectus impeditur : impedimentum enim difficultatem affert, quæ si vincatur,non sine aliqua difficultate,& maiori conatu vincentis fit : ergo voluntas, quò magis excitatur ad amorem, & minùs ab illo retrahitur,faciliùs in amorem prorumpet.

12 Ex his infero voluntatem hìc , & nunc faciliorem esse ad amorem,quàm ad odium, consistere in eo, quod magis trahatur ad amorem,quàm ad odium,& consequenter minùs retrahatur ab amore,quàm ab odio.Hoc autem, quod est,voluntatem magis attrahi ad amorem,non cõsistit semper in intensiori cognitione , vt dicebam suprà , sed aliquando in intensiore , seu viuaciori cognitione eiusdem bonitatis,aliquando in maiori bono,seu maiori cõuenientia proposita. Ex his enim duobus capitibus pensanda est maior,vel minor excitatio ad amorem. Magis enim attrahi ad amorem,quàm ad odium, duo dicit,& positiuam attractionem ad amorem,& negationem attractionis ad odium per cogitationem,æquè viuaciter, & æquè disconuenientiam proponentem voluntati. Vnde facilitas hìc, & nunc ad hunc actum consistit in positiua attractione ad illum,& negatione æqualis attractionis ad actum oppositum , vel negationem illius , quod sic probo. Faciliùs voluntatem ferri in obiectum,est magis trahi ad illud,& minùs retrahi ab illo,sed voluntatem magis trahi ad obiectum,& minùs retrahi ab eodem, consistit in positiua cogitatione, & negatione cogitationis inclinantis ad oppositum : ergo faciliùs voluntatem ferri in obiectum consistit in positiuo , & negatiuo,suprà explicato.

13 Restat modò explicare quomodo hæc facilitas constituta in cogitatione inclinante ad actum, & negatione cogitationis retrahentis ab eodem actu , possit intendi per repetitionem actuum. Quo explicato, rectè intelliges, quomodo sine aliis habitibus voluntas sit facilis ad obiecta,& illorum habitus non distinguantur à cogitatione prædictâ, & negatione cogitationis appositæ. Quod sic explico. Actus , quo voluntas fertur in obiectum, delectabile, v.g. relinquit speciem sui,& obiecti delectabilis,quo fit,vt postea intellectus per species relictas,huius actus,& per species, quas antea habebat, viuaciùs percipiat obiectum delectabile. Habet enim modò experimentales species dulcedinis obiecti , quas antea non habebat, & ita obiectum proponitur , vt magis conueniens per cognitionem illud viuaciùs repræsentantem,vtpote ortam ex principiis, quæ antea non erant , & aliquando simul per maiorem conuenientiam obiectiuam. Quia sæpe non tantùm sibi delectabilitatem proposuerat, homo , ad amplectendum primo actu obiectum delectabile , quantùm eodem actu est expertus,& sibi postea proponit , ad illud secundo actu amplectendum.Deinde,eo ipso, quod secundo actu obiectum delectabile proponatur, vt magis conueniens , & per cognitionem,magis intensam,obiectum oppositum remissius proponitur. Quia intellectus raptus intẽsiori cogitatione obiecti delectabilis, vtpote virtutis finitæ , est minùs potens attendere ad obiectum oppositum.

14 Hanc esse rationem,propter quam voluntas auidiùs fertur secundo actu,quàm primo in obiectum, &, quo magis fertur in illud, faciliùs illud amplectitur, ex eo probatur, quia non semper ita contingit,quod planè contingeret , si hoc haberet ratione habitus relicta ab actu,qui semper relinqueretur , & semper magis potentiam inclinaret. Non semper ita contingere sic probo. Quoties quis magnam voluptatem apprehendit in obiecto,quod nunquam est expertus,illud auidè amplecti desiderat ; postea verò,si illud minùs delectabile experiatur quàm illud conceperat , frigidiùs illud appetit ; & tandem experientiá suadetur, nullam in eo reperiri delectabilitatem,& quò magis illud amplectitur,minùs illud desiderat,quovsque tandem illud positiuè abhorret.

De obiecto vtili omnino eodem modo philosophandum est,experientia enim vtilitatis amoris alicuius medij illius vtilitatem viuaciùs apprehendimus , & faciliùs voluntate in illam ferimur. De obiecto honesto eodem modo dicendum puto. Experitur enim quis in actu honesto bonitatem maximam requiem animæ,& conscientiæ tranquillitatem , quæ iuge conuiuium appellatur , *Prouerb.15.* Deinde ipsâ experientiâ obiectum oppositum minùs retardat vt plurimùm voluntatem in actu secundo, quàm in primo ab actu honesto : cùm enim quis sibi proponit ieiunium amplectendum,statim se offerunt plures rationes, quæ à ieiunio retardant:putat enim quis fame periturum, vel grauissimum incommodum perpessurum esse ; postea verò cùm ieiunauit , & expertus est,non ita inedia hominem affligi,non ita disconueniens apparet,ac proinde minùs retrahitur voluntas à ieiunio , & actibus temperantiæ, & faciliùs se illis exercet. 15

Fateor aliquando maius incommodum temporaneum nos experiri in actu honesto , quàm nobis proposueramus , antequàm primo actu illud amplexati fuissemus , & tunc ex hoc capite difficilius apprehenditur bonum secundo actu, quàm primo , ni forsan experientia honestatis, & bonorum , quæ ex actu illius sequuntur , tanta sit , vt possit maiorem disconuenientiam in illa repertam supplere. 16

Secundùm hunc dicendi modum facilè videtur defendi posse, non dari habitus in voluntate distinctos à cognitione obiectorum , & eorum speciebus propter rationem, suprà dictam quam paucis colligo. Nullus habitus est necessarius,distinctus à cognitione obiecti,& specie illius,vt voluntas sit facilis , ad illud amandum : ergo non est ponendus : probatur antecedens : præcisè per cognitionem obiecti boni inuitantis voluntatem ad amorem , & negationem aliús cognitionis , magis retrahentis voluntatem ab ipso amore , vel inuitantis ad oppositum, voluntas est facilis ad amorem : ergo non est necessarius habitus alius distinctus. Secundò probatur , quia quò magis voluntas trahitur ad amorem obiecti eò faciliùs fertur in illud , & est magis propensa ad illius amorem , sed quò maior est cognitio inuitans , & minor retardans,voluntas magis trahitur ad amandum obiectum : ergo faciliùs feretur in illud actu amoris : quia,sicut cognitio boni inclinat ad amorem maior cognitio,siue ex parte actus,quia est intensior, & viuacior,siue ex parte obiecti, quia tendit in maius bonum , magis inclinabit voluntatem ad amorem : voluntas autem,quò magis est inclinata ad amorem faciliùs in illum prorumpet : idem dico de cognitione mali respectu odij, seu displicentiæ. 17

Tertiò arguo. Aliquando voluntas est facilior,ad amandum obiectum primo actu, quàm secundo,& eo difficiliùs illud amplectitur, quò pluries illud apprehendit , vt dicebam suprà : ergo facilitas non prouenit ex aliqua qualitate producta ex repetitione actuum,sed ex cognitione maioris boni,quæ potest omnes actus præcedere. 18

Quartò à posteriori ex præcedenti doctrina sic arguo: voluntas ex repetitione actuum aliquando maiorem difficultatem acquirit , quàm antea habebat in exercitio illorum : ergo, sicut quando acquirit facilitatem dicitur actus præteritos produxisse qualitatem quamdam, seu habitum, quo voluntas faciliùs exequitur alios actus similes prioribus,ita, quando acquirit difficultatem , dicitur præcedentes actus reliquisse qualitatem aliam , quâ voluntas difficiliùs alios similes exercet ; quia voluntas secundùm se non habebat talem difficultatem,vt patet in prioribus actibus. Quod si noua difficultas tantũ cõsistit in notitia experimẽtali,cur in eadem nõ poterit etiam cõsistere noua facilitas? 19

Quintò arguo iuxta communem sententiam,quam tenet Soar suprà. In appetitu brutorum non dantur habitus ; & tamen

tamen videmus, bruta faciliùs appetere obiectum iucundum, quò pluries illud sensêre: ergo eodem modo potest de volûtate philosophari: si enim in bruto memoria actus præteriti sufficiens est vt facilè, & iucundè loca quærat, & obiecta appetat, quæ sibi commoda, & grata sunt, vt est expertum. & vt fugiat locũ, in quo semel cecidit, vel aliquid mali euenit, &, vt abhorreat herbam, quã semel nociuam inuenit, cur in homine, cuius intellectus memoria est lõgè excellentior, actus memoriæ, seu notitia circa bonitatẽ obiecti non erit sufficiens, vt voluntas faciliùs, & citiùs illud appetat; & eadem notitia circa malitiam non voluntatem retardabit, vt tardiùs, & difficiliùs in obiectum feratur?

20 Sextò efficacissimè ad hominem contra P. Vasquez probo, hos habitus non esse necessarios. Asserit enim sapientissimus Pater 1.2.disp.79. n.47. assuetudine actuum supernaturalium species in dies facilitare potentiam ad similes actus, sine aliis habitibus acquisitis: ergo eodem prorsus modo dici potest assuetudine actuum naturalium species facilitare potentiam ad actus similes naturales, sine nouis habitibus.

21 Septimò idem argumento efficacissimè instо etiam ad hominem contra P.Soar. Docet Soar sect.11.n.42. voluntatem eodem habitu instructam posse habere maiorem facilitatem ad actus virtutis in hac materia potiùs, quàm in illa, quin hæc facilitas proueniat ab habitu; sed ab aliis causis, quas ipse assignat, videlicet, ex meliori dispositione intellectus, vel aliarum potentiarum, seu organorum, quæ virtuti deseruiunt, & ex consuetudine exercendi actus virtutis in hac materia, ex qua prouenit, vt species intellectuales faciliùs eam proponant, quia memoria præteritæ experientiæ, & consuetudinis non parum iuuat, vt obiectum statim proponatur vt connaturale, & appetendum, & ex phantasia, quæ propositioni obiecti deseruit. Tandem ex ipsa dispositione corporis, quia, etiamsi quis sit propensus ad pœnitentiam, facilius eam exercebit ieiuniis, quàm flagellis, si in illis est consuetus, & non in his; quod, ait Soar, non ex habitu pœnitentiæ, sed ex ipsa corporis dispositione, & imaginatione procedere. Ex quo sic arguo. Sine nouo habitu admittit Soar nouam facilitatem: ergo facilitas non oritur necessariò ab habitibus; sed à causis, suprà assignatis: ergo habitus nullo modo sunt necessarij, neque possunt inferri ex facilitate potentiæ, quia facilitas potest tribui causis, ab ipso Soar assignatis.

22 Octauò. Hæc sententia suaderi potest, quia secundùm illam facilè intelligitur, quomodo habitus in cognitione, & speciebus consistentes reddant potentiam facilem: & in quo genere concurrant: quomodo intendantur, & minuantur: quomodo vniantur: & quam habeant vnitatem; quomodo producantur, & corrumpantur. Quæ omnia secundùm hanc sententiam difficultate omnino carent, & in opinione sententiæ admittentis habitus distinctos à cognitione, & speciebus, vix percipi possunt. Vide quæ dicam Punct.4. vbi de modo, quo in aliorum sententia habitus concurrant ad actus, qui vix possit explicari. Ex quo argumentum desumes, ad hanc sententiam abigendam.

§. III.

Argumenta soluta.

23 NEque difficile est, respondere argumentis, quæ probãt admittendos esse habitus distinctos à cognitione, & speciebus, vt ex solutione illorum constabit. Arguit Arriaga. Potest alicui proponi obiectum, vt bonum physicè, in quo nullam timet difficultatem, neque rationem mali apprehendit præter offensam Dei: v.g. in comedendo cibo prohibito, permanente cognitione eiusdem bonitatis physicæ & malitiæ moralis, v.g. offensæ Dei; quo quis magis se exercet in comedendo cibo prohibito, est facilior in illo appetendo: ergo hæc facilitas non potest prouenire ex cognitione, neque ex speciebus obiecti. Respondeo negando antecedens: quia, cùm quis per comestionem cibi prohibiti facilior est, in illo appetendo, non habet eamdem cognitionem obiecti. Quia, licèt forsan ex parte obiecti eamdem malitiam, & bonitatem cognoscat, bonitas physica intensiùs, & viuaciùs proponitur per nouas species, quas experientia actus præteriti relinquit, & consequenter remissiùs cognoscitur malitia moralis: quia, vt dicebam suprà, raptus intellectus intensiore cognitione physicæ bonitatis, est minùs expeditus, vtpote virtutis finitæ ad cognitionem malitiæ moralis, & aliùs cuiuscumque obiecti. Ideo ex experientia sæpe maiorem conuenientiam physicam, hoc est, maiorem delectabilitatem in comestione cibi prohibiti potest detegere, quàm apprehensione obiecti non experti voluntati proposita.

Neque obiici potest contra sententiã istam, quod contra recentiorum sententiam obiicit Arriaga, videlicet, sequi 24
ex illa Christum habiturum habitum vitiosum ex eo, quod habeat perfectissimam cognitionem obiecti delectabilis, & peccaminosi: quia ego non constituo habitum præcisè in hac cognitione: sed in cognitione bonitatis, quæ trahat voluntatem ad amandum obiectum, & in negatione alius cognitionis, quæ magis retrahat eamdem voluntatem ab eodem obiecto. Christus autem cognitione delectabilitatis obiecti peccaminosi non trahitur ad illam amandam, quia non potest obiectum peccaminosum amare actu elicito; imò, si per impossibile concipiamus ipsum trahi, & inclinari ad peccatum, non ex eo infertur, habere habitum vitiosum, quia intensiùs, & efficacius proponitur obiectum oppositum peccato; quia Christus rem perfectè callens, maiorem conuenientiam ex parte obiecti, & ex parte modi percipit semper in negatione peccati, quàm in peccato: imò Christus non minorem conuenientiam obiectiuam, adhuc physicã percipit in obiecto delectabili, quàm homo: quia Christus rem cognoscit, sicuti est, ac proinde cognocit conuenientiam physicam obiecti delectabilis esse caducam, & non posse appetitum satiare; homo autem illam sibi repræsentat longè maiorem ac est. Apprehendit enim in obiecto delectabili conuenientiam quã caret, & sæpe existimat prosequutione illius appetitum esse sedandum. Rem cape vno verbo. Habitus & facilitas semper dicit cognitionem practicam obiecti: Christus verò, vtpote impeccabilis non habuit cognitionem practicam peccati, ac proinde habere non potuit peccaminosum habitum.

Obiic. hanc sententiam de medio tollere virtutes mo- 25
rales acquisitas. Respondeo, hanc sententiam non tollere virtutes morales acquisitas, sed eas constituere in speciebus, & actibus intellectus, sicut Soar, & alij virtutes intellectuales constituunt, in quo nullum est inconueniens.

Obiic. insuper sequi ex hanc sententia: dari habitum 26
constitutum in cognitione, & speciebus ante omnẽ actum, ac proinde habitus generari haudquaquam ex actibus. Antecedens probatur. Ante omnem actum potest esse voluntas facilis in prosequutione alicuius obiecti, si illi proponatur maior conuenientia, quàm disconuenientia: quod sæpe concessimus. Respondeo ante omnem actum posse voluntatem, habere hanc facilitatem; non tamen dicendam esse habitum, quia ante repetitionem actuum illa facilitas est facilè mobilis à subiecto: quia, si experientia aliter inueniatur obiectũ, quàm est apprehensum, cessabit illa facilitas: si verò obiectum experientiã comprobetur, vt primò fuit apprehensum, illa facilitas magis radicabitur, & difficiliùs poterit à subiecto dimoueri, & habitus dicetur.

§. IV.

Nonnulla ad præcedentem opinionem spectantia explicantur.

SEcundùm modum suprà datum tota facilitas ad ali- 27
quem actum formaliter consistit in cognitione practica experimentali, proponente obiectum, & in negatione cognitionis, retrahentis ab hoc obiecto; quia tamen cognitio quælibet est facilè transiens, & formaliter sumpta regulariter non diu durat, non in hac cognitione ponitur totam rationem habitus congruum est; quia semper habitum vocamus id quod difficilè mouetur à subiecto, & ex natura sua est diu durans. Duplicem facilitatem distinguo, formalem vnam, radicalem aliam. Facilitas formalis consistit in cognitione modò explicata, & negatione alterius cognitionis. Facilitas radicalis in speciebus experientiã acquisitis, ex quibus oritur hæc experimentalis cognitio, inuitans ad obiectum, & in negatione aliarum specierum experientiã acquisitarum, à quibus oriretur cognitio, quæ maiorem bonitatem proponeret in obiecto oppositо, & viuaciùs illius conuenientiam repræsentaret, fortiùsque retraheret ab hoc obiecto, ad quod inuitat hæc cognitio. Ex his facilitatibus potiori iure radicalis rationem habitus sortitur, quia est difficilè mobilis, & diu durans.

Ex hoc inferes: posse aliquem hominem actu esse faci- 28
lem ad aliquod obiectum amplectendum, & non habere habitum

habitum ad illum; quia potest habere cognitionem aliquam non experimentalem, quâ vehementer trahatur ad illud, ex vi cuius ita facilis sit ad illud amplectendum, vt difficilè possit ab illo remoueri, & tunc talis homo non habebit habitum, quia non habebit facilitatem radicalem, neque formalem ortam ex illa. Quod verum existimo, etiam in opinione, quæ habitus constituit in qualitatibus distinctis ab speciebus, & cognitionibus. Quia negari nequit sæpe hominem habentem habitum acquisitum alicuius virtutis, ita vehementer aliquâ tentatione circa oppositum vitium concuti, vt summâ facilitate in illud possit labi, & non sine magna difficultate, & speciali Dei auxilio possit non cedere tentationi.

29 Ex hoc infero posse hominem esse simul facilem formaliter, & radicaliter ad duo obiecta opposita, licèt non in summo gradu. Partem positiuam sic probo. Potest homo in vtroque obiecto conuenientiam notabilem, & parum disconuenientiæ reperire, & in neutro illorum non notabilem excessum conuenientiæ cognoscere, ratione cuius alterum magis conueniens retrahat ab hoc minùs conueniente: ergo potest esse facilis ad vtrumque obiectum. Probo consequentiam: Cognitio, proponens bonitatem obiecti per se reddit facilem potentiam ad illud amplectendum, dum non est alia, quæ notabiliter fortiùs retrahat; sed in hoc casu sunt cognitiones repræsentantes bonitates vtriusque obiecti, & neutra habet aliam oppositam, quæ fortiùs retrahat: ergo vtraque constituet facilem potentiam circa suum obiectum. Hæ cognitiones, in quibus formales facilitates consistunt, possunt oriri ex speciebus experimentalibus, in quibus sita erit facilitas radicalis, & ratio habitus. Has facilitates esse nō posse in summo gradu, sic probo. Quò minor conuenientia apparet in aliquo obiecto, cæteris paribus maior est facilitas ad oppositum: v.g. habeo cognitionem vt quatuor repræsentantem mihi conuenientiam vt quatuor in ieiunio: quò minor conuenientia apparet in esu carniū, facilior ero ad ieiunandum: ergo quando vtrumque obiectum apparet æquè bonum, v.g. ieiunium, & comestio, non habeo tantam facilitatem in ieiunio, quantam haberem si ieiunium mihi repræsentaretur, etsi non cum maiori bonitate, cum illa tamen, dummodò comestio repræsentaretur cum minori: ergo non habeo summam facilitatem, quam possum habere.

30 Dixi facilitatem dicere cognitionem inuitantem ad obiectum, & negationem cognitionis, quæ ex se notabiliter fortiùs retrahat, quàm alia inuitet, quia negatio illius cognitionis necessariò requiritur, vt potentia constituatur facilis; conducet tamen ad maiorem facilitatem, non solùm negatio cognitionis, retrahentis notabiliter fortiùs; sed cuiuscumque retrahentis supra minimum requisitum, vt potentia sit libera; quia semel constituta voluntas libera circa aliquod obiectum, dum minùs habeat cogitationis, retrahentis ab illo, facilior erit ad illud amplectendum. Negatio verò cogitationis retrahentis secundùm minimum, quod requiritur, non conducit ad facilitatem: quia facilitas pertinens ad habitum, supponit libertatem; illa verò negatio destrueret libertatem, & consequenter fundamentum facilitatis, de qua agimus.

31 Est etiam notandum, eamdem cognitionem intensam, v.g. vt sex pertinere ad constitutiuum potentiæ liberæ, & ad facilitatem; & dare simpliciter posse, & faciliùs posse. Dat simpliciter posse, quatenus includit intensionem illam minimam requisitam, vt voluntas sit simpliciter potens liberè operari, v.g. quatenus includit duos gradus intensionis, & dat faciliùs posse, quatenus includit quatuor alios supra duos necessariò requisitos, ad operandum. Neque in illa cognitione poterunt assignari duo gradus, quibus determinatè pertineat simpliciter posse, & alij quatuor, quibus facilitas tribuatur, quia omnes sunt eiusdem rationis, sed toti illi cognitioni tribuitur dare posse, & faciliùs posse, quia habet id, quod requiritur, vt voluntas sit libera, & aliquid vltra illud.

32 Noto insuper distingui facilitatem ad actus intellectus, & ad actus voluntatis ex eo, quod species intellectus numquam pertineant ad facilitatem formalem voluntatis; pertinent tamen ad facilitatem intellectus, quia immediatè producunt intellectiones, quæ præ multitudine illarum faciles euadunt. Facilitas voluntatis semper consistit in cognitionibus, quæ aliquando etiam pertinent ad facilitatem formalem intellectus, quia aliquando conducit immediatè, vt faciliùs fiat cognitio, alia cognitio vel immediatè influens in illam, vel saltem proponens obiectum formale illius viuaciùs, quàm necessum erat vt intellectus posset ferri in illud. Addo: aliquando etiam actus voluntatis conducere ad facilitatem formalem aliorum actuum eiusdem potentiæ, quia, quando actus voluntatis procedit liberè ab alio imperante, sine quo fieri posset talis actus imperans, pertinet ad facilitatem illius. Absolutè enim omne principium, inuitans ad actum liberum, sine quo idemmet actus liberè fieri potest, pertinet ad facilitatem illius: de his tamen actibus imperantibus mentionem non facimus cùm de habitibus disputamus, quia non semper, sed rarò procedunt actus voluntatis ab aliis imperantibus, & multi negant posse dari tales actus imperantes, immediatè influentes in alios eiusdem potentiæ.

Facilitas formalis ad actus intellectus, & radicalis ad 33
actus voluntatis sæpè non distinguuntur realiter, quia facilitas formalis consistit in speciebus, & sæpè nullus alius actus ad illam conducit, in quibus sita est radicalis facilitas ad actus voluntatis, quia ex eisdem speciebus oritur facilitas formalis ad actus voluntatis, quæ consistit in ipsis actibus intellectus. Ex quo infertur, easdem species esse facilitatem formalem ad actus intellectus, & radicalem ad actus voluntatis, & habitum ad vtrosque; quia habitus ad actus voluntatis semper consistit in facilitate radicali: habitus autem ad actus intellectus dicit semper facilitatem formalem, consistentem in speciebus, immediatè influentibus in ipsos actus. Ratio propter quam habitus voluntatis consistit in facilitate radicali, & habitus intellectus in formali, est, quia habitus cuiuscumque potentiæ consistit in facilitate difficilè mobili, siue radicali, siue formali; cùm verò facilitas formalis intellectus sit difficilè mobilis, in illa habitum constituimus, facilitas autem formalis voluntatis, quæ consistit in actibus intellectus est facilè mobilis, ideo non in illa. Sed in radicali, quæ est difficilè mobilis, optimè ratio habitus constituitur.

In hanc sententiam sic explicatam maximoperè trahunt 34
fundamenta suprà data, quæ, rebus omnibus non ita perpensis, altè menti insedit, vt primū adhuc sub præceptorum virgula, quæstionem hanc audiui, & post longum illius examen, nihil rationis inuenio, quod ab illa animum retrahat, potiùs nouos illius patronos Patrem Lugum, & alios recentiores apud Arriagam inuenio: quapropter non illam improbabilem iudico; quia tamen opposita valde recepta est in scholis, quid iuxta vtramque in reliquis difficultatibus, ad habitus spectantibus dicendum sit, explicabo.

Punctum IV.

Quomodo concurrant habitus ad actus.

IVxta opinionem suprà explicatam quæstionē hanc aliis 1
locis definiui. Dixi enim Contr. 7. punct. 3. actus intellectus solùm concurrere ad actus voluntatis proponendo obiecta, & species actiuè influere in actus intellectus, & in alios, ad quos obiecta species subministrant. Quæstionem tracto in communi sententia, quæ habitus constituit in qualitatibus distinctis ab speciebus, & propositione obiecti. Habitum reddere potentiam facilem ad actum, præcisè per informationem absque vllo actiuo concursu, ad quem ordinetur, defendunt Durand. in 3. dist. 23. q. 2. 3. & 4. Palud. ibid. q. 2. Vterque Hurtad. Complutensis 1. 2. tractatu de habitibus in communi, diffic. 11. Salmant. disp. 16. de anima sect. 7. Affirmat Soar disp. 44. Metaph. sect. 6. sensisse plures, habitus concurrere effectiuè, non ad substantiam actuum; sed ad modum illorum, quem modum, ait, dixisse aliquos esse intensionem ipsius actus. Horum vnum Scorum fert Vazquez 1. 2. disp. 83. c. 2. n. 10. referuntur etiam pro hac sententia D. Thom. Gotfredus, & Henricus; sed absque fundamento, vt constat ex Soar loco citato. P. Vazquez suprà num. 14. docet, habitum concurrere ad modum quemdam actui superadditum, non verò ad substantiam actus, neque ad illius intensionem. Habitus concurrere ad substantiam actuum defendunt Caietanus & Capreol. apud Soar, Ochamus, & Gabr. in 3. dist. 23. art. 2. P. Fons. 9. met. cap. 5. quæst. 4. sect. 2. Val. 1. 2. disp. 4. punct. 2. Soar suprà n. 8. P. Moncæus disp. 4. c. 3 §. *Deinde eadem ratio.* P. Gran. 1. 2. Contr. 4. disp. 3. n. 13. Ripalda lib. 2. de supernaturalitate disp. 52. sect. 2. n. 9. Arriag. disp. 9. sect. 4.

Prima conclvsio. Habitus nullo modo potest 2

concurrere, vt actus faciliùs fiat, nisi per veram efficientiam,mediâ quâ,physice in genere causæ efficientis ab illo, tanquam à vera causa dependeat agens.Probo : nullus est modus, quo possit intelligi habitus inclinans potentiam, nisi quatenus productiuus actus, per modum causæ propendentis in illorum productionem:ergo concurrit actiuè. Antecedens probo. Si aliquo modo concurreret, maximè vt conditio : hac ratione non concurrere suadeo,quia non apparet,quod genus conditionis exerceat habitus ad actus productionem. Non enim est applicatio inter agens & passum,neque rationem aliquam conditionis,quam nouerimus, exercet : ergo frustrà fingitur nouum genus conditionis innominatum,& ignotum,cùm possimus absque vllo inconuenienti rem explicare per verum concursum actiuum,quem tota cognoscit schola. Dicit Hurtado,habitum esse veluti preces actionis, quæ propter illas fit. Si Hurtadus in ipsa cognitione facilitatem constitueret, rectè per precum metaphoram rem explicaret, quæ posset optimè accommodari cognitionibus, ex vi quarũ hoc & illud motiuum, vt voluntas determinetur ad actionem exercendam,illi proponitur.Cùm verò habitum, & facilitatem ad actus ponat in qualitate quadam emortua, nescio quomodo possit dici preces effundere,vt actio fiat.

3 Secvnda Conclvsio. Habitus non potest concurrere ad intensionem actuum,quin concurrat ad illius entitatem,seu substantiam. Probo : Gradus intensionis sunt omnes eiusdem rationis in qualitate intensa, neque cùm hæc simul tempore producitur ; v.g. qualitas habens octo gradus caloris,dicuntur alij gradus intensionis, alij non item; sed omnes gradus dicuntur intensio, & illorum quilibet: quia quilibet est simul cum aliis in eodem subiecto,in quo consistit intensio : ergo non possunt assignari aliqui gradus intensionis,quorum productio ad habitum pertineat, alij, quorum productio ad potentiam tantùm spectet.Secundò: Gradus omnes sunt non subordinati, & possunt esse eiusdem rationis : ergo habitus potens producere gradus intensionis,potest quemcumque gradum in qualitate repertum producere. Tertiò : Etiamsi habitus tantùm produceret gradus aliquos intensionis, concurreret ad substantiam actus,quia huius substantia æquè constat ex omnibus gradibus intensionis,qui illam tanquam partes adintegrant.

4 Tertia Conclvsio. Habitus non concurrit ad modum aliquem superadditum actui, in quo illius facilitas consistat, neque talis modus superadditus possibilis est. Probo: Modus ille supponeret substantiam actus : ergo productionem illius : ergo impertinens erit ad producendam substantiam facilè, vel difficilè. Probo consequentiam. Quando aduenit ille modus, iam tota substantia est producta à potentia : ergo siue postea producatur modus, siue non producatur,nullum sentiet leuamen in productione,quæ iam præcessit,ad quam,si aliqua est difficultas,tota vincitur in illo signo, in quo exercetur, in quo,si modus ille non est,impertinenter postea aduenit.

5 Qvarta conclvsio. Habitus effectiuè concurrit ad substantiam actus.Infertur hæc conclusio ex præcedentibus;nihilominus adhuc difficile est modum assignare,quo potentia per habitum concurrentem ab substantiam illius, facilis reddatur.Dicunt nonnulli,potentiam facilem reddi per habitum, quia, quò sunt plura principia concurrentia ad actum,minorem operam impendit potentia,minorique conatu actum producit.Non acquiesco. Hac enim ratione, quò intensior esset habitus infusus, maiorem facilitatem sentiret potentia ad operandum, & tribuerent hi habitus non solùm simpliciter posse, sed facilè, & faciliùs posse, quando haberent intentionem supra minimam requisitam, vt actus posset simpliciter produci.

6 Secundò voluntas habitu informata, antequàm actum producat, sentit propensionem, & inclinationem ad illum: ergo hæc propensio,& inclinatio aliquid est distinctum ab efficientia, & separabile ab illa : ergo habitus non solùm reddit potentiam facilem,illam adiuuando;sed formaliter per suam informationem,inclinantem potentiam ad talem actum. Rem explicat Arriaga exemplo impulsus, qui motum producit, & antequam illum efficiat,manum inclinat ad illum,ita vt si manus,cui lapis est superpositus,non moueatur,laborat in resistendo motui, ad quem fert illam impulsus. Exemplum difficultatem non exhaurit,quia impulsus qualitas est sensibilis, cuius sensatio tactui est disconueniens, & ita laborem sentimus in sustinendo lapidem, sicuti in retinenda manu igni applicatâ quem vitamus cùm manum mouemus,quia sicuti quando illam amouemus ab igne, cui erat applicata, ignis sensatione non fatigamur: ita quando mouemus manum, cui lapis est superpositus, tollimus applicationem requisitam, vt lapis impulsum imprimat,& ita non fatigamur, non præcisè, quia impulsui non resistimus,sed quia non patimur impulsum, cuius sensatione torqueamur.

Ex hoc argumento vires resumit opinio, quæ facilitatem in cognitione constituit;pro qua ex illo iterum arguo: 7
Voluntas antequam actum producat, sentit inclinationem ad illum,& verè in nobis experimur nos faciles, & pronos esse ad aliqua obiecta,sed voluntas experitur hanc inclinationem ante volitionem : ergo tantùm per ipsam cognitionem trahitur voluntas ad obiectũ.Qualitas enim actiua dum nihil agit,perinde est,ac si non esset,neque per actionem tollit difficultatem, quæ ante ipsam est iam superata, adeò vt potiùs in illa nõ exercenda difficultas vincẽda sit.

Vtitur hoc argumento Hurtadus, ad probandum habi- 8
tus actiuè non concurrere, quòd mea quidem sententia probat, victoriam difficultatis non consistere in ipso actiuo concursu.Verumtamen difficile adhuc est explicare, in quo consistat, si non ponatur in propositione obiecti; propter quam rationem non leuiter in illam sententiam propendebam,& longè difficilius,si dicatur qualitatem hanc, quâ vincitur difficultas, actiuam non esse. Si tamen res est componenda iuxta sententiam, quæ facilitatem in habitibus superadditis constituit ; sic ego illam compono. Habitus est qualitas quædam ex se determinata ad producendum actum in quem inclinat taliter,vt eo ipso,quod sit in actu primo cum reliquis aliis requisitis ad talem actũ violentiã nonnullam patiatur,si talé actum non producat;quia ex se est determinata,& per suam entitatem in actu primo conatur talé actum producere.Hanc propensionẽ,seu hunc conatum habet dependenter quoad efficaciam à libertate voluntatis,cui subditur, sicuti ignis concurrens cum Deo per modum principij determinati, concurrit salua libertate Dei, à qua dependet exercitium suæ inclinationis : sic habitus est determinatus ad producendum actum dependenter à libertate voluntatis, à qua dependet exercitium suæ propensionis ; non tamen ipsa propensio, sicuti semel producto igne non dependet à voluntate Dei, vt in effectum propendeat ; quia per suam entitatem habet hanc propensionem, sine qua existere repugnat. Per hanc propensionem habitus voluntas trahitur ad actum salua semper libertate illius, ita vt non solùm sit illi facile in actum prorũpere, verùm se ab illo continere sine difficultate nõ possit,licet illius libertas difficultatẽ hãc superare valeat.

Ex hoc inferes difficultatem non tolli per ipsam actio- 9
nem voluntatis,sed formaliter per propensionem, quam habet voluntas ad talem actionem. Quæ propensio est identificata cum ipso habitu,& præcedit volitionem procedentem ab illo, & ideo dicimus hominem sæpè labi in aliquod peccatum, quia est facilis,procliuis,& propensus ad illud : ergo facilitas præcedit actionem peccaminosam procedentem ab habitu, & formaliter consistit in ipso habitu, qui per modum actus primi per suam entitatem formaliter inclinat voluntatem in talem actum. Ex quo concludo,in instantibus,in quibus præcedit habitus cum reliquis requisitis ad actum, voluntatem esse priùs tempore, quàm illum exerceat facilem ad actum, & in ipso instanti temporis,in quo actum elicit,priùs naturâ,quam illum eliciat,voluntatem facilem esse per habitum naturâ priorem actu.

Ex hac doctrina facilè rationem assigno, propter quam 10
habitus infusi etiam intensi vltra id, quod ad posse requiritur,facilitatẽ non tribuant potẽtiæ;videlicet,quia etsi sint actuum operatiui, ex se non exigunt operari,nisi ad exigentiam voluntatis ; habitus verò naturales, etsi non possint operari, nisi dependenter à voluntate ; ex se tamen semper exigunt operari,ita vt nonnullam quasi violentiam patiantur,quando voluntas non vult cum illis operari, ad instar ignis,cum quo Deus concurrere non vult.Quam differentiam infero à posteriori ; quia experimur hominem intensiori,vel remissiori habitu charitatis præditum, non ideo maiorem,minorémve facilitatem habere ad actus supernaturales charitatis exercendos,quod signum,est diuerso modo inclinare habitum acquisitum ad actus, quo non inclinat infusus. Quæ diuersitas non ex alio capite videtur nasci posse,nisi ex diuersa ratione, quâ per modum actus primi hi habitus proprios actus respiciunt.

Obiic.

11 Obiicies primò : Habitus per nos reddit facilem potentiam antecedenter ad concursum actiuum : ergo necessum non est ipsum actiuè concurrere. Respondeo habitum reddere facilem potentiam ad actum per conatum ad concursum actiuum,ex quo concursus actiuus habitus in actum necessariò dimanat eo ipso, quod actus sit futurus:ac proinde concursus actiuus necessarius est, non tanquam quid formaliter potentiam facilem constituens; sed tanquam quid illatum necessariò in actu futuro ex illo,per quod potentia facilis constituitur.

12 Obiic. secundò. Actus efficienter producunt habitus: ergo non possunt habitus producere alios actus: quia nequeunt duæ causæ æquiuocæ esse sibi inuicem causæ adhuc secundum diuersa individua. Respondeo concedendo primum antecedens, & negando consequentiam, & confirmationem illius, quia actus intellectus producunt species impressas,quæ rursus alios actus intellectus producunt.

13 Obiicies tertiò : Habitus concurrunt immediatè, & physicè ad substantiam actus,v.g.volitionis:ergo volititio, quæ semel dependet ab habitu,non potest non dependere ab illo ; quia volitio includit actionem , quæ non potest non dependere ab illo principio, à quo semel dependet: ergo habitus non requiritur solùm ad facilitatem ; sed etiam ad substantiam habitus. Vrgeo : Volitio , quæ dependet semel ab habitu non potest dependere à voluntate tantùm : & volitio , quæ dependet tantùm à voluntate non potest ab habitu dependere:sed volitio,quæ dependet à voluntate tantùm, & non potest dependere ab habitu ; & volitio , quæ dependet ab habitu, & non potest non dependere ab illo, respiciunt principia specie distincta : ergo distinguuntur specie,quia actiones respicientes principia specie distincta, distinguuntur specie:ergo habitus requiritur non solùm ad hanc numero volitionem ; sed ad volitionem huius speciei,ita vt implicet volitionem eiusdem speciei cum illa, quæ procedit ab habitu,procedere tantùm à voluntate:ergo habitus acquisitus non requiritur tantùm ad facilitatem actus:sed ad substantiam specificam illius.

14 Respondeo, verum esse habitus requiri non solùm ad hunc numero actum:sed etiam ad hanc speciem actus , si diuersitas specierum ex principiis desumatur:nihilominus dicitur tantùm requiri ad facilitatem:quia eadem voluntas posset alio actu naturali tendere circa idemmet obiectum formale. Vnde ratione naturalitatis , & ratione obiecti habitus acquisitus simpliciter non requiritur. Ex quo fundamentum desumitur ad dicendum habitum acquisitum non requiri ad simpliciter operandum , hoc est, naturaliter , vel supernaturaliter circa tale obiectum , sed tantùm ad faciliùs operandum. Habitus infusus dicitur requiri ad simpliciter operandum , quia nequit voluntas sine habitu infuso , vel sine aliquo supplente vices illius , versari circa tale motiuum actu supernaturali.

15 Obiicies quartò:Actus sufficienter respondet potentiæ tanquam principio adæquato : ergo non potest dependere ab habitu. Monui sæpe ex hac correspondentia prædicatorum non desumi argumentum efficax ad causam adæquatam constituendam , nisi quando aliud non superest fundamẽtum,ad nouum principium assignandũ effectui.In præsenti tamẽ illud habemus,quapropter admisso antecedenti posset negari consequens.Potest etiã antecedens negari,quia actus , qui procedit ab habitu non potest ab illo non procedere modo nuper explicato,ac proinde actus ille non sufficienter potentiæ correspondet.

16 Inquirunt nonnulli , an potentia intensiorem actum producere valeat cum habitu,quàm sine illo posset producere? Affirmat Arriaga , quia quò plura sunt principia ad effectum , effectus intensionis capax intensior euadit: sed quando habitus concurrit ad actum , sunt plura principia ad effectum producendum , & effectus est intensionis capax:ergo effectus intensior euadet. Negant alij, & melius, quia habitus non dantur ad posse simpliciter , sed ad facilius operandum :ergo quidquid potentia valet cum illis producere, posset sine illis , etsi non facilè,producere. Respondet Arriaga , habitus dari ad faciliùs operandum sub tanta intensione , & ad posse simpliciter sub alia maiori. Res est parui momenti , in qua difficile erit quidquam euidenter ostendi Existimo tamen absque fundamento dicere Arriagam,habitus dari ad simpliciter posse sub magna intensione actus producere : & contra communem sententiam , quæ ad actus naturales , quantumvis intensos , habitus acquisitos non requiri defendit. In sententia,quæ habitus constituit in speciebus , & facilitatem actualem in cognitione , cùm hæc principia, etsi non illa intensione , sub qua habitus dicuntur , ex se requirantur ad posse simpliciter : & intensio superaddita minimo requisito sit eiusdem rationis cum illo minimo , quod simpliciter requiritur, illud quod dat facilius posse , respectu huius actus,dat posse simpliciter respectu aliûs intensioris, qui causam petit intensiorem, & eiusdem rationis etiam secundùm illam intensionem , quam petit remissior alius actus eiusdem rationis cum ipso.

Inquiritur secundò : An habitus concurrere possit ad 17
actum illo intentiorem ? Pars negatiua ita posset suaderi: Nulla causa potest producere effectum intensiorem se , vt patet in calore , & aliis qualitatibus : ergo habitus non potest concurrere ad productionem actus illo intensioris. Affirmatiuam partem sic suadeo. Habitus non requiritur ad substantiam actus : ergo potentia sine habitu poterat producere effectum intensum,vt quatuor:ergo informata habitu vt duo poterit eumdem actum elicere, quia habitus aduenies non minuit virtutem potentiæ. Soar.sect.6.n. 7. & Torres 2. 2. disp.38.dub. 4. asserunt,potentiam informatam habitu intenso vt duo , posse elicere actum intensum vt quatuor : tunc tamen habitum non producturum gradus intensionis , quibus vincitur ab actu.Vtraque pars conclusionis rationibus suprà datis probanda est.

Punctum V.

De distinctione habituum,& de eorum intensione.

Prima Conclvsio. Pro omnibus actibus supernaralibus eiusdem virtutis , datur vnus habitus infusus , tam respectu virtutum intellectus , quam voluntatis. 1
Hæc conclusio est omnium communissima:sine fundamento enim distinguentur diuersi actus fidei in intellectu , & diuersi habitus charitatis in voluntate : pro diuersitate actuum fidei,& charitatis ; quia nullum est fundamentum ad tales habitus distinguendos. Deinde quia habitus infusi dantur , vt compleant potentiam impotentem ex se ad actum supernaturalem.Vnde cùm eadem sit improportio, seu impotentia respectu actuum eiusdem virtutis , eodem habitu suppleri congruum est. Dixi congruum est , quia existimo hanc conclusionem nullâ ratione metaphysicâ posse euidenter positiuè probari : efficacissimè tamen probatur ex eo , quod nulla sit ratio ad hos habitus distinguendos.

Secvnda Conclvsio. : In intellectu dantur diuersi 2
habitus pro diuersitate conclusionum , in quas inclinant habitus , etiamsi illarum diuersitas tantùm proueniat ex obiecto materiali. Hanc conclusionem docet Soar.sect.11. n.55. licet non ita clarè tradat requiri diuersum habitum pro conclusionibus diuersis tantùm ex obiecto materiali. Illam tenet Hurt.disp.11. Metaph. sect.7 & Arriag. disp.1. Logicæ sect.3,subsect. 4.& ratione probatur:sæpè quis habet facilitatem in quibusdam conclusionibus scientiæ eliciendis , ~~& non in aliis conclusionibus scientiæ eliciendis~~ & non in aliis conclusionibus pertinentibus ad eam scientiam,sæpè quis facilè discurrit in hac materia;non verò in illa,etiamsi obiectum formale discursus, seu connexio antecedentis cum consequenti sit eadem formaliter : ergo facilitas ad hos actus est diuersa pro diuersitate actuum, Deinde probatur. Habitus intellectus non distinguuntur ab speciebus obiectorum : sed species distinguuntur pro distinctione obiectorum materialium, & formalium:ergo & habitus.

Tertia Conclvsio:Habitus voluntaris distinguuntur pro diuersitate obiectorum formalium,& materialium, 3
si materialiter specie differant:vel saltem numero , si dissimilitudinem aliquam habeant. Probatur hæc conclusio: sæpè quis habet facilitatem in temperantia circa cibum, & non circa potum, circa hunc cibum , & non circa aliũ. Respondet P. Soar,hanc facilitatem prouenire ex aliis capitibus,quæ ex ipso retuli puncto præcedenti : sed hac solutione probatur non dandos esse habitus distinctos ab speciebus,quapropter si hi defendendi sunt,necessum est asse-

rere

rere distinctos habitus esse constituendos respectu actuum versantium circa diuersa obiecta formalia, vel materialia.

4 Quarta Conclvsio. Pro diuersitate actuum versantium circa idem motiuum formale, & tantùm materialiter numero distinctum sine aliqua dissimilitudine, non est diuersus habitus in voluntate constituendus in opinione, quæ habitus constituit distinctos à cognitione, & speciebus. Ratio est, quia quoties quis facilè se abstinet ab hoc pane, facilè etiam se abstinebit ab alio eiusdem rationis: est enim eadem difficultas in abstinentia ab vtroque, cùm non sit maior difficultas in hoc non edendo, quàm illo: si verò panes essent diuersæ rationis, hic albus, suauis, & optimum habens saporem, ille verò niger, asper, & insipidus, maior esset difficultas in non edendo pane albo, quàm nigro, ac proinde diuersi habitus pro his actibus essent assignandi, secundùm hanc sententiam. In sententia verò, quæ habitus voluntatis constituit in cognitione, sicut cognitio est diuersa pro diuersitate obiectorum, quantumuis materialium, ita habitus vel saltem facilitates formales erunt numero diuersæ, licèt numquam possit quis his duobus obiectis eodem modo cognitis esse facilis ad vnum, & non ad aliud.

5 Qvinta Conclvsio. Habitus respectu eiusdem obiecti, vel respectu obiectorum similium, in opinione quæ constituit habitus distinctos, intenduntur per additionem gradus ad gradum. Qui gradus vniuntur mediâ vnione sicut vniuntur gradus intensi caloris. Hos gradus intendi infero ex eo quod sentitur respectu eiusdem obiecti maior facilitas, quo quis pluribus actibus circa illud se exercet. Hanc intentionem fieri per additionem graduum vnitorum ex eo infero, quod hi gradus sunt eiusdem rationis, & in eodem subiecto necessariò debent esse vniti, neque secundus gradus habitus est modus prioris illi per se vnitus, vt docet Vasquez 1. 2. disp. 8. sect. 5. quia cùm omnes gradus sint producti ab actibus eiusdem rationis, ipsi etiam eamdem naturam fortiuntur, & nulla est ratio, propter quam gradus posterior productus sit modus prius producti: neque vt ille qui prior fuit productus, non potuerit esse posterior. Neque obstat modum vnionis partium habitus non esse facilitatem in ordine ad obiectum, sufficit enim esse vnitiuum graduum in quibus facilitas consistit.

6 Sexta Conclvsio. In opinione, quæ totam facilitatem voluntatis constituit in cogitationibus, & radicaliter in speciebus, ex quibus hæ cognitiones oriuntur, facilitas potest intendi per additionem gradus ad gradum. Quia, cùm cognitio hoc modo intendatur, & hæc sit facilitas, facilitatem ita intendi necesse est: quæ ratio est eadem de speciebus. Potest tamen secundùm hanc opinionem facilitas fieri maior, & magis inclinari voluntas sine additione gradus: sed per additionem cognitionis ad cognitionem. Si enim voluntati repræsentetur obiectum per quamdam cognitionem repræsentantem illud, vt conueniens, & postea ex vi alius cognitionis idem obiectum sub alia ratione conueniens repræsentetur, voluntas magis allicietur ad amorem illius, & erit magis facilis ad illud amandum per duas cognitiones repræsentantes duas bonitates, quàm per vnam simplicem bonitatem repræsentantem.

7 Contra has conclusiones solet obiici, sequi ex illis virtutem temperantiæ non esse vnam, neque scientiam aliquam habere vnitatem. De vnitate scientiæ dixi sæpe, illam esse vnitatem quamdam moralem ordinis: non verò metaphysicam. Idem dico de vnitate virtutis moralis acquisitæ sumptæ pro habitu, quæ potiori ratione dicitur vna, etsi plures habitus contineat: quia actus omnium respiciunt idem obiectum formale, v. g. actus omnes misericordiæ respiciunt leuamen miseriæ alienæ; actus verò eiusdem scientiæ, v. g. Logicæ respiciunt obiecta formalia valde diuersa.

Pvnctvm VI.

De productione, & corruptione habituum, & causis illorum.

1 Fvit Durandi opinio habitus produci à potentia & actus esse dispositiones ad illos. Communis tamen sententia, quam defendit Vasquez 1. 2. disp. 79. cap. 9. Soar. disp. 44. sect. 8. Hurtad. disput. 16. sect. 6. docet habitus produci ab actibus. Hanc opinionem verissimam censeo iuxta communem sententiam, quæ constituit habitus distinctos: esto illius ratio: experimur ad repetitionem actuum fieri habitus: ergo actibus tribuenda est virtus actiua illorum, sicut virtus actiua lucis soli tribuitur; quia ad præsentiam solis lux producitur. Non enim apparet, in quo alio genere actus possint ad habitus conducere, cùm fine fundamento asserat Durandus, illos actibus indigere tanquam dispositionibus.

2 Obiicit Hurtad. pro sententia Durandi: Habitus vitiosus conseruatur à voluntate: ergo ab illa potest produci eadem enim virtus requiritur ad conseruationem, & ad productionem. Antecedens probat, quia habitus vitiosus non potest conseruari ab actu, qui iam præteriit, neque à Deo, quia indecens est, Deum conseruare actum vitiosum. Respondet Hurtad. habitum vitiosum conseruari à voluntate, quæ virtutem habet illum producendi, licèt illum non producat: quia ad præsentiam actus huic deberur concursus, quia est causa minùs æquiuoca cum habitu non verò potentiæ.

3 Non placet hæc doctrina quia quotiescumque coniungitur duplex causa, & vtraque habet virtutem producendi effectum, ab vtraque producitur per concursum attemperatum manentem ab vtraque causa, neque video qua ratione actus sit causa minus æquiuoca cum habitu quàm potentia, cum maior dissimilitudo sit inter habitum, & actu quam inter habitum, & potentiam. Actus enim differt ab habitu in ratione vitæ actualis, & vitalis actionis, in quo non differunt potentia, & habitus, quæ alias conueniunt in hoc, quod est esse principium actus. Melius responderur habitum vitiosum conseruari à Deo, in quo nulla est indecentia, sicuti neque est in eo, quod simul cum actu concurrat ad productionem illius & simul cum voluntate ad materiale peccati, quia licèt hi concursus sint tantùm, causæ primæ, & conseruatio habitus vitiosi dependeat tantùm à Deo, hunc præstat Deus quatenus est causa prima, & vniuersalis, ad quam non tantùm pertinet cum causis particularibus concursu vniuersali concurrere, sed etiam peculiari concursu supplere causarum absentiam, & effectus conseruare, quo causa secunda produxit quotiescumque effectus natura sua petit durare.

4 Inquires, an habitus producatur primo actu: Respondeo primo actu produci aliquam facilitatem, quæ licet sit eiusdem rationis, & essentiæ cum habitu, & aliis gradibus aduenientibus, atque ex illis & gradu seu facilitate productâ à primo actu, fiat habitus: nihilominus non dicitur habitus quouisque adiungatur cum aliis gradibus aduenientibus, quia tunc, vtpote valde remissa, est facilè mobilis à subiecto.

5 Hæc in communi sententia, quæ habitus in qualitatibus distinctis constituit; in sententia verò, quam proposui, quid in hac re dicendum sit constat ex dictis. Cùm enim in illa facilitas actualis, & immediata consistat in cognitione, dicendum hanc produci à potentia & speciebus. De facilitate verò radicali, quæ in speciebus consistit, dicendum est produci ab actibus præteritis, qui relinquunt speciem impressam repræsentatiuam ipsorum, & obiectorum, quæ tales actus respiciunt, vt probaui.

6 Circa corruptionem habituum dicendum est contra Gabriel. in 3. dist. 23. q. 1. art. 3. dub. 6. & Almain. in 1. tom. moral. cap. 18. asserentes habitus corrumpi ex defectu exercitij, & contra Gregor. in 1. dist. 17. q. 3. art. 2. & eumdem Almainum, asserentes corrumpi habitus immediatè, & formaliter per actus procedentes ab habitu oppositos: Cum P. Vasquez 1. 2. cap... disp. 81. Lorc. ibid. disp. 12. Montesin. disp. 34. q. 1. & Gran. disput. 12. sect. 3. habitus tantùm formaliter corrumpi per habitum oppositum, quia id quod formaliter opponitur cum facilitate ad actum virtutis non est actus vitij, sed difficultas ad actum virtutis, & facilitas ad actum vitij, in qua consistit habitus oppositus. Corrumpitur habitus actu contrario remotè & efficienter, quatenus producit habitum, quo formaliter & proximè corrumpitur. Neque cum aliquo fundamento dicitur habitum corrumpi ex defectu exercitij, quia negatio actionis non potest esse destructiua principij.

7 Obiicit Arriaga: Quando quis habet habitum vitij vt octo, verbi gratiâ, & incipit se exercere primo actu virtutis oppositi, habitus imperfectus seu facilitas producta primo

primo actu non potest expellere aliquem gradum habitus vitiosi vt octo: ergo hic non potest corrumpi aduentu contrarij. Probat minorem: quando elicitur primus actus virtutis, supponitur habitus vitij vt octo retardans voluntatem ab illo actu: ergo supponitur existens in illo instanti: ergo non potest corrumpi in illo instanti. Multa mouet Arriaga, vt huic argumento satisfaciat, sed absque vlla necessitate, eadem enim est difficultas de habitu vt octo resistente actui virtutis oppositæ, quam de calore vt octo resistente primo gradui frigiditatis, ac proinde eodem modo respondendum est iuxta dicta in generatione, de expulsione qualitatum, octauum gradum habitus vitiosi expellendum habitu producto primo actu virtutis oppositæ non resistere actui virtutis, neque gradui contrario, à quo expellitur in illo instanti, in quo corrumpitur, & actus virtutis producitur à voluntate.

8 Dubitant nonnulli; an de potentia Dei absoluta possint conseruari habitus inter se oppositi; de quo ego non dubito. Certum enim existimo posse habitus quãtumvis inter se oppositos, diuina intercedente potentiã, in eodem subiecto componi, quia potest Deus vno habitu introducto, non suspendere concursum, quo conseruabat alterum contrarium, quantumvis introductus exigat suspensionem conseruationis illius; exigentia enim causæ secundæ non cogit primam, vt secundùm illam necessariò operetur, neque illi libertatem adimit, vt iuxta eadem exigentiam causæ secundæ prouideat.

9 Confirmatur. Possunt actus inter se oppositi, sicuti sunt amor, & odium de eodem obiecto simul in eodem subiecto conseruari, vt probaui Controu. 6 Punct. 3. ergo potiori ratione poterunt habitus, in quibus est oppositio ratione actuum.

10 Neque in eo quod voluntas habeat qualitates inclinantes in actus contrarios, quorum quælibet ex se intendebat voluntatem retrahere ab actu in quem altera inclinat, aliqua est contradictio proxima, aut remota; non enim ex eo, quod voluntas habeat habitum iustitiæ inclinantem in iustitiæ actum, & remouentem ab actu iniustitiæ; & oppositum habitum inclinantem in actum iniustitiæ, & remouentem ab actu iustitiæ, infertur voluntatem de facto trahẽdam esse in actu secundo ad actum iustitiæ, & remouendam ab actu iniustitiæ, & simul in actu secundo trahendam in actum iniustitiæ, & remouendam ab actu iustitiæ in quo est immediata contradictio: quia adhuc absente habitu opposito, non semper habitus inhærens voluntati consequitur effectum, quem intendit, & præsentiã oppositi per accidens impeditur inclinatio, quam affert voluntati, vt minùs in actu primo voluntas ex vi illius trahatur: quia voluntas in opposita inclinata tantùm retrahitur inclinatione ad odium, v. g. ab amore, quantùm trahitur adhuc per inclinationem, quam habet ad ipsum amorem, & tantùm retrahitur ab odio per inclinationem, quam habet ad amorem, quantùm trahitur ad odium per habitum inclinantem ad odij actum, ac proinde per oppositum actum in opposita attracta in suam naturalem indifferentiam reducitur; sicuti trutina ex se vtraque lance æquè librata, dum vni lanci pondus aliquod superponitur, tota in illam partem trahitur, quod si vtrique lanci æquale pondus adiiciatur, quælibet quantitas intendet trutinam trahere in partem illam, in quam ipsa propendet & cùm in opposita loca quantitates ferantur, & trutinam inclinent hæc æquè librata manebit, ac si nullo pondere traheretur, & æquè poterit in quamlibet partem moueri ac si in oppositam nullam haberet inclinationem. Hac ratione dixit Arriaga duos habitus oppositos de potentia absoluta simul existentes proprios effectus formales non daturos.

11 Ex hac doctrina, si rationibus metaphysicis præcisè attenderem, non esset mihi difficile defendere, non opponi habitus, quantumvis intensos, inclinantes in actus oppositos; sed vnum tantùm alteri, quasi efficaciam adimere, & effectum formalem impedire, alium oppositum tribuendo: quo posito perinde est ac si non esset ille, quem præstat habitus, sicuti exemplo trutinæ explicatum est, quæ tota ex vi quantitatis existentis in vna lance inclinatur in hanc partem per modum actus primi, & tota ex vi aliùs quantitatis existentis in altera lance per modum actus primi in opositam inclinatur, quæ inclinationes secundùm suam entitatem non opponuntur, etiamsi sin in actus incompossibiles; sed tantùm adinuicem retardantur ita vt ex vi alterius quælibet ita se habeat in ordine ad effectum ac si non existeret. Affirmo nihilominus habitus inter se opponi, propter communem sententiam, & vt faciliùs assignemus, habituum corruptionem, & quia durum videtur asserere habitum tãtùm posse alio intensiori superari. Censeo tamen facilè posse defendi habitus inter se formaliter non opponi, sicuti non opponuntur cognitiones intensissimæ inclinantes in actus voluntatis oppositos, neque species impressæ aptæ ad productionem intellectionum inter se impossibilium, neque impulsus in opposita loca idem corpus inclinantes. Iuxta quam sententiam dicendum esset, habitus corrumpi sicuti species, quia non diu durare possunt, vnde si repetitione actuum non intendantur per longum tempus, ex se deficient. Quod non mediocriter suadet experientia, quia si quis Veneri deditus, per longum tempus à Veneris actibus abstineat, aliis rebus nimis intentus, & actuum castitatis oblitus, non eamdem propensionem sentiret in venerem, quam sentiret, si nullo tempore illius actus essent interrupti, quod efficaciter suadet habitus temporis diuturnitate corrumpi. Quod si breui tempore habitus seu inclinatio in aliquod obiectum superanda sit, hoc faciendum est crebro exercitio actuum oppositorum quibus, etsi non corrumpatur habitus præcedens, producetur intensior, quò magis trahatur voluntas, & adeò intensè, vt non sentiat inclinationem antiqui habitus. Si tibi placuerit hic dicendi modus, & singularitatis amicus velis defendere, habitus inter se non opponi, non alia opera indigebis ad hanc sententiam defendendam, præter eam, quam ad illam explicantiam adhibui. 12

Obiicies. Contrà id, quod diximus habitus oppositos non posse simul conseruari naturaliter, posse tamen supernaturaliter. Deus non potest conseruare supernaturaliter habitum vitij, quia non potest illum ex se conseruare, nisi ad exigentiam causarum: ergo non potest habitus vitij existere in statu, in quo non petat naturaliter conseruari: ergo non potest conseruari cum virtutis habitu, cum quo non exigit suam conseruationem, neque naturaliter conseruari. Respondent nonnulli Deum posse conseruare naturaliter habitum vitij & supernaturaliter virtutis habitum, quia quando naturaliter conseruaturus erat habitum vitij, & suspensurus concursum circa habitum virtutis, potest hunc supernaturaliter non suspendere, in quo casu habitus vitij naturaliter, & iuxta exigentiam causarum conseruabitur, seu producetur, & tantùm conseruatio habitus virtutis erit supernaturalis. Non placet hæc solutio, quia quotiescumque duæ formæ incompossibiles conseruantur, conseruatio vtriusque est supernaturalis, quia illa quæ denuo introducitur non potest naturaliter introduci, nisi supponatur opposita saltem auferibilis per illam, ac proinde quando virtutis habitus supernaturaliter est conseruandus, habitus vitij naturaliter produci nequit.

Respondeo. Deum posse habitum vitij iuxta propriam exigentiam conseruare supernaturaliter non addita exigentia, quam haberet habitus virtutis illi coëxistens vt corrumperetur, in quo casu Deus non à se sed iuxta exigentiam, quam habet habitus vitij operaretur, etiamsi contra exigentiam habitus virtutis, ex vi cuius habitus vitij corrumpendus esset. An verò Deus possit habitum vitij nulla exigente causa infundere disputent inter se Theologi. 13

Disputant nonnulli, An ad habituum oppositionem requiratur oppositio ex motiuo formali, vel sufficiat tantùm secundùm obiecta materialia: v. g. an habitus inclinans in actum, quo quis committit iniustitiam propter luxuriam, furtum scilicet propter fornicationem, opponatur cum iustitiæ habitu: Resp. affirmatiuè, quia furtum factum propter fornicationem opponitur cum actu institiæ: ergo habitus ortiex his actibus opponuntur, quia tota habituum oppositio oritur ex actuum oppositione. 14

Hæc in communi opinione; in sententia verò facilitatem actualem constituente in cognitione, dicendum est corrumpi ex defectu attentionis animæ ad alia obiecta se conuertentis vel ex defectu sensationum externarum, & phantasmatum excitantium talem cogitationem. De corruptione radicalis facilitatis specierum videlicet intellectus; maior est difficultas, non enim possunt deficere ex defectu subiecti, hoc enim durat cùm sit ipsa anima, neque ex defectu conseruantis, quia si conseruantur ab anima, 15

anima, eadem perseuerat, neque necessum est ipsam vacare ab aliis operationibus, vt ipsas conseruet, si autem cõseruantur à Deo, nullo modo potest ad defectum virtutis conseruatricis confugi, neque hæ species possunt aliis contrariis expelli: constat enim componi in eodem intellectu species obiectorum habentium oppositionem contrariam & contradictoriam.

16 Dixerunt aliqui species continuò durare, sed antiquas obrui aliis de nouo aduenientibus, & ita non posse operari. Contrà tamen, quia intelligi non potest quid sit species antiquas nouis obrui, cùm omnes idem indiuisibile subiectum occupent, neque species nouæ antiquas contegant, omnes enim sunt in eodem indiuisibili spatio, etsi antiquæ corruptæ non fuêre, vt hi fatentur, eamdem virtutem habent species antiquæ ac nouæ, cùm illæ quæ, modò sunt antiquæ cum eadem virtute antea fuerint nouæ.

17 Dicendum existimo has species corrumpi sicut corrumpitur impulsus, & sonus, & aliæ huiusmodi qualitates quæ per aliquod tempus petunt durare, quo transacto, durationem, neque conseruationem sui non exigunt à causa prima.

18 Id quod alij dicunt species otio corrumpi fundamento caret, negatio enim actionis dimanantis ab illis non potest esse causa mediata, neque immediata corruptionis illarum. Est tamen notandum, quod quoties quis exercet species quas habet alicuius obiecti, & sæpè de illo cogitat in dies nouas species acquirit illius obiecti productas ab actu intellectus versante circa illud, & ita etiamsi antiquæ corrumpantur non sentitur defectus illarum, quia species nouiores producunt actus similes illis, quas antiquæ producebant, & hoc est fundamentum propter quod aliqui putarunt species exercitio conseruari, & otio corrumpi.

PVNCTVM VII.

An actus supernaturales ab habitibus supernaturalibus producti alium habitum supernaturalem acquisitum producant, & quomodo per illos facilior reddatur potentia.

1 POtest dubitari an actus supernaturales producant habitum acquisitum supernaturulem, quo potentia reddatur facilis ad alios actus supernaturales; & an producant habitum naturalem, quo potentia reddatur facilis ad actus naturales, & supernaturales, tendentes circa illud obiectum, qui habitus primò producatur, si alij actus naturales circa idem obiectum non præcesserint, à quibus similis habitus non fuerit productus; si verò præcesserint, & talem habitum produxerint, eumdem intendant actus supernaturales circa idem obiectum. Quod si includantur actus supernaturales nullum actum producere, explicandus est modus, quo potentia facilis constituatur ad actus supernaturales eliciendos, quia experientia compertum est potentiam adquirere talem facilitatem, & hanc non prouenire ab habitibus infusis certum est, quia postquam charitatis infusæ habitum habet, sæpè facilis non est ad actus charitatis supernaturales eliciendos, & habitus infusi virtutum moralium semper sunt eadem intensione ad mensuram gratiæ habitualis, & homo maiorem facilitatem habet ad actus supernaturales huius virtutis quàm illius, imò facilis est ad actus huius virtutis, & positiuè difficilis ad actus aliús.

2 Sententiæ affirmanti actus superuaturales producere habitum acquisitum supernaturalem fauent vterque Hurtadus Complutensi. 1.2. diffic. 5. vbi illam sine formidine defendit, Salmant. disp. 16. de anima, sect. 8. num. 74. vbi multùm propendet in illam. Eamdem posse defendi, & probabilem esse sæpe insinuat P. Vasquez 1. 2. disp. 79. num. 45. & 48. Probabilissimam esse docet Arriaga disput. 9. sect. 1. subsect. 2. n. 18. & ex antiquis illam docuêre Petrus Bergomensis in tabula aurea dub. 697. & Almain. in 3. dist. 23. q. 3. & vt nonnulli volunt admittitur à S. Thoma de veritate p. 17. & conscient. art. 1. ad 4.

3 P. Mol. 1. p. q. 1. art. 3. in fine, P. Azor. tom. 1. lib. 3. institut. mor. c 2. q. 3. Coninch. 2. 2. disp. 7. dub 3. Ripald lib. 3. de ente supernat. disp. 53. docent actus supernaturales producere habitum acquisitum naturalem.

4 P. Soar. lib. 6. de gratia cap. 14. ait facilitatem ad actus supernaturales posse reduci in specialem prouidentiam, & assistentiam virtutis diuinæ, & auxiliorum, quibus homo iustus iuuatur à Deo ad actus supernaturales efficiendos. P. Vasquez disp. 79. cap. 47. affirmat assuetudine actuum in dies facilitari potentiam ad similes actus supernaturales efficiendos.

5 PRIMA CONCLVSIO. Si habitus acquisiti respectu actuum naturalium distincti ab speciebus defendendi sunt, necessum est dicere, dari alios habitus adquisitos siue naturales, siue supernaturales, à quibus potentia facilis euadit ad actus supernaturales. Rationem tetigi Punct. 3. qua si facilitas ad actus supernaturales defenditur per nouum vsum specierum, vel per auxilia gratiæ, & sanctas cogitationes, eodem omnino modo dicetur facilitatem ad actus naturales non consistere in nouo habitu superaddito, sed in noua cognitione obiecti, & in exercitio specierum, seu multitudine illarum, neque aliqua disparitatis ratio reddi poterit. Quod argumentum expendit Vasquez agens de extensione habituum contra Soarium dicentem hominem præditum habitu alicuius virtutis ex parte potentiæ esse æquè facilem ad vnum obiectum, quam ad aliud, sed ipso vsu circa vnum obiectum sentire facilitatem, quia ipsa exercitatione species aptiùs repræsentant obiectum, vt amplectatur à voluntate. Circa quem modum dicendi dobitè insurgit Vasquez illo posito frustrà nos laborasse in habitibus quærendis, tota enim facilitas actuum ad illam specierum exercitationem sine aliis habitibus distinctis posset reduci.

6 SECVNDA CONCLVSIO. Actus supernaturales non producunt habitum adquisitum supernaturalem. Probant nonnulli hanc conclusionem à posteriori, quia si talis habitus supernaturalis adquisitus produceretur permaneret in peccatore quod est contra Conc. Trid. definiens in homine peccatore tantùm manere habitum fidei, & spei. Non moueor hac ratione, neque aliquod absurdum in consequenti reperio, quia Tridentinum tantùm definit ex habitibus infusis nullum manere in peccatore præter habitum fidei, & spei, de acquisitis verò non meminit, quia ad institutum Concilij non spectabat.

7 Alij arguunt: si darentur hi habitus, permanere non possent in peccatore, quia hic non habet habitus infusos, qui dant simpliciter posse ad actus supernaturales: ergo non potest habere acquisitos dantes faciliùs posse: Probo consequentiam: habitus qui dat posse faciliter operari supponit ipsam potentiam operandi: ergo non potest esse sine illa: ergo non potest esse sine habitu infuso, qui dat posse, in quo consistit potentia ad tales actus. Si vera esset illatio, hoc argumentum, non hanc sententiam impugnaret, sed potiùs dilueret primum suprà factum, quia si habitus acquisitus supponit infusum in homine peccatore, in quo per peccatum corrumpitur habitus infusus, corrumperetur etiam acquisitus, in quo nullum esset inconueniens. Dices non esset tamen apertè falsum, quia experimur non per primum peccatum, quo corrumpuntur habitus infusi, corrumpi facilitatem ad omnes actus virtutum infusarum, sed permanere hominem facilem ad plures illarũ actus exercendos. Esto, hoc argumentum probat te non rectè arguere, dum ex corruptione habitus infusi infers corruptionem acquisiti, quia etsi facilitatem in quocumque alio constituas, eodem modo potero arguere illam facilitatem supponere potentiam ad operandum, quia posse facilè operari, supponit posse operari.

8 Respondeo habitum acquisitum posse permanere sine infuso quia etiam sine habitu infuso peccator est potens efficere actus supernaturales per auxilium extrinsecum Dei, qui præsto adest vt loco habitus cum peccatore concurrat ad actus supernaturales eliciendos. Addo habitum acquisitum permansurum esse, etiamsi peccator non haberet specialem concursum paratum ad actus supernaturales, & impotens esset illos efficere. Quia habitus acquisitus non supponit id, per quod potentia constituitur potens ad actus præcisè vt conseruetur, sed vt de facto potentiam inclinet, & vt de facto effectũ habeat, vt patet in voluntate, quæ sine cognitione amare nequit, & tamen sine cognitione obiecti conseruat habitũ, qui posita cognitione inclinat in talẽ actũ. Sic habitus acquisitus supernaturalis potest esse sine infuso, quo posito inclinabit ad actum supernaturalem, ad quem non inclinabat ablato infuso, quia habitus non inclinat, neque allicit potentiam ad actum, quousque fit in actu primo ad illam. Ad argumentum in forma respondeo

respondendum est, negando non posse conseruari habitum acquisitum sine infuso. Ad probationem illius distinguendum est antecedens. Facilè posse, supponit simpliciter posse: facilè posse in actu primo adæquato, concedo: habitus qui ex se tribuit facilè posse, & de facto reddit potentiam facilem, quando habet omnia requisita secundùm suam entitatem supponit simpliciter posse ad sui conservationem, nego.

9 Instabis: Habitus acquisitus ad primam sui infusionem supponit infusum: ergo ad sui conseruationem. Probatur consequentia: Non magis requiritur ad productionem quàm ad conseruationem; sed ad productionem habitus adquisiti supernaturalis requiritur infusus: ergo ad conseruationē. Respondeo negando primam consequentiam antecedenti admisso, quia in prima productione habitus adquisitus producitur ab actu, & actus supponit habitū infusum, à quo producitur, ac proinde supponit in illo instanti habitus adquisitus infusum, à quo dependet tanquam à causa mediata. In instanti verò conseruationis habitus adquisitus non conseruatur ab actu, sed à Deo tanquam à primo, & vltimo conseruante, ac proinde non dependet neque proximè neque remotè ab habitu infuso. Ad probationē consequentiæ respondeo non magis requiri ad producendum, quàm ad conseruandum effectum quando productio, & conseruatio futura est ab eadem causa: quando verò productio futura est à causa secunda, & cōseruatio à prima, requiritur causa remota conseruans illam causam secundam, vt effectus producatur, non verò requiritur, vt conseruetur causa remota conseruans Deum proximè effectū conseruantem.

10 Affirmo, actus supernaturales non producere habitū infusum adquisitum supernaturalem, quia si illū producerent, superfluus postea esset habitus infusus, quod sic probo. Habitus infusus requiritur vt eleuet potentiam ad actum supernaturalem, quem ipsa vtpote naturalis non potest producere, sed hæc eleuatio tribueretur potentiæ ab adquisito: ergo superfluus esset infusus. Probo minorem, in qua est tota difficultas: Habitus acquisitus vt probaui producit actiuè substantiam actus: ergo posito habitu acquisito supernaturali iam esset aliquod comprincipium potentiæ supernaturale ad actum supernaturalem producendum: ergo esset sufficienter eleuata, & esset ex parte principij actiui aliquid supernaturale, cui responderet supernaturalitas relucens in actu: ergo non esset necessarius alius habitus infusus ad actum supernaturalem producendum. Dices, necessarium esse habitum infusum quia acquisitus non est ad substantiam, sed ad facilitatem. Contrà: probaui iam habitū acquisitum concurrere ad substantiam, & tantùm dici concurrere ad facilitatem, quia sine illo potest dari alius similis actus circa illud obiectum: ergo habitus acquisitus supernaturalis influeret in substantiam actus supernaturalis: ergo ad hunc non esset necessarius habitus infusus supernaturalis, cui corresponderet supernaturalitas effectus.

11 Tertia Conclvsio. Facilitas ad actus supernaturales prouenit ab habitu naturali eleuato habitu infuso ad actus supernaturales producendos. Hæc cōclusio probāda est ex duabus præcedentibus, vbi probaui facilitatē actuum supernaturalium reducendam esse in aliquem habitum acquisitum, & nullum supernaturalem produci. Ex quo necessariò cogimur ad habitum naturalem confugere. Confirmatur ex doctrina tradita Punct. 4. vbi probaui habitum reddere potentiam facilem ad actum distinctum in specie ratione principij ab illo à quo fuit productus, dum non distinguatur à ratione obiecti: ergo habitus naturalis productus ab actu naturali poterit reddere facilem potētiam ad actum ratione principij supernaturalem & specie distinctum secundùm hoc prædicatum, dummodo tēdat in idem obiectum, in quod tendebat actus, à quo fuit productus. Confirmatur ratione desumptā à priori ex ipsa natura habitus. Habitus deseruit ad vincendam difficultatem, & reddendam facilem potentiam: sed tota difficultas, quæ est in actu desumitur ex materia, & ex motiuo circa quod versatur actus, nō ex naturalitate, vel supernaturalitate: ergo dum materia, & motiuū sit idem, idem habitus requiritur, siue actus futurus sit naturalis, siue supernaturalis. Probo consequentiam: vbi est eadem difficultas, eadē facilitas requiritur, vt vincatur, sed quotiescumque est eadem materia, & idem motiuum est eadē difficultas: ergo requiritur eadem facilitas, quia vincatur, seu eadem facilitate vincitur difficultas, quæ est eadem. Difficultatem non oriri ex supernaturalitate facilè probatur. Actus naturalis, & supernaturalis circa eamdem materiam & idem motiuū tantùm differunt ex diuerso principio à quo procedunt: sed potentia non habet specialem difficultatem in producendo actu adiuta alio comprincipio supernaturali, vel naturali: ergo difficultas actus non oritur ex supernaturalitate, vel naturalitate. Maior est certa: minor ex ipsis terminis constare videtur, quis enim dicet voluntatem difficilius erumpere in actum adiutam habita infuso, quàm sine illo?

12 Qvarta Conclvsio. Actus supernaturales producūt, vel intendūt habitū, quo actus supernaturales, & naturales facilè producuntur. Infero hanc conclusionē ex præcedenti. Idē habitus deseruit vt facilè fiant actus supernaturales, & naturales. & tā horū, quàm illorū exercitio experimur facilitatē illorū, quæ vtrisque est cōmunis accrescere: ergo idē fundamentū est, vt dicamus habitū produci & intendi actibus naturalibus, & supernaturalibus: ergo dicendum ab vtrisque produci, cū nulla repugnantia sit in eo, quod actus supernaturalis producat naturalem habitum.

13 Obiic. ex Soar. Actus producit inclinationem in actus similes illi: ergo actus naturalis non producit habitum inclinantē in actum supernaturalem, neque actus supernaturalis producet habitū inclinantem in actum naturalem. sed naturalis producet habitum inclinantem in actum naturalem, & supernaturalis inclinantem in actum supernaturalem: ergo. Respondeo: Actum producere habitum inclinantem in actus illi similes ratione motiui, & ratione materiæ, siue similes, siue dissimiles ratione principij, ac proinde actū naturalem producere habitum inclinantē in alium actum tendentem in idem motiuum, siue naturalem, siue supernaturalem. Similiter actus supernaturalis producit habitum inclinantem in omnem actum siue naturalem, siue supernaturalem tendentem in idem motiuum & materiam similem, in qua non reperitur noua difficultas.

14 Obiic. ex Hurt. Si actus supernaturalis potest producere habitū naturalē, habitus supernaturalis poterit producere actū naturalem: ergo nullum erit caput ex quo sumatur supernaturalitas actus, & poterimus dicere actum voluntatis procedentem ab habitu infuso esse naturalem. Respondeo disparem esse rationem, quia actus, qui procedit ab habitu supernaturali per se & essentialiter est coniunctus cum illo, ita vt nequeat de potentia Dei absoluta ab illo nō procedere, quia actus vitalis consistit in actione essentialiter per se ipsam connexa cum suo principio. Habitus verò dependet ab actu supernaturali mediā actione, & potest ab illo non dependere, sicuti de facto non dependet in instanti generationis, ac proinde ex eo quod dependeat ab actu supernaturali non infertur non posse dependere ab actu naturali, & non esse naturalem secundū suam entitatē.

15 Hæc dixerim in sententia, quæ habitus supernaturales superadditos constituit, in illa verò, quæ facilitatem in cognitione, & habitus tantùm in speciebus constitueret, quid dicendum sit facilè constat ex dictis de specierum productione ab actibus intellectus, & voluntatis.

CONTROVERSIA XV.

De Specificatione.

NIHIL frequentius in Philosophia fertur, quàm potentias specificari per actus & actus per obiecta, neque potentiis & actibus termini specificationum clauduntur, vix enim de aliqua entitate disputamus, præcipuè si relatiua sit, cui proprium specificatiuum non tribuamus. ideo placuit Controuersiam hanc instituere de specificatione rerum omnium.

PVNCTVM I.

Quid sit specificatio.

SPecificare propriè loquendo est rei speciem facere, seu propriam speciem rei tribuere, quod si strictè sumatur causalitatem specificatiui in specificatum dicit, quod enim speciem alicuius efficit & illi speciem dat. verè est causa illius, ideo doctè dixit P. Herice tract. 1. disp. 5. c. 4. n. 39. & tract. 2. disp. 18. cap. 5. num. 34. specificationem formalem, & à priori inuoluere dependentiam. Ex hoc principio, 1

hanc nobis certam debemus præfigere regulam : omne illud, quod ab alio propriè, & à priori non dependet, propriè & ab illo non specificatur, quia specificatio, vt iam dixi, formaliter causalitatem includit.

2 Cæterùm non quælibet entitas, quæ dat esse alteri illam specificare dicitur sub omni ratione, sed tantùm sub illa, quam præcisè ex vi illius principij determinatè habet tanquam à determinatiuo illius: exempli gratiá: actio eo ipso quod procedat à principio naturali adæquato non potest non esse naturalis: prædicatum naturalis in actione specificationem sumit à principio naturali vt naturali, quia hoc determinatum est ad producendam actionem naturalem, ita vt omnis actio, quæ ab illo procedat necessariò sit naturalis, & non possit esse supernaturalis. Quando verò causa ex se indifferens est ad producendum hunc effectum cum hoc prædicato specifico, & alium effectum cum alio prædicato opposito, specificatio talis prædicati non potest tribui principio indifferenti non libero, quia cùm secundum suam naturam indifferens sit, & non possit se determinare, determinatio talis prædicati non ab illo, sed ab alio principio procedet à quo dicetur speciem desumere, exempli gratia: potentia visiua indifferens est ad producendam visionem coloris albi, vel nigri, producit de facto visionem coloris albi, specificatio prædicati, per quod hæc visio differt ab alio, quod haberet visio coloris nigri non sumitur à potentia, quæ non fuit à se determinata ad illud producendum, sed ab specie impressa, quæ illam determinauit, vt talem in specie visionem produceret.

3 Dixi specificationem prædicati non posse tribui causæ indifferenti non liberæ, quia si causa libera sit cùm ipsa se possit determinare, etiamsi indifferens sit ad amandum, vel odio habendum, potest dare actui prædicatum specificum amoris, quia potest se determinare ad amandum, & ablatio indifferentiæ ad amorem, & odium tribuitur voluntati, tanquam principio liberè se determinanti.

Sicuti causa, & causalitas in intrinsecam, & extrinsecam diuiditur, ita specificatio eamdem partitionem habet: specificatio intrinseca est illa quæ prouenit à causa intrinseca, illa videlicet quam habet totum à forma: specificatio extrinseca est quam habet effectus à causa extrinseca adæquatè ab illa distincta actio videlicet ab agente.

4 Specificationis nomen latiùs patet quàm illius stricta significatio, iã enim sumitur non solùm pro vera causalitate specificatiui, in specificatum, sed etiam pro illatione vnius prædicati ex alio ad quod habet aliquem ordinem, secundùm quam acceptionem dicimus potentias specificari ab actibus, quia ex actuũ naturis, naturam potentiarum inferimus. Ex hoc fonte dimanauit diuisio specificatiui, & specificationis à priori, & à posteriori: specificatio à priori, quæ propriè est specificatio, est illa quæ procedit à vera causa, in qua specificatiuum verè tribuit esse specificato; specificatio à posteriori est, quæ nõ sumitur à causa in qua specificatiuum non tribuit esse specificato, sed tantum illud arguitiuè infert, hacratione specificantur potentiæ ab actibus, quia ex diuersis actibus diuersas potentias inferimus.

5 Inter entitates relatiuas, quædam dicunt ordinẽ ad terminos, qui purè gerunt vices termini respectu illarum, ita vt nullo causalitatis genere, termini in entitates relatiuas influant, sicuti cognitio diuina dicit respectũ ad obiectum creatum, quod nullo modo in illã influit, neque immediatè, neque mediâ specie, & quælibet relatio transcendentalis termini ad suum effectum; qui nullam causalitatem exercet circa illam, sed tantùm se habet per modum purè termini in ordine ad causalitatẽ, quia etsi aliâ ratione terminus relationis transcendentalis non se habeat vt purè terminus, quia aliquâ denominationem desumit ex terminatione, ex quo distinguitur relatio transcẽdentalis à prædicamentali; in ordine verò causalitatis effectus relationis transcendentalis tantùm se habet vt purè terminus, quia nullam causalitatem exercet circa entitatem, quæ in ipsam refertur. Aliæ relatiuæ entitates dicunt ordinẽ ad terminos, qui causalitatẽ aliquã propriã, & strictam, proximam, vel remotam exercent circa respectus, quos terminant. Exemplum esto actus videndi, qui refertur in colorẽ, qui color mediâ specie impressâ illum efficienter producit, & sensatio tactus, quæ refertur in qualitatem, quæ immediatè illam producit.

6 Ex his entitatibus respectiuis, quæ terminos purè terminos respiciunt nõ possunt ab illis specificationẽ propriã à priori trahere, quia præcisè terminare non est influere, neque terminus præcisè quatenus terminus est habet rationem veræ causæ propriè & strictè, sed tantùm impropriè, solet enim dici causa formalis extrinseca, quæ verè forma non est, neque veram causæ rationem habet. Poterunt huiusmodi entitates à posteriori specificari à suis terminis, ex quorum diuersitate, diuersitatem effectuum colligimus. Entitates respectiuæ respicientes terminos, qui in illas aliquam causalitatem exercent ab illis possunt specificari, sicuti coloris visio, quæ à suo obiecto propriè speciem trahit. Ex his principiis facilè poterunt assignari illa, à quibus singulæ entitates per omnia prædicamenta discurrendo speciem trahunt.

PVNCTVM II.

De specificatione potentiarum.

IN mea sententia, quæ potẽtias ab anima non distinguit, multa ex his, quæ dicam locum habere nequeunt, procedam tamen in opinione quæ potentias distinguit ab anima inter se, vt quæstioni locum demus, & doctrinam de specificationibus notam faciamus. 1

PRIMA CONCLVSIO. Nulla potentia specificatur ab actibus specificatione propriâ, & à priori desumptâ. Hæc conclusio ex dictis Punct. præcedenti manifestè infertur per hunc discursum legitimum. Nulla entitas specificatur ab illo à quo est independens tanquam à causa, sed potentia est independens tanquam à causa ab actibus: ergo potentia non specificatur ab actibus: Maiorem probaui Puncto præcedenti: Minor est certa, quia visio & intellectio nullam exercent causalitatem in potentiam intellectiuam, & volitiuam. 2

SECVNDA CONCLVSIO. Quælibet potentia specificatur à priori propriè, & strictè ab essentia, à qua dimanat: probo: quælibet potẽtia procedit ab essentia, cuius dicitur potentia per simplicem emanationem tanquam ab adæquato principio: sed omnis effectus specificatur à principio adæquato, seu ab aliquo in illo concluso: ergo omnis potentia specificatur ab essentia: Maiorem admittit communis sententia: minorem probo: principium adæquatum naturâ suâ est determinatum, si necessariò operatur ad producendum effectum, & à se determinatur, si est liberum ad producendum effectum: ergo effectus procedit à principio adæquato tanquam à principio cui tribuitur determinatio specifica ipsius effectus: ergo procedit ab illo tanquam ab specificante. 3

TERTIA CONCLVSIO. Potest dari potentia visiua superaddita in homine, & equo (sic de aliis potẽtiis communibus homini, & equo sentio) quæ specificetur ab homine, & equo non secundùm rationes specificas vniuscuiusque, sed secundùm rationem communem animalis, ita vt potentia visiua hominis possit secundùm vltimam rationem specificam procedere ab equo, & specie non distinguantur potentia visiua hominis & potentia visiua equi. Probo hanc conclusionem: non repugnat hominem habere potentiam talis naturæ, vt si coniungeretur cum natura equi, cum illa produceret actus videndi, quos produceret equus, sicuti modò adiũcta naturæ hominis producit actus visionis quos producit homo: ergo non repugnat eadem potentia non solum secundum speciem, sed etiam secundum numerum potuisse antecedenter afficere hominẽ, vel equum, sed talis potentia vtrique communis procederet à quocumque illorum quatenus aliquid commune haberet cum altero: ergo ab illa ratione cõmuni specificaretur, & non à ratione speciali, qua differt homo ab equo. Posse eamdem potentiam afficere hominem & equum sic probo: Potentia non dependet per se & immediatè, sed media actione dependet ab homine; ergo potuit antecedenter non dependere ab homine, sed dependere ab equo media alia actione. 4

Obiic. Potentia visiua hominis producit visiones specie distinctas ab illis, quas producit potentia visiua equi: ergo distinguitur in specie. Probo antecedens: Potentia visiua hominis producit visiones dependẽtes essentialiter ab homine, potentia passiua equi producit visiones essentialiter dependentes ab equo: sed hæ visiones distinguuntur in specie: ergo vtraque potentia necessario nequit actus specie distinctos: ergo distinguitur specie. Respondeo casu quo potentia visiua hominis possit afficere equum, & è contrà, vtramque potentiam posse producere actus eiusdem speciei, licet de facto alios specie distinctos producat, quia potẽtia visiua hominis posset producere actus essentialiter 5

dependen

dependentes ab homine,quos de facto homini coniuncta produceret , & actus essentialiter dependentes ab equo, produceret,si equo coniungeretur,& sic similiter potentia visiua equi,quæ de facto produceret actus essentialiter dependentes ab equo,posset etiam ex se producere actus dependentes essentialiter ab homine, quos produceret si naturæ hominis fuisset coniuncta,ac proinde vtraque potentia posset antecedenter se extendere ad eosdē specie actus dependentes ab vtroque principio,licet de facto quælibet ex se tenderet ad actus specie distinctos procedentes à principiis specie distinctis, quia diuersis specie principiis esset quælibet potentia adiuncta. Ex quo non infertur distinctio specifica potentiarum,quia distinctio potentiarum non desumitur ex actibus,quos hic & nunc ratione circūstantiarum potest producere principium,sed ex his , quos quatenus est ex se valet exercere, valerent autem potentia visiua hominis , & equi producere actus dependentes ab eodem principio secundum speciem,& circa idem obiectū, quia vtraque potentia ex se valet producere visiones dependentes ab homine,& vtraque potuit antecedenter esse potentia hominis,& similiter vtraque potuit esse potentia equi & producere actus essentialiter dependētes ab equo.

6 Qvarta Conclvsio. Non repugnat potentia visiua hominis talis naturæ , vt ex se petat afficere naturam humanam,ita vt etiamsi possit coniungi cum hac vel illa anima rationali ad visionem producendam,non possit coniūgi cum natura equi , & similiter potentia visiua equi talis naturæ,quæ petat afficere equum & non aliud specie animal,etiamsi indifferens sit ad hunc , vel illum equum afficiendū,quæ potētiæ specificationem sument à ratione specifica essentiæ,à qua procedunt,quia homo v. g.ex prædicato specifico rationalis determinatus est ad producendā potentiam visiuam distinctam à potentia visiua equi , & equus ex prædicato specifico hinnibilis determinatus est ad producendam potentiam visiuam distinctam specie ab illa quæ potest homini conuenire. Quod si potentia visiua hominis exigeret afficere hominem,ita vt non posset equo conuenire,& potentia visiua equi exigeret nasci ab equo, & non posset ab homine procedere, specie distinguendas esse, sic probo. Potentiæ quæ dicunt ordinem ad species distinctas quatenus distinctas specie distinguuntur : sed hæ potentiæ dicerent ordinem ad essentias specie distinctas vt specie distinctas:ergo distinguerentur in specie. Quid de facto contingat in mea sententia locum non habet, quæ potentias ab animo distinctas non admittit.

7 Qvinta Conclvsio. Si in homine & angelo darentur intellectus superadditi,distinguerentur specie , & specificarentur ab vltimis illorum differentiis. Probatur hæc conclusio ex diuerso modo quem haberent operandi hæ potentiæ , quia potentia intellectiua hominis operaretur dependenter à phantasmatibus, & nullum est fundamentum vt dicamus angelum producturum intellectum potentem operari dependenter à phantasmatibus, à quibus angeli operatio dependere non potest,& angelus intelligit per species vniuersaliores , & intellectiones longè perfectiores,quas sine fundamento dicemus posse produci ab intellectu hominis,neque differentia similis inuenitur inter potentiam visiuam hominis & equi,quia dependenter ab eisdem obiectis,& per easdem species,& æquè se ad obiecta extendentes videt homo,& equus.

8 Sexta Conclvsio. In potentiis , & sic in quibusvis aliis entitatibus prædicatum materialitatis & spiritualitatis specificatur non solùm ex principio effectiuo , sed etiā ex causa materiali, quod sic probo. Forma spiritualis non potest educi ex subiecto materiali,neque forma materialis ex subiecto spirituali:ergo subiectum ex se est determinatum vt effectus ab illo euadat materialis si materiale est, & spiritualis si subiectum spirituale fuerit : ex alio capite subiectum eductionis est vera causa:ergo ab illo effectus trahet specificationem secundùm prædicata materialitatis & spiritualitatis , secundum quæ non potest non talis determinatè euadere à subiecto eductionis.

9 Septima Conclvsio. Specificatio potentiarum à posteriori,& quo ad nos sumitur ex omnibus actibus collectiuè sumptis , quos singulæ possunt producere , ita vt quotescumque collectio actuum,specie differat , secundū omnes actus,quos includit,vel secundum aliquos inclusos in hac collectione,quibus in alia collectione non correspondarent alij similes, seu non notabiliter differentes potentiæ specie necessariò distinguantur.Hac ratione potentia volitiua,& intellectiua,auditiua , & visiua ab his , qui illas distinctas realiter distinguunt,specie distinctæ constituuntur,quia illorum actus specie distinguuntur secundum omnes,qui includuntur in collectione illorum, qui possunt exerceri à quacumque potentia.Similiter specie distinguerentur si darentur duæ potentiæ , quarum vna posset producere actus videndi,& audiendi,& altera actus videndi tantùm,quia collectio actuum, ex qua desumeretur specificatio vnius potentiæ notabiliter differret ab alia,etsi non secundum omnes actus audiendi,vtrique essent communes secundum alios qui huic collectioni , & non illi competerent.

10 Est tamen in hac re non leuis difficultas in assignandis actibus adæquatis cuiuscūque potentiæ,in ordine ad quos potentiæ specificentur,& sint multiplicandæ in substantiis habentibus potentias realiter distinctas. Cur enim sicuti pro actibus audiendi & videndi diuersæ potentiæ constituuntur , non etiam diuersæ constituentur pro actibus apprehendendi,& discurrendi.Censeo non repugnare diuersas potentias superadditas,quandam apprehensiuam,aliam iudicatiuam,& discursiuam aliam assignatur tamen omnibus his actibus eadem potentia propter illorum similitudinem,& similem modum respiciendi obiecta, actibusque audiendi,& videndi distinctas potentias assignari propter eorum dissimilitudinem.Quanta verò debeat esse dissimilitudo ad distinctas potentias constituendas, quantamque eadem patiatur potentia , non potest certa & determinata regula metaphysica,aut mathematica assignari,sed prudentis hominis iudicio taxandum est.

11 Octava Conclvsio. Ab illis à quibus desumeretur à posteriori distinctio specifica potentiarum realiter distinctarum ab anima desumitur distinctio formalis potentiarum,quæ inter se & anima realiter non distinguūtur,sic formaliter distinguimus in eadem anima potentiā intellectiuam à volitiua,& auditiuam à visiua per ordinem ad eosdem actus,in ordine ad quos potentias realiter distingueremus.Ratio est,quia distinctio rationis sumitur per ordinē ad distinctionē realē,& ita in ordine ad eosdē actus desumitur.Id quod dixi de potentiis actuum vitalium, eadem proportione intelligendum est de aliis potentiis non vitalibus,calore,v.g.& frigiditate respectu suorum principiorum,& actionum,quæ possunt ab illis procedere.

Pvnctvm III.

De specificatione aliarum qualitatum non vitalium.

1 Prima Conclvsio. Habitus infusus à priori tantùm specificatur tanquam à causa extrinseca ab omnipotentia per actum voluntatis Dei determinata ad hunc habitum producendum,neque aliud habet specificatiuum secundùm prædicatum specificum illius. Ratio ex dictis Punct.1. facilis est:nulla est entitas creata , quæ possit hos habitus infusos producere:ergo illorum productio, & determinatio productionis tantum prouenit à Deo: ergo ab illo tantum prouenit specificatio,quæ consistit in dependentia à principio à se liberè vel necessario determinato ad producendum talem effectum.

2 Secvnda Conclvsio. A posteriori,& quoad nos ex actibus respicientibus diuersa motiua formalia,etiam pertinentibus ad eamdem potentiam debemus inferre diuersitatem specificam habituum supernaturalium.Probo hanc conclusionem:In homine peccatore manet habitus spei,& non manet habitus charitatis : ergo habitus infusi distinguuntur etiamsi illorum actus pertineant ad eamdem potentiā:ergo habitus distinguūtur per distinctionē obiectorū formaliū:quæ illorū actus respiciunt. Sic Theologi omnes,qui actus virtutum infusarum, & illorum habitus per diuersa motiua formalia,quæ respiciunt actus, distinxère.

Tertia Conclvsio. Non repugnat ex natura rei habitus quidam supernaturalis,qui concurrat ad omnes actus supernaturales potentiæ volitiuæ licet de facto non detur. Probo hanc conclusionem:Eadem potentia volitiua etiāsi superaddita ponatur,concurrit ad volitiones supernaturales respicientes diuersa motiua:ergo idē habitus supernaturalis posset ad eosdē concurrere,quia habitus infusi non dantur ad distinctionē motiuorū in actibus,actus enim naturales volūtatis absq;vllo habitu diuersa motiua respiciūt, sed tantùm dantur ad prædicatum supernaturalitatis quod

præcisè sumptum eiusdem rationis est in omnibus actibus. Ex hoc infertur specificationē à posteriori ex diuersis motiuis actuum ad diuersos specie habitus infusos non sumi præcisè ex hoc capite necessario ex natura rei, sed suppositis aliis principiis ex quibus nobis constat habitus infusos distingui realiter per ordinem ad actus supernaturales distinctos ex motiuis.

4 Qvarta Conclvsio. Habitus acquisiti si dantur superadditi specificationem sumunt ab actibus, à quibus producuntur, quia ab illis procedunt tanquam à principiis determinatis ad productionem illorum.

5 Qvinta Conclvsio. Habitus acquisiti sic à posteriori & quoad nos specificantur ex diuersis motiuis & ex materia dissimili, circa quam actus versantur, in qua potest esse noua difficultas, ita vt quotiescumque horum alterum diuersum sit diuersum habitum ex actibus à posteriori inferamus. Constat hæc conclusio ex dictis Controu. præcedenti, Punct. 5. vbi probaui habitus multiplicari ex motiuis, & ex diuersis materiis, in quibus diuersa apparet difficultas, & ex dicendis Puncto sequenti, vbi probabo actus per ordinem ad diuersa obiecta materialia specie distincta distinctionem sortiri specificam.

6 Sexta Conclvsio. Species impressæ, quæ producuntur ab obiectis ab illis à priori specificationem trahunt, quia omnia obiecta productiua specierum determinata sunt ex se ad illas producendas, & neutrum valet speciem diuersæ rationis ab illa, quam producit, efficere.

7 Septima Conclvsio. Species impressæ, quæ producuntur à Deo, & non ab obiectis, quorum species dicuntur, totam specificationem trahunt à Deo tanquam à causa adæquata determinante se ad talem speciem, & non ad aliam natura specifica distinctam producendam.

8 Octava Conclvsio. Species impressæ siue à Deo productæ siue ab obiectis à posteriori specificantur ab actibus: ex quibus specierum naturas licet inferre, nullus enim est actus, qui indifferens sit ad dependendum, & non dependendum ab specie impressa, neque ad dependendum ab hac vel illa specie impressa, sed actus omnis ab impressa specie dependens ex differentia indiuiduali connexus est cum hac numero specie, & ex differentia specifica cum specie huius specificæ naturæ.

9 Nona Conclvsio. Ex qualitatibus, quæ nullum effectum producunt, supernaturales sicuti habitus gratiæ, in opinione, quæ illum ab habitu charitatis distinguit, & character Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, à priori specificantur à Deo, quia ab illo tantum dependent tanquam à causa se determinante ad has qualitates producendas, & à posteriori à terminis, ad quos dicunt aliquem ordinem characteres ab auxiliis diuinæ gratiæ quæ secum afferunt, gratia habitualis à beatitudine, ad quam dicit ius, & à Deo, cum quo coniungit animam. Qualitates naturales (si quæ sunt non operatiuæ) specificantur à priori ab aggregato qualitatum, seu à quocumque agente, à quo producuntur, quod per suam entitatem est determinatum ad illas producendas, & ab actibus qui possunt dari circa illas.

Pvnctvm IV.

De specificatiuo operationum vitalium.

1 EX principiis, & obiectis operationes hæ specificari dicuntur, distinctè de specificatione ex vtroque capite à priori & à posteriori desumptâ.

§. I.

De specificatione desumpta ex principiis.

2 Prima Conclvsio. Prædicatum supernaturalitatis in his operationibus specificatur à quocumque principio per se influente in illas supernaturali, & prædicatum naturalitatis exigit omne principium adæquatum naturale secundum omnia inadæquata principia, quæ includit. Patet hæc conclusio in actu amoris Dei, qui procedit à potentia volitiua naturali & eo ipso quod procedat ab habitu supernaturali supernaturalis euadit, & in actu fidei, qui eo ipso quod procedat ab habitu infuso supernaturali, etiamsi procedat ab intellectu naturali, & ab impressis speciebus naturalibus supernaturalis est. Rationē à priori reddo. Omnis actus vitalis qui procedit à principio saltem inadæquato supernaturali, vtpote actio essentialiter depēdet ab illo, & cum illo connexionem habet supernaturalis est, quia quidquid per se connexum est cum entitate supernaturali, ita vt potentiā Dei absolutā sine illa subsistere nequeat supernaturale est.

Secvnda Conclvsio. Actus vitales secundum rationē supernaturalitatis, aut naturalitatis non possunt specificari à naturalitate subiecti, quia subiectum naturale indifferens est, vt ex illo educatur operatio naturalis, vel supernaturalis, vt patet in voluntate, & in intellectu, ex quorum potentia actus naturales, & supernaturales educuntur; prædicatum verò supernaturalitatis in operationibus vitalibus, & in quacumque alia actione rectè specificabitur ex supernaturalitate subiecti, quia omnis actio dependens à subiecto supernaturali per se ipsam dependet ab illo, & cum illo connexionem habet: ergo est supernaturalis, quidquid enim habet essentialem connexionem cum re supernaturali supernaturale est. Prædicatum materialitatis, & spiritualitatis dixi Punct. 2. Concl. 6. specificari in omnibus entitatibus ex subiecto eductionis. 3

Tertia Conclvsio. Prædicatū visionis, & sic dealiis, specificatut à potentiis singulorum actuum (si hæ inter se distinguuntur) ratio est quia quælibet potentia, eo ipso quod vitaliter & non per simplicem emanationem operatur, determinata est ad producendum proprium actum, & non potest actum alterius producere, non enim potentia visiua potest producere auditionem, neque auditiua visionem, & sic de aliis. Ex qua infertur hæc prædicata prouenire à potentiis ex se determinatis ad producendam operationem vitalem cum illis, & non cum aliis oppositis. 4

Qvarta Conclvsio. Prædicatum talis sensationis internæ, & externæ, & talis intellectionis, non specificatur à potentia, sed ab alio comprincipio, quod cū potentia operatur, quia potentia visiua & sic de aliis indifferens est ad producendam visionem circa obiectum album, & nigrū, & non valet à se determinari, sed determinatur ab specie ad producendam visionem albi, à qua visio specificationem trahit secundum vltimum prædicatum specificum. Operationes quæ ab speciebus non procedunt sicuti sensatio tactus hanc specificationem trahent ab obiecto immediatè concurrente ad sensationem, & intellectio à phantasmate, si hoc immediatè influit in intellectionem. 5

Qvinta Conclvsio. Ratio talis volitionis, amoris, v. g. vt distincti ab odio potest specificari ab ipsa volūtate in actu primo indifferenti ad amorē, & odiū. Ratio est quia si voluntas secundum se indifferens sit ad hos actus, cùm sit potentia libera valet se determinare ad hanc speciē actus, & illi specificationē tribuere. Ab eadē voluntate sumitur specificatio amoris, quando voluntas necessariò amat necessitate orta ex cognitione, quia cognitio cū nō influat in amorē, sed tantū se habeat vt conditio nō potest illum specificare propriè, & rigorosè, sed tantū se habet vt cōditio, quā positā voluntas amorē specificat tanquam causa determinata ad amorem nō per modū causæ liberæ, sed necessariæ, quia ea est natura volūtatis, vt per se ipsam sit determinata ad amandū quodcumque obiectum, quod illi proponatur vt bonum sine admixtione mali, & ad odio habēdum obiectum propositum vt malum sine admixtione boni. 6

§. II.

Explicantur munera obiecti formalis & materialis.

Primum munus obiecti formalis est mouere ad operationem; hoc vt docet Soar disp. 12. metaphysic. sect. 3. n. 17. importat in potentiis cognoscitiuis, in quibus claudūtur omnes exceptā appetitiuā materiali, & spirituali, inductum efficientis, color enim dicitur mouere ad visionē, quatenus mediā specie impressa illā producit, & sapor ad sensationē gustus quatenus immediatè ad illam concurrit, & sic omnibus obiectis respectu suarum potentiarum, quæ vt motiua principia sunt efficientia proxima, vel remota suæ operationis. In potētiis appetitiuis mouēdi ratio dicit rationem finis, ita vt illud obiectum, quod per se appetitur, dicatur motiuum, & tantum terminatiuum illud quod appetitur propter aliud. Hoc mouendi genus reperitur propriè in potentia appetitiua spirituali, quæ propriè operatur propter finem, & impropriè in materiali, quæ impropriè tantùm finem attingit. Cæterùm cum obiectum voluntatis, quod mouet per modum finis moueat quatenus cognitum, & cognitio se habeat vt conditio vt moueat in actu secūdo, dicitur etiā obiectū mouere quatenus cognitionē 7

produ-

producit mediis speciebus,quando species producit à quibus dependet cognitio , ex vi cuius obiectum proponitur vt moueat per modum finis.

8 Secundũ munus obiecti formalis est taxare perfectionem ad quam mouet.Id autem prouenit in obiectis , quæ mouent per modum principij effectiui , quia,perfectio effectus semper limitationẽ habet à causa, si creata est,quæ non potest producere effectum perfectiorem se,ac proinde perfectio causæ mensura est quam non potest excedere perfectio effectus.Si causa est increata cum non possit producere alium effectum increatum , non potest producere effectum æquè perfectum cum ipsa,ac proinde illum debet producere imperfectiorem,& consequẽter finitæ perfectionis,& cum aliquo perfectionis termino,ob id Doctores rectè inferunt,creaturas eo ipso quod sunt ab alio, esse finitas,& limitatas. Obiecta motiua volitionis creatæ illius perfectionem taxant propter bonitatem finitam,vel saltem finito modo cognitam , quo voluntatem mouent, quia cùm illam moueant quatenus cognita , ex imperfectione cognitionis imperfectio motionis , seu volitionis respicientis obiectum per modum finis inferri necesse est. Vnde cùm cognitio non sit summè perfecta non potest non volitio obiectum respiciens tanquam finem finitam vel limitatam habere perfectionem.

9 Aliud munus proprium est obiectorum formalium,quod licet non omnibus conueniat,nulli tamen non formali cõpetit,videlicet determinare potentiã vt tendat circa aliud obiectum,sic finis determinat potentiam volitiuã ad amorẽ mediorũ,& obiectum intellectus determinat ad cognitionem entitatis,cum qua connexionem habet, vel ad quã ducit in cognitionem sui termini,vt pater in cognitionem filij. Neque necessarium est vt obiectum,quod ducit in cognitionem seu amorem alterius sit prius cognitũ, aut amatũ vt contra Puente Hurt.de fide disp.4. sect.4. §.25. & 28. probaui Controu.11.Punct.2.num.14. & 19.vbi per eumdem actum habentem rationem intentionis, & volitionis posse amari finem propter se & media propter finem ostendi, & explicui,quomodo media.& finis , quæ per eamdem volitionem attinguntur possint in ordine ad illam hos respectus diuersos habere,finis obiecti amati propter se,& media obiectorum amatorum propter finem.

10 Aliud munus proprium obiecti materialis est terminare operationem,loquor de obiecto materiali proximo , quia obiectum materiale remotum v.g. subiectum coloris visi, propriè loquendo non est obiectum visionis adhuc materiale,sed subiectum obiecti,quod operationem non terminat,sed est subiectum obiecti materialis illam terminantis. Hoc munus terminandi commune est etiam obiecto formali,quod terminat operationem,bonum enim,quod propter se amatur,& est formale obiectum,terminus est amoris,& relatio,seu actio, quæ ducit in cognitionem sui termini est obiectum terminans cognitionem.Sunt tamen aliqua obiecta formalia,quæ tantùm terminant *vt quo* tanquam rationes vt terminent materialia,ipsa autem non *vt quo* terminant,quia ex vi amoris v.g. ad quem mouent non amantur,sicuti peccatum mouet ad amorem supplicij,non vt obiectum quod ametur ex vi amoris , quo supplicium amatur:de his dixi Contr.11.Punct.2.n.3.

§. III.

De specificatione actuum ex obiectis materialibus, & formalibus.

11 ACtus specificari ex obiectis motiuis,seu mouentibus media specie certum est,quia cùm species impressæ specificent actus tanquam principia effectiua illorum , & obiecta sint principia efficientia species impressas, & illas specificantia , fit necessariò obiecta mediatè influere in actus tanquam principia determinantia omnia prædicata, seu quæ species determinant,cùm autem species determinent & specificent infimam speciem operationis v.g. species coloris speciem infimam visionis , obiectum producens speciem,eamdem rationem determinat media specie impressa,tamquam causa remota operationis.

12 Non aliâ ratione posse obiecta formalia, aut materialia propriè,& à priori specificare operationes, constat ex doctrina tradita totâ hac Contr. quia specificare dicit propriam causalitatem , obiecta autem non exercent causalitatem propriam & strictam nisi mediis speciebus:ergo nõ nisi mediis istis possunt operationes specificare.Ex hoc fit nullum obiectum non mittens species deseruiẽtes ad productionem operationis illam propriè & à priori specificare,& consequenter nullum actum appetitus materialis,aut spiritualis propriè,à priori specificari ab obiecto,quia nullum obiectum actiuè influit in illud mediis speciebus. Poterit tamen obiectum specificare cognitionem, à qua non propriè tanquam à causa,sed impropriè tanquam à conditione , & applicatione obiecti formalis aliquo modo à priori specificatur actus , quia licet cognitio non sit vera causa actus voluntatis , tenet se tamen ex parte actus primi ad illum;& ita aliquam,licet impropriam specificationem exercet circa talem voluntatis actum , quam remotè exercet obiectum specificans cognitionem.

13 Neque contra hanc doctrinam est illud vulgare axioma:*Ex potentia & obiecto paritur notitia* , quia nos non negamus obiectum parere cognitionem, & sensationes omnes medio specierum semine , quo potentia fit fœcundata ad operationis partum.Specificatio verò,quæ tribuitur obiectis omniũ actuũ intelligi debet de specificatione à posteriori, sicuti necessariò intelligitur specificatio potentiarũ per actus,qui nullo modo influũt in illas,& eodẽ modo dicitur potentias specificari per actus,& actus per obiecta.

14 Circa specificationem à posteriori nulli dubiũ est actus specificari per obiecta,etiãsi hæc nullo modo in illos actiuè influant,ex obiectis enim formalibus inferimus ad quã virtutem spectet actus , est enim legitima consequentia: actus respicit leuamen miseriæ alienæ formaliter : ergo est actus misericordiæ.Actus respicit bonitatem Dei propter se ipsam:ergo est actus charitatis,neq;actus tantùm specificantur ab obiectis formalibus , sed etiam à materialibus obiectis,duo enim actus respicientes idẽ obiectũ formale, si obiecta materialia specie differentia respiciunt , specie different inter se:sic actus quo quis credit Deũ esse trinum & vnũ specie differt ab actu quo credit decedẽtes in peccato pœnâ æternâ puniendos esse , & actus quo quis vult pati mortẽ propter amorẽ Dei,specie differt ab actu, quo quis vult pauperi eleemosynam erogare propter Dei amorem,quia hi actus differunt per prædicatum multis cõmune,& notabiliter differens. Neque refert communiter doctores tantùm distinxisse actus per obiecta formalia , quia illi non egẽre de quacumque distinctione specifica actuum, sed de illa,quæ actus ad diuersas virtutes spectantes constituebant.Recentiores verò qui accuratiùs rem pertractant actus per obiecta distingui concesserẽ.

15 His positis graue est dissidium inter doctores, an prædicata naturalitatis , & supernaturalitatis specificentur ab obiectis formalibus,ita vt non possit actus naturalis respicere obiectum formaliter supernaturale , neque actus supernaturalis respicere obiectum formale naturale ; quam quæstionem multi tractant non distinguentes inter specificationem à priori,& à posteriori,& integrum locum habet etiamsi tota specificatio à priori tribuatur principiis, quia hoc admisso posset quis dicere obiectum supernaturale formaliter necessariò attingi actu procedenti à principio supernaturali,à quo trahit specificationem supernaturalitatis,& ita hanc à posteriori inferri in actu ex obiecto.Similiter dici potest obiectum formaliter naturale necessariò attingi per actum dependentem à principio adæquato naturali secundùm se totum,à quo trahit specificationem naturalitatis à priori,& à posteriori ab obiecto.

16 Actum supernaturalem necessariò respicere obiectum formale supernaturale,& naturalem actum attingere non posse obiectum formale supernaturale,sed necessariò ferri in obiectum naturale defendunt grauissimi doctores. Hi sunt P.Vasq. 1.2. q.1. in notatione articuli 3. & disput.50. cap. 1. P. Arrubal 1.p. disput. 14. cap. 6. P. Fasolis 1.p. q. 12. artic. 1. num.9. P. Didacus Ruiz. de prædest. disp. 46. sect.5. P. Torr. opusc. 2. de gratia disputat.8. dub. 8. & 9. P. Azor. tom. 1. institut. Moral. lib.3. cap. 24. quæst. 2. P. Tannerus tom. 2. disput. 6. quæst. 3. num. 153. P. Didacus de Alarcon. tract. 1. disp. 2. cap. 5. §. 2. & 3. Bañez, 2.2. quæst. 5. artic.2. Curiel. 1. 2. quæst. 109. artic.1.dub.3. §. 4. concl. 2. Zumel 1. 2. disp.1.& 2.art.3. Medina 1.2.q.62. articulo 2.

17 Oppositam sententiam videlicet posse actum naturalem habere obiectũ formale supernaturale , & actũ supernaturalẽ obiectũ formale naturale defendunt sapientissimi doctores ex antiquis , & modernis. E nostris recentioribus Molina in Concordia q.14.art.13. disp.7. & 13. & 14. & 32.

quidquid reclamet Alarcon suprà P. Ægidius de supernaturalit. disp. 5. dub. 3. & de fide disp. 14. n. 7. P. Gran. 1. 2. Contr. 8. de gratia tract. 1. disp 4. sect. 3. & 1. p. in procœmio disp. 4. n. 17. P. Salas 1. 2. tract. 2. q. 5. disp. 12. sect. 3. n. 32. Ripalda lib. 3. de supernaturalit. disp. 45. sect. 2. ex externis recentioribus, Aragon 2. 2. q. 1. art. 1. Lorca disp. 9. de grat. concl. 1. & 2. ex antiquioribus Scotus quodlib. 11. §. *alia differentia*, & in 3. dist. 31. q. vnica §. *sed adhuc*, Gab. in 3. dist. 23. q. 2. art. 1. litera G. & H. Bassolis in 3 dist. 28. q. vnica art. 1. § *sic igitur*, & dist. 23. q. vnica, art. 2. ad 1. Conrrad. 1. 2. q. 62. art. 3. Paludan. in 4. dist. 14. q. 2. n. 13 Palacius in 1. dist. 28. disp. 2.

18 Nescio quo fato tot, tantique Doctores in eam mentem inciderunt vt vnanimes omnes, ex illo axiomate sine examine à plerisque admisso: *actus specificantur per obiecta*, inferrent actus naturalitatem, & supernaturalitatem ex obiectis necessario tracturos, cùm plura alia sint prædicata in actibus, quæ in obiectis illis non correspondeant, & plura in obiectis reluceant, quæ actus non participent. Sic obiectum sæpe est substantia, & actus est accidens: obiectum est materiale, & actus est spiritualis; actus formaliter est vitalis, & ipsa vita formalissimè, & obiectum vitale non est. Hæc omnia rectè fert religio illius axiomatis, *actus specificantur ex obiectis*, cur ergo non feret actum, & obiectum non sibi in supernaturalitate, & naturalitate correspondentiam formalem seruare?

19 Affirmo cum doctoribus suprà citatis, actum supernaturalem posse attingere obiectũ formale naturale, & actum naturalem posse attingere obiectum formale supernaturale. Probo primam partem conclusionis: Potest obiectum naturale attingi actu dependenti ex principiis supernaturalibus: ergo potest obiectum naturale attingi actu supernaturali. Consequentia est legitima ex dictis §. 1. vbi probaui actũ dependentẽ ex principiis supernaturalibus essentialiter esse supernaturalem. Antecedens probo: obiectum formale materiale potest attingi actu dependente à principio spirituali: ergo obiectũ naturale potest attingi actu dependente à principio supernaturali: Antecedens nulli dubium est, cognitio enim intuitiua coloris dependet à potentia intellectiua spirituali, & in opinione communi ab impressa specie spirituali, & sensatio externa eiusdem coloris in opinione, quæ potentias ab anima non distinguit essentialiter dependet à potentia spirituali. Secundò si daretur substantia intellectiua supernaturalis, nullus negaret posse hanc tendere circa obiecta formalia naturalia, quis enim negabit talem substantiam illaturam existentiam ignis ex existentia fumi, sed omnes illius actus essent supernaturales, quia essentialiter dependerent ab illa: ergo actus supernaturalis non petit essentialiter obiectum supernaturale.

20 Rursus arguo à paritate non solùm principiorum, sed ipsorum actuum: actus spiritualis potest versari circa obiectum materiale: ergo actus supernaturalis circa obiectum naturale. Respondet Alarc. obiectum specificare potentiam intra genus ad quod est contracta potentia & quia potentia intellectiua contracta est ad producendos actus spirituales, & non potest materiales producere, ita obiectum specificat omnes actus intellectus intra genus spirituale, & non potest materialitatem illis impingere per specificationem, quam in illos refundit. Rectè, sed eádem doctrinâ vrgeo: obiectum materiale specificat actus intellectus salua illorum spiritualitate, quia iam supponuntur intra genus spirituale ratione potentiæ, à qua trahunt spiritualitatem: ergo eodem modo obiectum naturale poterit specificare actus saluâ illorum supernaturalitate, quia iam supponuntur intra genus supernaturale ratione principiorum supernaturalium, à quibus dependent, & à quibus trahunt supernaturalitatem, sicut enim potentia intellectiua constituit omnes suos actus independenter ab obiecti spiritualitate, & materialitate intra genus spirituale, ita si daretur potentia supernaturalis, & habitus supernaturales, qui de facto dantur, constituunt actus dependentes ab illis intra genus supernaturale independenter à supernaturalitate, & naturalitate obiecti.

21 Probatur eadem pars ex actibus virtutum moralium infusarum, quibus difficillimum est obiectum supernaturale assignare, quod enim dicunt Thomistæ, virtutes acquisitas respicere propria obiecta vt conformia rationi naturali, & virtutes infusas respicere eadem motiua vt conformia rationi fidei supernaturali, vel vt conformia homini ordinato ad finem supernaturalem, facilè habet impugnationem, quia rustici homines hanc conformitatem non apprehendunt, & tamen eliciunt actus virtutum infusarum: ergo hi actus non respiciunt ex parte obiecti has conformitates, quia nullus actus voluntatis potest ferri in obiectum non apprehensum. Sufficiat hanc attigisse rationem, quam non insequor, quia Theologica est.

Secundam partem conclusionis, videlicet posse actum 22
naturalem tendere in obiectũ supernaturale probo. Potest Philosophus ratione naturali cognoscere Deum esse summum bonum, & amore dignissimum: ergo ex vi illius cognitionis potest illius voluntas trahi & allici ad amorem: ergo ex vi illius cognitionis absque alio principio supernaturali potest amare Deum. Probo vtramque illationem: bonitas finita & limitata naturali cognitione repræsentata trahit in actu primo ad amorem, & mouet ad illum in actu secundo: ergo bonitas infinita, & illimitata eodem modo proposita idem præstare poterit, cæteris enim paribus infinita bonitas magis voluntatem incitat ad amorem, quàm finita. Similiter potest infidelis cognoscere cognitione naturali Deum reuelasse aliquam veritatem: ergo potest ex illo testimonio moueri ad præstandum assensum obiecto reuelato, qui assensus respiciet obiectũ supernaturale fidei, & tamen erit naturalis, quia infidelis, qui non credit omnia mysteria à Deo reuelata nullum habet actum fidei supernaturalem. Idem dico de obiecto spei. Potest enim infidelis nullam habens cognitionem supernaturalem cognoscere ratione naturali Deum esse bonum, beneficum, liberalem, & omnipotentem: ergo potest ex vi huius cognitionis expectare bonũ aliquod, quod posset expectare à creatura, in qua non ita egregia motiua spei agnosceret, sed longè inferiora, vtpote finita respectu entis infiniti per essentiam. Clariùs patet in actu timoris. Cur enim homo naturaliter non timebit inferni pœnas à Deo infligendas postquã sibi persuasit, etsi per cognitionem tantum naturalem illas à Deo sibi infligi posse? Probant alij eamdem conclusionem, quia si ex obiecti supernaturalitate liceret inferre supernaturalitatem actus, posset quis certò cognoscere amare Deum actu supernaturali, quia potest cognoscere amare Deum actu respiciente bonitatem Dei propter se ipsam, quæ est obiectum supernaturale. Hæc ratio firma non est, quia certum non est posse aliquem certò cognoscere motiuum actus suæ voluntatis.

Vltimò probatur vtraque conclusio: specificatio à priori 23
desumitur ex principio: ergo independenter à naturalitate, & supernaturalitate obiecti actus habet naturalitatem & supernaturalitatem: ergo actus dependens à principio supernaturali, in quodcumque obiectum feratur siue naturale, siue supernaturale, erit supernaturalis, & actus dependens à principio adæquato naturali necessario erit naturalis in quodcumque obiectum feratur.

Moneo Ripaldam disputatione 45. citata, sectione 8. do- 24
cere actum supernaturalem semper respicere in obiectum rationem formalem, sub qua supernaturalem, quia tendit in illud quatenus potens est terminare talem actum, constituitur autem saltem extrinsecè potens terminare talem actum per potentiam, & principia ad illum, quæ principia semper sunt supernaturalia, ac proinde deriuant in obiectum terminabilitatem supernaturalem ad actũ. Nolo cum Ripalda de nomine tantũ certare. Certum enim est actum primum ad actum supernaturalem constituere obiectum extrinsecè potens terminare talem actum supernaturalem, sicuti potentia visiua constituit colorem proximè visibilem, certum etiam est obiectum habere aliam terminabilitatem intrinsecam respectu talis actus, quam admittit Ripalda, & asserit esse naturalem, cùm obiectum formale est naturale, quia non distinguitur ab ipsa ratione constituente formaliter obiectum formale, certum est etiam actum attingere per suam entitatem hanc terminabilitatem intrinsecam, & non extrinsecam illam, quæ tantùm est pura denominatio prouenies ab actu primo potente producere actum secundum, quæ omnia fatetur Ripalda, in quibus quidquid de re disputari potest clauditur. Quod dicit Ripalda terminabilitatem extrinsecam, quam actus non attingit esse rationem sub qua, est pura loquutio, dum ille fatetur non attingi per actum, quam ego impropriam iudico, nullus enim extrinsecam denominationem resultantem ex potentia visiua in colore appellauit rationem, sub qua color terminat visionem.

§. IV.

§. IV.

Argumenta soluta.

25 OBiicies Augustinum lib. contra Iulianum c.3 qui virtutes ex obiectis formalibus distinguendas esse docet. Resp. mentem Aug. non fuisse in hoc cap. distinguere virtutes supernaturales à naturalibus ex motiuis, sed distinguere virtutes à vitiis, & ipsas virtutes supernaturales inter se, & naturales inter se ex motiuis, quia agebat contra Iulianum, qui, teste Augustino, dicebat ad cognoscendas virtutes non causam, propter quam, sed quid ageretur, respiciendum esse.

26 Obiic.2.D.Thom.sæpe distinguentē actus virtutis supernaturales ab actibus naturalibus ex motiuis, præcipuè 1.2. q.63.art.3. Resp.D.Thom.distinguere actus supernaturales à naturalibus ex motiuis vt applicatis per hæc, vel illa principia supernaturalia.

27 Obiic.3. obiectum est debitum actui: ergo si obiectum supernaturale posset respici actu naturali esset debitum actui naturali: ergo esset supernaturale, vt supponitur, & non esset supernaturale, quia quidquid est debitum entitati naturali non potest esse supernaturale. Hoc argumētum si aliquid probaret, conuinceret non posse actum naturalem respicere obiectum materiale supernaturale, quia non minus debitum est actui obiectum materiale, quàm formale. Resp. actui naturali non esse debitam existentiam obiecti, quia idemmet actus potest existere deficiente existentia physica obiecti.

28 Obiic.4. Actus naturalis potest tendere in obiectum supernaturale: ergo potest visio clara, & intuitiua naturalis tendere in essentiam diuinam. Probo consequentiam talis visio non potest repugnare si ex naturalitate actus, & supernaturalitate obiecti, non repugnat sed ex hoc capite non repugnat: ergo ex nullo. Resp. repugnare talem visionem non præcisè ex supernaturalitate obiecti & naturalitate actus vt sic sed ex tali naturalitate visionis intuitiuæ, & tali supernaturalitate obiecti, & ex repugnatia principij naturalis potentis producere visionem intuitiuam circa obiectum infinitum.

29 Obiic.5. Actus specificantur ab obiectis: ergo obiectum supernaturale debet attingi actu supernaturali, & obiectum naturale actu naturali. Resp. actus aliquando specificari ab obiectis mediis principiis à priori aliquando tantùm à posteriori non adæquatè, secundum omnia prædicata sed inadæquatè.

30 Obiic.6. Actus & obiecta debet esse proportionata: ergo actus supernaturalis exigit obiectum supernaturale, & actus naturalis obiectum naturale. Resp. concedendo antecedens & negando consequentiam, quia proportio inter actum, & obiectum non requirit hanc correspondentiam prædicatorum sicuti non requirit correspondentiam actus increati ad obiectum increatum, neque actus materialis ad obiectum materiale, sed salua hac correspondentia potest ferri actus naturalis in obiectum supernaturale, & actus supernaturalis in obiectum naturale, sicuti fertur cognitio creata hominis in obiectum increatum, & cognitio spiritualis in obiectum materiale.

§. V.

Quomodo aliqui distinguant actus naturales, & supernaturales circa idem formale obiectum.

31 EX his qui nobiscum sentiunt posse circa obiectum formale naturale dari actum supernaturalem, & circa obiectum formale supernaturale dari naturalem actum, nonnulli differentias quasdam assignant, ex quibus specificantur actus diuersi circa idem obiectum, quas placet in præsentiarum examinare.

32 Granadus 1. 2. Contro.8. de gratia tractatu 1. asserit eo differre, quod actus naturalis fertur in obiectum supernaturale modo improportionato excellentiæ obiecti, & actus supernaturalis fertur in idem obiectum modo proportionato. Agnosco differentiam hanc inter actum naturalem, & supernaturalem circa idem obiectum supernaturale, sed video nihil lucis nobis afferre ad rē clarius cognoscēdam, quod sic probo. Ferri actum naturalem improportionato modo in obiectum supernaturale nihil aliud est, quam ferri modo naturali, & per entitatem naturalem, & ferri actum supernaturalem modo proportionato in idem obiectū est ferri actu supernaturali: ergo idē est dicere hos actus differre ex proportione, & improportione ad obiectum, ac dicere differre ex eo quod vnus sit naturalis, & alius supernaturalis, quod non clarioribus terminis sed obscurioribus nobis explicatur, quia improportio inter actum & obiectum nota fit per naturalitatem actus, & supernaturalitatē obiecti, & proportio per vtriusque supernaturalitatem.

Lorca citatus §. 3. n 17. asserit distingui hos actus, quia 33
actus supernaturalis fertur efficaciter in suum obiectum supernaturale, actus verò naturalis in obiectum supernaturale inefficaciter fertur. Displicet hic dicendi modus, quia actus voluntatis efficaciter potest ferri in obiectum supernaturale, etiamsi naturalis sit, possum enim amore naturali obiectū supernaturale, ita efficaciter amare, vt ex vi illius amoris mouear ad illius prosequutionem: potest etiā actus supernaturalis inefficaciter ferri in obiectum supernaturale, & in obiectum naturale, & ita ex hoc capite non poterit differre ab actu naturali. Deinde hæc differentia in actibus speculatiuis intellectus locum non habet.

Ripalda disp.46.sect.2. Actus naturales & supernaturales 34
circa idem obiectum asserit distingui ex modo tendendi in suum obiectum, qui modus tendendi vt à plerisque sine explicatione traditur passim à multis impugnatur, ex eo quod modus tendendi non distinguatur ab ipsa tendentia, & ab eodem actu, verumtamen sicuti à nostro Ripalda explicatur maiori opera indiget illius impugnatio. Affirmat actus naturales, & supernaturales in genere respicientes idem obiectum siue naturale, siue supernaturale, differre ex diuerso modo, quo illud respiciunt, quia actus supernaturalis respicit illud obiectum excellentiori modo superante modum naturæ habentéque connexionem cum gratia iustificante; naturalis vero respicit obiectū modo perfectionis contento intra modum naturæ, & nullam habente connexionem cum gratia iustificante. Probat hanc differentiam, quia actus naturalis, & supernaturalis possunt habere eamdem connexionem comparati cum obiecto naturali, comparati verò cum natura, & gratia sanctificante non habent eamdem connexionem, quia de conceptu quidditatiuo entis supernaturalis est habere connexionem cum gratia habituali, quam non potest habere naturalis actus.

Si claro calamo scripsisset Ripalda actus supernaturales 35
distingui à naturalibus ex eo quod supernaturales habeant connexionem cum gratia sanctificante; qua carent actus naturales, non ego cum illo contenderem, quia meus non est animus rationem communem supernaturalitatis inquirere, ægrè tamen fero aliud in re dicentē velle nobis suadere ipsum ex hoc capite actus distinguere ex diuerso modo tendendi in obiectum, quia tendentia in gratiam habitualem, & connexio actus cum illa non est formaliter tendentia in obiectum, neque connexio cum illo, quia vt ipse asserit actus naturalis, & supernaturalis comparati cum obiecto naturali, quod vtrique commune sit, possunt habere eamdem connexionem cum illo, etiamsi naturalis non habeat connexionem cum gratia habituali, qua gaudet actus supernaturalis: ergo connexio ad obiectum suppositā differentia inter actum naturalem, & supernaturalem est eadem & modus tendendi in illud formaliter idem, & tantum materialiter diuersus per identitatem realem, quam habet connexione ad gratiam sanctificantem in actu supernaturali, quam identitatem non habet in actu naturali.

Affirmat secundò Ripalda actum supernaturalem, & na- 36
turalem tendentem in obiectum supernaturale discerni inter se ex eo quod actus supernaturalis connexionem habet cum obiecto, & falsus esse non potest, actus verò naturalis quatenus ex se connexionem non habet cum obiecto, & illi falsitas subesse potest. Differentiam actibus conuenire probat, quia actus supernaturalis fidei ex suo formali obiecto habet certitudinem, & veritatem, quam non habet naturalis actus, cui veritas extrinsecè contingit. Posset Ripalda omnibus actibus naturalibus, & supernaturalibus siue tendentibus in obiectum naturale, siue supernaturale eodem iure hanc differentiam assignare, quapropter immeritò affirmat specialem esse actibus tendētibus in obiectum supernaturale, quod sic probo. Sicuti actus naturalis fidei connexionem non habet cum obiecto supernaturali, v. g. cum testimonio Dei, in quod fertur, ita neque alius actus naturalis respiciens obiectum naturale connexionem habet cū suo obiecto naturali: ergo nullus actus naturalis siue respiciat obiectum naturale siue supernaturale, connexionem cum illo habet: ergo eadem differentia potest assignari

inter actus naturales,& supernaturales respicientes idem obiectum, siue hi communicent in obiecto naturali siue supernaturali. Actus naturales non habere connexionem cum obiecto probo:si aliquis actus naturalis haberet connexionem cum obiecto,maximè intuitiuus : sed illam non habet vt probaui Contr.7.Punct.1.n.15.ergo nullus.Deinde omni actui naturali veritas extrinseca est vt probaui Controu.7.Punct.1.§.3.ergo nullus actus naturalis connexionem habet cum obiecto.

36 Secundò,ex ipso Ripalda in illum obiicio. Actus supernaturalis fidei potest ferri in obiectum tantum apparens: quia potest quis iudicare Deum reuelasse veritatem aliquã, quam de facto non reuelauit:ergo actus supernaturalis cõnexionem non habet cum obiecto. Admittit Ripalda antecedens in ordine ad hanc consequentiam, & respondet actus supernaturales , qui de facto sunt circa obiectum formale existens hanc differentiam habere petitam ex connexione cum tali obiecto existente,quam non habent cum eodem obiecto actus naturales illud respicientes, quidquid sit de aliis actibus supernaturalibus.

37 Solutionem hanc clarè impugno:vera esto illius doctrina:ergo differentia assignata inter actus naturales,& supernaturales respicientes obiectum supernaturale non est pro omnibus actibus respicientibus tale obiectum ; sed pro his quæ de facto respiciunt verum obiectum existens:ergo non ad rem , quia cum agimus de differentia constituenda inter actus naturales,& supernaturales respicientes idem motiuum supernaturale , assignari debet differentia quæ conueniat omnibus illis actibus , de quibus disputatio instituitur.

38 Secundò. Vt ipse sibi obiicit,& satis bene obiecisset si difficultatem solueret:si datur aliquis actus supernaturalis indifferés vt coniungatur cũ obiecto, & vt existat sine illo: ergo hi actus,qui de facto existent hãc indifferentiã habẽt, quia ex prædicato supernaturalitatis illis non repugnat, neque aliud est caput,ex quo dicamus illis aduenire hanc strictam connexionem cũ obiecto, addo ego , neque fundamentum vt dicamus hos actus existentes de facto circa obiectum non esse ex indifferentibus vt coniungantur cum existentia obiecti,& cum negatione illius.

39 Negat sequelam Ripalda,& asserit actus supernaturales quos concessit ferri in obiectum tantum apparens dirigi ex cognitione reflexa proponente apparentiã obiecti, quæ apparentia semper est vera,actus verò, qui feruntur in obiectum existens repræsentare non solum apparentiam, sed etiam existentiam obiecti,& ita omnes habere connexionem cum suo obiecto:hi,qui illud repræsentant existens, cum existentia,in quam feruntur,& illi qui illud apparens proponunt cum apparentia,in quam feruntur,& ita omnes intrinsecè esse veros,quia sicut actus repræsentans obiecti existentiam verus est ex eo,quod obiectum existat , ita illi qui repræsentant obiecti apparentiam aut probabilitatem sunt veri ex eo quod obiectum sit apparens,aut probabile etiamsi non sit verum aut existens. Ita n. 11. quod nescio an conueniat cum antecedenti paulo antea admisso,videlicet actus supernaturales posse ferri in obiectum tantum apparens,quod non sonat , neque ex antecedentibus , & consequentibus ibi dictis actus supernaturales posse ferri in obiecti apparentiam,quia apparentia obiecti vera est & verè existit,sed quidquid sit de hoc,doctrina tradita falsa est,quam sic impugno : Actus misericordiæ non fertur in apparentiam miseriæ alienæ,sed in ipsam miseriam , quæ apparet,nullo modo tenente se apparentia ex parte obiecti,neq; actus fidei fertur in apparentiã reuelationis,sed in ipsã reuelationẽ,ac proinde si datur aliquis actus supernaturalis,v.g.aliquis actus fidei supernaturalis, qui feratur in testimoniũ Dei tantum apparens,fertur in obiectum,quod non est,scilicet in reuelationem non existentem , quæ est formale obiectum actus fidei,& non illius apparentia.

40 Vltimò solutiones hucusque datas vno ictu impugno: Connexio actus supernaturalis cum obiecto , illius efficacia & modus ille tendendi excellentior supra modum,quo tendit naturalis actus in suum obiectum, si dantur , sunt eadem mer indiuisibilis entitas actus:ergo ex aliquo capite debemus his modis specificationem assignare , propriè enim loquendo,nihil specificatur à se ipso, quia specificare est causare,& sicut nihil seipsum causat,ita nihil specificare potest se ipsum.

41 Vltimò ostendo ex principiis Ripaldæ actus naturales, & supernaturales optimè specificari ex principiis quod ipse ait disput.49. citata , num .1. sibi in doctrina nostri Molinæ displicere. Actus vitalis supernaturalis necessariò procedit à principio supernaturali : ergo habet connexionem cum entitate supernaturali, quia omnis actus vitalis essentialiter est connexus cum Principio : ergo ex hoc capite infertur talem actum esse supernaturalem. Probo ex principiis ipsius Ripaldæ : quidquid habet connexionem essentialem cum causa supernaturali, est supernaturale excepta connexione quam omnes entitates habent cum causa prima , hæc enim connexio est transcendentalis omnibus : sed operatio procedens à principio supernaturali habet connexionem cum entitate supernaturali : ergo est supernaturalis. Maiorem tradit Ripalda num.6. minor ab omnibus admittitur, consequentia est legitima. Actus naturales specificari à principio adæquato naturali sic ostendo. Nullum principium adæquatè secundum se totum naturale potest efficere aliquid supernaturale : ergo principium secundùm se totum naturale est determinatum ad producendum effectum naturalem : ergo ex illo recte infertur naturalitas effectus tanquam à vera causa,à qua specificationem trahit.

PVNCTVM. V.

De specificatione aliarum entitatum.

1 SImplex substantia adæquata sicuti Angelus, & Cælum si compositionem ex materia & forma non habet,anima rationalis & materia prima nullum possunt habere specificatiuum creatum , quia à nulla creatura produci possunt, sed tantum ab omnipotentia determinata per actum voluntatis diuinæ tanquam à causa extrinseca totam suam trahunt specificationem. Formæ materiales cum à causis secundis producuntur semper à principio actiuo specificari necesse est , quia hoc vel ex natura rei independenter , à quocumque alio , vel dependenter à circumstantiis , cum quibus formam producit determinatum est ad producendum formam cum hac natura specifica,& non aliam specie diuersam. Necnon dispositiones ad formam moraliter illam specificant , quia influunt moraliter in illam determinatè exigendo formam specie talem , & non aliam. Item forma substantialis semper ttahit à subiecto eductionis specificationem secundum gradum materialis , vel spiritualis, quia ex subiecto materiali necessariò materialis forma , & ex subiecto spirituali forma spiritualis necessariò educitur. Vnionis modus à principio productiuo illius specificationem trahit quodcumque illud sit, & à subiecto eductionis secundum illa prædicata , quæ in forma ex illo specificantur, nec non secũdum omnia saltem à posteriori ab vtroque extremo , quia hæc specie extrema vnionem huius speciei necessariò exposcunt, & inferunt. Composita substantialia specificationem intrinsecam trahunt non solum à forma , sed etiam à materia, quia etsi à forma trahant vltimum gradum specificum , per quem homo differt ab equo, à materia trahunt distinctionem secundum aliquem gradum , quo homo & equus distinguerentur ab aliis compositis ex formis eiusdem speciei , & materiis diuersis. Idem dico de compositis accidentalibus:est enim specie diuersum compositum ex gratia habituali, & Michaele , quam ex gratia habituali , & anima rationali Petri , quod clarius patet in composito ex gratia habituali, & ligno in sententia,quæ asserit gratiam posse vniri ligno; hoc enim compositum non est ideo charum,neque amore dignum , secus quæ ex eadem gratia , & subiectis rationis capacibus componuntur. Ratio à priori est , qui compositum essentialiter includit vtramque partem , & ita altera variata variatur partialis illius essentia , & saltem partialiter essentialiter est diuersum , & specie distinctum.

2 Relatio transcendentalis per omnia prædicata vagatur, & nihil de illa speciale dicendum occurrit , omnia enim quæ in hoc tractatu de entitatibus omnium prædicamentorum, dicuntur omnibus relationibus commodè aptari poterunt. Pro omnibus tamen notare placet nullam specificari à priori à termino,in ratione termini , quia vt talis nihil influit in relationem.

3 Relatio prædicamentalis entitas non est specialis distincta à fundamento,& termino pertinẽtibus ad diuersa prædicamẽta,illiusverò qui has relationes superadditas admittũt sic rem cõponere debent. Omnis relatio debet specificari à fundamento,ex quo educitur,secundum omnia prædicata, ad

ad quæ eductionis subiectum determinatum est. Item ab eodem fundamento non quatenus principium passiuũ, sed tanquã actiuum adæquatũ specificationẽ trahit relatio secundùm omnia prædicata, quia licet fundamentũ secũdùm se non sit determinatũ ad omnia, est tamen determinatũ ad producendã talẽ speciẽ relationẽ posito termino talis speciei, à quo tanquã à conditione relatio specificatur, quia relatione illius determinatur fundamentũ ad producẽdã potius relationẽ similitudinis, quàm relationẽ dissimilitudinis.

4 Obiicies: ergo etiam si intellectus sit indifferẽs ad producendum assensum, vel dissensum poterit specificare hæc prædicata, positis his speciebus tanquam conditione. Resp. negando consequentiam, quia species non determinant vt conditiones sed vt principia verè specificantia, quæ sibi specificationem arrogant, termini verò cum non se habeant vt principia, non specificationem sibi assumunt, sed illam relinquunt principio effectiuo relationum.

5 Quantitas si eiusdẽ speciei est in cõpositis, quæ de facto dantur, & in toto simplici non habẽte materiã, & formam, specificatur à prædicato quodam communi, in quo conueniunt materia prima, quæ de facto datur, & corpus simplex compositũ, quod saltem existere potest si de facto non existit. Si autem specie differret in his compositis specificatur ex speciali illorũ ratione secundũ specialẽ rationẽ quantitatis, & ex cõmuni secundũ prædicatũ commune quantitatis, quod materiã primã, & corpus illud tanquã forma accidentalis illorũ efficeret. Inter ipsas materias primas specie diuersas, & ipsa corpora adæquata simplicia possũt pro multiplicatione specierũ quantitates specie distinctæ multiplicari, quod si contingat speciale prædicatũ quantitatis ex natura speciali talis materiæ primæ, vel talis corporis simplicis trahet specificationẽ. Si tamen omnibus materiis primis etiã specie diuersis eadẽ in specie quantitas cõueniat, & omnibus corporibus simplicibus specie distinctis eadem specie quantitas adaptetur tota specificatio harum quantitatũ rationi communi, in qua materiæ primæ inter se conueniunt, & rationi, in quam conspirant simplicia corpora tribuenda est. Examinare an quantitates specie differant in corpore simplici, & in materia prima, & in diuersis corporibus simplicibus & diuersis materiis primis non spectat ad præsens institutum.

6 Præsentia specificatur à subiecto, quòd est vera causa illius, & secundum diuersam illius naturam specificam diuersam in specie præsentiam accipit. Specificatur etiam à principio actiuo, secundum illa prædicata ad quæ producenda sub his circumstantiis determinatum est.

7 De actione, & passione eodem modo philosophãdum est, quæ semper rationẽ spiritualis, & materialis trahũt ex subiecto, & ex principio materiali adæquato, similiter rationẽ materialis, quæ ex duplici capite trahi potest, ratio naturalis, & supernaturalis ex principio iuxta sæpe dicta & vltima ratio specialis talis actionis ex principio & subiecto, variata enim natura cuiuslibet actio & passio diuersam naturã sortietur. Ex termino actio & passio nullã specificationem à priori trahũt, quia terminus non est vera causa. A posteriori ab illo specificãtur secundũ rationẽ materialis, & spiritualis, hæc est enim optima cõsequentia: terminus est materialis: ergo illius actio materialis est, terminus est spiritualis: ergo actio productiua illius. Specificatur etiã à posteriori secũdum gradũ supernaturalis, rectè enim infertur, terminus est supernaturalis: ergo actio productiua illius supernaturalis est, non tamen adhuc à posteriori specificatur secundum gradum naturalis, non enim rectè infertur, terminus est naturalis: ergo actio est naturalis, potest enim terminus naturalis produci per actionem supernaturalem dependentem ab agenti supernaturali, cum quo essentialem connexionem habet.

8 De duratione si esset accidens distinctum eodem modo esset philosophandum ac de præsentia, situs, & habere non unt entitates reales distinctæ ab illis quæ per alia prædicamenta vagantur.

CONTROVERSIA XVI.

De Anima separata.

Gimus iam de natura Animæ, & de omnibus, quæ illi conueniunt dum est corpori vnita, restat agendum de illa proût à corpore separata. Primùm, an habeat talem separationis statum. Secundò, quibus actionibus se in tali statu exerceat.

Punctum Primum.

An Anima rationalis sit immortalis.

1 ANimam rationalem perpetuò durare à prima sui creatione, dogma Catholicum est quod inter alia de eadem anima retuli Contro. 1. Punct. 3. Insuper statutum esse hominibus semel mori testatur Apostolus, & suadet ratio desumpta ex continua pugna inter qualitates requisitas ad vnionem animæ conseruãdam, & demonstrat quotidiana experientia, quã videmus omnes homines mori, nullúmque multum centenarium annorum numerum excedere & rarò illum attingere, quapropter si probemus animam non mori sed perpetuò durare, manifestè status separationis conuincetur.

2 De animi immortalitate disputant Philosophi omnes, qui vna voce, Epicuræis demptis, animã rationalem perpetuò duraturã fatentur, hæc veritas insita est à natura omnium mẽtibus vtpote valde necessaria non solùm ad Christianã vitam, religionémque tuendã, verùm etiam ad politicã peragendam. Nulla enim Respublica posset gubernari, neque ordinatè viuere, nisi metu pœnæ animis infligendæ post mortem non arceretur: hac de causa, qui vera præmia, atque supplicia, quæ Deus probis, ac prauis hominibus fidei lumine orbati non cognouerunt, in commentitias fabulas, fictáq; præmia bonis, malisque supplicia abiêre: ideo cymba Acherontis, Elysij campi, canis Cerberus, Stygius lacus, & alia huiusmodi fuere conficta.

3 Hanc veritatem mirè elucidant P. Lessius lib. 2. de numinis prouidentia, & Conimbr. Patres eruditione selectã, tract. de Anima separata, q. 1. vbi quid de hac varij Philosophi senserint copiosè tradunt. P. Soar lib. de Anima c. 10. vbi innumeris testimoniis Scripturæ & Patrum hanc veritatem confirmat.

4 Est ergo fide sanctum animum rationalem perpetuò duraturum Eccl. 12. *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* vbi sancti in vitam æternam vocantur Lucæ 16. *Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur in sinum Abrahæ: mortuus est autem diues, & sepultus est in inferno.* Lucæ 23. *Domine, memento mei cùm veneris in regnum tuum: hodie mecum eris in paradiso.* Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere,* quæ testimonia apertè demõstrant perpetuam animi durationem, & statum separationis relicto corpore post mortem. Alia quam plurima reperies apud Soar suprà.

5 Neque tantùm est fide certum animam rationalem perpetuò duraturã, sed etiam ipsam naturã suã esse immortalem & naturaliter non posse mori, quam veritatem probãt Conimbr. & communiter Doctores auctoritate Concilij Lateranensis sub Leone X. sess. 8. vbi damnantur omnes, qui dixerint animam esse mortalem, & definitur naturã suã esse formam corporis, & esse immortalem, & præcipitur Philosophiæ magistris, vt soluant argumenta, quæ contra hanc veritatem adduci possunt. Quod si anima naturaliter mori posset non diceretur immortalis natura sua.

6 Neque P. Vasquez aliud insinuat cùm dicit tom. 2. in 1. p. disp. 182. animam rationalem comparatã cum creaturis esse incorruptibilem, comparatã verò cum omnipotẽtia Dei esse corruptibilem, quia hic tantùm docet animã rationalem à nulla creatura, sed tantùm à Deo posse corrumpi, quod non probat ipsam non esse naturã suã æternam, quia licèt anima rationalis petat perpetuò durare & hac ratione dicatur immortalis, in Concilio Lateranensi, certum est Deum posse illam annihilare, & cessare à conseruatione illius quantumuis anima eam exigat.

7 Rationem huius conclusionis inquirunt Doctores, qui omnes fatentur præcipuam esse desumptã ex recta prouidentia, ac gubernatione Dei, ad quam pertinet præmia concedere rectè viuentibus, & non impunè sontes peccatores abire permittere, sed in hac vita non semper id præstatur, sæpe enim videmus impios superexaltatos, & pios religiosósque viros abiectos multisque afflictos miseriis: ergo signum est animam esse immortalem, & in alia vita præmium, suppliciúmve secundùm bona vel mala perpetrata reportaturam. Hac ratione vsus est Iob. cap. 21. n. 23. *Iste moritur robustus, & sanus, diues & felix: viscera eius plena sunt adipe, & medullis ossa illius irrigantur; alius verò moritur in amaritudine*

amaritudine animæ absque vllis opibus. Postea verò subdit: *In diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur.* Hunc discursum eleganter sequitur D. Chrys. 4. de prouident. & illo vsum fuisse D. Petrum ad probandam immortalitatem animæ testatur Clem. Alex. 3. Recognitionum.

8 Confirmatur, & declaratur eadem ratio: Si animus hominis iusti non esset fruiturus vllo præmio post vitam, sed instar bruti esset periturus, religiosiores homines miserabiliores essent, cum frustrà flagellis, atque ieiuniis se in hac vita afflixissent, frustrà se à mundi huius voluptatibus continerent, & bene impij apud Isaiam dixissent: *Comedamus, & bibamus cras enim moriemur,* & rectè intulissent *Exiguum cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab infernis, quia ex nihilo nati sumus, & post erimus tanquam non fuerimus: venite ergo fruamur bonis, quæ sunt, vino pretioso, & vnguento nos impleamus, coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra, nemo nostrum expers sit luxuriæ nostræ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.*

9 Huic rationi aliæ adiunguntur desumptæ ex spiritualitate animæ, ex cognitione rerum æternarum ex appetitu ad illas, ex creatione eiusdem, per quã extra causas ponitur independens ab omni creatura, ac proinde à nulla corrúpi.

10 Contra hanc veritatem adduci solent aliqua testimonia Scripturæ, quibus videtur significari animam hominis esse mortalem, sed hæc non de anima, sed de toto composito, scilicet de homine intelligenda sunt. Sic illud Ecclesiast. 3. *Vnus est interitus hominum, & iumentorum, &c.* Aliud testimoniũ 6. Synodi act. 11. in Epistola Sophronij. vbi dicitur intellectualia non per naturam, sed per gratiam Dei esse incorruptibilia; explicandum est de gratia creationis, & particula negatiua *non per naturam,* hoc est, non ita per naturam illis competere durationem, vt non possit Deus illam destruere, quod si non faciat creationis gratiæ tribuendum est. Argumenta, quæ à ratione petuntur adeò sunt facilia solutu vt necessum non sit illa referre.

PVNCTVM II.

Alia de Anima in statu separationis.

1 DEfinitum est in Concilio Lateranensi citato animum rationalem esse formam corporis, ex quo infero ex se ordinari ad materiã informandam, & totum constituendum quod eum conueniat illi ex natura sua, cùm natura sua sit forma vt definit Concilium, in omni statu illi conuenit. Ex quo infero secundò in statu separationis habere innatam inclinationem, & appetitum ad informandum materiam, & ad illius vnionem.

2 Nihilominus assero animum iam separatum à materia in secundo instanti separationis, & reliquo tempore nullam pati violentiam, quia non quotiescumque aliqua entitas non assequitur id, ad quod habet appetitum, est violentia. Ratio huius conclusionis est quia anima separata non est in actu primo in secundo instanti separationis, neque est neque fuit in præcedenti in actu primo ad informandam materiam, & terminandam vnionem cum illa: ergo nulla fit illi violentia; quia causæ non existenti in actu primo ad effectum saltem in instanti præcedenti per negationem illius nulla fit violentia.

3 In primo autem instanti separationis existimo violentiam fieri animo rationali, quia cum expellitur à materia, est cum resistentia eiusdem animæ, quæ præcessit in instanti præcedenti expulsionem, sicut resistentia caloris respectu frigoris illum expellentis: deinde est cum expulsione dispositionum, quas exigebat animus rationalis & introductione aliarum contra eiusdem exigentiam, quæ omnia fiunt cum resistentia formarum incompossibilium, & earumdem violentia; ex quo infero esse connaturale animo iam separato durare in illo separationis statu esse, tamen violentum constitui in illo.

4 Obiicies: Animus rationalis habet perfectiorem modum essendi, & perfectiorem modum operandi in statu separationis, quam vnionis: ergo non habet appetitum ad vnionem. Antecedens probatur: in statu separationis est & operatur independenter à materia, in statu vero vnionis dependenter ab illa. Nego primam partem antecedentis, & confirmationem illius, quia anima adhuc quando est vnita materiæ habet suam entitatem, & existentiam independenter ab illa. Secundam partem illius, videlicet habere in statu separationis perfectiores operationes, concedo, & nego consequentiam: quia appetitus innatus non semper inclinat ad statum in quo perfectiores operationes fiunt, sed in statum ad quem entitas natura sua ordinatur siue in illo perfectiores, siue imperfectiores operationes exerceat.

Animum rationalem secum ferre potentias omnes certum est in nostra opinione, quæ illas ab anima non distinguit, licet dicendum non sit animum separatum habere potentiam videndi, quia licet hæc non distinguatur ab anima, cum tamen hæc non habeat alia comprincipia, neque deorganizationem requisitam ad videndum dicitur non posse videre, & consequenter non habere potentiam videndi, hoc est omnia requisita ad visionem. 5

Animum rationalem posse intelligere, & amare in statu separationis certum est: dubium an secum ferat species impressas, quas habuit in hac vita: affirmatiua pars est communis, & rationi consona, quia anima rationalis recordatur earum rerum, quas in hac vita egit, & cognouit, adhuc dum est separata vt constat ex historis, & scripturis etiam sacris, in parabola enim epulonis inducitur agens de rebus, quas in hac vita egit, & plurima testimonia ad hanc rem inueniuntur in lib. Sapient. 6

Dices recordari per species à Deo infusas. Contrà, quis sine fundamento dicitur Deum damnatis infundere species, deinde cum possimus sine noua specierum infusione defendere animas separatas recordari obiectorum, quæ in hac vita nouerunt, ad quid sine fundamento illam debemus confingere. 7

Obiicies: animus rationalis in statu separationis habet cognitiones perfectiores, quàm in instanti vnionis: ergo per diuersas species. Respondeo animum separatum in statu separationis habere aliquas operationes perfectiores, posse tamen alias habere similes his, quas habuit in statu vnionis per easdem species. Addo admisso antecedenti absque vlla distinctione posse consequentiam negari, quia animus separatus potest eisdé speciebus perfectiores cognitiones elicere, quã eisdem idé animus vnitus eliceret. 8

Dicendum est etiam animum rationalem in statu separationis habere species intuitiuas substantiarum, & accidentium aliquorum, licet non omnium. Hæc conclusio probatur, quia animus separatus est cognoscitiuus harum entitatum: ergo æquum est vt Deus tribuat illi comprincipia necessaria ad aliqua illorum cognoscenda, vel immediatè producta à Deo, vel ab ipsis obiectis, simul cum anima: quomodo autem hæ species tribuantur, disputatur in materia de Angelis, eodé enim modo quo species producuntur in Angelo dicendum est produci in anima separata. 9

Si inquiras quorum obiectorum animus separatus rationalis habeat species, respondeo: quod si illas ab obiectis percipiat, habiturus species illorum obiectorum, quibus fuerit approximatus: si autem à Deo producantur non potest id certa regula definiri. 10

Potest animus rationalis separatus à corpore discurrere, & vnum inferre ex alio, & colligere ex his quæ intuitiuè videt alia, quorum non habet species intuitiuas, in quo nulla est repugnantia. 11

In Beatis non manent habitus fidei & spei, quia illorum loco succedunt lumen gloriæ & possessio seu tentio Dei, de quo in materia de visione. Manent habitus reliquarum virtutum infusarum, quæ charitatem comitantur, & acquisitarum, quibus illorum animi maximopere ornantur: in his tamen pereunt errorum, & vitiorum habitus, quia incompossibiles sunt cum visione beatifica: in damnatis pereunt virtutum habitus, digni sunt qui priuentur. Virtus locomotiua manet in animo separato, quia cum illo est identificata, imò etiamsi distingueretur eam secum ferret; esset enim spiritualis vt pote productiua præsentiæ spiritualis animæ, quam potentiam potest animus exercere in se ipsa. An verò possit alia corpora mouere localiter actione efficaci definiri non potest, probabilior apparet pars affirmatiua à paritate Angeli potentis hæc materialia corpora mouere. 12

Obiicies contra id, quod diximus animum separatum posse discurrere, & recordari obiectorum, quæ in hac vita agnouit per species, quas secum fert testimonium Apostoli 1. Corinth. 13. dicens scientiam nostram destrui in patria. Respondeo Apostolum dicere scientiam nostram destrui ex parte, quia id, quod in hac vita per ænigma, in alia facie ad faciem cognoscemus, quod non est destrui in patria species omnes, quas habuimus in via. 13

CONTRO

CONTROVERSIÆ METAPHYSICÆ,

AVCTORE

P. FRANCISCO DE OVIEDO
E SOCIETATE IESV.

PROOEMIVM.

PLVRA quæ hîc Auctores disputant præmisi Controuersia 1. Logicæ, vbi de Scientia in communi; & illius obiecto disputaui. Ex ibi dictis hîc nonnullas conclusiones deduco. Metaphysica non est vna vnitate quadam Physica, sed vnitate ordinis, quod de omnibus scientiis Controuersia 1. Logicæ Puncto 3. perfeci. Metaphysicam ab hac ordinis vnitate non esse vnam, sed triplicem probabile putat noster Smigletius à me citatus Controuersia 1. Logicæ Puncto 3. numer. 8. propter rationem quam ibi refero: quam quæstionem dixi ibidem num. 26. nulla posse ratione naturali definiri, sed de illa auctoritate Philosophi tantùm, aliorúmve Doctorum agendum esse. Reliquas verò Scientias Metaphysicæ non subordinari, etiamsi Metaphysica agat de ente in tota sua latitudine, & reliquæ scientiæ de ente contracto contento sub hac ratione, tradidi Controu. 1. Logicæ Punct. 1. num. 4. vbi omnium Scientiarum subalternationem latè explicui.

Obiectum Metaphysicæ est ens præscindens à materia, & eandem excludens, hoc est, ens præcisum à ratione materialis, & spiritualis, & etiam contractum ad rationem spiritualis. Fert hoc communis sententia. In tota hac obiecti materialis latitudine nullum partiale obiectum inuenio, quod possit dici obiectum attributionis iuxta naturam obsecti attributionis à me explicatam Controuersia 1. Logicæ, numero 10. Præter Deum Optim. Maxim. ad quem cognoscendum possunt, & debent ordinari cognitiones entis spiritualis, & Angelorum, quorum obiecta ad Metaphysicam spectam, & cuius cognitio ordinari non debet ad alia obiecta finita, & creata, vel saltem non infinita, si præcisè spectentur, cognoscenda.

Si per totam latitudinem obiecti nostræ Controuersiæ producerentur, maiorem partem omnium quæstionum, quas exagitant Theologi sibi arriperent, quidquid enim de Deo, & de Angelis (secluſa Dei reuelatione) ex principiis naturæ potest deduci, ad Metaphysicam spectat. Quapropter nostri negotij Metaphysici est agere de Natura diuina, de huius attributis, de libertate Dei, de simplicitate, seu compositione, & Angelorum locutione, & de aliis plurimis quæ Theologorum libros replent. Non tamen transiliam metas, quas huius latissimæ Scientiæ obiectum imposuere. Sic ergo me geram. Disputabo de conceptu communi entis, de illius possibilitate, de existentia, de passionibus eiusdem, & de iis, quæ his passionibus opponuntur. Tandem illud diuidam in decem Prædicamenta, & singulorum naturam explicabo. Vltimò de ente rationis, pro vt enti reali opponitur disputationem instituam.

CONTROVERSIA PRIMA.

De essentia entis.

SVB præfixo titulo ferè omnes legitimè disputant, an conceptus entis sit vnus respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis, qua quæstione hîc dirempta aliis in locis disputant, an ens sit vniuocum, vel analogum respectu illorum, à quibus abstrahitur, quibus necessum est doctrinam hîc traditam, vel tradendam importunè iam traditam repetere, vel nondum explicatam hîc repetendam immaturè

turè præmittere,ideo sub eodem titulo hîc disputo de entis vniuocatione,& de analogia,ad quam explicandam definio , quid sit vninocum , quid æquiuocum, quid analogum.

PVNCTVM I.

De conceptu entis.

1 INquirimus conceptum quidditatiuum entis , per quem formaliter constituatur in ratione talis,& differat ab omni non ente,videlicet à chimæra,seu ente rationis.

2 Definiunt nonnulli ens in communi per negationem chimæræ,& asserunt totum id, quod chimæra non est esse ens. Non assentior definitioni,quia etsi admittatur omne non chimæram esse ens,adhuc non rectè per hanc negationem conceptus quidditatiuus entis traditur,quia ignotum per ignotius ostenditur , est enim plus ignotus conceptus chimæræ , quam conceptus entis. Deinde chimæram per negationem entis cognoscimus, & id dicimus esse chimæram,quod apprehenditur cum ratione entis,quam non habet , seu quod tantùm habet esse obiectiuè in intellectu, quæ definitio supponit cognitionem entis,quod inuoluitur in illo *esse* , ac proinde si ens reale per negationem chimæræ definitur,cùm chimæra definiatur per negationem entis realis definietur idem per idem,& vitiosus circulus committeretur.secundò negationes verè non sunt entia,neque propriè loquendo sunt , illarum enim esse tantùm est non esse habituum,quo remouent,quod non est ens,sed potiùs remotio entis. Neque refert habitus,qui verè sunt,& entia dicuntur,esse non esse suarum negationum,quas remouent,qua habitus remouent suam negationem per esse prædicatorum positiuorum, quæ verè sunt,& ideo non apprehenduntur præcisè vt puræ remotiones suarum negationum;sed vt virtutes positiuæ in ordine ad alia;negationes verò sunt purum non esse suorum habituum,& totum esse illarum est remouere habitus , & non sunt, neque concipi possunt in ordine ad alia.

3 Meliùs communis Doctorum sententia rationem entis explicat per aptitudinem ad existendum , asseritque illud esse ens,cui non repugnat existētia,seu quod est capax existendi. Definitionem hanc optimam ex eo probatur,quod conueniat Deo,& creaturæ,substantiæ,& accidenti,rei & modo,& quibuscumque aliis entibus realibus, & non conueniat enti rationis,quod ens non est,neque negationibus, quæ sicuti proprie entia non sunt,sic sunt propriæ existentiæ incapaces,& eodem modo, quo dicuntur entia,eodem existere dicuntur , sicuti enim dicuntur entia cum addito, videlicet entia negatiuè , sic cum eodem addito dicuntur negatiuè existere. Deinde nullus alius potest reperiri conceptus notior omnibus , quàm hæc existendi capacitas : rectè ergo per illum definitur ratio entis , siquidem cuicumque enti conuenit , & per illud ens differt ab omni non ente , & est notissimus omnium , & saltem ratione prior aliis quibuscumque conceptibus,qui in ente possunt excogitari.

4 Conceptus hic entis communis est , tam enti possibili, quàm existenti, quia ens possibile capax existendi dicitur, & ens existens eandem habet capacitatem ad actum reductam,& non destructā per ipsum actum,dum enim actuest, actu potest existere, iuxta vulgare illud: de actu ad potentiam valet consequentia. Nihilominus si strictè loquendum sit,ens purè possibile,adhuc non est ens , quia ly *purè possibile* est additum diminuens rationem entis , & illud tantùm dicitur simpliciter ens,quod simpliciter est existēs, id enim quod non existit;sed purè est possibile,non est,sed esset,& non nisi cum addito dicitur ens neque potest dici capax existendi,quia capacitas ista in ente non est aliquid ab illo distinctum,neque ab ipsa entis existentia,ac proinde donec simpliciter sit existentia in se ipsa non dicitur capax existendi per capacitatem , quæ actu sit,sed quæ est obiectiuè,& quæ esset sine contradictione,si esset actu existentia , ideo capacitas ista non dicitur potentia physica, sed Logica,seu obiectiua. Vide quæ de hac re dico Controuers.2.Punct.1 & 2. vbi explico quid sit rem esse possibilem , & quomodo differat existentia entis ab ipsius possibilitate. Ob hanc rationem non datur conceptus quidam vniuersalis , & vniuocus eidem enti vt possibili , & vt existenti. Secundò quia ens non multiplicatur in ipsum existens, & possibile , neque realiter distinguitur vt existens ab ipso vt possibili , & ita non potest in aliquo conceptu vniuersali conuenire,quia de ratione vniuersalis est multiplicari in inferiora,respectu quorum dicitur vniuersale.

PVNCTVM II.

De Vniuocis, & Æquiuocis.

VNiuoca definit Aristoteles; *cuius nomen est commune,ratio vero significata omnino eadem.* Idem Philosophus æquiuoca definit *Quorum nomen est commune, ratio vero substantiæ omnino diuersa.* Per illam particulam *substantiæ* conceptum quidditatiuum intellige,siue sit substantiæ,siue accidentis,sicuti enim prædicatum substantiæ est vniuocum respectu substantiæ corporeæ, & incorporeæ, sic prædicatum qualitatis commune est respectu qualitatis materialis,& spiritualis. Conueniunt vniuoca,& æquiuoca in hoc quod est habere nomen commune ; differunt in eo , quod ratio significata per vniuocum est omnino eadem,ratio verò significata per æquiuocum sit omnino diuersa. Exemplum vniuocorum sit homo , cuius eadem est ratio in Petro,& in Ioanne;æquiuocorum verò exemplum esto Gallus qui significat gallum gallinaceum , & hominem natione Gallum , qui duo conceptus significati in hoc simplici nomine nullum habent inter se ordinem , nullámque connexionem. 1

Circa identitatem vniuocorum notandum est non requiri adæquatā respectu omnium, aliàs solum prædicatum specificum vniuocum diceretur , sed sufficere identitatem inadæquatam,sicuti reperitur in prædicato animalis, quod est idem in Petro, & in Ioanne (per intellectum præscindentem intellige) & tantùm dicit rationem inadæquatam essentiæ, & in illo Petrus,& Ioannes, homo & equus, vniuocè conuenire dicuntur,etsi nullius inferioris dicat adæquatam essentiam. 2

Circa æquiuocorum diuersitatem nota sufficere singula esse diuersa secundùm rationem significatam per nomen, etiamsi secundùm aliam rationem omnimodam habeant conuenientiam. Exemplum est respectu galli gallinacei, & hominis natione Galli,quia quatenus hoc nomine significantur , nullam habent vnitatem , nullúmve respectum, vel ordinem,si verò animalis nomine significentur,conueniunt in ratione generica in vtroque distincta per intellectum. 3

Vniuocum vulgò solet diuidi in vniuocum vniuocans, & vniuocum vniuocatum. Vniuocum vniuocans dicitur ratio superior , verbi gratia , animal. Vniuoca vniuocata dicuntur rationes inferiores, v.g. homo,& equus,qui vniuocè conueniunt in ratione animalis : sic similiter diuiduntur æquiuoca in æquiuoca æquiuocantia, & æquiuoca æquiuocata. 4

Dubitari solet an æquiuocatio solùm conueniat vocibus, vel etiam conceptibus. Affirmat Arriaga disput. 10. Logicæ , sect.1. certum esse eodem conceptu posse plura significari,quod mihi certum est. Deinde addit ipsum censere iuxta communem opinionem conceptum illum,æquiuocum esse dicendum , quia de ratione nominis vniuoci non est omnia simul significare ; quando enim dico *vidi equum*, non dico vidisse omnes equos, sed vnum,quem intellectus potest cum alio æquiuocare:ergo de ratione æquiuoci non est singula æquiuocata seorsim sumpta posse significare : ergo ex nullo capite deneganda est æquiuocatio conceptui communi pluribus obiectis ex vi illius repræsentatis , quia si ex aliquo capite huic conceptui esset neganda æquiuocatio , tantùm esset,quia conceptus ille non posset quodlibet obiectum seorsim sumptum repræsentare aliis non repræsentatis. Secundùm hunc dicendi modum conceptus simplicissimus Dei, quo plura obiecta creata in se disparata cognoscit,æquiuocus esset dicendus,quod concedit Arriaga , qui docet hoc non esse inter idiotas spargendum,quia æquiuocatio confusionem sonat, quæ in Deo admitti nequit. 5

Melius docet Hurtad. disp.9. Logicæ, sect.2. cum communi sententia æquiuocationem tantùm in vocibus , & non in conceptibus reperiri, quia Deus , & Angelus, qui vno conceptu omnia cognoscunt , non dicuntur formare conceptus æquiuocos , neque conceptus hominis tales dicendi 6

dicendi sunt, etiamsi simplici conceptu plura obiecta inter se diuersa sæpè repræsententur, quia huiusmodi conceptus etiamsi plura significent illa vt in se distincta repræsentant, & pluribus conceptibus æquiualent: conceptus verò humanus, cui nomen vniuocum respondet, ita significat plura, ac si essent vnum, confundit enim plura illa obiecta ad quæ terminatur, & absque vlla discretione, seu distinctione ipsorum instar vnius simplicis obiecti intellectui proponit, in quæ non potest aliquando non eadem ratione indiuisibiliter ferri, neque potest dari conceptus, qui modò sumatur ad repræsentandum hoc obiectum, & non aliud, modò ad aliud, & non istud exprimendum. Secus in cæteris contingit, quæ indifferenter ad hoc, vel illud obiectum sub eadem, vel sub diuersa ratione, ad vnum tantùm, vel ad plura significanda desumuntur. Quia hoc nomen *Gallus* aliquando sumitur tantùm pro homine natione Gallo, aliquando pro gallo gallinaceo, & ideo dicitur æquiuocum, quia confusionem causat in intellectu, cui occasionem præbet, vt modò hominem natione Gallum pro gallo gallinaceo desumat, & postea gallum gallinaceum pro homine Gallo, quod est propriè æquiuocationem pati, sic dicimus æquiuocari hominem, qui terminorum confusione vnum obiectum pro alio intelligit, vel qui linguæ lapsu verbum vnũ pro alio distincto protulit. Similiter hoc nomen *homo*, quod vniuocum est, ita significat plura obiecta sub eadem ratione, vt aptum sit sub eadem ratione illorum quodlibet seorsim significare, seu desumi pro singulis seorsim sumptis eadem ratione, quâ sumitur pro tota collectione.

7 Neque satisfacit, quod respondet Arriaga, videlicet inconueniens non esse Deo conceptus æquiuocos attribui absque vlla confusione obiectorum, sed cum summa ipsorum distinctione, constitutâ tantùm æquiuocatione in eo, quod idemmet conceptus plura obiecta inter se distincta, & disparata repræsentet, quia licet hic modus repræsentandi plura obiecta, etsi in se disparata per eundem simplicem conceptum nullam dicat imperfectionem, potiùs ad perfectionem, & simplicitatem Dei spectet, tamen æquiuocatio secundùm se, & secundùm acceptionem communem non tantùm sonat id, quod Deo tribuit Arriaga, sed confusionem, ideo neque æquiuocationis nomen tribuendum est Deo, quod malè audit, non enim sat est prudenti Philosopho, atque Theologo ea tradere quæ intellecta secundùm ipsius interpretationem nullum continent absurdum; sed ita loqui, vt ex communi verborum significatione nullam generent suspicionem doctrinæ à veritate alienæ, neque aliquam tribuant occasionem errandi. Sicuti enim grauissimè reprehendendus esset propter inordinatum loquendi modum, ille, qui assereret Deum committere peccatum, etiamsi postea diceret, peccatum committi à Deo non importare Deum esse formaliter peccatorem, neque causam inducentem ad peccatum, sed tantùm concurrere ad materiale peccati determinatum à voluntate libera, quem concursum à Deo exhiberi Theologi admittunt; ita reiiciendus est, qui dixerit conceptus Dei esse æquiuocos, etiamsi Deo in re eosdem tribuat conceptus, quos Theologi negantes in Deo æquiuocos conceptus in Deo agnoscunt.

8 Ratio Arriagæ nihil probat, quia de ratione nominis vniuoci est significare omnia vniuoca confusè, & quodlibet illorum in particulari sub eadem ratione, quâ omnia simul sumpta significat, sic nomen *homo* aliquando significat Petrum, & Ioannem, & reliqua omnia individua speciei hominis sub vna communi ratione apprehensa, quod præstat dum substituitur loco conceptus, qui confusè omnia individua sub illa ratione attingit, aliquando verò tantùm sumitur pro vnico tantùm individuo, vt cùm dico *Petrus est homo*. Addo tunc propriè nomen dici vniuocum, quando substituitur loco conceptus ex vi cuius instar vnius omnia individua apprehenduntur, & constituitur vniuersale.

Punctum II.

De Analogis.

1 Inter vniuoca, & æquiuoca sunt alia media, quæ analoga vocantur, & ab Arist. definiuntur, *quorum nomen est commune, ratio verò significata neque omnino eadem, neque omnino diuersa.* Conueniunt cum vniuocis, & æquiuocis in nomine comuni, differunt ab æquiuocis, quia ratio non est omnino diuersa, & ab vniuocis, quia non est omnino eadem.

2 Analoga diuiduntur in analoga inæqualitatis, attributionis, proportionis, & aliqui addunt proportionalitatis, vt membrum distinctum ab analogis proportionis. Analoga inæqualitatis sunt *cuius nomen est commune: ratio tamen significata per nomen, inæqualiter participata in inferioribus ratione differentiæ*: hæc analogia reperitur in omnibus vniuocis, ac proinde non est propriè analogia, quia animal perfectius est in homine, quàm in equo ratione differentiæ perfectioris, per quam contrahitur, cum quo identificatur.

3 Analogia attributionis est, *cuius nomen est commune, ratio verò significata simpliciter diuersa, & eadem secundum terminum*: exemplum sit in nomine *sanum* respectu animalis, medicinæ, & vrinæ: animal dicitur sanum, quando habet in se sanitatem formaliter; medicina, non quia sit sana formaliter, sed quia est causa sanitatis; vrina quia est signum. En diuersas rationes sani, animali, medicinæ, & vrinæ conuenientes, omnes tamen in ordine ad eundem terminum; quia virtus sanatiua, quæ est in Medicina, respicit tanquam terminum sanitatem formalem animalis, & ratio signi, quæ est in vrina, similiter eandem sanitatem significat.

4 Ex hoc infertur inter analoga ~~proportionis~~ debere esse habitudinem vnius, vel plutium analogatorum ad aliud, cui ratio analoga præcipuè conueniat, & ex illo reliqua talia denominent, vt accidit in exemplo allato vrinæ, & medicinæ, quæ sanæ dicuntur in ordine ad sanitatem, quæ propriè conuenit animali, & hoc appellari analogum analogans, reliqua verò analoga analogata, licet aliqui hanc distinctionem constituant inter nomen analogum, & rem significatam per nomen.

5 Notandum est hæc analoga tantùm constitui talia in ordine ad præcipuum analogatum, non verò in ordine ad se: v.g. medicina dicitur analogicè sana in ordine ad animal, species tamen medicinæ diuersæ inter se vniuocè conueniunt, in ratione causandi sanitatem, ac proinde ratio signi efficienter vniuocè conuenit omnibus medicinis.

6 Analogia proportionis, seu proportionalitatis est, quæ versatur inter duas proportiones. Proportio dicitur ordo, seu habitudo vnius ad aliud, qualis est inter quatuor, & octo, quæ est habitudo dimidij ad duplum, & qualis est inter materiam, & compositum, quæ est partis ad totum. Ratio illa, in qua duæ proportiones conueniunt, dicitur analogia proportionis, v.g. ratio dimidij dicitur analogæ in hac acceptione, quia est id, in quo conueniunt proportio, quæ est inter quatuor, & octo, & inter tria, & sex, quia sicut se habent quatuor ad octo, ita se habent tria ad sex. Similiter sicuti se habet motus localis ortus ex admiratione, qui dicitur risus, ad hominem, sic se habet ratio viriditatis ad prata, ac proinde similiter vocatur risus, & dicimus *homo ridet, prata vident.*

7 Hanc analogiam communiter appellant Doctores analogiam proportionalitatis, quæ est similitudo inter duas proportiones, Hurt. tamen disp. 9 sect. 3. distinguit ex aliorum mente analogiam proportionis, & proportionalitatis: analogiam proportionis appellat, quæ fit per comparationem inter terminos simplices, sicuti cùm dicimus, sicut se habet motus localis ortus ex admiratione ad hominem, ita viriditas ad pratum: Analogia proportionalitatis dicitur, quando comparatio fit inter duo complexa, sicuti quando dicimus: sicut se habet risus prati ad oculos oblectandos, sic se habet risus hominis ad sociorum voluptatem. Sed hanc differentiam non percipio, neque de illius impugnatione curo, ne tempus in re inutili impendam.

8 Hæc analogia, vt bene decet Hurtad. sect. 3. aliquando est vera analogia, aliquando vniuocationem non tollit, & propriè nomen non constituit analogum, dimidium enim vniuocum est respectu trium ad sex, & quatuor, ad octo, etiâsi se habeant tria ad sex, sicut quatuor ad octo: imò in omnibus vniuocis hæc analogia reperitur, quia sicut se habet animal ad hominem, sic se habet ad equum, quia ad vtrumque se habet tanquam pars materialis ad totum metaphysicè compositum. Quando ergo proportio, quæ inuenitur inter duo extrema, ex vna parte, & inter alia duo ex alia est omnino eadem, nomen est vniuocum, sicut in exemplis iã dictis; quando verò proportio, quæ est inter duo extrema ex vna parte, & inter alia duo ex alia parte, non est omnino eadem, tunc proportionalitas, seu similitudo proportionum non est omnino eadem, sicut quando vocatur magister, vitis, quia ingenia discipulorum imbuit doctrinâ,

sicut vitis imbuit vino racemos, proportio, quæ est inter magistrum & discipulos, non est eadem, quæ est inter vitem, & racemos, quando vitis propriè, & strictè communicat vinum racemis; Magister verò non nisi metaphoricè, & impropriè.

9 Necessum autem est hanc analogiam proportionis, seu proportionalitatis assignare ad cognoscendas diuersas naturas analogiæ, seu diuersa fundamenta illarum; vt postea dicam, quia diuersa est analogia sani respectu animalis, vrinæ, & medicinæ, quàm risus respectu hominis & prati, vrina enim dicitur sana, quia est signum sanitatis, medicina quia est causa illius; id autem quod in prato risus vocatur, nec est causa risus hominis, neque signum illius, ac proinde diuerso modo constituitur hæc analogia, illa enim constituitur per rationem causæ in medicina, & signi in vrina; hæc verò per proportionem, seu similitudinem quandam, quia sicut risus est signum lætitiæ, ita viriditas, & herbarum lasciuia est signum, non lætitiæ, cuius pratum capax non est; sed quod bene se habeat, ita vt si capax esset oblectationis posset oblectari, & tripudiare, ac proinde quasi tripudiare dicitur sua amœnitate.

10 Inquires quomodo differant analogia attributionis, & proportionalitatis. Resp. imprimis differre in fundamentis, quia diuersum fundamentum est, vt nomen sanum, cuius significatum proprium est animalis, tribuatur medicinæ, quàm vt nomen risus, cuius significatum proprium est hominis tribuatur prato.

11 Addo has analogias non tantùm in fundamento, sed formaliter specie differre, nam de ratione analogiæ, est aliqualis vnitas inter analogata, & diuersa est vnitas, quæ est in ratione sani inter animal, & medicinam ab vnitate, quæ est in ratione ridentis inter hominem & pratum, quia hæc posterior vnitas tantùm consistit in quadam similitudine, illa in attributione formæ existentis intrinsecè in animali, ad medicinam, quæ est in illius causa, animal enim, & medicina ab eadem forma dicuntur sana, animal intrinsecè, medicina extrinsecè, homo verò, & pratum non dicuntur ridere eadem forma, homo enim ridet per actum verum ridendi, pratum per alia accidentia, quæ illi adhærent, & propter similitudinem, seu proportionem, quæ habet cum risu, metaphoricè risus vocatur, & in hoc consistit analogia proportionis, seu proportionalitatis.

12 Ex his facile erit definitiones vtriusque analogiæ explicare analogia provt abstrahit ab analogia attributionis, proportionalitatis definitione iam tradita, analogia attributionis definitur: *Cuius nomen est commune, ratio vero significata simpliciter diuersa, eadem tamen secundum terminum ratione attributionis formæ existentis in principali analogato, ad reliqua minùs principalia.* Analogia proportionis, seu proportionalitatis definitur *cuius nomen est commune, ratio vero significata simpliciter diuersa, eadem tamen secundum proportionem respectus formæ ad analogata.*

13 Nota æquiuoca distingui aliquando in æquiuoca à casu, & æquiuoca à consilio. Æquiuoca à casu dicuntur ea, quæ eodem nomine gaudent præter intentionem imponentis nomen, sicuti præter omnium intentionem accidit eodem nomine significare hominem natione Gallum, & gallû gallinaceum, quia nullo respectu habito ad gallum gallinaceum fuit impositum hoc nomen homini natione Gallo, & nulla huius mentione factâ idem nomen fuit illi datum. Æquiuoca à consilio dicuntur ea, quæ gaudent eodem nomine, quod vni impositum fuit per ordinem, seu similitudinem ad aliud, sicut nomen canis impositum fuit primariò ad significandum canem latrabilem; deinde impositum fuit ad significandum canem cælestem, non casu, sed habitâ ratione ad præcipuum significatum, quia illa constellatio figurâ, & situ referebat similitudinem canis latrabilis. Hæc æquiuoca à consilio sunt eadem cum analogis, neque ab illis formaliter differunt, quia eodem nomine gaudent propter similitudinem, seu proportionem, etiamsi simpliciter differant, & hoc est formalissimè esse analogum.

14 Rursus alia est difficilior sanè diuisio analogorum in analoga propria, & impropria; analoga impropria dicuntur illa, quorum analogata minùs principalia extrinsecè participant formam præcipui analogati, sicut vrina extrinsecè dicitur sana à sanitate animalis vel metaphoricè, sicut prata dicuntur ridere per metaphorâ, quia, etsi viriditas, quæ in pratis risus appellatur sit illis intrinseca, non tamen hæc viriditas est risus formaliter, sed tantùm metaphoricè, vnde etiam risus potest dici extrinsecus prato, licet id, quod risum appellamus, sit illi intrinsecum, accidentaliter, & extrinsecè dicitur risus per similitudinem ad proprium risum, quæ fundamentum est metaphoræ, & extensionis nominis veri risus ad id, quod verè risus non est.

Dixi vrinam, & medicinam extrinsecè participare sanitatem animalis, quia licet medicinæ sit intrinsecum esse sanatiuam, & habere virtutem causandi sanitatem, id non dicitur formaliter sanitas, sed virtualiter, vnde cùm formaliter dicatur sana, debet hæc denominatio sanæ, quæ absolutè prolata formaliter sonat, à sanitate formali, quæ tantùm est in animali desumi. Idem dicito ad vrina, quæ intrinsecè significat sanitatem, per hoc tamen non dicitur sana formaliter, sed per sanitatem animalis; deseruit autem virtus sanatiua in medicina, & ratio signi in vrina vt fundamentum ad hoc, vt illis applicetur forma sanitatis existentis intrinsecè in animali, quæ illis est extrinseca. 15

Alia solent dici analoga propria, ea videlicet, quæ intrinsecè, & propriè qualibet metaphorâ exclusâ participat rationem principalis analogati, dicuntur tamen analoga per attributionem, quam habent ad illud, & hoc sensu ratio substantiæ dicitur analoga respectu Dei, & creaturæ, quia licet creatura sit simpliciter substantia, semper intelligitur cum attributione substantiæ creatæ ad increatã, ens similiter dicitur analogũ respectu accidentis, & substantiæ, quia licet accidens sit formaliter ens dicit semper attributionem ad substantiam. Hæc diuisio à multis admittitur, ab aliis verò quàm pluribus reiicitur quorum sententiã hic amplector, & probabo Puncto sexto, septimo & octauo, vbi ostendam transcendentiam, & dependentiam vniuocationem non impedire, darique rationem vniuocamenti creato, & increato, substantiali, & accidentali. 16

PVNCTVM IV.

De transcendentia entis, & reliquorum prædicatorum.

PRædicatum illud dicitur transcendens, quod in omnibus aliis imbibitum est, ita vt nullâ ratione possit sine ipso cõcipi illud, respectu cuius dicitur trãscendens, quam transcendentiæ descriptionem admittunt omnes, ideo in illa expendenda non immoror. Duplex est opinio, vna, quæ obiectiuas præcisiones admittit; altera, quæ tantùm formales, seu ex parte actus, & non ex parte obiecti defendit. Iuxta has diuersas sententias diuerso modo in hac materia philosophandum est, ideo quid in quamcumque illarum tenendum sit, figillatim explicabo. 17

PRIMA CONCLVSIO. In opinione, quæ tantùm ex parte actus præcisiones admittens, & reliqua omnia prædicata realiter identificata siue inferiora, siue superiora, siue directè in linea prædicamentali constitutâ, sicuti genera, & species, siue indirectè sicuti differentiæ ex parte obiecti mutuò sunt transcendentia. Tradit hanc conclusionem Arriaga disp. 11. sect. 3. subsect. 3. cuius ratio facilis est. Iuxta hanc sententiam ex parte obiecti nulla præcisio inter prædicata realiter identificata, & idem formaliter obiicitur ex parte obiecti, quando apprehenditur ratio entis, & quando apprehenditur differentia individualis huius entis individui: ergo omnia prædicata apprehenduntur ad inuicem se includentia, seu in vno simplici obiectiuo conceptu ex parte obiecti impartibili, & per modum vnius: ergo ex parte obiecti quælibet formalitas est identificata cum alia, & in illa imbibita: ergo quælibet formalitas ex parte obiecti est imbibita in alia, & illam transcendens, & ita identificata, vt ex parte obiecti non hæc & illa, sed vna simplex formalitas sit dicendum obiectum illud, quod in plures formalitates ex parte actus partimur. 18

SECVNDA CONCLVSIO: In opinione, quæ ex parte obiecti præcisiones obiectiuas defendit, & in opinione, quæ tantùm formales admittit, ens, & quodcumque prædicatum superiùs transcendit omnia inferiora, quæ directè illi subiiciuntur. Dixi quæ directè illi subiiciuntur, vt excluderem differentias, tantùm enim loquor de ente, & quocumque alio prædicato generico respectu aliorum generum intermediorum, & specierum, & individuorum, quæ sub se continet. Conclusio hæc est mihi certa, illam ostendo in homine respectu animalis, eodem enim modo philosophandum est de quibuscumque aliis prædicatis, quorum vnum sit superius, aliud directè inferius. Conceptus hominis non dicit simplicem quandam 19

formalitatem

formalitatem tenentem se ex parte obiecti, in quo consistit ratio speciei, quæ non est formaliter intrinsecè composita, & constans partibus præcisis ex parte obiecti, aut ex parte actus: ergo tam ex parte obiecti, quàm ex parte actus ratio animalis concipitur in homine, per modũ vnius cum rationali, absque vlla præcisione inter animal, & rationale, quæ in homine formaliter includuntur: ergo ratio animalis transcendit totam rationem specificam cum in specie actu non sit quædam formalitas, quæ sit animal, & alia, neque ex parte actus præcisa, quæ sit rationale, sed rationale, & animal in eamdem confluant formalitatem indiuisibilem, in qua consistit species: ergo ratio animalis, sine qua nequit concipi homo transcendit totam rationem hominis, cùm in homine formaliter non sit vnum prædicatum, quod sit animal, & aliud, quod non sit animal, aut ab animali discernatur. Confirmatur, & declaratur eadem ratio. Homo formaliter est animal, insuper dicit simplicem formalitatẽ, tam ex parte actus, quàm ex parte obiecti: ergo quidquid in homine concipitur est formaliter animal, cum non possit assignari vnum, quod sit animal, & aliud, neque adæquatè distinctum, quod sit rationale in entitate omnino simplici, & incomposita tam ex parte actus, quàm ex parte obiecti. Vrgeo: in homine inuenitur formaliter ratio animalis, non præcisa à rationali, neque ab aliqua ratione adæquata, neque inadequata speciei: ergo imbibita in rationali, & in tota ratione speciei, & transcendens rationales, & speciem ipsam, & quidquid in illa reperitur. Tantùm posset responderi huic rationi negando conceptum speciei, esse conceptum quendam simplicem, tam ex parte actus, quàm ex parte obiecti, quod efficaciter probaui in Logica Controuers. 6. Punct. 2. vbi ostendi speciem intrinsecè non esse compositam, neque habere partes metaphysicas, neque ex genere, & differentia componi, sed hæc omnia extrinsecè tantùm illi competere.

4 Tertia Conclvsio. In nulla opinione prædicata inferiora transcendunt aliquod prædicatum superius, ita vt superius sine inferiori non possit intelligi. Exempli gratia, substantia non potest transcendere rationem entis, neque corpus rationem substantiæ. Hæc conclusio est omnino certa, & apud omnes inconcussa, quam tantùm expressi vt notarem trãscendentiam superiorum prædicatorum respectu inferiorum mutuã non esse. Ratio est manifesta: quodlibet prædicatum superius indifferens est vt contrahatur per differentias oppositas: ergo potest præscindi ab illis, & ab speciebus per has differentias constituendis.

5 Qvarta Conclvsio. In opinione, quæ præcisiones obiectiuas admittit, ens non solùm transcendit genera intermedia, & species ad quæ contrahitur; sed etiam quamlibet differentiam siue immediatè contractiuam entis, siue vltimi indiuidui constitutiuam. Conclusio hæc communis est inter Doctores, qui contra Scotum docẽt non posse differentias præscindi ab ente, neque certum est ab illa Scotum dissentire, quia incertum est an Scotus tantùm senserit differentias posse ex parte actus præscindi ab ente, an etiam ex parte obiecti easdem præscindi voluerit. Ratio est facilis: conceptus perfeitatis, & cuiusuis differentiæ terminatur ad aliquid, quod formalissimè opponitur cum chimæra: ergo terminatur ad ens. Probo antecedens: cognitio terminata ad illam differentiam distinguitur ex parte obiecti à cognitione terminata ad chimæram, quia hæc terminatur ad quid fictum, & illa ad aliquid reale, hæc ad obiectum, quod tantùm habet esse obiectiuè in intellectu, illa ad obiectum quod in se ipso, & per se ipsum habet esse independenter à cognitione terminata ad illud, & per se ipsum est non repugnans: ergo terminatur ad aliquid quod opponitur cum chimæra, & est quid positiuum non repugnans existere: ergo terminatur ad ens formaliter, cuius constitutiuum est non repugnantia ad existendum, quod in formalitate positiua, seu in non negatione non distinguitur à ratione formali entis.

6 Qvinta conclvsio. In opinione, quæ tantùm ex parte actus præcisiones obiectiuas admittit ens transcendit omnes differentias. Hæc cõclusio est contra Arriagam nuper citatum, illam tamen tradit Hurtad. disp. 9. Logicæ sect. 4. subsect. 5. & ferè omnes Doctores independenter à quacumque sententia absolutè tradunt differentias non posse ab ente præscindi: Legatur Soar disp. 2. Metaph. sect 5. Probo conclusionem traditam eodem modo, quo præcedentem probabam, transferendo rationem, quam in obiecto assignamus ad actum. Rationale ex parte actus apprehẽditur vt distinctum à chimæra, & à puro nihilo: ergo apprehenditur vt ens. Probo antecedens: apprehenditur vt principium potens producere ratiocinationẽ: ergo vt potens existere, virtus enim productiua necessariò supponit non repugnantiam ad existẽdum, quia id, cui repugnat existentia, per locum intrinsecũ repugnat intrinseca ratio virtutis, productiuæ. Confirmatur: Rationale, vt est principium discurrendi, cognoscitur per connotata entis: ergo cognoscitur vt ens. Consequentia in hac sententia legitima est. Antecedens probatur: rationale vt est principium discurrendi cognoscitur per discursus ab illo producibiles: ergo cognoscitur per existentiam effectus tanquam per connotatum, ergo cognoscitur per connotatum aptissimum ad percipiendam in causa capacitatem existendi: quid enim aptius excogitari potest ad cognitionem capacitatis propriæ existentiæ in causa, quam existentia effectus? Vrgeo; ratiocinatio est connotatum aptum ad cognoscendum in causa principium productiuum ratiocinationis: sed eadem ratiocinatio supponit in eadem causa capacitatem ad existendum, quia per locum intrinsecum repugnat ratiocinationem procedere à principio non capaci existendi: ergo connotat hanc capacitatem existendi: Vltimò hæc est formalis prædicatio *rationale est principium ratiocinationis*: ergo de rationali dicitur esse: ergo de rationali formaliter prædicatur ens imbibitum in copula *est*: idem enim valet dicere, rationale est principium ratiocinandi, ac dicere rationale est ens principium ratiocinandi.

Ex his facilè soluitur fundamentum, quo affirmat Arriaga, ens posse præscindi à differentiis, existimat enim posse cognosci rationale non cognitis connotatis entis, quod falsum est vt probaui. Neque alicuius ponderis est quod addit Arriaga, videlicet se posse cognoscere modum, & dubitare an sit realis vel rationis, quia non quotiescumque est dubitatio, est abstractio; potiùs dubitatio fit per apprehensionem rationum singularium, in quibus intellectus est dubius, quæ illarum conueniat subiecto, de quo dubitat quid, vel quale sit. 7

Obiicies: Si in differentiis imbibitur ratio entis, conuenient in hac ratione entis: ergo poterit dari ratio illis cõmunis: ergo non erunt id per quod vltimò differunt species oppositæ, aut indiuidua distincta per differẽtias indiuiduales constituta. Resp. differentias ipsas confusè cognitas posse vniuocè conuenire in ratione entis, & rursus per se ipsas expressè cognitas differre, quia eademmet formalitas diuerso modo cognita potest esse principium conueniendi, & disconueniendi, in quo nullum est inconueniens, neque infertur processus in infinitum, & de differentiis indiuidualibus dixi in Logica Contr. 5. Punct. 3. 8

Obiicies secundò: In omni compositione vna pas debet distingui ab alia comparte: sed substantia cõponitur tanquã ex partibus metaphysicis ex ente, & ex perfeitate: ergo ens debet distingui à perfeitate, & perfeitas ab ente. Resp. antecedens esse verum in compositione propria, in impropria verò compositione necessum non esse hanc partium distinctionem, sed sufficere partes inadæquatè distingui eamdẽmve formalitatem diuerso modo apprehendi. 9

Obiicies tertiò: Ratio entis includitur in substantiæ differentia, videlicet in perfeitate: ergo non dicit aliquid amplius species constituta ex genere, & differẽtia, substantia videlicet cõstituta ex ente, & perfeitate, quàm differentia seorsim sumpta: ergo idem formaliter est ens per se, seu substantia, ac perfeitas. Probo consequentiam: si in aliquo differrent substantia, & perfeitas, in eo esset, quod substantia diceret rationem entis, & perfeitatem, & perfeitas tantùm diceret se ipsam, & non rationem entis: sed perfeitas dicit se ipsam, & dicit rationem entis imbitam in se ipsa: ergo in nullo differunt. Respondeo eadem formalitates dicere perfeitatem seorsim sumptam, & substantiam, quam dicimus componi ex ente & perfeitate, illas tamen diuerso modo repræsentari per conceptum perfeitatis, ac per conceptum substantiæ, quia perfeitas significatur tanquam ratio formalis contrahendi rationem communem, & vniuersalem entis ad speciem inferiorem ente, videlicet substantiam; substantia verò significatur tanquam species, ad quam contrahitur ratio communis entis. Itaque perfeitas, & substantia dicunt eamdem formalitatem, tam ex parte actus, quàm ex parte obiecti, significatam, tamen diuerso modo, quia formalitas, quam repræsentat conceptus substantiæ per modum entitatis completæ, & speciei, ad 10

quam contrahitur ens, repræsentatur conceptu perfectatis tanquam quid incompletum, & tanquam ratio formalis contractiua entis, & constitutiua substantiæ.

11 Sexta Conclvsio: In omni sententia de præcisionibus differentiæ inferiores non includunt formaliter rationem generum intermediorum, neque differentiarum, per quas hæc genera constituuntur, v.g rationale non includit formaliter animal, neque sensitiuum, & sensitiuum non includit formaliter corpus neque differentiam, per quã istud constituitur. Ratio est facilis: quoties connotata, in ordine ad quæ formalitates cognoscuntur sunt diuersa, & non se includunt, neque inadæquatè formalitates sunt diuersæ. Sed sensitiuum cognoscitur per sensationes tanquam per connotata, rationale per ratiocinationes: ergo cognoscuntur per diuersa connotata: ergo sunt formalitates diuersæ. Ratio hæc valde efficax est in præscindentibus tantùm ex parte actus, quia in his totum præcisionis negotium in diuersitate connotatorum situm est; & in opinione præscindentium obiectiuè, licèt non adeò apparentem, eamdem vim habere existimo, quia etsi præter distinctionem connotatorum, aliam præcisionem adstruat hæc opinio, talis præcisio necessariò oritur ex illa connotatorum distinctione, proximum enim, & adæquatum obiectiuæ præcisionis fundamentum est connotatorum diuersitas, in ordine ad quæ eadem talis entitas cognoscitur.

12 Obiicies: Differentia leonis est principium rugitus: sed rugitus est sensatio: ergo differentia leonis est principium sensationis: ergo formaliter animal, quod formaliter dicit principium sensationis. Aliter de eadem differentia simile potest fieri argumentũ: differentia leonis est principium rugitus: sed rugitus est actio vitalis: ergo differentia leonis est principium actionis vitalis: ergo est formaliter viuens, quod constituitur formaliter per principium actionis vitalis. Respondet Arriaga, hæc argumenta difficultate carere in opinione quæ tantùm præscindit ex parte actus, quia secundùm hanc sententiam, etiamsi rugitus sit formaliter sensatio potest ab illo præscindi ratio sensationis; & similiter etiamsi sit vitalis actus, potest ab illo ratio vitalitatis præscindi, quod fieri non potest in opinione obiectiuè præscindente, iuxta quam asserit differentiam superiorem formaliter includi in inferiori. Non assentior Arriagæ, quia quãtumuis subtilis sit præcisio ex parte actus, non potest ex vi illius præscindi ab aliqua entitate prædicatum aliquod ex his, quæ formaliter includit, quia nulla entitas potest considerari sine aliquo prædicato pertinente ad suam essentiam, neque cognosci non cognitis omnibus prædicatis essentialibus, per quæ constituitur, si enim non omnia cognoscantur, non illa entitas, seu species constituta ex prædicato cognito, & prædicato non cognito cognoscetur, sed prædicatum aliquod illius inadæquatum, quod sicuti non dicit totam essentiam rei, ita non dicet ipsam, quæ indiuisibiliter dicit hæc prædicata essentialia, sic cognitio ex vi cuius ab homine præscinderetur animal, & tantùm attingeretur rationale, non esset cognitio hominis, sed cognitio rationalis, neque cognitio speciei, sed differẽtiæ, eadémque ratione cognitio, ex vi cuius ab homine præscinderetur rationale, & tantum cognoscetur animal, non esset cognitio hominis, sed animalis, neque cognitio speciei, sed generis: ergo eo ipso quod rugitus sit essentialiter sensatio, & sit essentialiter actio vitalis, implicat rugitum cognosci præcisis ab illo rationibus sensationis, & actus vitalis.

13 Melius respondetur differentiam leonis non esse principium rugitus secundùm omnes formalitates, quas in se includit, sed secundùm vltimam specificam; in rugitu enim reperitur ratio actus vitalis, ratio sensationis, & ratio specialiter constitutiua rugitus, ex quibus ratio actus vitalis respondet in principio rationi viuentis, cuius est connotatum, ratio sensationis respondet rationi animalis, cuius est connotatum, & specialis ratio, per quam actus vitalis sensationis constituitur talis sensatio, videlicet rugitus, conuenit differentiæ leonis. Instabis: rugitus, secundum vltimam rationem rugitus dicit immanentiam: ergo dicit rationem vitalis. Secundò, si rugibile separaretur realiter ab equo, esset principium sensationis: ergo non tantùm illi respondet ratio talis sensationis, sed etiam sensationis ratio. Respondeo ad primum argumentum, rugitum secundùm vltimam differentiam constitutiuam non importare immanentiam vt sic, quam supponit ex prædicato generico, sed talem immanentiam. Ad secundum respondeo: casu, quo rugibile separetur ab animali nullam vitalem operationem ab illo processuram, quia hæc essentialiter procedit ab animali, quod tunc non contineret rugibile, posset tamen ab illo procedere vltima differentia constitutiua rugitus, seu talis sensationis, si fingatur posse differentiam specificam contractiuam sensationis à sensatione separari, eo modo, quo fingitur rationem specificam contractiuam animalis, nempe rugibile posse ab animali separari.

Punctvm V.

An possit dari vnus entis conceptus communis omni enti.

NOn dari vnum entis conceptum communem enti creato, & increato substantiæ, & accidenti docuere Caietanus opusc. de analogia nominum c.4. & 6. Ferrara. cont.gent.c.34. P.Vasq.1.p. disp.114.n.5.& 6. P.Fonf.2.Met. cap.2. q.2. c.4. & gregatim Thomistæ, quorum plures dat Soar.disp.2.Metaph. sect.2. n.3. 1

Oppositam sententiam defendunt Scotus cum suis Capreol.Iauell.& Sot.apud P.Soar: idem Soar ibid. Hurtad. disp.2.Met. sect 3.subs.1.& in Logica disp.9.sect.4. Arriag. disp.11. Logicæ sect.1.subsect.1.& 2. & ferè omnes recentes. Conclusio potest procedere iuxta præscindentes ex parte obiecti inter formalitates identificatas, & iuxta præscindentes tantùm ex parte actus: & iuxta horum principia quibus assentior faciliorem probationem habet: existimo tamen in vtraque sententia prædictam conclusionem subsistere, ita illam iuxta omnium sententiam defendendam fuisse. Ens in tota sua latitudine potest cognosci confusè per conceptum quemdam non discernentem inter substantiam, & accidens, inter ens creatum, & increatum: ergo potest cognosci conceptu quodã, ex vi cuius dicatur vnum cõmune entibus particularibus. Consequentia iuxta præscindentes ex parte actus est ineuitabilis, quia in horũ sententia vnitas conceptus communis tantùm consistit in cognitione quadam, cuius obiectum sint singularia omnia, quæ ita attingat talia singularia, vt inter vnum, & aliud non discernat. Antecedens probo: Quando concipio ens vt sic, non concipio clarè substantiam, & accidens, vt experientiâ ipsa compertum est, sæpe enim apprehendimus aliquid esse, seu existere, quin cognoscamus, an sit substantia, vel accidens: ergo tunc cognoscimus rationem entis, quin distinctè rationem substãtiæ aut accidentis cognoscamus. Confirmatur: distinctus conceptus formalis est conceptus respondens his vocibus *substantia*, & *accidens* à conceptu respondente huic voci *ens*: ergo ex eo distinguuntur, quod conceptus respondens huic voci ens confusè significat substantiam, & accidens absque vlla ipsorum discretione, & conceptus respondens his vocibus *substantia*, & *accidens* substantiã, & accidẽs, vt inter se distincta repræsentat. Confirmatur: Si propter aliquam rationem conceptus entis distinctè significaret substantiam, & accidens, maximè, quia ratio formalis entis transcendit substantiam, & accidens: sed etiam transcendit reliqua omnia genera, species etiam infimas, & vltima indiuidua: ergo significaret distinctè omnia genera, omnes species, & omnia indiuidua, ita vt conceptus entis discerneret inter hunc hominem, & illum hominem, hanc albedinem, & illam albedinem, & sic inter omnia indiuidua quarumcumque specierum: Consequens est falsum: ergo antecedens tradendum non est, sed dicendum conceptum entis confusè attingere omnes peculiares rationes entis absque vlla discretione inter hoc & illud ens, quod in opinione præscindentium tantùm formaliter est tribuere vnitatem communem in qua forma vniuersalis consistit, conceptui obiectiuo entis. 2

Arguo secundò: diuersa sunt connotata propria substãtiæ, & propria cõnotata accidentis, præter quæ dãtur connotata cõmunia sustãtiæ, & accidenti, videlicet oppositio cum chimæra extractio à puro nihilo, & independentia in suo esse ab intellectu fingẽte, capacitas præsentãdi in loco, & durandi, quæ omnia sunt communia substantiæ, & accidenti, Deo, & creaturis, & cuicumque enti particulari excogitabili: ergo possunt omnia entia cognosci per cõnotata omnibus cõmunia non cognitis propriis connotatis alicuius specialis entis, ergo possunt omnia entia cognosci vt vnum.

vnum. Probo consequētiam: ideò animal rationale, seu homo, & animal rugibile, seu equus cognoscuntur conceptu quodam confuso, & vniuersali, quia cognoscuntur per connotata communia, & similia in omnibus, sed similiter ens increatum, seu Deus, & ens creatum, seu creatura, ens per se, seu substantia, ens in alio, seu accidens habent connotata communia, per quæ cognoscantur: ergo poterunt per illa cognosci cognitione quadam, ex vi cuius omnia entia habeant vnitatem vnius vniuersalis, cùm hæc vnitas tantùm consistat in cognitione ex vi cuius singularia omnia repræsentantur per connotata similia, & omnibus communia.

4 Rationes istæ, quæ contra præscindentes tātùm formaliter fiunt, contra obiectiuè præscindentes eodem modo procedunt, quod sic ostendo. Totum fundamentum præcisionis obiectiuæ in rebus realiter distinctis est in connotatis similibus: sed substantia, & accidens habent similia connota, per quæ cognoscantur, vt probatum est: ergo in substantia, & accidenti reperitur fundamentum, vt ab illis abstrahatur ratio communis. Confirmatur: ideo abstrahitur ratio communis animalis ab homine, & equo, quia in homine, & equo experimur sensationes similes. Sed in substantia, & accidenti, & in quibuscumque aliis entitatibus, etiam in ente increato experimur oppositionem cum chimæra, capacitate præsentandi in loco, & durandi, independentiam in suo esse ab hoc quod est esse obiectiuè in intellectu: ergo habemus fundamentum, vt ab omnibus singularibus entibus rationem quandam abstrahamus communem per intellectum vnam in omnibus.

5 Vltimò: Conceptus entis repræsentat obiectum indifferens, vt prædicetur de substantia, & accidenti, dicimus enim substantia est ens, accidens est ens, & ex se prædicatum illud antequam contrahatur, nullā dicit oppositionem cū aliqua speciali differentia: ergo conceptus ille abstrahit à propriis differentiis substantiæ, & accidētis, si enim differentias diceret, non repræsentaret aliquid commune, & indifferens vt prædicaretur de substantia, & accidēti, neq; aliquid quod oppositionem non haberet cum alia differentia, cùm differentia substantiæ cum differentia accidentis, & differentia accidentis cum substantiæ differentia opponantur. Denique quamcumque ratione mediteris ad concipiendā rationē communem animalis homini, & equo, & rationem communem hominis Petro, & Ioanni, eamdē inuenies ad concipiendam rationem communem entis enti creato, & increato substantiali, & accidentali, siue tantùm formales, siue etiam obiectiuas præcisiones admittas, quia omnia entia simpliciter, & absolutè sunt capacia existendi, præsentandi, in loco, & durādi in tēpore, & oppositionē habent cum chimæra, quæ non minus præbent fundamentum ad concipiendam rationem entis illis communem, quàm sensationes similes in homine, & equo ad concipiendam rationem animalis communem homini, & equo.

6 Disparitatem reddunt authores oppositæ sententiæ ex transcendentia, quam habet ens respectu suarū differentiarum, quā non solùm prædictis argumentis satisfacere præsumunt, sed etiam in nostram sententiam insurgere tētant. Obiiciunt sic: Differentiæ non possunt separari à ratione entis, vt probauimus Puncto præcedenti: ergo nulla præcisio fieri potest ex vi cuius differentiæ permaneāt sine ratione entis in illis imbibita: ergo nulla præcisio fieri potest, ex vi cuius ens non maneat in differentis: ergo nulla præcisio fieri potest ex vi cuius ens sit separatum à differentiis. Probo hanc vltimam consequentiam, quæ tantùm poterit negari. Id quod est in alio imbibitum, & cum alio coniunctum non potest esse sine illo, & ab illo separatum. Sed ens est imbibitum in differentiis, & cū illis coniunctū: ergo non potest ab illis separari. Confirmatur eo ipso, quod ratio entis separaretur à differentiis, differentiæ separarētur ab ente, sed differentiæ non possunt separari ab ente: ergo ens non potest separari à differentiis. Probatur maior: Separatio dicit distantiam extremorum, sed eo ipso quod hoc extremum distet ab illo, illud distat ab isto: ergo eo ipso quod ens separetur à differentiis, differentiæ separantur ab ente.

7 Hoc est potissimum argumentum oppositæ sententiæ, in quo difficultatem nullam inueniet, qui rem attentè inspiciat, habet enim solutionem luce clariorem. Concedo differentias non posse separari ab ente, & in ipsis semper manere rationem entis, nego tamen ens non posse separari à differentiis, & esse extra illas. Ratio quā moueor ad id negandum, & oppositum asserēdum perspicua est: differentias non posse separari ab ente, & ens semper in illis manere imbibitum tantùm dicit formaliter non posse dari cognitionem terminatam ad differentias, quæ non terminetur ad ens. Ens separari à differentiis, & esse extra illas tantùm dicit dari posse aliquam cognitionem entis, quæ non sit differentiarum cognitio. Sed ex eo quod omnis cognitio differentiarum sit cognitio entis, non sequitur omnem cognitionē entis, esse cognitionem differentiarum, neq; repugnat dari aliquā cognitionē entis, quæ non sit differētiarum cognitio: ergo ex eo quod differentiæ non possint separari ab ente, & hoc semper sit extra illas, ex vi cognitionis terminatæ ad differentias, nō sequitur ens nō posse separari à differentiis, & esse extra illas, ex vi cognitionis terminatæ ad rationē entis, & non terminatæ ad rationem differentiarum. Consequutio est legitima, & maior ex apprehensione terminorum, quibus agimus in hac materia per se nota, non enim hæc separatio est physica, sed intentionalis, quæ fit præcisè ex eo, quod entitas cognoscatur ex vi huius cognitionis, ex vi cuius alia, à qua dicitur separatio fieri, non cognoscatur. Minorem probo: cognitio terminata ad differentias, & cognitio terminata ad ens realiter distinguuntur: ergo ex eo, quod cognitio differentiarū repræsentet differentias, & repræsentet ens in illis imbibitum, non infertur cognitionem entis idem repræsentare, sed poterit rationem entis repræsentare, & non rationem differentiarum, si aliàs reperiatur fundamentum ad præscindendam rationem entis à differentiis, quod non reperiatur ad præscindendas differentias ab ente.

8 Confirmatur: Cognitio vnionis, alluſve entitatis per se relatiuæ necessariò est cognitio termini, cum quo habet essentialem connexionem, & non potest vnio seu entitas relatiua cognosci non cognito termino, ex vi eiusdem cognitionis. Cognitio huius termini non connexi cum illo modo, & potentis existere sine illo potest separari à cognitione illius modi, & potest terminus cugnosci secundùm se non cognito modo, à quo non dependet: ergo ex eo, quod hæc entitas non possit cognosci sine illa, non infertur illam non posse cognosci sine ista: ergo ex eo, quod differentiæ non possint separari ab ente, hoc est, non possint cognosci sine ente non infertur ens non posse separari à differentiis, hoc est, non posse cognosci ex vi aliùs cognitionis sine differentiis: rectè ergo componuntur differentias esse inseparabiles ab ente, & non posse cognosci sine illo, & ens posse cognosci sine differētiis, & posse ab illis separari, quæ formaliter non distinguūtur. Dixi ens posse cognosci sine differentiis, quod intelligendum est in eo sensu, quo præcisiones admittuntur, in quo dicitur animal posse intelligi sine rationali, quod iuxta præscindentes obiectiuè sonat posse dari cognitionem terminatam ad rationem entis, quin ex parte obiecti se teneant differentiæ, sicuti dicitur de cognitione terminata ad rationem communem animalis, & iuxta præscindentes tantùm formaliter non importat cognitionem entis ex parte obiecti non terminari propriis differentiis substantiæ, & accidentis, sed tantum has differentias confusè sine ipsarum discretione cognosci.

9 Ex hac doctrina ad argumentum in forma facile respondeo concedendo differentias non posse præscindi ab ente, & nullam præcisionem fieri posse ex vi cuius differētiæ maneant sine ratione entis in illis imbibita, & distinguendo consequens illud: ergo nulla præcisio fieri potest ex vi cuius ens non maneat in differentiis: nulla præcisio fieri potest per cognitionem terminatam ad differentias, ex vi cuius cognitionis ens non permaneat in differentiis, cōcedo cōsequentiā: nulla præcisio fieri potest per cognitionē terminatā ad ens, & non ad differentias, ex vi cuius ens non permaneat in differentiis, nego consequentiā. Similiter distinguo illud antecedens. Id quod est in alio imbibitū & cū alio coniunctū non potest ab illo separari, realiter, & physicè, concedo antecedens: intētionaliter: sub distinguo: non potest ab illo separari ex vi cognitionis, qua cognoscitur imbibitum in alio & per modum vnius cū illo, concedo antecedens; ex vi aliùs cognitionis, nego antecedēs. Eadē ratione distinguenda est alia propositio: ens est imbibito in differentiis, & cum illis coniunctum, ex vi cognitionis, qua differentiæ cognoscuntur, concedo; ex vi cognitionis, qua tantum cognoscitur ratio entis, nego: ergo ens non potest separari à differentiis, distinguo consequēs:

non potest separari ex vi cognitionis, qua cognoscuntur differentiæ, & est cum illis coniunctum, concedo consequentiam, ex vi aliùs cognitionis, nego consequentiam. Antecedens aliud, quod in confimationem adducitur, videlicet eo ipso, quod ens separetur à differentis, differentiæ separantur ab ente, absolute negandum est, quia ex eo, quob ens separetur à differentiis tantum infertur dari cognitionem terminatam ad ens, & non ad differētias, ex vi cuius differentiæ, neque separantur, neque coniunguntur cum ente sed rantùm non coniunguntur, quia separari, aut coniungi differentias dicit differentias cognosci. Ad vltimam probationem respondeo separationem physicam dicere distantiam Physicam extremorum, & necessariò esse mutuam, separationem verò intentionalem tantùm dicere hoc extremum cognosci illo non cognito, à quo separatio fieri dicitur.

10 Obiic. secundò: Non potest dari ratio cōmunis sapiētiæ creatæ, & increatæ: ergo neque ratio communis entis, enti creato, & increato. Probatur antecedēs: sapientia vt sic distinguitur à iustitia vt sic, distinctione tātùm reali, aut distinctione tantū rationis, aut vtraq; distinctione, nullū enim est aliud distinctionis genus, cùm omnis distinctio sit realis, vel rationis. Si distinctione tantùm rationis in illis cōceptibus sapientiæ vt sic, & iustitiæ vt sic nō includuntur sapientia & iustitia creata, quæ realiter distinguuntur, si distinctione tantùm reali, vel distinctione reali, & rationis non possunt includit sapiētia increata, & iustitia creata, quę non distinguuntur realiter: ergo non possunt dari conceptus communes iustitiæ creatæ, & increatæ, & sapientiæ creatæ, & increatæ. Rationē hanc rectè redarguit Hurt. in cognitionibus creatis hominis, & leonis, quæ vniuocè suis inferioribus conueniunt, de quibus idem argumentum hac ratione fieri potest. Cognitio hominis, vt sic, vt distinguitur à cognitione leonis, vt sic, tantùm distinctione rationis, vel tantùm distinctione reali, vel distinctione reali, & rationis. Si distinguitur tantum per rationem: ergo in illo conceptu non includebantur cognitiones, quas habet homo de ipso homine, & de Angelo, quæ realiter distinguuntur, si distinguuntur tantum distinctione reali, vel distinctione reali, & distinctione rationis: ergo in illis conceptibus non includebantur cognitiones Angelicæ de homine, & leone, quæ realiter non distinguuntur, Angelus enim eadē cognitione cognoscit hominē, & leonē: ergo non potest dari vnus conceptus, in quo conueniant cognitiones humanæ, & Angelicæ de leone, & alius in quo conueniant cognitiones humanæ, & Angelicæ de equo. Respōdendū est cū Hurt. has rationes vt sic abstractas distingui distinctione rationis, insuper inadæquatè distingui distinctione reali, & inadæquatè distinctione tātùm rationis, hoc est ratione quorumdam singularium distingui distinctione reali, & rationis, & ratione aliorum tantùm distinctione rationis, conceptus enim ex vi cuius fit vniuersale terminatur ad plura indiuidua, quorum aliqua realiter distingui, & alia per rationē tātùm distingui ex nullo capite repugnat potiùs in pluribus speciebus ita contingere necesse est.

11 Obiic. tertiò: Ens immediatè diuiditur in ens creatum, & in ens increatum: ergo antequam ens contrahatur ad sapientiam, intelligitur contractum ad ens creatum, vel increatum: ergo quando intelligitur sapientia, necessariò intelligitur sapientia creata, vel sapientia increata: ergo non potest intelligi sapientia indifferens, vt contrahatur per sapientiam creatā, vel increatam: ergo non potest dari cōceptus communis sapientiæ abstrahens à sapientia creata, & increata: cùm ratio entis necessariò descendat ad sapiētiam iam contractam per differentiam entis creati, vel increati. Resp. non necessario diuidi immediatè ens in ens creatum, & increatum, sed posse immediatè diuidi in intellectiuum, & non intellectiuum, & postea intellectiuum in habituale, & actuale: & rursus intellectiuum actuale in apprehensionem, seu non sapientiam, & sapientiam: rursus sapientia in sapientiam creatam; & increatam.

PVNCTVM VI.

An ens sit analogum propter dependentiam.

1 SVnt non pauci, qui admittunt rationem entis in statu abstractionis esse vnam; & negant rationem vniuocā esse Deo, & creaturis, substantiæ, & accidenti propter dependentiam, quam habet creatura à Deo, & substantia ab accidenti, quorum sententiam sic explicat Hurt. disp. 5. Metaph sect. 4. subs. 4. Ratio entis prius contrahitur ad Deum, quàm ad creaturas, ad substantiam, quàm ad accidens: ergo prius participatur à Deo quàm à creatura, à substantia, quā ab accidenti: ergo hæc inferiora inæqualiter respiciunt rationem superiorem: ergo ratio superior inæqualiter respicit illa: ergo est inæqualis, & non omnino eadem: ergo non vniuoca, sed analoga. Rationem entis prius trahi ad Deum, quàm ad creaturas, ad substantiam, quàm ad accidens probatur ex dependentia, quam habet creatura à Deo, & accidens à substantia.

Hunc philosophandi modū rectè impugnat Hurt. quia 2
etsi hæc entia secundùm proprias species, ratione differentiarū, per quas contrahitur ens, habeant hanc dependentiā entis creati ab increato, & independentiā entis increati à creato, & similē dependentiā accidentis à substātia, & substantiæ ab accidenti, ratio illa communis abstracta nequit dependentiā, neque independentiam, sed abstrahit ab vtraque, & indifferens est vt contrahatur ad speciem entis dependentis, vel ad speciem entis independentis: ergo in illo statu præcisionis non habent ratione dependentiæ, vel independentiæ rationem aliquam diuersitatis, neque aliquid, quod opponatur cum omnimoda identitate requisita ad rationem vniuocationis.

Dices rationem illam in statu abstractionis nō esse om- 3
nino eamdem, quia petit prius contrahi per rationem independentiæ, & posterius per rationem dependentiæ, ex quo infertur inæqualiter respicere inferiora, quod sufficit ad analogiam. Contrà: hoc quod est inæqualiter respicere terminos, seu inferiora non arguit diuersitatē aliquā in ratione illa superiori, qua inferiora respiciuntur, quia eadēmet indiuisibilis formalitas potest respicere duos terminos, hunc primariò, & illū secūdariò, seu duo inferiora, hoc tāquā magis præcipuū inferius, quod prius tangitur hoc respectu, & illud tanquā minus præcipuū, quod posterius eodē indiuisibili respectu attingitur, sicuti eadē cognitio indiuisibilis indiuisibiliter respicit hoc obiectum tanquam primarium, & directum, & illud tanquam secundarium, & indirectū, seu obliquū: ergo etiamsi concedatur rationem entis communē petere prius contrahi ad ens increatū, & postea ad ens creatum, ex hoc non inferetur, non esse omnino eādem in statu abstractionis: ergo propter hunc modū contrahendi ratio illa entis analoga non erit. Confirmatur: ratio illa entis, quæ petit contrahi prius ad ens increatum, & posterius ad ens creatum, secundum illam rationē ex vi cuius petit hoc ordine cōtrahi, non inuoluit formaliter rationem entis increati, aliàs neque peteret neque posset, adhuc posterius, contrahi ad ens creatum neque rationem entis creati, aliàs nullo modo posset contrahi ad ens increatum: ergo in illo statu non habet aliquid ratione cuius non sit omnino eadem. Dices non esse omnino eamdem propter distinctam capacitatem, seu exigentiam, quam habet, vt contrahatur diuerso modo, prius ad ens independens, & posterius ad ens dependens. Contrà: capacitas, seu exigentia vt ratio illa diuerso modo contrahatur dicit capacitatem ad contractiones diuersas, quarum nulla est actus adæquatus capacitatis, seu exigentiæ, quam habet ens vt contrahatur, quia ad vtraque est indifferens: ergo non dicit aliquam distinctionem, neque aliquid, quod opponatur cum omnimoda identitate in capacitate, seu in exigentia, quam habet illa entitas vt contrahatur, sed tantum dicit diuersitatem contractionum: ergo non dicit aliquam diuersitatem, seu aliquid quod opponatur cum omnimoda identitate formaliter inclusum in illa capacitate, seu exigentia, quam habet ratio illa entis vt contrahatur: ergo non dicit aliquid, quod impediat vniuocationem.

Confirmatur: capacitas, seu exigentia, quam habet ratio 4
illa abstracta vt contrahatur, formaliter non distinguitur à ratione entis abstracta secundum se sumpta. Sed ratio illa entis est vna: ergo capacitas, seu exigentia vt contrahatur necessariò erit vna, neque aliquid habebit, per quod possit capacitas, seu exigentia contractionis distingui in illo statu præcisionis, sicuti non habet, per quod distinguatur ens secundū se sumptū in illo contractionis statu. Capacitatē hanc non distingui à ratione entis facilè probatur, quia ex eo præcisè quod concipiatur ratio entis abstracta à Deo, & à creatura, à substantia, & accidenti indifferens est, vt contrahatur ad Deū, vel ad creaturam, ad substantiam, vel ad accidens, neque aliud habet caput, ex quo illi adueniat capacitas, aut exigentia contractionis.

Rursus

5 Rursus prædicatum vitalitatis vniuocè prædicatur de potentia, & actu vitali, nihilominus actus dependet à potentia,& non à quacumque dependentia, sed dependentia essentiali,ita vt de potentia absoluta non possit non dependere : ergo dependentia non tollit vniuocationem, neque propter hanc ratio vna communis multis constituitur analoga. Item intellectio,& volitio vniuocè conueniunt in ratione actus vitalis,& in ratione qualitatis , & nihilominus volitio dependet ab intellectione : ergo dependentia non impedit vniuocationem. Insuper substantia vniuocè dicitur de viuente,& de lapide,& nihilominus priùs contrahitur ad rationem communem viuentis substantiæ,quàm ad speciem infimam lapidis : ergo priùs posteriúsve contrahi non impedit vniuocationem.

6 Dices , rationem entis abstractam non esse dependentem,aut independentè in illo statu, sed petere,vt quæ fuerit contracta ad esse Dei sit independens , & quæ fuerit contracta ad esse creaturæ sit dependens. Id admittam,sed ex eo nihil contra vniuocationem entis infertur , nam eadem ratio abstracta , quæ petit esse independentem casu, quo contrahatur ad esse Dei,petit esse dependentem casu, quo contahatur ad esse creaturæ, & eadem omnino est in ordine ad intellectum ratio illa abstracta,de qua verum est dicere ; si ratio ista contrahatur ad esse Dei erit independens, & si contrahatur ad esse creaturæ erit dependens.

7 Respondebis iterùm, rationem entis contractam ad esse Dei perfectiorem esse ratione entis contractâ ad esse creaturæ , & contractam ad esse substantiæ perfectiorem esse eâdem contractâ ad esse accidentis , & ita vniuocam esse non posse Deo,& creaturæ,substantiæ, & accidéti. Contrà: ens vt contractum ad hanc speciem perfectius esse eodem, vt contracto ad aliam speciem , non prouenit ex ente sumpto secundum conceptum illum , quem dicit in statu præcisionis , sed ex differentia , per quam contrahitur , quòd tantùm importat inæqualitatem differentiarum,& ratione harum inæqualitatem specierum : ergo non impedit vniuocationem,ad quam tantùm requiritur , rationem vt abstractam esse omnino eamdem, non vt contractam,quia ratio vt contracta dicit differentiam, per quam contrahitur, quæ inæqualis est alij differentiæ , per quam eadem ratio posset contrahi. Patet doctrina tradita in quacumque ratione vniuoca,in animali,v.g. quod vniuocè dicitur de homine,& equo,quia in statu abstractionis est omnino idem, etiamsi animal vt contractum ad hominem per rationale perfectius sit animali contracto ad equum per hinnibile, quia homo perfectior est equo , & rationale perfectius est hinnibili.

8 Admisi ens priùs contrahi per nostrum intellectum ad Deum,quàm ad creaturam, & ad substantiam, quàm ad accidens, quia ex hoc nihil contra entis vniuocationem deduci poterat,verumtamen id omnino falsum esse existimo, quia ens æquè immediatè contrahitur, tanquam per differentias oppositas per differentiam constitutiuam entis increati,& per differentiam constitutiuam entis creati , quin ex his contractionibus sit vna prior aliâ, neque vna supponatur ad aliam , quod eadem ratione contingit in contractionibus , per quas ens trahitur ad speciem substantiæ, & ad speciem accidentis creati media differentia entis increati,quam excludit,neque contractio , seu actus intellectus , quo ego rationem illam entis abstractam contraho ad ens creatum dependet à contractione,seu actu intellectus , quo eamdem rationem contraho ad ens increatum; sunt enim duo actus intellectus , quorum vnus non influit in alium,neque alium supponit, potius ratione obiectorum opponuntur , quia feruntur in opposita obiecta : ergo vna contractio non est prior alia. Confirmatur:postquam ego concipio rationem entis abstractam ab ente creato & increato , possum immediatè nullâ aliâ cognitione intercedente apprehendere ens creatum : ergo ratio entis non prius contrahitur ad ens increatum,quàm ad ens creatum.

9 Vltimò : hæc prioritas contractionum nullo nititur fundamento : ergo admittenda non est. Antecedens probo. Fundamentum huius prioritatis contractionis, vt fatentur authores , qui illam propugnant,est prioritas,quam habet ens increatum respectu entis creati,& dependentia, quam habet creatura à creatore,& creaturam non posse esse, aut cognosci sine creatore à quo intelligitur essentialiter dependens : sed hoc non arguit prioritatem cognitionis tendentis in Deum respectu cognitionis tendentis in creaturam : ergo non arguit prius contrahi per nostrum intellectum rationem entis ad Deum, quàm ad creaturam. Minorem probo : creaturam non posse cognosci sine creatore tantum importat cognitionem terminatam ad creaturam tanquam ad obiectum indirectum , & connotatum, quod non dicit priorem esse cognitionem creatoris cognitione creaturæ, sed simplicem quandam cognitionem ad vtrumque obiectum terminatam. Secundò : Deum esse priorem creaturâ,& hanc esse posteriorem, tantum potest importare Deum cognoscendum esse , vt principium à quo procedit creatura , & priorem illâ prioritate naturæ, seu causalitatis, & creaturam posteriorem in eodem genere, quod optimè fieri potest per cognitionem simplicem terminatam primariò ad creaturam, & secundariò ad Deum, ex vi cuius creatura cognoscatur dependens à Deo,& posterior Deo. Aliud enim est me cognoscere hoc esse prius illo, aliud habere cognitionem huius priorem cognitione illius,per eamdem enim simplicem cognitionem sine aliquo ordine inter cognitionem,& cognitionem,cognosco ordinem prioris,& posterioris inter obiecta, & hoc esse prius, illúdque posterius : ex hac doctrina facilè respondetur ad argumentum oppositæ sententiæ, quod ita procedit ; Deus prior est creatura : ergo prius cognosco Deum,quàm creaturam : ergo prius contraho rationem entis ad Deum, quàm ad creaturam. Concedo antecedens , & distinguo consequens. Prius cognosco Deum,quàm creaturam prioritate se tenente ex parte obiecti,hoc est,cognosco Deum esse priorem creaturâ,concedo consequentiam : prioritate tenente se ex parte cognitionis , nego consequentiam. Deinde nego secundam consequentiam , quia contractio non consistit in obiecto,sed in cognitione.

Punctum VI.

An ens sit analogum propter transcendentiam.

SEntiunt non pauci recentiores cum Hurtado disput.9. Logicæ sect.4.rationem entis communem Deo,& creaturis,substantiæ & accidenti,omnino eamdem in statu abstractionis non esse vniuocam,sed analogam propter transcendentiam,quam respectu omnium differentiarum habet ratio entis , quorum sententia apud ipsos sic explicatur. Supponunt rationem entis formaliter inclusi in quacumque differentia,ita vt de illa non tantùm identicè,sed formaliter prædicetur ratio entis , quod non contingit in animali respectu rationalis , quia rationale formaliter non est animal, neque in conceptu rationalis formaliter ratio animalis reperitur. Concedunt deinde rationem entis præcisam à differentis esse omnino eamdem , supponunt etiam differentias constitutiuas substantiæ , & accidentis formaliter esse diuersas,quod per se notum est. Ex his principiis inferunt Hurtadus,& cum illo recentes alij,rationem entis non esse omnino diuersam , quia in statu abstractionis est eadem,neque omnino eamdem,quia in statu contractionis est diuersa. Posteriorem hanc partem in qua est tota huius rationis difficultas, sic explicant. In substantia quæ est ens per se , differentia illa *per se* , ex vi cuius substantia differt ab accidenti formalissimè est ens, quod supponendum est, quia modò non disputamus an ens transcendat differentias,sed an transcendentia , quam dari supponimus, vel ex suppositione , quod detur vniuocationem impediat : ergo substantia differt ab accidenti per rationem quandam,quæ formalissimè est ens : ergo differt per rationem entis , vt imbibitam in illa differentia : ergo ratio entis vt imbibita in illa differentia substantiæ constitutiua est diuersa ab accidenti , seu à differentia accidentis , quæ similiter formalissimè est ens : ergo ratio entis , vt imbibita in differentia substantiæ est diuersa à ratione entis vt imbibita in accidenti : ergo ratio entis , vt sic,imbibita in differentiis est diuersa , & vt præcisa ab illis est eadem : ergo partim est eadem,partim diuersa : ergo neque omnino eadem, neque omnino diuersa. 1

Aliter inquit Hurtad. contingit in animali respectu hominis,& equi, quia homo, & equus differunt per rationale, & hinnibile , quæ differentiæ non sunt formaliter animal ; ac proinde homo & equus , quibus est eadem ratio animalis abstracta non differunt per aliquid,quod formaliter sit animal, seu in se includat rationem animalis ac proinde nullo modo differunt , neque sunt diuersi secundum rationem animalis in qua conuenerant. Ex quo fit rationem 2

animalis in homine,& equo tantùm esse rationem conueniendi, & ita esse vniuocam; in substantia verò, & accidenti, ratio entis, quæ est ratio conueniendi considerata, vt præcisa, postea in differentiis imbibita, est ratio disconueniendi, ac proinde neque omnino eadem neque omnino diuersa.

3 Dices, animal vt contractum per rationale, seu in specie hominis constitutum perfectius esse animali vt contracto per hinnibile, ac proinde vt contractum esse diuersum in homine & equo, ex quo fit animal vt contractum ad hominem & equum esse diuersum, & vt abstractum esse idem, & consequenter neque esse omnino idem, neque omnino diuersum. Præuidit hanc obiectionem Hurt. §.74. cui respondet animal quod in specie hominis est perfectius, quàm in genere, seu in alia specie, quia in homine perficitur per rationale, habere hanc perfectionem non per se ipsum,neque per aliquid quod formaliter sit animal, quia prædicatum animalis, adhuc in homine, distinguitur à rationali, quod non est formaliter animal, sed perfectio quasi extrinseca,& superaddita animali, eâ ratione qua forma substantialis est perfectio materiæ, quam, dum componit hominem, dicimus perfici per formam hominis, & esse magis perfectam, quàm erat sine illa, non quia eadem omnino materia non sit modò cum forma hominis, quæ fuerat sine illa,& quæ esset cum forma equi, si cum forma equi equum componeret, sed quia illi est adiuncta perfectio quædam ab ipsa distincta, ex vi cuius dicitur magis perfecta, etsi intrinsecè non maiorem perfectionem habeat, quàm antea habebat. Sic animal omnino idem abstractum à rationali, & per rationale contractum perfectius dicitur, dum est contractum per perfectionem superadditam animali quæ formaliter non est animal. Non ita in ente contingit ait Hurt. quia quando ens, quod fuerat abstractum,postea in contractione ad speciem substantiæ, perficitur, non intelligitur species ista constituta ex duplici conceptu, sed tantùm dicit eumdem expressiorem, & differentia illa quæ est ratio maioris perfectionis formalissimè est ens, & ita non contingit enti in substantia perfectio aliqua ab ipso distincta,sicuti contingit animali in homine perfectio rationalis distincta ab animali.

4 Addunt recentes alij, rationem communem multis non posse dici vniuocam, nisi simul cum differentiis in ordine ad nostrum intellectum propriè componat species, quibus est communis,quam compositionem impedit transcendentia, quia de ratione cuiusuis extremi componentis est distingui inadæquatè à composito, seu non dicere totum, quod dicit compositum, quod non habet differentia substantiæ, quia substantia tantùm dicit ens per se, quod totum dicit differentia per se, cùm in suo conceptu includat rationem entis.

5 Contra sententiam hanc sic expositam multis insurgit Arriaga disp.11.sect.3.subsect.1. Arguit primò videri in ea inuolui repugnantiam,& mutari terminos. Si enim supponitur ens non includere differentias, quamuis differentiæ includant ens, male postea infertur ens fieri quidditatiuè diuersum per differentias, nulla enim res fit quidditatiuè alia,nisi per id, quod est quidditatiuum illius rei, vt naturæ lumine notum est.Sed differentiæ nõ sunt de quidditate entis:ergo ens non potest fieri quidditatiuè diuersum per differentias. Non vrget obiectio,quia etiamsi ens præcisum formaliter non includat differentias,differentiæ includunt formaliter ens, ex quo fit conceptum terminatum ad differentias indiuisibiliter terminari ad rationem entis inuolutam in ipsis differentiis, in quibus non est idem formaliter, sed diuersum, licet sit idem in statu abstractionis, quia in differentiis apprehenditur per modum vnius simplicis formaliter cum vltima ratione differentiæ,in qua, ex vi illius conceptus non reperiuntur duæ formalitates, vna quæ sit ens, & alia quæ sit differentia, sed vna simplicissima, videlicet rationem differentiæ, quæ quantumuis præcisa inspicitur, formalissimè est ens. In rationali autem aliter contingere negabit nemo,quia quando apprehendo rationale non apprehendo rationem animalis in illo conceptu imbibitam, sicuti apprehendo rationem entis imbibitam in differentia per quam contrahitur.

6 Arguebat Hurtadus: differentiæ formaliter sunt ens: differentiæ formaliter differunt: ergo differunt in ratione entis: contra formam argumenti sic instat Arriaga.In non transcendentibus homo formaliter est animal, sed homo differt à bruto: ergo animal differt à bruto. Respondet Arriaga nomine Hurtadi hominem non solum dicere animal, sed aliquid aliud, contra quam solutionem instat sic. Accidens non solum dicit ens, sed etiam aliquid aliud, à quo ens distinguitur; aliàs non plura,nec diuersa connotata conciperem,quando concipio accidens,quàm quando concipio ens, quod falsum est, & contra Hurt. asserentem ens non dicere substantiam. Nihil momenti contra Hurtadum adducit Arriaga, quia in sententia Hurt. accidens, & substantia non dicunt duos conceptus, ens & differentias,sed eumdem expressius quem dicebat ens,sed quidquid de hoc sit. Respondeo acidens, etsi dicat duos conceptus,vtrumque formaliter esse ens,& ita non potest differre ab ente vt sic,neque à substantia per aliquid, quod formaliter non sit, sed necessariò differt per aliquid quod formalissimè est ens, & consequenter per rationem entis quatenus imbibitam in conceptu per quem differt;in non transcendentibus verò, v. g. in homine includuntur duo conceptus,quorum alter per quem homo differt ab animali,& ab equo,videlicet rationale, quod non est formaliter animal, & ita nulla ratione differt per rationem animalis,neque secundum se sumptam, in quo conuenit cum accidenti,quod non differt ab ente,neque à substantia per rationem animalis vt imbibitã in rationali, quia ratio animalis non imbibitur in rationali, per quod differt ab accidenti,in quo ratio entis transcendit id,per quod differt ab ente vt sic,& à substantia, & ita eo ipso, quod differt per propriam differentiam,differt per id, quod formaliter dicit differentia,& consequenter per rationem entis,quam formaliter differentia in se includit.

Obiicit etiam Arriaga terminos esse repugnantes dum dicitur *ens vt ens*, *& provt est ens in accidenti*, quia ens vt ens dicit præcisè conceptum entis abstrahentem à differentiis,cum repugnantia ad ipsam contractionem. Fallitur Arriaga,quia accidens formalissimè est ens, & in ipso formalissima ratio entis includitur: ergo loqui possumus de hac ratione formali entis,quæsignificatur per reduplicationem illius termini *ens vt ens*. Idem contingit in quacumque ratione vniuersali respectu suorum inferiorum,in quibus includitur,possumus enim loqui de animali formaliter sumpto,seu de animali vt animali quatenus incluso in homine,qui formaliter est animal. Implicarentur termini si diceremus ens vt præcisum quatenus inclusum in accidenti,quia præcisio dicit negationem inclusionis in aliquo inferiori. 7

Rursus arguit Arriag.hac transcendentiâ admissâ,adhuc conceptus entis abstractus est omnino idem,& præscindit à differentiis: ergo ratio significata per illum est omnino eadem:ergo ens vniuocè dicitur de Deo,& creaturis,substantiâ,& accidenti.Hæc impugnatio neque à longè attingit Hurt.sententiam,quia Hurt.fatetur rationem entis, vt præcisè conceptam, eamdem esse, & nullam in illo statu diuersitatem habere,sed asserit hoc non sufficere ad vniuocationem, sed requiri illam rationem in statu abstractionis eandem,eodem modo eandem permanere in contractione,sicuti animal,quod est idem formaliter contractum per rationale,& per hinnibile, sicuti materia prima est eadem informata forma hominis,& forma equi, quod non habet ens,quod in ipsis differentiis contractum est idé formalissimè cum ipsis differentiis inter se differentibus, & ita vt contractum eadem ratione differt ens imbibitum in differentia substantiæ,quatenus per modum vnius cum illa intelligitur,ab ente contracto,seu imbibito in differentia accidentis,quâ differt differentia substantiæ à differentia accidentis.Ex quo infertur rationem entis, neque esse omnino eandem,neque omnino diuersam,quia ratio entis vt abstracta est eadem, & vt contracta est diuersa, ex quo fit partim esse eandem,partim diuersam, & ita neque omnino eandem,neque omnino diuersam. 8

Arguit vltimò: si ratio entis est analoga propter transcendentiam, sequitur non tantùm esse analogam respectu Dei, & creaturæ, & respectu substantiæ, & accidentis, sed etiam respectu hominis, & equi, omniumque specierum, & individuorum, quæ sub eodem genere, & sub eadem specie continentur. Præuidit Arriag. posse ab aliquo sequelam admitti, quæ poterit à quocumque admitti, & hac admissâ, ratio Arriagæ frigescet. 9

Censeo transcendentiam vniuocatione non impedire, quod contra Hurtad. hac ratione probo. Transcendentia 10

cendentia non impedit rationem entis, vt præcisam, esse eandem absque vlla diuersitate, quam dicat entis ratio in illo præcisionis statu: sed diuersitas in statu contractionis non tollit vniuocationem, ad quam tantùm requiritur in statu præcisionis rationem significatam esse omnino eandem: ergo transcendentia non dicit aliquam diuersitatem, quæ sit contra entis vniuocationem, neque tollit omnem identitatem requisitam ad rationem vniuocationis. Consequentia est optima: maiorem tradit Hurt. minorem probo. Ad vniuocationem tantùm requiritur vt ratio significata per nomẽ, quatenus per illud significata sit omnino eadem: sed ratio significata per nomẽ *ens* quatenus per illud significata, tantùm est ratio entis præcisa à differentiis, quæ non significantur hoc nomine *ens*, quæ quidem ratio entis præcisa est omnino eadem: ergo transcendentia non dicit diuersitatem entis oppositam cum vniuocatione, neque tollit omnimodam vnitatem requisitã ad vniuocationem, siquidem nullam tollit vnitatem entis præcisi, vt significati hoc nomine *ens*, neque dicit aliquam diuersitatem eiusdẽ entis, vt significati eodem nomine *ens*, sed tantùm dicit diuersitatem entis, vt significati differentiarum nomine. Maiorem probo, reliqua iuxta doctrinã traditam, etiam ab ipso Hurt. sunt omnino certa. Vniuoca definiuntur *quorum nomen est commune, ratio verò significata per nomen est omnino eadem*: ergo ad vniuocationem tantùm requiritur rationem significatam per nomen eo modo, quo significatur per nomen, esse omnino eandẽ, quod habet ratio entis quatenus significata per hoc nomen *ens*, quod non dicit differentias, ratione quarum diuersitas enti contingit, non quatenus significato nomine *ens*; sed quatenus significato differentiarum nomine. Confirmatur: ad æquiuocationem tantùm requiritur quod rationes significatæ per nomen, quatenus per illud significatæ, sint omnino diuersæ, & non tollitur æquiuocatio, etiamsi eædem rationes quatenus alio nomine significatæ, sint eædem: ergo ad vniuocationem tantùm requiritur rationes significatas per nomen esse omnino easdem, & non tolletur vniuocatio, etiamsi quatenus alio nomine significatæ eædem rationes sint diuersæ, siquidem eâdem ratione definiuntur vniuoca, & æquiuoca, *quorum nomen est commune, ratio verò significata*, &c. Antecedens patet in hoc nomine *gallus*, quod æquiuocum est respectu galli gallinacei, & hominis natione Galli, quia quatenus hoc nomine *gallus* significatur in nullo conueniunt, etiamsi quatenus significantur hoc nomine animal sint omnino idem.

II Secundò impugnanda est hæc sententia ex doctrina tradita punct. 4. vbi probaui rationes omnes genericas transcendere species ad quas contrahuntur, & quidquid in ipsis requiritur, quia in conceptu speciei, non est vnum, & aliud formaliter, neque formaliter species est intrinsecè cõposita ex ratione generica, & specifica. Ex hac doctrina eodem modo, quo probat Hurt. rationem entis non esse omnino eandem, quia differentiæ, in quibus formaliter includitur, sunt diuersæ, potest argui rationem animalis non esse omnino eandem, quia species in quibus includitur absque vlla distinctione animalis, & rationalis, quæ in specie includuntur, sunt inter se diuersæ, quam diuersitatem habebunt similiter rationes animalis ad species contractæ. Ruit etiam ex hac doctrina fundamentum Hurt. qui in eo distinguebat rationem entis analogam substantiæ, & accidenti à ratione animalis vniuocâ homini, & equo, quod ratio entis in substantia, & in accidenti contracta identificaretur cum differentiis, & ratio animalis adhuc contracta in homine, & equo distingueretur à rationali, & hinnibili, & ita maneret eadem intrinsecè, sicuti manet eadem materia informata forma hominis, & forma equi, quæ omnia ruunt, si species dicit simplicem conceptum sine distinctione rationis genericæ & specificæ.

12 Ex eadem doctrina facillimè ad rationem Hurt. respondetur: sic arguit: ratio entis vt contracta in differentiis est diuersa: ergo ratio entis non est omnino eadem. Respondeo concedendo antecedens, & distinguendo consequens: ergo ratio entis non est omnino eadem, vt significata hoc nomine entis, nego consequentiam; vt significata differentiarum nomine, seu nomine entis, & nomine differentiarum, concedo consequentiam: ergo non est vniuoca, nego consequentiam.

13 Ruit etiam fundamentum recentium, qui asserebant trãscendentiam impedire vniuocationem, quia tollit compositionem speciei ex ratione transcendenti, & ex differentiis, quas transcendit ratio superior, cùm secundum prædictam doctrinam, nulla species dicat formalem compositionem ex genere & differentia. Deinde absque vllo fundamento hanc compositionem speciei prædicti recentes exposcunt ad vniuocationem.

PVNCTVM VIII.

An ens vniuocè dicatur de Deo, & creaturis, substantiâ, & accidenti.

EX iam dictis facilis est huius difficultatis resolutio, 1
cùm enim probauerimus dari rationem vnam entis abstractam à Deo, & à creaturis, à substantia, & accidenti nomine communi entis significatam, & vniuocationem dependentiâ non tolli, neque vniuocatione impediri, nullum est caput, ex quo possit enti sic abstracto vniuocatio negari, imò maximum est fundamentum vt asseramus rationem entis vniuocam esse Deo, & creaturis, substantiæ, & accidenti. Tradunt hanc sententiam Scot. in 1. dist 3. quæst. 1. & 3. Rad. 1. tom. Contr. 21. Philipp. Faber theoremate 95. Meriner. in Logica cap. 1. Categor. disp. 2. quæst. 3. Anton. Andreas, Trombet. & vniuersa Scotistarum Schola apud Masium hic sect. 1. in cap. 6. quæst. 2. eandem sententiam defendunt ex Nominalibus Ocham in 1. dist. 2. quæst. 4. Gabriel ibid. Greg. ibid. quæst. 4. subscribunt Arriag disp. 11. Logicæ sect. 4. & plurimi recentiores ex nostra Societate. Nec multùm ab hac sententia discedit Hurt. licèt enim asserat ens esse analogum Deo, & creaturis propter transcendentiam, docet tamen disp. 9. Logicæ sect. 4. subsect. 8. plures conceptus dari vniuocos Deo, & creaturis quales sunt conceptus attributorum intellectiui, volitiui &c. quia conceptus isti transcendentes non sunt. Ob eandem rationem asserit, rationem principij actiui vniuocè conuenire substantiæ & accidenti, quia vtrique est communis, & aliàs respectu differentiarum non habet transcendentiam, ex vi cuius tantùm eidem rationi multis communi, eodémque nomine significatæ vniuocatio potest negari. Sententia hæc aliâ non indiget probatione ex suppositione doctrinæ traditæ, cùm enim probauerim rationem entis esse vnam abstractam à Deo, & à creaturis, à substantia, & accidenti, & illius vniuocationi non obesse dependentiam, neque transcendentiam, nihil potest ad hanc requiri, quod in ratione entis abstractâ desideretur. Obiectiones, quæ fieri solent contra hanc doctrinam nullius sunt momenti; ideo breuissimè illas attingam.

Prima obiectio ex terrore tyronibus incusso peti solet, 2
putant enim nonnulli authores oppositæ sententiæ minùs religiosè de Deo philosophari, quando eum cum creatura confundimus, & rationẽ communem vtrique damus, cùm inter creaturã, & Creatorem infinita intercedat distantia. Ratio ista propter speciem religionis, & obseruantiæ, quam præ se fert posset mouere nonnullum rẽ non percipientem, non tamen virum mediocriter Metaphysicæ principijs instructũ, quia in primis nullus negare poterit Deum esse intrinsecè ens ipso dicente: *Ego sum qui sum*, Exodi 3. v. 14. neque quisquam negat creaturas esse similiter entia. Insuper fide sanctum est, & lumine naturæ notum Deum esse ens simplicissimum in essentia, summè perfectum, & infinitum: creatura verò ens finitum, participatum, dependens, & defectibile. Sed hæc omnia illæsa manẽt siue affirmemus, siue negemus ens esse vniuocum Deo, & creaturis, quid ergo refert si hoc vel illud dicamus. cùm vnitas, quam Deo tribuimus communem cum creatura, illi sit valde extrinseca, orta tantùm ex imperfecto nostro cognoscendi modo, qui Numen illud infinitè perfectum vt est in se in hac vita nequit attingere propter illius excellentiam, propriámque imbecillitatem, ac proinde illud cum creaturis confusè cognoscit, quod asserere non est minùs religiosè de Deo loqui, sed debitâ humilitate de imbecillitate nostri intellectus sentire.

Secunda obiectio desumitur ex authoritate Philosophi 3
multis in locis, præcipuè 4. Metaph. c. 2. in principio vbi hæc habet: *ens aut multis quidem modis, sed tantùm ad vnum vnámque naturam quandám, & non æquiuocè dicitur, sed quemadmodum sanum omne ad sanitatem refertur.* P. Fonsec. analogiæ propugnator in expositione huius textus asserit Aristotelem loqui de ente in omni suâ latitudine, quatenus comprehendit ens reale, & rationis. Alij ad exemplaria Græca recurrunt, vt prædicta verba interpretentur; ego verò

vero vno Aristotelis testimonio, quidquid ex illo adduci possunt contra nostram sententiam infringo; ipse enim Philosophus lib.7. Metaph.c.4. postquam dixerat ens esse analogum substantiæ,& accidenti,non æquiuocum, neque vnum seu vniuocum quemadmodum medicinale subdit: *sed hæc quidem quomodocumque dicere quis velit nihil refert*, si ergo nihil refert quemcumque in his dicere quæ velit, volo Aristotelis pace, dicere ens esse vniuocum propter rationes suprà datas.

4 Tertia obiectio desumitur ex authoritate D. Thomæ multis in locis,quæ non breuiter possent referri;quibus respondeo, Angelicum Doctorē intelligendum esse de ente, non in tota latitudine abstracto à substantia, & accidenti, sed de ente per se,quo sensu sumitur nomen *ens* apud Græcos, nam verbum εἰμὶ, quod respondet nostro substantiuo *sum,es,fui*: non significat *esse* vtcumque,sed *esse per se*. Quod si hæc explicatio nō placuerit,Damascenum accipe,quem des pro Doctore Angelico, sic ille in Elementatio cap.8. *substantia, quæ continet supersubstantialiter increatam Deitatem, cognoscibiliter autem,& continuè omnem creaturam generalissimum genus est*: En Damascenus rationem communem, & genericam apertè tribuit Deo, & creaturæ. Alij Ecclesiæ Patres, qui aliquando dicunt Deum tantùm propriè esse, cætera verò impropriè, intelligendi sunt, non iuxta rigorem Scholasticum,sed iuxta Concionatoriam exaggerationem,quo loquendi modo similiter dicere solent Deum non esse substantiam,sed supersubstantiam, quo non intendunt significare Deo non propriè rationem substantiæ competere,sed esse substantiam quandam longè excedentem omnem perfectionem substantiæ creatæ.

5 Alia argumenta, quæ adduci solent ad probandum ens non dici vniuocè de Deo, & creaturis, substantia, & accidenti,eò tendunt vt probent non dari rationem vnam entis communem his entitatibus, aut huius vniuocationem dependentiâ,vel transcendentiâ impediri,quæ omnia solui punct.5. 6. 7.

6 Eisdem rationibus,quibus probauimus ens vniuocè dici de ente increato, & creato, substantiâ,& accidenti, probandum est accidens vniuocè dici de quantitate,qualitate, & aliis accidentibus,imò etiamsi ens non vniuocè diceretur de substantia,& accidenti propter dependentiam huius ab illo, vniuocè diceretur accidens de omnibus accidentibus,quæ mutuò inter se non dependent,sed omnia simul à substantia.

CONTROVERSIA II.

De existentia & possibilitate entis.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit possibilitas entis realis.

§. I.

Variæ sententia impugnantur.

1 PRIMAM sententiam defendunt plures Scotistæ asserentes ante existentiam in tempore productam non dari à parte rei essentias rerum secundùm esse actuale reale; addunt tamen creaturas produci per actus intellectus diuini secundùm quoddam esse intelligibile absolutum intrinsecum ipsis creaturis, quod quidem esse importat quidditatem rei non existentem à parte rei, sed tantùm in intellectu diuino,& ab eodem intellectu productam. Itaque tria asserunt huius sententiæ authores; primum, quod hoc esse absolutum sit esse intelligibile, quia ante actum intellectus diuini nullo modo creatura habebat rationem obiecti intelligibilis, quia non erat quidditas producta, quæ est fundamentum intelligibilitatis. Secundum, quod sit ratio formalis creaturæ ad existendum. Tertium,quod esse secundùm quid sit maius ente rationis, minus verò ente reali,& ideo dicetur ens diminutum. Propter hanc sententiam seuerè plures Thomistæ Scotum reprehendunt, multisque temerariam visam fuisse testatur P.Vasq.1.part. disp.114.c.2.n.9.Verumtamen siniſtrè in hunc sensum Subtilem Doctorem intelligi testantur P. Soar.& P.Vasq.hic n.9. citato,& disp.7. c.2. n.8.ille disp.31.sect.2. vbi ex ipso Scoto multis in locis probat alienum fuisse ab hoc dicendi modo, quem nunquam Scotum somniasse affirmat Vasq.suprà.

Contenta ergo debet esse hæc sententia,cui neutiquam Subtilis Doctor suffragatur, authoritate Licheti,& Tartareti, qui illam defendunt in 1. dist.35.& 36.sententia hæc omni fundamento destituta est, & adhuc mediocrem speciem veritatis non habet, quia cognitio diuina præcisè ex eo quod tendat in obiectum,si ex illa actio alia non oriatur, nullum illi tribuit esse, vt patet in chimæra cognita à Deo,quæ postquam est cognita,æquè non est,ac si non fuisset cognita,& æquè manet purum nihil ac chimæra, quod si præcisè cognitio obiecti,seu esse obiectiuum rei cognitæ aliquod intrinsecum esse daret rei cognitæ, hoc acciperet chimæra à cognitione diuina, illúdque haberet eo modo quo illud dicuntur habere reliqua obiecta realia secundùm hanc sententiam. Neque potest dicere chimæram non accipere hoc esse, quia possibilis non est, cùm enim in ma sententia possibilitas rei dicat esse productum in mente diuina, chimæra, quæ acciperet hoc esse in mente diuina, ex eo quod cognosceretur, acciperet possibilitatem, sicut illam accipiunt aliæ entitates,quæ possibiles dicuntur,quæ antecedenter ad cognitionem diuinam, ex vi cuius secundùm hanc sententiam accipiunt possibilitatem, possibiles non sunt. 2

Secundò: In mente diuina nullum ens creatum potest habere proprium esse,nisi tanquam in causa eo modo, quo calor habet suum esse in igne, à quo potest produci, vel tanquam in imagine, seu cognitione, eo modo, quo Deus à me cognitus habet esse in mea cognitione, quod nihil aliud est, quàm Deum esse potentem per suam entitatem creaturam ad extra producere, & illam cognoscere: ergo non aptè fingitur illud esse diminutum in mente diuina. Antecedens probo: nihil est formaliter intrinsecè in ipso Deo, quod non sit ipse Deus, neque Deus intrinsecè in se ipso habet formaliter aliquid distinctum à se: sed creaturæ non sunt ipse Deus: ergo creaturæ non habent aliquod esse productum ab intellectione diuina formaliter existens in ipso Deo,sed tantùm eminenter,& repræsentatiuè,quod strictè loquendo nō est ipsas habere aliquod esse,sed Deum habere virtutem intrinsecam identificatam cum ipso ad illas creaturas producendas, & habere cognitionem similiter identificatam, ex vi cuius cognoscit illas existentes, vel potentes extra ipsum Deum existere per actionem ad extra ab ipso Deo dimanantem. Consequentia est legitima, maior, & minor videntur non posse negari, nisi incidatur in errorem,quem reprehendit Vvaldensis t.1.Doctrinalis fidei antiquæ lib.1. art.1. c.17. contra Vvicleffum asserentem creaturas in Deo habere quoddam esse ideale, ratione cuius in Deo exististentes sunt ipse Deus. 3

Secunda sententia est P.Albertini t.2. in prædic.de substantia Disp.1.q.1.num.12. vbi asserit creaturam possibilem non fuisse ab æterno omnino nihil,ante existentiam,quam in tempore recipit, neque habere solùm esse potentiale in causa, sed ab æterno habuisse esse intrinsecum actuale quidditatiuum suæ essentiæ, quod quidem est à parte rei extra intellectum diuinum, vt ipse explicat n.28. Addit insuper creaturas habere hoc esse actuale independenter à Deo tanquam à causa efficiente,à quo tantùm dependent secundùm hoc esse tanquam à causa exemplari, quod explicat, & probat quæst.2. Refert pro hac sententia Henr. & Ægidium, nonnullâque refert ex D.Thoma quibus frustrà probare intendit sanctum Doctorem huic sententiæ patrocinari, à quo toto cælo distat. Eandem sententiam tribuit Caiet. de ente & essentia cap.5. q.11. ad 1.asseritque illam, vt probabilem tenuisse Capreolum in 2. dist.1. q.2. art.3. *ad 4. argumentum Aureoli*. Multa inuoluuntur in hac sententia valde difficilia, & durè satis excogitata,quæ iam impugno. 4

CONCLVSIO contra primam, & secundam sententiam: creatura possibilis, antequàm producatur, nullum esse habet actuale, neque est aliquid improductum, aut productum ab omnipotentia, aut ab intellectu diuino tanquam ab efficiente, neque tanquam à causa exemplari. Rem vnico verbo exprimo. Creatura possibilis, antequàm in tempore existentiam habeat,physicè nō est,& ita quærendum amplius non est quid sit: quod si rogetur,suppositum est ne 5

est negandum. Nota me non dicere creaturam non esse possibilem antequàm existat, sed non esse physicè, quod non opponitur cum hoc quod est esse possibile, quia hoc vt postea dicam non importat aliquod esse absolutum physicum. Conclusionem hanc eleganter docuit Angelicus Doctor 3. de potentia art. 5. ad 2. his verbis: *Ex eo ipso quod quidditati esse tribuitur, non solùm esse sed ipsa quidditas creari dicitur, quia antequam esse habeat, nihil est, nisi forte in intellectu creantis, vbi non est creatura, sed creatrix essentia.* Probo hanc conclusionem: Nihil extra Deum est quod à Deo non sit factum, seu productum: sed ab æterno nihil est extra Deum: ergo creaturæ possibiles ab æterno, seu antequam daretur actio in tempore à Deo procedens nullum esse habuerunt. Maior est naturæ lumine nota, quo constat tantùm dari vnum primum principium, à quo omnia, quæ ab illo distinguuntur, dependent, atque procedunt. Vnde rectè dicunt sancti Patres, vel Deum esse; vel nihil, quod à Deo factum non est. Iustin. in expositione fidei, Cyril. lib. 1. in Ioann. cap. 6. Aug. lib. de Trinitate cap. 6. Minor est fide sancta, quâ constat Deum in tempore totum hoc vniuersum creasse, & omnia in tempore incepisse. Consequentia est legitima. Sed adhuc respondebis: Nihil est extra Deum, quod à Deo non sit factum. Distinguo maiorem: nihil est existens, concedo: nihil possibile, seu in potentia, nego. Contrà: esse possibile, vel dicit possibilitatem, quæ absolutè actu sit dum entitas illa denominatur, seu dicitur possibilis: vel dicit tantùm puram potentiam Logicam, vt res illa actu sit, cùm per veram actionem producatur, quæ tunc temporis cùm possibilis dicitur, antequàm hæc actio adueniat, actu non est, sed erit, quando adueniat actio, seu esset si illius actio adueniret, seu procederet à Deo. Si dicas tantùm hoc secundùm, habeo intentum: si primum dicas, redit idem argumentum. Possibilitas realis à Deo distincta non potest habere esse actuale absolutum nisi productum à Deo: ergo quousque sit productio procedens à Deo non potest habere esse absolutum actuale: ergo quod est creaturam esse possibilem ab æterno, seu ab æterno dari possibilitatem creaturæ non importat aliquod esse actuale physicum, quod actu, & physicè sit ab æterno. Probo antecedens: possibilitas, sicuti quælibet alia entitas, eo ipso quod sit realis, & distincta à Deo: est creatura: sed de essentia creaturæ est dependere à Deo: ergo eo ipso quod sit possibilitas actu absolutè & physicè, actu absolutè, & physicè debet dependere à Deo.

6 Est etiam difficillimum illud, quod docet Albertinus, videlicet essentias rerum, secundùm illud esse actuale, quod à parte rei habent ab æterno distinctum à Deo, & extra intellectum Dei non dependere à Deo, tanquam à causa efficiente, sed solùm tanquam à causa exemplari, quia illud esse quodcumque sit est finitum, & de ratione entis finiti est dependere à Deo tanquam à causa efficiente, à qua physicè recipiant esse, & non solùm tanquam à causa exemplari, quia exemplaris causa, vt talis, præcisè non influit physicè in effectum: sed tantùm moraliter, seu directiuè, quapropter sancti Patres, non tantùm asserunt esse Deum, vel nihil, quidquid non dependet à Deo in aliquo genere: sed quidquid non est à Deo productum, hoc est quidquid non dependet à Deo tanquam à principio effectiuo, ita vt hæc sit legitima consequentia: hoc non est productum à Deo tanquam à principio effectiuo: ergo, vel est Deus, vel est nihil. Secundò implicat aliquid, quod productum non est à principio effectiuo, ab alio tanquam ab exemplari dependere, quia exemplar *est id, ad quod respiciens agens operatur*; Ergo vbi non intercedit agens, à quo respiciatur exemplar, huius causalitas intercedere non potest: sed illud esse actuale quod habent ab æterno essentiæ rerum non dependet ab aliquo agente: ergo neque ab aliquo exemplari. Tertiò concipi nequit, quid possit existentia præstare essentiæ, quæ independenter ab illa habet esse actuale in se ipsa seu quid desideretur in illa essentia habente actuale esse in se ipsa, vt formaliter dicatur existens per illud actuale esse, quia existere nihil aliud est quàm esse extra causas, & habere esse. non solùm in potentia, seu in virtute causarum, sed habere esse actuale extra virtutem causarum in se ipso: sed essentiæ ab æterno habent esse actuale in se ipsis extra potentiam causarum in sententia Albertin. ergo essentiæ ab æterno existunt seclusâ existentiâ superadditâ, quam dicit Albertinus aduenire essentiæ iam habenti suum esse actuale. Rursus si essentia dicit quoddam esse actuale antecedens existentiam, & ab illa distinctum, res existens dicit quamdam physicam compositionem ex illo esse actuali producto essentiæ, & existentia producta, quod non solùm admittit, sed etiam propugnat Albertin. quæst. 2. disp. 2. num. 4. ergo entitas existens duo dicit esse actualia, vnum essentiæ independens à Deo quod independenter à voluntate Dei actualiter est, fuit, & erit per æternitatem; & aliud existentiæ dependens à voluntate Dei, & non poterit Deus ita destruere calorem, vt non remaneat aliquod esse actuale illius, videlicet esse essentiæ. Rursus essentia existentiæ hominis distinctæ ab hominis essentia non habet ab æterno esse actuale, vt concedit Albert. ergo necessum non est ipsam essentiam hominis ab æterno habere esse actuale. Reddit disparitatem Albert. quam referam, & refellam punct. 2. num. 7. vbi hoc argumentum latiùs prosequar contra illos, qui essentiam ab existentia distinguunt. Rursus si essentia hominis ab æterno habet actuale esse, etiamsi careret existentiâ, saltem de potentia absoluta, posset etiam non existens operari ab æterno, quia tantùm illi defuisset conditio ad operandum requisita, videlicet existentia, quam Deus supplere posset, sicuti potest supplere approximationem, aliasque huiusmodi conditiones: vide quæ de hac re scripsi Controu. 7. Physic. punct. 4. vbi explicui quomodo existentia causæ supponatur ad existentiam effectus.

Statuimus creaturam possibilem nondum existentem 7
non habere aliquod esse actuale, neque essentiæ, neque existentiæ in seipsa, restat modò dicere quid dicat creaturam esse possibilem, seu per quod differat lapis modo non existens, qui possibilis dicitur à chimæra non existente, quæ dicitur impossibilis. Respondet Hurtadus disp. 8. sect. 1. §... denominationem possibilis sumi formaliter ab omnipotentia, quæ potest producere effectum, quem producibilem denominat. Hunc dicendi modum rectè impugnat Albertin. disp. 1. citata num. 18. quia non potest dici ex defectu omnipotentiæ chimæram esse impossibilem, quia omnipotentia supponitur infinita in causando: ergo aliquam repugnantiam habet in se chimæra, quam non habet lapis, propter quam chimæra dicitur impossibilis, & aliquam non repugnantiam habet lapis, propter quam possibilis dicitur, quam non habet chimæra, independenter ab omnipotentia, quæ ex se est infinitè potens, & æquè posset producere chimæram, ac lapidem; si chimæra in se non haberet repugnantiam, seu si haberet in se non repugnantiam, quam habet lapis in seipso: ergo lapidem esse non repugnantem, seu possibilem, & chimæram esse repugnantem, & impossibilem aliquid est in ipso lapide, & in ipsa chimæra distinctum ab omnipotentia.

Confirmatur, & declaratur eadem ratio: Omnipotentia ex se est virtus infinita, quæ si præcisè inspiciatur secùndùm id, quod intrinsecè dicit seclusâ possibilitate, seu impossibilitate effectuum tantæ virtutis est, vt doctè dixit Albert. ibid. n. 20. ad producendum lapidem, ac ad producendam chimæram: ergo hoc quod est lapidem esse possibilem, & chimæram esse impossibilem, non sumitur præcisè ex conceptu omnipotentiæ, seu ex vi illius, quod intrinsecè dicit omnipotentia, neque est pura denominatio orta ab omnipotentia, sed aliquid dicit ex parte lapidis possibilis, & ex parte chimæræ impossibilis, per quod differant lapis, & chimæra in ratione possibilis, & impossibilis. 8

Respondent aliqui apud Scotum in. 1. dist. 43. impossibilitatem chimæræ esse propter repugnantiam formalem, quâ in se habet, & non per respectum ad Deum: lapidem verò habere non repugnantiam, seu possibilitatem ad existendum per respectum ad Deum vt causam. Contra hos arguit Scotus: Lapis habet hanc non repugnantiam per respectum ad omnipotentiam, seu deriuatam ab omnipotentia: ergo ex eo quod omnipotentia non deriuet hanc non repugnantiam, seu possibilitatem in chimæram, chimæra carebit possibilitate, quam habet lapis, & dicetur impossibilis: ergo hoc quod est esse lapidem possibilem, & chimæram impossibilem totaliter refundendum est in omnipotentiam diuerso modo se habentem respectu lapidis, & respectu chimæræ, quod omnino falsum est: hæ enim sunt veræ propositiones, *quia chimæra est in se repugnans non potest produci à Deo*; *& quia lapis in se non est repugnans potest produci à Deo*, & hæ falsæ, *quia Deus non potest* 9

producere

producere chimæram, chimera est in se repugnans, & quia Deus potest producere lapidem, lapis est non repugnans: Omnipotentia enim ex se æquè se habet ad vtrunque obiectum,& ad vtrũque supponitur quatenus est ex se æquè potens,quâ virtute suppositâ dicitur non solùm ex se, sed absolutè potens producere lapidem, quia lapis in se non repugnat, & non dicitur posse producere chimæram, quia chimæra in se repugnat. Confirmatur: ex eo quod in entitatibus possibilibus illæ, quæ existunt, habeant actu præcisè existere ex vi actionis procedentis à Deo, seu à Deo & ab illa causa, rectè dicitur reliquas entitates non existentes,non existere ex defectu huius actionis, ergo ex eo, quod in omnibus entitatibus,quæ concipi possunt,illæ, quæ possibiles dicuntur habeant possibilitatem precisè ex omnipotentia, quæ in illas deriuat hanc denominationem entis possibilis, reliquæ entitates, quæ possibiles non sunt, dicentur non esse possibiles ex eo præcisè, quod omnipotentia similem in illas denominationem non deriuet iuxta proloquium illud, sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis: ergo si possibilitas creaturarum possibilium sumitur præcisè ex denominatione procedente ab omnipotentia, negatio possibilitatis creaturarũ non possibilium sumetur ex negatione denominationis procedentis ab omnipotẽtia:ergo si possibilitas rei non repugnantis ab omnipotentia desumitur, impossibiltas rei repugnantis sumetur ab eadem omnipotentia,& æquè refundetur in omnipotentiam possibilitas lapidis,& impossibilitas Hircocerui.

10 Respondent alij lapidem non existentem dici possibilem, quia habet intrinsecam connexionem prædicatorum quam non habet chimæra, ex cuius defectu dicitur impossibilis. Contrà: connexio ista prædicatorũ,vel est ab æterno, vel non est ab æterno: si est ab æterno secundum esse actuale, redeunt argumenta,quæ fiunt contra esse actuale essentiæ: si non habet esse actuale, restat explicandum quid sit actu ratione cuius hic & nunc lapis non existens dicatur actu possibilis Secundò æquè difficilis est explicatu hæc prædicatorum connexio ac ipsa possibilitas, & reddenda est ratio cur lapis non existens habeat hanc connexionem prædicatorum, quâ caret chimæra non existens. Dicunt alij lapidem dici ab æterno esse obiectiuum in mente diuina. Contrà: si habere esse obiectiuum in mente diuina, ex vi cuius lapis cognoscitur, tantùm dicit lapidem ab æterno cognosci,etiam chimæra ab æterno cognoscitur:si dicat ab æterno cognosci vt possibilem,inquiro cur lapis ab æterno cognoscitur vt possibilis, & chimæra vt impossibilis; & quid se teneat in cognitione diuina ab æterno terminata ad lapidem ex parte obiecti, ratione cuius hoc obiectum cognoscatur vt possibile, & quid se teneat in cognitione diuina ab æterno terminata ad chimæram ex parti obiecti, ratione cuius hoc obiectum cognoscatur vt impossibile, cognitiones enim diuinæ non dant possibilitatem, & impossibilitatem,sed illas supponunt in ipsis obiectis, ratione quarum hoc vt possibile, & illud vt impossibile cognoscitur.

§. II.

Verior Sententia.

11 DVplex potest considerari possibilitas in quacumque entitate, quædam extrinseca,& alia intrinseca:Extrinseca est denominatio quædam extrinseca desumpta ex virtute intrinseca causæ, eo enim ipso quod causa dicatur potens producere effectum, resultat in effectu denominatio quædam extrinseca producibilis à tali causa, quæ denominatio extrinseca non distinguitur ab ipsa virtute causæ,vel saltem inadæquatè cum illa identificatur, sicuti quælibet alia denominatio extrinseca cum forma ex vi cuius subiectum denominatur. Hæc extrinseca denominatio,seu possibilitas extrinseca aliquando conuenire potest etiam effectibus ipsis intrinsecè repugnantibus,quia sicuti potest dici Deum quatenus est ex se habere potentiam vt producat Hircocerum, quem non ex defectu virtutis ipsius Dei, sed ex repugnantia ipsius Hircocerui absolutè producere non potest,sic potest dici Hircocerũ quatenus est ex parte Dei esse producibilem à Deo,& esse potentem produci à Deo quatenus est ex parte Dei,licet ex parte sua sit impotens produci,& ita ratione intrinsecæ repugnantiæ non potest dici absolutè potens produci, sed cum illo addito quatenus est ex parte Dei,sicuti ratione eiusdem intrinsecæ repugnantiæ Hircocerui Deus non dicitur absolutè potens producere Hircocerum quatenus est ex parte ipsius, eadem enim restrictione,& eadem ampliatione, quâ Deus dicitur potens producere effectum, dicitur extrinsecè effectus potens produci à Deo per formam ipsam,per quam Deus dicitur potens. Id accidit in obiectis omnium potentiarum, mea enim potentia actiua amandi obiectum denominat extrinsecè obiectum amabile à me,& dat illi quamdã extrinsecam amabilitatẽ:obiectum autem habet aliam intrinsecam amabilitatem ratione cuius ex se intrinsecè gaudet formalitate quadam,videlicet bonitate;qua non gaudet aliud obiectum; quod non potest terminare hunc actum amoris. Clariùs cernitur in colore,qui visibilis extrinsecè denominatur à mea potentia visiua,habet tamen aliam visibilitatem intrinsecam,sue formalem siue radicalem illam appelles, videlicet prædicatum constitutiuum coloris,ratione cuius est obiectum proportionatum potentiæ visiuæ,quam intrinsecam visibilitatem seu prædicatum coloris nõ habet frigiditas,ex cuius defectu hæc non est obiectum proportionatum meæ potentiæ visiuæ,quæ tantùm dat denominationem extrinsecam visibilis visibilitate extrinseca obiecto illi quod illo prædicato,seu illa intrinseca visibilitate gaudet. Sic potentia productiua dat extrinsecam denominationem producibilis,seu producibilitatis extrinsecæ obiecto illi,quod gaudet intrinseca producibilitate, seu non repugnantia. Hac de causa omnipotentia non dat Hircoceruo possibilitatem extrinsecam absolutam, neque illum extrinsecè denominat absolutè producibilem, adhuc extrinsecè, sed tantùm cum addito quatenus est ex parte Dei, quia non inuenit in illo producibilitatem intrinsecam, quam,veniamur, quæ supponitur vt possit obiectum denominari extrinsecè absolutè producibile, & vt sit forma potens tribuere hanc denominationem, videlicet potentia non solùm quatenus est ex se potens, sed vndequaque absolutè potens producere effectum, quæ constituitur formaliter per ipsam virtutem intrinsecam causæ & per producibilitatem intrinsecam effectus,& extrinsecam causæ,vt latiùs explico Controuersia decima Punct.4. de hac possibilitate extrinseca verum est, quod docet Hurtadus, desumi formaliter ab omnipotentia;quid verò rei intrinseca possibilitas importet hic & nunc, dum effectus qui dicitur possibilis non existit Hurtadus non explicat, neque explicatu facilis est.

Sentio ex eo præcisè lapidem non existentem (idem 12
dico de quocumque alio effectu) dici hic, & nunc possibilem, quia prædicata illa, quæ in lapide apprehenduntur, non sunt illatiua contradictionis. Clariùs, quia si detur lapis existens nulla inferentur contradictoria, quod verum non est dicere de Hircoceruo, quia si modò Hircerus existeret,daretur duplex contradictorium. Itaque lapis possibilis non existens, & Hircocerus impossibilis non existens non differunt per aliquid quod actu sit, sed per illud quod esset, & cùm dicimus,lapis hic & nunc est possibilis, tantùm dicimus,si lapis hic & nunc existeret. nulla darentur contradictoria, similiter cùm dicimus Hircocerus est impossibilis, dicitur formaliter ex parte obiecti,si Hircocerus existeret daretur duplex contradictorium.Idemque intendimus significare propositionibus illis quas vocamus æternæ veritatis,vt cum dicimus, homo est rationalis, quæ propositiones dicuntur veræ per totam æternitatem, non quia per totam æternitatem homo habuerit potentiam ratiocinandi, quam importat prædicatum *rationale* secundum se,sed quia in quocumque instãti æternitatis verũ sit dicere: *Si hic,& nunc homo esset,esset rationalis*,seu *si hic,& nunc existeret homo,existeret cum potentia ratiocinandi*, quod est obiectum necessarium, cuius affirmationi in nullo æternitatis instanti falsum subesse potest. Hac de causa propositiones omnes,in quibus annunciatur prædicatum aliquod essentiale de subiecto, vocamus propositiones æternæ veritatis, quia habent hanc necessitatem conditionalem, quam non habent aliæ propositiones, in quibus prædicatum est accidentale, quas non dicimus æternæ veritatis, quia etiamsi homo cum albedine ab æterno esset creatus, non esset verum dicere: Si homo existit in hoc instanti, eo ipso quod in illo existat est albus,quia antecedenter saltem potest existere sine albedine; est autem semper verum dicere: si homo existit in hoc instanti, eo ipso quod existat, est rationalis, quia adhuc antecedenter implicat existere, & non esse rationale.

Doctrinam

Doctrinam hanc disertè nobis tradidit P. Soar. disp. 3. Metaph. Sect. 2. & disp. 12. num. 38. quem sequutus est Alarcon. tract. 2. disp. 3. cap. 2. n. 3. & alij quàm plurimi Theologi 1. part. quæst. 14. artic. 5. vbi disputant de obiecto creato possibili scientiæ Dei. Legantur P. Vasquez 1. p. disp. 65. cap. 4. & disp. 104. & disp. 182. cap. 2. num. 9. P. Valentia quæstione 14. punct. 7. P. Heric. disp. 5. cap. 2. & Basil. Legionens. in quodlibet. quæst. 8. Scholastica, cap. 7. relect. 5. Hac ratione rectè explicatur quomodo nullo esse actuali dato ab æterno, quod non dari, mihi fidei testimoniis certum est, & quâ ratione etiamsi nihil potuerit esse actu extra Deum, quod ab illo efficienter non procedat; ad quod affirmandum eisdem fidei principiis, & naturali adstringor ratione possit componi rem dici possibilem, & intrinsecè possibilem ab æterno, quia cùm hoc quod est rem esse possibilem, non dicat aliquid, quod physicè actu sit, sed quod actu est obiectiuè in mente diuina, & physicè esset absque vlla contradictione, si Deus vellet producere, non importat productionem, seu dependentiam à Deo, neque decretum liberum, quæ actu sint, sed quæ essent, casu quo esset talis effectus, quia id, quod non est physicè, sed esset, non physicè dependet à Deo per actionem quæ sit: sed dependet per actionem quæ esset, & id, quod non est, sed esset, non supponit in Deo decretum liberum quod sit; sed quod esset.

13 Ex his inferes rem possibilem abstrahentem ab existentia, & negatione existentiæ, & dicere existentiam conditionatam contractionis, quæ potest significari per obiecta harum propositionum: *Si homo hic & nunc seu in quouis instanti existat, existet absque vllis contradictoriis, quæ inferantur ex sua existentia. Si Deus hic & nunc, seu in quocumque instanti velit producere hominem, homo existet absque vlla contradictione*, quæ obiecta non dicunt existentiam actu exercitam, neque illius negationem. Creatura purè possibilis, & non existens dicit hæc eadem obiecta, & negationem existentiæ absolutæ. Creatura non tantùm possibilis, sed etiam existens dicit non solùm hæc obiecta conditionata; sed etiam purificationem conditionis, & existentiam non solùm obiectiuè existentem in mente diuina, & sub illa conditione, sed physicè exercitam absque vlla contradictione, quam inferat, quod est physicè esse, seu existere, illud enim quod hac ratione non est, sed esset, non dicitur esse simpliciter, sed cum addito.

14 Inferes similiter hoc prædicatum possibile, esse additum diminuens vim significationis copulæ *est*, quæ ex se simpliciter dicit esse absolutum, & cùm coniungitur cum hoc prædicato *possibilis* non dicit esse absolutum, sed conditionatum, neque significat quod res sit, sed quod esset, idem enim valet dicere. *Petrus est possibilis*, ac dicere *Petrus esset, aut existeret* (quod est idem, quia esse simpliciter, & sine addito est idem formalissimè, quod existeret) *absque vlla contradictione, si Deus vellet illum producere*, seu dicere *si Petrus esset, aut existeret absque vlla contradictione*, quod de chimæra dici nequit. Dixi prædicatum possibile esse additum diminuens vim significationis copulæ, vt significarem, non minuere rationem intrinsecam significatam per subiectum, sicuti minuit additum *rationis* cùm dicimus, Hircoceruus est ens rationis, in qua propositione illud *rationis* positiuè destruit rationem entis, & idem est dicere *hoc est ens rationis*, ac dicere, hoc non est simpliciter, sed valde secundùm quid, & plusquam æquiuocè. Similiter hoc additum *pictum* destruit rationem formalem subiecti, quod afficit, vt cùm dicimus *hic est homo pictus*, additum *pictus* destruit rationem hominis, & est idem ac dicere, homo non est homo simpliciter, sed secundùm quid, & analogicè. Cùm vero dicitur homo est ens possibile: ly *possibile* non destruit rationem absolutam entis, vt sit idem ac dicere: homo non est ens, seu existens absolutè, & simpliciter, sed analogice, sed tantùm destruit in copula vim significandi hunc modum essendi, ita vt ex vi huius prædicati *possibile* non significetur, quod sit simpliciter, quod est absolutè existere, sed abstrahat ab hoc modo stricto essendi, seu existendi, & significet aliud minùs strictum relinquendo subiectum cum indifferentia, vt salua veritate propositionis possit simpliciter esse, quod est existere, & non esse simpliciter, seu non existere. Potest etiam significari natura huius additi *possibile* si dicatur minuere statum esse absolutum subiecti abstrahendo ab illo, seu præcisè minuendo significationem, & affirmationem illius, non illud negando. Additum verò rationis negat totum id quod minuit, & cum dicitur *hircoceruus est ens rationis*, ly rationis negat rationem entis simpliciter, quam minuit, & hac ratione poterit dici terminus *possibile* additum diminuens præcisiuè, & additum *rationis*, seu *pictum* diminuens negatiuè, quia, vt sæpe dixi, ens possibile indifferens est vt sit ens simpliciter, seu existens absolutè, quod est idè, & ens rationis indifferens non est, vt sit simpliciter homo. Hîc opportunè sanè diceretur, quomodo distinguitur possibilitas, & existentia, explicata enim naturâ possibilitatis cùm existentiæ natura satis nota fit facile vtriusque differentia apparebit, sed de hoc iterùm redibit sermo Punct. 2. vbi explicabo, quomodo differant possibilitas, & existentia, modò nonnulla argumenta contra doctrinam traditam proponam, & soluam.

15 Obiicies primo. Creatura possibilis antequam existat, est nihil: ergo quâdo producitur existentia, negatio rei cõuertitur in ipsam rem, seu negatio existentiæ in ipsam existentiam. Respondeo aliud esse creaturam purè possibilem nondum productam non esse, seu non existere, aliud esse negationem existentiæ. Primum est verum secundum est falsum, quia creatura possibilis, etsi non sit existens non est negatio, sui vt existentis, sed purè non est, de illo autem quod non est, non est inquirendum quid sit pro illo statu, in quo non est, & si importunè inquiratur, respondendum est negãdo suppositum, prius enim de quocumque ente instituitur quæstio an sit, in qua si negatiuè respondeatur, vltrà procedendum non est: si verò affirmatiuè respondeatur, postea proceditur ad inquirendũ quid sit. Quod vulgo dicitur, inter negationem, & habitum non datur medium, intelligendum est non dari medium inter hæc extrema in ordine ad se, vel in ordine ad subiectum, est enim consequentia necessaria, non datur hoc ens in rerum natura: ergo datur in rerum natura negatio huius entis. Similiter est bona consequentia: hoc subiectum non habet hanc formam: ergo habet negationem huius formæ: Hæc autem est mala consequentia: hoc ens non est illud: ergo est negatio illius: homo enim non est equus, neque est negatio equi, & omnia, quæ de facto non existunt non sunt homo, neque negatio eiusdem hominis existentis. Eadem ratione dicendum est creaturam purè possibilem non esse existentem, neque esse negationem sui ipsius existentis, licèt tunc temporis cùm non existit detur in rerum natura negatio existentiæ talis creaturæ, quia hæc negatio distinguitur ab illo cuius est negatio. Ex hoc fit creaturam non conuerti ex negatione in rem positiuã neque conuerti negationem existentiæ in ipsam existentiam, cùm creatura in tempore producitur, sed tunc temporis, cùm primo producitur incipere esse, quod antea non erat; & existere, quod antea non existebat absque vlla conuersione negationis in suum habitum, & absque omni transitu, seu mutatione ipsius rei, quæ producitur, quæ immediatè ante productionẽ, neq; fuerat ipsa, neq: fuerat aliquid ab illa distinctum, neque aliquid illius, quod formaliter producitur, præcesserat, sed præcisè non fuerat.

16 Obiicies secundò: Petrus nondum productus ab æterno fuit possibilis: & hic & nunc est possibilis, ergo hic & nunc datur aliquid per quod sit possibilis. Respondeo Petrum non existentẽ hic & nũc esse possibilẽ ex eopræcisè quod sit capax terminãdi propositiones suprà dictas, videlicet *si Deus voluerit Petrũ producere, Petrus existet absq; aliqua contradictione: Si Petrus existeret, existeret absque illatione contradictoriarum*, quas propositiones hîc, & nunc potest terminare, ob quam rationem præcisè, seclusâ quacumque alia, possibilis dicitur: cumque ratio ista actu terminandi propositiones suprà dictas non dicat aliquid, quod actu sit, sed aliquid, quod esset, fit rem dici actu possibilem per aliquid quod non sit, sed esset, quia sicuti potest actu terminare propositionem obiectum, quod non est, sed esset: sic potest dici actu res possibilis, quæ actu non est sed esset. Instabis, Petrus possibilis non existens est actu & absolutè physicè possibilis: ergo per aliquid, quod sit actu, absolutè, & physicè. Distinguo antecedens, Petrus non existens potest existere actu, absolutè, & physicè, hoc est, possibile est Petrum actu, absolutè, & physicè existere, concedo: Petrus non existens est possibilis hic, & nunc per possibilitatem, quæ actu, absolutè, & physicè sit, nego: id enim per quod dicitur actu, & absolute potens existere actu absolutè, & physice, etsi sit quid physicum, modo physicè non est, sed tantùm obiectiuè, & tantùm physicè esset, si produceretur, & physicè erit cùm producatur. Aliud enim est

esse quid physicum aliud physicè esse,cùm enim cognosco Petrum possibilem nondum productũ,cognosco quid physicum,quod physicè tunc temporis non est, sed obiectiuè tantùm. Alia plurima obiiciũtur,quæ omnia reducuntur ad hæc quę iam soluimus,& aliam non continent difficultatẽ, sed eamdem diuersis modis propositam. Latè etiam inter meam conclusionem explicandam doctrinam tradidi ad omnia soluenda,quæ in hac materia possint occurrere, & obiectiones plures præoccupaui explicando terminos, ex quorum confusione procedunt.

PVNCTVM II.

An distinguantur realiter essentia rei possibilis, & existentia.

1 SÆpè sępius indiscriminatim his terminis *res possibilis*& *essentia*, authores vtuntur, & vtriusque significatum existentiæ opponunt, & ens vt possibile essentiam appellant,cui existentiam superaddunt,aliquando verò tantùm opponunt rei existenti eamdem vt possibilem,& essentiam diuidunt in possibilem, & existentem, quæ placet notare ne terminorum confusione confusè procedat disputatio.

2 Existentiam distingui ab essentia, quæ per se ipsam existentiam constituitur existens tanquam per aliquid reale superadditum defendunt Thomistæ omnes:ita Caiet.Capr. Ferr. Ægid. Fland.& Soncin.apud P.Soar,& P.Albert.postea citandos,quos sequuti sunt P.Molin.p.1.q.3.art.4.ad 2. & P.Albert.de Prædic.subst antiæ disput. 2.q. 1. Essentiam non distingui ab existentia distinctione reali, sed tantùm ex natura rei docent scotus in 3. dist. 6. q.1. & P. Fonsec. tom.1.Metaph.lib.4.c.2.q.4.sect.1. Verumtamen plerique Fonsecam & non pauci Scotum interpretantur de distinctione tantùm rationis.

3 Existentiam nullâ distinctione, neque reali, neque ex natura rei distingui ab essentia defendunt innumeri Doctores, quorum longum syllabum inuenies apud P. Soar. disp.3.Met.sect.1.n.12.qui eamdem amplectitur sententiam. Consentiunt P.Vasq.1.2.disp.179.n.6.P.Val.tom.1.disp.1.q. 4.p.4.P.Pereir.6.Physic.c.4.P.Alarc.tr.6.disp.1.c.2.n. 4. P. Rub.1.Physic.tr.1.de materia prima q.4.n.6.P.Hurt.disp:8. sect.4.subs.1.P.Arriag.disp.2.sect.3.

4 PRIMA CONCLVSIO. Existentia iam producta non distinguitur physicè,neque propriè loquendo physicè identificatur cum essentia purè possibili, neque eadem ratione formali existentiæ,vt purè possibili, ea ratione quâ præcesserit per totam æternitatem antequàm in tempore per veram actionem produceretur.Hæc conclusio ex doctrina tradita Puncto præcedenti clarè deducitur.Id quod est purè possibile nondũ physicè existens in actu secundò, physicè non est simpliciter,sed cum addito : ergo physicè neque potest esse distinctum ab alio eo modo, quo in se non est,neque potest habere esse distinctum, quod non habet esse:ergo enti purè possibili tantùm potest conuenire idẽtitas & distinctio conditionatè eo modo,quo illi competit esse,quod casu quo esset, esset distinctum, vel identificatum,haberet identitatẽ,vel distinctionem. Ex hac conclusione inferes rem existentem non identificari cum ipsa vt possibili, in mensura præcedenti existentiam,sed se habere respectu illius sicuti illud quod est, respectu illius quod non est,qua ratione se habet existentia respectu puræ possibilitatis,& essentiæ possibilis.

5 SECVNDA CONCLVSIO. Essentia possibilis,& possibilitas rei nondum existentis eo modo,quo sunt secundum illud esse conditionatum;quod habent,sunt identificatæ cũ existentia,ita vt eo modo, quo est illud esse rei possibilis, seu essentiæ sub conditione,sub eadem sit existentia. Probo hanc conclusionem:Essentia in statu absoluto posita est identificata cum existentia:ergo eademmet essentia in statu conditionato erit identificata cum existentia ; implicat enim ea quæ absolutè existentia sunt identificata sub aliqua conditione reali non esse identificata, & hæc est legitima consequentia, rationale absolutè existens est identificatum cum animali : ergo si rationale existat, existet identificatum cum animali, non enim diuersa concipiuntur prædicata in statu absoluto, quàm in statu conditionato eiusdem rei conditionatæ existentis. Pendet huius conclusionis exacta probatio ex illo antecedenti, esse simpliciter essentiæ actualis, seu rei possibilis est identificatum in statu absoluto cum existentia, quod conclusione immediatâ iam trado, & ex professo probo.

TERTIA CONCLVSIO. essentia actualis, seu res existens non dicit existentiam superadditam essentiæ, sed simplicissimam entitatem, in qua essentia, & existentia concipitur.Probo : modusexistentiæ, quem confingit sententia opositа habet essentiam,& sua prædicata essentialia vt omnes admittunt.De hoc inquiro,an habeat essentiam distinctam à ratione formali,per quam existit,vel non ? Si illam habeat,planè in infinitum abibimus:si non,sic arguo. Essentia illius modi non indiget essentia superaddita vt sit in tempore:ergo neque essentia hominis. Respondent authores oppositæ sententiæ disparem esse rationem,quia ille modus est ratio existendi per suam essentiam, ac proinde non indiget modo superaddito,vt existat, sicuti præsentia non indiget modo superaddito,vt sit præsens;homo verò,& reliquæ entitates non sunt rationes existendi, ac proinde indigent alio modo. Contrà : ego intendo probare essentiam hominis esse suam formalissimam rationem existendi, & sic arguo à paritate illius modi : ille modus habet prædicata essentialia ab æterno eodem mudo,seu in eodem sensu, ac illa habet homo,& eadem ratione, quâ verum est dicere,homo non existit in hoc tempore,in quo antecedenter potuit existere ; eadem ratione verum est dicere de illo modo,modus ille non existit in hoc instanti,in quo antecedenter potuit existere:ergo idem est fundamẽtum ad concipiendum modum illum cum indifferentia ad existendum, & non existendum, ac ad concipiendum essentiam hominis cum indifferentia : ergo sicuti ex prædicatis indifferentibus inferimus essentiam hominis non esse rationem existendi, sed habere existentiam superadditam sic ex eadem indifferentia debemus inferre modum illum non esse rationem existendi,sed indigere existentiâ superaddita,aut meliùs inferre:hæc indifferentia non arguit rationem superadditam existendi, in modo illo,quem constituit opinio distinguens essentiam ab existentia:ergo neque illam arguet in ipsa essentia : ergo sine fundamento dicitur admissa,hac indifferentia quæcũque illa sit, essent iam habere rationem existendi superadditam.Modum illũ incipientem in tempore ab æterno habuisse suam essentiã eodem modo,quo dicitur illam habuisse hominem,sic probo.Ideo dicimus hominem ab æterno habere suam essentiam, quia ab æterno est verum dicere, homo est animal rationale:& ideo dicimus ab æterno fuisse possibilem,quia quocumque instanti æternitatis potuit à Deo produci,sed similiter ab æterno fuit verum dicere,modus ille, & formalissima existendi ratio, & vltima essentiæ actualitas in quocumque instanti æternitatis potuit à Deo produci:ergo ab æterno habuit suam essentiam : ergo ab æterno fuit possibilis cum indifferentia ad existendum,& non existendum:ergo eadem ratione philosophandum est de ipsa essentia, ac de illo modo, casu,quo admittatur,quod probat modum illum admittendum non esse, quia si modus ille per se ipsum existeret,sic essentia per se ipsam de facto existit,& ita non indiget modo illo, vt fiat existens : ergo omnino superfluè ponetur,cùm tantùm inuentus sit ad essentiam formaliter existentem constituendam.

7 Respondet P.Albert.in Prædic.subst ant.disput.1.q.1.numero 34. essentiam existentiæ non habere esse actuale ab æterno,sicuti illud habet essentia lapidis,& ita essentiã lapidis esse indifferentem antequam recipiat existentiam,vt illi habenti iam suum esse actuale aduenìat, vel non aduenìat existentia,quam indifferentiam non habet essentia illius modi,quæ non habet ab æterno aliquod actuale esse: reddit disparitatem;essentia,v.g.lapidis ait Albert. debet supponere aliquid ab æterno, ratione cuius non repugnet existere,quod non potest esse aliud præter esse actuale ipsius essentiæ,essentia verò existẽtiæ lapidis ex eo præcisè, quod supponat esse actuale essentiæ lapidis intelligitur nõ repugnans,quia per illud esse formaliter constituitur lapis non repugnans ad existendum, quod est constitui non repugnantẽ existẽtiã lapidis,& ita necessum nõ est existentiã lapidis supponere esse actuale propriæ essentiæ, vt supponatur formaliter nõ repugnãs. Doctrinã huius solutionis latè impugnaui Punct præcedẽti, vbi probaui nullã essentiã rei creatæ habere ab æterno aliquod esse actuale absolutum.Secundò illam impugno , quia si essentiæ creaturæ necessarium esset illud esse actuale vt distingueretur

à chimæra

à chimæra, & fieret ab æterno possibilis, illo etiam indigeret essentia illius modi, quæ non posset distingui à chimæra, neque constitui non-repugnans per esse actuale essentiæ distinctæ realiter ab illo modo, & ab illius essentia, quod sic probo. Essentia illius modi per se ipsam est non repugnans, & per se ipsam distinguitur à chimæra, quælibet enim entitas per prædicata essentialia, per quæ in se constituitur, in se distinguitur ab omni alio: ergo essentia modi non constituitur non repugnans, neque distinguitur à chimæra per aliquid realiter distinctum ab ipsa: ergo non constituitur non repugnans, neque distinguitur à chimæra per esse actuale essentiæ, quod realiter distinguitur ab essentia existentiæ, & ab ipsa existentia indistincta realiter à sua essentia.

8 Huic argumento putant RR. satisfeciſſe D. Thom. 1. p. q. 6. art. 3. ad 3. ex eo, quod dixerit bonitatem non indigere alia bonitate, vt sit bona, quia dicitur bona sicut & ens; hac autem ratione (sunt RR. verba) quia est, & aliquid non quia ipsa aliquo sit: vnde hac ratione dicitur bona, quia est aliquid bonum, non quia ipsa habeat aliquam aliam bonitatem, qua sit bona, ita existentia est, vt quo aliquid est, non quia ipsa sit id, quod est.

9 Duo inuenio in hac solutione, primum est doctrina Angelici Doctoris, videlicet bonitatem non indigere alia bonitate, vt bona constituatur, sed per se ipsam esse aliquid bonum, quod ego eodem modo transfero ad existentiam, seu ad ipsum ex se actuale essentiæ, quod Thomistæ in esse actualis, & existentis dicunt constitui per aliquid superadditum, & intendo probari non posse transferri ad existentiam superadditam, quam Thomistæ assignant; Dicimus, actionem non indigere actione alia, vt dependeat ab hoc principio actiuo, quia per suam entitatem essentialiter ab hoc principio dependet, & nullam indifferentiam habet, vt dependeat ab hoc, vel illo, terminum verò dicimus dependere ab hoc principio media alia actione, seu causalitate, qua indifferens est, vt hoc principio actiuo dependeat, & ita indiget determinatiuo superaddito. Sicuti de actione philosophamur de vnione, & sicuti de termino producto de extremo vnito; Eademque ratio quæ de actione, & vnione dicitur non indigere alia actione dixit optimè S. Thomas bonitatem non indigere alia bonitate. Quod autem non possint Thomistæ ita discurrere de existentia superaddita argumento ad homines desumpto sic probat.

10 Ne iterum reddas ad solutionem petitam ex eo quod sicut bonitas non indiget alia bonitate, nec actio alia actione, ita nec existentia alia existentia; argumentum instituo ad probandum modum illum à Thomistis assignatum, quam vocant existentiam talem non esse, & contra eos instituo idem argumentum, quod ipsi formant ad probandum essentiam non esse sui existentiam, si enim valet respondere modum illum esse existentiam, & ita non indigere alia existentia, sic etiam dicere valebit essentiam esse ipsam formalissimam existentiam sui physicè loquendo, & ita non indigere alia existentia.

11 Respondebis: existentiam iam productam indifferentem non esse, vt existat vt *quo*, sed essentialiter, & necessario posse ipsam exercere suum munus constituendi essentiam formaliter existentem. Idem dico ego de essentia producta, seu de actuali, & iam constituta in eo statu, in quo Thomistæ asserunt subiacere existentiæ, de illa enim procedit quæstio, vt notant RR. Thomistæ non illa vt habentes solum esse obiectiuum, & puræ possibilitatis, in quo statu non est simpliciter ens, & differt à se ipsa iam producta, sicut id, quod non est ab eo, quod est.

12 Aliud, quod in hac solutione inuenio est existentiam non esse id quod est, neque esse ens, vt *quod*, sed vt *quo*, iuxta quam doctrinam asserunt Thomistæ existentiam esse modum essentiæ, & illius affectionem, & ita non habere essentiam distinctam à re illa cuius est existentia. Mirabilis entitas, quæ physicè, & realiter ab alia distinguitur, non solum numericè, sed etiam specificè, essentia rei non distinguitur ab entitate physica rei, entitas enim physica, & essentia solum distinguuntur in modo significandi, quælibet enim entitas per se ipsam constituitur, & constitutiuum cuiusuis siue res, siue modus sit ab ipso non distinguitur: ergo si existentia hominis distinguitur ab essentia hominis, ita & constitutiuum essentiæ hominis ab ipsa hominis essentia distingui debet: ergo eandem distinctionem habet essentia existentiæ, quæ ab illius constitutiuo non distinguitur: Neque ex eo quod sit modus essentiæ infertur non habere essentiam, quia essentia existentiæ benè valet concipi modus.

Eamdem conclusionem à priori probat P. Soar supra, & 13
ex illo recentes omnes: non potest aliquid constitui intrinsecè, & formaliter in ratione entis per aliquid ab illo distinctum: ergo non potest essentia hominis, v.g. constitui formaliter vt ens simpliciter per existentiam ab illa distinctam. Consequentia est legitima: probo antecedens, & procedat argumentum. Quidquid distinguitur ab alio distinguitur tanquam ens ab ente: ergo vtrumque extremum, vt condistinctum ab alio est ens: ergo non constituitur per aliud in ratione entis. Confirmatur: nihil potest distingui in ratione talis per illud, à quo non constituitur in ratione talis: ergo non potest ens in ratione entis distingui per illud, à quo in ratione entis distinguitur: ergo ens non constituitur in ratione entis per illud, à quo in ratione entis distinguitur. Ex hoc antecedenti redeo ad consequens primò illatum: ergo essentia hominis non potest constitui in ratione entis simpliciter per existentiam ab illa distinctam. Pergo vlteriùs: ergo neque in ratione existentis. Probo consequentiam: ens simpliciter, & existens formalissimè sunt idem: ergo quod non constituitur per aliud distinctum in ratione entis simpliciter, non potest per illud in ratione existentis constitui. Consequentia est legitima: Antecedens latè probaui Punct. præcedenti tum ratione, tum authoritate Philosophi, Doctoris Angelici. Memineris, quæ tradidi de ente purè possibili non existente, quod dixi non esse ens simpliciter, neque de illo posse dici quod sic sed quod esset.

Tertiò probatur eadem conclusio. Essentia actualis Petri existentis, vt condistincta ab existentia superaddita, 14
quam illi impingit opinio, contra quam agimus est ens creatum, & productum: ergo vt distincta ab existentia superaddita terminat actionem, ex vi cuius producitur: ergo vt distincta ab illo modo constituitur existens. Probo consequentiã: eo ipso quod illud supponebatur possibile terminet actionem præcisè ex vi actionis recipit esse; & constituitur formaliter extra causas, & ex vi actionis extrahitur ab esse potentiali, seu virtuali, quod habebat in causis ad proprium suum esse: ergo ex vi actionis, quam terminat, constituitur condistinctum ab ente purè possibili, & formaliter existens, quia formaliter existere tantùm importat habere esse formaliter in se, essèque constitutum extra causas, & condistinctum ab ente possibili. Essentiam hominis, vt condistinctam ab existentia, debere temnare actionem probatur efficaciter ex eo, quod sit aliquid reale distinctum à Deo, quidquid enim est, & non est Deus, est dependens à Deo per veram actionem, & ab illo productum, vt probabam Puncto præcedenti Patrum authoritate & ratione à priori; tum etiam ab inconuenienti, quia sequeretur humanitatem Christi existentem per existentiam Verbi in opinione illorum, qui distinguunt essentiam ab existentia, nullâ ratione posse dici creatum, neque dependentem à Deo tanquam à causa efficienti, cùm Verbi existentia, per quam existit, creata non sit, neque à Deo dependens in genere causæ efficientis, ac proinde si natura Christi secundùm suam essentiam, non dependet, neque secundùm existentiam dependebit à Deo in genere causæ efficientis.

Obiiciunt primò Thomistæ: Deus solùm existit per 15
suam essentiam: ergo creaturæ existunt per modum superadditum ab essentia distinctum. Retorque argumentum ad ipsam existentiam, quam dicunt Thomistæ existere per seipsam, & per suam essentiam eo modo, quo nos dicimus existere essentiam quam illi à modo existendi distinguunt, Resp. Deo esse essentialem existentiam ab æterno, & in æternum, ita vt non potuerit non existere, quod nulli creaturæ conuenit, quia quælibet potuit antecedenter non existere in illa mensura, in qua existit, & de facto per totam æternitatem non existit, in quo sensu tantùm Deus dicitur existens per essentiam, hoc est, existens indefectibiliter, & non potens neque antecedenter in aliqua mensura non existere. Alius verò modus existendi defectibiliter per suam entitatem, seu per suam essentiam in illa mensura, in qua contingenter existit, non est supra perfectionem creaturæ, potiùs omni creaturæ, quæ de facto existit, competere necesse est. Instabis: implicat existentiam conuenire entitati creatæ per suammet entitatem, & per suam essentiam, & conuenire

contingenter, posséque illi aliquando non conuenire: ergo si creatura existit per suam entitatẽ, & per suam essentiam, implicat illi contingenter conuenire existentiam, & posse hanc ab illa separari. Respond. duplici modo posse intelligi formam aliquam contingenter conuenire subiecto, & posse ab illo separari. Primò si supposito subiecto, subiectum illud quod realiter est, in illa mensura in qua est, possit esse realiter priuatũ tali formâ, & esse sine illa. Secundò si forma tantùm possit non conuenire subiecto, seu separari ab illo, in illa mensura, in qua subiectum non est, ita vt tantùm deficiente subiecto possit illi deficere forma, quod propriè non est posse separari formam à subiecto, seu subiectum à forma, quia separari hoc ab illo dicit hoc esse sine illo, quod importat esse positiuum huius, & negationem illius, vt afficientis hoc: quando verò vtrumque extremum desinit esse neutrum ab alio separatur, neque potest illorum aliquod dici separatum, aut coniunctum, quia quod non est, neque est separatum, neque coniunctum. Prior separationis modus opponitur cum forma, quæ conuenit subiecto per propriam huius entitatem, seu essentiam, & conuenire non potest existentiæ rei creatæ respectu essentiæ, quam afficere dicitur, quia eo ipso quod physicè & realiter datur essentia hominis: datur illius existentia. Posterior separationis modus, quem dixi propriè non importare separationem potest conuenire formæ creatæ, etiamsi hæc subiecto per suam essentiam conueniat, quia potest deficere tale subiectum, & consequenter essentia subiecti, & totũ illud, quod subiecto conuenit per suam essentiam. Hoc posteriori modo potest separari existentia creata ab essentia, à qua non distinguitur, non tamen existentia diuina à propria essentia, quia cùm implicet deficere essentiam diuinam, & actu non esse, implicat existentiam deficiente essentia deficere, & potiori ratione non deficiente essentiâ, quia id etiam conuenit cuicumque existentiæ creatæ, quæ non potest deficere dum permanet essentia creata, licet possit deficere simul cum eadem essentia, cuius dicitur existentia, corrupto enim ligno tam illius essentia, quàm existentia desinit esse. Instabis: essentiæ sunt ab æterno, & indefectibiles: ergo existentia desinit esse permanente essentiâ. Respondeo nullam essentiam creaturæ, neque aliquod prædicatum illius physicè fuisse ab æterno, aut esse indefectibile, sed omnia physicè fuisse in tempore, & posse deficere secundùm esse reale. Dicuntur autem esse ab æterno obiectiuè, & conditionaliter modo explicato Puncto præcedenti num. 12. vbi dixi quid importent propositiones, quas æternæ veritatis vocamus.

16 Obiicies secundò: Essentia Petri existentis, quæ nunc est, est eadem cum essentia ipsius Petri, quæ fuit ab æterno, sed existentia Petri distinguitur ab essentia ipsius Petri, quæ fuit ab æterno: ergo distinguitur ab existentia, quæ nunc est. Retorque argumentum ad Thomistas in essentia modi existendi, quæ fuit ab æterno sine existentia talis modi. Respondeo essentiam Petri nunc existentis non esse eamdem cum existentia Petri, quæ fuit ab æterno, non quia sit distincta, sed quia ab æterno non fuit essentia Petri, & implicat aliquid esse idem cum illo quod non est. Eadem ratione minorem nego, videlicet existentiam Petri distingui ab essentia Petri, quæ fuit ab æterno, quia, vt iam dixi, essentia Petri non fuit ab æterno. Itaque sicuti fieri non potest argumentum: existentia Petri non fuit ab æterno identificata secum ipsa: ergo modo non est secum ipsa identificata, quia non habuisse ab æterno identitatem secum ipsa, ex eo tantùm est, quod non fuerit ab æterno; ita non potest fieri argumentum: existentia Petri non est ab æterno identificata cum essentia Petri: ergo modò non est identificata cum essentia Petri, quia ex eo præcisè non fuit ab æterno hæc identitas, quia neque ipsa existentia, neque essentia Petri fuerunt ab æterno, ita vt si ab æterno fuisset essentia Petri, ab æterno fuisset ipsius existentia cum essentia identificata.

17 Obiicies tertiò: Petrum existere hodie, & existere cras, non sunt idem, quia possunt separari: ergo existentia hodierna distinguitur ab existentia crastina: ergo Petrus non habet eamdem existentiam hodie, ac habebit cras; & tamen habet eamdem essentiam: ergo essentia distinguitur ab existentia. Resp. existere hodie Petrum, & existere cras, distingui, non per existentiam, quæ est hodie, & quæ erit cras, sed per durationem illi superadditam siue intrinsecã, siue extrinsecam. Existere enim hodie est quoddam concretum, quod super existentiam addit durationem hodiernam, & existere cras est concretum, quod supra eamdem existentiam addit durationem crastinam, & cùm hæ durationes distinguantur, distinguuntur concreta ex vi illarũ non per subiectum, sicuti existere Petrum Matriti, & existere Toleti distinguuntur, non per distinctionem existentiæ, quæ est eadem Matriti, & Toleti, sed per præsentiam, quam dicit existere Matriti distinctam ab illa, quam dicit existere Toleti, seu hoc concretum existens Toleti.

Obiicies quartò: Relatio transcendentalis effectus, seu causæ respicit terminum, vt possibilem, & non vt existentem: ergo possibilitas distinguitur ab existentia. Probo consequentiam. Possibilitas necessariò terminat relationem, & non existentia: ergo distinguuntur, alias eadem entitas terminaret, & non terminaret. Eodem modo potest retorqueri argumentum: effectus respicit existentiam causæ vt possibilem, & non vt existentem: ergo existentia distinguitur à sua possibilitate, & sic in infinitum abibimus. Resp. hoc argumentum opportunius fieri ad probandum non dari relationes transcendentales in causis ad suos effectus, vel illas non terminari ad possibilitates puras effectuũ, sed etiam ad illorum existentias, quàm ad probandã essentiam ab existentia distingui: expendam hoc argumentum Contr. 10. Punct. 6. vbi probabo causas transcendentaliter referri non ad possibilitatem effectuum ab existentia præcisam, sed ad formalissimam rationem existendi. 18

Obiicies; existentia est accidens respectu essentiæ: ergo ab illa distinguitur. Confirmatur, hæc propositio *Petrus est rationalis* est essentialis, & hæc propositio *Petrus est existens*, est accidentalis: ergo prædicata realiter distinguũtur, implicat enim idem esse essentiam, & accidens respectu eiusdem subiecti. Respondeo; existentiam esse accidens prædicabile respectu Petri, non tamen accidens prædicamentale, vt patet in hac propositione *Petrus est risibilis*, quam dicunt omnes pertinere ad quartum prædicabile, & omnes qui asserunt potentias non distingui ab anima afferunt rationale, & risibile identificari. Quod autem hæc propositio *Petrus est rationalis* sit essentialis, & accidentalis ista *Petrus est existens* sit accidentalis non arguit distinctionem realem prædicatorum, sed distinctum modum prædicandi, & distinctam significationem copulæ *est* in prædictis propositionibus, quia in hac propositione *Petrus est rationalis* copula *est* habet significationem diminutam ratione prædicati adiuncti, vt contingit in omnibus propositionibus æternæ veritatis, in hac vero *Petrus est existens* copula *est* sumitur in rigorosa, & propria illius significatione, & ita accidentalis dicitur ex eo quod sit contingens Petrum esse, aut non esse, & sicut contingens est Petrum esse, sic contingens est Petrum esse rationalem, nam quod non est non est rationale. 19

PVNCTVM III.

An essentia distinguatur ab existentia formaliter per rationem.

1 EXistentiam rei instar accidentis concipi respectu cuiusvis essentiæ, & esse accidens methaphysicum illius, est certum apud omnes Scholasticos, qui propositiones has *Petrus est existens, & homo est existens*, ad quintum prædicabile reducunt, & non illis æternam tribuunt veritatem, sicuti tribuitur huic propositioni *Deus est existens*, quo sensu omnes dicunt existentiam Deo essentialiter competere, & acidentaliter omni creaturæ, quia Catholici affirmant Deum ita existere, vt nullo euentu potuerit non existere, & creaturam de facto existentem potuisse antecedenter non existere. Hinc fit exparte actus seu ex modo concipiendi omnes teneri distinctionem aliquam assignare inter essentiam, & existentiam creaturæ, quam inter existentiam, & essentiam Dei non teneantur concedere, in quo sensu verum est, quod ait P. Soar suprà n. 16. docuisse omnes Theologos, videlicet distinctionem rationis inter essentiam, & existentiam reperiri, quam nullus non admittit. Verùm idem Soar. ibid. asserit distinctionem hanc non ab omnibus eodem modo explicari, quapropter iure quærimus, an hæc distinctio sit tantùm ex diuerso modo significandi eamdem formalitatem, ita vt tota illa consistat in modo cognoscendi, vel an ex parte obiecti appareat aliqua formalitas in cognitione terminata ad existentiam, quæ non appareat in cognitione terminata

minata ad essentiam. Difficultas hæc præcipuè locum inuenit in opinione, quæ præcisiones obiectiuas admittit, quam modò suppono ad formalitates essentiæ, & existentiæ iuxta sententias omnium exactiùs explicandas.

2 Plerique Doctores non multùm curantes de modo, quo essentia ab existentia distinguatur supponere videntur essentiam, & existentiam ex parte obiecti per rationem distingui, diuersásque formalitates attingi ex parte obiecti essentiæ, & existentiæ conceptu, quod fert communis omnium sententia.

3 Ingeniosus admodum, & acutus semper Aureolus docuit in 1. distinct. 8. q. 1. art. 4. propos. 3. & quæst. 4. art. 2. §. *est ergo*, intellectum nostrum nullam distinctam formalitatem præscindere inter essentiam, & existentiam, & non correspondere duplex conceptibile, seu duplicem rationem obiectalem, sed eamdem simplicem, quando concipimus in creaturis essentiam, & esse, & tantùm tunc reperiri duplicem concipiendi modum. Hanc fuisse Scoti mentem non leuiter indicant illa, quæ ex eodem Scoto refert Soar. suprà n. 19. & quod magis est, idem videtur sentire D. August. lib. 12. de Ciuit. Dei, cap. 1. & lib. 2. de morib. Manich. c. 2. cuius verba refert idem Soar. tenent eamdem sententiam Lichet. & Gabr. apud Soar. ibidem, qui non parum in hanc sententiam inclinat n. 23. vbi asserit posse dici existentiam esse de essentia creaturæ actu constitutæ, seu creatæ vt talis est. Hanc sententiam amplectuntur P. Hurt. disp. 8. Metaph. sect. 3. §. 72. & Arriaga disp. 2. sect. 4. & ferè omnes bonæ notæ recentes. Sit

4 Prima Conclvsio. Essentia actualis formaliter vt actualis, non distinguitur ab existentia, neque ex parte actus, neque ex parte obiecti: Ratio est facilis: existentia ex parte obiecti est, & ex parte actus apprehenditur vltima actualitas: ergo essentia dicens actualitatem dicit existentiam. & idem est formaliter adhuc respectu intellectus, ens actuale, ac ens existens, & essentia actualis, ac essentia existens. Confirmatur: id, per quod ens essentialiter constituitur actuale est actualitas: sed actualitas est formaliter existentia: ergo ens, & essentia constituuntur actualia per existentiam: ergo non possunt cognosci, vt existentia, quin ex parte obiecti, & ex parte actus existentia cognoscatur, quia nihil potest cognosci vt tale, quin ex parte actus cognoscatur illud, per quod constituitur. Dixi non distingui adæquatè, quia inconueniens non est ex parte actus distingui essentiam actualem ab actualitate inadæquatè, tanquam includens, & inclusum, quia potest intellectus ex parte actus apprehendere essentiam actualem vt quoddam concretum resultans ex essentia cognita eo modo, quo cognoscitur abstrahens ab actuali, & possibili, & ex actualitate, seu existentiâ. Confirmatur: ens nondum existens non est simpliciter ens, sed tantùm obiectiuè, seu conditionatè: ergo ad hoc vt intelligatur ens simpliciter, debet actu intelligi existens: ergo ratio formalis entis simpliciter, & actu, quod tantùm dicitur esse ex parte actus, & ex parte obiecti, est ratio existentis, idémque formalissimè importat ens actu, & existens: ergo idem formalissimè importat essentia actualis, & existentia: ergo essentia, quæ formaliter, & actu non tantùm esset, sed est, est formaliter existentia, quæ non tantùm esset, sed est. & essentia possibilis, quæ tantùm dicit essentiam quæ est obiectiuè, & physicè esset, dicit existentiam, quæ est obiectiuè, & physicè esset. Confirmatur: ens in potentia, seu ens possibile dicit ens per propria prædicata essentialia non repugnans existere, seu capax existendi: ergo ens in actu dicit ens actu existens absque aliquo intrinseco superaddito propriis prædicatis, quæ concipiuntur capacia existendi, siquidem ipsa capacia per se ipsa fuerant præconcepta terminandi formaliter per se ipsa actionem, ex vi cuius producerentur, quod est formaliter per se ipsa existere: ergo ens possibile, seu essentia possibilis non distinguitur ab existente possibili, seu existentia possibili, & ens in actu non distinguitur ab existentia in actu. Ens possibile voco, quod abstrahit à purè possibili, & existenti, quia ens purè possibile vt purè possibile, connotat negationem entis existentis, quæ contradictoriè seu priuatiuè opponitur cum ente simpliciter existenti, & cum illius existentia. Libentiùs dico prædicata essentialia creaturæ absque vllo intrinseco realiter, aut per rationem superaddito existere, quando de facto existunt dependenter à causa prima, quàm entitatem creatam existere per suam essentiam, quia hic loquendi modus æquiuocationem parere potest, quæ cauenda semper est, sæpe enim existere per essentiam sonat, existere indefectibiliter omnino antecedenter necessariò, & independenter ab omni alio, quod proprium est Dei, & nulli potest creaturæ competere, licet quando de facto existit, existat formaliter per proprium suum constitutiuum, quod non distinguitur à sua essentia; quia quidquid est in creatura actuali quantumuis sit illius constitutiuum, & propria essentia, per se ipsum terminat actionem, quâ producitur, quod est per se ipsum existere, quia actu existere, seu simpliciter esse, & existere creaturæ formaliter dicit esse terminum actionis, ex vi cuius producitur.

Secvnda Conclvsio. Essentia actualis, & ipsa formalis existentia non distinguitur formaliter, & ex parte obiecti ab essentia possibili abstrahente à purè possibili, & existenti. Sit ratio: Si inter existentiam actu exercitam, & essentiam vt possibilem distinguerentur formalitates, eodem modo essent distinguendæ inter existentiam, vt actu exercitam, & eamdem vt possibilem præcisiuè, seu inter existentiam actu exercitam, & essentiam eiusdem, vt possibilem præcisiuè, & sic in infinitum procederetur. Secundò efficaciùs: Nulla formalitas est actu existens, quæ non sit possibilis, & præcesserit in illo priori potentiæ Logicæ ad existendum: ergo nulla formalitas est actu existens, quæ non includatur in eadem entitate vt possibili, seu nulla formalitas est in ente actu existente, quæ formaliter per se ipsam non sit possibilis. Rursus nulla formalitas concipitur in ente possibili, quæ non concipiatur existens, quando illud ens concipitur existens: ergo neque ens possibile dicit aliquam formalitatem, quam non dicat existens, neque vllam dicit existens, quæ in eodem vt possibili non cognoscatur: ergo ens vt existens, & vt possibile præcisiuè non distinguuntur per formalitatem aliquam, quæ cognocatur in vno, & non in altero. 5

Confirmatur: quando Deus cognoscit creaturam possibilem indifferentem vt producatur, vel non producatur, vel cognoscit omnes formalitates, quæ postea sunt in ipsa iam existenti, & producta, vel non: Si cognoscit omnes formalitates, infertur creaturam possibilem, seu in statu possibilitatis constitutam includere ex parte obiecti omnes formalitates, quas eadem dicit existens: ergo creatura existens nullam addit formalitatem supra illam, vt possibilem. Si dicas in creatura possibili non cognosci à Deo omnes formalitates, quæ sunt in eadem creatura iam existenti, sequitur formalitatem illam non cognitam in creatura possibili repertam in creatura existenti, fuisse à Deo productam, quin cognitio illius formalitatis productionem eiusdem præcesserit. Dicendum ergo est Deum cognouisse in creatura possibili formalitates omnes, quas in existenti cognouit, quod ex libertate, quâ Deus quamcumque creaturam secundùm omnia, quæ dicit intrinsecè producit, manifestè infertur. 6

Obiic. Existentia concipitur tanquam accidens superueniens essentiæ illi, quæ præscindebat ab actuali, & possibili: ergo ab illa distinguitur ex parte obiecti. Nego consequentiam, quia sæpe plura, quæ tantùm ex parte actus distinguuntur concipimus vt passiones illorum, à quibus non distinguuntur ex parte obiecti, vt contingit in vnitate, quæ est passio respectu entis, & in communi sententia ab illo non distinguitur ex parte obiecti. 7

Obiic. secundò: A parte rei existentia tantũ identificatur cũ essentia actuali: ergo ex parte obiecti non potest cum alia essentia identificari, nego consequentiam, quia à parte rei non datur essentia præscindens, & ita non potest à parte rei distingui, neque identificari essentia præscindens, per intellectum tamen datur essentia præcisa ex parte actus ab existentia, & à negatione illius, & ita potest in illo statu, in quo concipitur præcisa dici identificata essentia, quia ex vi illius actus cognoscitur idẽ formale obiectum, quod per actum terminatum ad essentiã actualẽ cognosceretur. 8

Pvnctvm IV.

Magis explicatur eadem sententia, & incidens explicatur difficultas de obiecto scientiæ visionis, & simplicis intelligentiæ.

Ex his principiis grauis deciditur quæstio acriter inter Theologos exagitata de distinctione obiecti scientiæ simplicis intelligentiæ, & visionis Dei, & de distinctione 1

harum scientiarum,quam in nostris gymnasiis natam fuisse & adultam testatur P. Heric. tract.de scientia Dei disp.9. c.2. Ne recens Philosophus Theologicis terminis perturbetur mente teneat scientiam simplicis intelligentiæ in Deo dicere cognitionem terminatam ad obiectum possibile, & scientiam visionis in eodem appellari cognitionem ad obiectum iam existens terminatam. Ex quo fit idem esse inquirere quomodo differant obiecta scientiæ simplicis intelligentiæ, & scientiæ visionis, ac inquirere,quomodo differant obiectum cognitionis,quâ cognoscitur ens possibile,& obiectum scientiæ, quâ idem ens iam existens cognoscitur, quod tandem est idem, ac quærere quomodo differant obiectum possibile, & existens, quia cùm Deus cognoscat obiecta vt sunt in se,eâ ratione different obiecta cognitionis terminatæ ad rem possibilem, & cognitionis ad eamdem existentem terminatam, quâ res possibilis & existens differunt. Ex quo inferes ex principiis purè Philosophicis decidendâ esse quæstionẽ de distinctione obiectorum scientiæ visionis,& scientiæ simplicis intelligentiæ, eséque omnino eamdem cum illa,quam modò tractamus, quomodo videlicet differant res possibilis,& eadẽ existens.

2 Vulgaris sententia fert per scientiam simplicis intelligentiæ cognosci obiectum secundùm suam naturam,& secundùm propria prædicata essentialia, & non secundùm existentiam. Ratio huius sententiæ est per scientiam simplicis intelligentiæ cognosci obiectum indifferens ad existendum, & non existendum, ex quo videtur inferri non cognosci vt existens, quia obiectum quatenus existens non est indifferens ad existendum, & non existendum. Peccat hæc sententia,quia non explicat quomodo natura,seu prædicata essentialia obiecti terminent cognitionem Dei, & non eamdem terminet existentia eiusdem obiecti cum eâdem naturâ realiter identificata, cùm obiectiua præcisio circa obiecta identificata secundùm veriorem sententiam admittenda non fit adhuc in cognitione creata, & in cognitione diuina,de qua agimus nullo modo liceat admitti. Secundò, quia,vt dicebam suprà, nulla formalitas potest reperiri in creatura existenti, quam Deus priùs natura, quàm existeret, non præconceperit vt possibilem: ergo scientia visionis non terminatur ad formalitatem aliquam, ad quam non terminetur scientia simplicis intelligentiæ.

3 Affirmant alij scientiâ visionis, & scientiâ simplicis intelligentiæ cognosci easdem formalitates,in diuerso tamen statu, quia per scientiam visionis videntur secundùm exercitium actuale, secundùm quod scientia simplicis intelligentiæ non videntur. Hic dicendi modus impugnationem præ se fert, quia status ille,& illud actuale exercitium, vel distinguitur ab obiecto cognito, vt possibili, & existenti, vel non distinguitur: si distinguitur, iam scientiâ visionis cognoscitur aliquod obiectum existens non præcognitum scientiâ simplicis intelligentiæ:si non distinguitur,necessariò terminabit scientiam simplicis intelligentiæ,quam terminat obiectum cum illo modo identificatum.

4 Respondent alij per scientiam simplicis intelligentiæ cognosci obiecta vt non entia, & per scientiam visionis eadem vt entia cognosci. Contrà: per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscitur obiectum vt ens,& per scientiam visionis cognoscitur vt non ens: ergo non secundùm eamdem formalitatem vtràque scientiâ obiectum cognoscitur. Secundò cognoscere obiecta vt non entia,vel dicit cognosci negationes obiectorum,vel dicit cognosci obiecta cum connotatione ad negationes. Non prius,quia cognitio negationis distinguitur à cognitione obiecti,seu quia negatio cognita ad habitu cognito distinguitur:non posterius,quia cognoscere obiectum cum connotatione ad negationem est cognoscere obiectum, & negationem,illud in recto,& hanc in obliquo,& eadem redit quæstio,quidnam sit obiectum illud in recto cognitum,quod connotat negationem. Vltimò: in illo statu obiectum est indifferens ad negationem,& ad sui existentiam,hoc est,ad existendũ,& non existendum:ergo in illo statu non connotat negationem:ergo in illo statu nõ cognoscitur cũ connotatione ad negationẽ.

5 Noster Herice suprà citatus tenet idem obiectum secundùm eamdem rationem formalem vtramque cognitionem simplicis intelligentiæ, & visionis terminare cum diuerso tamen connotato;nam Petrus,v.g.cognitus scientiâ simplicis intelligentiæ connotat suam causam indifferentem ad productionem, & ad negationem productionis. Hæc sententia eadem patitur difficultates, quas contra præcedentem expendimus, quia causa in actu secundo determinatur per actionem ab illa procedentem, neque determinatio causæ dicit in causa aliquid illi intrinsecum: ergo ad hoc vt intelligatur causa in actu secundo determinata debet intelligi actus secundus,seu actio iam existens,quæ tamen intelligitur possibilis,cùm causa intelligitur non determinata,sed indifferens. Dicat ergo noster Herice,quid intelligatur in ipsa actione quando absolutè intelligitur existit, & iam determinans in actu secundo virtutẽ causandi,quod non in eadem actione intelligitur,cùm concipitur tantùm possibilis, & nondum intelligitur actu determinans virtutem causæ. Confirmatur, & declaratur: causa indeterminata dicit entitatem causæ, & actionem possibilem: ergo tota differentia reperta inter causam determinatam,& non determinatam sumenda est ex differentia, quæ reperitur inter actionem existentem, & actionem possibilem: ergo explicandum est quomodo differant obiectum cognitionis,quâ cognoscitur actio existens, & obiectum cognitionis,quâ cognoscitur actio possibilis,vt explicetur quomodo differunt obiectum cognitionis,quâ cognoscitur causa determinata,& obiectum cognitionis, quâ eadem causa indifferens cognoscitur.

Huic difficultati huc vsque satisfactum non fuisse docet Herice suprà n.13. & Alarcon Minerual non triobolare illam explicanti se daturum promittit,fatetur enim se nunquam percipere potuisse quomodo hæc obiecta differant, quódve discrimen inter obiectum possibile, & idem iam existens reperiatur. 6

Noto pro solutione huius difficultatis existentiam formalissimam rei,& eamdem existentem cum eisdẽ circumstantiis,quas hìc & nunc habet,dum existit,posse cognosci per iudicium,quo dicat intellectus,hac existentia,seu hoc obiectum existens de facto datur à parte rei, cum his omnibus circumstantiis, eamdémque existentiam, seu idem obiectum existens posse cognosci cognitione,quâ dicat intellectus,hoc obiectum,quod apparet existens cum omnibus his circumstantiis non est illatiuum contradictionis, quod iudicium æquiualet huic: si hoc obiectum de facto existeret cum omnibus circũstantiis, quibus obiicitur,existeret absque vlla contradictione,est etiam æquiualens iudicio,quo dicit intellectus, hoc obiectũ potest produci ab omnipotentia absque vlla contradictione.Per hæc tria iudicia, quæ æquiualentia esse dicimus,etiamsi obiectum cognoscatur vt existens,& ratio formalissima existentiæ,non affirmatur illud obiectũ existens dari de facto à parte rei, sicuti iudicatur per duo illa priora. Dari hæc iudicia respectu cuiuslibet obiecti possibilis probatione non indiget, est enim per se notum, vt quilibet rem attentè contemplans deprehendet. 7

Insuper noto,quod certissimum est videlicet Deum cognoscere omnia obiecta cognoscibilia omni modo, quo possunt cognosci absque vlla cognoscentis imperfectione. Ex quo infero, Deum modò cognoscere Ioannem existentem, & Petrum non existentem actu quodam,quo dicit de Ioanne, qui de facto existit: si Ioannes existeret, existeret absque vlla contradictione, quod est idem ac dicere, si velim Ioannem producere, Ioannes existet absque vlla contradictione, est idem ac dicere Ioannes est obiectum meæ omnipotentiæ; eadem ratione de Petro,qui non existit,idem enunciat, de vtroque enim æquè verum est dicere: si existat, existet absque vlla contradictione,&c. Ex vi horum actuum certum est non iudicare Deum de facto existere Ioannem, qui de facto existit, neque non existere Petrum,qui de facto non existit, quia actus illi sunt de obiecto conditionato, quod nihil ponit in esse. Deinde cognitio, quâ Deus dicit Ioannes existit,& cognitio,quâ dicit Petrus non existit,supponunt decreta libera Dei,quibus decreuit Ioannem existere, & Petrum non existere: cognitio verò,quâ dicit:si Ioannes existeret,existeret absque vlla contradictione, nullum connotat decretum liberum Dei absolutè existens: ergo ex vi cognitionis, quâ dicit Deus: si Ioannes existat, existet absque vlla contradictione,non dicit absolutè Ioannem existere, etiamsi cognitio illa ad existentiam terminetur. 8

Ex his infero scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ non distingui ex parte obiecti,vt probant rationes suprà factæ,distingui tamen ex modo, quo idem obiectum formalissimum cognoscitur,quia per scientiam visionis cognoscitur obiectum existens actu quodam,quo dicitur hoc obiectum datur à parte rei,& simpliciter est existens,scientiâ verò simplicis intelligentiæ cognoscitur actu,quo tantùm 9

tùm dicitur hoc obiectum existens ex se non est illatiuum contradictionis,seu obiectum existet absque vlla contradictione,si existat,quem actum,&alios illi æquiualentes,seu eundem alio modo significatum suprà explicui. In hoc ergo actu affirmo consistere scientiam simplicis intelligentiæ,qui dicit iudicium quoddam,quod Deus fert de omni obiecto possibili, & quod necessum est præcedere omne decretum producendi quamcumque creaturam, vt Deus cognoscat creaturam, quam vult producere, & ita liberè illam producat, vt antequam dicat, volo producere hunc effectum illum discernat ab aliis,quæ contradictionem inuoluunt,ne frustra, & improuidè decernat aliquod obiectum in se repugnans, & illius decretum ex repugnantia obiecti irritum fiat,quod contingere manifestam inuoluit implicationem.

10 Diximus non distingui obiectum primarium scientiæ visionis,& scientiæ simplicis intelligentiæ, quia si quis contendat iudicium hoc, *si Petrus existat existet absque vlla contradictione* respicere tanquam obiectũ primarium Petrum existentem, & tanquam obiectum secundarium negationem contradictionis,quam Petrus non inferret,quam contradictionis negationem,neque vt obiectum secundarium respicit iudicium,quo absolutè dicitur *Petrus existit*, non multum de hac re contendendum est, quam non sine fundamento dici existimo.

11 Obiicies:apprehensio visionis, & apprehensio simplicis intelligentiæ distinguuntur:ergo scientia visionis,& scientia simplicis intelligentiæ distinguuntur independenter à modo,quo Deus iudicat de obiecto cognito per vtramque scientiam.Resp.in Deo non dari simplices apprehensiones, sed intuitiua iudicia,quibus omnia cognoscit eo modo,quo sunt,& omni modo,quo sunt cognoscibilia.

12 Obiicies secundò:multa sunt possibilia cognita scientia simplicis intelligentiæ,quæ numquam existent : ergo non potest Deus cognoscere horum existentias : ergo scientia simplicis intelligentiæ non terminatur ad existentiam horum possibilium. Confirmatur:scientia Dei terminatur ad obiectum quod est:sed non est existẽtia horum possibilium ergo scientia Dei non terminatur ad illorum existentiam, sed tantùm ad possibilitatem. Concesso primo antecedenti distinguo primum consequens: scientia Dei non potest terminari ad existentiam possibilium,quæ non erunt, actu, quo dicat *hæc existentia est,aut erit in rerum natura*, concedo consequentiam : actu,quo dicat *esse sine contradictione, si de facto esset,seu hæc existentia non est illatiua contradictionis*,nego consequentiam. Ad confirmationẽ respondeo Deum tantùm cognoscere existentias eorum, quæ sunt actu, quo dicat absolutè existere cognoscere tamen existentias possibilium,quæ non sunt,aut erunt,actu, quo dicit,hæc existentia non est illatiua contradictionis, seu hæc existentia daretur in rerum natura absque vlla distinctione, si ego vellem illam producere, &c.

13 Obiicies tertio : Diuersus modus tendendi prouenit ex diuersitate obiecti:ergo si obiectum non est diuersum,modus tendendi non poterit esse diuersus. Distinguo antecedens:diuersus modus adæquatus tendendi in obiectũ prouenit ex diuersitate obiecti,transeat antecedens:diuersus modus inadæquatus tendendi,nego antecedẽs,quia idemmet obiectum est cognoscibile per varios actus quibus veritates diuersæ de illo enuntiari possunt,& ita circa idem obiectum potest dari actus,quo Deus iudicet existere tale obiectum, qui actus erit scientia visionis, & inadæquatus modus tendendi in tale obiectum,quia potest Deus in illud tendere actu,quo non dicat existere,sed quod existeret.

41 Obiicies quartò:Actus quo Deus cognoscit existentiam Petri esse obiectum omnipotentiæ, non solùm fertur in existentiam Petri,quæ esset,seu in Petri possibilitatem,sed etiam in ipsam omnipotentiam absolutè existentem.Resp. illum actum in recto respicere existentiam Petri, quæ in omnipotentia continetur,& in obliquo ipsam omnipotentiam, quod inferendum est ex eo, quod non possit cognosci excistentia Petri in omnipotentia, quin eodem actu tangatur omnipotentia, de quo non disputo, ex quo ad summum poterit inferri actum illum non esse simplicis intelligentiæ, quatenus fertur in omnipotentiam, quod libenter admittam, non tamen licet inferri non esse simplicis intelligentiæ respectu existentiæ Petri, quia idemmet actus attingens duplex obiectum potest dici scientia visionis respectu vnius, & scientia simplicis intelligentiæ respectu alterius.

PVNCTVM V.

Nonnulla expediuntur de existentia.

PLura quæ de existentia disputantur iuxta nostra principia vix quæstioni materiam præbent:breuiter singula percurram. 1

Primò inquiri solet quid perfectius sit an essentia, an existentia.In nostra sententia comparatio hæc fieri nequit, cùm idem sit essentia,& existentia, & idem se ipso neque perfectius, neque imperfectius est. In Thomistarum sententia prætendit non nemo maiorem perfectionem existentiæ tribuere,quam essentiæ,quia hæc est potentia, illa est actus. Sto pro essentia, cui maior perfectio necessariò danda est,quia est principium omnium operationum, radix passionum, & proprietatum ; quod si essentiæ non existenti nulla debeatur operatio,nullâque existens proprietas,tantùm probat existentiam esse conditionem,sicuti approximatio ad agendum in passum,quod non arguit maiorem existentiæ perfectionem, quia operatio non debetur nisi potentiæ applicatæ,& nihilominus metimur per operationes perfectionem virtutis,& non applicationis, operatio enim substantialis, seu ad substantiam terminata arguit principium productiuum intrinsecè substantiale, & non arguit applicationem substantialem, sed accidẽtalem, quia omnis approximatio rerum creatarum dicit ipsarum præsentias,quæ accidentales sunt. Ratio pro oppolita sententia adducta nullius est momenti,sunt enim plures actus imperfectiores potentia, quam actuant : intellectio accidentalis est actus animi rationalis,quo longè imperfectior est, & intra idem substantiæ genus substantia est actus naturæ Angelicæ,& hæc multum illius perfectionẽ excedit. 2

Docuit aliquando Bañez apud Hurtad.disp.6.sect.5.§.8r. existentiam neque esse substantiam, neque accidens,quod omnes nec dempto Bañez,qui postea sententiam hanc retractauit meritò impugnant. Neq; solùm grauiter peccat in Philosophia modus iste,dicẽdi sed etiã in Theologia non sine scrupulo potest procedere,ex illo enim infertur contra Concilium Tridentinum in Eucharistia aliquid manere præter accidentia panis,quia manebat existentia panis, quæ in sententia Bañez, existebat accidentium existentia. Quam opinionem reprehendit P.Soar. 3.part. t.3. disp.49. sect. 4. §. *sed quæres*. Impugnatur modus iste dicendi ex communi diuisione entis in substantiam,& accidens. Secundò quia omne ens vel est intentũ propter se vel propter aliud. Si propter se, est substantia. Si propter aliud, est accidens : ergo omne ens vel est substantia vel accidens. Sic arguo iuxta differentiam substantiæ,& accidentis,quam assigno,& propugno Contr.6. punct.1. Alij iuxtà diuersa principia haud inefficacius arguunt. Sic enim Arriaga & alij plures. Omne ens vel est de primo conceptu rei,vel non. Si est de primo conceptu rei est substantia, si non est de primo conceptu rei, est accidens : ergo omne ens, vel est substantia, vel accidens. Supponit hic modus arguendi essentiam substantiæ dicere esse de primo conceptu rei, & essentiam accidentis importare esse extra primum conceptum rei,qua differentia admissa inter substantiam,& accidens rectè procedit argumentum. 3

Dicendum est n opinione, quæ existentias superadditas admittit, existentiam substantiæ esse substantiam, & existentiam accidentis esse accidens,Posterior pars per se patet,essentiæ enim accidentis non deberi potest existentia, quæ sit substantia, huic enim accidentia debentur, & nũquam accidentibus imperfectioribus perfectior substantia debetur tanquam illorum proprietas, seu affectio, sed tanquam causa, à qua accidentia dependent, & in quam natura sua ordinantur. 4

In sententia non distinguente existentiam ab essentia, vtramque ab eisdem principiis procedere necessum est. Communis est sententia inter Thomistas distinguentes existentiam ab essentia vtramque per eandem actionẽ procedere, quod defendi poterit si dicatur existentiam non dependere ab essentia tanquam causa materiali, si autem existentia dependeat ab essentia tanquam à causa materiali non poterunt per eandem actionem produci, quia implicat per eandem actionẽ produci id, quod ab aliquo depẽdet ex vi actionis, & aliud à quo illud dependet, quia omnia, quæ ex vi actionis producuntur, necessariò ex vi actionis dependent ab omni alio, à quo dependet actio, 5

& non ab alio ex vi eiusdem, & ita non possunt produci ex vi eiusdem actionis existentia dependens ab essentia, & essentia non dependens à se ipsa. Secundò productio rei dependentis ab alio supponit productionem alius, à quo dependet proprius terminus:ergo productio existentiæ dependentis ab essentia supponit productã essentiam. Sentio non posse in hac sententia consequenter philosophari, quin plura deuorentur absurda,infertur enim ex eo quod essentia distinguatur ab existentia essentiam, & existentiam per diuersas actiones, & à diuersis causis posse produci, & necessariò per diuersas actiones,& ex diuersa causa materiali necessariò esse producendas, si existentia dependet ab essentia tanquam à proprio subiecto. Infertur etiam ex vi actionis terminatæ ad essentiam hanc fieri ens in actu,& constitui extra causas,quod præstat actio productiua cuiusuis rei,& non fieri ens actu,neque constitui extra causas,ex vi eiusdem actionis,sed ex vi actionis distinctæ terminatæ ad existentiam, quæ formaliter constituit essentiam in actu,&extra causas cõstitutam.Infertur etiam posse produci essentiam non producta existentia, quod contradictionem inuoluit in nostris principiis,qua essentia & existentia non distinguuntur, & in Thomistarum sententia, in qua ex vi actionis terminatæ ad rei existentiam, essentia eiusdem constituitur formaliter producta.Secundò,quia eo ipso quod essentia intelligatur producta intelligitur posita extra causas, & intelligitur existens ac proinde implicat rem intelligi productam, & non existẽtem, & consequenter rem produci sine existentia,& ex vi cuius formaliter fit existens. Propter hæc non audeo definire quomodo in sententia distinguente essentiam ab existentia consequenter philosophandum sit de causis,& causalitatibus,ex vi quarum producuntur essentia, & existentia, quò enim consequentiùs ad hæc principia procedatur,maiora absurda in hac materia deuoranda sunt, & plura contradictoria inferenda.

5 Inquiritur à nonnullis an rei possibili, & existenti detur communis ratio, à qua quæstione breuiter me expedio. Res purè possibilis connotat negationem rei existentis,cui nihil potest dari commune cum existentia rei,vel cum ipsa re existente, quia habitus, & negatio in nullo conueniunt; ens possibile præcisiuè sumptum,& ens existens formaliter ex parte obiecti dicunt eundem omnino conceptum obiectiuum, vt probaui Punct. 2. nihilominus non possunt conuenire in aliqua ratione superiori, in qua abstrahatur à differentia,quam includũt ex modo concipiendi,quia si ens apprehendatur existens,apprehensio illa non præscindet ab ente existente, à quo volumus præscindere rationem aliquam communem cum ente, quod ex parte actus non apprehenditur existens,sed ex vi apprehensionis præscinditur ab apprehensione existentiæ, & negationis existentiæ. Si verò apprehendatur ens possibile præcisè, hæc apprehensio adæquatè dicet vnam rationem, à qua volumus extrahere conceptum communem cum alia, videlicet ens possibile præcisè:ergo non dicet rationem aliquam superiorem enti possibili præcisè,in qua conueniat cum ente existenti,sed ipsam formalissimam rationem entis possibilis præcisè: ergo implicat dari conceptum communem ex parte actus enti possibili præcisè,& eidem enti formaliter existenti, etiamsi ex parte obiecti ens possibile præcisè,& ens existens formaliter non distinguantur.

6 Disputat Noster Albertin. de Prædic. subst. disp.2. q.2. an detur compositio inter essentiam:& existentiam:negatiuè respondent plures, etiamsi distinctionem admittant inter essentiam, & existentiam. Consequentiùs videtur procedere Albertin. qui compositionem hanc à parte rei dari concedit non inefficaci ratione: totum compositum formaliter nihil aliud dicit, quàm extrema realiter distincta per se ipsa,vel per superadditum aliquem modum vnita:sed totum existens dicit essentiam, & existentiam distinctas inter se vnitas: ergo est formaliter compositum:ergo à parte rei ens existens importat realé, & physicam compositionem. Mea quidem sententia rem concludit discursus, sed non efficaciùs contradictoria pars euincitur. Essentia vt distincta realiter ab existẽtia non est ens actu:ergo,vt distincta ab existentia, non potest terminare vnionem, quia non potest terminari ad rem præcisè possibilem,sed debet supponere extremum,quod sit actu: ergo essentia,vt distincta ab existentia,non potest cum ipsa existentia totum aliquod componere, neque aliquam compositionem inire, neque potest dici essentiam terminare vnionem ad existentiam,vt affectam existentia, quia vnio physica inter extrema quodlibet illorum respicit, vt adæquatè ab altero distinctum. Secundò quia in illo priori,in quo essentia concipitur proximè potens terminare vnionem ad existentiam non potest concipi vt affecta existentia, quia essentia ex vi illius vnionis existentia afficienda est. Hæc obiecta contradictoria, quæ legitimè inferuntur procedunt ex repugnante principio, quo supponitur essentiam ab existentia distingui.

De existentia,siue distincta realiter ab essentia,siue tantùm per rationem,& ex parte actus solet disputari,an formaliter sumpta dicat gradus metaphysicè distinctos,vel an dicat vnicam simplissimam formalitatem eadem omnino 7
afficientem omnes gradus metaphysicos essentiæ? Negat Noster Albertin. supra quæst. .4. cum Ferr. ex communi Thomistarum sententia,existentiam habere aliquam compositionem metaphysicam. Compositionem hanc admittunt P. Soar & Ægid.suprà. Duplex in hac re difficultas occurrit. Prima, an existentia diuisibilis sit in gradus metaphysicè distinctos. Secunda,an grandus metaphysicè distincti ex suppositione, quod reperiantur in existentia diuisibiliter afficiant gradus essentiæ,ita vt gradus genericus existentiæ gradui generico, & gradus specificus gradui specifico essentiæ correspondeant, & sic de aliis, vel an omnes gradus metaphysici existentiæ simul sumpti indiuisibiliter afficiant quemlibet gradum metaphysicum essentiæ, ita vt gradus genericus essentiæ non intelligatur existens tantùm per gradum genericum, sed per gradum generic um,specificum,& individualem existentiæ.

Sentio existentiam diuisibilem esse in gradus distinctos 8
correspondentes diuersis gradibus essentiæ. Continet conclusio definitionem vtriusque difficultatis propositæ,quam breuiter probo. Quando concipio animal à parte rei vt ens actuale distinctũ à rationali,quod etiam est ens actuale, concipio eandem distinctionem inrer actualitates animalis,& rationalis,ac inter animal,& rationale:ergo sicuti diuido per rationem hominem in animal, & rationale,sic diuido actualitatem hominis in actualitatem animalis,& rationalis: ergo sicuti animal præscinditur à rationali, ita præscinditur actualitas animalis ab actualitate rationalis: ergo sicuti distinguuntur animal,& rationale,ita vt non inuicem includantur,ita distinguuntur actualitates,quin vna includatur in alia,neque actualitas animalis aliquid dicat actualitatis rationalis,aut è contra. Confirmatur: ens non præscinditur ex parte obiecti à ratione existendi:ergo eã ratione, qua apprehenditur ens, apprehenditur saltem ex parte obiecti existentia, quæ ab illo ex parte obiecti formaliter non distinguitur:ergo poterit gradus ille posteaex parte actus apprehendi existens per existentiam specialem specialiter ex parte actus ab illo gradu dimanantem.

Obiciunt Thomistæ:existentia est vltima actualitas:ergo non est diuisibilis in gradus diuersos, quos si haberet 9
non esset vltima actualitas. Respondeo existentiam esse vltimam respectu subiecti, quod afficit, cum quo rectè componitur dari gradum existentiæ, qui licet sit vltima actualitas respectu subiecti, cui correspondet, non sit vltima actualitas respectu speciei, & individuæ existentiæ quam componit.

Obiicit secundò Albert. Existentia nihil aliud est, 10
quàm ratio constituendi rem actu extra causas. Sed hæc ratio consistit in indiuisibili: ergo existentia consistit in indiuisibili: ergo non est diuisibilis in gradus distinctos. Respondeo concedendo maiorem,& distinguendo minorem:Ratio constituendi rem indiuisibilem actu extra causas est indiuisibilis, concedo minorem: ratio constituendi rem diuisibilem extra causas est indiuisibilis, subdistinguo: intensiuè,concedo, quia eadem met formalitas non potest magis extra causas constitui; extensiuè nego,quia gradus distincti formaliter habent rationes formaliter distinctas inter se, per quas extra causas constituantur, in quas est diuisibilis existentia adæquata,seu ratio constituendi extra causas indiuiduum adæquatum inuoluens rationes superiores,& inferiores.

Disputant hic nonnulli quomodo existentia requiratur 11
ad operationes, an vt virtus causatiua, an tantùm vt conditio;de quo dixi Controu.7.Physic. punct.4.

CONTRO

CONTROVERSIA III.

De attributis entis.

PASSIONES vocamus proprietates illas, quæ ab essentia physicè dimanant, & hanc indiuiduè ex natura rei per se comitantur. Attributa dicere solemus prædicata quædam, quæ extra essentiam metaphysicam rei concipimus, cum qua physicè identificantur: sic in Deo Misericordiam, & Iustitiam, quæ ab illo non distinguuntur, attributa, & non passiones appellare consueuimus. Enti nonnullas competere proprietates, siue aliquid ab illo distinctum importent, & passiones dici possint, siue cum illo adæquatè identificentur, & attributa dicantur, fert omnium sententia, & constabit ex singularium definitionibus, quas postea dabo. An verò ab ente distinguantur, vel cum illo identificentur constabit ex his, quæ de proprietatibus singulis definiam. Quinque vulgo referuntur entis attributa, *res, verum, bonum, aliquid, vnum. Res, & aliquid* sunt entis synonyma, de tribus aliis attributis Controuersiam hanc instituo.

PVNCTVM PRIMVM.

De vnitate entis.

§. I.

Vnum *non addit supra ens prædicatum reale positiuum realiter, neque formaliter ab illo distinctum, neque fictum ab intellectu.*

1 VNum addere supra ens rationem quamdam positiuam ab ipso distinctam ex natura rei docuerunt Auicen. Scot. & Anton. Andr. apud P. Soar disp. 4. Metaph. sect. 1. n. 2. quibus addit P. Fasol. postea citandus Alens. Albert. & Bonauent.

2 *Vnum* non addere aliquid positiuum reale supra ens defendunt innumeri Doctores. Do primum, primum inter doctores Scholasticos Angelicum Doctorem 1. part. q. 11. art. 1. ad 1. vbi postquam sententiam Auicennæ retulerat, hæc scripsit: *sed hoc manifestè falsum est, quia quælibet res est vna per suam substantiam*: & rationem reddit, quam postea expendam. Hoc testimonium rem mihi facit omnino certam, nunquam enim in re vtrinque probabili, ita loquutus esset Angelicus Doctor, qui mira doctoris scientia, & sanctissimi modestia viri docuit nos illa; quæ vtrinque probabilia sunt sine animi contentione tradere, eáque non vt fide sancta, sed vt principiis probabilibus deducta quibus falsitas possit subesse, aliis proponere, quem modum eximiè semper obseruauit Angelicus Doctor, vt ipso docendi modo nobis licentiam faceret in hac vel in illa sententia vtrinque probabili ab ipso discedendi, quod etiam Augustini, & aliorum Patrum authoritate suffultis sine multorum inuidia nobis non licet. D. Thomam sequuntur Caietanus, Sylu. Heru. Mayr. Ocham, Durand. Arg. Capreol. Albert. Bassol. Gabr. Marsil. Sonc. Fland. Iand. & Iauel. apud P. Fasol. 1. part. quæst. 11. art. 1. dub. 15. n. 12. Accedunt omnes nostri Authores P. Soar. in Metaph. disp. 4. sect. 1. P. Vasq. 1. part. disp. 128. cap. 2. P. Fonsec. cap. 2. quæst. 5. sect. 4. concl. 3. P. Valent. P. Fasol. & alij D. Thomæ interpretes. D. Thom. 1. part. quæst. 11. art. 1. P. Hurtad. disp. 4 sect. 1. subsect. 2. P. Arriag. disp. 1. sect. 3. subsect. 1. & 3.

3 Seclusa omni ratione positiua enti superaddita, ex vi cuius vnum constituatur, superest sciendum, an dicat rationem aliquam positiuam, saltem per intellectum distinctam à ratione entis. Partem affirmatiuam defendit P. Vasquez cap. 2. citato, pro qua refert P. Soar. suprà n. 2. D. Bonauent. Alex. & Scot. vnum non addere supra ens rationem aliquam positiuam, adhuc per intellectum ab ente præcisam docet Pater Soar. cum D. Thoma, & aliis quàm plurimis, quos ipse refert num. 7. consentit Hurtad. Arriag. Definiendum est etiam an vnum saltem respectum aliquem rationis formaliter includat, quod affirmant Scotistæ non multi, quos refert, & impugnat Soncin. 4. Metaphys. quæst. 23. oppositum tamen fert omnium ferè Doctorum sententia.

4 PRIMA CONCLVSIO. *Vnum* non addit supra ens rationem aliquam positiuam realiter, neque ex natura rei ab illo distinctam. Probat efficaciter hanc conclusionem Angelicus Doctor: si ens fieret vnum per aliquid superadditum, illud superadditum, rursus esset vnum: ergo tale constitueretur per aliquid superadditum: ergo in infinitum procederetur. Dices, illud superadditum esset per se vnû, quia esset ratio constitutiua vnius, sicuti præsentia est per se ipsam præsens, quia est ratio constitutiua rei præsentis. Contra: ratio illa superaddita est per se ipsam vna, & est vnitas sui ipsius: ergo iam non repugnat entitas, quæ per se ipsam sit vna, & sit vnitas sui ipsius: ergo huiusmodi est ens, quod ego contendo esse per se ipsum vnum absque vlla ratione superaddita, & esse formalissimam sui vnitatem. Confirmatur: Ideò superadditur præsentia subiecto (idem dico de aliis formis superadditis) quia subiectum est indifferens, vt habeat, & non habeat hanc præsentiam, sed subiectum non est indifferens, vt habeat, & non habeat hanc vnitatem? ergo absque fundamento datur illi vnitas realiter superaddita. Vrgeo: ens vt distinctum ab illa ratione superaddita, in qua vnitate constituit opinio, quam impugnamus, est formalissimè vnum: ergo ratio illa superaddita superfluè aduenit enti. Probo antecedens: ens vt distinctum ab illa ratione superaddita habet non esse illam rationem superadditam, neque aliquid aliud ab ipso distinctum, insuper habet esse ipsum, à quo ratio illa superaddita distinguitur: ergo habet esse indistinctum à quolibet alio, seu esse ipsum, & non esse aliud: ergo habet totam rationem formalem vnius quod tantùm dicit formaliter esse ipsum, & non esse idem cum alio ab ipso distincto, quod solet definiri indiuisum in se & diuisum à quolibet alio. Confirmabunt hanc conclusionem rationes, quas pro secunda conclusione iam aduco.

5 SECVNDA CONCLVSIO: *Vnum* non addit supra ens rationem aliquam positiuam ex parte obiecti præcisam à ratione entis. Probo: ratio illa præcisa, in qua formaliter constitueretur vnitas, esset formalissimè ens secundùm conceptum obiectiuum præcisum, quem diceret: ergo nó esset ratio superaddita enti, sed ratio formalissima entis. Probo antecedens: illa ratio haberet sua prædicata essentialia propria ipsius, ex vi quorum constitueretur: ergo ratione sui haberet essentiam condistinctam ab essentia entis rationis: ergo ratione sui haberet aptitudinem ad existendum, in qua consistit ratio entis: ergo ratione sui, & non ratione entis formaliter distincti esset ens: ergo non esset ratio superaddita enti, sed transcendens formalissimam rationem entis, & ab hoc ex parte obiecti formaliter indistincta. Respondebis rationem formalem vnius non posse præscindi obiectiuè à ratione entis, posse tamen præscindi rationem entis à formali vnius, sicuti in eodem ente respectu suarum differentiarum secundùm multorum sententiam contingit, in quibus datur præcisio non mutua, ens enim præscinditur à differentiis & potest concipi sine illis, differentiæ autem non possunt præscindi ab ente, non enim potest concipi differentia constitutiua substantiæ, & accidentis, & contractiua entis, quin concipiatur in ipsa ex parte obiecti ratio entis, quam contrahit, licet possit concipi ratio entis, quin concipiatur aliqua differentia substantiæ, vel accidentis, per quam potest contrahi. Contrà: ideò ens præscinditur à differentia, etiamsi differentiæ non possint ab illo præscindi, quia ens potest separari à quacumque differentia, per quam potest contrahi, & indifferens est vt contrahatur per differentias substantiæ, & separetur à differentia accidentis, vel contrahatur per differentiam accidentis, & separetur à differentia substantiæ: sed ens non est separabile ratione vnius, neque est contrahibile per vnitatem, & per negationem vnitatis: ergo non ex eo, quod ens sit præscindibile à differentiis poterit præscindi à ratione vnius. Deinde si ratio formalis vnius includit rationem entis, in illa ratione est inclusum ex parte obiecti totum id, quod dicit *ens vnum* pro materiali, & pro formali: ergo absque fundamento constituitur ex parte obiecti alia ratio enti, cui aduenit ratio

formalis

formalis vnius,& ipsa formalis ratio entis.Si redeas iterum ad differentias entis, quæ simul cum eadem ratione entis, quam transcendunt, enti adueniunt, vt constituant substantiam vel accidens, redibit iterum assignata disparitas, ex indifferentia, quam habet ens vt contrahatur, & non contrahatur,per quamcumque differentiam,à qua potest separari,quæ indifferentia fundamentum tribuit præcisioni entis à suis differentiis, quod non reperitur vt præscindatur à ratione *vnius*.

6 Secundò ex parte ipsius entis, quod opposita sententia dicit præscindi à ratione formali vnius probo repugnare hanc præcisionem,& formaliter in illa ratione entis quantumuis mente præscindatur, permanere rationem formalem *vnius*. Instauro argumentum, quod suprà constitui ad probandum rationem *vnius* non dicere aliquid realiter superadditum importare rationi entis, quod neque per rationem quid superadditum importare euincet. Conceptus cuiusvis entis, v.g. conceptus essentialis, & constitutiuus hominis ab omni alio præcisus, & quocumque positiuo superaddito dicit entitatem hominis, quæ per se est animal rationale à se indistinctum, & per suammet entitatem non habet esse equum, sicuti habet esse hominem : ergo per suammet entitatem habet esse hominem, & non esse aliud ab homine, seu habet esse hominem, & non habet esse aliud ab homine : ergo per suammet entitatem habet esse vnum, quod tantùm importat ens esse ipsum, & non aliud ab ipso. Confirmatur : hoc quod est esse hominem est quid positiuum, vt omnes admittunt, sed posito illo conceptu positiuo, per quem constituitur homo, quantumuis re & ratione præscindantur omnes alij positiui conceptus, permanebit homo, qui sit verus homo,& qui non sit equus, nec leo : ergo permanebit homo idem secum,& non idem cum alio, quod est formaliter esse vnum. Idem dico de quacumque alia entitate de Petro v.g. qui ex vi formalitatum positiuarum, per quas constituitur in esse Petri, quibuscumque aliis positiuis vnitatibus seclusis, erit Petrus, & non erit Ioannes : ergo erit idem secum, & non idem cum alio, in quo formaliter consistit formalissima vnius ratio. Secundò, ratio formalis vnius, & ratio formalis entis sunt reales, & formaliter distinctæ : ergo sunt entia formaliter, seu per rationem distincta in ratione talium entium, non verò in ratione entium, cùm vtraque sit ens: ergo neutra illarum est ens vt sic. Probo consequentiam: ratio entis, vt sic, non dicit rationem talis entis vt condistinctam ab alia : sed ratio entis, cui competit vnitas, vt proprium attributum dicit rationem talis entis, vt condistinctam ab alio ente, videlicet à ratione formali vnitatis, quæ est ens : ergo vnitas non afficit ens vt sic,sed tale ens condistinctum ab alio ente, videlicet à ratione vnitatis, quæ est tale ens : ergo vnitas non est passio,seu attributum entis, sed talis entis. Confirmatur : quod est attributum entis debet esse attributum cuiuscumque entis : sed illa ratio vnius præcisa non est attributum sui ipsius, quæ est ens: ergo alicuius entis non est attributum. Rationem entis dicere formaliter formalitatem positiuam distinctam à ratione vnius, est conclusio, quam impugnamus, dicere rationem talis entis infertur manifestè.quia vbi est distinctio inter ens, & ens, est differentia vtriusque, ex vi cuius vnum differt ab alio : ergo est tale ens constitutum per talem differentiam : ergo quando intelligitur vnitas afficere ens ab illa formaliter distinctum, intelligitur afficere ens constitutum per illam differentiam, ex vi cuius differt ab vnitate:ergo intelligitur vt tale ens:ergo vnitas nona ficit ens; sed tale ens : ergo non est passio entis;sed talis entis.

7 Tertia Conclvsio. *Vnum* non addit supra ens relationem identitatis eiusdem ad se ipsum, neque quidquam aliud rationis figmentum. Probo : vnitas non concipitur instar formæ relatiuæ, sed absolutæ : ergo non dicit formaliter relationem rationis. Secundò, quia hoc quod est Deum esse vnum (idem intellige de quocumque ente creato) est quid reale, & à parte rei existens : nullo enim figmento intercedente verum est dicere *Deus est vnus* : *Petrus est vnus* : ergo vnitas non consistit in relatione rationis. Tertiò : relatio identitatis,quæ per rationem fingitur eiusdem ad se ipsum, fundatur in vnitate : ergo priùs est ens esse vnum, quàm habere relationem identitatis.Probo antecedens : ideo refero ego Petrum ad se ipsum relatione identitatis, & ad Ioannem relatione diuersitatis (loquor de relatione identitatis, & diuersitatis secundùm differentiam individualem) quia apprehendo Petrum esse vnum indistinctum in se, seu à se, & Petrum, & Ioannem non vnum, sed plura : ergo relatio identitatis fundatur in vnitate, sicuti relatio diuersitatis in pluralitate : ergo sicuti prius est esse plura, quàm diuersa, prius est esse vnum, quàm relatum relatione diuersitatis. Aduertas me non negasse vnitatem consistere in identitate rei secum ipsa, sed in relatione identitatis, quia relatio identitatis est figmentum, quod non pertinet ad constitutionem vnitatis realis, identitas verò non per modum relationis, est ipsa entitas, quæ eadem dicitur, à qua formaliter non distinguitur, si vt est in se apprehendatur, neque constituit specialem formalitatem ; sed transcendit omnes, quæ in re sunt, ideo de entitate sicuti de ente eodem modo ferendum est iudicium.

§. II.

Quam indiuisionem entis dicat formaliter ratio vnius.

8 *Vnvm* dicere negationem diuisionis constans est inter omnes Theologos & Philosophos. Extant pro hac re illustria testimonia Philosophi, & Doctoris Angelici: sic enim Philosophus 5.Metaph.c.6.*Vniuersaliter autem quæcumque non habent diuisionem, quatenus non habent eatenus dicuntur.* Quibus verbis expresè docet omne ens esse vnum quatenus non habet diuisionem seu quatenus est indiuisum. Et Doctor Angelicus 1. part.quæst.11. art.1.in corpore,sic scripsit : *Vnum nihil aliud significat quàm ens indiuisum*, idem repetit quæst.9.de potentia art.7. circa finem corporis,vbi hæc habet : *vnum, quod conuertitur cum ente, addit supra ens negationem diuisionis : non quod significet ipsam indiuisionem tantum, sed substantiam eius cum ipsa : est enim vnum idem, quod ens indiuisum. Patet ergo quod vnum quod conuertitur cum ente, ponit quidem ipsum ens, sed nihil superaddit nisi negationem diuisionis.* Dabo postea innumeros authores, qui id supponunt disputantes, an diuisio, quam includit vnum, sit negatio diuisionis in se,vel negatio diuisionis à se. Verumtamen in his, qui hanc negationem diuisionis rationem esse constitutiuam vnius affirmant, adhuc dissidium est, an *vnum* addat aliquid negatiuum supra rationem positiuam entis, an tantùm eiusdem rationem positiuam importet, quia de eadem negatione diuisionis quæstio est, an sit formaliter quid negatiuum,an verò sit formaliter aliquid positiuum negatiuè tantùm consideratum.

9 Si definiamus, an negatio diuisionis, quam importat *vnum* sit aliquid positiuum, vel negatiuum, omnium consensu definitum erit, an *vnum* pro formali quid positiuum, vel quid negatiuum dicat ; cùm enim in hac diuisionis negatione ratio *vnius* sit constituenda, si dixerimus hanc esse quid negatiuum, dicendum necessariò erit *vnum* addere supra ens rationem aliquam negatiuam ; si verò concludamus hanc negationem diuisionis formaliter esse quid positiuum negatiuè tantum consideratum, absque dubio tenendum est *vnum* nihil negatiuum addere supra ens, & cùm dixerimus nihil positiuum realiter, neque ex parte obiecti per rationem distinctum addere, dicendum erit *vnum* non dicere supra ens rationem aliquam ab illo realiter distinctam, neque per rationem ab ipso ex parte obiecti præcisam. Cæterùm ne incassum, vt multis in hac re accidit, longa instituatur disputatio, antequàm definiam, an hæc diuisionis negatio sit quid positiuum, vel negatiuum, sciendum est, an hæc negatio, quam includit *vnum*, & de qua debemus disputare, sit negatio diuisionis in se, vel à se. Negatio diuisionis à se, est negatio illa ex vi cuius idem indiuisibiter sumptum à se ipso diuisum non est, v.g. negatio, qua Petrus non ita à se diuidatur, vt idemmet sit alius à se ipso, quia si eodemmet Petro permanente, Petrus esset Ioannes, conciperetur quasi diuisus in Petrum, & Ioannem, & non tantùm esset vnus, sed multiplex,esset enim vnus, qui modò est, & esset alius,qui modò non est. Sic negationem diuisionis à se explicuit Caietapud D. Thomam 1. part.quæst.11.art.2.§.*ad hoc dicitur*. vbi dixit extrema diuisionis à se esse hoc, & non hoc. Negatio diuisionis in se dicit rem non ita esse diuisam vt resoluatur in membra aliqua diuidentis, ita vt ipsa non permaneat, sed membra illa diuidentia, in quæ fuit diuisa. In rebus compositis ex partibus distinctionis facilè diuisionis negatio intelligitur, hominem enim esse in se indiuisum, dicit non esse diuisum totum, quod modò est in materiam, & formam, quibus constat, quam si pateretur diuisionem in se diuisus diceretur homo, quia veluti in se diuisionem pateretur,

pateretur, ex vi cuius desineret esse, & partes illæ, quibus constabat, permanerent inter se diuisæ; tunc autem non diceretur homo à se diuisus, quia non maneret idem in plures multiplicatus, potiùs nullo modo maneret. In entitatibus simplicibus difficiliùs percipitur hæc negatio diuisionis in partes, quia cùm entitas simplex v.g. Angelus non habeat partes, ægrè in illo concipimus diuisionem Angeli in se, & negationem huius diuisionis, quæ non potest concipi, quin concipiatur prius diuisio cuius est negatio. Verumtamen, adhuc in Angelo, hæc negatio diuisionis intelligenda est, quia non ex eo quod non sit capax diuidendi in partes, quibus caret, incapax est habendi negationem huius diuisionis, potiùs quia incapax est talis diuisionis concipiendus est cum repugnantia ad talem diuisionem, quæ repugnantia dicit negationem diuisionis: repugnantia enim alicuius rei dicit negationem necessariò existentem, & indefectibilem rei cuius est repugnantia. Huius conditionis est negatio, quam in quolibet ente concipimus diuisionis à se, quia nullum ens est capax diuisionis à se, vt acutè notauit Heru. quodlib.4.q.1.§.*secundò videndum.* Vbi dixit negationem diuisionis à se esse negationem entis possibilis, quod non obstat in quocumque ente contemplemur negationem diuisionis à se, sed etiam in simplicissima entitate, veluti in Angelo possumus considerare negationem diuisionis à se, ex vi cuius idemmet vnus Angelus non fit plures Angeli, & non diuiditur in ipsum, qui antè erat, & in alium qui non erat, & negationem diuisionis in se quatenus non diuiditur physicè in gradus metaphysicos, quibus constat, vel in duas quascumque medietates, in quas indiuisibilis est, quia medietatibus caret. Ex his habes negationem diuisionis à se semper esse negationem diuisionis impossibilis, & negationem diuisionis in se in entibus compositis, esse negationem diuisionis possibilis, & in entibus simplicibus esse negationem diuisionis impossibilis.

10 *Vnum* dicere diuisionem entis in se fert cõmunis Theologorum sententia; Ita D.Th. pluribus in locis, ex quibus nonnulla testimonia desumam ad hanc conclusionem stabiliendam: & Durand. in 1.dist.24.q.1.n.12. & Greg. de Arimino, q.1.art.1.in 1.Aureol. in 1.dist.8.q.3.art.2. P.Fasol. sup. dub.7. P.Soar.n.13. vbi asserit omnes in hac conuenire. Nihilominus oppositam sententiam defendunt Caietanus §.*ad hoc dicitur* suprà citato, Gillius lib.2.tract.3.c.3. Nazar. art.2.dubit.vltim. & Contr.vnic.§.*sed quantum*, qui asserunt non dicere diuisionem entis in se, sed à se, & referunt pro sua sententia Ægid. Heru. Bassol. Ocham Gabr. & Marsil. quos pro oppositа interpretatur Fassol. suprà, Capreol. Gab. & Soncin. apud Soar. suprà, docent vnum non solùm dicere negationem diuisionis in se, sed etiam negationem diuisionis ab alio, à quibus non omnino dissentit Soar. Sit

11 Prima Conclvsio. *Vnum* dicit formaliter diuisionem entis in se; quam stabiliat authoritas Doctoris Angelici q.9. de potentia art.7. in fine corp. vbi hæc habet: *Vnum addit supra ens negationem secundùm quod aliquid est indiuisum in se*, & dist.19. q.4. art.1. ad 2. definit: *vnum esse quod est indiuisum in se, & ab aliis.* & paulò pòst: *ipsa essentia creati secundum quod est indiuisa in se, & distinguens ab aliis est vnitas eius.* Ratione facilè nostra probatur conclusio. Per diuisionem intelligimus vnum ens fieri plura, & ex diuisione præcisè resultat pluralitas: ergo per negationem huius diuisionis rectè intelligitur ens fieri vnum, & non plura.

12 Segvnda Conclvsio. *Vnum* formaliter non dicit esse diuisum ab alio, quatenus diuisio hæc connotat terminum existentem, seu dicit relationem inter vtrumque terminum existentem: Ratio est manifesta. Hæc diuisio supponit vnum, & aliud: ergo supponit duplicem vnitatem & duplex *vnum* iam constitutum: ergo non potest pertinere ad constitutionem *vnius.* Secundò hæc diuisio ab alio dicit pluralitatem. Sed priùs est vnitas, quàm pluralitas: ergo hæc diuisio non potest constituere vnitatem. Tertiò vnitas cuiuslibet entis est independens ab existentia aliùs cuiuscumque entis ab illo distincti: sed hoc ens non potest habere hanc diuisionem, nisi existeret aliud ens, à quo dicatur diuisum: ergo hæc diuisio non illud potest vnum constituere. Vltimò: ab æterno antequam existeret creatura aliqua Deus erat vnus, & tamen non habebat hanc diuisionem cum alio ente existente, quod non erat: ergo non est de ratione vnius habere hanc diuisionem, seu hanc distinctionem per modum relationis ab alio.

Tertia Conclvsio. Esse diuisum ab alio quatenus 13
præcisè dicit non habere identitatem cum alio, seu non esse aliud, siue detur aliud, siue non detur, eo modo, quo potest dici *Petrus non est equus*: vel *Petrus non est aliud à se, seu non est non Petrus*, conuenit omni enti, quatenus vnum est, & est de ratione constitutiua illius, æquè primò, ac est de ratione constitutiua eiusdem negatio diuisionis in se. Conuenire hanc rationem enti vni, vt vnum est probat Soar. suprà n.17. propendet tamen in sententiam asserentem hanc diuisionem ab alio, vni formaliter, & constitutiuè non competere, sed tantùm secundariò, & consequenter: ego tamen contendo primariò & constitutiuè illi cõpetere. In primis hanc conclusionẽ tradit Angelicus Doctor, qui non solùm per indiuisionem entis in se, sed à se quidditatẽ vnius explicauit in 1.dist. 24. quæst.1. art.3. ad 1.vbi dicit, *distinctionem, quam per negationem negat negatio importata in ratione vnitatis, esse quod vna res dicitur non esse alia*, quod est dicere diuisionem ab alia, & indiuisionẽ à se; & distinctione 19.quæst.19.art.1.ad 2.scripsit: *ipsa essentia creati secundum quod est indiuisa in se & distinguens ab aliis est vnitas eius*, quibus verbis postquam indiuisionem in se tanquam entis constitutiuum assignauerat, addit indiuisionẽ, seu diuisionem ab aliis per illa verba *& distinguens ab aliis.* Ratione conclusionem propugno. Non magis *minus* opponitur cum vnitate Petri Petrum esse non Petrum, quàm Petrum diuidi in suas partes: ergo sicuti de ratione vnitatis est Petrum non esse in suas partes diuisum, sic erit de ratione vnitatis Petrum non esse non Petrum, hoc est, non esse Ioannem, aut quoduis aliud ens, quod non sit ipse Petrus. Antecedens probo: si per impossibile Petrus esset Petrus, & esset non Petrus, hoc est, esset Petrus, & Ioannes, seu Petrus, & lignum; Petrus non esset vnus, sed plures: ergo de ratione formali constitutiua Petri in ratione vnius est non esse non Ioannem, seu non esse aliquod ens non Petrum. Antecedens probo: si per impossibile Petrus esset Petrus, & Ioannes, Petrus esset id, quod modo sunt Petrus, & Ioannes: sed modò Petrus & Ioannes sunt plures: ergo tunc Petrus esset plures: ergo non esset vnus. Consequentiam probo. Quotiescumque ex eo præcisè quod auferatur aliqua formalitas nullâ aliâ ablatâ, definit esse aliud, illa formalitas illius, quod definit esse, ad illius rationem constitutiuam pertinebat: sed ex eo præcisè quod deficiat in Petro, hoc quod est non esse non Petrum, etiamsi reliqua omnia remaneant, deficit Petri vnitas: ergo Petrum non esse non Petrum, hoc est non esse aliud, quod non sit ipse Petrus, est de essentia vnitatis Petri, & ad metaphysicam constitutionem essentiæ talis vnitatis spectat.

Probat ratio facta hanc diuisionem ab alio esse essentialẽ 14
vnitati, verumtamem adhuc explicandum restat, an non solùm sit essentialis, sed vltimò vnitatis constitutiua, vt propria illius differentia, sicuti rationale est hominis constitutiuum, an verò se habeat veluti prædicatum genericum, quod aliis commune sit, sicuti animal est de essentia hominis, & tamen commune est equo. Ad decisionem huius difficultatis scire oportet, quid sit prius in ente vnum esse indiuisum in se, seu non esse idem cum alio, vt ex hoc inferre possimus, ex his duobus prædicatis, quod se habeat per modum generis contrahibilis, & quod per modum differentiæ contrahentis. P. Soar. suprà ideo propendet in sententiam negantem ens non esse aliud, non esse constitutiuum vnius, existimat vni consequẽter competere, & ita in sententia huius Doctoris dici non poterit hoc quod est ens non esse aliud, esse quid præcedens, aut pertinens ad differentiam constitutiuam vnius. P. Fasol. suprà asserit rationem istam præsupponi ad rationem vnius, quia communis est enti vni, & non vni, aceruus enim lapidum non est vnus, & tamen habet hoc quod est non esse non aceruum, seu non esse aliud distinctum ab aceruo lapidum. Vnde iuxta principia P.Fasol. potius ratio ista non essendi aliud ad rationem genericam multis communem, quàm ad specificã vnius constitutiuam spectabit.

Censeo vtranque rationem, videlicet hoc ens non esse 15
in se diuisum, & non esse aliud esse transcendere quancumque rationem constitutiuam entis, & imbibi in quibuscumque differentiis, & ita neutram illarum posse dici priorem, aut posteriorem, sed vtramque mutuò inter se, & entis cuiuscumque transcendentem. Indiuisionem in se esse transcendentẽ quodcumq; constitutiuum rei sic probo.

Illud

Illud quod est diuisum non est : ergo esse cuiuscumque rei dicit indiuisionem illius. Consequentia est legitima. Antecedens probatur : Diuisio est destructio diuisi, seu illius quod diuidi dicitur, eo enim ipso quod diuidatur homo in materiam, & formam, iam non remanet homo, sed remanent materia, & forma, ex quibus componebatur, idémque contingit in diuisione integrali etiam totius homogenei, quia eo ipso quod hæc aqua, quæ antea erat vnita, diuidatur, iam non remanet hæc aqua, quę antea erat sed duplex pars aquæ, ex quibus componebatur, quæ non iam partes, sed tota denominatur : ergo diuisio dicit non esse cuiuscumque rei, cui contingat : ergo esse cuiuscumque rei dicit non esse diuisionis : ergo non diuisio est transcendens quodcumque esse, & quodcumque constitutiuum rei. Confirmatur : non diuisio entis compositi dicit illius vnionem ; non diuisio entis simplicis dicit illius simplicitatem, seu idemtitatem prædicatorum : sed vnio est constitutiuum cuiuscumque entis compositi, & simplicitas, vel inseparabilitas, seu identitas prædicatorum in ente non composito est transcendens illius constitutiuum : ergo non diuisio est de ratione constitutiua cuiusvis entis. Antecedens probabo Controu. 3. Punct. 1. vbi ostendam non diuisionem importare aliquid positiuum. Aliam partem conclusionis, videlicet ens non esse non ens, transcendere quodcumque constitutiuum, sic probo. Petrum non esse non Petrum formaliter nihil aliud est quàm Petrum negatiue significatum. Sed Petrum esse Petrum est transcendens, seu idem formaliter cum constitutiuo Petri : ergo ens esse non ens est transcendens constitutiuum entis, seu est ipsum constitutiuum entis negatiuè significatum. Eádem ratione, quâ dico Petrum non esse non Petrum, seu Petrũ esse non Ioannem, & non lignum, &c. esse idem formaliter ac Petrum esse, potest exemplum adduci in quibuscumque aliis prædicatis, v.g. in animali, de quo eodem modo affirmo animal non esse non animal, seu animal esse non lignum, & non petram, &c. esse idem, ac animal esse animal. Antecedens probo : hæc propositio Petrus non est non Petrus, seu Petrus est non lignum, non lapis &c. non significat Petrum esse aliquam negationem, seu Petrum esse non esse Ioannis ; falsum est enim Petrum esse negationem Ioannis aliúsue entitatis positiuæ, seu esse non esse Ioannis, quod importat esse negationem Ioannis, quia idem sunt negatio Ioannis, & non esse Ioannis ; sed esse aliud à Ioanne, seu aliquid, quod non est Ioannes, videlicet esse Petrum, qui Petrus Ioannes non est. Ob hanc rationem acutè notauit Heru. quodlib. 4. quæstione prima, §. *secundum videndum*, extrema indiuisionis à se, quæ prædictis propositionibus importantur esse ipsa tota bis ab intellectu repetita, semel positiuè, & iterum negatiuè ; sic cùm dicimus, *Petrus est non Petrus*, Petrus, qui ponitur ex parte subiecti, idem formaliter ex parte obiecti post plures negationes ex parte prædicati negatiuè significatus iterum ponitur : Similiter eùm dicimus *Petrus est non Ioannes*, idem Petrus, qui ex parte subiecti ponitur positiuè significatus absque alia formalitate ex parte prædicati negatiuè significatus repetitur, illud enim *non* præsupposito prædicato, non negat ; sed infinitat, hoc est facit subiectum significare totum illud, quod distinguitur à significato vocis, cui adiungitur, ita vt hæc propositio *Petrus est non Ioannes* in hanc resoluatur, Petrus est hoc, vel illud, sub disiunctione recensendo omnia, Ioanne dempto : & ita de vno Petro verificatur, & inspecto prædicato verificationis, Prædicatio illa *Petrus est non Ioannes* eadem est cum ista *Petrus est Petrus*.

16 Ex his inferes de ratione *vnius* esse negationem diuisionis, quia de ratione *vnius* est non esse aliud, quod est esse diuisum ab alio, quod non est ipsum, & esse ipsũ, quod importat non esse diuisum à se, quod necessariò est, seu cũ quo identificatur : itaque Petrum non esse non Petrum dicit Petrum non esse Ioannẽ, quod est esse diuisum à Ioanne, & esse ipsum Petrum, quod est esse indiuisum ab ipso Petro, qui de eodem Petro per identitatem prædicatur.

17 Restat satisfacere Patri Fasol. arguenti : Indiuisio à se conuenit acerno lapidum, qui non est vnus, sed plures lapides : ergo indiuisio à se non est constitutiuum *vnius*, quia conuenit enti non vni, quod dici non poterit de indiuisione in se, nullum enim ens poterit assignari in se indiuisum, quod vnum non sit. Respondeo hoc argumento probari indiuisionem à se non esse rationem adæquatè constitutiuam *vnius*, siquidem ipsa sine alia sufficiens non est ad vnum constituendum, non verò posse probari ex illo non esse rationem inadæquatè constituentem vnum formaliter vt vnum, non enim valet consequentia : posita hac negatione non resultat *vnum* : ergo hæc negatio non est ratio constitutiua, neque adæquata, neque inadæquata *vnius* : ratio enim constitutiua inadæquata cuiusvis concreti potest existere, absq; eo quod resultet concretum ex defectu alius rationis inadæquatæ, cum qua concretum constituit, sicuti de facto existit anima rationalis absque eo quod hominem constituat, non adhuc ex defectu alius compartis, sed tantùm ex vnionis defectu. Ad illud quod dicitur, videlicet nunquam dari indiuisionem entis in se, quin detur vnum. Respondeo id non contingere, quia indiuisio entis in se sufficiens sit constituere *vnum* absque indiuisione entis à se, sed quia indiuisionẽ entis in se semper comitatur indiuisio entis à se, quin hæc ab illa aliquando separetur. Ex quo fit dari vtramque indiuisionem, quando datur indiuisio entis in se, & consequenter dari *vnum* per vtramque indiuisionem formaliter constitutum. Addo, aceruo lapidum, & cuicumque alij enti per accidens non per se competere indiuisionem entis à se, sed ratione singularium lapidum, quos in se continet, quia enim omnis lapis in aceruo contentus est à se indiuisus, & diuisus ab omni lapide, qui non est ipse, & consequenter ab omni lapide pertinente ad alium aceruum, sit hunc aceruum lapidum ratione singularium lapidum, quos continet, habere indiuisionem non illi primariò, & per se conuenientem, sed lapidibus, quos in se continet, quorum quilibet suam habet vnitatem. Ex quo fit omne ens, cui per se, & primariò conuenit indiuisio à se esse propriè, & formaliter per se vnum, quia etsi aceruus lapidum propriè, & formaliter non sit vnum per se, non illi primariò, & per se competit indiuisio à se, sed secundariò ratione lapidum, quos absque vlla physica vnione in se continet.

Obiicit P. Fasol. Indiuisio entis à se est negatio diuisionis impossibilis : ergo non potest consistere in illa ratio *vnius*. 18 Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia indiuisio entis in se in ente simplici, seu non composito est negatio diuisionis entis impossibilis, vt suprà dicebam, & nihilominus pertinet ad rationem constitutiuam *vnius*.

§. III.

An indiuisiones, per quas formaliter constituitur vnum, *importent aliquid positiuum.*

EXplicaui iam quas indiuisiones, seu quarum diuisionum negationes includat ens, explicandum est modò an hæ indiuisiones, seu negationes diuisionum importent aliquid positiuum. 19

Indiuisionem, seu indiuisiones, ex quibus formaliter constituitur ratio vnius importare quid in se formaliter negatiuum defendunt P. Soar. in Metaph. disp. 4. sect. 1. n. 11. P. Fasol. 1. part. quæst. 12. art. ... dubit. 7. & 8. P. Arr. disp. 1. sect. 3. subsect. 3. num. 37. & ferè omnes Thomistæ existimantes *vnum* addere supra ens aliquid negatiuum formaliter. Indiuisionem, per quam ens constituitur, non dicere aliquid formaliter negatiuum, sed positiuum negatiuè significatum, defendunt P. Vasqez 1. part. disp. 128. cap. 2. & P. Hurt. disp. 4. sect. 1. n. 16. qui asserunt vnum formaliter dicere quid positiuum nullo negatiuo importato. 20

Indiuisionem entis à se, qnæ est diuisio eiusdem entis ab alio importare quid positiuum probaui §. præcedenti, & fatentur omnes, authores enim, qui vnitatem in aliquo negatiuo constituunt, asserunt hoc esse indiuisionem entis in se, quam tantùm ad rationem formalem vnitatis pertinere plerique defendunt. Censeo tamen hanc diuisionem entis in se, & diuisionem eiusdem ab alio, quæ formaliter idem sunt, posse considerari respectu contradictorij eiusdem entis, & respectu aliorum entium ; exempli gratiâ, Petrus diuisionem habet à suo non esse, quatenus Petrus non est sui non esse, seu non est negatio sui, & idem Petrus diuisionem habet respectu Ioannis, quatenus Petrus non est Ioannes, & quatenus est non Ioannes, quod est formaliter idem, ac esse Petrum, vt dicebam suprà, propter quam rationem defendimus Petrum esse indiuisum à se, esse idem ac esse diuisum ab alio, esse enim indiuisum à se dicit esse ipsum, & diuisum ab alio dicit non esse aliud, seu esse non aliud, & cum Petrum esse ipsum, seu esse Petrum, sit idem ac esse non aliud, seu esse non 21

Ioannem

Ioannem, fit esse idem Petrũ esse indiuisum à se & diuisum ab alio. Diuerso tamen modo dicit Petrus diuisionem à suo contradictorio, quàm à reliquis obiectis, quia respectu sui contradictorij, non solùm est non illud, sed etiã est non esse illius, respectu verò aliorum obiectorum tantùm habet ens esse non illa, non tamen est illorum non esse: rem declaro, & probo. Petrus, & negatio Petri mutuò opponuntur tanquam esse, & non esse, negatio enim Petri est non esse Petri, & Petrus est non esse suæ negationis, negationis enim non datur negatio, sed per ipsum habitum destruit, & sicuti esse negationem Petri est non esse Petrum, sic esse Petrum est non esse negationem Petri. Ex quo infertur quodlibet ens esse diuisum per suammet entitatem à suo contradictorio, non solùm vt non illud, sed etiam vt non esse illius. Respectu aliorum obiectorum ens per se ipsum tantùm habet non esse illa, & esse non illa, non tamen habet esse non esse illorum; homo enim non est equus, & est non equus, non tamen est non esse equi; neque homo & equus opponuntur tanquam esse, & non esse, quia homo, & equus coexistunt, & posito homine non aufertur equus, aut è contrà: esse autem, & non esse cuiuscumque entis coexistere nequeunt, & vno posito formaliter per positionem illius aufertur alterum.

22 Negationem diuisionis in se, quam dicit ens formaliter vt vnum non esse quid negatiuum, sed quid positiuum negatiuè significatum, sic probo. Diuisio entis in se dicit negationem: ergo carentia huius diuisionis dicit habitũ positiuum, quod opponitur cum hac negatione. Consequentia est bona, quia carentia diuisionis est non esse diuisionis: ergo si diuisio est negatio, carentia diuisionis erit non esse negationis: sed non esse negationis est quid positiuum, quia negationis non datur negatio, aliàs in infinitum procederetur, sed ipsum habitum positiuum est non esse negationis: ergo carentia negationis est quid positiuum. Confirmatur exemplo cæcitatis, quæ est quid priuatiuum, cuius non esse est quid positiuum, videlicet potentia visiua, cuius cæcitas est priuatio, & ideo hominem non esse cæcum idem est ac hominem esse potentem videre. Primum antecedens, videlicet diuisionem entis in se dicere negationem, sic probo. Diuidi in se ens compositum, seu vnitum nihil aliud est, quàm destrui vnionem, quæ est inter illius extrema, eo enim ipso quod desinat esse vnio inter partes cuiuscumque compositi, siue essentialis, siue integralis dicetur tale compositum diuisum in partes illas, quarum vnio fuit corrupta: ergo compositum diuidi nihil aliud est quàm vnionem corrumpi: ergo præcisè per negationem vnius intelligitur totum compositum diuisum in se: ergo non esse huius negationis erit non esse diuisionis: sed non esse talis negationis dicit quid positiuum: ergo non esse diuisionis dicit quid positiuum: ergo ens non esse diuisum, seu esse non diuisum in se dicit formaliter esse vnitum, quod est positiuum negatiuè significatum. In ente simplici, cuius diuisio in se possibilis non est, non ita clarè tradita doctrina cernitur, verumtamen de vtroque eadem est ratio, quam iam expendo pro ente indiuisibili. Angelum esse diuisum dicit carentiam identitatis prædicatorum, quæ continet, seu extremorum, in quæ diuisus diceretur, & carentiam vnionis physicæ inter eadem extrema: ergo identitas prædicatorum, & omnium formalitatum, quæ sunt in Angelo, est non esse carentiæ eiusdem identitatis, quam essentialiter diceret diuisio: ergo est non esse talis diuisionis, illud enim quod est non esse alicuius constitutiui, essentialiter est non esse totius constituendi, quia ad hoc vt non sit totum, sufficit non esse aliquod illius essentiale constitutiuũ, etsi adsint reliqua; sic non esse vnionis, dicitur non esse hominis, & non esse materiæ, aut non esse formæ eodem modo diceretur non esse hominis. Diuisionem Angeli in se dicere negationem identitatis, & negationem vnionis inter ipsa prædicata, sic probo. Diuisio inter prædicata Angeli, quæ de facto sunt idem, si de facto existeret, diceret inter ipsa prædicata, id quod dicit diuisio de facto existens inter materiam, & formam hominis emortui. Sed hæc diuisio dicit negationem identitatis, & negationem vnionis inter materiam, & formam: ergo illa diuisio diceret negationem identitatis, & negationem vnionis inter prædicata Angeli, quæ de facto sunt idem, in quibus tunc intercederet: ergo eo ipso quod sit non esse negationis identitatis, aut non esse diuisionis inter illa prædicata est non esse diuisionis inter ipsa, sed identitas, seu simplicitas prædicatorum, quæ sunt in Angelo est non esse negationis identitatis inter ipsa prædicata: ergo est non esse diuisionis eorumdem. Sed identitas prædicatorum, quæ sunt in Angelo, & simplicitas eiusdem Angeli, quæ ab identitate non distinguitur, est quid positiuum: ergo indiuisio Angeli in se ipso est quid positiuum. Confirmatur: magis opponitur cum diuisione prædicatorum, & magis remouet ab illa eadem prædicata identitas, & simplicitas ipsorum, quàm vnio physica eorumdem; identitas enim, & simplicitas non solùm faciunt vnum indiuisum; sed indiuisum, & indiuisibile, est enim prædicatorum identitas, simplicitas eorumdem, seu rei constitutæ per illa strictior, & intimior nexus, quàm vnio; sed vnio & diuisio opponuntur sicut esse, & non esse: ergo simplicitas, seu identitas opponitur cum diuisione tanquam esse, & non esse. Confirmatur. Angelus indiuisibilis, & punctum indiuisibile quãtitatis per suasmet entitates habent esse indiuisibilia, & esse indiuisa: ergo per suasmet entitates habent carentiam diuisionis: ergo per suasmet entitates habent proprias vnitates absque alia negatione superadditã.

Respondet P. Soar. suprà n. 20. ex D. Thoma in 1. dist. 24. 23
quæst. 1. art. 3. negationem diuisionis dici negationem secundùm intellectum, quatenus iste potest super negationem reflectere; in re verò esse aliquid positiuum, vnionem videlicet, quæ opponitur diuisioni, in qua ratio vnitatis consistit. In hac solutione Angelici Doctoris doctrinam agnosco, ex quo sententiam quam defendo, illiúsque rationes desumpsi, ambabúsque manibus illam accipio, ea enim ad nostra castra aduersarios adducit, quia si nobiscum fateantur rationem vnius esse quid positiuum, concedere non recusabimus significari per modum entitatis negatiuæ, quatenus dicimus vnum esse non diuisum, & sicuti hoc nomen *diuisum* quid negatiuum instar positiui significat, sic nomen *indiuisum*, seu concretum hoc *non diuisum* quid positiuum instar negatiui significat.

Hanc solutionem ex propria sententia tantùm probabilem esse docuit P. Soar. renuit tamen validissimus miles, 24
& acerrimus propugnator veritatis quam sibi defendẽdam suscepit, propria castra ita apertè deserere, ideo solutionem aliam exhibuit, quâ prædicti argumenti impetus retunderet. Asserit sapientissimus Pater, lineas esse diuisas non esse negationem vnionis, sed quamlibet habere suum proprium terminatiuum, quo clauditur, & terminatur, per quod hæc linea est formaliter ab illa diuisa, sicuti illa per aliud simile continuatiuum constituitur ab hac formaliter diuisa, cui diuisioni opponitur carentia diuisionis, quæ vnionem constituit. Supponit hæc solutio dari hæc specialia terminatiua, quæ ego cum aliis plurimis non admitto? sed quidquid de hoc sit, his admissis terminatiuis solutionem impugno. Realiter ablatis, vèl mente præcisis his indiuisibilibus terminatiuis, ex eo præcisè quod hæ partes lineæ, quæ antea erant vnitæ, vnitæ non sint, linea est diuisa in partes, & quælibet pars alteri nõ vnita, est diuisa ab altera: ergo lineam esse diuisam non dicit formaliter illa puncta terminatiua; sed negationem vnionis, quam illa puncta terminatiua sequuntur. Ratio est, quia diuisum, & non vnitum suppositã existentiã extremorum vnibilium, sunt formaliter idem: sed non vnitum constituitur per negationem: ergo diuisum constituitur per eandem negationem. Deinde diuisum, & non vnitum, quæ sunt formaliter idem, necessariò habent eãdem formam contradictoriè oppositam: sed forma contradictoriè opposita non vnito est vnitum: ergo forma contradictoriè opposita diuiso est idem ac vnitum: sed vnitum est quid positiuum: ergo forma contradictoriè opposita non vnito, seu diuiso, est quid positiuum: ergo vnitum est non esse diuisum: ergo vnũ quod formaliter dicit non diuisum, dicit formaliter vnitum in entitatibus, quæ habent extrema vnibilia, & in entitate indiuisibili identitatem prædicatorum, seu simplicitatem rei, quæ est indiuisibilitas, & indiuisio eiusdem. Rursus eadem solutio locum non obtinet in compositis essentialibus, quia sicut vnitas compositi integralis opponitur cum diuisione eiusdem compositi integralis, & est non esse huius diuisionis, ita vnitas compositi essentialis opponitur cum diuisione eiusdem compositi essentialis in materiam & formam, & dicit non esse huius diuisionis: sed hæc diuisio totius in partes essentiales non dicit extrema aliqua positiua terminantia partes essentiales sed tantum negationem vnionis essentialis: ergo vnitas compositi essentialis, quæ importat non esse huius

diuisionis,importat non esse negationis vnionis:ergo importat ipsam vnionem positiuam, quæ est non esse negationis ipsius vnionis.

25 Aliter respondet P. Fasol.dubit.9. num. 3. vbi ait, diuisionem esse negationem plurium entium po itiuorum,quæ sint in se completa,& suis entitatibus terminata,de quibus verum sit dicere,hoc non est illud : vnitatem autem non negare diuisionem in quantum hæc est quædam negatio præcisè,sed etiam præcipuè negare entia positiua,quæ in diuisione continentur : esse enim vnum significat non habere in se plura positiua entia , quorum hoc non sit illud. Ne quid claritatis,aut efficaciæ solutioni adimerem, illam ad verbum ex Fasol. transcripsi, contra quam , non pauca mihi occurrunt.In primis falsum est diuisionem dicere negationem plurium entium , quæ in se sint completa,& suis entitatibus terminata , de quibus verum sit dicere, hoc non est illud , quia diuisio potius connotat , quàm negat plura entia, vt extrema diuisionis : diuisio enim est negatio vnionis inter extrema, quæ vnionem terminabant, & diuisione posita illam non terminant. Secundò dicit vnitatem non negare diuisionem in quantum est pura negatio , sed etiam, imò præcipuè, negare plura entia , quæ in diuisione continentur. Duo mihi in his verbis difficultatem ingerunt : primum est , vnitatem non negare diuisionem in quantum est negatio præcisè , ipse enim Fasol. nihil in diuisione constituerat, quod negatio non esset, asserit enim diuisionem esse negationem plurium entium positiuorum :ergo vnitas , quæ est negatio diuisionis nihil potest negare in hac, quod negatio non sit, in re enim purè negatiua nihil positiuum potest negari , quia illud quod in re non est , in ipsa negari nequit : illud positiuum quod vnitate negari dicit , videlicet plura entia, in diuisione non est , in sententia Fasol. quia diuisio est negatio plurium entium : in negatione autem nullo modo potest esse illud, quod negatur. Secundò contra eundem Fasol. ex eisdem verbis argumentum desumo. Diuisio est negatio plurium entium : ergo vnitas , quæ est negatio huius negationis non potest esse negatio eorumdem entium, negatio enim negationis negationem negat, supra quam reflectit, non id,quod prior negatio negabat, potiùs negatio negationis est positio illius , quod negatio negata negat , quâ ratione si diuisio est negatio plurium entium , plura entia erunt negatio negationis ipsorum entium, in qua consistit diuisio,sicuti cæcitas,quæ est negatio potentiæ visiuæ, habet pro negatione potentiam visiuam , quæ est negatio , seu non esse cæcitatis,& negationis , in qua consistit cæcitas. Rursus in sententia Fasol. vnitas est negatio plurium entium , & diuisio cuius vnitas est negatio , plurium entium : ergo diuisio , & vnitas sunt negatio eorumdem plurium entium:ergo sunt eadem negatio : ergo eadem negatio est negatio sui ipsius. Credo Amanuensis , vel Typographi incuria, verbum aliquod fuisse prætermissum , ex cuius defectu perfectum sensum non generant illa , quæ modò apud Fasol. legimus. Coniector ergo sensisse Fasol. diuisionem esse negationem vnionis plurium entium , quæ posita negatione diuisa supersunt : vnitatem verò non solùm esse negationem diuisionis , in qua formaliter consistit diuisio, sed etiam extremorum , quæ facta diuisione supererent , & ita non soldm esse negationem negationis, sed etiam positiuorum extremorum, quorum non esse, sed quorum negatio est quid negatiuum , quia negatio positiui pura est negatio : sic indicant verba illa : *Vnitas non tantùm negat diuisionem in quantum est negatio præcisè; sed etiam extrema positiua , quæ in diuisione continentur* , & hunc sensum perfectissimè reddent omnia verba Fasol. si vbi Typographus scripsit , *Respondetur diuisionem esse negationem plurium entium* , &c. legas , *esse negationem vnionis plurium entium* addendo vocabulum *vnionis*,quod mihi persuadeo fuisse omissum,quia illo posito reddunt perfectum sensum reliqua omnia , & exacta traditur diuisionis definitio.

26 Solutionem hanc , siue nobis verbis excitatam Fasoli, siue ab hoc traditam sic impugno. In primis ex illa infertur vnitatem esse negationem diuisionis extremorum, quæ est pura negatio, & ipsorum extremorum , quæ sunt entia positiua , ac proinde dicere duplicem negationem, quandam negationis , seu diuisionis , quæ in se positiua erit, quia negatio negationis necessariò dicit quid positiuum , aliam extremorum positiuorum , quæ sunt positiua & hæc erit pura negatio , quod contendit Fasol. & videtur tradere ex verbis D.Thomæ quodlibet.10.q.1.a.1. ad 3. *in ratione vnius includitur negatio negationis,& rei simul.* Ex quo infero absolutè dicendũ non esse vnionem importare aliquid negatiuum,sed importare aliquid positiuum & aliquid negatiuum , cùm enim importet duplicem negationem, quamdam negationis,quæ tantùm est negatio in modo significandi , & in re entitas positiua : & aliam extremorum positiuorum , quæ est negatio rei positiuæ , non est maior ratio , cur dicatur vnitatem importare aliquid negatiuum , quàm aliquid positiuum. Cæterum adhuc posset responderi , posse dari negationem ipsius diuisionis nullo importato positiuo , seu nulla entitate positiua existente , quia diuisio dicit duo , non esse vnionis positiuæ quod est quid negatiuum , & esse extremorum vnibilium quod est quid positiuum , sine quibus stare non potest diuisio, quia etiamsi detur non esse vnionis , si non detur vnibilia existentia , non dabitur diuisio , vt patet quando in eodem instanti desinunt vnio , & extrema vnita: tunc enim non dicitur totum diuidi , nec extrema diuisa dicuntur , sed destructa : nullus enim dicit diuidi calorem , quando omnes illius partes corrumpuntur, etiamsi illarum vnio corrumpatur , neque diceretur totum compositum diuidi , si in eodem instanti materia, forma,& vnio in nihilum abirent. Ex hoc infero posse destrui diuisionem præcisè per destructionem positiui,quod importat, destructio erit pura negatio, non posita vnione positiua, neque posita negatione negationis vnionis,quæ esset eadem positiua vnio , sicuti poneretur modò negatio diuisionis , quæ est inter duo ligna non vnita , præcisè per puram negationem lignorum , illis enim corruptis diuisa non maneret , & daretur negatio diuisionis ipsorum absque aliquo positiuo. Hac ratione posset dici vnitatem dicere negationem extremorum diuisibilium, quæ est pura negatio , & non esse diuisionis , quæ essentialiter dicit extrema positiua , ex eo enim præcisè quod non detur ens positiuum vnibile , quantumuis detur negatio vnionis , dabitur negatio diuisionis , in quo casu negatio diuisionis nihil positiuum importabit , vt satis explicatum est Ex hac doctrina ad argumentum in forma hac ratione respondetur. Diuisio est negatio vnionis , distinguo antecedens : negatio vnionis tantùm , nego: negatio vnionis , & positio vnibilium positiuorum, concedo : ergo non esse diuisionis est non esse negationis vnionis : distinguo consequens : est non esse negationis vnionis tantùm,nego consequentiam:est non esse negationis vnionis,vel non esse extremorum vnibilium , concedo consequentiam : ergo non esse diuisionis est non esse negationis vnionis,quod dicit formaliter vnionem positiuam distinguo consequens : est non esse negationis vnionis tantùm , seu necessariò , nego consequentiam: est non esse negationis vnionis,quod importat vnionẽ positiuá,vel non esse extremorum vnibilium , quod dicit negationem formalem,concedo consequentiam:ergo vnitas dicit quid positiuum,nego consequentiam, quia dicit non esse diuisionis non negando negationem vnionis,quod esset dicere quid positiuum, sed præcisè destruendo extrema positiua vnibilia,quod est quid negatiuum,in quo adæquatè potest consistere diuisio, quæ dicit non esse vnionis , & esse extremorum vnibilium , quia omne totum quod essentialiter dicit plura distincta adæquatè destruitur per destructionem cuiuslibet illorum,quæ essentialiter includit.

Hanc , si aliquam artiperem viam ad hanc sententiam defendendam , verumtamen non illam omnino tutam reperio : occurrent enim plura , quæ ab illa discedere cogent quemcumque rem attentè meditantem. In primis non inuenio, quæ sint illa vnibilia, quæ neget vnitas, ratione quorum diuisionem neget : quod enim ait Fasolus vnitatem negare plura entia , quorum hoc non sit illud, difficile admodum est, quia vnitas Petri non negat plura entia,quorum hoc nõ sit illud,neque sit idem Petrus quod est tantùm negare Petrum esse aliud à se,quod tantùm dicit Petrum esse ipsum Petrum,vt probaui suprà.Secundò, hæc negatio pluriũ entiũ, quorũ hoc non sit aliud, & sint vnum cum Petro dicit indiuisionem entis à se,quam docet Fasol.communem esse enti vni,& non vni, non dicit indiuisionem entis in se,quæ in sententia ferè omnium pertinet ad rationem vnius,& in qua Fasol.adæquatè rationem vnitatis constituit , quam indiuisionem non posse adhuc prædicto modo explicari sic probo. Indiuisio in se, quam dicit 27

dicit homo cõpositus ex materia & forma, dicit negationem diuisionis hominis in materiam & formam : ergo dicit & importat formaliter materiam,& formam hominis non esse diuisas : sed non potest importare formaliter hãc indiuisionem, seu hoc quod est materitm, & formam non esse diuisas importando negationem extremorum vnibilium:ergo necessariò importat hanc indiuisionem importando non esse negationis vnionis inter hæc extrema:ergo importando ipsam vnionem,quæ est non esse negationis vnionis, & entitas positiua formaliter pertinens ad rationem vnionis. Maior est omnino certa,quia præcisè ex eo,quod materia, & forma hominis diuiderentur præciso quocumque alio, non maneret vnus homo : idem dico de toto integrali, quod non maneret vnum si illius partes diuiderentur, quantitas enim in duo extrema diuisa non est vna qualitas : sed multiplex. Minorem probo : Homo vt vnus, & quodlibet totum essentialiter includit, saltem pro materiali,extrema, ex quibus componitur : ergo non potest importare indiuisionem sui,seu negationem diuisionis importando negationem extremorum,ex quibus idem totum componitur, aliàs totum vt vnum importaret negationem totius, quæ adæquatè sita esset in negatione cuiusque extremi vnionis,seu cuiusque partis,quam dicit:destructa enim quacumque parte totum quod illam includebat formaliter ex vi desitionis talis partis necessario desinit esse.

28 Denique si rectè expendantur omnia argumenta,quibus probauimus *vnum* non addere supra ens rationem aliquam positiuam,eodem modo concludunt, nullam addere negatiuam,quia omnis ratio, quæ in se formaliter sit negatio,non solùm formaliter, sed etiam realiter distinguitur ab ente positiuo, quia nullum ens positiuũ potest cũm negatione aliqua identificari. Sed omne ens secluso quocũque alio distincto realiter est vnum : ergo omne ens positiuum secluſa quacumque negatione est formaliter vnum. Minorem probo:distinctio vnius ab alio supponit vnitatem illius,quod ab alio distinguitur:ergo prius est ens positiuũ esse vnum, quàm distingui à negatione : ergo non potest constitui vnum per negationem à se distinctam. Secundò, omni negatione superadditâ seclusâ Petrus est Petrus, & est non Ioannes : ergo omni negatione superaddita secluſa Petrus habet esse indistinctum in se, & distinctum à quocumque alio:ergo omni negatione superadditâ seclusâ Petrus per suam entitatem habet esse vnũ. Tertiò,negatio ipsa habet suam vnitatem negatiuam absque alia negatione superadditâ,aliàs in infinitum procederetur:ergo sicuti negatio per seipsam habet suam negatiuã vnitatẽ, ita res positiua habebit per suam entitatẽ absque vlla negatione superadditâ suam positiuã entitatẽ.

§. IV.

Nonnulla corollaria, & exacta vnius transcendentaliter definitio.

29 EX his infero primò vnum non addere supra ens rationem aliquam neque positiuam,neque negatiuam realiter, neque formaliter ex parte obiecti distinctam, sed tantùm dicere eamdem rationem formalem entis distinctam formaliter ex parte actus modo negatiuo significatã. *Vnum* non addere supra ens rationem aliquam realiter, neque formaliter ex parte obiecti distinctam fusè probauimus:dicere rationem distinctam ex parte actus negatiuè significatam, extra controuersiam est, quia omnem rationem vnius per modum negationis significamus,& quia si vnum saltem ex parte actus ab ente non distingueretur non posset dici passio,seu attributum entis.

30 Infero secundò, *vnum* non esse definiendum *indistinctum à se,& distinctum à quolibet alio*,quia esse indistinctum seu indiuisum à se, & esse distinctum à quolibet alio sunt idem formaliter, idem enim est in Petro ipsum esse Petrũ, & non esse Ioannem,seu esse non Ioannem, vt sæpe dixi, & vtrumque importat indiuisionem entis à se,quæ formaliter non distinguitur à diuisione entis ab alio,quapropter definitio illa non dicit indiuisionem entis, quæ formaliter pertinet ad rationem constitutiuam vnitatis,sed bis repetit indiuisionem à se, semel per illa verba *indiuisum à se*, & iterum per alia *& diuisum à quolibet alio*,idem enim formaliter est,vt sæpe dixi,ens esse indiuisum à se,& esse diuisum à quolibet alio. Rectè *vnum* definietur *indiuisum in se, & diuisum ab alio*:quibus verbis definiuit vnum Angelicus Doctor in 1.dist.19.q.4.a.1.ad 2. Per priora verba definitionis explicatur indiuisio entis in se, & per posteriora indiuisio entis à se,seu diuisio ab alio.

31 Infero tertiò *vnum* in vniuersum esse idem, ac indiuisum,non tamen idem,ac vnitum,quia ens simplex, veluti Angelus,est vnum indiuisum,non tamen est vnitum, caret enim partibus secundum quas terminet vnionem. Dicit ergo *vnum* esse indiuisum,seu esse ens,quod non habeat partes diuisas,vel quia illis careat, veluti Angelus, vel quia illas habet vnitas,veluti homo, indiuisum enim dicit id, quod positiuè diuisioni opponitur, & huic æquè directè opposita est vnio partium compositi, & simplicitas entis, quod caret partibus,v.g.simplicitas, quam dicit Angelus & rationalis animus. Dixi indiuisum constituens vnitatẽ esse illud,quod positiuè opponitur diuisioni,quia nõ quodcumque non esse diuisionis,quod cum illa opponitur,constituit vnum,desitio enim extremorum vnibilium est non esse diuisionis,& cum illa opponitur, & tamen non constituit ens vnum,potiùs destruit ens,quod vnum erat constituendum,quia diuisioni non opponitur positiuè ponendo id,quod diuisio negat,videlicet vnionem, sed negando id,quod ponit,seu supponit diuisio,videlicet extrema vnibilia existentia in instanti,in quo diuisio existit.

32 Infero quartò,in entitatibus compositis,quarum vnitas vnionem importat, non sumi vnitatem formaliter tantùm ab vnione tanquam à forma, & ab extremis vnitis tãquam à materia, cui simul cum vnione contingat vnitas, sed indiuisibiliter à toto quod est vnitum,quatenus includit essentialiter extrema vnibilia,& ipsam vnionem,quod est sumi ab vnico substantiuè sumpto, hoc est à toto quod constituitur per extrema vnibilia,& per vnionem, quatenus ita est constitutum,& non ab vnito adiectiuè sumpto, quod sonat habens vnionem, & significat vnionẽ in obliquo,& illud quod illam vnionẽ habet in recto,in quo sensu impropriè valde,totum dicitur vnitum,quia totũ, quod dicitur vnitum non habet vnionem, sicuti lignum, quod dicitur album,habet albedinem, à qua adæquatè distinguitur,sed totum quod vnitum dicitur constituitur intrinsecè per ipsam vnionem, & ita substantiuè tantùm potest dici vnitum,hoc est constitutum per vnionẽ,& extrema vnionis possunt adiectiuè vnita dici,hoc est habentia, seu terminantia vnionem,à qua adæquatè distinguuntur. Vnitatẽ totius compositi non sumi formaliter ab vnione tantùm, sed à toto constituto per vnionem,seu ab vnito substãtiuè sumpto,sic probo. Vnitas non distinguitur formaliter ex parte obiecti ab ente,quod dicitur vnum : ergo vnitas materiæ sumitur formaliter à materia,à qua adhuc formaliter ex parte obiecti, non distinguitur, & sic vnitas formæ à forma,& vnitas vnionis ab vnione. Sed vnitas totius cõpositi nihil aliud est,quàm vnitas materiæ,& vnitas formæ & vnitas vnionis simul sumptæ : ergo vnitas compositi sumitur formaliter à materia,forma,& vnione,à quibus desumuntur vnitas materiæ,vnitas formæ,& vnitas vnionis, cum quibus vnitatibus formaliter idẽtificatur vnitas compositi. Vrgeo,& declaro eamdem rationem:vnio quâ posita resultat vnitas compositi, non dat vnitatem materiæ, neque formæ : neque materia, & forma habent diuersam vnitatem cum vnione, aut sine illa,sicuti neque diuersam entitatem habent:ergo materia, & forma, adhuc quando sunt in composito,retinent proprias vnitates independentes à composito,& ab vnione,quæ mediâ vnitate vnionis inter se vniuntur,& componunt vnam vnitatem totalem, seu adæquatam totius : ergo vnitas adæquata totius:compositi,quæ dicit vnitatem materiæ, vnitatem formæ, & vnitatem vnionis,desumitur formaliter immediatè à materia,forma,& vnione,à quibus formaliter ex parte obiecti non distinguitur.

33 Inferes quintò,partes vnitas, & non vnitas retinere eãdem vnitatem,& pluralitatem,& sicuti materia, & forma non vnitæ erunt plures, sic vnitæ eãdem retinẽt pluralitatẽ constitutã ex vnitatibus inadæquatis, quas tantùm habebant materia,& forma, dũ erant separatæ:cõponunt tamen vnam vnitatem adæquatam positâ vnitate vnionis, quod non dicit materiã,aut formã diuersam habere vnitatem,sed habere eamdẽ alteri vnitam,sicuti materiam, & formam componere totum,quod antea non componebãt, non dicit habere diuersas entitates, sed habere vnitas entitates, quas antea non vnitas habebant. In partibus integralibus homogeneis idem omnino contingit, licet in modo loquendi nonnulla sit differentia, quia sicuti

eadem aquæ portio vnita dicitur pars, & non vnita dicitur totum, sic eadem vnitas aquæ non vnita dicitur totalis vnitas & vnita alteri vnitati aquæ, partialis vnitas dicitur, & ita posità vnione inter vnitates non est pluralitas aquarum, neque vnitatum totalium aquæ, sed pluralitas partium, & vnitatum partialium aquæ. Nihilominus semper remanet eadem vnitas in qualibet aqua, seu in qualibet portione aquæ siue vnita, siue non vnita, & tantum extrinsecè differunt, ex eo quod vnitates, quæ non vnitæ dicebantur totales, & pluralitatem aquarum constituebant, vnitæ partiales appellantur, & non dicuntur constituere pluralitatem aquarũ, sed pluralitatem partium aquæ.

34 Inferes sextò, vnitates entium negatiuorum seu negationum, non aliquid positiuum importare, quia cùm vnitas non distinguatur ab ente, neque adhuc ex parte obiecti formaliter, quale est ens talis est vnitas illius. Hac ratione ens rationis suam vnitatem rationis quodam modo includit, sunt etiam aliqua entia positiua, quæ secundùm denominationem entium totalium negationem important, aqua enim & reliqua composita, quorum partes integrantes sunt eiusdem rationis præcisè per negationem vnionis cum extremo integrali eiusdem rationis dicuntur totalia: sic horũ vnitates dicuntur totales quando non sunt integraliter vnitæ cum aliis vnitatibus eiusdem rationis.

35 Infero septimò, *vnum*, & *ens* adæquatè conuerti tanquam passionem & essentiam, quia quodlibet ens habet esse à se indiuisum, & diuisum à quolibet alio; quo modo autem cum hoc stare possit diuisio entis in vnum & plura dicã §. 6. vbi de vnitate entis per accidẽs, seu multitudinis.

§. V.

Argumenta soluta.

36 OBicies: Ideo ens est vnum, quia est indiuisum in plura, quæ sunt adæquatè idem cum ipso: ergo ea indiuisio non consistit in vnione, sed in eo quod ens non sit multiplex. Respondeo non ideo præcisè ens esse vnum, quia non est diuisum in plura, quæ non sint adæquatè idem cum ipso, sed quia non est ita diuisum, & quia non est diuisum in partes, quæ inadæquatè ab illo distinguantur, quarum hæc vltima indiuisio dicit in ente compositio esse vnitum, & in non compositio esse simplex, seu indiuisibile, quæ omnia rectè explicantur per hunc terminum *indiuisum*, & aliquid positiuum important, quia indiuisio dicit rei simplicitatem, si res indiuisibilis sit, vel partes, & vnionem, seu vnitum substantiuè sumptum si res indiuisa sit compositia.

37 Obiicit secundò Arriaga: Pluralitas, & multitudo vnitatum non est carentia, sed potiùs est repetitio vnitatum: sed vnitas est carentia pluralitatis: ergo vnitas est carentia alicuius positiui: ergo est quid negatiuum. Ex eisdem principiis, quibus nos impetit Arriaga, illum aggredior: Pluralitas non est quid negatiuum, vt docet Arriaga: sed pluralitas tantùm est repetitio vnitatum: ergo vnitates seorsim sumptæ, seu quælibet vnitas vt distincta ab alia non est quid negatiuum. Probo consequentiam: ex repetitione negationum præcisè non potest fieri quid positiuũ, quia negatio negatione additâ non constituit aliquid positiuum, sed quoddam aggregatum negationum? sed præcisè ex repetitione vnitatum consurgit quid positiuum, videlicet pluralitas: ergo vnitates non sunt quid negatiuum, sed quid positiuum important. Dices vnitates esse quid negatiuum, repetitiones tamen earum esse quid positiuum. Contrà, repetitiones vnitatum, vel distinguuntur ab ipsis vnitatibus, vel non distinguuntur. Si distinguuntur, non pertinent ad pluralitatem, quia pluralitas tantùm dicit hanc & illam vnitatem: si non distinguuntur, sicuti vnitates sunt quid negatiuum, sic illarum repetitiones quid negatiuum erit identificatum cum ipsis vnitatibus. Secundò repetitiones vnitatum ab ipsis non distingui est omnino certum, quia repetitio vnitatum nihil aliud est, quàm hæc vnitas, & illa vnitas, eo enim ipso quod sit hæc, & illa vnitas vnitates repetitæ dicuntur.

38 Ad argumenti solutionem, scire oportet, quomodo vnitas, & pluralitas opponantur, & quam pluralitatem excludat vnitas. Ad duplicem pluralitatem potest comparari vnitas rei, v.g. vnitas Petri. Primò ad pluralitatem, quæ consurgit ex vnitate Petri, & ex aliis vnitatibus, v.g. ex vnitate Ioannis, & Francisci, ex quibus vna pluralitas assurgit. Secundò ad pluralitatem, quæ non assurgit ex aduentu aliarum vnitatum, sed ex destructione huius, verbi gratia, ad pluralitatem, quæ resurgeret ex indiuiduis adæquatis inter se distinctis, cum quibus Petrus esset idem, vel ad pluralitatem partium diuisarum, quæ resurgeret si Petrus modò ex materia, & forma compositus in vtramque diuideretur. Deinde potest duplex vnitas considerari: quædam *transcendentalis*, quæ competit omnibus rebus, alia *solitudinis*, qua non soldm ens vnum, sed vnicum, & solum esse dicimus, in quo sensu dicimus Deum esse vnum, & Solem esse vnum, quia nego possibilis alius Deus distinctus à Deo Optimo Maximo, qui de facto existit, & non est existens alius Sol distinctus à Sole, quem in hoc hemisphærio conspicimus. Hæc solitudinis vnitas semper dicit negationem aliús entitatis eiusdem rationis, cum illa, quæ dicitur vnica secundùm illam rationem, quâ vnica, seu sola denominatur. Sic in hoc sensu Solem esse vnum dicit negationem aliús Solis; & me esse vnum, seu vnicum in hoc gymnasio dicit negationem aliús hominis existentis in hoc gymnasio. Dicit hæc vnitas tam in ente creato, quàm increato negationem aliius entis similis modo suprà explicato, cum hac tamen differentia, quod negatio ista necessariò coniungenda est cum ente increato; repugnat enim Deum alium existere, ac proinde hæc vnitas solitudinis, licet dicat negationem aliús Dei extrinsecam Deo, necessariò est coniuncta cum essentia Dei, & potest dici aliquo modo oriri ex essentia Dei, quia eo ipso quod Deus habeat essentiam infinitam necessariò cum illa coniungitur negatio alius Dei, per quam hæc vnitas solitudinis constituitur. Enti verò creato non necessariò, sed contingenter hæc solitudinis vnitas contingit, quia contingens est respectu Solis, qui de facto existit, non dari modò alium Solem, seu dari negationem omnium Solũm, qui possent existere, per quam constituitur vnitas solitudinis, qua modò gaudet. Poterit etiam dici quemlibet Angelum necessariò habere vnitatem solitudinis secundùm speciem, si defendas implicare intra eandem speciem plures Angelos numero distinctos, non tamen adhuc secundum hanc opinionem æquè necessariò habebit Angelus vnitatẽ solitudinis, ac illam habet Deus, quia Angelus necessariò habet hanc vnitatem ex suppositione, quod existat, potuit enim antecedenter non existere, & potest modò à Deo destrui, & hanc non habere vnitatem, Deus autem antecedenter ad omnem suppositionem est vnus vnitate solitudinis, quia non tantùm est necessum, non esse alium Deum, sed etiam antecedenter ad quamcumque suppositionem summè necessum est existere hunc Deum Optimũ Maximum, qui de facto existit.

39 Ex his duabus vnitatibus vnitas solitudinis opponitur cum quacumque pluralitate, & hæc dicit carentiam vnitatum oppositam multitudini, quam negat, vnitas transcendentalis non opponitur cum priori pluralitate, quæ resultat ex ipsa, & ex aliis vnitatibus extrinsecè aduenientibus, potiùs hanc pluralitatem componit, & ita non illam negat, sed constituit, neque illius est negatio, sed pars. Opponitur autem hæc vnitas, seu ens huiusmodi vnum cum pluralitate, seu multitudine, quæ adæquatè reperiatur in ipso, & quæ sit idem cum ipso; v. g. Petrus transcendentaliter vnus opponitur cum pluralitate Petri, & Ioannis, & Franciſci, qui inter se distinguantur, & sint idem cum ipso Petro, quod non est opponi cum pluralitate, quæ resultat ex ipso Petro, & ex Ioannẽ, & Francisco inter se, & ab ipso Petro distinctis, cum hac enim pluralitate non transcendentalis, sed tantùm solitudinis vnitas, quæ formaliter dicit negationem, opponitur, sed opponi cum pluralitate, quæ resultaret ex Ioanne, & Francisco inter se distinctis, & identificatis cum ipso Petro, quod tantùm dicit Petrum ipsum non esse plura, seu non esse Ioannem, & Franciscum, quod est idem ac Petrum esse non Ioannem, & non Franciscum, quod, vt sæpe dixi, Petro conuenit per suam entitatem, & formaliter ex parte obiecti tantùm dicit Petrum esse Petrum. Opponitur etiam transcendentalis vnitas, seu *vnum* transcendentale cum alia pluralitate, quæ posset resultare ex diuisione sui, v.g. hæc aqua, quæ modò dicitur vna, si in duas medietates diuideretur multiplex diceretur. Cum hac ergo multiplicatione opponitur vnitas transcendentalis tanquam habitus cum priuatione, dicit enim hæc vnitas quid positiuum, & illa quid negatiuum, videlicet priuationem vnionis inter vnitates, ex quibus dicitur multitudo aquarum consurgere.

Neque

40 Neque hæc oppositio formaliter est cum substantia illarum vnitatum,neq; cum substantia pluralitatis,quæ cõsurgit ex illis,sed cum illis vnitatibus, quatenus denominantur totales,& simpliciter dicuntur pluralitatẽ aquarum totalium componere;quia hæc vnitas aquæ quatenus totalis dicit negationem vnionis cum alia vnitate,quam vnionẽ includebat formaliter vnitas aquæ,quæ in plures aquas fuit diuisa, & ita inter illam vnitatem, quæ præcessit, & modò est per diuisionem corruptam, & huius vnitates, quæ modò sunt, quatenus totales denominantur, datur oppositio priuatiua, quæ ex parte harum vnitatum totalium dicit negationem vnionis ipsarum inter se, & ex parte vnitatis, ex cuius diuisione hæc aquarum pluralitas resultauit, dicit vnionem earumdem vnitatum, & ita hæc vnitas cum illa multitudine tanquam habitus cum suâ priuatione opponitur. Eadem verò aquarum multitudo seu eædem vnitates, non quatenus totales,sed præcisè quatenus inter se distinctæ nullam oppositionem habent cum illa vnitate, quæ præcessit, ex cuius diuisione dictæ sunt vnitates totales, potiùs tota hæc pluralitas in illa vnitate continebatur, & eædem vnitates, quæ modo diuisæ pluralitatem constituunt in illa vnitate continebantur tanquam partes in toto, & eandem pluralitatem componebant, & absolutè plures dicebantur,& annumerari poterant, non tamen pluralitas ista, dum erat contenta in illa vnitate, dicebatur pluralitas aquarum totalium, seu pluralitas totorum, sed tantùm pluralitas partium aquæ, & vnitatum partialium, & quælibet vnitas, quæ modò diuisa dicitur totalis vnitas, tunc partialis dicebatur absque vlla intrinseca differentia, quia vnitas in ratione totalis & adæquatæ in totis, quorum partes sunt homogeneæ cum toto, præcisè consistit in negatione vnionis, & intrinsecè eadem omnino inuariata modò hæc vnitas partialis dicitur, modò totalis, sicuti hæc eadem numero aquæ portio aqua totalis dicitur quando non est vnita,& partialis denominatur quando illi contingit vnio superaddita ad aliud extremum eiusdem rationis
41 cum ipso.

In compositis quorum partes inter se, & cum toto sunt heterogeneæ, sicuti in toto essentialiter composito ex materia, & forma vnitas transcendentalis non opponitur cum pluralitate partium, potiùs ex illa componitur, sicut enim totum componitur ex materia & forma, sic vnitas eiusdem totius componitur ex vnitate eiusdem materiæ, & eiusdem formæ, quæ in toto vnitæ, & extra totum diuisæ constituunt pluralitatem partium. Neque partes etiam diuisæ dicuntur habere vnitates totales, neque illarum vnitates pluralitatem totorum, sed semper pluralitatem partium constituunt, quia cùm hæ partes sint diuersæ rationis cum toto, & ad illud componendum essentialiter ordinentur, siue vnitæ, siue non vnitæ partes dicuntur, & partiales vnitates dicuntur habere, & nullo modo vnitas totius cum pluralitate partium opponitur, sed tantùm cum pluralitate partium diuisarum, sed cum vnitatibus partium, vt inter se diuisis, quæ tantùm est opponi, cum diuisione vnitatum tanquam habitus cum priuatione, quia sicuti totum dicit vnionem partium, sic vnitas totius dicit vnionem vnitatum partium, quæ opponitur cum diuisione vnitatum partium tanquam habitus cum priuatione. Totam hanc doctrinam quam de oppositione vnitatis cum pluralitate tradidi, pulchrè satis nobis tradit Angelicus Doctor in 1. distinct.24. art.1. ad 4. paucis his verbis : *Vnum non est priuatio multitudinis, quam constituit sed quæ negatur esse in ipso.* Ac si diceret, vnum transcendentale non dicit priuationem multitudinis,quam ipsum vnum cum aliis componit,hanc enim multitudinem tantùm negat vnitas solitudinis, non verò transcendentalis vnitas; sed dicit negationem multitudinis, quæ sit in ipso vno, hoc est ipsum vnum plura non esse, neque in plura diuidi, quod habet per suammet positiuam entitatem, quia Petrus per suam entitatem habet non esse plura, seu esse diuisum in plura, quod etiam habet Angelus,seu entitas indiuisibilis per suam simplicitatem, & in-
42 trinsecam indiuisionem.

Hæc omnia ad formam argumenti strictiùs cingo. Argumentum sic procedebat : vnitas est non esse pluralitatis : pluralitas est quid positiuum : ergo vnitas est quid negatiuum. Distinguo maiorem : vnitas solitudinis, concedo : vnitas transcendentalis, subdistinguo : est non esse pluralitatis, quæ resultat ex ipsa & ex aliis vnitatibus distinctis, nego ; hanc enim non negat, sed componit : est priuatio pluraljtatis, quæ resultaret ex sui diuisione.& est non pluralitas identificata cum ipsa, concedo. Primum enim dicit vnionem in ente composito, quæ opponitur cum diuisione tanquam habitus cum sua priuatione, & simplicitatem,seu indiuisibilitatem in non composito,quæ à sua entitate non distinguitur:secundum dicit ipsum ens vnum, quatenus est non plura, quod dicit illam oppositionem, quam habet homo cum equo, quatenus non est equus, quæ non distinguitur ab ipso esse hominis, neque propriè est aliqua oppositio,ex quatuor, quæ vulgò solent assignari,& tantùm præcisè dicit hoc ens non esse illud,& illud inter ipsa distincta.

Obiicit Arriaga sect.3.subsect.2. n.35. doctrinam quam- 43
dam,quâ se putat nostris argumentis satisfacere, imò sententiam propriam stabilire, nostrámque penitus euertere. Asserit diuisum, & indiuisum esse terminos contradictoriè oppositos,ac proinde vnum esse negatiuum,& alterum positiuum. Dicit tamen diuisum esse quid positiuum, & non diuisum esse quid negatiuum, quod sic probat ex duobus contradictoriis:illorum alterum debet conuenire cuilibet enti siue reali,siue rationis,quia si hæc propositio est falsa, (*himæra legit*,hæc est necessariò vera, (*himæra non legit*, aliàs darentur duæ contradictoriæ simul falsæ. Ex hac doctrina, quæ verissima est sic arguit. De Chimæra non potest realiter affirmari *chimæra realiter est diuisa*:ergo potest dici (*himæra realiter non est diuisa*: ergo non diuisio realis conuenit Chimæræ:ergo non est aliquid positiuũ, aliàs Chimæræ quæ est ens rationis aliquid positiuum conueniret. Miror recentiorem acutum has futiles nugas ad scholas adduxisse, quæ in mente tyronis Dialectici non venirent, illísque dixisse manifestè probari non diuisum esse quid negatiuum,quàm verò manifestè decipiatur Arriaga, quisque videat. Nostra sententia quam tenet Hurt. & impugnat Arriaga,asserit vnũ,& non diuisum,quod est idem formaliter ab ente non distingui ,| consequentérque docet esse quid positiuum; quia conceptus entis,vt sic, positiuus est,semper enim loquimur de ente reali positiuo,cùm ens absolutè proferimus. Si verò loquamur de ente negatiuo, vel de ente rationis, eodem modo dicemus vnitatem seu non diuisionem entis negatiui esse quid negatiuum,& vnitatem seu indiuisionem entis rationis esse ens rationis, eo enim modo,quo fuerit ens,erit vnitas,& non diuisio, qua tale ens afficitur. Ex quibus constat id,quod probat Arriaga,nec nostris argumentis satisfacere,neque suam sententiam suadere, imò nostram confirmare mihi persuadeo. Conuincit enim Arriaga, non diuisionem in Chimera non esse quid reale positiuum,quod est verum,quia est ipsa entitas Chimæræ, quæ non est entitas positiua realis, sed ens rationis; vnio enim,vel simplicitas illius, quæ est sua non diuisio,entitas est rationis,ac proinde cùm dicimus *Chimæra non est diuisa*, aut *Chimæra est non diuisa*, prædicamus de illa per modum negationis significatum quid positiuum, non reale, sed rationis, quod inconueniens non est, vnde argumentum Arriagæ adhuc non probat non diuisum in Chimæra esse quid negatiuum sed non esse positiuũ reale, sed positiuum rationis,quod enti rationis,quod positiuum fingitur,potest conuenire.

Subtiliùs posset inquirere Arriaga,quidnam sit negatio- 44
nem esse diuisam, si enim hanc indiuisam esse non distinguitur ab ipsa negatione,indiuisio negationis,in qua illius vnitas consistit,quid negatiuũ erit,sicut ipsa negatio:ergo diuisio erit quid positiuũ ; debet ego dici,quid positiuum importet negationis diuisio,vt possit defendi eiusdẽ indiuisionem,& vnitatẽ identificari cum negatione, & esse formaliter quid negatiuum. Resp.diuisionem negationis esse quid positiuũ,videlicet vnionem habitus,quo priuat, exẽpli gratia, negatio quantitatis continuæ habet suas partes negatiuas,quæ opponuntur partibus quantitatis, suppono modo quantitatẽ habere partes diuisibiles: habet insuper indiuisibilia negatiua, quibus partes negationis vniuntur, quæ indiuisibilia|opponuntur cum indiuisibilibus quãtitatis & sicut hæc indiuisibilia negationis sunt nõ esse formaliter indiuisibiliũ quãtitatis,sic indiuisibilia quãtitatis sunt non esse formaliter positiua indiuisibiliũ negationis, & sicut quãtitas diuiditur per non esse sui indiuisibilis vnitiui, quod est negatio, sic negatio diuiditur per non esse positiuum sui indiuisibilis negatiui, quod est indiuisibile positiuum quantitatis. Hæc ad maiorem intelligentiam vnitatis entitatis negatiuæ, quæ omnia iuxta subiectam

materiam intelligenda sunt, negatio enim propriè, nec vnitur, nec diuiditur; sed tantum impropriè, eo modo quo dicitur esse.

45 Obiicit quintò. Vnitas est passio entis: ergo distinguitur ab ente: omnis enim passio ab essentia cuius est passio necessariò distinguitur, non per aliquid positiuum realiter enti superadditum, neque per intellectum ab ente formaliter ex parte obiecti præcisum, neque per formalitatem aliquam ab intellectu confictã: ergo tantum supereſt negatio aliqua, per quam possit vnitas formaliter distingui ab ente tanquam passio ab essentia. Respond. vnitatem non distingui ab ente aliquo ex prædictis modis annumeratis, neque ratione aliâ præscindente ex parte obiecti, sed tantùm per rationem præcisam ex parte actus; eadem enim formalitas obiectiua hac ratione apprehensa essentia dicitur, & illa ratione apprehensa, passio, seu essentiæ attributum appellatur, non enim ex alio capite dicimus vnitatem esse passionem entis, nisi quia ipsissimam rationem obiectiuam priùs concipimus sub conceptu formali entis, & posteriùs sub conceptu formali vnius.

§. VI.

De vno per accidens.

46 NOnnulli apud Hurtad. sect. 3. §. 61. vnum per se definiunt, *quod constat vno, aut pluribus conceptibus eiusdem prædicamenti*, vnum autem per accidens, *quod constat conceptibus diuersorum prædicamentorum*. Contra has definitiones argumentatur Hurtad. exercitus hominum constat conceptibus eiusdem prædicamenti, & est vnum per accidens: ergo non est vnum per se quidquid constat conceptibus eiusdem prædicamenti, neque omne ens per accidens constat conceptibus diuersorum prædicamentorum. Non vrget obiectio, quia exercitus non tantum constat hominibus secundùm se ad prædicamentum substantiæ spectantibus, sed hominibus hoc ordine, seu hac oppositione locali disp ositis cum certa, & proportionata distantia, quæ includit illorum præsentias spectantes ad prædicamentum *vbi*, dicit etiam exercitus plures homines inter se coëxistentes, qui vt coëxistentes, dicunt simultaneas ipsorum durationes pertinentes ad prædicamentum *quando*, includit insuper plura alia entia artificialia, tubas, vexilla, bombardas, bellica tormenta, & huiusmodi alia quàm plurima, quæ ad strepitum militarem necessaria sunt, & ad exercitus constitutionem conducunt. Arguit secundò: Actio, & passio sunt conceptus pertinentes ad diuersa prædicamẽta, & tamen non faciunt vnum per accidens, ergo non quidquid includit conceptus pertinentes ad diuersa prædicamenta est vnum per accidens. Resp. actionem, & passionem posse sumi physicè, aut metaphysicè: si sumatur physicè, tantum includit simplicem entitatem secundùm quam est vnum simplex accidens habens simplicem vnitatem. Si verò metaphysicè sumatur dicit concepus formales distinctos actionis, & passionis, ex quibus si vnum velis efficere erit vnum per accidens.

47 Diuidit Hurtad. vnum per se, in vnum per se absolutum, & vnum per se in aliquo genere. Vnum per se absolutè definit: *res indiuisa in se constans vno conceptu, vel pluribus constituentibus primum quidditatiuum conceptum rei, vel illum substantialiter integrantibus*. Vnum substantiale tantùm, vnum per se absolutè vocat Hurt. quod sic definit iuxta principia ab ipso tradita de conceptu quidditatiuo substantiæ, de quo Contr. 6. Punct. 1. n. 10. Vnum in aliquo genere, seu secundum quid definit Hurtad. *res indiuisa in se, & in suo genere completa*. Quam definitionem probat conuenire quantitati, qualitati, & reliquis accidentibus, quæ in se sunt indiuisa seu vnita, & completa secundùm propriam rationẽ, quantitas enim, etsi ex se entitas sit absolutè incompleta, in ratione quantitatis completa est, habet enim quantitas hominis quidquid requiritur ad essentiam, & integritatem quantitatis.

48 Vnum per accidens definit Hurt. *ens indiuisum in se affectum aliquo conceptu non pertinente ad primum conceptum*. Quæ definitio iuxta principia tradita ab Hurtad. de conceptu substantiæ, & accidentis comprehendit omnia concreta accidentalia, quæ per formam accidentalem constituuntur, quæ dicuntur vna per accidens, hoc est, per aliquod accidens, constituta. Explicat etiã hanc definitionem de accidẽtibus secundùm se sumptis, quia cùm ipsa sint constituta vnius per accidens non possunt vnitatem per se habere, quasi Angelus, qui habet vnitatem per se, simul cum accidenti non constitueret cum accidente quod illi inhæret, vnũ per accidens, quod non solum ex forma accidẽtali, sed etiã ex substãtiali subiecto cõstituitur. Asserit insuper accidens esse vnum per accidẽs, quia integraliter vnitur vnione accidentali per quam fit vnum. Faciliùs diceret Hurt. accidens esse vnum per accidens, quia est vnum per se ipsum, quod est accidens, & ita si quidquam illius ratio vellet probaret vniuersaliter non solùm de accidenti integraliter vnito; sed de quocumque, siue diuisibili, & vnito, siue indiuisibili, & nullam habente vnionem. Cæterùm sicuti non est idem esse ens accidentale, seu esse ens accidẽs per se ipsum, & consequenter per accidẽs, hoc est, per conceptum quidditatiuũ, quod est accidens, & esse ens per accidens absolutè, quia quãtitas, & quodlibet accidẽs in prioti sensu sunt entia per accidẽs, & tamen entia per se dici debent, quia sunt species propriæ entis, quibus ratio generica entis in qua vniuocè cum substantia conueniunt, per se debent conuenire, sic non est idem esse vnum per vnitatem, quæ est accidens, & esse vnum per accidens.

Censeo conceptum *vnius per se* cõmunem esse substãtiæ, 49
& accidenti, cõposito substantiali, & accidẽtali, quia sicuti vniuocè cõueniunt accidens, & substãtia in ratione entis, sic in ratione vnius debent cõuenire, & tã accidenti, quàm substãtiæ vnitas per se propria, & stricta competere debet, sicuti eisdem conuenit ratio entis per se propria & stricta.

Vnum per se definirem absolutè eadem definitione, qua vnũ vniuersum definitur, quia vnum per accidens non est propriè vnũ, & ita non illi definitio vnius in cõmuni propriè, sed impropriè, & valde analogicè potest competere. Est ergo vnum, per se, idem quod absolutè vnum, videlicet *indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio*. Sic homo per se, & homo absolutè eadem definitione definiuntur, neque instituimus quandam definitionem ad definiendum hominem vt sic, & aliam ad definiendum hominẽ per se vt distinctum ab homine picto, qui dicitur homo per accidens, sed eadem defininione, qua definimus hominem absolutè, definitur homo per se; vt distinctus ab homine picto, quia ly *per se* nihil addit supra hunc conceptum *homo* absolutè prolatũ, quia quidquid non est per se homo, non est homo, sed homo cum addito dicitur, videlicet homo pictus.

Definitio vnius suprà tradita conuenit substantiæ, & ac- 50
cidenti, concreto substantiali, & accidentali, hoc enim vnum per se existimo esse dicendum, & sic accidentaliter album constitutum per formam accidentalem vnitam physicè subiecto vnum per se voco, quia constitutum est per vnionem propriissimam, quæ essentialiter est vnio, & intrinsecè includit omnia prædicata essentialia constitutiua vnionis propriissimæ. Hoc vnum per se diuido in vnum per se substantiale, & in vnum per se accidentale. Vnum per se substantiale est illud *quod secundùm omnia quæ in se continet substantia est*, quæ definitio conuenit composito substantiali, & entitati substantiali indiuisibili, siue sit materia, siue forma, siue totum substantiale simplex, quæ omnia non comprehenderentur si cum aliis vnum substantiale definirem, *vnum cuius forma est substantialis*. Vnum accidentale definiendum est, *Vnum cuius aliquid in illo contentum accidens est*. Comprehendit hæc definitio accidens vnum secundùm se sumptum, in quo nihil reperitur, quod accidens non sit, & concretum accidentale, cuius forma accidens est. Sic vnum substantiale & accidentale definio, quia suppono iam traditas definitiones, quibus conceptus vnius, & conceptus substantiæ, & accidentis explicantur, quæ substitui possunt definitorum loco, si definitio vnius per se substantialis, & accidentalis exactè sit tradenda, exempli gratia, definio ego vnum per se substantiale, *vnum quod secundum omnia*, &c. loco illius particulæ *vnum*, illius definitionem apponere poteris, indiuisum, &c. & loco illius *substantia* definitionem substantiæ poteris substituere, & sic in aliis definitionibus, quibus exactè vnum per se substantiale, & accidentale definies.

Vnum per accidens est illud, *quod physicè est diuisum,* 51
& indiuisum, seu vnitum dicitur vnione quadam morali, seu aliqua ordinatione, quæ impropriè vnitas dicitur. Si vnus dicitur exercitus, vna dicitur domus, vna dicitur musica, quorum partibus nulla physica cõpetit vnio, sed quædam ordinatio, seu localis approximatio, & succeſſio secundum tantam intensionem, vel extensionem ratione cuius aliquo

modo

modo partes dicuntur vnitæ, & vnus exercitus, vna domus, vel vnus vocum concentus resultat. Hoc vnum per accidens simpliciter non est vnum, sed vnum, & aliud, seu plura vna, quæ aliquo modo vnum dicuntur, sicuti homo pictus, qui simpliciter homo non est, sed colores tabulæ adhærentes, nihilominus secundum quid colores isti sic dispositi dicuntur pictus homo. Hoc vnum per accidens eo modo, quo cum addito, & secundùm, quid dicitur vnum formaliter, vt tale includit suam indiuisionem, seu vnionem per quam tale vnum constituitur. Sic aceruus lapidũ cuius partium vnio consistit in approximatione locali vt tale vnum essentialiter includit hanc approximationem, qua deficiente non erit vnum, adhuc secundum quid; sed plura, neque dicitur aceruus vnus, sed aceruus qui antea erat vnus per approximationem pluriũ lapidum dicetur in duos aceruos diuisus, multitudo illà quæ præcessit in duplicem medietatem, quarum quælibet includat multitudinem lapidum per separationem sit diuisa; vel penitus in singulos lapides resoluetur aceruus, si per separationem singulorum vltimò diuidatur destructa omni acerui vnione, quæ tantum consistebat in approximatione locali lapidum physicè diuersorum, & non in physica aliqua vnione, potius enim carentiam huius essentialiter dicis vnum per accidens, seu hic vnus lapidum aceruus, quia si omnes lapides physicè essent vniti non vnus aceruus plurium lapidum, sed vnus lapis, seu vnum ingens saxum diceretur tota illa substantia, quæ modò aceruus dicitur lapidum.

52 Ex hoc inferri poterit vni per accidens competere vnitatem eo modo, quo illi competit entitas, quia sicuti aceruus lapidum physicè est hic lapis, & ille lapis cum hac, & illa præsentia, sic vnitas acerui lapidum est vnitas huius lapidis, & illius lapidis cum hac, & illa præsentia, & sicuti impropriè & metaphoricè dicitur aceruus lapidum totum, seu compositum ex lapidibus tanquam ex vnione, sic idem aceruus lapidum dicitur impropriè compositum vnum vnitate quadam compositâ tanquam ex partibus ex vnitatibus lapidum, & tanquam ex vnionibus ex vnitatibus approximationum, seu præsentiarum ipsorum lapidum.

Punctum III.

Quid sit verum *transcendentale.*

1 EGi Controu.6. de Anim. de veritate formali propositionis, nunc autem de veritate transcendentali disputandum est, & inquirendum quid sit verum, & quæ formalitas huius prædicati omne ens transcendit huiusque dicitur passio, seu attributum.

2 P. Soar. disp. 7 Met. sect. 7. n. 5. refert opinionem quandam plurium Thomistarum asserentium verum esse prædicatum quoddam absolutum ratione ratiocinata distinctum à ratione entis. Hæc sententia communiter ab omnibus iure reiicitur, quia non est excogitabilis formalitas absoluta realis, & independens ab intellectu ab ente distincta, in qua possit hæc veritas consistere. Deinde quia prædicatum entis præcisum à quocumque alio, in quo veritatem constituant Thomistæ, adhuc manet verum, & obiectum intellectus: ergo illa ratio formaliter distincta ab intellectu per rationem ratiocinatam necessaria non est, vt ens constituatur verum.

3 Aureol. apud Capreol. in 1. dist. 13 q. 3. quem refert Soar. ibid. n. 17. aliam rationem veri excogitauit, asserit enim verum non dicere ordinem ad intellectum, sed in se includere negationem alius rei distinctæ ab illo ente, quod dicitur verum, quo sensu dicimus hoc est verum aurum, id est non est aurichalum, vel aliquid aliud quod non sit aurum, quælibet enim entitas dicitur vera in ratione entis quando propriam naturam talis entis, & non aliam extraneam includit. Hunc dicendi modum non improbabilem videri docet Soar. n. 18. licet illum non approbet, quia nouus, & contra communem sentiendi modum veritatem constituit independenter ab intellectu. Veram doctrinam continere præter Soar. citatum modò fatentur Hurtad. disp. 7. met. sect. 1. & Arriag. disp. 1. met. sect. omnes enim veram naturam alicuius appellamus quando illam propriè continet, & non aliam, quo sensu dixit Aug. lib. 2. Soliloquiorum cap. 5. verum est, *id quod est*, & postea addit *non autem quod videtur, aut quod tale est, quale videtur, quando etiamsi res non videatur nec conformitatem habeat cum aliqua cognitione nihilominus vera est*: ergo ex D. August. verum dicitur independenter ab intellectu iuxta Aureoli doctrinam. Nihilominus omnes Scholastici aliam acceptionem veri cognoscunt, quæ à nobis inquirenda est, quia in auro non esse aurichalcum, aut aliud à se distinctum, si tantùm in ordine ad se, & non in ordine ad intellectum sumatur, pertinet ad rationem vnius, quia de vnius ratione est, esse indistinctum in se, & distinctum ab alio quod dicit esse ipsum, & non aliud, vt Punct. præcedenti expendebam.

4 Dicendum est *verum* esse ens cognoscibile sicuti est, seu ens esse aptum terminare veram cognitionem. Hanc conclusionem docet Soar. ibid. n. 25. vbi docet veritatem transcendentalem significare entitatem rei connotando cognitionem, seu conceptus intellectus, cui talis entitas conformatur. Eandem tenet Vasq. disp. 77. c. 4. & 5. Hurt. supra n. 17. qui plures alios pro ea refert, præcipuè D. Aug. lib. 2. soliloq. c. 5. *verum esse quod ita se habet vt videtur cognitori, si velit, & possit cognoscere.* Conclusionem probo: illa obiecta vera dicimus, quæ conformantur cum cognitione: ergo ens quatenus conformabile cum cognitione verum dici debet, sicut dicitur falsum, quod aliter ac est profertur, vnde cum quis mentitur, respondemus, falsum dicis.

5 Dicendum est veritatem transcendentalem posse considerari in ordine ad cognitionem creatam, & increatam, vt benè docet Soar. n. 26. vbi refert nonnullos, qui veritatem obiectiuam constituebant tantùm in ordine ad cognitionẽ increatam, quia sicut veritas formalis non tantum afficit cognitionem increatam, sed etiam creatam, ita similiter veritas transcendentalis, seu obiectiua, non tantum sumitur in ordine ad cognitionem increatam, sed etiam in ordine ad cognitionem creatam. Ex his constat rationẽ veri, non quam ens ex se habet, sed quam desumit ab actu, formaliter vero addere supra ipsum ens extrinsecam quamdam denominationem desumptam ex cognitione, qua obiectum attingi potest sicuti est, & cognitione formaliter verâ cognosci, quia hoc obiectum posse cognosci sicuti est dicit posse terminari ad illud cognitionem attingentem rem sicuti est, quod autem possit dari talis cognitio hoc modo respiciens obiectum, extrinsecum est obiecto, sicut enim cognitio extrinseca est obiecto, ita possibilitas eiusdem cognitionis cum illa identificata eidem obiecto extrinseca dicitur, neque hæc extrinseca denominatio est aliquid distinctum ab obiecto & cognitione saltem possibili, qua potest cognosci, sicuti est, veritas enim obiectiua obiecto extrinseca includit intrinsecè ens, quod cognosci potest, & extrinsecè cognitionem, qua potest sicuti est cognosci, vnde differunt veritas formalis, & obiectiua, sicuti differunt paternitas, & filiatio, quæ identificatur cum eisdem entitatibus, diuerso tamen modo ex illis pullulare considerantur, paternitas dicit intrinsecè in parte substantiam generantem, & extrinsecè genitam, filiatio verò dicit intrinsecè in filio substantiam genitam, & extrinsecè substantiam generantem, sic veritas formalis dicit in *vero* formaliter intrinsecè cognitionem, & extrinsecè obiectum, veritas autem obiectiua, seu extrinseca dicit in vero obiecto intrinsecè obiectum, & extrinsecè cognitionem, qua potest cognòsci sicuti est.

6 Difficultas esse potest, an obiectum hac ratione verum dici possit per ordinem ad apprehensionem, an verò necessariò connotet iudicium, quæ soluenda est ex dictis Controu. 6. de an. punct. 4. vbi probaui aliquo modo reperiri in simplici apprehensione veritatem formalem: eodem autem modo, quo veritas formalis in quacumque cognitione reperitur, eodem reperitur veritas obiectiua, seu transcendentalis in obiecto per ordinem ad illam cognitionẽ. Vnde qui negant apprehensioni veritatem formalem, debent veritatẽ transcendẽtalẽ negare obiecto per ordinẽ ad illam, & debent asserere veritatem transcendentalem necessariò includere mutationẽ obiecti veri ad iudicium.

Ex hac doctina concluditur rationem obiectiuam intellectus, seu cognoscibilitatem, quã respicit intellectus media cognitione, non dicere ex parte obiecti rationem veri hac veritatẽ extrinseca, sed tantũ intrinseca, de quã postea, quia id, quod terminat cognitionẽ distinguitur ab ipsa cognitione, neque eam includit; ratio autem vel includit cognitionẽ ipsam, quæ formaliter obiectum verum constituit, quatenus potens est terminari ad illud. Secundò quia verum formaliter includit cognitionem, ac proinde si intellectus media cognitione terminaretur ad rationẽ veri, terminaretur ad ipsam cognitionẽ, & necessariò esset reflexiua

sui ipsius, quod falsum est, non enim eo ipso quod cognoscamus aliquod, obiectum, necessariò cognoscimus cognitionem qua obiectum cognoscitur, neque cognitionem aliam distinctam ab illa.

8 Dixi verum extrinsecè sumptum non esse obiectum intellectus, non quia intellectus, non possit illud cognoscere, vt verum formaliter, & ipsa formalis extrinseca veritas cognitionem reflexiuam terminare non valeat, sed quia necessarium non est intellectum mediâ cognitione terminari ad verum formaliter, sed sufficit terminari ad verum fundamentaliter, quod supponitur ad ipsam cognitionem, & per ordinem ad illam verum formaliter constituitur.

9 Probauimus veritatem obiectiuam dicere cognitionem extrinsecam obiecti, & ita rationem veri formaliter non esse illi adæquatè intrinsecam. De *vero* fundamentaliter nunc dubitari potest, an importet aliquid intrinsecum enti, scilicet an cognoscibilitas purè se tenens ex parte obiecti, quæ ad omnem cognitionem supponitur, & in ordine ad cognitionem veram formaliter considerata, veritas transcendentalis dicitur, sit obiecto extrinseca.

10 Hurt. disp. 7. sect. 1. n. 11. affirmat hanc cognoscibilitatem esse extrinsecam obiecto, quia tantum dicit quod cognitio possit terminari ad illud, quæ si possibilis non esset, obiectū eodem modo inuariatum relinquet. Arriag. disp. 1. Met. sect. 5. subs 2. docet hanc veritatem fundamentalem esse obiecto intrinsecam, & connexionem habere necessariam cum possibilitate cognitionis, ita vt si impossibilis esset cognitio, impossibilis esset ratio veri fundamentaliter, seu formalitas illa, ad quam cognitio terminatur, & quæ fundat tanquam subiectum rationem veri transcendentaliter.

11 Displicet Arriagæ opinio, quæ impugnatur ex dicendis Controu. 10. Punct. 5. vbi probabo effectum non habere connexionem cum possibilitate causæ creatæ, neque è contra, & tales connexiones esse impossibiles, quod potiori ratione dicendum de obiecto cognitionis respectu ipsius cognitionis, hæc enim nihil tribuit obiecto, neque aliquid intrinsecum imprimit illi, quomodo ergo obiectum dependere potest ab illo, quod nil influit in existentiam illius, neque in aliquod accidens, quod intrinsecè ipsum obiectum afficiat? Adde ex repugnantia cuiusuis intellectus creati repugnatum iri omne ens creatum, & increatum, si obiectum cognoscibile connexionem habet cum possibilitate cognitionum, quibus potest attingi, quia cùm nullum sit obiectum creatum, aut increatum, quod non possit cognosci à quocumque intellectu, hoc repugnante repugnarent cognitiones, quibus possent attingi omnia obiecta, & consequenter ad hanc doctrinam obiecta cum his cognitionibus connexa eandem haberent repugnantiam.

12 Neque modus dicendi Hurtad. omnino placet, asserit enim verum fundamentaliter non esse intrinsecum obiecto, quod non credo, quia verum fundamentaliter est ipsissima ratio entis, quæ terminat cognitionem, hæc autem intrinseca est obiecto, licet illi extrinsecè accidat terminare cognitionem. Quapropter dicendum est verum fundamentaliter esse rationem formalissimam entis, hanc tamen nullam habere connexionem cum cognitione adhuc possibili, neque dicere relationem ad illam, quia posse hoc obiectum cognosci ex parte obiecti nihil dicit præter formalitatem entis, seu talis entis, quod fundet hanc potentiam cognoscendi passiuè, vt patet in ente rationis, quod cognoscitur, & nihil dicit ex parte obiecti, quod supponatur ad possibilitatem cognitionis, neque aliud caput potest assignari ex quo possit cognosci, nisi quia est ens, si cognoscibilitatem obiectiuam venemur.

13 Obiicies: Creatura dependet essentialiter à cognitione Dei: ergo obiectum dependet à cognitione. Respondeo creaturam dependere essentialiter à cognitione Dei, quatenus cognitio Dei est identificata cum omnipotentia, à qua dependet, non verò à cognitione quatenus est speculatiua cognitio creaturæ: quod autem creatura non possit non cognosci à Deo, est, quia cognitio Dei non potest non esse. Si autem per impossibile supponatur Deum non cognoscere, & effectum posse produci independenter à cognitione, effectus creatus existere poterit, neque indigebit cognitione Dei, modò enim tantum dependet ab illa, quatenus à conditione dirigente omnipotentiam, & quatenus ab entitate identificata cum eadem omnipotentia, à qua dependet, non verò ab illa quatenus formaliter est speculatiua cognitio obiecti. Vnde dicendum est obiectum creatum pendere à cognitione Dei materialiter propter rationem dictam, non verò ab alia cognitione, quæ non est causa per se influens in illam.

Obiic. Obiectum habet virtutem productiuam specierum: ergo habet connexionem cum cognitione, quæ potest 14
produci his speciebus. Respõdeo non omne obiectum esse productiuum specierum, quibus cognoscatur, & illud obiectum, quod productiuum illarum est, adhuc non habere connexionem cum possibilitate specierum, quia vt dicam Contr. 10. Punct. 5. virtus productiua connexionem non habet cum possibilitate effectuum quos continet. Vltimò respondeo, ne dependenter ab opinione non communi sententiam hanc defendam, hanc connexionem quam haberet obiectum cum cognitione mediis speciebus, fore inter obiectum non formaliter vt cognoscibile, seu vt potens terminare cognitionem, & ipsam cognitionem respicientem obiectum formaliter vt obiectum, sed inter obiectum vt principium effectiuum remotum cognitionis, & cognitionem ipsam vt effectum producibilem ab obiecto non vt termino, sed vt principio actiuo, de qua connexione inpræsentiarum non egimus.

Neque placet opinio Hurtadi asserentis cognoscibilita- 15
tem fundamentalem entis, esse omnino extrinsecam, sentio enim cognoscibilitatem entis non distingui ab ipso ente formaliter, & ex parte obiecti, quia ens formaliter vt ens terminat cognitionem ipso tantum terminatiuè se tenente ex parte obiecti: ergo secundum propriam formalitatem entis attingitur cognitione, quam terminat eademmet formalitas entis in se ipsa: ergo in se ipsa, & per se ipsam est capax terminandi hanc cognitionem, seu passiuè cognoscendi, sicuti color est capax têrminandi visionem, & videndi passiuè, quam capacitatem habet per se ipsum, ex se enim habet color capacitatem, & proportionem vt videatur, quam non habet Angelus, seu alia substantia spiritualis, ideo dicimus primas qualitates, & substantiam spiritualem, & reliqua obiecta, quæ non sunt lux aut color videri non posse, quia sunt obiecta improportionata potentiæ visiuæ.

Vnum in hac re verum est, hanc cognoscibilitatem fun- 16
damentalem, seu intrinsecam non posse formaliter ab ente distingui, adhuc ex parte actus, nisi cognoscatur per ordinem ad aliquid intrinsecum, videlicet per ordinem ad cognitionem, licet non per istam formaliter constituatur, sicuti in quacumque causa virtus productiua cum illa identificata, & formaliter distincta ab essentia metaphysicè sumpta, non potest cognosci nisi per ordinem ad effectus possibiles, aut saltem sub conditione existentes, licet virtus illa non per ipsos effectus formaliter constituatur, sed sit adæquatè intrinseca causæ. Hæc fundamentalis, seu hæc intrinseca cognoscibilitas inseparabilis est ab omni ente, & à quacumque illius formalitate, & ex parte obiecti, adhuc per rationem ab illo impræscindibilis, ob quam rationem multi non attendentes ad præcisionem quæ est ex parte actus inter ipsam & ens, illam non meminêre, & ideo asserunt omnem cognoscibilitatem esse extrinsecam enti.

Cognoscibilitas ista, etiamsi semper per ordinem ad co- 17
gnitionem intelligatur, & formaliter tantum differat ab ente ex eo, quod in ordine ad cognitionem contempletur, in se tamen est independens ab eo, quod cognitio sit possibilis, vel repugnans, quia etiamsi omnis cognitio repugnaret, obiectum ex se, seu quatenus est ex se, capax esset hic & nunc terminandi cognitionem realem, quod si repugnante omni cognitione non posset illam terminare, hoc non esset ex defectu capacitatis obiectiuæ ad terminandum, sed ex defectu cognitionis realis non repugnantis, ideo absolutè verum esset dicere, hoc obiectum præcisè quatenus est ex se, capacitatem habet, vt cognoscatur cognitione reali non repugnante, seu hoc obiectum habet quidquid ex parte sua debet habere ad terminandam cognitionem realem, sicuti de omnipotentia respectu effectuum qui repugnant, fert communis sententia, quam non solùm de omnipotentia, sed de quacumque virtute creata tradam Controu. 10. punct. 4.

Vocaui hanc cognoscibilitatem intrinsecam fundamen- 18
talem, non quia non proximè conducat ad cognitionem actualem, sed quia est fundamentum, supra quod cadit cognoscibilitas extrinseca, quæ à cognitione desumitur, sicuti possibilitas, seu non repugnantia effectus, fundamentum, supra quod cadit possibilitas extrinseca ejusdem non tantum formaliter intellecta per ordinem ad virtutem causatiuam, sed ab hac tanquam à forma desumpta.

Hæc

19 Hæc cognoscibilitas fundamentalis, seu potiùs intrinseca entis considerata in ordine ad cognitionem veram, quam ex se potest terminare, siue talis cognitio repugnet, siue non repugnet, optimè dicetur passio, seu attributum entis, & veritas transcendentalis conuertibilis cum ente, præscindibilis ab illo ex parte actus, quia cum illo adæquatè conuertitur, & illi est intrinseca, vt probaui, & insuper habet sufficientem distinctionem ab essentia, àqua ex parte actus distinguitur, vt possit dici illius attributum, quia est posterior ente, prius enim hoc apprehenditur in ordine ad se, sub qua consideratione dicitur ens, & posterius in ordine ad cognitionem veram, sub qua consideratione dicitur verum, & hæc causalis nostro modo concipiendi vera est; quia est ens, potest cognosci: & hæc est falsa; quia potest cognosci est ens. Alia cognoscibilitas extrinseca, quam habet obiectum à cognitione verâ possibili quâ potest cognosci similis possibilitati extrinsecæ, quam habet effectus tanquam à forma, à causa, à qua potest produci aliquo modo potest dici passio entis, quia comitatur omne ens, non tamen propriè, quia non desumitur ab ipso ente, neque ab illo nascitur, sed à cognitione obiecto extrinseca desumitur.

20 Obiicit Hurt. ad probandum omnem cognoscibilitatem esse extrinsecam: Eò præcisè quod cognitio terminetur ad obiectum, obiectum est aptum vt terminet cognitionē: ergo tota cognoscibilitas obiecti desumitur à cognitione. Distinguo antecedens: eo præcisè quod cognitio terminetur ad obiectum, obiectum est capax terminandi cognitionem capacitate extrinsecâ, concedo antecedens: capacitate intrinsecâ, subdistinguo: formaliter, nego antecedens; illatiuè, concedo antecedens: ergo tota cognoscibilitas obiecti desmitur à cognitione, nego consequentiam.

21 Inquires an obiectum quod constituitur verum formaliter per ordinem ad cognitiones, quibus cognoscitur sicuti est, habeat diuersas veritates per ordinem ad diuersas cognitiones, quibus cognoscitur, vel eadem in ordine ad omnes. Respondeo veritatem transcendentalem obiecto intrinsecam, in ordine ad quascumque cognitiones consideretur, intrinsece esse eandem omnino indiuisibilem, quia veritas, etsi ordine ad cognitionem ab ente per nostrum intellectum distinguatur, formaliter tamē non constituitur per ipsas cognitiones, ac proinde non multiplicatur, etsi cognitiones multiplicentur, quia sicuti plures cognitiones possunt terminari ad idem obiectum, quin obiectum multiplicetur, sic possunt terminari ad eandem veritatem transcendentalem obiectiuam, quæ per se ipsā potest pluribus cognitionibus attingi, non enim obiectum habet aliquam formalitatem per quam sit capax terminandi hanc cognitionem veram, & aliam per quam possit terminare aliam cognitionem, sed per eandem terminat omnes cognitiones, quibus idem obiectum formaliter repræsentatur.

22 Veritas obiectiua extrinseca, seu extrinseca cognoscibilitas desumpta formaliter ab actu vero, quo potest obiectum cognosci, iure multiplicari dicetur multiplicatis cognitionibus, quia cùm primariò insit cognitionibus, & eadem, quæ primariò cognitionem afficit, secundariò obiectum afficiat, cum in cognitionibus diuersæ veritates reperiantur, diuersis veritatibus subiectum affici necessariò dicendum est? Constituent tamen hæ omnes distinctæ veritates vnum tantùm verum, quia concreta accidentalia non per formas, sed per subiecta multiplicantur, sic vnus dicitur artifex homo pluribus artibus instructus.

23 Vltimò nota non benè dixisse Hurtd. §. 21. veritatem non esse passionem entis; sed verum, quod breuiter impugno. Verum est concretum includens ens tanquam subiectum & veritatem; tanquam formam: sed ens quod est subiectū non potest accidere enti: ergo tantùm potest illi veritas contingere. Quod si D. Thomas & alij asserant veritatem non esse in obiecto, ex quo infert Hurtadus non esse passionem illius, loquuntur de veritate propria actus & extrinseca obiecto, quam dixi non propriè esse passionem entis, non verò de veritate transcendentali obiecto intrinseca quam sæpè fundamentalem vocaui.

PVNCTVM III.

Quid sit falsum.

1 FAlsum appellare solemus id, quod non est iuxta regulas artis, neque habet omnia requisita, quæ debet habere ad sui perfectionem, quo sensu merces falsas vocamus, & pecuniam falsam dicimus; hæc falsitas non opponitur veritati, sed rectitudini, & integritati, seu bonitati rei, ac proinde propriè non est falsitas propriè & strictè, sed defectus, seu malitia opposita bonitati, & integritati rei.

2 Falsum etiam dicimus omne id, quod est obiectum cognitionis falsæ enunciationis: hoc sensu ait Paul. 1. ad Rom. idolum esse mendacium, quia est obiectum falsæ enunciationis, quâ Deus enunciatur. Hæc acceptio falsi latissima est, nullum enim est ens, de quo non possint multa dici per errorem, ac proinde iuxta hanc acceptionem ens etiam increatum falsum diceretur, quia de illo possunt falsæ enunciationes affirmari, vt si quis diceret non esse immensum, & infinitum. Hoc genus falsi enti increato tribuere, licet in re nullam illi imperfectionem tribuat, indecens est propter loquendi modum, ac proinde vitandum est, neque inter idiotas vnquam dicendum.

3 Falsum est *quod apparet id, quod non est, & probabiliter fundat cognitionem sui*: hæc definitio probatur ex dictis de veritate, quia sicut verum est quod fundat cognitionem, qua cognoscitur, sicuti est; ita falsum debet esse, quod fundat cognitionem illius, quod non est. Ad hoc autem vt dicatur ens fundare hanc cognitionem, necessarium est vt aliqua probabilitate aliter ac est iudicetur, aliàs error iudicij, seu falsitas tota tribuetur intellectui cognoscenti, & non obiecto cognito, quia cum omne ens ex se sit aptum fundare veram cognitionem sui, & hoc habeat ex sua natura, necessum est aliquid speciale reperiri in illo, quod dicitur falsum ad hoc vt dicatur fundare cognitionem rei aliter ac est, hoc autem erit similitudo cum alio ente, cum quo confunditur, & quod iudicatur qualem habet aurichalcum cum auro, illa enim accidentia quæ habet aurichalcum similia accidentibus auri, quasi nobis dicunt illorum subiectum esse aurum, & mediis illis aurichalco decipimur iudicantes esse aurum, & propter hanc rationem aurichalcum falsum aurum, & hoc est similatum, & apparenter fictum appellamus.

4 Ex his primò infertur falsum semper dici per ordinem ad intellectum, qui deceptus accidentibus, seu coniecturis probabilibus tenentibus se ex parte subiecti de illo aliter iudicat, quia secluso hoc iudicio nullum ens falsum dici potest, ens enim ex se maiorem aptitudinem, seu inclinationem vt sic loquamur habet ad fundandam veram sui cognitionem, quàm falsam, nihilominus non dicitur verum, nisi per ordinem ad cognitionem: ergo neque falsum dici poterit, nisi per ordinem ad cognitionem, qua de illo aliter ac est iudicetur.

5 Infertur secundò; ens non dici falsum per ordinem ad intellectum diuinum, quia cum intellectus diuinus non possit aliter ac est, de obiecto iudicare, non potest obiectū dici falsum per ordinem ad iudicium illud diuinum.

6 Infertur tertiò; falsitatem obiecti semper oriri ex imperfectione cognoscentis, quia, etsi aliqua accidentia similia fundamentum aliquod præbeant, vt hoc obiectum cum illo confundatur, & aliud ac est iudicetur, nihilominus ex se aptum erat terminare cognitionem veram, & accidentia quæ similitudinem referebant cum alio ente sufficientia non essent, si intellectus perfectè cognosceret, vt illum deciperent, vt patet in Deo qui propter sui perfectionem decipi non potest.

7 Infertur quartò; falsitatem non sumi per ordinem ad appehensionem incomplexam, quia in simplici apprehensione non reperitur formalis falsitas, ac proinde per ordinem ad illam non potest sumi, falsitas obiectiua; potest autem sumi in ordine ad apprehensionem complexam, quia in hac aliqualis falsitas reperitur, vt dicebam Contr. 7. de Anima Puncto quarto.

8 Infertur quintò; non omnem propositionem falsam formaliter habere obiectum falsum in hac acceptione rigorosè sumptum, propositio enim, qua quis affirmaret esse plures Deos, est falsa, nihilominus pluralitas Deorum non est falsa neque Dij falsi, sed ficti dicuntur, quia non probabiliter apparent existentes, neque possunt nisi per summam amentiam possibiles iudicari: & quando comœdus regē repræsentat dicitur Rex fictus, non tamen Rex falsus, quia non probabiliter potest Rex iudicari. Denique quoties temerè, & sine probabili fundamento circa aliquod obiectum decipior, propositio, seu iudicium est falsum, non verò obiectum, quia non probabiliter aliter ac est iudicatur, sed temerè.

Infertur

9 Infertur sextò; falsitatem non esse passionem entis, sicut est veritas, quia non omne ens probabiliter apparet aliter ac est: sunt enim plura ita ab aliis distincta, vt nulla probabilitate possint cum aliis confundi, nisi per summam cognoscentis ignorantiam: neque vt ens falsum dicatur sufficit ipsum fundamentum quodlibet tribuere, vt aliter ac est iudicetur, sed requiritur fundamentum tale esse, vt prudenter quis possit moueri ad iudicandum de re aliter ac est.

10 Notandum est quod quando duo entia ita inter se sunt similia vt quodlibet fundamentum tribuat vt confundatur cum alio, exempli gratiâ, aurum, & aurichalcum, ex natura rei non magis debuisse dici aurichalcum falsum aurum, quàm aurũ falsum aurichalcum, nihilominus vsu receptum est vt illud quod est imperfectius vocemus falsum respectu aliûs similis perfectioris; & aurichalcum, falsum aurum dicimus, non verò aurum, falsum aurichalcum appellamus, quod tantùm ex vsu, & communi loquendi modo dependet, potest tamen aliqua huius assignari ratio, quia cum quælibet entitas propriam perfectionem affectet, melius per metaphoram dicimus rem imperfectam nos fallere intendere simulantem se perfectiorem, quàm rem perfectã nos decipere procurare, imperfectiorẽ se esse fingentẽ: sicut enim in rationalibus homo ignobilior sæpe se alium nobiliorem esse fingit, & oppositum non nisi rarò contingit, ita in non cognoscentibus per metaphoram dicimus rem imperfectiorem induere se figura aliûs perfectioris, vt perfectionem simulet, quam in se non habet.

11 Inquiri solet, an obiectum artificiale falsum dicatur ex eo, quod non sit iuxta regulas artis exequutioni mãdatum. Resp. negatiuè, id enim potuit accidere ex eo, quod artifex non formauit ideam, quam formare debuisset iuxta artis regulas. & ita licet opus externũ sit conforme ideæ, tamen declinat à regulis artis, & tunc illud opus non potest dici falsum, quia est conforme cognitioni, qua cognoscitur, error enim tunc tantùm est in artifice, qui non formauit ideam, quam formare debuisset; non verò in praxi, quæ perfectè est imitata propriam ideam. Si verò artifex perfectam habeat ideam operis exercendi iuxta regulas artis, & ex imbecillitate potentiæ exequutricis non se conformantis in opere externo directioni ideæ internæ, tunc illud opus exequutioni mandatum propriè non est obiectum ideæ, neque praxis vt dicebam in Logica Controuers. 1. Punct. 2. quia tale opus est monstrosum respectu directionis, quia est præter intentionem agentis, ac proinde non illud opus dicitur falsum in ordine ad illam cognitionem, quia in ordine ad cognitionem tantum potest dici falsum obiectum cognitum per talem cognitionem.

PVNCTVM IV.

Quid sit bonum transcendentale.

1 DE hac re latè, & doctè P. Soar t. 1. Metaph. disp. 10. ego verò breuiter attingam omnia, quæ ad naturam boni cognoscendam necessaria sunt.

2 Bonum est duplex; aliud *bonum in se*, aliud *bonum alteri*. Bonum in se est quod in se est perfectum, vnde Deus summè bonus dicitur, quia habet summam perfectionem, reliqua verò entia creata bona dicuntur, quia habent perfectionem requisitam ad suum esse, entitas enim incompleta licet non habeat perfectionem requisitam ad esse completum, habet tamen perfectionem, quæ ad suum esse incompletum requiritur, qua constituitur in esse materiæ. Perfectio est triplex *essentialis, accidentalis, integralis*. Perfectio essentialis consistit in prædicatis essentialibus, quibus entitas constituitur, hæc à nulla entitate, adhuc diuinitus potest separari, nulla enim entitas potest esse sine sua essentia. Perfectio accidentalis est aggregatio omnium accidentium, quæ exiguntur à forma ad suum esse naturale, in hoc sensu rem perfectam vocamus, quæ habet colorem, figuram, & pulchritudinem, aliáque accidentia iuxta propriam naturam requisita. Perfectio integralis est integritas omnium partium, quo sensu perfectum hominem vocamus illum, qui omnibus membris, partibúsque corporis gaudet, & imperfectum mutilum aut mancum, eum qui membrorum aliquo orbatus est.

3 Hanc triplicem perfectionem triplex bonitas comitatur, quædam essentialis (essentialem voco non quia sit formaliter ipsa essentia, sed quia realiter identificatur cum illa, & ex parte obiecti formaliter, tantúmque ab ipsa ex modo significandi differt) alia accidentalis, integralis alia. Bonitatem accidentalem, & integralem posse ab ente deficere nulli dubium est, essentialem verò, seu quæ in essentia fundatur non posse ab illo separari constat ex dictis. Hanc bonitatem in ordine ad se, quæ est idem ac perfectio entis non esse passionem illius ex parte obiecti docet Hurtad. disput. 7. Metaph. sect. 4. quem impugnat Arriaga disp. 1. Metaph. sect. 6. immeritò tamen quia ex parte obiecti nullum prædicatum identificatum cum essentia est attributum, sed ipsa essentia, dicitur autem attributum ex modo cognoscendi, seu ex parte actus, quia apprehenditur tanquam passio, sicut est attributum hominis esse intellectiuum, & volitiuum in opinione non distinguẽte intellectum, & voluntatem ab anima, & in hoc sensu existimo hanc bonitatem, seu perfectionem esse passionem entis, quia conuenit omni enti, & non est ratio formalis illius, ens enim non definitur per perfectionem requisitam ad sui esse, sed per rationem existendi. Hanc conclusionem docet Soar disp. 10. sect. 3. quapropter assero hanc bonitatem rectè dici transcendentalem omni enti, consequitur enim omne ens, & à nullo, adhuc formaliter ex parte obiecti præscindi potest.

Bonum alteri est triplex, *honestum, vtile, & delectabile*. 4
Honestum sumi potest in ordine ad mores, & in ordine ad naturam: hoc honestum physicum dicerem, illud verò morale honestum in ordine ad mores. Bonum moraliter honestum est, quod independenter à quacumque vtilitate, seu iucunditate per se est decens, & conueniens homini ratione vtenti, hoc bonum præcipuè sumitur in ordine ad actiones humanas: opera enim virtutum honesta vocamus. Deinde deriuatur ex actionibus in alia externa, vestitum enim honestum vocamus, quatenus est præscriptus ratione honesta, recta, seu decente homini ratione prædito. Alio modo definiri solet honestum, id, quod dignum est honore, & laude, ita virtutum opera honesta dicuntur, quia illis laus debetur, nullum enim aliud præmium virtuti magis consonum, quàm laus: in hoc sensu virtutum habitus honestos dicimus, quia oriuntur ex operibus honestis, & in illa inclinant, non verò potentias naturales quia hæ ex se sunt indifferentes ad opera bona, vel mala laude, vel vituperio digna. Hoc bonum honestum est maximè per se appetibile, & præcipuum bonorum.

Bonum honestum in ordine ad naturam est aliud quod perficit naturam per se, & illi per se est commodum seclusa qualibet ratione virtutis, delectationis, & vtilitatis in ordine ad aliud bonum, vt est sanitas, integritas, & ipsa vita; hoc bonum ait Soar. n. 14. appellasse Philosophos bonum naturæ decens, in quod bonum inclinat appetitus innatus naturæ, sicut appetitus rationalis rationis regulis gubernatus in opera bona, atque honesta, quapropter hoc bonum potest appellari honestum honestate naturali, cuilibet enim naturæ decet propria integritas, atque perfectio, illa verò quæ subiecto sunt decentia honesta dicuntur in eodem genere, quo decentia appellantur. 5

Bonum delectabile est illud, quod delectationem & voluptatem affert subiecto, sicut dulce palato, quod in illo delectationem causat. Bonum vtile dicitur, quod conducere potest ad bonum honestum, seu delectabile acquirendum, etiam si ex se nullam ex his rationem habeat. 6

Hæc omnia bona esse appetibilia nullus dubitat, honestum enim est præcipuum appetibile inter omnia, per se enim est decens, pulchrum, & ornamentum naturæ. Delectabile verò est conueniens subiecto, illíque valdè charum, fruitur enim natura obiecto delectabili, & in illo quietem, dulcedinémque sibi gratam reperit. Vtile verò non per se appetitur, sed ratione illius ad quod est vtile, qui enim amat honores, amat pecunias, quibus honor comparari potest. 7

Omnia entia creata bonitatem aliquam habent sibi conuenientem, habent enim accidentia, passiones, & proprietates sibi maximopere conuenientes, fuitque Priscilliani-starum, & Manichæorum error, quem impugnant Patres, quos citatos reperies apud Soar. n. 4. asserentium esse quasdam creaturas ex se malas, & à quodam principio summè malo procreatas. 8

In substantia verò increata rectè notat Soar. ibid. num. 7. non reperiri hanc conuenientiam per modum vnius ad aliud, Deus enim est simplicissimum ens, in quo nulla est 9

proprie

proprietas, seu passio distincta ab essentia, sed eminentissimè in entitate simplicissima continet perfectiones omnes, quæ in aliis entibus essentiæ, & passionibus distinctis correspondent, excellentiori quodam, longéque eminentiori modo.

9 Ratio vtilitatis, omni enti creato, & increato conuenit, causæ enim vtiles sunt suis effectibus, & accidentia, & passiones substantiis, quas afficiunt in ordine ad suum esse, & conseruari, & Deus ipse vtilis est nobis, quatenus ab illo innumera bona, beneficiáque maximopere appetibilia recipimus.

10 Ratio honesti moraliter sumpti non omni entitati conuenire certum est, sunt enim plura quæ maximopere dedecent hominem ratione præditum, & inhonesta dicuntur, quorum peccatum primum inter reliqua inhonesta locum obtinet, nihil enim magis alienum à ratione, quàm summum bonum, omniúmque bonorum fontem offendere, & ab illo per peccatum auerti.

11 Non omne ens habere rationem delectabilis certum puto, cui enim dolor, & tristitia delectari poterunt? sunt tamen aliqua, quæ, etsi huic subiecto mœstitiam afferant, alij verò delectationem, commodúmque concilient, lux enim quæ vespertilionis oculos offendit reliquorum viuentium vitam oblectat.

12 Ex his infero cum Soar. n. 10. bonum transcendens pessimè sumi à bonitate honesta in genere moris. Affirmat Soar. posse dici bonum transcendens, quod abstrahit ab omnibus bonitatibus prædictis, quia ratio illa abstracta non potest non omni enti conuenire, cum bonitas perfectionis, & vtilitatis conueniat enti creato, & increato, & bonitas honestatis physicæ per modum perfectionis afficientis aliud, conueniat omni enti creato, & increato non per modum vnius aliud afficientis; sed eminentissimo quodam modo per modum simplicis entitatis ratione suprà explicata.

13 Ego ad hanc rationem abstractam non recurro ad bonitatem transcendentalem omni enti assignandam, quia si specialis ratio boni omni enti competit, hæc potiori iure dicetur passio illius, quàm ratio alia vniuersalior abstracta ab hac speciali, quod conuenit omni enti, & ab alia quod illi non conuenit, sicuti rationale hominis passionem esse dicimus, & non rationem aliquam abstractam à rationali quod conuenit homini, & ab hinnibili, quod illi non conuenit. Bonitas integralis aut accidentalis non esse passionem entis ex eo infero, quod vtraque sæpe sæpius ab ente separatur, & integralis bonitas entitati indiuisibili, Angelo, v. g. qui partes non habet integrantes nullatenus competit, & accidentalis integritas physicè Deo non conuenit, quia in illo nullum accidens physicum reperitur. Bonitas, seu perfectio essentialis, & insuper bonitas vtilitatis omni enti competit, & ex hoc capite vtraque posset dici passio entis, nihilominus existimo perfectionem essentialem, quæ consistit in omnium prædicatorum essentialium integritate propriùs dici passionem entis, quia hæc omni enti conuenit, & immediatè intelligitur ens essentialiter constitutum comitari, & est quid intrinsecè pertinens ad ipsum ens absque vllo respectu ad aliquod extrinsecum, sine quo ratio vtilitatis intelligi nequit. Hanc perfectionem essentialem non distingui ex parte obiecti ab ipsa entis essentia, dixi n. 2. & facilè probatur ex eo, quod nihil aliud importet quàm ipsa prædicata essentialia vt sufficientia absque vllo alio rem constituere, & adæquatè metaphysicè componere, seu ipsa prædicata tanquam quoddam aggregatum, in quo continentur omnia, quæ ad rem essentialiter constituendam requiruntur; quod tantum ex modo cognoscendi ab ipsa essentia distinguitur. Hanc essentialem perfectionem physicam honestatem, seu naturæ honestatem appello, vt cum aliis loquar, licet propriè honestatis nomen propriùs bonitati morali, quàm physicæ conueniat.

14 Explicui iam rationem boni, probaui bonum honestum, delectabile, & vtile esse amabile, ex quo infertur hæc omnia bona connotare actum appetitus, quem possunt terminare; potest tamen dubitari, an illum connotent tantùm tanquam potentiam potentem versari circa illa, an verò tanquam rationem formalem boni constitutiuam, quod iam explico.

15 In primis dicendum est rationem terminantem actum appetitus, seu voluntatis supponi ad ipsum actum, ac proinde obiectum in hoc sensu per se formaliter esse appetibile, non per actum, quia ideo appetitur, quia est appetibile, non tamen è contra est appetibile, quia appetitur. Addendum tamen rationem appetibilis extrinsecè includere actum appetitus, quia si hic actus non esset possibilis, obiectum appetitus, quia si hic actus non esset possibilis, obiectum absolutè appeti non posset quantumvis ex se virtutem haberet terminandi appetitum; sicut enim entitas dicitur producibilis per non repugnantiam intrinsecam, & à potentia extrinseca potente eam producere, sic appetibile dicitur per entitatem intrinsecam tenentem se ex parte obiecti, & ab appetitu extrinseco potente illam appetere.

De bono formaliter eodem modo philosophandum est, 16
ac de appetibili, affirmo enim totam rationem formalem boni tenere se ex parte obiecti ad actum amoris, seu appetitus, vnde obiectum non constituitur bonum per actum appetitus, vel amoris, sed per conuenientiam, quam dicit ad subiectum, & honestatem, siue physicam, siue moralem, quam in se habet, & per delectabilitatem, seu vtilitatem, quæ supponuntur ad actum appetitus, non enim ideo est obiectum conueniens subiecto, quia appetitur, sed ideo appetitur, quia est conueniens subiecto. Vnde conuenientia, quæ est ratio formalis bonitatis supponitur ad amorem, explicatur tamen per ordinem ad illum, sicut obiectum per suam potentiam, per quam rectè cognosci potest tanquam per medium extrinsecum.

Ex his infertur diuerso modo respicere verum cognitionem, quàm bonum amorem; verum enim respicit cognitionem tanquam formam illud constituentem in ratione veri, quando hac seclusâ tantùm consideratur vt ens; bonum verò respicit amorem tanquam actum, qui potest tendere in illud, vt in obiectum adæquatè ab amore distinctum, quando secluso amore concipitur conuenientia in ordine ad subiectum honestas moralis, & physica, delectabilitas, & vtilitas. 17

Punctum V.

De malo bono transcendentali opposito.

TOt malorum genera reperiuntur quot bonorum Puncto præcedenti assignauimus, malum enim dicitur quod caret perfectione sibi debita: in hoc sensu mors hominis, & non esse cuiusvis rei est summum malorum, quia est carentia totius entitatis, ac proinde totius perfectionis, & essentiæ physicæ, malum etiam dicitur quod opponitur integritati accidentali, in hoc sensu dicimus malum esse cibum non habentem colorem, odorem, & saporem sibi debitum, & malam esse cathedram, vel mensam, cui deficit aliqua pars ad sui integritatem requisita. 1

Hoc malum est duplex, negatiuum, & positiuum: negatiuum est carentia perfectionis debitæ, sicut est carentia frigoris in aqua, duorum brachiorum in homine; malum positiuum est positiua entitas data subiecto contra exigentiam illius, in hoc color est malus aquæ, & duplex caput est malum homini; homo enim, qui duplex haberet caput valde imperfectus diceretur, & monstrum. 2

Deinde est malum, quod opponitur bono honesto vtili, & delectabili, tam positiuè, quàm negatiuè, negatio enim operis honesti debiti malum inhonestum dicitur, sicut negatio auditionis Missæ in die festo, quæ dicitur malum inhonestum negatiuum. Malum positiuum est actus positiuus indecens homini recta ratione vtenti, sicuti actus intemperantiæ hoc malum opponitur honestati morali, honestati verò physicæ opponitur priuatiuè negatio qualitatis debitæ subsistantiæ, v. g. frigiditatis aquæ, & positiuè qualitas, cui subiectum physicè repugnat, calor scilicet eidem aquæ. 3

Bono vtili priuatiuè opponitur carentia medij requisiti ad bonum honestum, vtilève consequendum, & positiuè opponitur, illud quod non solùm non iuuat; sed etiam retrahit ab eodem bono consequendo. Bono honesto illius carentia priuatiuè opponitur, & positiuè malum inhonestum. Delectabili bono opponitur priuatiuè carentia obiecti delectabilis, quo subiectum ex aliquo capite debebat frui, & positiuè obiectum doloriferum tristitiam, anxietatémve adducens. 4

Nota diuisionem tam bonorum quàm malorum tantùm esse præcisiuam, non verò in membra physicè opponi, idem enim bonum, idémque malum potest sub diuersis rationibus ad diuersas species pertinere. 5

CONTRO

CONTROVERSIA IV.

De distinctione entis.

CONTROVERSIA præcedenti, quam instituí de vnitate, veritate, & falsitate entis, egi de falsitate, & malitia, seu de ente falso, & malo, quæ vero & bono opponuntur; de distinctione autem placuit specialem hanc Controuersiam constituere, quia de illa plura scitu digna & inter Theologos valde controuersa exagitanda sunt.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit realis distinctio.

1 HOc ens ab illo distingui primò dicit non esse illud, quod citra omnem controuersiam est. Venit in quæstionem an hoc ens non esse illud dicat aliquid positiuum ex parte entis, vel aliquid negatiuum, & an præter hoc quod est hoc ens non esse illud, aliquid aliud importetur, vt hoc ens ab illo dicatur distinctum, & an illud à quo hoc ens distinguitur necessariò debeat existere.

2 Quæstio potest esse tantùm de nomine, an terminus distinctionis existere debeat, quæ nihil de re potest importare, vt benè omnes, qui rem hanc accuratè tractant. Certum est enim ad hoc vt hoc ens non sit illud, non requiri illud existere, exempli gratiâ, ad hoc vt Petrus non sit Ioannes, certum est non requiri Ioannem existere, quia Ioanne non existente propositiones hæ *Petrus non est Ioannes*, & *Petrus est non Ioannes* veræ sunt, hæc enim propositio *Petrus est Ioannes* falsa est, & priori contradictoriè opponitur, in qua veritatem arguit, ex duabus enim contradictoriis non potest non vna esse vera, & altera falsa, & ita ex falsitate huius veritas alterius legitimâ consequentiâ deducitur. Quod si distinctionis nomine non solùm significemus hoc non esse illud, sed relationem diuersitatis inter extrema, certum est necessariò requiri vtriusque existentiam, vt illorum quodlibet distinctum dici possit. Hac ratione doctè dixit P. Soar. disp. 4. Metaph. sect. 1. num. 16. Deum ab æterno existentem non habuisse ab æterno hanc distinctionem à creaturis, quia creaturæ non fuêre ab æterno, sed ab æterno habuisse Deum non esse creaturam, quod aduenientе creaturâ fundat hanc positiuam distinctionem, quâ Deus dicitur distinctus à creatura per se ipsum, qui ab æterno intrinsecè habuit non esse creaturam, & per ipsam creaturam in tempore existentem, quâ positâ distinctio Dei à creatura, seu inter Deum & creaturam, quatenus non solùm dicit Deum non esse creaturam, sed esse distinctum, seu diuersum, quod relatio diuersitatis dici solet. In hoc sensu sumpta distinctione hæc propositio *Petrus distinguitur à Ioanne*, in has resoluitur *Petrus est: Ioannes est*: & *Petrus non est Ioannes*. Hanc distinctionem distingui ab vnitate certum est, quia hoc ens esse vnum, est independens ab omni alio termino, eo enim ipso quod ens existat est vnum formalissimè dempto quocumque alio, & tamen non dicitur distinctum, quousque sit aliud à quo distinguatur.

3 Primum illum conceptum distinctionis absolutæ ex vi cuius hoc ens non est aliud modo negatiuo significari certum est, an verò ex parte obiecti negationem importet, vel rem positiuam instar negationis significatæ, inter authores est dubium. Censent nonnulli conceptum obiectiuum ex vi cuius hoc positiuum ens formaliter nõ est aliud, dicere negationem; meliùs tamen Hurtad. disp. 6. sect. ... & alij plurimi docent esse eamndem positiuam essentiam entis modo negatiuo significatam. Plura de hac re dixi Controuers. 3. Punct. 1. vbi probaui ens hoc non esse aliud, v.g. Petrum non esse Ioannem, seu Petrum esse non Ioannem, dicere conceptum positiuum entis nulla alia negatione formaliter importata. Vide dicta ibi, quibus hanc addes rationem. Priusquam intelligatur in Petro negatio Ioannis, debent intelligi Petrus, & Ioannes: sed in illo priori intelligitur Petrus vt non Ioannes, & Ioannes vt non Petrus: ergo independenter ab omni negatione habet Petrus non esse Ioannem. Maiorem probo: negatio supponit subiectum, cui inhærens concipitur formaliter existens, & connotat habitum quo priuat intellectum secundùm scientro tanquam in subiecto, & apprehenditur respiciens Ioannem tanquam habitum, quo priuat: ergo supponit Petrum existentem, & connotat habitum videlicet Ioannem, vt distinctum ab illa constitutum cum suis differentiis indiuidualibus: sed eo ipso, quod Petrus, & Ioannes intelligantur cum suis differentiis indiuidualibus secluso negatione superaddita, præcisè per ipsas differentias intelliguntur Petrus non Ioannes, & Ioannes non Petrus: ergo ad hoc vt Petrus non sit Ioannes, vel ad hoc vt sit non Ioannes; & ad hoc vt Ioannes non sit Petrus, vel vt sit non Petrus non requiritur formaliter aliqua negatio, sed præcisè per positiuas entitates intelligitur Petrus alius à Ioanne, & Ioannes alius à Petro: Secundò si rogemus cur rationale habeat hanc negationem respectu hinnibilis, & non illam habeat cum animali, respondetur quia rationale non est idem cum hinnibili, & est idem cum animali: ergo prius est hoc ens esse idem, aut non esse idem cum illo, quàm habere, aut non habere negationem superaddita: ergo antecedenter ad omnem negationem superadditam habet rationale non esse hinnibile, seu esse non hinnibile, & esse ipsum rationale, seu animal cum illo identificatum.

Difficiliùs sanè erit distinguere conceptum hunc ex vi cuius Petrus distinguitur ab equo, quatenus distinctio tantùm dicit hoc non esse illud, à ratione vnius, quia Petrus vt vnus dicit non esse aliud, & non esse Ioannem: ergo dicit esse distinctum à Ioanne distinctione hac ratione accepta, & non per modum relationis essentialiter connotantis duplex extremum existens. Porrò non multum curandum est de horum conceptuum distinctione, neque quidquam aliquid dici refert distinctionem hac ratione sumptam, non distingui formaliter adhuc ex parte actus ab vnitate, neque ex hoc infertur distinctionem, & vnitatem non distingui, quia dici potest illam acceptionem distinctionis esse valde impropriam, & distinctionem strictè sumptam dicere duplex extremum existens, in quibus instar relationis distinctio concipitur, quàm distinctionem ab vnitate distingui certum est, quia distinctio ista præter vnitatem huius entis, quod dicitur distinctum, connotat tanquam terminum vnitatem aliùs entis existentis, à quo hoc ens dicitur esse distinctum, & est dependens ab illa; vnitas autem huius entis independens est ab omni alio. Nihilominus nonnulla potest reperiri distinctio ex parte actus inter distinctionem, adhuc in primo sensu acceptam, & vnitatem: potest enim vnitas huius entis dicere hoc non esse aliud, quatenus non esse aliud dicit negationem pluralitatis, quam haberet hoc ens, si simul esset idem, & aliud, seu si in plura diuideretur, quam pluralitatem primò, & per se intendit negare vnitas, & ne illa detur pluralitas, negat vnitas extrema illa, ex quibus talis pluralitas assurgeret. Distinctio verò dicit hoc ens non esse illud, quatenus hoc ens non esse illud, seu esse non illud fundamentum est, vt posito illo ente assurgat distinctio secundo modo accepta, seu relatio diuersitatis inter hoc, & illud ens, ita distinctio Petri non respectiua, seu dependens ab extrinseco, seu adæquatè cum ipsa identificata dicit Petrum non esse Ioannem, seu Petrum esse non Ioannem, non intendendo negare pluralitatem, quam haberet Petrus, si simul esset Ioannes, sed intendendo fundare relationem diuersitatis, seu distinctionis relatiuæ dependentis ab existentia extrinseci extremi, quæ existente Ioanne resultauit ex Petro tanquam ex fundamento, cuius ratio fundandi est ipsum non esse Ioannem, & ex Ioanne existente tanquam ex termino, ex vi cuius poterit dici Petrus formaliter distinctus à Ioanne distinctione relatiua, quæ eadem est cum relatione diuersitatis.

5 Hac ratione poterit distinctio aliqua adæquata intrinseca enti in illo reperiri, quæ formaliter ex parte actus ab vnitate distinguatur, & possit dici passio entis cum illo conuertibilis, & in quocumque statu ab illo inseparabilis, quia eo ipso quod existat ens, habet non esse aliud, ex vi cuius habebit distinctionem relatiuam, seu relationem diuersitatis si ponatur aliud extremum, ex quo tanquam ex termino, & ipso ente per se ipsum non alio tanquam ex fundamento resultet relatio. Sic distinctio illa absoluta formaliter sumpta, & distinctio respectiua sumpta fundamentaliter

taliter poterit dici passio entis, quia distinctio respectiua sumpta fundamentaliter, hoc est, fundamentum distinctionis respectiuæ formaliter non distinguuntur, distinctio enim absoluta formaliter sumpta nihil aliud est, quàm fundamentum distinctionis respectiuæ, vt suprà dicebam. Distinctio respectiua formaliter sumpta, propriè non poterit dici entis passio, quia passio, seu attributum cuiusvis rei necessariò, & independenter ab omni extrinseco illi competit, hæc tamen distinctio respectiua contingenter, & dependenter ab existentia alius extremi extrinsecè accidit enti. Quod illi conueniat dependenter ab extremo extrinsecè existente probandum non est, sed supponendum; agimus enim de distinctione, quæ assurgit ex subiecto, quod dicitur distinctum tanquam ex fundamento, & ex extremo alio extrinsecè existente tanquam ex termino. Eandem respectiuam distinctionem contingenter enti competere ex eisdem principiis facilè probo. Contingens est respectu huius entis iam existentis existere aliud, à quo hoc essentialiter non dependet: ergo contingens erit eidem enti quidquid illiconueniat dependenter ab existentia eiusdem entis, à quo essentialiter non dependet, quia quidquid accidit dependenter à re contingenti necessariò cum illa eandem subit contingentiam: ergo contingens est respectu cuiusvis entis distinctio respectiua in ordine ad omnia entia, à quibus essentialiter non dependet. Quod si ens supponat alia entia, à quibus essentialiter dependet, & cum his fundet necessariò relationem distinctionis, seu diuersitatis, non ideo hoc accidit, quia ens indigeat hac relatione, seu his extremis, vt terminet hanc respectiuam relationem, sed vt ab illis existentiam recipiat. Secundò: distinctio, quæ est passio entis, conuenit cuicumque enti eâdem necessitate respectu omnium entium: sed hæc distinctio respectiua non conuenit cuicumque enti eâdem necessitate respectu omnium: ergo hæc distinctio respectiua non est passio entis. Tertiò: distinctio, quæ est passio entis, conuenit necessariò etiam enti increato. Sed hæc respectiua distinctio non conuenit necessariò enti increato, quia Deus ab æterno extitit sine hac respectiua distinctione, seu relatione diuersitatis respectu creaturarum existentium; quæ ab æterno non fuêre, & sine quibus Deus extitit per totam æternitatem: ergo hæc distinctio respectiua non est passio entis.

6 Ex his infertur necessariò dicendum esse nullam distinctionem propriam, & formalem esse passionem entis: sed tantùm esse proprium entis habere in se fundamentum distinctionis, vel distinctionem illam absolutam, ex vi cuius ens habet non esse aliud proprie, & strictè habere rationem formalem distinctionis, & formaliter distingui ab vnitate modo dicto suprà. Malo ergo dicere distinctionem formalem esse passionem entis, & hanc distingui ab vnitate formaliter ex parte actus, & consistere in hoc quod est ens non esse aliud, quatenus istud non esse aliud fundamentum est aptum ad fundandam distinctionem aliam respectiuam, quæ adueniente alio ente consurget ex distinctione absoluta, quæ est passio entis, & ex alio extremo adueniente, cui intrinsecè alia inest distinctio absoluta, tanquam ex termino. Hac ratione rectè assignatur distinctio, quæ sit passio entis formaliter à reliquis passionibus distincta, quæ illi necessariò conueniat, & cum illo adæquatè conuertatur.

7 Vtraque distinctio tam absoluta, quàm respectiua, destruit rationem vnitatis in extremo, quod dicitur distinctum, respectu illius à quo distinguitur, seu quod non esse dicitur ens illud, quod distinctione absoluta consideramus: nihilominus neutra per se formaliter opponitur cum vnitate, quia vnitas formaliter tantùm opponitur cum pluralitate, quam intendit negare, & materialiter cum distinctione, & distinctio formaliter opponitur cum identitate, & materialiter cũ vnitate, quæ materialiter dicit identitatem entis, quod vnum dicitur cum se ipso, & indistinctum à se.

8 Inter vnitatem, & distinctionem hoc modo explicatam nullum prioritatis ordinem agnosco, quia non est prius vnum non esse aliud, quatenus non esse aliud destruit pluralitatem; quàm non esse aliud, quatenus non esse aliud fundamentum est distinctionis respectiuæ, neque e contrà: sed vtrumque non esse aliud, seu idem non esse aliud æquè primò afficit ens in ordine ad fundandam distinctionem respectiuam, & in ordine ad destruendam, seu negandam pluralitatem, & ita nullum agnosco ordinem inter has passiones, seu inter attributa immediatè afficientia rationem entis. Distinctio alia respectiua, quæ dicit existentiam termini distincti, posterior est distinctione absolutâ, quam dixi propriè esse passionem entis, quia dependet ab aliquo extrinseco, & supponit existens, non solùm ens, quod dicitur distinctum, & extremum respectu cuius, seu à quo distingui dicitur, & supponit hoc non esse illud, & illud non esse hoc, quod est supponere distinctionem absolutam in vtroque extremo.

Distinctionem, quam propriè passionem entis esse dixi, 9
absolutam vocaui, non quia intelligatur omnino absoluta nullo alio termino connotato, quia adhuc distinctio illa quomodocumque intelligatur semper respectu alius intelligitur, hoc enim quod est Deum ab æterno non esse Angelum, sub hac ratione significatum instar habentis negationem Angeli non potest apprehendi sine Angelo, qui de Deo negatur, vel cuius negationem ab æterno dicitur Deus habuisse. Dicetur tamen distinctio absoluta, quia non exigit existentiam termini, sicuti illam exigit distinctio alia, quam hucvsque respectiuam vocauimus; posset tamen vtraque distinctio vocari respectiua, prior illa quæ est passio entis, & non requirit terminum existentem *respectiue transcendentaliter*; & posterior altera, quam respectiuam semper vocabimus, & requirit terminum existentem *respectiue prædicamentaliter*.

Distinctio respectiua transcendentaliter, quæ est propria 10
entis passio, terminum respicit tanquam quid extrinsecum, & nullo modo pertinens formaliter ad sui constitutionem, & adæquatè cum fundamento identificatur; distinctio verò altera relatiua prædicamentaliter terminum dicit tanquam quid pertinens ad sui constitutionem, dicit enim hæc distinctio fundamentum, quod distinctum dicitur in recto significatum, & illius terminum significatum in obliquo, vtrumque tanquam illius proprium constitutiuum intrinsecè pertinens ad illius constitutionem. Hac ratione distinctio, quâ relatiuè distinguitur substantia ab accidenti, dicit in recto substantiam, & accidens, & in obliquo substantiam. Eodem modo distinctio, quâ distinguitur Petrus à negatione Ioannis dicit in recto Petrum, & in obliquo negationem Ioannis, & distinctio, quâ distinguitur negatio Ioannis à Petro dicit in recto negationem Ioannis, & in obliquo Petrum. Comparaui Petrum, & negationem Ioannis inter se, quia Petrus & negatio Petri hac distinctione relatiua comparari non possunt, quia distinctio hæc petit extrema coëxistentia, & cùm coëxistere non possit Petrus, & negatio Petri, habitus & negatio eiusdem habitus, nunquam inter hæc extrema poterit reperiri distinctio hæc prædicamentaliter relatiua. Distinctio, quæ fundamentum dicit substantiale, & accidentalem terminum, vel è contrà talis dicetur, quale fuerit fundamentum, quod in recto importat, sic distinctio, quâ substantia ab accidenti distinguitur, substantialis dicetur, & distinctio, qua accidens distinguitur à substantia, accidentalis appellatur, etsi in re vtraque distinctio aliquid substantiæ, & accidentis aliquid habeat.

Entia purè possibilia, quæ actu non sunt, strictè loquendo distinctionem actualem non habent, quia id quod non est actu non potest esse actu distinctum, dicentur tamen habere suam distinctionem possibilem. Eadem ratione ens purè possibile ab alio ente existente propriè non distinguitur hac relatione prædicamentaliter relatiuâ, neque ens actu existens ab ente possibili distinguitur distinctione relatiuâ prædicamentaliter, de qua loquimur, quia cùm id, quod est purè possibile absolutè non sit, neque existat, sed esset, aut existeret, vt dicebam Controu. 2. Punct. 1. sufficiens non est ad fundandam distinctionem respectiuam prædicamentaliter, quæ necessariò exigit vtrumque extremum realiter existens. 11

Pvnctvm II.

De distinctione ex natura rei.

CElebris est distinctio formalis quam Scotistæ ex suo 1
Magistro defendunt, media inter distinctionem realem, & rationis, de qua in præsenti disputationem instituimus. Totus multorum est labor, qui de hac re scripserunt in impugnanda hac distinctione, quam non explicant, neque ad mentem Scotistarum referunt, & facilè multa in illam congerunt argumenta, à quibus omnibus se

abstinerent, Scotistarum mentem solicitè indagassent, & priùs ad hanc distinctionem explicandam, quàm impugnãdam suam nauassent operam. Curabo ego priùs distinctionem hanc exponere eâ ratione, quâ defenditur à discipulis Subtilis Doctoris, ipsiusque doctrinæ acerrimis defensoribus, qui iure optimo Scotistarum nomen sibi arrogant.

2 Distinguit schola D. Thomæ distinctionem entis vniuersaliter sumptam in distinctionẽ realem, & rationis: distinctio rationis dicitur quæ tantùm habet esse obiectiuè in intellectu, & secundùm totum suum esse essentialiter dependet à cognitione intellectus. Distinctio realis est illa, quæ habet suum esse independenter ab intellectu cognoscente, & in se ipsa habet suam entitatem, siue cognoscatur, siue non. Quam diuisionem illius authores adæquatam esse defendunt, & nullum aliud membrum diuidens medium inter duo assignata reperiri posse propugnant. Rursus distinctio rationis diuiditur in distinctionem rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ. Rationis ratiocinantis distinctio dicitur illa, quam intellectus absque vllo fundamento architectatur, vt cùm dicit, *Petrus est Petrus*, & Petrum à se ipso distinguit. Distinctio rationis ratiocinatę est illa, quæ cum fundamento distinguitur ab intellectu v. g. cognoscit intellectus hominem sentire, & ratiocinari, & his operationibus distinctis fundamentum desumit ad distinguendum prædicatum animalis, cui sensationes tanquam principio correspondeant, & prædicatum rationalis, cui correspondeant ratiocinationes, quæ prædicata nullã distinctionem inter se habent independenter ab intellectu, sed tantùm beneficio huius, distinctionem extrinsecam, quæ iure dicitur rationis, sortiuntur.

3 Censent plures in prima diuisione distinctionis factâ in distinctionem realem, & rationis, opponi Thomistas cum Scotistis inuenientibus aliam distinctionem mediam inter realem, & rationis: falluntur tamen quia si nomine distinctionis realis intelligatur omnis distinctio, quæ est independenter ab intellectu, & verè est secluså omni fictione, concedent Scotistæ distinctionem adæquatè diuidi in distinctionem realem, & rationis, vt expresè docent Faber. in 1. disp. 20. n. 44. Theod. tit. 2. de Deo vno disp. 1. num. 43. & 5. Rad. 1. part. Controuers. 4. Barthol. de Sosa in 1. distinct. 2. quæst. 7. artic. 3. diffic. 54. num. 39. & Meriner. in Logica cap. 1. de vniuersalibus disputat. 1. quæst. 2. sect. 1. num. 13. omnes ex præclarissima Diui Francisci familia, & alij quam plurimi. Differunt huc vsque authores vtriusque scholæ tantùm in modo loquendi, quia Thomistæ omnem distinctionem, quæ absque intellectus ope subsistit, distinctionem realem appellant, Scotistæ verò non ita sed distinctio illa, quæ absque interuentu intellectus existit, distinctio ex natura rei ab his dicitur, quam rursus diuidunt in distinctionem formalem, in qua subdiuisione maior dissensio reperitur inter vtriusque Scholæ Doctores, quam ego in præsenti explicabo.

4 Illa quæ ex natura rei absque vlla fictione distinguuntur, inquiunt Scotistæ, in duplici sunt differentia: quædam quæ de potentia Dei absoluta possunt saltem non mutuò separari, sicuti materia, & forma, quæ ex natura rei nullo beneficio intellectus distinguuntur, & mutuò possunt separari, potest enim materia existere sine forma, & forma sine materia, & sicuti forma, & illius vnio, in quibus forma potest separari ab vnione, etsi hæc sine forma non posset existere, & ita non mutuò separari possunt. Hęc extrema separabilia siue mutuò, siue non mutuò, realiter distinguuntur iuxta Scotistarum opinionem, in quo conueniunt cum Thomistis. Alia sunt extrema, inquiunt Scotistæ, distincta ex natura rei, quorum neutrum, adhuc diuinitus, ab altero potest separari, licet à parte rei habeãt entitates, conceptibilitates, & quidditates distinctas, ita vt sint plures entitates, & quidditates, non verò plura entia quia illorum distinctio versatur inter entitates, & conceptibilitates, non verò inter entia: & hæc distinctio vocatur distinctio ex natura rei formalis, non realis, & ita componi potest cum identitate reali. Sic distinctionẽ hãc explicat Sosa n. 34. & Merinero n. 14. Ex his infert Sosa aliã esse distinctionem formalem, aliam distinctionem formarum. Distinctio formarum est, quæ intercedit inter albedinem, & nigredinem, quæ non est distinctio ex natura rei formalis, sed distinctio ex natura rei realis, quæ non solùm est inter entitates, sed inter entia: distinguitur enim albedo à nigredine tanquam ens ab ente similiter inter duas albedines est distinctio realis, quia separari possunt, & sunt duo entia non tamen distinguuntur formaliter, quia vtraque habet eandem formalitatem, & eandem essentiam. Distinctio formalis est illa, quæ reperitur cum identitate reali inter formalitates, & quidditates distinctas, quæ nullo modo possunt separari. Hæc distinctio ex natura rei formalis iterũ subdiuiditur in formalem essentialem, & non essentialem. Essentialis est illa, quorum extrema pertinent ad constitutionem essentialem specierum essentialiter differentium, sicuti distinctio formalis quæ intercedit inrer actionem, & passionem in cõmuni sententia, quæ actionem à passione realiter non distinguit. Distinctio formalis non essentialis est illa, quæ intercedit inter extrema non constituẽtia species essentialiter oppositas, sicut illa, quæ datur inter rationale, & risibile, quæ essentialiter non differunt, quia risibile est passio rationalis, & ad eandem essentiam cum illo reducitur, ad eandemque pertinet essentiam.

5 Distinctionem ex natura rei realem ex quatuor capitibus Scotistæ agnoscunt: primum est *ex generatione*: secundum *ex corruptione*: tertium *ex separatione*: quartum ex *dependentia*. Quia quoties duo diuersâ generatione generantur, vel diuersâ corruptione corrumpuntur, vel separatur vnum ab alio, vel vnum ab alio dependet, certum est distingui ex natura rei realiter. Distinctionem ex natura formalem ex aliis quinque capitibus inuestigantur Scotistæ, quæ recenset Merinero suprà n. 20. videlicet *ex exclusione*; *ex definitione*: *ex descriptione*: *ex demonstratione*, & *reduplicatione*. Quoties enim aliqua ita se habent, vt vnum aliud excludat à sua ratione formali, vel diuersâ definitione essentiali aut descriptiua explicetur, qua explicatur aliud, aut de ipso demonstratur aliquid quod non demonstretur de alio, vel denique in quantum tale dicatur aliquid de illo, quod non dicatur in quantum tale de alio, tunc vnum ab alio ex natura rei formaliter distinguitur.

6 Eandem distinctionem formalem magis explicant Rada 1. p. Contr. 4. notab. 3. de Sosa suprà n. 39. ex Guillelmo Rubione vetustissimo Subtilis Doctoris discipulo, cuius intellectum circa Magistri mentem de hac distinctione valde commendat Sosa ibid. per non identitatem primo modo dicendi per se, illa enim asserit Guillelm. hac distinctione gaudere in his, quæ realiter sunt idem, quæ non identificantur primo modo dicendi per se. Illa verò primo modo dicendi per se tantùm identificari asserunt Scotistæ, quæ se habent veluti definitum, & definitio adæquata, vel inadæquata: illa secundo aut tertio modo identificantur, quorum vnum non est definitio aliùs, neque pars definitionis, sicut risibile respectu rationalis, existentia respectu essentiæ. Asseritque Guillelm. per istam non identitatem non esse intelligendam distinctionem aliquam in re extrà hoc est, realem, inter illa quæ distinguuntur: sed tantùm intelligendam esse distinctionem definitionum, seu conceptuum obiectiuorum, quorum significata licet sint vna, & eadem res, conceptus tamen definitiui illius rei ita sunt diuersi, quod vnus non sit alius, & significatum vnius distinguatur à significato aliùs. Addit insuper hic author illa, quæ formaliter distinguuntur, non requirere identitatem realem vt significata per proprias cuiusliber definitiones, sic animal & rationale licet in se sint idem realiter, tamen hæc identitas non exigitur ex conceptu significato per definitionem animalis, quia tantùm id quod significat definitio animalis, excludit vel saltem non includit significatum per definitionem rationalis, & ita obiecta significata per definitionem animalis, & per definitionem rationalis, etsi realiter sint identificata, non exigunt identitatem ex vi definitionum, quapropter formaliter distinguuntur independenter ab omni fictione intellectus. Eadem ratione defendunt Scotistæ distingui ex natura rei formaliter essentiam, & relationem, & attributa inter se, quia essentia non est definitio, neque pars definitionis relationum, neque è contrà. Similiter vnum attributum non est definitio, neque pars definitionis aliùs, ideo formaliter attributa inter se distinguuntur ante omnem fictionem intellectus. Deinde asserunt essentiam realiter identificari cum relationibus, & attributa inter se, & cum essentia, non obstante distinctione ex natura rei formali ratione infinitatis, quę est in Deo, quæ arguit identitatem realem inter essentiam cum attributis & relationibus, & inter attributa cõparata inter se, & cum relationibus, & opponitur cum

distinctione

distinctione reali inter hæc extrema, non verò arguit eadem infinitas in eisdem extremis identitatem formalem, neque opponitur cum distinctione formali ex natura rei eorundem, quia infinitas non variat quidditates, aut formalitates, quæ sunt in Deo, sed identificat realiter diuinæ essentiæ, omne quod est cum illa compossibile, quia est modus, seu gradus intrinsecus perfectionis entitatis ipsi entitati adueniens, ex vi cuius Deus habet summam perfectionem, quæ opponitur cum distinctione reali, ex vi cuius possit vnum extremum ab alio separari.

7 Ecce discipuli D. Thomæ & Scoti immediatè diuidunt distinctionem, in distinctionem rationis, & in distinctionem, quæ est independenter à fictione intellectus, seu quæ in ipsis entitatibus independenter ab omni operatione intellectus reperitur in rebus, differunt autem in eo, quod membrum condistinctum à distinctione rationis Thomistæ vocant distinctionem realem, & Scotistæ non distinctionem realem, sed ex natura rei dici volunt, in quo tantùm est dissensio de modo loquendi, hæc tamen ad aliam de re valde grauem viam sternit. Asserunt Scotistæ diuisionem ex natura rei condistinctam à distinctione rationis contrahi per duplicem aliam inferiorem, videlicet per distinctionem ex natura rei realem, & hanc distinctionem habere affirmant omnes entitates, quas Thomistæ distinguunt distinctione oppositâ distinctioni rationis, quam absolutè realem appellant, & per distinctionem ex natura rei formalem, quâ Scotistæ distingui affirmant omnes entitates, quas Thomistæ tantùm distinguunt distinctione rationis ratiocinatæ. Ex his inferes easdem entitates realiter distinctas appellari ab Scotistis, & Thomistis, cum hac tamen differentia, quod Thomistæ appellant distincta realiter illa, quæ adæquatè opponuntur distinctis per rationem; Scotistæ verò asserunt obiecta realiter distincta, non adæquatè opponi distinctioni rationis, sed obiecta distincta realiter, & obiecta formaliter distincta, quia vtramque distinctionem habent independenter à fictione intellectus, & nomine generico adæquatè opposito distinctis per rationem ex natura rei distingui dicuntur. Ex his inferes distinctionem mediam, quam Scotistæ defendunt non esse distinctionem ex natura rei vt sic, quia distinctio ex natura rei communis est iuxta illorum phrasim speciali distinctioni, quam ipsi propugnant, & communi, quam cum Thomistis admittunt, sed distinctionem ex natura rei formam independentem ab omni fictione intellectus.

8 Quâ potui claritatè, & fidelitate Scotistarum opinionem proposui, magni enim duco grauissimæ Scholæ sententiam penetrasse, & indecorum valdè iudico prætendere doctissimos impugnare viros illorum mente non assequutâ. Neque casu dixi semper, hanc opinionem Scotistas defendere, quam nunquam Scoto tribui, sunt enim grauissimi authores qui Scotum explicant de distinctione formali factâ per intellectum, è suis Herrera 1. tit. disp. 8. q. 13. & disp. 14. q. 1. & ex nostris P. Soar. in Met. disp. 7. sect. 1. & lib. 4. de Trinit. cap. 4. Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 3. Hurt. disp. 6. sect. 3. §. 27. & plures alij. Referuntur nonnulla Scoti testimonia, præcipuè in 1. dist. 2. quæst. 2. q. 7. ad probandum hanc distinctionem mediam, quam sui volunt esse independenter ab intellectu, ex mente Subtilis Doctoris non distingui à distinctione rationis, à quo non multùm distat explicatio Rubionis quam de hac distinctione retuli, verumtamen sunt plures Scotistæ, qui ægrè ferunt Scotum sic ab aliis explicari, cum quibus non contendo, sed libenter admitto distinctionem formalem traditam ab Scoto esse distinctionem quamdam independenter ab intellectu existentem mediam inter distinctionem rationis, & illam, quam realem Scoti discipuli appellant.

9 Hanc mediam distinctionem sic explicatam defendunt Scotistæ omnes, Herrera dempto, qui Subtilem Doctorem de distinctione rationis explicat. Præter Scotistas illam defendunt P. Fonf. 5. Met. c. 6. q. 6. sect. 1. Ægid. de Præsent. lib. 5. de visione Dei q. 5. art. 4. §. 2. n. 35. quibus nonnihil consentire videntur Conimb. in præfatione Porphyrij q. 4. art. 2.

10 Distinctionem omnem adæquatè diuidi in distinctionem rationis, & distinctionem realem, nulla data distinctione formali independenter ab intellectu existente condistincta à distinctione reali, defendunt cum S. Th. Scotistis exceptis, & vno, vel altero ex aliis modo relato, reliqui omnes Scolastici Doctores ideo nullum refero, videantur P. Soar. in met. disp. 7. sectio 1. & Vasq. 1. p. disputatio 116. cap. 5. Sit

Conclvsio. Nulla datur distinctio, quæ rationis non 11
sit, minor illâ, quam Scotistæ vocant distinctionem realem, quàmque communis sententia appellat distinctionem rei à re, vel rei à modo. Abstineo à vulgari argumento, quod contra distinctionem prædictam ferè omnes adducunt, videlicet distinctionem omnem, quæ non est dependenter ab intellectu futuram esse realem, quod Scotistæ concedunt sumpto termino *reale* pro illo quod opponitur enti rationis, & tantùm dicit id, quod existit independenter ab intellectu, quod Scotistæ non reale vocant, sed ex natura rei; & rursus illud subdiuidunt in esse ex natura rei reale, & ex natura rei formale. Alio iam modo contra hanc distinctionem argumentor. Eo ipso quod duæ formalitates ante omnem intellectum distinguantur, datur hæc formalitas, quæ non est illa, & illa quæ non est ista: ergo datur duplex formalitas: ergo duplex entitas: ergo distinguuntur eadem distinctione, qua distinguuntur de facto materia, & forma: ergo distinguuntur realiter. Probo consequentiam: materiam realiter distingui à forma nihil aliud est, quàm materiam non esse formam, neque è contrà: sed idem haberent illæ formalitates: ergo formalitates illæ distinguerentur realiter eadem distinctione, quâ distinguuntur de facto materia, & forma. Respondent Scotistæ distingui realiter dicere non esse idem realiter, quod non haberent illæ formalitates, quæ tantùm non essent idem formaliter, & tamen essent idem realiter. Contrà: non esse idem realiter nihil aliud est, quàm non esse idem ante operationem intellectus: sed formalitates illæ ante operationem intellectus non sunt idem: ergo non sunt idem realiter: ergo non solùm carent identitate formali, sed etiam identitate reali. Negabit Scotista antecedens, & dicet non esse idem realiter non tantum dicere vtcumque non esse idem ante operationem intellectus, sed ita non esse idem, vt possint saltem non mutuò separari, vel vt possit vnum produci sine alio, vel sine alio corrumpi, vel vnum ab alio dependere, quæ sunt quatuor capita, ex quibus Scotistæ agnoscunt distinctionem realem. Quando verò ante operationem intellectus non sunt idem, & tamen viâ separationis, vel viâ generationis, corruptionis, aut dependentiæ non identitas seu distinctio non infertur, sed tantùm viâ exclusionis aut definitionis, &c. hæc non identitas realis non est, sed tantùm formalis. Tria capita ex quibus non identitatem, seu distinctionem ex natura rei formalem à distinctione reali distinguunt, videlicet posse vnum separari ab alio, posse produci sine alio, vel posse ab alio corrumpi ad vnum reducuntur, videlicet non posse vnum separari ab alio, quia ex eo præcisè, quod vnum ab alio non possit separari, non potest sine illo produci, aut corrumpi, sed quidquid sit de hoc, probo ex his quatuor capitibus non posse distingui non identitatem formalem à non identitate reali, neque distinctionem ex natura rei formalem à distinctione ex natura rei reali. Separatio vnius entitatis ab alia formaliter non constituit distinctionem, sed illam supponit, & ideo hæc entitas ab alia potest separari, quia ab illa distinguitur: ergo dicendum non est entitatem non distingui realiter, quia non potest separari; neque realiter distingui, quia potest separari; sed potiùs inferendum, distinguitur realiter: ergo potest separari; non distinguitur realiter: ergo non potest separari. Idem dico de reliquis aliis capitibus distinctionis, si enim rogemus quænam sit ratio formalis distinctionis realis inter Petrum, & Ioannem, non dicemus posse produci sine alio, vel diuersis actionibus produci, aut corruptionibus corrumpi, aut posse vnum ab alio dependere, sed potiùs dicemus hæc omnia procedere ex ipsa distinctione: ergo distinctio realis in ratione realis, prout distinctæ à distinctione ex natura rei formali non potest per hæc capita inter se constitui: ergo nullum est caput, ex quo distinguatur distinctio ex natura rei realis à distinctione ex natura rei formali. Hæc est valida impugnatio à priori contra sententiam Scotistarum, quam desumo ex destructione differentiarum, quas assignant inter distinctionem rei formalem, quam insequor.

Petrus potest dependere à Ioanne, ab illo separari, dis- 12
tinctam productionem & corruptionem terminare ex eo præcisè, quod ante operationē intellectus non habet identitatem, seu quia ante operationem intellectus est distinctus à Petro, & ideo non potest separari, neque distinctam

productionem aut corruptionem terminare animal à rationali, neque vnum ab alio dependere, quia ante operationem intellectus non distinguuntur: ergo eo ipso præcisè quod distinguantur, vel non distinguantur ante operationem intellectus identificantur, vel non identificantur realiter: ergo distingui realiter nihil aliud est, quàm distingui ante operationem intellectus. Dices non ex eo præcisè posse Petrum dependere à Ioanne, separari ab illo, &c. quia distinguitur ab illo ante operationem intellectus, sed quia distinguitur realiter ante operationem intellectus. Millies petes principium, & terminos repetes, antequam argumentum dissoluas. Insto iterum: distingui realiter nihil addit supra hoc quod est distingui ante operationem intellectus. Negabis antecedens, sed à te peto, quid addat? Respondebis posse separari vel dependere vnum ab alio, &c. Contrà: distingui realiter vnum ab alio dicit formaliter posse separari ab illo: ergo cùm dicis Petrum posse separari à Ioanne, quia realiter ab illo distinguitur, dices posse separari Petrum à Ioanne, quia potest ab illo separari, & idem reddis per idem. Eâdem ratione si in his, quæ ante operationem intellectus tantùm ex natura rei formaliter distinguuntur, non distingui realiter dicit formaliter non posse vnum dependere ab alio, neque ab illo separari; cùm dicis rationale non posse dependere ab animali, neque separari ab illo, quia non distinguitur realiter ab illo, dicis non posse dependere, neque posse separari, quia non potest dependere, neque potest separari, & propositiones illæ verè causales non erunt, neque veram rationem physicam à priori reddam, cùm dicam, Petrus separatur à Ioanne, quia distinguitur ab illo, sed ad summum reddam idem per idem magis explicatum, vt cùm dico, Petrus est homo, quia est animal rationale.

13 Secundò argumentor sic: suppone materiam, & formam per se ipsas vnitas absque vnione superaddita, ita vt non possint de potentia Dei absolutâ existere non vnitæ, in quo nulla est repugnantia. Tunc materia, & forma realiter distinguerentur, & non posset vna ab alia separari, neque vna produci sine alia, aut iam producta sine alia corrumpi, neque vna ab alia per causalitatem dependere, quia vtraque crearetur, & nulla entitas creata virtutem habet influendi in aliam creatam: ergo distinctio realis non dicit formaliter rem vnam posse separari ab alia, vel ab illa dependere, &c. licet enim rectè valeat, hoc ens potest separari ab illo: ergo distinguitur, non tamen valet, hoc distinguitur ab illo: ergo potest ab illo separari, quia posse vnum ab alio separari non tantùm dicit negationem identitatis, sed etiam negationem connexionis. Respondebit Scotista: tunc materiam & formam distinguendas esse viâ productionis, quia non potest vna produci sine alia, posse tamen produci distinctâ productione ab aliùs productione. Contra hanc solutionem redit argumentum suprà factum: Ideo materia, & forma assignatæ possent distinctis productionibus produci, quia realiter distinguerentur: ergo prius est realiter distingui, quàm diuersis productionibus produci. Hoc omitto, & de ipsis materiæ, & formæ creationibus arguo: In illo casu creatio materiæ non posset separari à creatione formæ, neque è contra, quia necessariò materia, & forma simul erant creandæ: neque vna creatio dependeret ab alia, neque produceretur per distinctam aliam creationem: ergo ex nullo capite possent hæ creationes realiter distingui secundùm principia Scotistarum: ergo neque materia & forma realiter distinguerentur in prædicto casu ex eo, quod creationes illarum realiter distinguerentur.

14 Secundò: Si prædicata illa, quæ distinctis gaudent definitionibus, ex natura rei distinguuntur ante omnem intellectus operationem, in Deo relationes, & attributa distinguentur ab essentia ante omnem operationem intellectus ex natura rei formaliter: ergo in Deo Paternitas, & Deitas erunt duplex entitas, quarum vna non est alia ante operationem intellectus. Concedunt Scotistæ in Deo dari duas entitates, & distingui paternitatem ab essentia tanquam duas entitates, non verò tanquam duo entia, quia paternitas, & essentia tantùm sunt vnum ens. Ita discurrit Sosa suprà citatus. Contrà: Extrema, quæ distinguuntur inter se, secundùm illam rationem distinguuntur, quam in se habent, exempli gratiâ, distinguuntur Petrus & Ioannes; eo ipso quod Petrus, & Ioannes, qui distinguuntur, sint indiuidua substantialia, distinguuntur vt duo indiuidua substantialia: eo ipso quod hæ albedines sunt indiuidua accidentalia, distinguuntur vt duo indiuidua accidentalia, quia distingui vt talia supra hoc quod est distingui, tantùm dicit esse talia, illa, quæ distinguuntur, sicuti distingui vt modum tantùm dicit esse modum illud quod distinguitur, ita vt implicet hanc entitatem, quæ est modus distingui ab illa, quæ est res, & non distingui tanquam modum à re: sed essentia ante omnem operationem intellectus est ens, & Paternitas ante operationē intellectus est ens: ergo si ante operationem intellectus distinguuntur, non possunt non distingui vt ens ab ente: ergo si essentia, & Paternitas ante operationem intellectus distinguuntur, distinguuntur vt duæ entitates, & duæ relationes, quod Scotistæ concedunt, sed vt duo entia, quod Catholice negant. Secundò entitas, & ens adhuc per intellectum ex parte obiecti distingui non possunt, nisi tantùm ex parte actus, quia in ipsa ratione obiectiua entis reperitur ratio entitatis, & in ipsa ratione entitatis reperitur ratio entis, vtraque enim, si vtraque dici potest, quæ vna est simplicissima, tantùm dicit aptitudinem ad existendum eandem omnino in entitate, & in ente: ergo entitas, & ens, adhuc secundùm definitionem, seu conceptibilitatem obiectiuam non differunt: ergo realiter ex natura rei: ergo id quod realiter conuenit his extremis vt entitatibus, eisdem vt entibus realiter conuenire necesse est: sed Paternitas, & essentia vt entitates distinguuntur ante omnem operationem intellectus, vt Scotistæ fatentur: ergo ante operationem intellectus distinguentur vt entia, & erunt duo entia. Consequens est plusquàm absurdum: ergo antecedens falsum.

Vltimò, vt benè Ruisius arguit t. de Trinit. disp. 11. sect. 5. n. 12. ex Doctore Angelico 1. contra gentes, c. 18. duæ entitates non possunt coalescere in vnam rem, quæ simpliciter sit vna; ni vna se habeat vt actus, & altera vt potentia. Si enim vtraque esset actus non efficeret vnum simpliciter, & per se vnum, sed vnum per accidens constans ex rebus quasi congregatis, & coaceruatis, quapropter si Deitas, & Paternitas ante intellectus operationem sint duæ entitates, seu duæ realitates, vt faciant per se vnum ens, seu rē vnam simpliciter, necesse est aut Deitatem se habere vt potentiā ad Paternitatem, vel è contrà, vel vtramque entitatem mutuò esse sibi actum integrantem, vt cernitur in partibus integrantibus continui. Secundò Paternitas ante operationem intellectus distincta ab essentia erit essentialiter incompleta, quia supponit essentiam, cum qua vnum ens cōstituit, & similiter essentia distincta ante operationem intellectus à Paternitate erit entitas incompleta, quia simul cum Paternitate distincta constituet vnum ens simpliciter, quod ante operationem intellectus ex natura rei (si realiter cōcedere recusas) erit cōpositum, & dicetur in Patre æterno ante intellectus operationē dari compositionem, ex vl cuius ex entitatibus incompletis, & incompositis fit vna entitas, seu vnum ens completum, & compositum, quod valdè alienum est ab ente increato. Aliis absurdis Theologicis, innumeris Patrum, & Conciliorum testimoniis eandem sententiā insequitur Noster Ruisius suprà, quibus modò parco, vt me intra Philosophiæ cancellos contineam. 15

Obiiciunt Scotistæ cum Scoto: Formalitates diuinæ essentiæ, & diuinæ relationes licèt sint eadem omnino res, tamen ita inter se comparantur, vt formalitas essentiæ sit ex natura rei actu formaliter communicabilis, & de facto communicetur, & formalitas relationis sit incommunicabilis, & de facto non communicetur; similiter Filiationis relatio de facto producitur, & essentia non producitur ante omnem operationem intellectus: ergo essentia, & filiatio distinguuntur ex natura rei formaliter, licet nō distinguantur realiter, ne in Trinitate quaternitas admittatur. Probatur consequentia: communicari, & non communicari, produci, & non produci sunt contradictoria: sed contradictoria non possunt competere ex natura rei, seu ante operationē intellectus rebus tantùm per intellectum distinctis; ergo essentia, & relatio distinguuntur ante operationem intellectus: Non distinctione ex natura rei reali: ergo distinctione ex natura rei formali: ergo datur in diuinis talis distinctio.

Si huius distinctionis beneficio possent rebus realiter identificatis duo contradictoria competere, de facto possent cōuenire animalitati, & rationalitati in homine identificatis realiter, quæ in sententia Scotistarum hac distinctione gaudent, & ita possemus dicere produci rationem animalis hominis non productâ ratione rationalis cum illa realiter identificata, & vnam sine alia corrūpi, existere formalita 16

formalitatem passionis sine formalitate actionis, cum qua realiter identificatur, quia formalitates istæ distinctionem habent ex natura rei formalem, quæ sufficiens est, vt possint ea, quæ in se sunt contradictoria, absque contradictione competere: ergo mysterium Trinitatis non esset supra naturam rerum creatarum, siquidem in illis inuenitur distinctio, ratione cuius in eisdem possint componi illa, quæ in hoc mysterio miramur, videlicet essentiam identificatam realiter cum paternitate communicari non communicatâ paternitate, & filiationem identificatam cum essentia produci non producta essentia: ergo si hæc distinctio aliquo modo mysterium explicaret, illud adæquaret cum natura rerum creatarum, & corruptibilium, quod non esset mysterium explicare, sed destruere, & ad naturæ creatæ regulas Trinitatis misterium componere, ita vt nihil in illo eluceat, quod non dico captum intellectus creati, sed neque physicam capacitatem naturæ creatæ aliud in se simile includendi, ratione distinctionis ex natura rei formalis, quæ reperitur in rebus creatis realiter identificatis, superaret.

18 Ex eodem principio alio modo insto: Distinctio ex natura rei formalis non sufficit vt formalitatibus creatis realiter identificatis, etiamsi ex natura rei formaliter distinguantur, possit conuenire hæc contradictoria; communicatur, & non communicatur; producitur, & non producitur: ergo non possunt in diuinis hæc prædicata componi, ratione similis distinctionis formalis, vel minor distinctio requiritur in diuinis vt illa prædicata contradictoria componantur, quàm in creatis. Antecedens est certum, aliàs posset dari in creatis mysterium aliud Trinitatis. Consequentia est legitima, in qua si concedas primam partem consequentis ruit argumentum suprà factum, & tota virtualis distinctio. Si secundam admittas, videlicet requiri minorem distinctionem in diuinis, quàm in creatis ad illa prædicata contradictoria videlicet componi, & non componi, produci, & non produci componenda, sic argumentabor. Etiamsi in creatis non possint componi prædicata illa contradictoria sine distinctione reali, possunt in diuinis cõponi absque illa, modo distinctio formalis intercedat: ergo poterunt componi absque distinctione formali. Negabis consequentiam, sed petam ego rationem specialẽ propter quam ad hæc prædicata cõponenda non requiratur in diuinis distinctio realis, quæ in humanis requiritur quã reddes ex infinitate Dei, quæ sufficiens erit non solùm ad cõponenda hæc prædicata sine distinctione reali cum distinctione formali, sed ad illa componenda absque distinctione reali, & formali. Nullo enim fundamento dices Dei infinitatem sufficere ad componenda hæc prædicata sine distinctione reali, sine qua non possunt componi in creatis, & non esse sufficiens ad hæc prædicata cõponenda sine hac distinctione formali non reali, quam numquam vtilem experti sumus ad similia prædicata cõponenda, & quâ positâ, adhuc superat captum nostri intellectus, illa prædicatorũ compositio, & diuinum Trinitatis mysterium, ac si aliàs distinctio non esset posita. Remanet ergo hac distinctione positâ æquè difficile mysterium, & illorum prædicatorum compositio in diuinis ad illa prædicata componenda, si distinctio hæc in creatis sufficiens non sit ad alia similia prædicata componenda; quia æquè explicatu difficile est, quomodo in diuinis componantur hæc prædicata sine distinctione reali cum formali tantùm, & in creatis cum formali, sine reali componi non possint, ac explicatu difficile est, quomodo possint hæc prædicata, quæ in creatis sine distinctione reali non componuntur, in diuinis sine distinctione reali, & formali componi. Si verò distinctio hæc in creatis sufficiens est ad similia prædicata componenda, sequitur mysterium Trinitatis non excedere mensuram entis creati, & naturæ regulis metiri, possèque dari hominem vnum in essentia, & trinum in personis, cuius personalitates inter se distinguantur & cum essentia identificentur, quod est totum Trinitatis mysterium euertere. Hæc ergo distinctio formalis media, etiamsi admittatur vel mysterium adimit, vel illius difficultatem integram relinquit. Ex quo infero nullum illius fundamentum in hoc mysterio reperiri, neque aliqua ratione posse ex illo inferri, & inutilem omnino esse ad veritatem Catholicam Trinitatis aperiendam, defendendam, vel explicandam. Restabat modo explicandum quomodo illa prædicata, communicari, & non communicari, produci, & non produci, possent cum essentia, & relationibus absque distinctione reali, & ex natura rei componi, vt prædictæ difficultati satisfieret. Verumtamen hoc non ad Philosophum, sed ad Theologum, neque ad quæstionem quam exagitamus de distinctione virtuali spectat, sed ad materiam de Trinitate, in qua si difficultas hæc exactè explicetur, actum erit de omnibus, quæ in eadem materia possint occurrere, ideo abs re satis in præsenti difficultatem hanc explicandam susciperem; sufficiat ergo probasse ex principiis Philosophicis distinctionem hanc admittendam non esse, & ipsam admissam inutilem esse ad difficultatem præsentem saluo mysterio explicandam.

Alia argumenta, quibus hanc distinctionem propugnant 19
Scotistæ sumuntur ex distinctione graduum superiorum, & inferiorum, quam in prædicatis eiusdem indiuidui reperiri cõtendunt, quam quæstionem exagito ex Punct. 3. in quo à n. 12. adducam, & soluam Scotistarum argumenta.

Punctum III.

An inter gradus metaphysicos distinctio aliqua non ficta intercedat.

Doctorum sententiæ.

INuenta est distinctio media, quam modo impugnabimus ad prædicata metaphysica, quæ eidem entitati conueniunt distinguenda, ideo ad pleniorem notitiam, & impugnationem huius distinctionis mediæ hîc tracto de graduum distinctione ex qua illam inferri illius propugnatores prætendunt. 1

§. I.

Scotistarum sententiam refero.

PRocedit quæstio tam de distinctione graduum superiorum inter se, v.g. de distinctione animalis respectu differentiæ rationalis, per quam contrahitur, & respectu speciei hominis, quam contrahit, quàm de gradibus superioribus respectu differentiarum indiuidualium, per quæ contrahuntur, de homine, v.g. respectu Petreitatis, & reliquarum differentiarum indiuidualium. 2

Prædicata vniuersalia inter se & à differentia indiuiduali 3
distingui distinctione ex natura rei formali ante omnem operationem intellectus deffendit Scotus cum suis in 1.2. quæst. 2. & in quodlib. quæst. 2. & 7. Met. quæst. 16. dissentit Fonſ. 2. Met. cap... quæst. 11. & lib. 4. cap. 2. quæst. 4. sect. 3. & lib. 5. cap. 7. quæst. 3. sect. 3. ad 2. Verumtamen inter Scotistas de hac re nonnulla est opinionum varietas. Conueniunt omnes prædicatum superius, & prædicatum differentiale, per quod contrahitur, videlicet animal & rationale, distingui ex natura rei formaliter tãquam duas entitates, seu formalitates modo explicato Punct. præcedenti. De eisdem verò prædicatis superioribus respectu differentiarum, quas contrahunt, non omniũ eadem mens: Sorectus, Mauritius, & Balin. apud Merinerum in Logic. c. 1. de vniuers. disp. 1. q. 2. sect. 2. n. 68. affirmant prædicatum genericum respectu speciei ad quam contrahitur inadæquatè formaliter distingui, speciem verò respectu prædicati superioris nullam habere distinctionem. Itaque asserunt prædicti authores animal distingui ex natura rei formaliter ab homine distinctione inadæquatâ ante omnem intellectus operationem, & hominem huiusmodi distinctionem non habere respectu animalis. Fundamentum desumunt ex Subtili Doctore asserente in 1. dist... q. 7. idem formaliter esse, quod aliud in suo conceptu includit, ex quo inferunt hominé esse idem formaliter cũ animali, quia includit in suo cõceptu, & animal non esse idem formaliter cum homine, quia conceptus hominis in conceptu animalis non includitur. Eodem modo possent hi authores inferre cõpositum non distingui à quacũque illius parte, quia illam in se includit. Trombeta, Basilius, & Rada apud eundẽ Merinerum suprà, docent speciem distingui formaliter à genere ante operationẽ intellectus, genus autem non distingui ab specie. Horum fundamentum ex eodem Scoto desumitur: id est idem formaliter cum alio, quod est de conceptu illius, seu quod est definitio, seu pars definitionis illius: sed animal est de cõceptu hominis, & pars definitionis hominis, &

homo non est de conceptu animalis, neque pars definitionis illius: ergo animal non distinguitur ab homine, & homo distinguitur ab animali. Itaque sectatores vtriusque dicendi modi distinctionem non mutuâ admittunt inter hominé & animal, cum hac tamen differentia, quod priores illam ponunt ex parte animalis, & eandé ex parte hominis negant; posteriores verò illam ex parte hominis constituũt, & negant ex parte animalis. Magis ad rem iuxta propria principia quæstionem dirimit Merimero, qui affirmat inter hominé & animal dari distinctionem mutuâ inadæquatam, & animal distingui ex natura rei formaliter ab homine ante operationem intellectus, quatenus homo formaliter est rationalis, & identificari cum illo quatenus est animal, & eadem ratione hominem quatenus est rationalis distingui ab animali, & quatenus animal cum animali formaliter identificari. Eodem modo sentiunt hi omnes de homine respectu Petri, & de animali respectu hominis.

4 Pert cõmunis sententia hæc prædicata quomodocumque comparentur, nullo modo distingui ante intellectus operationem. Ita D. Thomas 1.p. q.5. art.4. ad 1. & q.76. art.3. ad 4. & de ente & essentia c.4. & 7. Metaph. lect.4. Cum D. Thoma ferè omnes Thomistæ sentiunt, eandémque sententiam tenent Nominales apud P. Soar disp. 6. Metaph. sect.9. n.9. & disp.5. sect.2. n.8.

§. II.

Verior sententia.

5 PRIMA CONCLVSIO. Differentia indiuidualis ante intellectus operationem nullo modo distinguitur à ratione specifica. Debent conuenire in hac conclusione, vt benè notauit Soar. suprà, omnes Doctores, qui negant naturam esse à parte rei vniuersalem. Ratio est facilis: si differentiæ indiuiduales distingueretur à differentiis indiuidualibus, distinctio enim semper est mutua inter quæcumque extrema intercedat, eo enim ipso quod hoc non est illud, implicat illud esse hoc, & per locum intrinsecum implicat distingui hoc ab illo, & non distingui illud ab isto, sicuti implicat hoc esse idé cum illo, & illud non esse idem cum isto: ergo natura specifica, & differentia indiuidualis essent duo inter se distincta: ergo quælibet illarum haberet suam vnitatem. Vel ergo natura distincta à differentia indiuiduali haberet vnitatem multis communem, vel non haberet vnitatem multis communem: Si haberet vnitatem multis communem, esset vniuersalis, quod prædicti superiùs allati authores negant. Si non haberet vnitatem multis communem, natura vt distincta à differentiis indiuidualibus esset non communis: ergo singularis, seu indiuidualis: ergo vt distincta à diffentia indiuiduali haberet vnitatem indiuidualem: ergo esset indiuidua sine differentia indiuiduali, & consequenter haberet differentiam indiuidualem, quia esset indiuidua, & illam non haberet, quia supponitur distincta à differentia indiuiduali.

6 Secundò vniuersaliter eamdé sententiam probo. Si natura specifia ante operationem intellectus distingueretur à differentia indiuiduali ante operationé intellectus secluſa differẽtia indiuiduali intelligeretur constituta in suo esse, nihil enim constituitur per illud, à quo distinguitur, & verè vt distincta à differentia indiuiduali intelligeretur existens, sicuti materia distincta à forma, etiam quando illi est vnita, vt distincta ab ipsa forma habet suam existentiam. Idem dico de vnione, & de quocumque modo etiam inseparabili à re cuius est modus, qui vt distinctus à re habet suam existentiam, licet inseparabilem ab existentia rei, respectu cuius dicitur modus: ergo vt sic existens natura specifica esset indiuidua, & singularis: ergo implicat distingui à differentia indiuiduali, aliàs vt distincta ab hac esset indiuidua, & non esset indiuidua, haberet differentiam indiuidualem, & non haberet differentiam indiuidualem. Probo priorem consequentiam: natura vt sic existens terminaret per se ipsam actionem causarum, sed nihil potest terminare actionem causarum, & esse existens, quod ex vi illius formalitatis præcisæ secundum quam terminat actionem causarum, & est existens, non sit singulare, & non commune, cùm nulla ratio communis per se possit produci aut existere, ni abeamus in chimæricã illam sententiã, quæ Platoni tribuitur asserenti dari quasdam naturas communes separatas, à quibus tanquam à principiis singularia suum esse habent: ergo natura illa, quæ fingitur distincta à differentis indiuidualibus vt distincta ab illis esset indiuidua, & consequentes haberet differentiam indiuidualem, vt conuincit ratio, & illam non haberet, vt supponitur: ergo implicat dari talem naturam distinctam à differentia indiuiduali. Rursus, natura specifica vt existens distincta à differentia indiuiduali cum qua fingitur indiuiduum componere & indistincta à se non est plures: ergo est vna natura incommunicabilis: ergo est indiuidua, & non indiuidua, vt sæpè intuli.

Vltimò, si natura specifica à differentia indiuiduali distingueretur, non posset natura specifica, seu natura humana in Petro differre à natura specifica Ioannis per differentiam indiuidualem, quia nihil ab alio distinguitur per aliquid sibi superadditum, sed per illud, ex vi cuius constituitur seruata proportione inter modum, quo res constituitur, & quo ab alio differt, si enim realiter, ex vi huius ens constituitur, & non per rationem, ex vi huius realiter, & non per rationem differt ab alio. Quod si ex vi huius, adhuc per rationem constituatur, ex vi huius adhuc per rationem ab alio differet. Sed si differentia indiuidualis distinguitur à ratione hominis, quæ est in Petro, non potest realiter ratio hominis, quæ est in Petro, constitui per rationem indiuidualem: ergo non poterit ex vi huius distingui à ratione hominis, quæ est in Ioanne: ergo distinguitur per se ipsam vt distinctam à differentia indiuiduali, vel nullo modo distinguitur. Si primum dicas, sequitur naturam vt distinctam realiter à differentia indiuiduali esse distinctam ab omni alia natura etiam eiusdem speciei, ac proindè esse indiuiduam, & consequenter esse indiuiduam, & non esse indiuiduam. Si dicas secundum, & asseras per differentiam indiuidualem non differre naturam specificam Petri à natura specifica Ioannis, sed Petrum à Ioanne, sicuti per formam hominis non distinguitur materia hominis à materia equi, sed homo ab equo, sequitur naturam non solùm metaphysicè, sed physicè omnino eamdem manere in Petro, & in Ioanne, etiam posita differentia idiuiduali vtriusque, & consequenter pereunte Petro tantùm perire differentiam indiuidualem illius, illiúsque naturam specificam omnino eamdem permanere in Ioanne, qui vitæ remanet superstes. Eadem ratione infertur tantùm produci differentiam indiuidualem Ioannis, quando Ioannes producitur, quia iam illius natura fuerat in Francisco producta. Neque hæc absurda possunt deuorare, qui velint defendere naturam à parte rei esse vniuersalem quia etiam contra hos infertur naturam vniuersalem non esse futuram; de ratione enim vniuersalis est multiplicari in singularia, & in his fieri plura, quod antea fuerat vnum, sed esse quoddam singulare subiectum, cui acciderent distinctæ differentiæ indiuiduales, sicuti eidem subiecto plura accidentia inter se distincta contingunt. 7

SECVNDA CONCLVSIO: Prædicata superiora inter se quæ in eodem indiuiduo reperiũtur, ante intellectus operationem nullam sortiuntur distinctionem. Dico prædicata, quæ in eodem indiuiduo reperiuntur, quia si comparemus prædicatum rationale quod est in homine cum prædicato animalis quod est in equo, certum est inter hæc extrema distinctionem reperiri, quia rationale hominis sicuti cum equo identificatum non est, sed ab illo distinguitur, sic identificatum esse non potest cum animali equi, sed necessariò ab illo distinguendum est. Ratione hæc contra Scotum pugnat Arriaga: si ratio superior est indifferens vt ab hac vel illa differentia specifica determinetur: ergo ratio entis, & substantiæ, quæ reperitur in Angelo potest esse in lapide: ergo Angelus non est omnino spiritualis, quod est absurdum. Probat consequentiam: in lapide nihil potest reperiri, quod spirituale sit, sed ratio substantiæ, quæ est in Angelo potest reperiri in lapide: ergo ratio substantiæ quæ est in Angelo non est spiritualis: ergo Angelus non est totus spiritualis. Durioribus aliis telis Scotistæ resistunt, & aliis maioris momenti illarionibus non terrentur. Plura in principiis Scoti reperio, quibus Arriagæ discursus infringitur; in primis, etsi Scotistæ asserant in Angelo prædicatum spiritualis, & substantiæ prædicatum distingui ex natura rei formaliter, asserunt identificari realiter, ratione cuius identitatis sunt inseparabilia, ac proinde rectè ex hoc capite dicetur prædicatum substantiæ, quod est in Angelo etsi formaliter distinctum à prædicato spiritualis non posse reperiri in lapide propter identitatem, quam habet cum reliquis prædicatis Angeli, à quibus est inseparabile ex vi huius identitatis. 8

Secundò

Secundo dici potest prædicatum substantiæ in Angelo esse spirituale propter identitatem realem, quam habet cum prædicato spiritualis, à quo realiter non distinguitur, etsi distinguatur formaliter, rectè enim dicetur prædicatū substantiæ in Angelo constitui spirituale per rationem formalem spiritualis, cum qua realiter est identificatum, etsi ab illa formaliter differat. Vltimò, forsan Arriaga Scotistas non rogauit, an ipsi absurdum reputent iuxta propria principia admitti in Angelo prædicatum quoddam superius prædicatis materialitatis, & spiritualitatis, quod in se formaliter neque materiale, neque spirituale sit, & ratione cuius secundum se sumpti Angelus nullam ex his rationibus habeat, sed ratione alius prædicati inferioris, quod si non fecit, illósque non audiuit dicentes hoc esse absurdum, vanè illos his terriculamentis aggreditur, quæ facillimo negotio ipsi eludent. Cum Scotistis ego in his, quæ in hoc puncto tracto tantùm contendo, ex his, quæ in præcedenti præmisi, videlicet distinctionem illam mediam admittendam non esse, & ideo iuxta principia communia, mea instituo argumenta, quæ si Scotista dissoluere intendat suâ distinctione mediâ impetendus est rationibus, quibus Puncto præcedenti probaui talem distinctionem non posse subsistere. Quod si in præsenti hoc punctum institui vt clariùs constaret distinctionem illam non esse admittendam, id non omnibus argumentis, quibus meam probo sententiam assequi præsumo, sed solutionibus argumentorum, quibus graduum distinctio propugnatur, & ostendendo necessum non esse gradus hos ante intellectum distingui, vt ex his constet distinctionem illam mediam admittendam non esse propter hos gradus distinguendos, neque in his aliquod habere fundamentum, ac proinde gratis omnino, & absque vllo fundamento adstrui.

9 Conclusionem hanc ex præcedenti probo. Prædicata omnia vniuersalia, quæ sunt in Petro, ante omnem intellectus operationem non distinguuntur à differentia indiuiduali, sed cum illa identificantur: ergo identificantur vni tertio: ergo identificantur inter se. Non acquiescit huic rationi Arriaga, existimat enim responderi posse, quodlibet prædicatum superius identificari cum propria differentia indiuiduali distincta realiter à differentia indiuiduali alius prædicati, & ita neque ex hoc capite identificari vni tertio neque inter se. Effugium prouidè præcluserat P. Soar. disp. 6. Metaph. sect. 9. n. 15. vbi probat omnia prædicata, quæ sunt in quocumque indiuiduo identificari cum simplicissima differentia indiuiduali, nullam compositionem neque distinctionem realem admittente, ex vi cuius per intellectum immediatè contrahitur species infima, & in illa omnia prædicata superiora, quæ essentialiter includit. Sic arguit: non minùs essentialis est ordo inter rationem genericam, specificam, & indiuidualem, quàm inter alias differentias essentiales magis, & minùs vniuersales vsque ad specificam. Sed corpus non potest contrahi ad differentiam animalis nisi media differentia viuentis: ergo animal non potest contrahi ad differentiam Petri nisi media differentia hominis: ergo datur vna differentia indiuidualis in se simplicissima; quæ contrahendo rationem hominis contrahat in illa omnia prædicata superiora, quæ in homine continentur: ergo differentia illa, ex vi cuius concipimus contrahi rationem communem adæquatam hominis, est vna entitas realiter simplicissima, & incomposita, ex vi cuius immediatè concipimus contrahi omnia prædicata in specie contenta. Confirmatur: Implicat dari à parte rei hoc animalis indiuiduum indifferens vt sit hic homo, vel hic equus: ergo in hoc homine non datur quædam differentia indiuidualis afficiens prædicatum animalis, & alia differentia realiter ab illa distincta afficiens prædicatum rationalis realiter distincti à prædicato animalis. Confirmatur: si in Petro distinguerentur animal, & rationale, & quodlibet horum prædicatum haberet differentiam indiuidualem distinctam à differentia indiuiduali alterius, siue identificatam cum ipso prædicato, siue ab illo distinctam posset prædicatum animalis existere affectum sua differentia specifica: sed sic est, quod nunquam potest existere animal affectum differentia indiuiduali, quin sit affectum differentia specifica: ergo animal non afficitur differentia indiuiduali realiter distincta à differentia, per quam afficitur rationale, si enim sic afficeretur, adæquatè distingueretur in Petro hoc animal ab hoc rationali, & ita posset vnum existere sine alio, sicuti existit in materia sine forma.

Probatur secundò eadem prædicatorum identitas. In Petro esse animal, esse rationale, &c. sumuntur ab eadem indiuisibili anima, ex vi cuius Petrus hæc prædicata dicitur habere: ergo in Petro hæc prædicata nullam possunt habere distinctionem realem. Dices in eadem anima distingui gradum animalis, & gradum rationalis, ex vi quorum constituit Petrum in esse animalis, & in esse rationalis. Contrà: in anima gradus animalis dicit principium sensationis, & gradus rationalis dicit principium intellectionum. Sed eademmet entitas indiuisibiliter sumpta potest esse principium sensationum, & intellectionum: ergo frustrà distinguetur in anima rationali principium sensationis à principio intellectionis: ergo frustrà distinguentur in anima gradus animalis, & gradus rationalis. Maior est apud omnes inconcussa; minorem probo: Idemmet principium indiuisibile, seu eadem virtus absque vlla distinctione potest influere in effectus inter se distinctos, & longè diuersos, vt patet in ipso gradu animalis, qui dicit principium in se vnum omnino indiuisibile sensationum inter se specie distinctarum, & in gradu rationalis, qui dicit principium idem indiuisibile apprehensionis, & discursus, necnon volitionis, quæ sunt operationes specie diuersæ: ergo rectè potest dari vnum principium commune sensationibus & intellectionibus, quantumuis hæ specie differant. Dices operationes illas, quibus datur principium commune, nunquam separari in principio productiuo, secus sensationes, & intellectiones, quia datur animal potens sentire & non potens intelligere. Contrà: separatio arguit tantùm distinctionem in his in quibus reperitur: ergo etiamsi sensitiuum animalis non rationalis, v. g. sensitiuum equi distinguatur à rationali, à quo separatur, non infertur sensitiuum hominis distingui à rationali à quo nunquā separatur, sicuti virtus productiua caloris in igne, & virtus productiua frigiditatis in aqua, in quibus hæ virtutes separantur, realiter distinguuntur; in Deo autem potente producere calorem, & frigiditatem, in quo hæ potentiæ non separantur, nullo modo distinguuntur, sed eadem omnipotentia indiuisibiliter sumpta est virtus productiua caloris & frigiditatis. 10

Vltimò à priori probatur conclusio: Tota hæc abstractio generum, & specierum, & tota prædicatorum acoluthia rectè componitur absque vlla distinctione reali inter prædicata, quæ in eodem indiuiduo reperiuntur præcisè per distinctionem nostri intellectus apprehendentis instar vnius, quæ in re sunt plura, & instar plurium, quæ in re sunt vnum: ergo ex hac abstractione, & prædicatorum serie nulla infertur distinctio realis in prædicatis, quæ in eodem indiuiduo reperiuntur, sed illi per distinctionē rationis sufficienter prouisum erit: ponitur ergo absque vllo fundamento hæc rationis distinctio. Consequentia optima est, quia tota ratio distinguendi hæc prædicata desumpta fuit ex nostro modo loquendi, & concipiendi rationes superiores, & inferiores, hanc genericam, & illam specificam, &c. Antecedens probatur: ex eo præcisè quod idem principium indiuisibile realiter producat operationes inter se specie distinctas, sufficiens fundamentum habet intellectus vt concipiat principium harum operationum, vt distinctum à principio illarum, & vt in principio reali realiter vno apprehendat vnum principium formale harum operationum, & aliud principium formale illarum. Similiter ex eo quod intellectus cognoscat in hac entitate principium harum operationum, & in illa principium operationum valde similium, etsi in re principia sint valde distincta, fundamentum habet vt apprehendat hæc principia ex parte obiecti distincta instar vnius communis vtrique entitati: ergo necessum non est reperiri in ipso obiecto aliqua realis distinctio horum prædicatorum, vt tota series prædicatorum supremi generis, generum intermediorum, speciei infimæ, & vltimi indiuidui subsistat, & vt per differentias contrahentes rationes genericas à supremo genere vsque ad infimum indiuiduum descendat, & vt per abstractiones rationum similium factas per intellectū ab infimis indiuiduis ad supremum vsque genus ascendat. 11

Obiiciunt primò Scotistæ: vbicumque est compositio, est distinctio extremorum componentium, sed in specie est compositio ex genere, & differentia, quibus componitur: ergo in specie est distinctio generis, & differentiæ tanquam extremorum componentium. Respondeo concedendo maiorem sumpta compositione, & distinctione in eodē ordine, hoc est sumpta distinctione reali extremorum 12

quando cõpositio est realis, & sumptâ distinctione rationis quando compositio est tantùm per rationem, quia ad compositionem per rationem factam sufficiunt extrema per rationem distincta, & necessum non est extrema realiter distingui: deinde distinguo minorẽ: in specie datur compositio ex genere, & differentia: realis compositio, nego minorem; per rationẽ, transeat minor: ergo datur distinctio prædicatorũ, distinguo consequens; datur distinctio realis, nego cõsequentiã: datur distinctio rationis, concedo consequentiã. Non absolutè concessi in specie dari compositionẽ per rationem, sed hoc omisi, quia ad rem non attinet, & absolutè verum non est, quia species formaliter sumpta est vnus simplex conceptus nullã compositionẽ intrinsecè inuoluens, sed tantum extrinsecè de quo in Log. Contr. 6. Punct. 2. n. 4. Placet hîc contra Scotistas notare non consequẽter procedere, nonnullos qui asserunt specié realiter componi ex genere & differentia propter distinctionẽ formalẽ, quæ reperitur inter prædicatũ animalis, & negant dari in Deo realẽ compositionẽ essentiæ & attributorum, etiãsi hæc ab essentia ex natura rei formaliter distinguantur, quia non distinguuntur realiter, si enim distinctio illa formaliter sufficiés est in specie ad realem compositionẽ, cur eadem distinctio formalis ad similẽ compositionẽ in Deo sufficiens non erit.

13 Obiic. secũdò: Animal, & rationale diuersis definitionibus essentialibus definiũtur: ergo habẽt diuersas essentias: ergo distinguuntur ante operationẽ intellectus. Si ageremus de definitionibus, quibus definiũtur ratio cõmunis animalis, & ratio cõmunis rationalis, difficilè non esset non solũ definitiones, sed etiã definita realiter inadæquatè distingui, quia definitio animalis non tantùm se extendit ad animal hominis; sed ad animal equi, quod distinguitur à rationali, & ita definita harũ definitionũ distinguũtur realiter tanquã includens, & inclusum, definitũ enim definitionis animalis dicit animal identificatũ cum rationali, quod est adæquatũ definitũ definitionis rationalis, & insuper dicit reliqua animalia idẽtificata cũ aliis differẽtiis hinnibilis, rugibilis, &c. Cæterũ necesse non est ad hanc solutionẽ recurrere, neque in omnibus quæ ad hanc materiam attinẽt potest reperiri, quia actio eductiua, & passio adæquatè conuertuntur absq; distinctione actionis à passione, & nihilominus diuersis definitionibus definiũtur. Resp. ergo eamdẽ entitatem physicã posse diuersis definitionbus etiam essentialibns definiri, & per diuersos conceptus essentiales explicari; qui omnes eãdem essentiam physicã importãt, significatã in ordine ad diuersa connotata; physicè enim esse actũ huius in hoc, quod est formalitas actionis, & actũ huius ab hoc, qui est formalitas passionis in re est omnino idẽ explicatum per ordinẽ ad connotata diuerso modo se habentia; ideo concedendũ non est entitatẽ definitã duplici definitione essentiali, habere duplicem essentiam, seu vnam duplici modo explicatam, quia vtraque definitio ex parte conceptus obiectiui directi, & ex parte definiti in nullo differunt, sed tantùm in connotatis diuersis, vel in diuerso modo significandi eadem connotata, sicuti differunt accliue, & decliue.

14 Obiic. tertiò Scotistæ: Animal formaliter vt animal non est rationale; neq; rationale formaliter vt rationale est animal: ergo formalitas animalis excludit formalitatẽ rationalis, & formalitas rationalis excludit formalitatẽ animalis: ergo distinguuntur hæ formalitates: non realiter: ergo ex natura rei. Resp. ante intellectus operationẽ animal & rationale omni modo esse omnino idẽ absq; vlla distinctione realitatũ, & formalitatũ; cũ autẽ dicimus rationale vt rationale non esse formaliter animal, seu excludere rationẽ formalẽ animalis, loquimur secundùm nostros cõceptus, in ordine ad quos tantũ datur hæc distinctio formalis, quia rationale vt rationale formaliter non esse animal tantũ dicit entitatem physicam, quæ à parte rei indiuisibiliter est animal, & rationale, cognosci diuersis conceptibus formalibus, & in ordine ad diuersas operationes, quando dicimus cognosci vt rationale, & aliis diuersis quando vt animal dicimus cognosci. Itaque animal vt animal & rationale vt rationale distinguuntur ex parte actuũ, quibus cognoscuntur, & ex parte obiectorum quæ obliquè eisdem actibus tanguntur, quia rationale vt rationale dicit entitatem hominis connotatis ratiocinantibus, & animal cũ illo identificatũ formaliter vt animal, dicit eamdẽ omnino entitatem absq; vlla distinctione ex parte obiecti cõnotatis sensationibus, quæ à ratiocinationibus realiter distinguuntur. Dixi animal identificatũ cũ rationali, quia animal vt sic dicit animal homin. equi, & leonis, &c. quod inadæquatè distinguitur ab homine, quia præter hominẽ seu rationale identificatũ cum animali hominis dicit hinnibile, cum quo idẽtificatur anim. equi, & rugibile cũ quo idẽtificatur anim. leonis, &c.

Obiiciunt quartò. Actus vitalis supernaturalis titulo vitalitatis exigit principium vitale, & non exigit ex hoc titulo principium supernaturale: Idem actus titulo supernaturalitatis exigit principium supernaturale, & non exigit principium vitale: sed non potest ex eodem capite nullo modo distincto non petere eadem principia: ergo in hoc distinguuntur vitalitas, & supernaturalitas: si enim vitalitas, & supernaturalitas essent idem, id quod exigeret actus titulo vitalitatis, exigeret titulo supernaturalitatis: sed titulo vitalitatis exigit principium vitale: ergo titulo supernaturalitatis exigeret principium vitale: ergo actus titulo supernaturalitatis exigeret, & non exigeret principiũ vitale. Idẽ dicito de ratione vitalitatis respectu principij supernaturalis, quod exigeret. Distinguuntur ergo in actu, ratio supernaturalitatis, & ratio vitalitatis saltem ex natura rei. Resp. hunc actũ vitalẽ supernaturalem ratione supernaturalitatis, quam in se habet physicè exigere omnia principia, quæ exigere dicitur titulo supernaturalitatis, & titulo vitalitatis, & alio quocumque titulo sibi intrinseco, quæ eadem principia omnia simul indiuisibiliter sumpta physicè exigit ratione vitalitatis, & ratione cuiusvis prædicati, quod in se continet, quia physicè omnia prædicata, quæ sunt in actu, illorum quodlibet ab eisdẽ principiis indiuisibiliter sumptis dependent, neque prædicatũ aliquod actus connexionem aliquam habet cum aliquo principio, quam eamdẽ omnino physicè non habeant reliqua prædicata. Nihilominus dicimus actum vitalem supernaturalem, titulo vitalitatis nõ exigere principium supernaturale, quia potest dari alius actus non supernaturalis vitalis, in quo contemplamur vitalitatem eiusdem speciei cum illa, quæ est in hoc actu, quæ non depẽdet à principio supernaturali. Ex quo fundamentũ desumimus ad dicendũ actum titulo vitalitatis præcisè non exigere principiũ supernaturale, & exigere principiũ vitale, quia nõ solũ vitalitas huius actus, sed neq; vlla alia poterit reperiri in aliquo actu, quæ nõ depẽdeat à principio vitali, eo enim ipso quod actus sit vitalis, quicũq; ille sit, debet à principio vitali depẽdere. Eadẽ ratione dicitur de actu supernaturali vitalitulo supernaturalitatis exigere principiũ supernaturale, & non vitale, quia potest reperiri, & de facto reperitur in alio effectu supernaturalitas eiusdem speciei cùm ista, quę est in actu, quæ non supponat principium vitale, & non potest reperiri in aliquo effectu supernaturalitas aliqua, quæ principium supernaturale non supponat. 15

Obiiciunt quintò: Vbi est separatio, distinctionẽ intercedere necesse est: sed animal separatur aliquando à rationali: ergo ab illo distinguitur. Probatur antecedens: animal quod est in equo separatur à rationali, & deficiente omni rationali potest permanere animal, quod est in equo: ergo animal distinguitur à rationali. Resp, illa extrema distingui quæ inter se separantur, & ita animal equi, quod separatur à rationali distingui ab illo, nõ verò animal hominis, quia hoc neque separatur, neque separari potest à rationali. 16

Obiic. sextò: Ratio animalis in homine est ratio conueniendi cum equo, ratio rationalis est ratio disconueniendi; eadẽmet ratio non potest esse ratio conueniendi, & disconueniendi respectu eiusdem termini: ergo ratio animalis & ratio rationalis realiter distiuguuntur. Resp. prædicatũ animalis in homine tantùm fundare cõuenientiam per rationẽ cũ equo, non realẽ, seu physicã, quia realiter, & physice homo, & equus in nullo conueniunt, sed sunt penitus diuersi. Similiter tatione tantùm fundat disconuenientiã, hoc est differentiã prædicati, in quo aliqua fuerat cõuenientia per rationẽ, quia talis est differẽtia qualis est cõuenientia: physicè autem homo secundùm se totũ, & secundũ prædicatũ animalis, & rationalis physice sumpta, totus est ab equo diuersus. Ex hoc conuenientiam, & disconuenientiam, quam fundant prædicatum animalis, & rationalis sufficere animal, & rationale per rationem distingui, quia ad hoc vt diuersa prædicata per rationem conueniant diuersis entitatibus, sufficiens est has entitates per rationem distingui, & necessum non est in his entitatibus distinctionem realẽ reperiri. Ad argmentum in forma distinguo maiorem: Animal in homine est ratio conueniendi cum equo, & rationale est ratio disconueniendi cum equo: conueniendi, & disconueniendi realiter, nego: conueniendi, & disconueniendi per rationem, cõcedo. Sed idẽ non potest esse ratio conueniendi, & disconueniendi, distinguo eodẽ modo; conueniendi, & disconueniẽdi realiter concedo minorem: 17

conue

conueniendi, & disconueniendi per rationem, subdistinguo; idem re, & ratione concedo: idem re & ratione distinctum, nego minorem: ergo animal, & rationale distinguuntur: realiter nego consequentiam; per rationem, concedo consequentiam.

Obiiciunt septimò Scotistæ: Animal inhomine fundat realem similitudinem cum equo, & rationale in eodem homine fundat realem dissimilitudinem cum eodem equo: sed idem respectu eiusdem non potest fundare realem similitudinem, & realem dissimilitudinem respectu eiusdem: ergo animal, & rationale realiter distinguuntur. Nonnulli respondent hominem secundùm se non esse similem, aut dissimilem equo, sed ratione operationum, quas habet, quibus immediatè similitudo, aut dissimiltuo conuenit. Ex quo fit hominem, & equum habentes plures operationes distinctas posse habere quasdam inter se similes, v.g. sensationes, quæ in homine, & equo similes sunt, & alias operatione proprias vniusciuiusque speciei, quæ inter se sint valde dissimiles, sicuti sunt actus ratiocinandi in homine, & hinniendi in equo. Contendunt alij similitudinem, & dissimilitudinem immediatè competere substantiis, quia homo secundùm se similis est equo, in hoc quod est posse sentire, & dissimilis in hoc quod est posse ratiocinari. In hac re tantùm potest esse controuersia de nomine in qua certum esse debet similitudinem, & dissimilitudinem semper dicere tanquam rationem fundandi accidentia, quod omnes affirmant cum Aristotele dicente, similitudinem, & dissimilitudinem fundari in qualitate; & æqualitatem, & inæqualitatem in quantitate, siue hæ relationes immediatè denominent accidentia, in quibus fundantur, siue etiam hanc denominationem, ipsis substantiis immediatè impertiantur, de quo non curo. Respondeo independenter à quacumque sententia eumdem hominem per ordinem ad has operationes, quas continet eiusdem rationis cum aliis operationibus, quæ sunt in equo, posse physicè secundùm totam physicam entitatem dici similem equo, & eumdem hominem secundùm eamdem physicam entitatem, physicè indiuisibiliter sumptam posse esse dissimilem equo in ordine ad alias operationes, quibus aliæ eiusdem rationis in equo non correspondent, quia sicut idem homo secundùm eamdem rationem physicam physicè indiuisibiliter sumptam potest esse principium operationum similium aliis equi operationibus, v. g. sensationum; & principium operationum dissimilium omnibus equi operationibus, v.g. intellectionum, sic potest in ordine ad has dici dissimilis, & similis in ordine ad illas. Quod si similitudo, & dissimilitudo opponantur, non ideo sub quacumque ratione repugnant in eodem subiecto in ordine ad eumdem terminum, quando sumuntur in ordine ad distinctas operationes. Addit Arriaga tantùm opponi omnimodam similitudinem cum quacumque dissimilitudine, non verò aliqualem similitudinem, cum aliquali dissimilitudine, sicuti non opponitur calor non summus cum frigiditate non summa; componuntur enim calor vt quatuor cum frigiditate vt quatuor in eodem subiecto existente, licèt non componatur summus calor cum aliquo frigiditatis gradu: sic in homine accidere ait Arriaga, qui non est summè similis equo, sed aliquo modo similis, cum quo componi potest aliqua dissimilitudo, quæ tantùm dicit hominem non esse summè similè, sicuti componuntur in eodem subiecto lux vt quatuor, & tenebræ vt quatuor, id est priuatio quatuor graduum lucis, licèt non possit componi subiectum summè lucidum cum aliqua lucis priuatione. Nonnihil doctrina rem explicat, verumtamen non ex illa præcisè potest prædictæ difficultati satisfieri, quia in subiecto calido vt quatuor, & frigido vt quatuor, dantur calor & frigiditas qualitates distinctæ, à quibus subiectum frigidum, & calidum denominatur, & non potest idem subiectum secundùm eamdem formam ab alia indistinctam constitui secundùm quid calidũ, & secundùm quid frigidum. In præsenti autem secundùm opinionem, quæ relationes non distinguit à fundamento, & termino, videtur concedi idem subiectum secundùm eamdem formam indiuisibilem constitui simile, & dissimile, si animal, ratione cuius homo est similis, & rationale ratione cuius est dissimilis, inter se non distinguantur. Standum ergo est priori solutioni & dicendum eamdem entitatem respectu eiusdem termini dici similem in ordine ad aliquas operationes, quas in se continet, & dissimilem in ordine ad alias operationes, quia semper similitudo, & dissimilitudo in ordine ad operationes tãquam ad rationes fundãdi desumitur, præcisis enim operationibus, & accidentibus, similitudo in substantiis non reperitur.

PVNCTVM IV.

De distinctione virtuali in ordine ad prædicata contradictoria.

§. I.

Explicatur virtualis distinctio.

1 NOn agimus de distinctione fundamentali in ordine ad ens rationis, quam nonnulli virtualem appellant, ex vi cuius intellectus fundamentum desumit ad fingendam distinctionem rationis inter prædicata realiter identificata, sed de distinctione virtuali reali in ordine ad prædicata opposita, & contradicentia. Scopum difficultatis explico. Rem virtualiter, aut eminenter esse aliquid non est formaliter esse tale; sed continere proprietates, & virtutes, quas continet aliud, ita vt possit idem præstare, quod præstat aliud, aut quod præstaret, si esset formaliter tale. In hoc sensu dicimus pecunias esse quodammodo omnia, quia omnia quæ possunt aliis comparari pecuniis adquiri possunt. In eodem sensu dicimus sensum internum esse eminenter omnes externos, quia omnia obiecta quæ pluribus externis sensibus percipimus, vno interno attingimus, dicimus etiam Solem, & alias causas vniuersales eminenter esse ignem, & alias causas particulares, quia id potest præstare vnus Sol vniuersalis causa, quod plures particulares possunt efficere. In hoc sensu virtualiter esse distinctum non erit distinctionem in se habere, sicuti Solem esse virtualiter ignem non dicit in se continere essentiam ignis, sed id posse præstare sine distinctione reali, quod virtute distinctionis, quam in se habent, præstant aliæ entitates, ita vt in ordine ad illa, quæ distinctionem consequuntur, non desideretur distinctio formalis vera, & realis in tali entitate, etiamsi nulla ratione in ipsa reperiatur, sed summa identitas, sicuti non desideratur in Sole natura ignis in ordine ad producendum calorem, quem posset producere, si formaliter natura ignis haberet, quia etiamsi illam non habeat, eumdem calorem potest Sol producere per suam naturam, etiamsi realiter non sit ignis, quem posset producere, si esset ignis. Dicemus ergo distincta virtualiter illa extrema, quæ in re nullam habent distinctionem, sed realiter omnino sunt idem, præstant tamen idem quod præstarent si realiter essent distincta.

2 Cæterùm hæc virtualis distinctio potest considerari in ordine ad effectus ad extrà productos, & intrinsecè in ordine ad illa quæ de eadem entitate prædicantur, & quæ ex se independenter ab hac virtuali distinctione sine contradictione non possunt eidem entitati conuenire, sicuti sunt communicari, & non communicari, produci, & non produci, & alia huiusmodi. Distinctionem virtualem in ordine ad plures effectus ad extrà productos ab eadem indiuisibili entitate, qui ab aliis causis distinctis producuntur, monstrant exempla adducta ex causis vniuersalibus, quarum vna simplex & indistincta producit omnes effectus, quos aliæ causæ realiter distinctæ producunt, & quos non vna tantùm particularis causa sine consortio aliùs particularis à se distinctæ posset producere. Difficultas est de distinctione in ordine ad prædicata, quæ ex se dicunt contradictionem, & ratione huius virtualis distinctionis in eadem entitate possunt reperiri absque vlla repugnantia, ita vt illa prædicata ex se contradicentia ratione subiecti quasi exuant contradictionem, & absque illa in eamdem confluant entitatem.

§. II.

Quid de hac distinctione virtuali sentiendum sit in diuinis: vbi illius natura magis explicatur.

3 DIstinctionem hanc virtualem cum summa identitate in Deo constituunt doctissimi, & grauissimi Theologi: illam expressè docet Caietan. 1. parte, q. 39. art. 1.

§. ad

§.*ad euidentiam*, & §. ad secundum, cuius hæc sunt verba: *Ad secundum verò dicitur quod præceptor non intelligit essentiam, & paternitatem vt duo obiecta formalia secundùm se, sed vt vnum formaliter, & multa virtualiter.* Eamdem tradit P. Valentia 1.p.disp.22. punct.1. §. *est autem obseruandum*, & q. 13. punct.... §.*ad confirmationem respondetur*;& sæpe alibi:P.Molina q.28. art.5. disp.3. concl.3. P.Her. disp.2. cap.3.n.18.& disp.12. c.2. n.4. P.Zuniga disp.2. dub. 4. membr.1. P. Taner disp.4. de Trinit. q.1. dub.5. n.22. & disp.2. q.2. dub.3. P.Arrub.disp.100. cap.3. n.17. P.Hurtad. hic disp.6. sect.3. P.Arriaga disp 5.de Logica,sect.4.subsect.2. M.Albiz.disp.3 sect.9.& latè Ægid. de Præsent. lib.5. de beatitudine, q.5. art.6.§.2. n.14. & §.3. & 4. his subscribunt ferè omnes politiores, & acutiores recentes. P.Granad. 1. p. tract.3. disput.5. sect.3. & tractat. 5. disp.5. c. 7. hanc distinctionem impugnat, & P.Alarcon.Luisius Tur.part.1.select.disputat. Centuria 4.dub.35. grauissimâ censurâ dignam esse opinionem defendentem hanc distinctionem virtualem nimis seuerè censet.

4 Ex triplici cap. potest argui contra authores vtentes hac distinctione virtuali in Deo ad defendendum mysterium Trinitatis, actus liberos Dei quâ respondere prætendunt omnibus argumentis, quæ in his materiis occurrunt. Si enim illis obiicias: Essentia communicatur: Paternitas non communicatur:Essentia, & Paternitas sunt idem:ergo communicâtur,& non communicâtur. Respondent distinguendo maiorem: Essentia, & paternitas sunt idem formaliter, & distinctæ virtualiter, concedo minorem: sunt idem formaliter,non distinctæ virtualiter, nego minorem; & eodem modo consequenti distincto asserunt absque vlla contradictione posse essentiam, & Paternitatem communicari, & non communicari non obstante identitate formali, ratione distinctionis virtualis, quia ex vi huius essentia, & paternitas cum summa identitate reali, & absque vlla distinctione formali habent in ordine ad hoc quod est communicari, & non communicari,eamdem capacitatem, quam haberent in ordine ad eadem prædicata, si in re realiter essent distincta; & sicuti posita distinctione reali formali,quæ tâtùm est vera distinctio,inter essentiam & paternitatem, absque vlla contradictione posset essentia communicari, & Paternitas non communicari,sic nulla data distinctione formali de facto, ratione tantùm huius distinctionis virtualis, seu eminentialis, quæ in re distinctio non est, sed tantùm cum addito distinctio dicitur, potest essentia communicari, & Paternitas non communicari. Hi ergo ex triplici capite possunt impugnari. Primò si contra illos probetur non dari conceptum illum, quem distinctionem virtualem appellant. Secundò probando conceptum illum,etiamsi detur,non esse distinctionem virtualem appellandum. Tertiò, admisso conceptu,& nomine distinctionis virtualis possunt impugnari, ex eo quod hæc distinctio virtualis rem non explicet, sed æquè obscurum mysterium Trinitatis, ad quod explicandum præcipuè inuenta est,& omnino integra omnia argumenta quæ contra prædictum mysterium, & constitutiuum decreti liberi Dei relinquat, nihilque noui neque lucis, sed distinctis verbis obscurius tradat, quod omnes Catholici fatentur, & ideo solùm difficiliùs impugnetur, quia non ab omnibus percipiatur.

5 In primis contendendum non est an conceptus ex parte obiecti assignatus ab his authoribus appellandus sit distinctio virtualis, quia hoc esset de nomine contendere, & congruè satis conceptus ille, si admittendus sit virtualis poterit appellari distinctio, quia est distinctionis æquiualentia,& id quod alij æquiualet tale virtualiter dici solet.

6 Secundò est mihi certum, conceptum illum, quem isti authores distinctionem virtualem appellant in Deo esse concedendum, existimo enim distinctionem virtualem, quæ ponitur in Deo in ordine ad hoc quod est essentiam communicari,&Paternitatè non communicari,Filiationè produci,& essentiam non produci in re non aliud, ad huc formaliter importare, quod Catholicè omnes in Trinitatis mysterio confitentur, & eâdem ratione distinctionem virtualem in ordine ad cognoscêdum, vel non cognoscendum scientia visionis, amandum, vel non amandum idem subiectum absque vlla distinctione reali, neque physicâ variatione, casu,quo obiectum cognoscatur, vel non cognoscatur scientiâ visionis; ametur, vel non ametur, tantũ importare simplicitatem Dei, ex vi cuius absque vllo superaddito, & amat obiecta, & libertatem ex vi cuius potuit non velle producere, ea quæ producere voluit, & velle producere illa, quæ noluit producere; Admittendũ esse conceptum illum,quem isti authores distinctionẽ virtualem appellant,sic probo: Vna, & simplicissima entitas in Deo præstat, quod in creaturis præstat duplex entitas distincta realiter actu: ergo simplicissima entitas Dei realiter indistincta æquialet duplici entitati realiter distinctæ. Consequentiam negare non potes, ni velis de nomine tantùm contendere Sic illam corroboro: æquialere alij est valere quod valet illud aliud: ergo eo ipso quod vna simplicissima entitas Dei,præter id, quod præstat duplex entitas quod est valere, quod duplex entitas, æquialebit duplici entitati. Iam primum antecedens efficaciter probo; entitatem esse intrinsecè realiter identificatam cum aliquo, & ab eodem distingui, realiter producei,& realiter non produci,realiter communicari,& realiter non communicari in creatis euidenter distinctionem arguunt, & secluso Deo non possunt duo ex his extremis oppositis nisi duobus entitatibus realiter distinctis conuenire, si enim admittatur posse creaturam produci secundùm hanc rationem,& non produci secundùm aliam cum ipsa identificatam, tota euertitur Philosophia, & vis illatiua argumentationis destruitur:sed fide certum est essentiam diuinam communicari, & Paternitatem non communicari;filiationem produci, & essentiam non produci; & essentiam non distingui à paternitate neque à filiatione: ergo fide certum est vnam simplicissimam entitatem Dei posse habere in se prædicata,quæ ratione naturali euidenter cognoscimus non posse extra Deum reperiri nisi in creaturis realiter distinctis:ergo fide certum est vnam simplicissimam entitatem Dei valere quoad hæc prædicata produci, & non produci,communicari, & non communicari, id quod valet duplex entitas creata,quibus tantùm, & nulli simplici extra Deum, absque contradictione possunt hæc prædicata conuenire, vnum vni creaturæ, & aliud oppositum creaturæ alteri, ab alia cui aliud conuenit prædicatum, distinctæ: ergo fide certum est Deum valere ad habenda in se prædicata intrinseca, quæ in creaturis arguunt realem distinctionem duplicis entitatis;ergo certum est æquialere in ordine ad hæc prædicata duplici entitati distinctæ, etiamsi in se formalissimè sit vna simplex entitas.

Conceptum obiectiuum distinctionis virtualis sic explicatum,existimo Catholicè à nullo posse negari (dico non posse negari conceptũ distinctionis virtualis,hoc est prædicatum obiectiuum,quod authores distinctionem virtualem appellant, quia potest quis admisso hoc conceptũ asserere non dari distinctionẽ virtualem,quia conceptus virtualis distinctio non est dicendus, qui tantum de nomine contenderet,) quia conceptus ille tantùm exprimit id, quod omnes Catholicè credimus,& fide reuelatum est, videlicet entitatem diuinam tantæ esse virtutis,& perfectionis,vt non obstante identitate inter essentiam, & relationem,quæ obstaret in quacumrue entitate distincta à Deo vt possit essentia communicari, & relatio non communicari,& sic de aliis prædicatis oppositis. Itaque duo dicit hæc virtualis distinctio vnum de fide, & aliud lumine naturæ notum, videlicet identitatem inter essentiam, & Paternitatem non obstare vt essentia communicetur, & Paternitas non communicetur: hoc fide certum est. Dicit insuper identitatem in quacumque entitate extra Deum obstare vt eadem communicetur, & non communicetur, producatur, & non producatur, quæ prædicata in rebus creatis euidenter arguunt distinctionem realem,quod naturæ lumine certum est,ex quibus disertè inferunt authores distinctionis virtualis valere entitatem simplicissimam Dei ad id,quod tantùm extra Deum potest valere duplex entitas distincta, quod est æquialere duplici entitati distinctæ,& rectè dicitur distingui æquialenter,seu virtualiter,quod enim valet ad id, quod aliud præstat, rectè virtualiter seu æquialenter dicitur illud aliud, etsi formaliter tale non sit. 7

Hic est conceptus obiectiuus distinctionis virtualis, quem tradunt omnes Doctores, qui illam propugnant, & doctissimi Magistri è nostris elucidant, in quem si rectè expendatur nihil momenti potest adduci, nihil enim in illo continetur, quod fide diuina reuelatum, aut naturæ lumine compertum non sit, tantùm abest à censura, quam non nimis maturè contra sententiam hanc pronunciauit Torres, à qua etiam ipse longè abesset, si expendisset, quid 8

quid nomine distinctionis virtualis Doctores intelligant, & à quibus Doctoribus distinctio hæc virtualis propugnetur.

10 Longè faciliùs poterit quis ex tertio capite distinctionem hanc virtualem impetere, contendendo distinctionem in re admittendam eamdem omnino dificultatem continere, ac ipsum mysterium, & nullam huic lucem dare, & omnia argumenta æquè insoluta; ac difficilia manere hac distinctione virtuali admissâ, ac essent sine illa; seu eisdem omnino argumentis impugnari distinctionem virtualem, quibus impugnatur ipsum mysterium, & æquè difficile ac istud illam propugnari, quod sic suadeo. Distinctio virtualis in Deo importat æquiualere Deum in ordine ad hæc prædicata communicari, & non communicari duplici entitati distinctæ, quod formaliter dicit posse habere in se summè simplici hæc duo prædicata communicari, & non communicari, produci, & non produci, communicari ratione essentiæ, non communicari ratione relationis identificatæ cum essentia, produci ratione filiationis, non produci ratione essentiæ identificatæ cum filiatione, quæ in quacumque alia entitate simplici dicerent contradictionem, ergo distinctio virtualis dicit posse Deo conuenire hos conceptus communicari, & non communicari, qui ex se sunt contradictorij, in quo est tota mysterij difficultas, eadem omnino in hac distinctione virtuali, ac in ipso mysterio. Vrgeo: Dari hanc distinctionem virtualem est Deum esse talis naturæ vt ipsi eidem omnino simplici possint conuenire hi duo conceptus communicari, & non communicari. Sed hi duo conceptus sunt contradictorij: ergo dari hanc distinctionem virtualem in Deo dicit Deum esse talis naturæ vt ipsi possint conuenire duo conceptu contradictorij, quod horret metaphysica, & naturæ lumen.

11 Fatere ergo in re parum, vel nihil lucis addi ex hac virtuali distinctione obscuritati mysterij, & æquè difficilem obiici intellectui rem attentè contemplāti, ac ipsum mysterium, nihilominus credo, hac distinctione posita expeditioribus terminis, quibus fieri potest summam mysterij difficultatem tractari, & aptioribus ad infringendam vim syllogisticam omnium argumentorum, quæ contra hoc mysterium instituuntur, quibus fateor ego mysterium ipsum ex parte obiecti significari conceptibus tamen formalibus, quibus, etsi idem significēt, melius tamen aliis idem obiectum significantibus rem vt fieri potest exprimunt, & vim argumentorum infringunt; quibus secundùm alios dicendi modos non ita dici potest satisfieri. Ad confirmationem Respondeo hanc distinctionem virtualem non dicere, posse Deo competere duo prædicata contradictoria, quod horret Metaphysica, sed posse illi competere duo prædicata, quæ respectu aliùs entitatis simplicis distinctæ à Deo essent contradictoria, quin in ipso Deo contradictoria sint, & optimè compossibilia ratione huius distinctionis virtualis, quia communicari, & non communicari, produci, & non produci, & sic quicumque alij termini cum affirmatione, & negatione propositi nullam dicunt contradictionem, nisi sint eiusdem de eodem indistincto, & non sufficit ad contradictionem esse de eodem indistincto formaliter, sed etiam de eodem indistincto, seu non distincto virtualiter, seu æquiualenter in ordine ad prædicata, quæ affirmatiuè, & negatiuè enuntiantur. Ex quo fit communicari respectu essentiæ, & non communicari respectu Paternitatis, Filiationem produci, & essentiam non produci, & esse contradictoria, quia licet essentia, & Paternitas, & essentia, & Filiatio sint idem formaliter, & dicant vnam simplicissimam entitatem, affirmatio communicationis de essentia, & negatio communicationis de Paternitate non sunt de obiecto non distincto virtualiter, seu æquialenter, etsi sint de eodem obiecto simplicissimo nullam includente mixturam distinctionis formalis, quæ sola est vera distinctio, distinctio enim virtualis, seu æquialens, vt sæpe dixi, distinctio non est, sed quid æquialens distinctioni, sicuti Sol, qui virtualiter est ignis, non est simpliciter, & sine addito ignis potiùs prædicata essentialia illius opponuntur cum prædicatis essentialibus ignis; sic essentia, & Paternitas, quæ virtualiter distinguuntur non possunt dici absolutè distingui, neque in se formalem, seu propriam distinctionem habere, potiùs sunt vna simplicissima entitas, cuius simplicitas essentialiter opponitur cum distinctione reali, quæ formaliter, & propriè distinctio sit.

Si roges vnde hæc distinctio eminentialis, seu virtualis innotescat. Respondeo nobis innotescere, & à posteriori ex ipso Trinitatis mysterio, à priori ex infinitate Dei illius non repugnantiā agnoscere, non enim repugnat simplicissimam entitatem infinitam tantùm valere quantùm valet duplex finita. Non leuis poterat esse disputatio an hæc distinctio virtualis admittenda sit in diuinis respectu notionalium tantùm, an etiam respectu essentialium, sed hæc non ad nostrum attinet institutum, cuius tantùm est nanon ad nostrum attinet institutum, cuius tantùm est nāturam huius distinctionis explicare, & definire admittenda sit necne; respectu verò quarum formalitatum in diuinis sit admittenda, pertinet ad Theologum, qui de singulis attributis, & proprietatibus diuinis disputat. Vnum in hac re affirmo distinctionem hanc virtualem admittendam non esse in aliis formalitatibus præter illas, in quibus necessaria est ad aliquam veritatem defendendam, à qua illæsâ fide recedere non possimus. Hæc dixerim de distinctione virtuali in diuinis non animo definiendi, an admittenda sit nécne, sed explicandi quid importet hæc distinctio virtualis, quæ multis admodum fuit inuisa, forsan, quia distinctionis nomine perteriti, quid sub illo lateret non attentè inspexere. 12

§. III.

Quid sentiendum sit de hac distinctione virtuali in creatis.

SEmel, iterum, atque iterum seuerè reprehendēdi sunt authores, qui ex his quæ in Deo fide reuelante credimus, quæ tantùm infinita Dei Optimi Maximi perfectione possunt componi, argumentum faciunt ad alia similia in creaturis confingenda, quasi ad omnia creatura valeret extendi, quæ suprema Dei perfectione penetrari, & longè excedi possunt, vel quasi vna, eadémque iusta esset mensura Dei Optimi Maximi per essentiā vnicè infiniti, & creaturæ finitæ & limitatæ, cuius perfectionis momēta infinitè distant ab illa interminabili perfectione, quam diuina essentia, illius quodlibet attributum, & quidquid in Deo, omnia eadem cum ipsa diuina essentia in vno simplicissimo Deo mirè replent. Huius criminis rei sunt nonnulli, qui distinctionem virtualem supra explicatam diuina humanis confundentes ad creaturas transtulere, & hac ratione defendere præsumunt posse animam rationalem vniri materiæ quatenus sensitiuam, & non quatenus rationalem, sicuti Verbum vnitur immediatè naturæ humanæ secundùm subsistentiam, & non immediatè secundùm essentiam, & posse fundamentum relationis referri per suāmet entitatem, etiamsi indifferens sit, vt referatur, & non referatur, sicuti Deus per suammet entitatem amat obiectum, ad quod amandum & non amandum antecedenter fuit indifferens, asseruntque hæc omnia optimè componi hac virtuali distinctione. Hic discurrendi modus semper mihi valde fuit exosus, quem alienum iudico ab ingenuo Philosopho, viróque indagandæ veritatis amico, euertit enim totam Philosophiam, & res purè naturales æquè difficile, & obscurè explicat ac Trinitatis mysterium, & illa, quæ intra Deum mens creata in hac vita vix & non nisi per ænigmata valet apprehendere. Denique tenentur hi asserere eamdem facilitatem, difficultatémve respectu intellectus creati subire Trinitatis mysterium, & reliqua omnia creata, quæ cum hac distinctione virtuali in creatis componuntur. Cur ergo irridendus non est, qui dicat eadem facilitate, aut difficultate defendi Trinitatis mysterium, & vnionem animi rationalis ad materiam, seu rationem æqualitatis huius quantitatis ad illam, aliudve huiusmodi creatum, ad quod defendendum vellet ex Deo ad creaturas hanc distinctionem transferre. 13

Rationem iam insinuatam expendo, quam robustissimam semper existimaui ad hanc distinctionem virtualem vt chimæricam in creaturis expungendam. Hæc distinctio in quocumque reperiatur dicit posse prædicari sine contradictione, duo prædicata realia ex se oppositā de eadem simplicissima entitate: sed tota difficultas mysterij Trinitatis in eo tantùm consistit, quod possint de eadem simplicissima entitate sine contradictione dici hæc prædicata: ergo vbicumque ponatur hæc virtualis distinctio in ordine ad oppositā prædicata, quæ tantùm est virtualis distinctio, & de qua contendimus, ponitur tota difficultas, quæ reperitur in mysterio Trinitatis. Consequentia est legitima: 14

maior

maior continet definitionem distinctionis virtualis de qua contendimus. Minorem facilè quisque persuadebit. Tota difficultas mysterij Trinitatis in eo est, quod non obstante identitate relationum cum essentia, Paternitas non communicetur, & essentia communicetur; Filiatio producatur, & essentia non producatur; Paternitas distinguatur à Filiatione, & essentia identificata cum eadem Paternitate, non distinguatur à Filiatione, & in aliis huiusmodi prædicationibus: ergo tota difficultas mysterij Trinitatis in eo sita est, quod possint duo prædicata ex se opposita absque vlla cõtradictione de hac simplicissima entitate enunciari: ergo quod in creatis defendatur dependenter à distinctione virtuali, æquè difficile defenditur ac Trinitatis mysterium, & sicuti de mysterio dicimus esse supra captum creaturæ quantumvis perfectæ non euectæ ad visionem beatificam, sic sentire debemus de alia quacumque veritate creata, quæ dependenter ab hac distinctione virtuali defendatur. Secundò ex eisdem principiis aliter infero: admissâ distinctione virtuali, nulla supereſt adhuc apparens difficultas in Trinitatis mysterio, vt iam probaui, quia illa in se dicit totam difficultatem mysterij, videlicet posse de eadem entitate simplicissima absque contradictione dici prædicata esse opposita: ergo quicumque admittat hanc distinctionem in creatis, poterit admittere mysterium aliud creatum simile mysterio Trinitatis, seu aliam trinitatem creatam, in qua reperiatur natura communis tribus personis, quarum personalitates inter se distinguantur, & non distinguantur ab essentia, & quarum natura omnibus sit communis, & vniuscuiusque personalitas identificata cum essentia propria ipsius personæ, & cuicumque alij incommunicabilis. Cõsequens nullus admittet, neque poterit admittere, qui de Deo Optimo Max. Trino, & Vno dignè sentiat. Consequentia est mihi demonstratiua, cuius vim apertè cognosces, si tibi fingas aliquem modò defendere dari creaturam trinam, & vnam, ea ratione, qua modò dicebam, & rationem aliquam quæras ad illum ab hoc errore remouendum: profectò nullum argumentum inuenies contra hominem istum, quod non hac distinctione virtuali retundatur, si enim illi obiicias: personalitas primæ personæ identificatur cum essentia: essentia est communis: ergo personalitas. Distinguet antecedens: identificatur formaliter, & non distinguitur virtualiter, nego identificatur formaliter, & distinguitur virtualiter, concedo: deinde negabit quam optimè cõsequentiam, quia sicuti in his, quæ formaliter distinguuntur, non valet consequentia; hoc est commune: ergo & illud; sic neque in his, quæ distinguuntur virtualiter, etsi identificentur realiter, quia distinctio virtualis est virtus ad præstandum cum simplicissima vnitate, id quod posset præstare duplex entitas formaliter distincta, & sicuti duplex entitas formaliter distincta potest communicari ratione vnius, & non communicari ratione alterius; sic duplex formalitas realiter identificata, & vna simplicissima entitas absque vlla distinctione formali virtualiter distincta posset communicari secundùm vnam formalitatem, & non communicari secundùm aliam absque vlla repugnantia, aut contradictione. Impugnandus ergo esset, qui assereret posse dari Trinitatem creatam, ex eo, quod repugnaret creaturæ formaliter simplici absque vlla distinctione formali distinctio illa virtualis, ex vi cuius posset non obstante identitate formali omnium formalitatum, quas in se contineret communicari secundùm vnam realiter, & intrinsecè, & non communicari secundùm aliam, & alia huiusmodi intrinseca prædicata ex se contradictoria in se ipsa absque vlla contradictione admittere.

14 Robur accipit discursus iste, ex his, quæ distinctione virtuali in diuinis dixi §. præcedenti, constat enim ex ibi dictis prædictam hanc distinctionem in diuinis in ordine ad Trinitatis mysterium ex parte obiecti non distingui ab ipso mysterio; quod fide credimus, & eandem distinctionem in ordine ad hoc quod est Deum per suammet entitatem posse antecedenter amare, & non amare obiectum absque aliquo superaddito, sed per eandem entitatem intrinsecè existentem omni modo inuariatam, casu quo amet obiectum, & casu quo illud non amet, si in ordine ad hos actus liberos ponenda est, non distingui ab infinita simplicitate Dei omnino immutabili, & à libertate ad amandum, & non amandum. Ex quo infertur distinctionem virtualem in Deo adhuc formaliter non distingui ab his conceptibus obiectiuis, qui præcisè sumpti in Deo arguunt infinitam perfectionem, sine qua non possunt alij similes in creatura apprehendi. Arguit ergo hæc virtualis distinctio infinitam perfectionem, & ideo illam in creaturis admittere nefas est.

Secundò, si distinctio virtualis sit, nunquam possumus 15
in forma syllogistica tutè procedere, donec prius compertum nobis sit de quacumque entitate, an in se distinctionem hanc virtualem habeat, & ita poterit admissa maiori, & minori huius syllogismi in *Barbara* constructi consequentia negari. Omne risibile est animal: omne rationale est risibile: ergo omne rationale est animal; quia poterit quis dicere medium identificari formaliter cum extremis, quæ identitas sufficiens est vt maior, & minor vera sit, & distingui ab illis virtualiter; quæ distinctio sufficiens est vt possit dici de medio identificari cum quocumque extremo v.g. cum animali, quin idem dicatur de risibili identificato cum ipso animali, & hac ratione posse identificari vni tertio, quin inter se identificentur, sicuti ratione huius virtualis distinctionis in diuinis contingit, non enim valet: Hæc essentia diuina est Paternitas: Filiatio est eadem met essentia diuina: ergo Filiatio est Paternitas; in quo syllogismo ratione distinctionis virtualis in opinione, quæ illam admittit, consequentia non tenet: ergo si similis distinctio virtualis admittatur inter risibile, quod est medium prioris syllogismi, & rationale, & animal quæ sunt extrema illius, consequutio legitima non erit. Occluditur ergo via omni disputationi admissa hac distinctione virtuali in creaturis, in quibus nihil poterimus inferre ex identitate illorum, poterit enim dici formalitatibus realiter identificatis conuenire opposita prædicata ratione distinctionis virtualis, & postquam quis consequens deduxerit in syllogismo perfecto primæ figuræ ex præmissis iam concessis hac distinctione virtuali poterit eludi, & tunc nouam disputationem debet instituere ad probandum extrema realiter identificata virtualiter non distingui, quod nullo medio poterit probari, si semel admittatur hanc distinctionem virtualem esse possibilem.

Dixi admissa hac distinctione, viam occludi omni dis- 16
putationi, vel omnem deuoluendam esse postquam consequens ex præmissis iam concessis esset legitimè illatum, ad hanc distinctionem virtualem expungendam, & nos non posse in syllogistica forma tutè procedere, si semel hanc distinctionem virtualem admittamus, quod haud inefficaciter probasse existimo, non tamen dixi destrui formam syllogisticam, quia admissa hac distinctione virtuali in creaturis, adhuc forma syllogistica maneret integra, quia ex vi huius tantùm concluditur identificari inter se illa, quæ identificantur formaliter vni tertio, à quo non distinguuntur virtualiter, quod si detur medium creatum identificatum formaliter cum extremis, & distinctum ab illis virtualiter, ex identitate extremorum cum medio non inferetur ex vi formæ, identitas extremorum inter se & ita forma syllogistica manebit integra, & illæsa. Hoc ita dicendum est ne cogamur asserere in diuinis formam syllogisticam deficere, quia syllogistica forma independenter ab hac, & illa materia in quacumque reperiatur legitimè concludit, & omnia, quæ ex vi formæ syllogisticæ concluduntur ex apprehensione dispositionis terminorum euidentia sunt metaphysicè, & nulli possunt subesse falsitati; ita nullo modo dicendum est formam syllogisticam in diuinis deficere, sed integram omnino permanere, quidquid enim forma syllogistica legitimè concluditur, obiectum demonstrationis, seu obiectum demonstratum esse dicimus, & ita nihil potest neque in creatis, neque in diuinis forma syllogistica concludi, quod verum non sit, aliàs obiectum non verum demonstrationi subesset, & aliquid in diuinis daretur cuius contradictorium demonstraretur, quod alienum est ab omni veritate. Dicendum ergo est in hoc syllogismo: Essentia est Paternitas: Filiatio est essentia: ergo Filiatio est Paternitas, non deficere formâ syllogisticam, sed consequens non esse legitimè illatum, deberet enim, vt legitimè concluderetur inferri ex præmissis non tantùm formaliter identificatis, sed etiam virtuali distinctione carentibus. Ratio à priori facilis est ex ipsa natura distinctionis virtualis petita: distinctio virtualis æquiualet formali in ordine ad prædicata opposita componenda in extremis, quæ identificantur realiter, & distinguuntur virtualiter: ergo vbi intercedit virtualis distinctio, poterit vna formalitas identificari cum alio tertio, quin formaliter cum ipsa identificata formaliter

&

& distincta virtualiter identificetur: ergo poterit medium identificari cum vna extremitate, quin altera extremitas identificata realiter cum medio, & ab illo virtualiter distincta identificetur cum illa extremitate. Secundò, vbi intercedit distinctio formalis extremorum cum medio, ex vi formæ syllogisticæ nihil infertur, sed distinctio virtualis æquialet formali: ergo vbi intercedit virtualis distinctio ex vi formæ syllogisticæ nihil infertur: ergo admissâ distinctione virtuali in creatis non destruitur forma syllogistica, sed ponitur quoddam principium, quo admisso, vix forma syllogistica materiam inuenit, in qua exerceatur, seu vix remanet præmissa aliqua certa, ex qua possit ex vi formæ aliquid concludi, quia vt ex vi formæ aliquid concludatur, præmissæ debent identificari formaliter cũ medio, & ab illo virtualiter non distingui, & ita si hæc virtualis distinctio possibilis est, non quotiescumque extrema identificãtur formaliter cum medio sufficientia erunt, vt ex illis aliquid ratione formæ inferatur, quia forsan distinguentur virtualiter; si verò distinctio hæc virtualis possibilis non est in creatis, quotiescumque extrema formaliter identificantur cum medio, legitimè infertur inter se identificari, quia tunc omne extremum creatum formaliter non distinctum ab alio, neque distinctionem formalem, neque virtualem habebit cum illo.

17 Vltimò hæc distinctio virtualis ab innumeris absurdis refellitur, sequitur enim ex illa posse produci gradum rationalis ex vi huius actionis, & non gradum animalis; me existere Matriti, & non Romæ quatenus animal; & existere Romæ, & non Matriti quatenus rationale: posse hominem destrui à Deo secundùm gradum animalis, & non destrui secundùm gradum rationalis, & alia innumera figmenta, quæ quisque poterit vagâ sibi mente confingere, quia hæc omnia ideo tantùm repugnant, ne de eadem re dicatur produci per hanc actionem, & non produci per hanc actionem, existere Matriti, & non existere Matriti, & alia huiusmodi prædicata contradicentia, quod cùm virtualis ista distinctio in formalitatibus virtualiter distinctis & realiter identificatis absque contradictione hæc prædicata ex se contradicenda componat, posità hac distinctione virtuali in creatura, nulla in prædictis figmentis contradictio reperjetur. Dices posità hac distinctione virtuali inter essentiam, & Paternitatem non posse hæc in diuinis reperiri; implicat enim Paternitatem esse in aliquo loco, in quo non sit essentia, aut è contrà. Respondeo cordatos Theologos, qui hanc distinctionem virtualem in Deo constituunt, illam tantùm constituere in ordine ad illa prædicata, quæ Catholicè Deo non possunt negari, & quæ sine hac distinctione virtuali intellectus humanus in hac vita componere non valet, & ita negat hanc distinctionem virtualem in ordine ad hæc predicata: Philosophus verò, qui nullâ veritate reuelatâ coactus hanc distinctionem in creatis admittit, gratis dicet distinctionem virtualem dari in creatura in ordine ad hæc prædicata, & non in ordine ad illa. Secundò respondeo paternitatem non posse non esse in eodem loco, in quo est essentia, non prouenire præcisè ex identitate inter essentiam, & Paternitatem; hoc enim inseparationis caput posset distinctione virtuali dispensari si in ordine ad hæc prædicata admitteretur, sedquia quælibet ex his fomalitaibus independenter à formalitate alterius est vbique, & ita cùm quælibet per se existat in omni loco, necessariò vbique vtraque coëxistit, quod haberent etiamsi realiter distinguerentur. Eadem ratione hæc virtualis distinctio deseruire non potest, vt vnâ existente, altera non existat, quia licet hoc ratione identitatis non repugnaret, repugnat cuicumque formalitati non existere; quælibet enim est summè necessaria; deseruit autem hæc distinctio in diuinis vt hæc formalitas, nempe filiatio producatur; & illa, nẽpe essentia, non producatur non obstãte identitate formali inter vtramq; quia produci, aut non produci non est contra naturã cuiuscumque formalitatis existentis intra Deum. Eâdem ratione si hæc distinctio virtualis admitteretur in formalitatibus creatis deseruire non posset, vt hæc existeret producta, & vt alia existeret non producta, quia de rationetotius formalitatis creatæ, est nõ posse existere non producta, sed tantùm deseruiret, vt hæc formalitas posset existere producta ex vi huius actionis tantùm, & alia formalis cum illa idẽtificata posset existere nõ ex vi huius actionis, quâ altera existebat, sed ex vi aliùs actionis, quia non est de conceptu formalitatis creatæ non posse existere non productam per hanc actionem sed tantùm non posse existere absolutè improductam.

18 Vltimo confirmatur, distinctionem virtualem in creatis esse fictitiam, & chimericam, quia nulli, nec mediocriter apparenti fundamento nititur, sed tantùm ficta est ad nonnullas opiniones defendendas, quas defendere nullo iure quisquam adstringitur, quas ego omnino improbabiles censerem, si alio modo defendi non possent. Hæ sunt, animam rationalem viri materiæ vt sensitiuam, & non vt rationalem, etsi vterque gradus sit idem formaliter indiuisibilis: malitiam actus vitalis esse identificatam intrinsecè formaliter cum ratione qualitatis, & vitalitatis, & Deũ concurrere ad rationẽ formalem vitalitatis, & qualitatis producendam, non verò ad rationem malitiæ, & aliæ huiusmodi, quibus sententiis probabilitatem ego non denego, sed assero defendendas esse independenter ab hac virtuali distinctione, vt suam probabilitatem retineant, hæc enim virtualis distinctio in creaturis admissa totam euertit Philosophiam, humanis diuina confundit, eadémq; regulâ metitur Dei esse per essentiã infinitã, & finitam limitatámque creaturarũ perfectionem.

§. IV.

Quid de hac distinctione in ordine ad prædicata intentionalia.

19 REcentes aliqui, cùm viderent totam destrui Philosophiam hac virtuali distinctione, & illa indigerent ad defendendas præcisiones nostri intellectus ex parte obiecti inter prædicata realitèr identificata, id tantùm huic distinctioni concessere, quod illis necessum erat ad defendendum posse ex vi huius cognitionis cognosci prædicatũ animalis, & non cognosci ex vi eiusdem prædicatũ rationalis cum illo identificatum, asserueréq; dari in ente creato omnino simplici distinctionẽ virtualẽ in ordine ad hæc prædicata, ne opprimerẽtur argumenti difficultate, quo inferebatur idẽ cognosci, & non cognosci, aut cogerentur abarrepta sententia discedere. Rem ita prædicti recentiores cõponunt: distinguunt duplex prędicatorũ genus, sunt enim quædã prædicata, quæ connectuntur cum existẽtia phyiica rei, & conuenire non possunt rei non existenti, sicuti esse productũ, esse album, & alia huiusmodi: alia sunt prędicata, quæ non important existentiã subiecti, de quo prædicãtur sicuti esse cognitum, vel amatũ, potest enim cognosci, & amari obiectũ non existens, neque inter existentiã cognitionis, aut amoris, & obiectum amatũ, aut cognitum aliqua est connexio. His positis asserunt non posse conuenire formalitatibus creatis realiter idẽtificatis prædicata contradicentia importantia existentiã subiecti, quia tota contradictio ponitur in eo quod res non possit esse, & non esse, posset autem esse, & non esse eadẽ entitas, si posset secundùm diuersas formalitates realiter identificatas produci, & non produci. Prædicata verò, quæ non important existentiam veram, & verã negationem existentiæ, etsi contradicentia sint eidẽ entitati secundùm diuersas formalitates posse cõpetere, prædicti recentiores defendũt, quia prædicata, quæ possunt indifferẽter enunciari de rebus pro statu possibili, quo sunt entia realia intrinsecè non implicantia, & pro statu impossibili, quo sunt entia implicãtia, non debent immediatè implicationem inducere: ergo distinctio virtualis in ordine ad huiusmodi prædicata intentionalia, quæ existentiam non important, adhuc in creatura nullam dicit contradictionem, & ita debet admitti.

20 Nihil in hac doctrina reperio, quod non sit pura verba re omnino vacua. Recentiorum nouum inuentũ expendo. Prædicata physica contradicentia inter se sicuti esse albũ, & non esse albũ, produci per hanc physicã actionẽ, & non produci per hanc physicam actionẽ, & quæcumq; alia, quæ important formam superadditã, non important existẽtiam subiecti, & negationẽ existentiæ subiecti, neque subiectum de quo dicuntur, existeret, & non existeret, ex eo quod illi hæc prædicata contradicentia conuenirent secundùm diuersas, & adhuc secundùm eandem formalitatem; si enim fingamus hominẽ esse album quatenus animal, & non esse album quatenus rationale, vel si fingamus esse albũ, & non esse album secundùm rationale, non ideo fingetur hominẽ aut aliquod aliud prædicatum illius existere, & non existere, licet enim albedo existẽs importet existentiam subiecti, & hominem esse album, dicat hominem esse existentem, negatio tamen albedinis in subiecto non dicit negationem subiecti neque hominem non esse album importat hominem non esse. Idem dico de hoc quod est produci,

& non produci per hanc actionem, quia licèt hoc quod est produci per hanc actionem importet existentiam termini producti, non produci per hanc actionem non importat negationem non producti per hanc actionem, quia potest ex vi aliùs produci: ergo si contradictio inspiciatur præcisè ex parte subiecti, cuius existentiam important prædicata physica, quam non important intentionalia, neq; ex prædicatis physicis, neq; ex intentionalibus contradicentibus arguitur: ergo salua contradictione ex parte subiecti potest in ordine ad omnia virtualiter distingui absque vlla differentia inter physica, & intentionalia.

21 Iam si contradictio inspiciatur non in ordine ad subiectum, de quo prædicata contradicentia dicerentur, in quo nulla esset, vt iam probaui, etiamsi prædicata contradicentia physica essent, sed in ordine ad ipsa prædicata, in ordine ad quæ inspicienda est, & in quibus reperitur in prædicatis physicis, quæ afficerent, & non afficerent subiectũ, si de eodem realiter possent prædicari, omnia prædicata, siue physica, siue intentionalia eodem modo important existentiam sui, quia sicuti esse album importat existentiã albedinis, vt informantis subiectum, sic esse cognitum importat existentiam cognitionis respicientis subiectum; & sicuti non esse album importat negationem albedinis vt informantis subiectum, sic non esse cognitum importat negationem cognitionis, vt afficientis subiectum. ergo sicuti esse album, & non esse album secundùm eandem physicam entitatem importat albedinem vt informanté subiectum, & negationem albedinis vt informantis subiectũ, quæ sunt obiecta physica contradicentia: sic esse cognitum dicit existentem cognitionis afficientis subiectum. & non esse cognitum dicit negationem cognitionis afficientis subiectum: sed non est maior contradictio inter existentiã cognitionis vt afficientis subiectum. & negationem cognitionis afficientis idem subiectum, quàm inter existentiam albedinis vt informantis subiectum: & negationem eiusdẽ albedinis vt informantis idem subiectum: ergo ex se antecedenter ad omnem distinctionem virtualem æqualem contradictionem arguunt prædicata intentionalia non connexa cum subiecto, de quo prædicantur, & prædicata physica connexa cum existentia subiecti de quo affirmatiuè dicuntur: ergo ex contradictione, quam prædicata ex se inferant idem est fundamentum ad distinctionem virtualem negandam, vel ponendam in ordine ad prædicata intentionalia, & ad physica prædicata. Confirmatur suppositã distinctione virtuali ad prædicata ex se contradicentia, siue physica, siue intentionalia, nullam dicunt contradictionem in ordine ad subiectum, de quo dicuntur, antecedenter ad hanc distinctionem physica, & intentionalia eandẽ dicunt contradictionem: ergo eodem modo de omnibus in ordine ad hanc distinctionem philosophandũ est.

22 Neque ex eo quod contradictio in prædicatis physicis dicat extrema physica, & in prædicatis intentionalibus dicat extrema intentionalia, minor est inter prædicata physica, quàm inter intentionalia, oppositio enim contradictoria non suscipit magis, & minùs in hac, vel in illa materia, neque maior est oppositio in eo, quòd existat Petrus & non existat Petrus, quàm in eo quod existat hæc cognitio, & non existat hæc cognitio, & æqualis cum vtraque oppositione reperitur oppositio in eo, quod hìc, & nunc existat hoc ens rationis, & in eo quod hìc & nunc idem ens rationis non existat, omnis enim affirmatio, & negatio eiusdem de eodẽ dicit oppositionem contradictoriam omnium maximam, quæ in se magis, & minùs non recipit.

23 Quod alij dicunt obiectum esse cognitum, & non esse cognitum nihil intrinsecum dicere in obiecto, verum est, sed non ad rem, quia etsi vtrumque extremum sit extrinsecum, eadem oppositio contradictoria in ipsis reperitur ac in quibuscumque aliis intrinsecis prædicatis, & oppositio contradictoria, in quibuscumq; reperiatur dicit æqualem repugnantiam. Secundò: etsi extrinsecum sit obiecto cognosci, & non cognosci ex eo quod à me cognoscatur, & non cognoscatur per hanc cognitionem, quod illi est extrinsecum, sequitur me cognoscere per hanc cognitionẽ & non cognoscere per eandem cognitionem idem obiectum, quod mihi intrinsecum est, & dicit oppositionem contradictoriam, dicit insuper eandem cognitionem terminari per se ipsam ad hoc obiectum, & non terminari per se ipsam ad idem obiectum quod non solùm est intrinsecum, sed etiam identificatum cum cognitione, & apertam inuoluit contradictionem: ergo ex nullo capite potest discrimen reperiri inter prædicata intentionalia non connexa cum subiecto, & physica cum subiecto connexa, vt in ordine ad intentionalia virtualis admittatur distinctio, quæ in ordine ad prædicata physica negatur.

Vltimò: si doctrina quam hi recentes tradunt de prædicatis intentionalibus vera esset, dicendum non esset entitatem physicam distinctionem virtualem habere in ordine ad prædicata, quia distinctio virtualis est ad componenda in hac entitate simplici prædicata illa, quæ ex se in eadem entitate contradictionem inferebãt in simplici entitate, & duplicem exposcunt, vt contradictionẽ non inferant, quibus æquialet entitas virtualiter distincta, ratione cuius virtualis distinctionis sine contradictione in ipsa componuntur prædicata illa, quæ in alia simplici entitate sine contradictione non componentur: ergo si hæc prædicata in nulla entitate simplici contradictionem arguunt, neq; ex se illam inducunt, quia non important existentiã, & negationem existentiæ, in ordine ad illa, superfluè fingitur hæc virtualis distinctio, sicuti superfluè fingeretur in me virtualis distinctio, vt possim habere præsentiam, & durationem, quæ in quacumque simplici entitate componentur. Neque virtus illa cognoscendi, & non cognoscendi secundũ diuersas formalitates realiter identificatas, quę in quacumq; simplici entitate absque vlla formali distinctione reperitur, potest dici virtualis distinctio, cùm non præstet id, ad quod in aliquo subiecto formalis distinctio requiratur, vel ad quod præstandum aliquando formalis distinctio desideretur. Concludo ex his, omnem distinctionem virtualem in ordine ad prædicata ex se contradicentia, siue physica, siue intentionalia in entitate creata fictitiam esse, atque chimæricam. 24

Arguunt recentes: casu quo de duobus prædicatis non possent prædicari contradicentia importantia existentiam realem, & eius carentiam, & possent prædicari prædicata intentionalia contradicentia, prædicata illa essent formaliter idem, quia conuenirent cum omnibus, quæ de facto sunt idem, & distinguerentur ab omnibus, quæ non sunt realiter idem, de quibus possunt enunciari prædicata contradicentia importantia existentiã, & negationem existentiæ: ergo adhoc vt prædicata realiter identificentur, sufficit non posse prædicari de illis prædicata physica cõtradicentia, & necessum nõ est non posse enunciari de illis prædicata intentionalia contradicentia. Resp me in præsenti non defendere duo prædicata intentionalia non posse dici de duabus formalitatibus per rationem distinctis, & realiter identificatis, sed tantùm asserere, hoc non posse fieri distinctionis virtualis beneficio, sed absolutè implicare, si independenter ab hac distinctione virtuali fieri nequit. Quia tamen dicam Punct. 8. non posse huiusmodi prædicata intentionalia ex parte obiecti enunciari de vna formalitate, & non de alia cum ipsa identificata: respondeo modò prædicto casu entitatem illam, de qua non possent dici prædicata contradicentia physica, & possent dici prædicata intentionalia contradicentia, realiter non esse distinguenda, vt probat obiectio, & realiter esse distinguenda propter rationes, quibus probabo non posse prædicata intentionalia dici de aliqua formalitate reali, & non dici de quacumque alia cum ipsa realiter identificata, & huiusmodi obiectiuas præcisiones non esse admittendas, quæ robur accipient ex fundamento præiacto, quo modo statuo distinctionem virtualem in ordine ad prædicata physica, & intentionalia æquè repugnare, & non in his prædicatis in ordine ad hanc distinctionem differentiam reperiri. 25

Existimat nouus quidam fore vt aliter de hac distinctione virtuali censuissem, si illius argumenta legissem, aut considerassem. Dum scripsi legere non poteram argumenta apud hunc recentiorem, qui nouem iam elapsis annis, ex quo meum opus lucem vidit, suum in lucem prodit. Modo tamen postquam ea legi clarè deprehendi, pleráque extra rem esse, & si vllum ad difficultatem spectat vix illã attingere, & sola materię explicatione penitus infringi. 26 *Prædict. c. 2. sumpsit. art. 4.*

Sibi certum esse videtur distinctionẽ virtualem admittendam esse in creaturis, quod vt probet duplicem exponit sensum, in quo hæc distinctio virtualis desumi solet, iuxta primum dicitur distinctio virtualis perfectio vna quæ in æquialendo est, ac si esset multiplex. Iuxta secundum distinctio virtualis dicitur, quæ sufficit vt de vna simplicissima entitate verificentur prædicata quæ alias essent contradictoria, & talia non sunt respectu talis entitatis ratione huius distinctionis virtualis, sic de natura diuina 27

communi

communicari dicitur, & de paternitate non communicari, etsi natura, & paternitas sint vnum, & idem simplicissimum ens, aut de Filiatione produci dicitur, quod de natura negatur.

28 Hac duplici expositione virtualis distinctionis præmissa, sine vlla distinctione promiscua pronunciat dari in Deo & in creaturis distinctionem virtualem, quo rem claram, & apud omnes certam cum re perdifficili, & obscura, valdeque controuersa confundit. Dari distinctionem virtualem iuxta primum sensum, expositam tam in Deo, quam in creaturis citra dubium est, quis enim neget, effectus, quos vna creatura producere non potest, sed in virtute plurium causarum continentur, calor in virtute ignis, frigus in virtute aquæ, & sic de aliis ab vna sola omnipotentia Dei posse produci, & ita omnipotentiam æquialere omnium causarum creaturarum cumulo, illumque infinite superare. Deinde est certum, solam posse producere plures effectus quos non nisi plures causæ sublunares producere possint, quibus omnibus æquialere dicitur. Sic in Angelis dantur species vniuersales, quarum singulæ seorsim sumptæ repræsentatiuæ sunt plurium obiectorum, quæ non nisi pluribus speciebus intentionalibus in homine repræsentari possunt, eadem ratione planta est vegetatiua, brutum est sensibile, homo vtrique æquialet, & vtrumque superat, cum sit vegetatiuus, sensitiuus, & rationalis. De his dicitur prouerbium illud traditum à D. Dyonisio 5. c. de diuinis nominibus, & D. Thoma 1. p. q. 4. a. 2.

29 Cum igitur hoc certum sit extra omnem controuersiam extra rem est dum de distinctione virtuali iuxta alium sensum disputatur rationibus suadere, & extremum est, argumenta ea relatis exemplis abhoc Recentiori contra me adduci, qui late & clarissime explico, in quo sensu quæstionem exagito, & distinctionem virtualem intelligo.

30 Ad probandum distinctionẽ virtualem in creaturis præter argumenta desumpta ex relatis exemplis, quæ ad rem non sunt propter rationem dictam nullam aliam rationem adducit, quam asserere sufficere in creaturis fundamentũ distinctionis rationis ratiocinatæ, vt prædicata alioquin contradictoria, de eodem materiali subiecto verificentur. Fundamentum hoc gratis supponitur, & contra manifestã rationem, quid enim refert me fingere duplicem formalitatem, seu duplex prædicatum, dum realiter, & à parte rei tantum est vna, & indiuisibilis & simplex entitas, vel de illo duo prædicata realia realiter illi independenter à quacumque cognitione conuenientia verificentur, est enim per se notum, ea, quæ realiter, & à parte rei physice entitati conueniunt independentia esse ab omni fictione, & intellectus cognitione.

31 Quod decipit existimantes distinctionem rationis sufficere ad prædicanda prædicata ex se contradictoria de eadem entitate est nonnulla prædicata quæ videntur significare, quod solum reale in se importare cõceptionem nostrã, seu modum, quo formalitatẽ realẽ concipimus, & præscindimus. Hac ratione dicimus animal formaliter sumptũ esse principiũ sensationis, & non ratiocinationis. & rationale formaliter sumptum esse principium ratiocinationis, & non sensationis, quod est dicere prædicatum animalis à nobis concipi in ordine ad principiũ sensationis, seu in ordine ad cõnotatum sentiendi non cognito cõnotato ratiocinandi, seu ratiocinatione, & rationale à nobis concipi per connotatum ratiocinationis, non cognito sensationis connotato, quæ omnia nostri intellectus operatione fiunt, & vt ab intellectu facta prædicantur, secluſa enim omni intellectus operatione rationale æque est principium sensationis, & ratiocinationis, & animal æque est in principiũ ratiocinationis in homine, hinnitus in equo, ac sentiendi, ac proinde idem est dicere animal formaliter sumptum est principium sensationis, & non ratiocinationis, ac dicere, hæc entitas, quæ in re indiuisibiliter est principium sentiendi, & ratiocinandi significatur à nobis per conceptũ formalem respondentem huic voci *animal* dum illam apprehendimus connotata tantum operatione sentiendi, & sic proportione seruata dum dicimus rationale formaliter sumptum est principium ratiocinandi. Ex quo inferes non oppositio in proportione addito illo *formaliter sumptum*, sed loquendo de rebus vt physice, & à parte rei propositionẽ hanc rationale non est principium sentiendi, esse falsam, & hanc veram rationale est principium sentiendi, & ratiocinandi.

32 Rationem aliam ad distinctionem virtualem in creaturis suadendam non adducit hic author, nec nostris argumentis quidquã respondet. Dum enim arguimus distinctionẽ hãc includere totam difficultatem, quæ est in Trinitatis mysterio, respondet, Misterium Trinitatis non consistere in eo, quod quælibet contradictio adunetur, sed quod contradictio relatiua in eadem substantia absoluta conueniat, cuius in creaturis nullum afferri poterit creatum exemplum. Solutionem hanc quisque reiiciet, dum enim prædicata sunt contradictoria æque repugnat ea adunari, siue sint absoluta, siue relatiua, ac proinde adunatio absolutorum, etsi non idem æquale tamen mysterium importabit, ac adunatio relatiuorum, nec ratio reddi poterit cur in creaturis non dari possit distinctio virtualis in ordine ad adunationem absolutorum, & non in ordine ad adunationem relatiuorum.

33 Ad aliud argumentum, quod adduco videlicet hac distinctione virtuali admissa in creaturis nos non posse tute procedere in forma syllogistica, respondet, illud potius fauere suæ sentẽtiæ, quia vbi variatur appellatio non valet consequentia, nec bene arguitur ab idemtica ad formalem propositionem, dum enim sic arguitur interuenit fallacia dictionis. Quorsum hæc tendant non facile percipies: distinctio virtualis facit vt in eodem sensu idemtico nulla applicatione variata prædicata ex se contradictoria adunentur respectu eiusdem entitatis, de hac enim distinctione virtuali disputamus, prædicata enim contradictoria variata appellatione de eadem entitate dici posse absque controuersia est, nec dum variatur appellatio contradictoria sunt: ergo doctrina hæc de fallacia dictionis omnino extra rem est.

34 Argumentum aliud à me adductum, videlicet hac distinctione virtuali admissa innumera sequi absurda videlicet posse produci animal ex vi huius actionis & non rationalis, & Romæ secundum gradum rationalis, & non animalis, & alia huiusmodi purum figmentum appellat Recentior iste, de quo non curo, videamus quid respondeat. Asserit distinctionem virtualem non poni in ordine ad coadunationem quorumque prædicatorum, vt videre est in Deo, de quo verificari non poterit existere, & non existere ratione distinctionis virtualis. Solutionem hanc impugnaueram hic n. 17. cuius impugnationem non poterat iste non legisse, illius tamẽ nescientiam affectauit forsan, quia nihil occurrit, quo illam impugnaret. Secundo respondet nõ licere arguere à prædicatis realis productionis ad prædicata intentionalia, quæ sola consideratione, vel conueniunt, vel distinguuntur. Hoc verissimum est quod sibi cõmendatum esse vellem, ne ex prædicatis intentionalibus diuerso modo sumptis, distinctionem virtualem, de qua agimus inferat, ad argumentum autem à me adductum soluendum prorsus est impertinens.

PVNCTVM V.

De distinctione inter rem, & modum.

SCiendum est quid sit res; quid modus, vt possimus distinctionem inter rem, & modum percipere. Omnis qualitas substantiæ inhærens illius modus dici solet teste D. Thoma 1. 2. q. 49. art. 2. solet etiã omnis differentia rationẽ communem generis contrahens illius modus appellari, sic sensibile modus viuentis nõ rarò dicitur: insuper omnis limitatio, seu mensura præfixa rei finitæ, ex vi cuius infinitã perfectionem non attingit, neque tantum excedit modus rei creatæ, vt notauit D. Th. suprà ex Aug. lib. 4. Genes. ad litterã c. 3. vbi dixit: *Modus est quem mensura præfigit.* Sic idẽ Aug. lib. de natura boni c. 3. inter requisita ad bonitatẽ rei creatæ modũ annumerauit, hoc est, debitã cõmensurationem ad sua principia vt explicauit D. Th. 1. p. q. 5. a. 5. & 1. 2. q. 85. artic. 4. Hæ omnes modi acceptiones latissimæ sunt, & transcendentes entitates, quas res vocamus vt distinctas à modis secundum quas impræsentiarum non agimus de natura modi, sed secundùm aliam longè strictiorem. 1

Circa hãc distinctionem multa scribit P. Albert. in Prædic. *ad aliquid* q. 12. dub. 1. in quibus non parum discessit à communi loquendi modo, quem authores in hac materia obseruant. Vocauit Albert. distinctionem ex natura rei illam, quam nos distinctionem modalem vocamus, ex vi cuius datur separatio non mutua inter extrema: ita num. 8. 2

Rursus distinctionem hanc, quam nos *modalem*, & ille *ex natura rei* appellat, & dicit mediam esse inter distinctionem rationis, & distinctionem realem, hoc est, rei à re, ex vi cuius extrema mutuò separari possunt, subdiuidit in distinctionem formalem, & modalem. Distinctionis modalis propriè dictæ triplicem statuit conditionem. Prima est vt modus additus rei modificatæ non variet rationem formalem illius. Adducit exemplum in intensione caloris vt octo additâ calori, quæ non variat rationem formalem caloris. Secunda conditio est vt res modificata cum suo modo non differat specie à res modificata per alium modum: exemplum adducit in eodem calore vt octo, qui non differt specie à calore vt quatuor. Tertia conditio est vt modus propriè dictus sit idem formaliter negatiuè cum re modificata, nam calor vt octo est intra formalitatem caloris, sit enim calor per illam intensionem maior (inquit Albert.) secundùm formalitatem caloris, siue intensio fiat per additionem gradus ad gradum, vel per maiorem radicationem in subiecto.

3 Tota hæc doctrina mihi est valde obscura, neque exemplo intensionis quidquam mihi clarescit, censeo enim intensionem non fieri præcisè per modum afficientem calorem; qui dicebatur non intensus, sed per alios gradus aduenientes, qui præexistentibus vniuntur. Prima conditio, videlicet vt modus additus rei modificatæ non variet rationem formalem illius, difficilè percipitur, quia si intendat Albert. modum non variare rationem formalem rei, quam afficit, vt distinctæ ab illo, hoc commune est omni formæ & cuicúque entitati excogitabili, nulla enim reperiri potest, quæ variet rationem formalem aliùs, à qua distinguitur, non enim potest aliqua entitas per aliquid illi superadditum habere diuersam rationem formalem constitutiuâ aut diuersam essentiam. Si dicas concretum illud resultans à re modificata, & à modo distinguendum non esse formaliter à re modificata præcisè sumpta, non ita res se habet quia modus distinctam rationem formalem, & quidditatiuam habet à re cuius est modus, ex vi cuius concretũ per illum constitutum ab eadem re materialiter est constituẽdum, sicuti concretum constitutum per formam afficientem subiectum formaliter differt à subiecto seorsim sumpto. Si per secundam conditionem velit Albert. rem modificatam non differre à re modificata per alium modum indiuiduum eiusdem speciei, hoc commune est omnibus formis. Si velit non differre rem modificatam per hũc modum à re modificata per modum alium specie distinctum, hoc falsum est, quia concreta constituta per modos specie distinctos, specie distingui necesse est. Tertia conditio obscurior est aliis, rem enim esse idem negatiuè cum alia, dicit non distingui ab illa, quod formaliter est habere identitatem cum ipsa, & in re positiua distingui nequit ab idẽtitate positiua. Deinde modus à quo res potest separari necessariò per suam entitatem non est ipsa res, & per suam entitatem est aliud ab ipsa, quod dicit positiuam distinctionem oppositam cum identitate negatiua, & positiua, quam ego in eodem ente positiuo non distinguo.

4 Entitatem modalem, seu modum vocat communis sententia ens illud quod non potest neq; diuinitùs separari ab illo, quod sine ipso esse potest, respectu cuius res dicitur illud aliud, quod ab ipso separatur. Itaque in duabus entitatibus quæ possunt separari, & non mutuò, illa quæ potest existere sine alia, res dicitur: altera verò quæ sine illa existere nequit dicitur modus. Exemplum habes in materia quæ vnitur, & in vnione, ex vi cuius materia vnitur. Materia existere potest diuinitus sine hac vnione indiuidua assignata, cum alia distincta, vel sine illa, hæc autem vnio non potest existere nec diuinitus sine hac numero materia. Ex quo fit vnionem dici modum materiæ, & materiam dici rem respectu vnionis. Dixi materiam posse existere sine hac vnione, quia etiamsi non posset existere sine omni, sed cum hac vel cum illa vagè sumpta connecteretur, non ideo vnionis diceretur modus, sicuti non dicitur modus præsentiæ subiectum, quod est præsens, etiamsi iuxta vulgarem sententim nulla entitas possit existere omni præsentia nuda, sed cum aliqua vagè sumpta connectatur. Rectè etiam notauit Albert. suprà n. 5. ex Capr. in 1. dist. 3. q. 3. & dist. 8. q. 1. ad 8. hanc inseparabilitatem non futuram præcisè propter dependentiam vnius entis ab alio, aliàs omnis creatura diceretur modus Dei, à quo essentialiter dependet, & vnum relatiuum diceretur elterius modus, sed ex alio capite. Ex quo infert non bene probari potentias non distingui realiter ab anima, ex eo quod non possint ab illa separari, quia dici potest potentias vitales essentialiter depẽdere ab anima, & hac ratione ab illa esse inseparabiles.

Hoc genus separationis non mutuæ signum est modalis 5
distinctionis, inquirenda est modo ratio constitutiua modi, ex qua debet originem trahere inseparabilitas modi à re separabili ab ipso, vt à posteriori naturam inferat modi in entitare sic inseparabili. P. Hurtad. disp. 2. sect. 5. asserit entitates illas, ex vi cuius aufertur indifferentia, quam habent aliæ entitates ad aliquid præstandum, vel non præstandum, dici entitates modales, & inseparabiles esse ab illis, cuius indifferentiam determinant. Conclusionem sic suadet: entitates illæ quæ determinationes sunt, & indifferentiam adimunt, non sunt indifferentes ad hanc determinationem præstandam, & indifferentiam auferendam, sed per se ipsas sunt actuales determinationes, & non possunt rem aliàs in actu primo indifferentem non determinare in actu secundo, ergo per se ipsas connectuntur cum illis entitatibus, quarum indifferentias adimunt, ergo non possunt ab illis separari. Vtraque consequutio est legitima, probatur antecedens: Si entitates illæ per se ipsas non essent determinationes in actu secundo, & indifferentiam haberent ad determinandum, & non determinandum, indigerent aliquo superaddito, vt auferretur illarum indifferentia, & sic non determinationes, sed determinabiles dicerentur, & in infinitum daretur processus. Res illas indifferentes ab his determinationibus distingui sæpe argumentatus sum, probaui enim Controuers. 4. Physic. Punct. 1. dari vnionem superadditam distinctam à materia ex eo præcisè quod materia prima ex se indifferens sit vt vniatur, & non vniatur, & Controu. 12. Punct. 1. ex differentia virtutis productiuæ in actu primo ad agendum, vel non agendum probaui dandam esse actionem superadditam, ex vi cuius virtus productiua in actu primo indifferens in actu secundo determinaretur ad agendum, quæ est formalis determinatio actus primi ex se indifferentis ab illo inseparabilis. Hæc indifferentia ad has determinationes habendas, & non habendas mediâ separatione determinabilium à determinatione, arguit distinctionem determinabilis à determinatione, & determinatio, ex eo quod essentialiter talis sit in actu secundo dicit connexionem cum re determinabili, seu cum re, quam determinat, sicuti actus secundus, seu actuatio ipsa actus secundi determinat actum primum, cum quo essentialiter connectitur.

Ex his infero rectè distingui rem, & modum per deter- 6
minabile, & determinationem, seu per actum primum, & actuationem ipsius actus primi ad actum secundum, ita vt id, quod determinabile est, & indifferens per modum actus primi ad determinationem, & actuationẽ res dicatur respectu huius determinationis, & ipsa determinatio, seu actuatio dicatur actus secundus. Hæc ratio rectè à priori explicat id, quod à posteriori per separationem non mutuã explicamus, id enim quod per modum actus primi indiferés est ad determinationem, seu actuationem, ab hac potest separari, quod conuenit rei respectu modi; actuatio verò, & determinatio per se connexa cum actu primo determinabili separari non potest ab ipso determinabili, seu ab actu primo, cuius est actuatio, quod cõuenit modo respectu rei. Cõuenit etiã ratio ista omnibus entitatibus, quas modos, & modorum res esse dicimus; vnio enim quæ est modus extremi vniti determinat indifferẽtiã extremi vnibilis vt vniatur vel non vniatur; & extremũ vnibile se habet vt determinabile, & vt actus primus, vnio verò vt determinatio, & actuatio actus primi determinabilis. Eadem proportio reperitur inter principium actiuum & actionẽ, & inter principium passiuum, & passionem, quarum principium actiuum & passiuum dicuntur res, & actio principij actiui, & passio passiui principij modi dicuntur.

Per hunc conceptum quidditatiuum rei, & modi rectè 7
explicatur, quomodo non omnis creatura inseparabilis à Deo, à qua Deus separari potest, quia illa destructâ potest existere, sit Dei modus, quia hæc inseparabilitas non omnibus contingit ex eo, quod sint determinationes Dei potentis illas producere, seu aliquo modo existentis in actu primo ad illas, quia Deus in actu primo potens producere formaliter non determinatur ad efficiendum, neque constituitur in actu secundo formaliter efficiens per terminũ productum distinctum ab actione, sed per actionem, ex vi cuius terminus producitur, & ita actio procedens à Deo,

modus

modus Dei dicitur non verò effectus media actione dependens. Eadem ratione secunda persona Trinitatis inseparabilis à prima, non dicitur modus primæ, quia non respicit primam tanquam virtutem determinabilem, seu in actu primo indifferentem, cuius ipsa sit determinatio, quia prima persona Trinitatis habet secum identificatam generationem actiuam, ex vi cuius formaliter est determinata, & ipsa determinatio ad secundam personam productam. Idem dico de Spiritu sancto respectu Patris & Filij, à quibus procedit tanquam ab vno principio spirante, respectu cuius principij modus non est, quia principium ipsum habet secum identificatam spirationem actiuam, ex vi cuius formaliter in actu secundo est formaliter ad spirandum determinatum.

8 Non vult Arriaga rationem modi per determinationem explicari, quia determinatio semper sumitur in ordine ad aliud, quod non potest conuenire omni modo, quia omnis entitas determinat ad se, & differentia inter modum & rem non est in eo, quod hæc determinet ad se, & illa determinet ad aliud, sed in eo, quod res non determinet actu, sed aptitudine, & modus actu determinet. Secundò, quia si modus determinet tantùm in ordine ad se, definitur in ordine ad se, & ita definitio erit vitiosa, quia dabitur per ipsum definitum. In his omnibus fallitur Arriag. res enim nõ differt à modo in eo, quod hæc determinet actu, & illa aptitudine, seu potentia vt ipse non rectè tradit n. 6. quia res non solùm non determinat, sed neque aliquando potest determinare per se ipsam, & implicat ipsam formaliter determinare, quia per se ipsam intrinsecè est indifferens, & id, quod per se est indifferens, non potest per se determinare se ipsum; sed indiget determinatione superaddita, differunt ergo res, & modus ex eo, quod res sit apta vt determinetur per aliud superadditum, & modus sit actualis determinatio. Secundo falsum est omnem entitatem determinare ad se ipsam, calor enim afficiens subiectum non determinat per suam entitatẽ subiectũ, quod afficit ad calorem habendum, quia existente calore poterat subiectum illo non affici, sed informatio, quæ est modus determinans subiectum, tum ad ipsam informationem, tum ad formam, eo enim ipso quod existat informatio subiectum non solùm afficitur informatione: sed etiam formâ cuius est informatio, & ita informatio, & non forma subiecti modus dicitur. Similiter materia non determinat formam ad materiam habendam, sed eadem informatio, quæ est determinatio respectu formæ tum ad se ipsam, tum ad materiam, & ita formæ iure dicitur modus. Eadem ratione effectus media actione distinctâ productus non determinat causam ad illum producendum, potuit enim ab hac, vel ab illa causa creata produci, & ita illo posito intelliguntur causæ indifferentes ad illum effectum, ad quem determinatur, quæ illum de facto producit, per actionem quæ determinat principium effectiuum, tum ad ipsam actionem tum ad effectum; quem per se respicit actio. Eadem actio effectum indifferentem vt dependeat ab hoc, vel ab illo principio mediis diuersis causalitatibus formaliter determinat ad ipsum, & ad causam, à qua ipsa dependet, & ita non solùm principij productiui, sed termini producti dicitur modus, eademque ratione principium passiuum actio ipsa, quatenus passio ad ipsam, & terminum receptum determinat, & huius principij similiter dicitur modus. Quod vltimò addit Arriaga, videlicet definitionem esse vitiosam, si tradatur per determinationem modi ad se ipsum, quia esset definire per ipsum definitum, leuioris est momenti, innumeræ enim definitiones huiusmodi dantur, sic definitur substantia *ens per se*, & relatiuum transcendentale quod *per suammet entitatem terminum respicit*, & causa *principium per se influens*, &c. in quibus definitionibus ly *per se* tantùm importat definitum materialiter sumptum, & confusè cognitum per conceptus communes cum aliis entitatibus, quâ ratione supponi potest ad se ipsum expresè, & quidditatiuè cognitum per conceptum formalem propriæ definitionis.

9 Obiicit Arriaga ad hominem contra Hurtad. Præsentia est modus subiecti, & non est illius determinatio, neque illud ad aliquid determinat: ergo non est de ratione modi esse determinationem. Respondet Hurtad. præsentiam determinare subiectum ad hoc spatium, quia illud per se ipsam essentialiter respicit, & non potest non subiectũ huic spatio affigere. Solutionem rectè impugnat Arriaga exeo, quod spatium imaginarium nihil est, vt fatetur Hurtad. & ita præsentia in re spatium non respicit, licet nos præsentiarum naturas per ordinem ad hoc spatium explicemus, & ita dici nequit subiectum in re ex vi præsentiæ ad spatium determinari. Secundò contra Hurtad. aliter argumentor: Do præsentiam per se ipsam essentialiter esse affixam huic spatio, & non posse non illud actu respicere, ex hoc infertur præsentiam esse inseparabilem ab hoc spatio, & ex vi illius subiectũ in hoc spatio esse constituendũ eo ipso, quod præsentiâ afficiatur, ex hoc tamen non infertur præsentiã per se ipsam subiectũ afficere, & non posse ab illo separari, & existere sine subiecto, cui vniatur per vnionẽ superadditam, etiamsi per se ipsam respiciat subiectum, quod adhuc separata à subiecto respiciet tanquam extremum, cui actu, & essentialiter perse ipsam est affixa. Rem illustro ex doctrina ipsius Hurtadi: Qualitas in qua consistit cognitio, per se ipsam essentialiter est determinata ad hoc obiectum, quod respicit per suam entitatem, & quod non potest non actu respicere, & tamen non per se ipsam vnitur subiecto, sed per vnionem superadditam, neque per se ipsam determinat potentiam ad obiectum, ad quod ipsa per se est qeterminata, sed per vnionem superadditam, quæ est formalis determinatio potentiæ ad obiectum, quod per se respicit cognitio, vt tradit Hurtad. dicta disp. 2. sect. 6. §. 91. & 92. ergo eadem ratione potest præsentia per se ipsam esse determinata ad hoc spatium, à quo sit inseparabilis, & esse separabilis à subiecto, quod non per se ipsam, sed per vnionem superadditam terminat ad spatium, ad quod per se ipsam est determinata.

10 Censeo de ratione modi non esse determinare rem cuius est modus ad aliquid distinctum ab ipso, vt vult Hurtad. sed sufficere esse determinationem rei, cuius est modus ad se ipsum, etiãsi ad aliud ab illo distinctũ non determinet, quod sic probo: Non repugnat effectus absolutus, calor v. g. per se ipsum immediatè absque vlla actione superaditâ dependens ab hoc principio actiuo, neque per se ipsum immediatè vnitus huic subiecto nullo vnionis modo interiecto, qui non possit eo ipso quod existat non dependere ab hoc principio, & nõ esse vnitũ huic subiecto: sed calor ille esset inseparabilis à principio & à subiecto, & haberet secũ identificatã actionem, ex vi cuius principium actiuum indifferẽs ad agendũ constitueretur formaliter agens in actu secundo, & informationem, ex vi cuius subiectum indifferens vt informaretur, constitueretur in actu secundo informatum, & determinatum ad formam & per se ipsum esset informatio intrinseca subiecti, & extrinseca principij actiui, si actio dicenda est extrinseca informatio principij actiui, vt vult Arriaga: ergo calor ille per se ipsum dependens ab hoc principio, & per se receptus in hoc subiecto, & illud informans esset modus principij actiui, & subiecti informationis, & receptionis, quod esset idem f sed calor ille non determinaret principium actiuum, aut passiuum ad aliquid distinctum à se ipso: ergo de ratione modi non est determinare rem, cuius est modus ad aliquid distinctum ab illo. Maiorem admittunt Hurtad. & Arriag. & communis sententia fert Angelos, & rationalem animum sine actione interiecta dependere à Deo, & per se ipsos creari. Minor est certa in doctrina vtriusque authoris, quia, siue modus definiatur, vt vult Arriaga, *actualis informatio subiecti*, siue definiatur determinatio potentiæ indifferentis, definitio modi effectui per se à subiecto dependenti conueniet, insuper effectus ille haberet secum identificatam actionem, quam esse modum principij actiui omnes admittunt. Prior consequutio est legitima, & reliqua quæ ex consequenti inferuntur per se nota.

11 Ex hac doctrina posset responderi præsentiam esse determinationem subiecti ad se ipsam, quia immediatè, & non per modum vnionis superadditum illud afficit, & ita habere rationem modi, etiamsi subiectum non determinet ad aliquid ab ipsa distinctum, & hac ratione defenderetur præsentiam esse modum, si ita tenendum sit, an verò sit ita dicendum, vel cum Arriaga tenendum non esse modum, sed rem, statim dicam percurrens omnes entitates modales.

12 Etsi his satis exposita sit entitatis modalis, seu modi natura exposita, placet tamen sententiam peculiarem Pascualigi non communem proponere, & impugnare, ne quid peculiare in hac materia desideretur. Asserit hic author tom. 2. Metaphysic. disputat. 15. distinctionem duplici modo posse considerari: primo provt dicit rationem formalem distinctionis in recto, & extrema distincta in obliquo. Secundo provt importat extrema distincta, & per hæc qualificata, qua ratione dicit in recto extrema

distincta: tertio asserit dari quosdammodos extrinsecos rei quales sunt sessio respectu sedẽtis, & figura respectu quantitatis. Tertio asserit modos istos in seipsis attente inspectos non esse entia, nam si talia essent, non essent modi entium, quia modus essentialiter tantum dicit rem, cuius est modus. Hoc confirmatur, quia non possumus concipere modum, nisi concipiamus rem cuius est modus, si autem esset ens sine re alia concipi posset: iuxta hæc principia asserit quarto dati distinctionem quandam, quæ non sit inter rem, & rem, sed inter rem, & modum, quæ si secundum esse proprium, & formale distinctionis consideretur omnino est à parte rei nemine cogitante, atque adeo realis est. Distinctionem hanc realem esse probat efficaci argumento à separabilitate desumpto, quia modi isti sunt separabiles à subiecto, cuius sunt modi absque eo, quod aliquid entitatis subiecti deperdatur: ex quo per consequentiam per se notam distinctionem realem inferri deducit, nam euidentissimum inquit est, quod quotiescumque aliquid separatur ab alio aliquo, quin istud de sua entitate aliquid deperdat, id, quod separatur debere esse distinctum ab eiusdem entitate, quæ remanet, alioquin contradictoria de eodem verificarentur. Vrget eandem rationem. Vna quantitas mutari potest de vna figura in aliam, & valet ista propositio, *Figura à parte rei non est quantitas*, rursus valet ista, *Figura non potest concipi sine quantitate*: ergo figura distinguitur à parte rei à quantitate, & non tanquam res à re, sed tanquam modus, & proinde concedenda est distinctio aliqua, quæ sit à parte rei.

13 Quintò asserit, hanc distinctionem si consideretur secundum seipsam formaliter ratione distinctionis esse æque realem, ac est illa quæ est inter rem, & rem, id probat, quia distinctio secundum se considerata nihil aliud dicit nisi quod vnum extremum non sit aliud, ita tamen vt ex formalitate excludat esse extremorum, & tantum ea connotet in obliquo. Ex quo fit, distinctionem secundum se non dependere à quantitate extremorum, sed tantum ab extremis in confuso sumptis, præscindendo ab eo quod sint talia, vel talia, quia connotat tantum illa secundum rationem formalem extremi tantum, non autem vt habentia tale, vel tale esse, quia hoc pertinet ad esse materiale. Hinc infert, quod cum distinctio consistat in eo quod vnum extremum non sit aliud non posse distinctionem realem ex vi sui esse formalis dicere aliquid positiuum reale, qua hoc positiuum reale non diceret illud, *non esse aliud*, in quo consistit ratio formalis distinctionis.

14 Sextò dicit hanc distinctionem consideratam ex parte extremorum inuoluere aliquid rationis, atque adeo ex hoc capite posse dici distinctionem rationis, simpliciter tamen non esse sic appellandum. Rationem huius conclusionis desumendam esse, inquit, ex parte vnius extremi, cum enim modus ex se nullam dicat propriam entitatem præcisa entitate subiecti nulla ei remanet entitas ex quo fit, quod non possit consequi tanquam extremum constinctum à subiecto, nisi ei tribuatur per intellectum aliqua entitas.

15 Hæc omnia innumeris scatent difficultatibus, & apertam inconsequentiam ostendunt; nonnulla contra illa breuiter propono, imprimis ficticiosus est modus ille sumendi distinctionem secundum suum esse formale abstrahere ab extremis ea, quæ tantum in obliquo, & materialiter important. Ratio est quia distinctio si absolutè sumatur præcisè per hoc quod est hoc non esse illud, siue respectiuè per hoc, quo est hoc esse, & illud esse, & hoc ab illo distingui ex parte obiecti, non est quid superadditum subiecto, & licet modo in abstracto, modo in concreto significetur conceptus obiectiuus significatiuus, & idem est diuersus concipiendi modus, non potest mutare naturam obiecti, & facere eadem res hoc modo concepta realis sit & alio modo apprehensa sit ens rationis, aut quod hac ratione apprehensa sit positiua, & illa ratione cognita negatiua sit. Distinctionem hanc non esse quid formaliter distinctum à re distincta probaui hic Controu. 3. Punct. 1. est etiam falsum hanc entitatem positiuam non esse illam, esse quid negatiuum, vt ibidem probaui.

16 Est insuper omnino falsum distinctionem rei à modo, quam ipse fatetur secundum suum esse formale realem esse, vt qualificatam per modum, qui est distinctionis extremum importare aliquid rationis ex eo, quod non possimus concipere modum, nisi tribuendo illi aliquam existentiam fictam, sicuti est falsum modum in seipso non habere rationem existentiæ, nisi per fictionem intellectus. Quod falsum, & inconsequenter dictum esse probo, ratione eâdẽ qua vtitur hic author ad probandam distinctionem inter rem, & modum videmus hanc quantitatem modo habere hanc figuram, modo illam, & hoc absque vlla fictione rationis, non enim fictio potest facere, vt quantitas, quæ modo oculis apparet cum figura triangulari, postea appareat cum figura pyramidali: ergo figuram hanc deficere, & illam aduenire fit per defectum, & aduentum alicuius, quod habet esse independenter à mea fictione, & distincta à subiecto: ergo illud, quod defecit habebat esse, & illud, quod aduenit habet independens à mea fictione, & distinctum à subiecto, & vt habens esse independens à fictione: ergo distinctio inter illud & subiectum quantumuis inoluat vtrumq; extremum & distinctum, nihil fictũ inuoluit.

Vrgeo dum deficit sessio, aut figura pyramidalis, quæ 17
antea erat non deficit subiectum, non deficit purum figmentum seu ens rationis: ergo deficit aliquid reale, quod si concipiatur non concipietur ens rationis. Respondet Pasqualigus disp. 4. citata sect. 3. n. 8. modum deficere non secundum suam existentiam, nec secundum suam entitatem, quia sicuti neque existentiam, ita neque entitatem habet, sed deficere secundum suum esse. Contra est, quia illud suum esse, secundum quod deficere dicit non est fictum: ergo habebat esse non fictum, & distinctum à re cuius erat modus: ergo distinctio illa inter suum esse modi & subiectum, neque ex parte alicuius extremi importat aliquid fictum. Rursus concedit ipse omne ens adæquatè diuidi in reale, & rationis, provt reale dicit quid condistinctum ab ente rationis. Sed modus non continetur sub hoc membro *ens rationis*: ergo sub illo ens reale. Nec consequentiæ vi necesse est Pasqualigum cogere ad hoc concedendum, ipse enim eadem sect. 3. n. 1. vbi asserit inter ens reale, & rationis non dari medium, si per ens reale intelligatur illud quod est à parte rei, & non fabricatum ab intellectu, asserit modum contineri in membro opposito enti per intellectum fabricato, etsi postea ens reale distinguat in ens quod habet propriam entitatem, & illud quod non habet propriam entitatem huiusmodique inquit esse modum.

Est etiam omnino falsum, & in intelligibilis doctrina 18
huius distinctionis, quam ex professo docet, videlicet modum esse quid reale distinctum à re cuius est modus non tamen habere propriam entitatem, quod sic impugno. Modus iste v.g. figura quantitati aduenies, & ab illa distincta, quando incipit esse à parte rei, & constituitur extra causas extrahitur à puro nihilo, & ab actu possibilitatis: ergo transit ad esse entis, & ad esse rei, id enim, quod non est purè possibile, & est oppositum nihilo, & terminat actionem causarum, extra quas ponitur formalissime dicit conceptum entis.

Respondet ibid. n. 4. duplici modo contingere, quod ali- 19
quid sit reale, primo tanquam ens, & entitas, secundo tanquam aliquid de ipsa re, seu entitate. Esse autem reale in hoc secundo modo nihil aliud dicit, nisi fundari in entitate rei-non autem dicit propriam entitatem, vnde consequenter non dicit esse aliquid reale in se ipso, sed in alio. Contra hoc est, quia illud quod dicit esse de re ipsa, & in ea fundari est quid condistinctum in sua sententia à re de qua est, & in qua fundatur. De illo vt sic condistincto reddit argumentum, quia vt sic condistinctum opponitur nihilo, & est extra causas: ergo est ens. Demum figmentum esse asserere dari aliquid à parte rei nihilo oppositum condistinctum omni alio, quod vt sic condistinctũ non sit ens, & entitas ex eo manifestè constat, quod Metaphysici omnes laborant in præscindendo per intellectum minimã differentiã à ratione entis, & plerique, hanc præcisionẽ fieri posse negant asserentes, rationẽ entis transcendere omnes differentias, quod igitur iuxta communiorem sententiam per intellectum præscindi non poterit rationabiliter dicetur non conuenire modo realiter à re condistincto; qui vere datur à parte rei.

Mitto plura alia, quæ contra hunc dicendi modum pos- 20
sem adducere, neque in præcedentibus impugnationibus attigi modos habere propriã existentiam ne inciderem in quæstionem aliam vniuersaliorem, de identitate, & distinctione existentiæ ab essentia, circa quam definio Contro. Metaph. Punct. 2. existentiam ab essentia non distingui, ex quo poterit etiam probari modum, qui est à parte rei, & à re, cuius est modus distinguitur, distinctam habere existentiam ab existentia rei cuius est modus.

Fundamentum Pascualigi ad asserendum modũ non esse 21
ens, neq; entitatem, aut rem, quia est modus entis, & rei

nullius

nullius est momenti, potest enim vnum ens esse modus alterius entis, & vna res modus alterius. Dum enim ens diuiditur in rem, in modum, in priori membro distinctionis non sumitur res vt condistincta à modo in tota sua vniuersalitate, sed vt constructa ad specialem rationem: eadem ratione ac si diuideretur res in rem specialiter dictam, & in rem modalem includente vtroque membro diuidenti rationem formalissimam diuisi, quod est res.

PVNCTVM VI.

Quibus entitatibus distinctio modalis, seu ratio modi competat.

1 EX doctrina Punct. præcedenti tradita facile erit definire, quibus entitatibus ratio modi conueniat. Actionem, passionem, & vnionem respicientes terminos distinctos esse entitates modales admittunt omnes, quia si actio per se ipsa non penderet à principio, & nō per se ipsam determinaret illius indifferentiam ad agendum, sed per aliquid superadditum, in infinitum abiremus: idem dico de passione respectu principij passiui, & de vnione respectu extremorum, quorum est vnio, quæ si media vnione alia respiceret, in infinitum vniones vnionum darentur. Actus vitalis si in actione consistit, modus erit potentiæ vitalis, sicuti reliquæ actiones suorum principiorum, si verò consistat in qualitate producta, media actione superaddita, & per vnionem superadditam subiectum informante, rationem modi non habebit, etiamsi vera esset opinio Patris Vasquez asserentis qualitatem illam non posse non produci à potentia vitali, à qua secundùm hanc opinionem est inseparabilis. Ratio est, quia hæc inseparabilitas non prouenit ex eo, quod qualitas illa sit formalis determinatio potentiæ, quæ per actionem, & informationem distinctam ab illa qualitate determinabitur ad ipsam, sed ex dependentia essentiali, quam haberet qualitas illa à potentia vitali, instar illius, quam habet calor productus media actione superaddita à causa prima, à qua non potest non produci. Si verò vitalis actus consistat in actione, & in qualitate quatenus dicit actionem, erit modus potentiæ, & quatenus dicit qualitatem, rationem modi non habebit. Quid dicendum sit de actione vitali in nostra sententia, quæ illam in termino immediatè per ipsum producto, & vnito constituit, iam tradito de hac qualitate, & vniuersaliter de omnibus huiusmodi effectibus.

2 Effectus omnes, qui immediatè per se ipsos sine interiecta causalitate dependent à principio actiuo aut passiuo, & omnes formæ per se ipsas immediatè vnitæ subiecto absque modo interiecto habent rationē modi respectu principij actiui, & passiui, & respectu subiecti, quibus vniuntur. Probaui hanc conclusionem Punct. præcedenti, ex eo quod huiusmodi effectus formaliter essent determinationes actus primi indifferentis, & haberent secum identificatas rationes formales actionis, passionis, & vnionis, quas in ordine ad principia, & terminos indifferentia omnes modos esse testantur. Ex hac infero Angelum, seu animum rationalem per se ipsum immediatè à Deo creatum esse modum extrinsecum Dei, sicuti actio media qua effectus alius producitur, est modus Dei extrinsecus. Eadem ratione in nostra sententia vitalis actio per se ipsam dependens à potentia, & per se ipsam potentiæ vnita respectu huius rationem habet modi.

3 Præsentiam, & subsistentiam modos esse naturæ, seu subiecti, quod afficiunt, fert communis sententia. Præsentiam, & subsistentiam non esse modos, sed res docet Arriag. de præsentia, disp. 14. Phys. sect. 2. subs. 7. de subsistentia disp. 4. Metaph. sect. 12. subsect 2. Idem de subsistentia tradit Hurt. hic disp. 11. sect. 5. n. 50. & disp. 2. sect. 6. n. 50. Affirmat Hurt. subsistentiam non esse modum, quia non determinat subiectum ad aliud distinctum à se, quæ ratio efficax mihi non est, probaui enim Punct. præcedenti de ratione modi non esse determinare subiectum ad aliquid à se distinctum. Affirmat Arriag. subsistentiam, & præsentiam non esse modos, neque per se ipsas afficere subiecta, quia non sequitur processus in infinitum ex eo, quod vniantur subiectis per vniones superadditas, sicuti sequeretur ex eo, quod vnio distincta à termino vniretur per vnionem superadditam, & ex eo, quod actio distincta à principio penderet per actionem superadditam, affirmat enim vbicumque non sequitur processus in infinitum ex eo quod forma per modum superadditum respiciat subiectum, dicendum esse illud respicere medio modo superaddito, & non per se ipsam. Neque huic rationi acquiesco; licèt enim hæc sit bona consequentia: si vnio respiceret extrema vnibilia, sequeretur processus in infinitum: ergo illa respicit per se. Hæc tamen non est legitima: si præsentia respiceret subiectum per vnionem superadditam non daretur processus in infinitum; ergo illud respicit per vnionem superadditam, & non per se. Secundò, casu quo præsentia per se ipsam esset vnio, seu haberet vnionem identificatam secum, ex vi cuius vniretur, sequeretur processus in infinitū si indigeret alia vnione, quia si vnio identificata cum extremo vniendo indigeret alia vnione, similiter vnio superaddita alia superadditā vnione indigeret, & sic in infinitum procederetur. Quare vt videamus, an ex eo, quod præsentia indigeret vnione sequeretur processus in infinitum, priùs examinandum est, an præsentia habeat secum identificatam vnionem, vel non habeat. Quod si illam habuerit processus in infinitum sequeretur ex eo quod vniatur media vnione superaddita, sin autem, talis processus non inferetur.

Alij contendunt præsentiam esse modum, quia essentialiter, & per se ipsam est affixa huic patio. Rationem hanc nullius esse momenti dixi Punct. præcedenti; quia spatium imaginarium nihil est, & adhuc si aliquid esset, cuit essentialiter esset effixa præsentia, ex hoc tantùm posset inferri præsentiam esse modum spatij, non verò esse modum subiecti, à quo potest esse separabilis, etiamsi ab spatio inseparabilis sit. 4

Probant alij præsentiam, & subsistentiam esse modos, & non res, quia cuicumque entitati danda est minor distinctio, quæ dari possit, & neganda omnis distinctio, quam dari nullā ratione constat: sed nulla est ratio, quæ probet præsentiam, & subsistētiam distingui à subiectis plusquam distinctione modali: ergo hæc distinctio & non distinctio rei à re illis est concedenda. Respondet Arriaga eodem fundamento dici posse gratiam habitualem, primas qualitates, & alia huiusmodi accidentia esse modos, & non res, quia nulla est ratio, quæ probet gratiam habitualem posse à subiecto separari, neque de primis qualitatibus hæc separabilitas infertur ex mysterio Eucharistiæ in sententia eorum, qui asserunt illorum commune subiectum esse quātitatem, à qua nunquam fuerunt separatæ. Quod si ex eo quod quantitas separata fuit à subiecto à paritate inferimus esse separabiles à subiectis primas qualitates, & gratiam habitualem, cur eadem paritas ad præsentiam, & subsistentiam non poterit extendi? 5

Profectò nullam rationem inuenio, quæ efficaciter alteram contradictionis partem suadeat, ideo affirmo possibiles esse præsentias, & subsistentias, quæ sint res separabiles à subiecto, & has entitates ex præciso conceptu subsistentiæ, aut præsentiæ non habere rationem modi, quam habent actio, passio, & vnio præcisè ex prædicatis genericis actionis, passionis, & vnionis, quæ essentialiter sunt modificationes actiui, passiui, & vnibilis. Similiter affirmo possibiles esse præsentias, & subsistentias per se ipsas vnitas subiectis habētes secū identificatā rationē vnionis, ex vi cuius sint modi subiectorum, quæ afficiunt, in quo nullam inuenio repugnantiam. De præsentiis, & subsistentiis, quæ de facto sunt, non improbabiliter posset dici cum Arriag. esse res, & non modos, quia sicuti ex separatione quantitatis inferimus albedinem, gratiam habitualem, & alia huiusmodi accidentia posse à subiectis separari, etiamsi ex prædicato vniuersali albedinis non repugnet habere secum vnionem identificatam; sic possumus eamdem rationem extendere ad præsentiam, & subsistentiam paritate desumpta ab eadem quantitate, nulla enim efficax ratio reddi potest, propter quam licet ex quantitate arguere ad alia accidentia, & alias formas substantiales, quas nunquam vidimus à materia separari, & non liceat eadem paritate arguere de præsentia, & de subsistentia. 6

Potest etiam satis probabiliter dici paritatem quantitatis extendendam non esse ad præsentiam propter nimiam illius imperfectionē, est enim accidens longè imperfectius quatuor primis qualitatibus, & secundis, ex his resultantibus, & aliis qualitatibus, & accidentibus, quæ à paritate quantitatis inferimus esse res separabiles à propriis subiectis. Propter eamdem rationem non licet arguere subsistētiam esse rem à paritate formarum substantialium, quibus subsistētia est longè imperfectior neque à paritate aliorum 7

accidentium, quia, etsi quatenus est substantia perfectior sit accidentibus, est tamen intra proprium genus substantiæ entitas valdè imperfecta, & demptâ perfectione, quam habet ex genere substantiæ, intra quod contrahitur ad propriam differentiam, imperfectiori modo contrahit subsistentia proprium subsistentiæ genus, quàm calor, & impulsus, color, & aliæ huiusmodi qualitates genus accidentis. Insuper imperfectio præsentiæ, & subsistentiæ ex eo cognoscitur, quod virtutem non habet actiuam ad aliquem effectum producendum, quam habent alia accidentia; calor enim calorem producit, impulsus motũ localem, color, & sapor species intẽtionales, visus, & gustus, & sic de quibuscunque aliis entitatibus, quæ modi non sunt. Quod si dicas, subsistentiam suam producere præsentiam, & præsentiam suam producere durationem, quidquid de hoc sit, Respondeo hos effectus communes esse omnibus entitatibus; & imperfectio præsentiæ & subsistentiæ infertur ex eo quod illis ad alios effectus producendos virtus nõ insit, quã agnoscimus in omnibus entitatibus, quæ modi non sunt. Ex imperfectione harum entitatum infero, ex quantitate & qualitate, aliisque formis accidentalibus non licere à paritate ad illas procedere, vt dicamus illas esse res, & non modos, quo fundamento destructo vires resumit ratio, quam adduxi suprà, ad probandum huiusmodi entitates modos esse, & non res, quã frequenter P. Soar. & alij authores vtuntur. Omnibus entitatibus danda est minor distinctio, quæ potest illis concedi, neque aliqua danda est absque positiua ratione, sine qua sufficienter possunt explicari, sed præsentia, & subsistentia sufficienter explicantur cum distinctione modali, neque aliquo positiuo argumento cogimur asserere posse à suis fundamentis separari, & illarum aliquam distingui à proprio subiecto, vt rem à re: ergo non dicendum est ita distingui, sed tantùm vt modum à re. Accedit harum entitatum imperfectio, quæ non solùm quantitatem infringit, quæ ex aliis formis posset sumi ad probandum esse res, & non modos; sed etiam nonnullam præbet coniecturam ad affirmandum modos esse, & non res: omnibus enim rebus, quas agnoscimus perfectior modus propria genera contrahendi conuenit. Vt communi sententiæ omnium ferè Doctorum asserentium præsentiam, & subsistentiam modos esse, & non res subscribam, rationi suprà dictæ supersedeo, & affirmo præsentiam, & subsistentiam modos esse, & non res: agnosco tamen partem hanc non posse ratione aliqua efficaci probari, verumtamen certum mihi est oppositæ sententiæ adæquatè satis fieri, quæ non fortioribus aliis argumentis fulcitur, quod sufficiens est ad communiorem sententiam amplectendam.

8 A paritate subsistentiæ increatæ Verbi nonnulli intendunt probare subsistentiam creatam esse modum, quia illa modalis est inseparabilis à propria natura. Alij à paritate eiusdem increatæ subsistentiæ volunt inferre subsistentiam creatam esse rem, quia illa valet alienam naturam terminare. Neutrum tamen licet inferri, quia subsistentia Verbi est identificata cum propria natura, ex quo capite præcisâ ratione modi illi inseparabilitas à natura competit. Deinde est infinita, ex vi cuius valet non relicta propria natura, siue modus sit, siue res alienam naturam terminare. Addo strictè loquendo subsistentiam creatam, neque esse modum naturæ diuinæ, neque habere rationem rei, vt oppositam rationi modi respectu eiusdem naturæ, quia ab illa non distinguitur, & huiusmodi respectus rei, & modi, tantùm inter illa, quæ realiter distinguuntur propriè reperitur.

9 De duratione, si accidẽs esset physicum rei duranti superadditum, eodẽ modo, ac de præsentia esset philosophãdum, & de existentia si ab essentia realiter distingueretur idẽ iudicium, ac de subsistentia ferẽdum esset, ob easdẽ rationes.

PVNCTVM VII.

De distinctione rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ.

1 DOcuit P. Ruisius tract. de scientia disp. 8. sect. 6. n. 3. ob eximiam eruditionem in his iure credendus, inter antiquos Scholasticos inauditam fuisse diuisionem, quam modò magni faciunt Thomistæ diuidentes distinctionem in distinctionem rationis ratiocinantis, & distinctionem rationis ratiocinatæ. Distinctio rationis ratiocinantis est illa, quæ fit absque vllo fundamento in re, vt cùm ego dico *Petrus est Petrus*, & Petrum à se ipso distinguo. Distinctio rationis ratiocinatæ est illa, quæ fit cũ aliquo fundamẽto in ipsis rebus, ex vi cuius mente partior rẽ physicè vnã in duplicem formalitatem, quarum neutra seorsim sumpta dicit totam essentiam, sed quælibet exprimitur per conceptum inadæquatum rei; nam licet per conceptum formalem vtriusque formalitatis idem obiectum reale exprimatur, neuter horum conceptuum vt distinctus ab alio exactè attingit totum id, quod est in re, vel quia rem non attingit in ordine ad omnia connotata, in ordine ad quæ essentia rei adæquatè exprimitur, si præcisiones ex parte obiecti non admittuntur, vel quia non attingit aliud prædicatum realiter identificatum cum illo, quod respicit tanquam obiectum formale, quod ad essentiam eiusdem rei spectat, si præcisiones obiectiuæ admittendæ sint, de quo Puncto proximè venturo, & ita quomodocũque sit conceptus iste, vel ex defectu connotati, sine quo tota essentia rei adæquatè exprimi non potest, vel ex eo quod non tangat in obiecto primario omnes formalitates identificatas, nõ exprimit totum quod est in re, neque exhaurit totam obiecti cognoscibilitatem. Huiusmodi est actus quo separo, siue ex parte actus, siue ex parte obiecti, formalitatem animalis à formalitate rationalis, siue præcisiuè apprehendẽdo animal nihil de rationali cogitando, siue positiuè apprehendendo animal, & apprehendendo rationale formaliter vt distincta.

P. Vasquez 1. parte disput. 117. cap. 3. n. 8. hanc diuisionem distinctionis negauit, & asseruit omnem distinctionem formalitatum realium, quæ realiter in eodem subiecto reperitur esse distinctionem rationis ratiocinatæ cum fundamento in re. Mouetur doctissimus Pater ex eo, quod distinctio illa quam rationis ratiocinantis authores appellant propriè non sit distinctio, sed eiusdem conceptus geminatio, ex vi enim illius non formalitates, adhuc mente præscindo, sed easdem repeto, cùm enim dico *Petrus est Petrus*, non aliquid adhuc mente diuersum apprehendo ex parte subiecti, & ex parte prædicati, sed idem semel apprehensum ex parte subiecti iterum eodem modo apprehensum ex parte prædicati repeto, quod est eodem modo se gerere cum eodem conceptu ac si esset duplex, quod bene explicat Hurt. exemplo hominis secum loquentis, & interrogantis se, qui non seipsum à se ipso distinguit, sed secum ipso, quem à se indistinctum apprehendit eodem modo se gerit, ac si esset distinctus. Sic explicant hanc distinctionem rationis, P. Soar. in Metaph. disp. 7. sect. 1. n. 5. P. Didacus Ruiz sect. 6. citatâ, P. Alarcon tract. 9. disp. 2. c. 8. 2

Duplex fundamentum meditatur Vasquez distinctionis quæ rationis ratiocinatæ dicitur, quamque ipse tãtùm propriè distinctionem esse dicendam iure censet. Primum est, noster imperfectus modus cognoscẽdi, qui res, non vt sunt in se, neq; per proprias species apprehendimus. Secundum est, nos intelligere res relatè ad aliqua distincta realiter, v. g. intelligimus animal relatè ad sensationes, rationale relatè ad intellectiones, & discursus, & cùm videamus has operationes distingui realiter, & in equo separari sensationes ab operationibus ratiocinandi, fundamentũ desumimus ad distinguendum per intellectum animal à rationali, & concipiendum animal vt prædicatum quoddam commune homini & equo, quia homini & equo communes sunt sensationes similes, in ordine ad quas prædicatum animalis percipimus. Prius fundamentum ex his in nostro intellectu esse ait Vasquez. Posterius verò in rebus existentibus extra intellectum in ordine ad quas concipiuntur formalitates illæ realiter identificatæ quæ mente distinguuntur, non verò in ipsa re distincta, seu in formalitatibus distinctis, quia in ipsis, neque est distinctio aliqua, neque pluralitatis vestigium. 3

Prius fundamentum in nostro modo intelligendi constitutum non ego reduco ad cognitionem abstractiuam, & per alienas species factam, ostendi enim Controu. 5. de anima, Punct. 4. cognitionem intuitiuam, & per proprias species exercitam præcisiuam esse posse, & non opponi rationem intuitiuæ cũ ratione præcisiuæ cognitionis, sed cum ratione cognitionis abstractiuæ, quam ibi latè explicui. Cæterùm cognitionem præcisiuam esse, semper oritur, etsi non ex positiuâ aliquâ imperfectione, ex limitatione perfectionis, & quia non est adeò perfecta vt penetret totam entitatem quamattingit, ita nihil illius lateat Ideo cognitio directa Dei circa aliquod obiectum præcisiua nõ est, neque Deus præcisiuè distinguit inter formalitates identificatas, neque beatorum cognitio clara Dei præcisiua est alicuius formalitatis pertinentis ad rationem cõstitutiuam 4

essentiæ

essentiæ diuinæ,neque ad constitutionem personarum,neque attributorum Dei,alicuiusve formalitatis,quæ in Deo libera non sit, bene tamen præcisiua dicetur respectu decretorum liberorum Dei, quia omnia penetrat beatus, ita vt possit dicere, Deus apud se statuit hoc facere, neque ex eo quod Deum videat,aliquod huiusmodi decretum liberum Dei necessariò cognoscit, sed omnia non sciet,nisi Deus velit aliquod illi reuelare. Doctrinam hanc inuenio apud N.Ruisium t.de scientia, disp. 8.sect.8.num.4. vbi ait sufficiens fundamentũ reperiri ad distinguendas per rationem formalitates diuinas in infinitate Dei etiam respectu intellectus beati. Quia intellectio creata Deum comprehendit ex quo prouenit, vt pluribus intellectionibus etiã beatificis,possit meliùs penetrari diuinitas.

5 Cæterùm hoc fundamentum,quod ex nostro modo cognoscendi desumitur sufficiens est ad hanc præcisionem, seu distinctionem præcisiuam prædicati realiter cum alio identificato independenter à quibuscumque connotatis,& à fundamento aliquo ex ipsa re desumpto. Patet hoc in sensatione externa coloris albi longè distantis,ex vi cuius adeò imperfectè hunc cerno colorem, vt sensatio illa non discernat speciem coloris, sed illam cum aliis speciebus confundat, non quia actu sensatio illa species alias coloris attingit,sicuti intellectus dicitur confundere distinctas species animalis, cùm illas omnes conceptu quodam confuso cognoscit instar vnius animalis, sed quia etsi tantùm speciem illam coloris præsentem agnoscit, adeò imperfectè illam atingit vt ex vi illius sensationis non possit sensus discernere inter illam speciem,& aliam,quam tũc sentit,vel quam posset sentire, neque huiusmodi sensatio fundamentum dat intellectui ad discernendam speciem coloris, ex vi illius cognitam, ab alia specie coloris, quam potest cognoscere,vel tunc cognoscit.Itaque huiusmodi sensatio, &cognitio quæ illam consequitur, ita est præcisiua vt tantùm attingat vnum obiectum singulare & non alia cum quibus illud confundit, dicuntur tamen sensatio, & cognitio, quæ illam consequitur suum obiectum confundere, quia ita illud attingunt vt si postea sensatio illa perfectè attingeret alium colorem specie distinctum, & cognitio, quæ hanc sensationem cõsequeretur eumdé caloré distingueret ab aliis,quos expresè cognosceret sub determinatis speciebus constitutos, non valeret discernere inter hunc colorem modò perfectè cognitum, & illum imperfectè cognitum, sed dubius maneret an esset idem in specie modò perfectè cognitus, quem scit ad hanc speciem pertinere, & color alius imperfectè cognitus, atque sensatus, cuius speciem imperfectè valde cognouit.

6 Explicandum est modò, an fundamentum ex rebus ipsis desumptis sufficiens sit ad inducendam hanc distinctionem rationis, verumtamen, vt difficultas hæc opportunè decidatur, priùs explicandum est,quodnam sit hoc fundamentum.Docuit Vasquez modò citatus fundamentum hoc non desumi ex re ipsa, quæ per intellectum distinguitur; sed ex aliis distinctis,in ordine ad quæ cognoscitur.Exempli gratiã:distinguo ego per rationem animal à rationali, fundamentum distinctionis non est formalitas ipsa animalis, & formalitas rationalis, sed operationes distinctæ in ordine ad quas has operationes cognoscimus.Sic in rebus creatis contingere credo, quia si non ego agnoscerẽ operationes quas tribuimus prædicato animalis, nunquã ego prædicatum animalis à rationali distinguerem, & ita proximum fundamentum distinctionis in prædicatis creatis ex illorum operationibus desumo. Cæterùm vt benè vidit Ruisius t.de Trinit.disp.12.sect.4.n.1.maius fundamentum reperitur in Deo ad distinguendas per rationem relationes ab essentia,quàm in aliis entitatibus ad distinguendas formalitates inter se distinctas, quia fundatur in hoc quod dentur tres relationes realiter inter se distinctæ, & identificatæ cum ipso, quod sufficiens est ad hanc distinctionem rationis secluso quocumque alio effectu distincto realiter ab ipso Deo. Quapropter existimo in ipsis formalitatibus in Deo realiter identificatis, & per rationem distinctis dari fundamẽtum ad hanc distinctionem rationis. Secundò per ordinem ad Verbum productum in Deo per intellectum, & non per voluntatem, & per ordinem ad Spiritum sanctum productum per voluntatem, & non per intellectum sufficienrer possumus per rationem distinguere in Deo intellectum, & voluntatem, fundamento desumpto ex terminis productis, qui realiter non distinguuntur à potentia intellectiua, & volitiua Dei, quas per intellectum distinguimus. Hæc, & alia fundamenta distinguendi per rationem in Deo formalitates reales identificatas adducit Ruisius t.de scientia, disp.8. sect.8. eamdem doctrinam tradit P.Soar. disp.7. Metaph.sect.1. n. 4. vbi asserit fundamentum distinctionis ratiocinatæ non esse distinctionem aliquam veram,quæ in re sit, sed eminentiam ipsius, quæ à multis solet appellari virtualis distinctio. Hanc distinctionem virtualem fundamentum esse distinctionis rationis in communi sententia testatur Merinero in Logic. cap.1.disp.1.quæst.2.sect.1.num.71. quam affirmat illos,qui melius sentiunt constituisse cũ Cajetano 1.p.q.39.art.1.§.*ad secundum*, in hoc, quod prædictæ formalitates, ita sua propria munera singulæ exerceant, ac si essent realiter distinctæ, de qua distinct. latè egi Punct. 4. Concludo ex his fundamentum distinctionis rationis inter formalitates creatas identificatas semper sumi ex rebus distinctis, ad quas dicunt ordinem, fundamentum verò distinguendi formalitates increatas, sæpe non distingui realiter ab ipsis formalitatibus diuinis, quas mente præscindimus.

Fundamenta hæc assignata, distinctioni ratiocinatæ ad- 7
huc respectu intellectus diuini talia esse, & Deum cogere ad formalitates præscindendas, docent Ægid. de Præsent. t.1.de beatit.lib.5.q.6. art.10. §.2. & alij apud ipsum, quos sequutus est Arriag. disp.7. Logicæ,sect.4.subsect.3. vbi ex Trinitatis mysterio, & veritatibus obiectiuis, quas in se continet, infert dandas esse præcisiones ex parte obiecti cogniti,cùm cognoscitur essentiam communicari, & non Paternitatem, Filiationem produci, & non essentiam, adhuc respectu intellectus diuini cognoscentis hæc obiecta quæ præcisiones dicunt distinctionem rationis inter formalitates mente præcisas,& realiter identificatas. Meliùs affirmant P.Vasquez suprà & P.Soar. loco citato Metaph. & disp.54. sect.2. n.25. & lib.4. de Trinit.cap.25.& Ruisius suprà hæc fundamenta tantùm esse respectu intellectus imperfectè cognoscentis, & per alienas species, & non respectu Dei, neque beati cognoscentis vt est in se, quia id, quod viator in mysterio Trinitatis cognoscit per hæc duo prædicata *communicatur*, & *non communicatur*, quæ nobis apparent vt contradictoria,si in ordine ad duo subiecta non illa comparamus, & ideo mente præscindimus essentiam & Paternitatem, vt de hac non communicari, & de illa communicari dicere possimus,beatus apprehendens Deum Trinum vt est in se apprehendit per simplicissimum conceptum in essentia, & paternitate tanquam in simplicissima entitate absque vlla contradictione, sicut enim in se, neque implicationem,neque distinctionem inter essentiam,& Paternitatem dicit mysterium, sic beatus perfectè mysterium sine contradictione,& sine distinctione inter essentiam,& relationes perfectissimè cognoscit.

Alia sunt fundamenta, quæ Deum cogunt cognoscere 8
distinctionem rationis inter formalitates realiter identificatas,& alia entia rationis, per iudicium, quo censet talem distinctionem esse obiectum creatæ cognitionis, & rationale vt distinctum ab animali esse obiectum eiusdem cognitionis, de quibus dicam Controu.12.Punct.3.

PVNCTVM VIII.

De distinctione rationis, seu de præcisione inter gradus vniuersales, & quascumque formalitates identificatas.

§. I.

Explicatur difficultas,& variæ proponuntur sententiæ

DVplex est præscindendi modus inter formalitates 1
identificatas; quidam ex parte actus,alij ex parte obiecti. Præcisio ex parte actus est illa, ex vi cuius intellectus media cognitione attingit totam rationem realem adæquatam in obiecto repertam secundùm omnes formalitates, quas in se claudit,cum ordine ad has operationes tenentes se ex parte obiecti indirecti,& in obliquo terminantes hanc cognitionem, & non cum ordine ad alias quas eademmet virtus intrinsecè potest producere, & in ordine ad quas posset cognosci, & de facto cognoscitur per aliam cognitionem,quæ cognitio non dicitur præcisiua ex parte obiecti, quia attingit omnes formalitates intrinsecas obiecto,& dicitur præcisiua ex parte actus, quia ita illas omnes attingit,ac si attingeret tantùm formalitatẽ

quamdam

quamdam respicientem tantùm illos actus, qui se tenent ex parte obiecti indirecti, & non ipsam, neque aliam respicientem alios actus, qui non se tenent ex parte obiecti indirecti, ad quos neque in obliquo terminatur cognitio. Rem declaret exemplum: inest homini virtus productiua, siue formalis, siue radicalis eadem omnino producendi actus sentiendi, & ratiocinandi, qui omnes ab eadem physicâ virtute procedunt; apprehendit quis totum hominem, seu totam hanc virtutem cum homine identificatam tanquam obiectum directum, & tanquam obiectum indirectum operationes tantùm sentiendi; tunc totum obiectum directum apprehensum, quod in re, & ex parte obiecti terminantis cognitionem est totus homo, & totum principium ratiocinandi, & sentiendi dicitur tantùm principium sentiendi, quia tantùm apprehenditur connotatis sensationibus, & tunc ex parte actus dicitur præscindi principium sentiendi à principio ratiocinandi, seu animal à rationali, & fine isto illud apprehendi. Si verò eademmet entitas, seu idem principium apprehenderetur secundùm se totum, & idem omnino ex parte obiecti directi cum alio obiecto indirecto connotatis videlicet ratiocinationibus, & non sensationibus, principium illud, quod in re, & ex parte obiecti esset principium sentiendi, & ratiocinandi, diceretur tantùm ex parte actus principium ratiocinandi, & tunc ex parte actus diceretur apprehendi rationale non apprehenso animali, & ab hoc illud præscindi. Demum si hoc principium apprehenderetur connotatis sensationibus, & ratiocinationibus diceretur homo, & principium sentiendi, & ratiocinandi absque vlla ipsorum præcisione per modum vnius principij indiuisibilis apprehenderentur. Itaque secundùm hunc dicendi modum animal præcisè cognitum absque rationali, & rationale præcisè cognitum absque animali, & homo, in quo est animal per rationale contractum, dicunt ex parte obiecti eandem insectibilem formalitatem, quæ connotatis tantùm sensationibus dicitur animal, & connotatis tantùm ratiocinationibus dicitur rationale, & connotatis simul sẽsationibus, & ratiocinationibus dicitur homo.

2 Præcisio obiectiua est illa, ex vi cuius non solùm connotata obliquè cognita sunt distincta, sed etiam ex ipsis formalitatibus obiecti directi realiter identificatis intellectus vnam ab alia separat, & hanc attingit, & non illam, vel saltem hanc attingit expresè, & illam in se ipsa non eâdem attingit expressione. Secundùm hunc dicendi modum cognitio, ex vi cuius præscinditur animal à rationali, attingit principium sentiendi connotatis sensationibus, & non attingit principium ratiocinandi, quod non est tantùm non attingere ratiocinationes, sed non attingere in obiecto directo formalitatem illam, cui correspondent ratiocinationes, quæ formalitas est principium discurrendi. Itaque secundùm vtrumque præscindendi modum attinguntur diuersa connotata quando apprehenditur animal sine rationali, & quando apprehenditur rationale sine animali, sed cum hac differentia, quod præcisio ex parte actus tota sistit in diuersis connotatis obliquè cognitis, ex vi quorum cognita semper eadem formalitate ex parte obiecti directi, modò dicitur his connotatis cognosci animal, non cognito rationali, modò aliis connotatis cognosci rationale sine animali; præcisio verò obiectiua ex diuersitate connotatorum procedit ad diuersas formalitates in obiecto primario attingendas, & cognitio connotans tantùm sensationes vt obiectum indirectum pertingit in obiecto primario præcisè principium illarum, & non principium ratiocinandi, etsi cum illo sit identificatum. His positis.

3 Communis sententia vim tribuit intellectui præscindendi ex parte obiecti formalitates realiter identificatas; ita P. Vasq. 1. p. disp. 117. c. 2. & alij apud illum, & vniuersim Thomistæ. Fuit sententia hæc in Scholis freqẽtissima, licèt nullus ex antiquioribus Scholasticis, quæstionem hanc prodigiositate tractauerit, quia cùm omnes conuenirent gradus inter se identificatos per rationem distingui, parum de natura huius distinctionis, seu præcisionis curarunt. In his qui præcisiones obiectiuas admittũt, plerique illorum affirmant tantùm has fieri posse per cognitionẽ abstractiuam, alij per intuitiuam etiam fieri posse defendunt, quos hîc non refero, quia ex suppositione quod fieri possit per cognitionem abstractiuam, specialiter disputare an fieri possit per intuitiuam, non tam est de præcisionibus agere, quàm de natura cognitionis intuitiuæ, de qua egi Controu. 6. Punct. 4.

4 Secunda sententia vim denegat intellectui præscindendi ex parte obiecti inter formalitates realiter identificatas, & tantùm præcisiones ex parte actus admittit. Fuerat hæc sententia longa obliuione sepulta, his verò temporibus multùm lucis, præcipuè à nostris recentioribus accepit, qui huius quæstionis difficultates diligenter euoluunt, & sententiam hanc acutè dilucidant. Hanc tradit Hurtad. disp. 6. sect. 4. subsect. 3. apud quem citatos reperies Nominales, qui illam primò tradidêre, & alios authores, in quibus noster Soar. quos vult Hurtad. pro hac stare sententia, quorum mentes examinare longum esset. Refertur etiam pro eadem sententia ab eodem Hurtado Angelicus Doctor, cuius plura adducit testimonia, quibus videtur sententiam expresè tradidisse. Consentit Arriag. disp. 5. Logicæ sect. 2. cum limitatione tamen, asserit enim posse intellectum humanum in formalitatibus diuinis realiter identificatis vnam ab alia præscindere, licet in creatis tantùm possit ex parte actus præcisionem istam præstare.

Recentes quidam è nostris aliam mediam viam sunt meditati, & cum distinctione quæstionem decidunt; 5 asserunt enim secundùm opinionem concedentem virtuti productiuæ connexionem essentialem cum effectu possibili, obiectiuas præcisiones esse necessariò admittendas, in opinione verò, quæ hanc connexionem in causis cum effectibus, adhuc possibilibus, non agnoscit; sed asserit repugnante effectu eandem virtutem productiuam illius permanituram, præcisiones obiectiuas non esse concedendas, sed tantùm ex parte actus admittendas esse in principio realiter indistincto operationum distinctarum, quibus per intellectum distincta formaliter attribuimus principia tantùm præcisionis beneficio diuisa. Addunt prædicti recentiores in entitatibus modalibus necessariò has præcisiones esse admittendas propter connexionem essentialem, quam habent cum rebus cuius sunt modi. Item in ente increato propter Trinitatis mysterium, & alia propria Dei, quæ sine distinctione præcisiua ex parte obiecti explicari nequeunt.

§. III.

Media quædam sententia recentiorum exploditur.

ANte omnia reiicienda est sententia illa recentiorum, 6 qui diuerso modo philosophantur de virtute productiua intrinsecè connexâ cum possibilitate effectuum, & de virtute non habente talem connexionem, contra quam arguo modò, probando eodem modo philosophandum esse, siue hæc connexio reperiatur in causis, siue independenter existant ab omni possibilitate effectuum.

Arguo primò: Causa non ex eo cognoscitur cognito 7 effectu, quia ipsa connexa sit eum effectu, sed quia effectus est connexus cum ipsa, connexio enim non requiritur in illo, quod medio alio cognosceretur, sed in eo quod medium est, vt aliud cognoscatur, non enim requiritur consequens esse connexum cum antecedenti, sed antecedens esse connexum cum consequenti, vt fiat legitimè illatio, vt per se notum est: ergo siue principium sentiendi, & principium ratiocinandi sint connexa cum sensationibus & ratiocinationibus, siue cum illis nullam habeant connexionem, eodem modo cognoscentur mediis suis operationibus, & eodem modo operationes determinabunt intellectum ad cognoscenda principia, à quibus procedunt: ergo si seclusâ cõnexione principij ad operationes sentiendi, hæducunt in cognitionẽ principij sentiendi, & principij ratiocinandi identificati cum sentiendi principio, positâ connexione in principio sentiendi, sensationes eodem modo ducent in cognitionem principij sentiendi, & ratiocinandi; vel si posita connexione sensatio ducit tantùm in cognitionem principij sentiendi, & non ducit in cognitionem principij ratiocinandi seclusa connexione ex parte principij sensatiui eodem modo ducet in cognitionem sui principij. Confirmatur: ablata connexione principij cum effectu adhuc possibili, adhuc remanet in ipso effectu connexio cum causa: sed hæc connexio effectus cum causa, est, quæ determinat intellectum vt medio effectu cognoscat causam siue absolutam, siue respectiuam: ergo permanet idem medium ad terminandum intellectum: ergo intellectus eodem modo determinabitur. Si dicas ablata connexione ex parte causæ, auferri etiam ex parte effectus, apertè falleris, quia quantumuis causa sit non connexa cum effectu, existentia effectus necessariò est connexa cum aliqua causa, implicat enim existere effectum, quin existat productus ab aliqua causa illi coexistente. Deinde Controu. 10. Puncto tertio, probabo

probabo causam non esse connexam cum effectu, adhuc possibili,& possibilitatem causæ esse connexam cum causa à qua existens non potest non dependere, & omnem actionem etiam præcisè, vt possibilem esse connexam cum possibilitate causæ,à qua existens potest dependere, à qua non poterit non dependere, cùm per se ipsam non dependeat.

8 Secundò contra eandem sententiam sic arguo: Etiamsi virtus sensitiua in homine non sit connexa cum sensationibus, neque virtus ratiocinatiua cum ratiocinationibus, neutra concipi poterit sine ordine ad proprias operationes,saltem apprehensiuè cognitas,etsi non iudicatiuè possent in propriis virtutibus agnosci: ergo,siue hæ virtutes sint connexæ,siue connexæ non sint, cognoscentur semper in ordine ad eosdem terminos: ergo, siue absit, siue adsit connexio inter principia, & operationes,eadem erit ratio præscindendi, vel non præscindendi inter hæc principia realiter identificata. Idem argumentum conficio de operationibus,quæ eodem modo connotat principia à quibus procedunt,quacumque connexione posita,seu ablata principiorum ad operationes, & operationum ad principia; semper enim sensatio tribuitur homini formaliter vt sensitiuo,& non vt rationali,& ratiocinatio tribuitur homini formaliter vt rationali,& non vt sensitiuo:ergo operationes eodem modo ducunt in cognitionem suorum principiorum posita vel ablata quacumque connexione.

9 Vltimò si ratiocinatio refertur ad principium ratiocinandi, refertur ad omne id quod est identificatum cum principio ratiocinandi, & si sensatio refertur ad principium sentiendi, refertur ad omne id, quod est identificatum cum principio sentiendi: ergò si ratione huius relationis ducit in cognitionem sui principij, non magis ducet in cognitionem huius formalitatis, quàm illius identificatæ cum suo principio,quas omnes tanquam terminum indiuisibiliter respiciet. Antecedens constabit ex dicendis Controuers.10. Punct.6. vbi probabo relationem inter causam, & effectum non terminari ad rationem aliquam præcisam,sed ad omnes rationes etiam indiuiduales realiter identificatas. Similiter ob eandem rationem si rationale connexum est cum ratiocinatione,eandem connexionem habebit sensitiuum idenrificatum cum rationali respectu eiusdem ratiocinationis; implicat enim ex duabus formalitatibus realibus, quæ realiter neque diuinitus separari possunt, hanc & non illam esse connexam cum eodem termino,vt per se notum est:ergo ratione huius connexionis vtraque formalitas æquè cognoscetur media sensatione,& vtraque formalitas præcisè secundùm id, quod intrinsecè dicet,æquè ducet in cognitionem eiusdem sensationis. Iam si nulla sit connexio inter principium operationum,&ipsas operationes,nullam esse rationem propter quam hæc operatio magis ducat in cognitionem huius formalitatis quàm illius cum illa identificata,sententia est horum recentiorum:ergo nulla est disparitatis ratio in ordine ad præcisiones obiectiuas,siue inter causas &effectus reperiatur,siue non reperiatur connexio.

10 Dices ratiocinationem ducere in cognitionem principij ratiocinandi,& non sentiendi,quia principium ratiocinandi vt principium ratiocinandi est continentia ratiocinationis,& principium sentiendi, vt principium sentiendi non est continentia ratiocinationis. Dicam postea ratiocinationem realiter æquè contineri in principio ratiocinandi, & principio sentiendi cum principio ratiocinandi identificato; sed esto quod intendit obiectio, hoc æquè procedit in sententia instituente causas connexas cum possibilitate effectuum,& in sententia,quæ negat hanc connexionem: ergo in vtraque sententia præcisiones obiectiuæ admittendæ sunt, vel in vtraque negandæ, quod tantùm ego intendo modò contra recentiores,cum quibus certo. Valeat ergo hæc sententia nullo authoritatis,neque rationis pondere stabilita.

§. III.

Expendo nonnulla Hurtadi fundamenta pro sententia negante præcisiuas obiectiones.

11 ARguit Hurtadus pro sententia negante præcisiones obiectiuas. Distinctio rationis est formaliter in intellectu, & non in obiecto:ergo obiectum esse formaliter distinctum non est formaliter in obiecto,sed in intellectu: ergo distinctio conceptuum non se tenet ex parte obiecti. Probat consequentiam: Vbi non est ratio, per quam aliquid constituitur distinctum; non potest esse distinctum: quia distinctum est formaliter à distinctione, sicuti album ab albedine,& vbi non est albedo, non potest esse formaliter album. Sed distinctio rationis non est formaliter in obiecto:ergo illius effectus formalis non potest esse in obiecto: ergo esse distinctum non est formaliter in obiecto: ergo non datur distinctio, seu præcisio ex parte obiecti. Primum antecedens sic probat Hurtad. Omnis actus intellectus est in intellectu: sed distinctio est actus intellectus: ergo distinctio rationis est in intellectu. Minorem probat authoritate D. Thomæ & ratione, quia distinctio est consideratio vnius sine alio,quæ formaliter in actu intellectus consistit.

12 Respondendum est distinctionem consistere in actu intellectus,& esse subiectiuè in intellectu,& non in obiecto; terminari tamen ad obiectum quod constituitur distinctum ex eo præcisè,quod actus,qui est distinctio,terminetur ad illud,sicuti constituitur cognitum,per cognitionem ad illud terminatam, etiamsi cognitio non sit in obiecto, sed in intellectu; formæ enim extrinsecæ non debent esse in illo, cui tribuunt denominationem sed in hoc existente tribuunt denominationem illi, in quo non existunt, vt patet in ipsa cognitione, quæ existit in potentia, & denominat cognitum obiectum,& in actione,quæ subiectatur in passo, & denominat principium actiuum actu efficiens,& actum primum constituit in actu secundo, & formaliter priorem effectu, etiamsi ipsa actio non sit in actu primo,vt dicebam Controu.6. Physic. Punct.3. Instat Hurtad. distinctio non est in obiecto,sed in potentia:ergo cognitio non attingit duas formalitates sibi respondentes ex parte obiecti vt obiectum distinguitur adæquatè à cognitione. Probat consequentiam: obiectum vt distinctum à cognitione non habet plures formalitates:ergo cognitio vt distincta ab obiecto non attingit plures formalitates; quia implicat attingi in obiecto id quod in obiecto non est. Confirmatur:pluralitas ipsa formalitatum consistit in distinctione formalitatum,quæ est cognitio: sed cognitio præcisiua non attingit ipsam cognitionem,neque est reflexiua supra se ipsam:ergo non attingit pluralitatem formalitatum: ergo non attingit plures formalitates, quæ sine pluralitate attingi nequeunt. Non vrget Hurtadi ratio, respondeo enim in obiecto vt distincto à cognitione non esse plures formalitates pluralitate distincta à cognitione, hoc est non plures formalitates, quæ antecedenter ad ipsam cognitionem sint plures, esse tamen rationem illam, quæ per ipsam cognitionem diuiditur,seu partitur in plura non physicè;sed intentionaliter. Ad confirmationem respondeo cognitionem non attingere se ipsam, & ita non attingere ex parte obiecti pluralitatem, neque plures formalitates formaliter vt plures, sed constituere formaliter obiectum, quod attingit physicè vnum, plura intentionaliter,seu respectu intellectus, & constituere plures formalitates, id, quod in se est vnum, & formaliter diuisum respectu intellectus id, quod in se insectibile est; non quia cognitio respiciat pluralitatem, aut diuisionem ex parte obiecti,sed quia est pluralitas,& diuisio, & terminatur ad obiectum; sicuti cognitio constituit obiectum cognitum, non quia terminetur ad cognitionem, sed quia terminatur ad obiectum, quod ex eo præcisè quod cognitio terminetur ad illud,constituitur cognitum:sic cõtingit in generatione,quæ respicit terminum non in se genitum, sed capacem generandi,& illum genitum constituit, etiamsi generatio ipsa ad generationem non terminetur. Sic diuisio, seu pluralitas intẽtionalis constituere potest obiectũ plura formaliter, etiamsi obiectũ antecedenter ad ipsam non sit plura,& cognitio illius,quæ formaliter est diuisio, non ad se ipsam,sed tantùm ad ipsum obiectum terminetur.

13 Arguit secundò Hurtadus:Sumatur ex vna parte actus, quo cognoscitur animal,& alius actus,quo cognoscitur rationale. Antequam cognoscatur animal,non habet ex parte sui aliquid, per quod formaliter sit aliud à rationali:ergo cognitio de animali non attingit illud,quasi aliud à rationali, & consequenter non cognoscit animal sine rationali. Antecedens, quod ego non negabo, latè probat Hurtad. & postea redit ad rationem suprà factam: alietas est ipsa cognitio, cognotio præcisiua animalis non terminatur ad se ipsam: ergo non terminatur ad alietatem:ergo non cognoscit animal vt distinctum à rationali: ergo non

illud

illud cognoscit sine rationali. Respondeo facilè ex doctrina tradita in solutione præcedentis argumenti, animal antequam cognoscatur nihil habere per quod sit aliud à rationali, sed illud formaliter constitui aliud per cognitionem. Ad formam argumenti concedo antecedens, & distinguo consequens: ergo cognitio præcisiua animalis non cognoscit illud, quasi aliud à rationali, ita vt animal formaliter vt aliud, & alietas ipsa se teneat ex parte cogniti, concedo consequentiam: Non cognoscit illud formaliter constituendo aliud per ipsam cognitionem, nego consequentiam: ergo non illud cognoscit sine rationali, nego consequentiam. Aliud enim est me cognoscere animal non cognito rationali, alud me cognoscere animal esse aliud à rationali, quod in principiis ipsius Hurtad. efficaciter probo. Animal esse aliud à rationali per intellectum præscindentem, & animal cognosci sine rationali formalissimè sunt idem: ergo cognoscere animal esse aliud à rationali est cognoscere animal cognosci sine rationali, sed aliud est cognoscere animal cognosci sine rationali, aliud cognoscere animal sine rationali, quia hoc importat cognitionem directam, & illud cognitionem supra hanc reflectentem: ergo aliud est cognoscere animal sine rationali, aliud verò cognoscere animal per intellectum à rationali cognosci.

14 Testimonia, quæ ex Basilio, & Athanasio pro hac sententia adducit Hurtadus, abs re omnino sunt, hi enim Patres nihil de hac quæstione curabant, quæ nihil conducebat ad illa, de quibus ipsi disputabant, & tantùm ad puram Metaphysicam attinet. Testimonium Basilij desumitur ex homil. 6. exam. sub initium, vbi asserit Basilius lucem creatam prima mundi conditione fuisse distinctam à Sole, & ab illo raliter separatam, & probat hanc separationem potuisse à Deo fieri, quia totum id, quod homines valent cognitione separare, potest Deus à parte rei separare. Ex quo infert Hurtadus, illa, quæ raliter identificantur, non posse ab hominibus mente præscindi, cùm non valeat Deus illa physicè separare. Respondeo D. Basilium tantùm intendisse Deum posse separare illa, quæ nos possumus ex parte obiecti vt distincta realiter cognoscere, hoc est illa, quæ in se ipsis distinctionem habere cognoscimus, non verò, quæ præcisè nostra intellectus operatione distinguimus.

15 A Basilio hoc argumentum Anselmum esse mutuatum affirmat Hurtadus qui c. 4. de Incarnat. Verbi ostendit omnipotentiam Dei non esse accidens, quia non potest concipi sine illa: verba sunt Anselmi: *Quia cùm omne subiectum sine accidenti aut esse aut intelligi possit, Deus sine potestate neque esse neque intelligi potest.* Respondeo D. Anselmum rectè concludere omnipotentiam non esse accidens, quia Deus secundùm totum illud, quod in se includit intrinsecè, & identicè adæquatè sine omnipotentia concipi nequit. Secundò, quia licet essentia Dei posset præscindi ab omnipotentia, non potest intelligi Deus non habens omnipotentiam, sicuti intelligitur quodlibet subiectum non habēs accidens physicum prædicamentale, quod potest absque sui corruptione illi adesse, & abesse. Tertiò in multorum sententia, omnipotentia, & reliqua attributa pertinent ad constitutiuū essentiæ Dei, iuxta quā Deus non poterit intelligi essentialiter constitutus sine omnipotentia, sicuti non potest intelligi homo sine rationali. Tertiò, etiamsi in sensu quem contendit Hurtad. hæc sit legitima consequentia: *hoc non potest intelligi sine illo: ergo illud non est accidens*, quod inferebat Anselmus. Vnde infertur hanc esse consequentiam legitimam: hoc non est accidens illius, seu est physicè identificatum cum illo: ergo non potest intelligi sine illo: potest enim dici omne illud sine quo res non potest intelligi non esse accidens, non tamen necessum est, hoc esse accidens illius, vt possit illorum quodlibet sine alio intelligi, quia hæc est bona consequentia: hæc non separantur per intellectum: ergo neque physicè separantur, hæc autem mala: hæc non separantur physicè, ergo neque per intellectum, quod respectu præcisionis ex parte actus Hurtadus tenetur concedere.

16 Adducit iterum Hurtadus D. Anselmum in Prosologio cap. 18. vbi hæc habet: *Imò non est ipsa vnitas nullo intellectu diuisibilis; ergo vita, & sapientia, & reliqua non sunt partes sui sed omnia sunt vnum.* Respondeo D. Anselmum tantùm intendere nullum intellectum posse cognoscere diuisionem, aut distinctionem in Deo, ex quo infert Deum esse summè vnum, & non habere partes, friuolum enim est asserere D. Anselmum inferre summam Dei vnitatem ex eo, quod intellectus ex parte actus tantùm, & non ex parte obiecti possit præscindere. Adde his omnibus testimoniis absolutè negari distinctionem per intellectum, quæ non priori iure deberet intelligi de distinctione ex parte obiecti, quàm ex parte actus, si non explicarentur non solùm de distinctione, ex vi cuius ipsum obiectum per intellectum præscindatur, & vna illius formalitas sine alia cognoscatur, sed etiam de distinctione physica reali tenente se ex parte obiecti cogniti, quam negant Basil. & Anselm. testimoniis citatis.

§. IV.

Potissimo argumento verior propugnatur sententia.

17 ARgumentum quod vnicè præcisiones obiectiuas impugnat in formalitatibus idētificatis, & Nominalium sententiam vnicè efficacissimè propugnat sic se habet. Si cognoscetur animal, & non cognoscetur rationale cum illo identificatum, animal, cognoscetur, & non cognoscetur, & rationale cognoscetur, & non cognoscetur: hæc sunt aperta contradictoria: ergo implicat animal cognosci, & non cognosci rationale per eandem cognitionem. Maiorem probo: si cognoscetur animal per hāc cognitionem, & per eandem non cognoscetur rationale cum illo identificatum, per eandem cognitionem cognoscetur animal, vt supponitur, insuper cognoscetur animal, quod sic probo: Non cognoscetur rationale: ergo non cognoscetur id, quod est identificatum cum rationali, quia quidquid affirmatur vel negatur de aliquo, eodem modo affirmatur, & negatur de omni illo, quod est identificatum cum illo: sed animal est identificatum cum rationali: ergo non cognoscitur animal (intellige semper per hanc eandem cognitionem) ergo idem animal cognoscitur, & non cognoscitur per eandem cognitionem. Idem argumentum de rationali conficio: rationale per illam cognitionem non cognoscitur, vt supponitur; insuper cognoscitur, quod sic probo: animal cognoscitur per illam cognitionem: ergo cognoscitur quidquid est identificatum cum animali, quia quidquid verificatur de aliquo, verificatur de omni illo quod est identificatum cum illo. Sed rationale est identificatum cum animali: ergo rationale cognoscitur, & non cognoscitur per illam cognitionem.

18 Idem argumentum alio modo proponitur. Implicat prædicatum animalis terminare hanc numero cognitionem, & non illam terminare prædicatum rationalis: ergo implicat animal cognosci per hanc numero cognitionem, & non cognosci rationale identificatum cum animali. Antecedens probo: Implicat animal terminare vnionem physicam alicui extremo, vel actionem ab aliquo principio actiuo procedentem, quin eandem vnionem, vel actionem terminet rationale: ergo implicat animal terminare cognitionem, quin terminet eandem cognitionem rationale cum illo identificatum. Probo consequentiam, & rationem à priori desumo pro antecedenti stabiliendo. Ideo implicat animal terminare actionem, vel vnionem, quin terminet eandem rationale identificatum cum animali, quia sequeretur idem animal terminare, & non terminare actionem, vel vnionem: terminare, quia iam supponitur; non terminare, quia non terminaret rationale identificatum cum ipso. Similiter sequeretur rationale non terminare vt supponitur, & terminare; quia terminaret animal identificatum cum rationali, quæ sunt contradictoria. Ob eandem identitatem sequeretur animal terminare cognitionem vt supponitur, & non terminare, quia est identificatum cum rationali; quod non [illegible]. Sed non minor est contradictio in eo quod eadem entitas terminet, & non terminet cognitionem, quàm in eo quod terminet, & non terminet vnionem: ergo sicuti implicat animal terminare vnionem, vel actionem, quam non terminet rationale identificatum cum animali propter contradictoria, quæ inferentur, si hoc fieret, sic propter similia contradictoria implicabit, animal terminare hanc cognitionem, & non terminare eandem cognitionem rationale cum animali identificatum.

19 Vrgeo: illa quæ in creatis identificantur vni tertio necessariò inter se identificantur. Sed id, quod formaliter terminat cognitionem, ex vi cuius dicis præscindi animali à rationali, identificatur cum animali, & rationale identificatur

ficatur cum eodē animali:ergo rationale identificatur cum illo,quod formaliter terminat cognitionem. Clariùs:quod terminat hanc cognitionem est prædicatū animalis,rationale est idem prædicatū animalis:ergo rationale terminat hanc cognitionem:ergo rationale cognoscitur per illā cognitionē:insuper non cognoscitur, quia ex vi illius cognitionis tantùm cognoscitur animal rationali non cognito: ergo ex vi illius cognitionis rationale cognoscitur, & non cognoscitur. Alio modo eandem ferè difficultatem propono:Implicat ex duabus formalitatibus creatis vnam identificari cum alia tertia, & non identificari alteram cum eadem:ergo implicat animal identificari cum formali termino huius cognitionis, & rationale identificatum cum animali non identificari cum eodem termino:ergo implicat animal esse terminum cognitionis, & rationale non esse terminum huius cognitionis:ergo implicat animal cognosci per hanc cognitionem, & rationale per eandem cognitionem non cognosci.

20 Vulgaris solutio fuit argumento præcedenti,sufficere distinctionem rationis ad hoc vt vnum prædicatum sine alio cognoscatur,& vt possit dici de illo esse cognitum,etiamsi de alio secum identificato negetur,quia prædicationes fiūt de rebus provt intellectui obiiciuntur, & ita sufficit prædicata obiici vt distincta,ad hoc vt de illis distincta prædicata enuncientur. Multis peccat hæc solutio;si enim illius doctrina vera esset,multa possent componi distinctione rationis,quæ apertam inuoluunt implicationem,posset enim dici de rationali esse vnitū,& de animali identificato cum illo idem prædicatum negari; & posse rationale Petri esse Matriti, & animal Petri non esse Matriti hac rationis distinctione intercedente. Non ergo distinctio rationis potest deseruire,vt ea quæ à parte rei sunt idem,eidē enti cōueniant,& non cōueniant à parte rei,sed vt ego per intellectū hoc attribuam huic prædicato,& non illi,quia distinctio rationis non immutat ea, quæ realia sunt,& independentia à fictione intellectus:sed animal cognosci per hanc cognitionem,& non cognosci rationale cum animali identificatum per eandē cognitionem,& animal esse terminum huius cognitionis, & rationale non esse terminū huius cognitionis,est quid reale existens à parte rei independēs ab omni obiecto ficto,ex quo realiter infertur animal cognosci,& non cognosci, & rationale cognosci,& non cognosci,quæ sunt cōtradictoria de obiectis non fictis,sed realiter existentibus:ergo ratione distinctionis rationis non desinent esse contradictoria,& eandem inuoluere repugnantiā,sicuti ratione distinctionis rationis non amittent contradictionē,quam in se includunt,vel inferunt,animal existere Matriti, & rationale cum illo identificatum Matriti non existere,animal attingi per hanc vnionem &rationale non attingi per eandem vnionem Secundò distinctio hæc ratione cuius potest cognosci animal rationali non cognito per eandē cognitionem,vel fit per cognitionē præscindentem ex parte actus, & vel per cognitionem præscindentem ex parte obiecti.Si dicas fieri per cognitionē tantùm præscindentē ex parte actus deseruit tantum vt animal cognoscatur ex parte actus rationali non cognito ex parte actus. Si dicas fieri per cognitionem præscindentem ex parte obiecti, contra hanc cognitionem sic præscindentem procedit argumentum suprà factum quod instituo contra solutionem,eodem modo quo illud institueram contra conclusionem,quia solutio,& conclusio in nihilo differunt. Distinctio rationis facta per cognitionem præcisiuam ex parte obiecti dicit congnitionem per quam cognoscitur prædicatum animalis,quin prædicatum rationalis ex parte obiecti cognitione attingatur: sed ex hac cognitione sequitur idem animal cognosci,& non cognosci, esse terminum cognitionis, & non esse terminum cognitionis,idem rationale cognosci,& non cognosci, esse terminum cognitionis,& non esse terminum cognitionis, quæ sunt contradictoria:ergo implicat hæc cognito : ergo implicat talis rationis distinctio. Maior est citra omnem controuersiam. Minorem propugnat totum argumentum suprà factum.

21 Respondent alij,animal,& rationale esse idem vt sunt in se,ab intellectu autem cognoscuntur,non vt sunt in se,sed aliter ac sunt, & ita posse cognosci vt distincta, seu posse distingui per cognitionē, ex vi cuius habent esse obiectiuè in intellectu aliter ac sunt in se,etiamsi in se ipsis realiter non distinguantur. Ex hac doctrina ad formā argumēti respondent:animal, & rationale sunt idem vt sunt in se, concedo;aliter ac sunt in se,vel vt sunt in intellectu,nego: sed animal cognoscitur per hanc cognitionem præcisiuā, distinguo:cognoscitur vt est in se,nego ; aliter ac est in se, concedo:ergo per eandem cognitionem cognoscitur rationale,nego consequentiā:ex cuius consequenti negato non sequitur animal,neque rationale cognosci,aut non cognosci,quia non cognoscitur animal vt est identificatum cum rationali,sed vt distinctū,cùm nō cognoscatur vt est in se, sed aliter ac est in se. Solutio hæc rem confundit, doctrinā falsam continet,& argumenti vim non infringit, neq; illius attingit difficultatem. Procedit difficultas de cognitione cuius obiectum est reale secundùm formalitatē,quæ cognitionem terminat,licet realiter formalitas illa præcisa non sit,sed præscindatur per cognitionem,de quo est quæstio,verūtamen fixum semper est cognitionem illam attingere obiectum reale, de quo disputamus an possit attingi à cognitione, non attacta ratione alia realiter identificata cum formalitate tenente se ex parte obiecti:si enim cognitio ad formalitatē fictam terminaretur,præcisiua non esset inter formalitates reales realiter identificatas, sed factiua diuersorum entium rationis. His positis argumentū suprà factum instauro. Cognitio præcisiua,etsi abstractiua sit,& attingat obiectum aliter ac est,vt vult arguens, (quod ego postea quomodo intelligendū sit explicabo,) attingit realiter formalitatē animalis,quæ realiter est in obiecto identificata cum rationali, & hæc formalitas per se ipsam terminat cognitionem;ergo formalitas rationalis identificata cum animalitate debet terminare eandem cognitionem. Consequentiam propugnat integrum argumentum supra factum petitum ex identitate formalitatum,& ex eo quod non possit aliquid reale conuenire realiter, & à parte rei alicui entitati, quod non conueniat omni cum illa identificato, aliàs eidem entitati conueniret, & non conueniret,vt suprà arguebam. Formalitatem animalis realiter existentem à parte rei identificatam cum rationali per se ipsam terminare cognitionem præcisiuam animalis de qua contendimus,apud omnes,qui rem percipiunt,est inconcussum,quia cognitio illa terminatur ad animal reale, & non fictum, nullum autem est animal reale non fictum præter animal existens à parte rei identificatum cum differentia specifica.

Secundò,si illud animal secundùm se cognitionem non 22
terminaret, non cognosceretur animal reale neque de illo aliquid enunciaremus;sed semper nostræ enunciationes de obiectis fierent chimericis, quod plusquam chimæricum est,& destruit suppositum quæstionis; disputamus enim,an cognitio attingens formalitatem animalis,quæ realiter est identificata cum differentia, possit illam sine differentia attingere. In qua quæstione supponimus cognitionem illam attingere formalitatem animalis, quæ est identificata cum differentia, & formalitatem animalis cum differentia identificatam per se ipsam cognitionem terminare, & postea procedimus ad inquirendum,an formalitas differentiæ necessariò per se ipsam debeat eandem cognitionem terminare, & ita de hoc posterius inquirendum non est, si illud prius non supponatur. Iterum subdistingues : cognitio illa respicit formalitatem animalis realem existentem à parte rei, & hæc formalitas per se ipsam terminat cognitionem vt est in se,nego;aliter ac est in se, concedo; Sed iterum argumentabor : illa formalitas per se ipsam realiter & à parte rei terminat cognitionem repræsentantem suum obiectum aliter ac est in se : ergo quidquid est identificatum cum illa formalitate terminabit eandem cognitionem repræsentantem suum obiectum aliter ac est in se, aliàs eadem entitas terminabit hanc cognitionem repræsentantem suum obiectum aliter ac est, & non terminabit eandem cognitionem repræsentantem suum obiectum aliter ac est, quæ sunt contradictoria. Vrgeo, & declaro idem argumentum : formalitatem animalis per se ipsam terminantem hanc cognitionem abstractiuam cognosci ex vi illius aliter ac est in se, nihil aliud est, quam terminare hanc numero cognitionē depromptā ab his speciebus,& respicientē hæc obiecta indirectā,& quasi obliquè terminantia hanc cognitionem, quæ omnia claudūtur in hoc quod est terminare hāc numero cognitionē,quæ abstractiua dicitur:quæ per se ipsam habet esse abstractiuā, & repræsentare obiectum aliter ac est,quod inconcussum est apud omnes Ex hoc infero formalitatē animalis cognosci aliter ac est in se nihil aliud esse, quàm terminare hāc numero cognitionem intrinsecè abstractiuam,ac proinde

cùm dicimus : formalitas animalis per se ipsam terminat hanc numero cognitionem assignando cognitionem, quæ intrinsecè est abstractiua ineprè distinguetur,terminat cognitionem,per quam cognoscatur,vt est in se, nego ; per quam cognoscatur aliter ac est,concedo;quia eo ipso quod dicitur terminare hanc numero cognitionem assignando cognitionem intrinsecè abstractiuam , dicitur terminare cognitionem , ex vi cuius cognoscitur aliter ac est , quod firmum esse volo,ne multiplicatione ineptarum distinctionum velis vim argumenti eludere,quod integrum esse respectu cognitionis repræsentantis obiectum aliter ac est in seſe,sic suadeo. Formalitas animalis realiter existens à parte rei,quæ realiter est identificata cum rationali,vel cum alia differentia per se ipsam terminat hanc numero cognitionem,quæ intrinsecè est abstractiua:ergo quidquid est identificatum cum formalitate animalis terminabit eandé numero cognitionem. Antecedens negari nequit. Consequentiâ stabilit integrum argumentũ suprà factum , quod constitutum est,ad probandum ex duabus formalitatibus realiter identificatis non posse vnam terminare hanc numero cognitionem,& alteram eandem cognitionem non terminare , aliàs eadem entitas terminaret , & non terminaret. Recognosce omnia quibus à principio argumentũ instituí.

11 23 Demum obiectum per cognitionem abstractiuam cognosci aliter, ac est in se cum mica salis intelligendum est. Si enim dicatur cognitionem illam obiecto directo formalitatem aliquam, vel modum aliquem positiuè impingere, quem in se obiectum non habeat, est omnino falsum,quia iam cognitio non terminaretur ad obiectum verum , & reale , sed fictum. Si dicas, obiectum illud cognosci non secundùm omnes formalitates, quas habet, sed secundùm aliquam aliis omissis, in duplici sensu potest intelligi , vel quia formalitates illæ ex parte modi non dicuntur attingi, etsi ex parte obiecti omnes attingantur, & hoc nihil conducit ad obiectiuam præcisionem,vel intelligitur quod cognitio illa attingat hanc formalitatem,& illam non tantùm ex parte modi,sed etiam ex parte obiecti non attingat , & hoc ego contendo repugnantiam inuoluere;& contra hunc modum attingendi obiectum aliter ac est in se , quo putas argumento satisfacere institutum est argumentum, & iterum est instituendum ad destruendam conclusionem,quam vt solutionem argumenti contra illam instituti , iterum tradis. Si dicas cognosci obiectum aliter ac est in se per cognitionem abstractiuam tantùm dicere attingi per cognitionem illam indirectè, & obliquè alia obiecta , instar quorum obiectum directum secundùm proprias formalitates,quas in se habet , vt illas habet in se, cognoscitur, quod sanè melius explicat , quid sit rem aliter ac est in se cognosci ; totum hoc admitto, & argumentum adhuc remanet integrum,quo ego intendo non posse hanc formalitatem per se ipsam terminare cognitionem , & in se ipsa instar aliorum obiectorum cognosci , quin alia formalitas cum illa identificata per se ipsam terminet eandem cognitionem , & in se ipsa instar eorundem obiectorum cognoscatur,ne aliquid realiter , & à parte rei conueniat alicui entitati quod non conueniat entitati identificatæ cum ipsa,ex quo sequeretur idem conuenire & non conuenire eidem entitati,duplexque verificari contradictorium.

24 Respondent alij,entitatem habere duplex esse , seu duplicem existendi statum, quendam realem physicum,quem intrinsecè habet quælibet entitas , alium intentionalem, quem tribuit intellectus obiecto cognito, quod constituit in statu intentionali. Dicunt enim intellectui vim quamdam inesse dandi rebus esse quoddam intentionale,& præsentiam quamdam in mente secundùm quam est diuerso modo intentionaliter , ac est physicè secundum esse physicum, quod habet extra intellectum. Asserunt insuper animal,& rationale,quæ in esse physico identificantur,& sunt idem,in esse intentionali distingui,& diuersum esse intentionale habere animal in intellectu ab esse intentionali, quod habet rationale in eodem intellectu,& è cõtra,etiamsi esse physicum vtriusque in re non distinguantur. Deind aiunt animal , & rationale terminare cognitionem secundùm esse intentionale,& non secundùm esse physicum , ex quo inferunt animal.& rationale secundùm esse physicum in re indistincta terminare cognitiones sui secundùm esse realia distincta intentionalia, & ita terminare cognitiones vt distincta intentionaliter inter se,& non vt realiter identificata;Ex quo fit posse animal secundùm suum esse intentionale distinctum ab esse intentionali rationalis terminare cognitionem, quam rationale non terminat , & rationale secundùm proprium esse intentionale terminare cognitionem,quã non terminat animal,quin in hoc aliqua appareat contradictio, cùm non dicatur de eodem esse intentionali terminare,& nõ terminare eandem cognitionem,cùm sint distincta esse intentionalia;ratione quorũ animal terminat hanc cognitionem,quam non terminat rationale,& rationale terminat hanc cognitionem,quam non terminat animal.Ex hac doctrina disparitatẽ reddunt recentes isti propter quam non possit eadem entitas produci secundùm hanc formalitatem, & non produci secundùm illam , licet possit cognosci secundùm hanc formalitatẽ, & non secundùm illam:quia entitas terminat actionem secundùm esse physicum & reale,quod vnum indiuisibile est omnibus entitatibus physicè idẽtificatis;eadem verò entitas terminat cognitionem,non secundùm illud esse physicum , & reale, sed secundùm esse intentionale,quod distinctum est respectu diuersarum formalitatum, & ita distinctæ formalitates possunt secundùm distincta esse intentionalia distinctas cognitiones terminare absque eo,quod vna formalitas terminet cognitionem,quam terminat alia formalitas. Ex his concludunt præcisiones obiectiuas nõ dari secundùm esse physicum rei distinctum ab esse intentionali , quia secundùm hoc entitas non terminat cognitionem sui,sed secundùm esse intentionalia distincta, quæ competunt distinctis formalitatibus habentibus tantum in re vnum physicum esse. Quod si roges hos recentiores , quid sit illud esse intentionale quod obiectum habet in intellectu, respondent esse denominationem quamdam ex actu mentis realiter profluentem,ex vi cuius formaliter constituitur obiectum in illo statu intentionali realiter distincto ab existentia physica obiecti,& ab ipsa cognitione.

Contra hunc dicendi modum occurrunt multa , paucis 25
tamen illum impugnabo, & paucioribus posset euerti. Do his recentioribus dari duplicem illũ statũ,intentionalem, & physicum inter se distinctum, admitto rationale & animal distingui secundùm existentias intentionales, etsi secundùm existentiam physicam sint idem ; concedo cognitiones terminari ad existentias intentionales,& non ad existentiam physicam,posséque dari cognitionem terminatam ad existentiam animalis non respicientem existentiã intentionalem rationalis , distinctam ab existentia intentionali animalis, & posse dari aliam cognitionem terminatam ad existentiam intentionalem rationalis,non terminatam ad existentiã intentionalem animalis,& ex his infero nõ dari præcisiones obiectiuas,quod sic probo. Cognitio obiectiuè præscindens est illa,ex vi cuius è duobus realiter identificatis vnũ attingitur alio non attacto:sed ex eo quod cognitio attingat existentiam intentionalem animalis,& non attingat existentiam intentionalem rationalis,non attingit vnum è duobus identificatis realiter alio non attacto:ergo non est obiectiua præcisio. Maior continet definitionem præcisionis obiectiuæ,quam omnes tradunt:Consequentia est legitima : Minorem probo : obiectum attactum per hanc cognitionem est existentia intentionalis animalis, obiectum non attactum est existentia intentionalis rationalis : hæ duæ existentiæ realiter distinguuntur inter se,& ab existentia physica animalis,& rationalis , quæ per hanc cognitionem non attingitur in sententia horum recentiorum:ergo hæc cognitio tantùm habet attingere hoc obiectum , videlicet existentiam intentionalem animalis alio distincto non attacto videlicet existentia intentionali rationalis : ergo cognitio hæc tantùm præscindit inter obiecta realia realiter distincta:ergo non habet virtutem præscindentem inter formalitates realiter identificatas,de qua inter authores in hac materia est concertatio.

Secundò falsum omnino est obiectum habere existen- 26
tiam illam intentionalem realiter distinctam ab ipsius physicâ entitate,& à cognitione ad ipsam terminata , quia status ille,vt isti recentes inquiunt , nihil aliud importat, quàm obiectum esse cognitum ; obiectum autem esse cognitum tantùm dicit extrinsecam quamdam denominationem realiter indistinctam ab ipso obiecto,& à cognitione terminata ad ipsum obiectum. Sic communis sententia, quam omnes politiores recentes tradunt , & ego probabo Controu.12.punct.5.

Tertiò ;alienum à veritate est cognitionem præcisiuam 27
animalis terminari ad animal secundùm illum statũ intentionalem,quod sic ostendo. Animal vt intentionaliter existens est animal vt cognitum,vt recentiores fatentur:ergo

dicit

dicit formaliter ipsam cognitionem, per quam constituitur in statu intentionali, & in esse cogniti: ergo cognitio terminata ad animal, vt intentionaliter existens, & vt cognitum, quod est formaliter idem, debet terminari ad cognitionem, per quam in illo statu constituitur, sicuti cognitio terminata ad album formaliter, debet terminari ad albedinem per quam constituitur album formaliter in ratione albi: sed cognitio terminata ad animal, ex vi cuius hoc à rationali præscinditur non terminatur ad cognitionem, neque ad animal vt est formaliter cognitum, neque reflectit supra se ipsam, vt per se notum est; aliud enim est cognoscere animal, aliud cognoscere animal esse cognitum, & aliud præscindere animal à rationali, aliud cognoscere animal esse præcisum: ergo cognitio præcisiua animalis non terminatur ad animal vt cognitum, neque ad animal vt existens intentionaliter, sed ad animal secundùm se, quod ex eo quod secundùm se ipsum cognitionem terminet denominatur cognitum, etiamsi cognitio non in illud vt cognitum feratur: sicuti vnio terminatur ad extremum, quod vnit, secundùm se sumptum, quod non respicit vt vnitum, sed formaliter constituit vnitum.

28 Quartò, Etiamsi cognitio terminaretur ad obiectum secundùm illum statum intentionalem distinctum à physico rei statu, & ab existentia physica rei, necessariò deberet terminari ad ipsam physicam rei existentiam realiter vnam, simplicem identificatam cum omnibus formalitatibus, quod sic ostendo. Quando cognosco animal cognosco id, quod physicè, & realiter est à parte rei extra intellectum existens, & id, quod est à parte rei extra intellectum existens per suammet entitatem terminat cognitionem, & de illo enuncio esse principium sensationis, & alia huiusmodi prædicata, aliàs animal secundùm se, & existentia physica illius non esset obiectum mei intellectus, & nulla entitas secundùm esse quod in se habet cognosceretur, & consequenter, neque posset amari; quia nihil potest amari secundùm rationem illam secundùm quam non cognoscitur, & ita Deus non amaretur à nobis secundùm esse, quod in se habet, sed secundùm esse intentionale, quod isti recentes fingunt distinctum ab esse intrinseco, quod entitas in se habet, quod graui censurâ dignum est, est enim certum Deum amari à beatis, & à viatoribus actu charitatis Theologico immediatè attingente bonitatem infinitam Dei, quâ Deus ipse realiter est infinitè bonus: ergo cognitio terminatur ad esse reale, quod entitas in se habet distinctum ab illo esse intentionali: sed esse physicum, & reale animalis distinctum ab esse intentionali eiusdem animalis, quod recentes isti confingunt est identificatum cum esse reali rationali: ergo si cognitio terminatur ad animal, & non terminatur ad rationale, terminatur ad esse reale & physicum animalis, & non terminatur ad esse reale & physicum rationalis cum illo identificatum: ergo terminatur, & non terminatur ad idem obiectum, quod inuoluit contradictionem, quam à præscindentibus obiectiuè extorquet argumentum suprà factum.

29 Quintò animal habere distinctum esse intentionale à rationali dicit animal vt cognitum distingui à rationali vt cognito: ergo distingui animal vt cognitum à rationali vt cognito, dicit animal cognosci cum hac cognitione, & rationale identificatum cum animali non cognosci eâdem cognitione, & rationale cognosci illa cognitione, & animal identificatum cum rationali non cognosci eâdem cognitione: sed hoc implicat: ergo implicat animal vt cognitum distingui à rationali vt cognito, seu existentiam intentionalem animalis distingui ab existentia intentionali rationalis, quod est formaliter idem. Minor, seu secundum Antecedens tantùm indiget probatione, quam habes in argumento, quod solui intenditur hoc esse intentionali distincto formalitatum, quæ sunt realiter idem, quo ostenditur implicationem inuoluere è duobus identificatis vnum attingi per hanc cognitionem alio non attacto, quod est difficile in obiectiuis præcisionibus, & supponitur in hoc statu intentionali animalis distincto ab statu intentionali rationalis, quo difficultas non soluitur, sed illa, quæ in obiecto percipiebatur, trahitur ad statum illum, quem distingui à cognitione, & obiecto confingitur.

30 Alij desperantes in humanis huic argumento solutionem inueniendam esse, ad sacra confugiunt, & Trinitatis exemplo rem emollire, & distinctionis virtualis remedio medicari præsumunt. Asserunt distinctionis virtualis beneficio posse animal terminare cognitionem, etsi rationale cum illo identificatum eandem distinctionem non terminet, sicuti eiusdem virtualis distinctionis ope potest essentia diuina communicari, & non communicari relatio cum essentia diuina identificata. Sed nihil mihi magis durum, nec magis in hac distinctione desperatum, quàm exemplo Trinitatis explicari, & distinctionis virtualis ope defendi. Quid enim durius, aut difficilius potest excogitari, quàm totam mysterij Trinitatis difficultatem, quod in fidei obsequium intellectum captiuantes credimus in his præcisionibus obiectiuis admitti? Quidve magis desperatum quàm distinctionem virtualem in creaturis fingere, quam non minori difficultate, quàm ipsum Trinitatis mysterium in Deo Theologi meditantur, & ad quam in ipso Deo defendendam infinitâ Dei perfectione se protegunt? sed de hoc non plura, ostendi enim Punct. 5. distinctionem hanc virtualem, neque in ordine ad prædicata physica neque ad intentionalia in creaturis admittendam esse, & fine fundamento in his confingi. Me vide loco citato vbi distinctionem hanc virtualem in ordine ad omnia prædicata, & specialiter etiam in ordine ad prædicata intentionalia ex professo impugnaui §. 4.

Hoc argumentum meum conuincit animum, & me in- 31
uitum cogit ad negandas obiectiuas præcisiones in formalitatibus creatis realiter identificatis, expendi enim omnes solutiones, quas recentes, qui quæstionem hanc ex instituto pertractant, & nullam inueni, quâ meus acquiescat animus, & quæ non eamdem impugnationem patiatur, quam conclusio sustinet, qua primò sententia defendens præcisiones obiectiuas traditur. In formalitatibus increatis faciliùs ego has præcisiones distinctionis virtualis ope defenderem, alienum enim non est ab ente increato posse secundùm diuersas formalitates realiter identificatas diuersa obire munera, eadem ratione ac si formalitates illæ realiter distinguerentur. Verumtamen pleraque argumenta, & difficiliora, quæ in hac materia fiunt, communia sunt enti creato & increato, quæ solui debent ad negandas has obiectiuas præcisiones in creatis, quibus solutis fundamentum non extat, quod cogat præcisiones obiectiuas in ente creato defendere, & hanc virtualem distinctionem in ordine ad cognoscendum, & non cognoscendum secundùm eandem realem entitatem in ente increato adstruendam; Theologi enim, qui hanc virtualem distinctionem sunt meditati, illa tantum vtuntur in ordine ad prædicata, quæ in Deo reperiri necesse est, & ratione alia defendi nequeunt, sic plures, qui hanc distinctionem virtualem in notionalibus admittunt in prædicatis essentialibus à Deo relegant. Dices specialia argumenta reperiri, quæ in diuinis has obiectiuas præcisiones propugnent, sine quibus plura spectantia ad Incarnationis, & Trinitatis mysterium defendi nequeunt, neque de illis adhuc Catholicè loqui possumus. Mouêre hæc argumenta Arriagam & alios negantes præcisiones obiectiuas in ente creato ad illas in ente increato admittendas; ego verò censeo omnia quæ in hac re specialiter de ente increato fiunt sufficiens fundamentum non præbere ad has præcisiones in Deo admittendas, quod constabit ex solutionibus, quas prædictis argumentis adhibebo.

§. V.

Soluuntur argumenta quæ præcisiones obiectiuas in omni ente propugnant.

OBicies primò. Hæc vox *homo* non significat Petrum, 32
aut Ioannem: ergo significat aliquid commune Petro, & Ioanni: ergo ex parte obiecti significati correspondet illi aliquid commune Petro, & Ioanni quod sit obiectum cognitionis, cui correspondet. Confirmatur: obiectum significatum per hanc vocem prædicatur de Petro, & Ioanne: ergo dicit aliquid commune Petro, & Ioanni: ergo datur ex parte obiecti significati per hanc vocem aliquid commune Petro, & Ioanni obiectiuè præcisum per conceptum respondentem huic voci *homo*. Respondeo ex dictis in Logica conceptum respondentem huic voci *homo*, & ipsam vocem respicere ex parte obiecti Petrum, Ioannem, Franciscum, & alia individua contenta sub specie hominis, quæ repræsentantur per conceptum quemdam confusum respondentem huic voci *homo*, ex vi cuius intellectus non discernit inter plura illa, quæ per talê cognitionê attingit, etiamsi illa attingat ex parte obiecti secundû differêtias, ex

vi quarum inter se discernũtur. Sicuti visio coloris viridis valde distantis colorem atttingit secundùm differentiam specificam,adeò tamen confusè, vt ex vi illius non discernat sensus, neque fundamentum tribuat intellectui discernendi inter colorem viridem, & nigrum: eademque ratione, quâ indiuidua per conceptum formalem repræsentãtur, significantur per vocem,quæ loco formalis conceptus subrogatur Ad confirmationem dico obiectum significatum per hanc vocem *homo*quod prædicatur de Petro, & Ioanne non verificari de Petro quatenus verificatur de Ioanne,quia de Petro verificatur quatenus in illo obiecto quod continet collectionem indiuiduorum continetur Petrus,ad quem tanquam ad subiectũ verificationis totum prædicatum contrahitur cùm dicimus *Petrus est homo*, & de Ioanne verificatur quatenus in illo obiecto continetur ipse Ioannes ad quem tanquam ad subiectum verificationis contrahitur obiectum significatũ ex parte prædicati, cùm dicimus *Ioannes est homo*. De hoc latiùs dixi in Logica.

33 Obiicies secundò. Plura possumus prædicare de animali,& de illo cogitare,quæ non cogitamus de rationali, de quo non meminimus,neque de illo possunt verificari:ergo possumus apprehendere naturam animalis præcisam à rationali. Respondeo aliud esse naturam animalis,aliud animal quod est idemtificatum cum homine,quæ distinguuntur tanquam includens & inclusum; natura enim animalis dicit animal hominis,&equi, seu omnia animalia identificata cum omnibus indiuiduis omnium specierum,& animal hominis dicit tantùm animalia identificata cum indiuiduis speciei hominis. Nihilominus omnia, quæ de animali vt sic prædicantur, & cogitantur, possunt prædicari, & cogitari de omnibus speciebus animalis, quia id tantùm tribuitur animali vt sic quod tribuitur cuicumque speciei animalis,& cuicumque indiuiduo sub specie animalis contento: sic cùm dicimus, *Animal sensitiuum* ex parte obiecti idem est ac si diceremus *Homo est sensitiuus; Equus est sensitiuus,Leo est sensitiuus*, &c. Rursus cùm dicimus *homo est sensitiuus* ex parte obiecti idem est ac si diceremus *Petrus est sensitiuus;Ioannes est sensitiuus*, & sic de aliis indiuiduis speciei hominis,& de aliis speciebus respectu suorum indiuiduorum. Ex quo fit ex parte obiecti idem esse dicere, *animal est sensitiuum*, ac dicere *hic homo est sensitiuus, & hic homo est sensitiuus : hic equus est sensitiuus, & hic equus est sensitiuus* & sic de omnibus indiuiduis omnium specierum, de quibus prædicatur, & cogitatur quidquid de animali in communi, quod ex parte obiecti ab ipsis non distinguitur. Instabis experientiâ ipsâ tibi notum esse nihil cogitare de Petro, aut Ioanne hoc equo,& illo leone,cùm dicis *animal est sensitiuum*. Respondeo te tantùm posse experientiâ doceri actu non discernere inter hæc indiuidua cùm dicis *animal est sensitiuum*, non tamen posse experientiâ doceri tuam prædicationem & tuum formalem conceptum per quem dicis *animal est sensitiuum* non tendere ex parte obiecti circa hæc indiuidua, quæ omnia confusè attingis per illum conceptum, vt ex vi illius nõ possis inter ipsa discernere,ac proinde in ordine ad tuam experientiam perinde se habet conceptus ille, ac si indiuidua illa non attingeret, sicuti cum vides colorem viridem valdè distantem,de quo non potes enunciare, an sit viridis, an niger, speciem coloris visione pertingis, in ordine tamen ad tuam experientiam perinde se habet visio, ac si non attingeret rationem specifiam coloris, sed rationem quamdam communem, seu ac si non attingeret colorem viridem, sed nigrum, quia etsi visio illa attingat colorem viridem,& non nigrum,intellectus dubius remanet, an obiectum visum sit color viridis, vel niger.

34 Instabis: ex vi illius cognitionis, cognosco animal expresè, & distinctè,non cognosco aliquam differentiam expresè, & distinctè: ergo cognitio illa distincto modo attingit animal,ac attingit differentias. Secundò,cognitio illa confundit differentias, & non rationem generis: ergo ratio formalis generis videlicet animalis tenens se ex parte obiecti in se ipsa, & non tantùm in connotatis diuerso modo attingitur per cognitionem.Respondeo conceptum respondentem huic voci *animal* distinguere omnia indiuidua animalia,& quodlibet illorum,in quæ fertur, ab omni illo, quod non est animal, v.g. à lapide, & ligno, à quibus etiam distinguit differentias omnes specificas, & illarum quamlibet, in quas affirmo ferri cognitionem illam, ex vi enim conceptus respondentis huic voci *animal rationale* non confunditur cum lapide, sed ab illo distinguitur, & tantùm confunditur cum rugibili, & hinnibili. In ordine ergo ad omnia,quæ animalia non sunt æque distincte cognoscitur animal, & rationale per conceptum respondentem huic voci *animal*. Videamus modò an in ordine ad animalia eadem distinctione, & confusione genus, atque differentiæ cognoscantur Ex parte obiecti conceptus respondentis huic voci *animal*, in quo ego affirmo contineri omnia indiuidua animalia in quacumque specie contenta possumus considerare animal hominis, equi, & leonis, quatenus quoddam aggregatum indiuisibiliter includens omnes rationes animalis dispersas in distinctis speciebus. Possumus item considerare animal hominis seorsim sumptum,& animal equi seorsim sumptũ, & sic omnes rationes animalis distributiuè sumptas: Sic eadem ratione possumus considerare differentias omnes collectiuè sumptas per modum vnius aggregati, & omnes distributiuè sumptas, seu quamlibet illarum seorsim sumptam. Si considerentur differentiæ per modum vnius aggregati indiuisibiliter includentis omnes differentias, & eadem ratione considerentur omnes rationes genericæ, seu omnes rationes animalis, realiter identificantur adæquate, eadémque ratione ex parte obiecti cognoscuntur,neutrum enim illorum, neque aliquid in altero contentum confunditur cum aliquo distincto ab ipso aggregato,ac proinde aggregata illa indiuisibiliter sumpta confundi nequeunt, quia confusio semper est cum aliquo distincto ab illo quod confunditur. Dicit insuper vtrumque aggregatum partes inter se confusas, quia in aggregato animalium, animal hominis confunditur cum animali equi, & leonis, & sic de omnibus aliis, & in aggregato differentiarum rationale confunditur cum hinnibili,& rugibili, & sic de omnibus aliis differentiis. Hac ratione comparatæ rationes genericæ,& differentiales in nullo distinguuntur, & absque inæqualitate distinctionis, aui confusionis in ordine ad eadem obiecta cognoscuntur

Possunt insuper comparari differentiæ distributiuè sumptæ cum rationibus genericis collectiuè sumptis,v.g. rationale cum animali vt sic, seu cum tota collectione animalium indiuisibiliter sumptâ. Hac ratione differentiæ inadæquatè distinguuntur à ratione animalis, rationale enim tantum identificatur cum animali hominis & aggregatum illud dicit præter animal hominis animal equi,leonis, &c. & sic de quibuscumque aliis differentiis. Hac etiam ratione differentiæ confunduntur, illarum quælibet cum reliquis aliis ab ipsa distinctis, & animal non confunditur, quia sumptum per modum vnius aggregati indiuisibiliter sumpti non habet cum quo confundatur, sicuti neque haberent differentiæ si eadem ratione sumerentur. In hoc ergo sensu verum est differentias cognosci confusè per illum conceptum, & animal cognosci distinctè, quod nullam arguit præcisionem, quia obiecta realiter adæquatè non identificantur, distinguuntur enim inadæquatè vt dictum est sicuti distinguitur animal hominis ab animali vt sic,seu ab aggregato animalium hominis & leonis,quod dicit conceptus communis animalis. 35

Tertiò si ex parte vtriusque aggregati rationes in illo contentæ sumãtur distributiuè,& distributio sit accõmoda ita vt rationale comparetur cum animali hominis, cum quo identificatur, & rugibile cum animali leonis, æquè distinctè, & confusè rationes genericæ, & specificæ cognoscentur, quia sicuti ex vi conceptus respondentis huic voci *animal*, rationale confunditur cum rugibili,hinnibili & reliquis, sic animal hominis confunditur cum animali equi,cũ animali leonis,&reliquis,& sicuti animal hominis per eũdem conceptum distinguitur ab omni illo quod non est animal,sic rationale ab omni non animali per eumdem conceptum distinguitur, quia tantum confunditur cum aliis differentiis animalis, quarum quælibet identificatur cum propria ratione animalis. Ex his constat factâ comparatione inter rationes genericas, & specificas adæquatè identificatas, omnes eadem distinctione, eadémque confusione in ordine ad eadem obiecta cognosci. 36

Obiicies tertiò. Quando video equum à longè, cognosco esse animal, & non cognosco esse hinnibile: ergo cognitio illa fertur in rationem genericam,& non attingit rationem specificam. Vidi plures, qui magis faciunt hoc argumentum quod mihi alicuius momenti nunquam fuit, habet enim solutionem non difficilem,& in sensationibus instantiam patitur manifestam, quâ admitendas non esse præcisiones obiectiuas positiuè suadetur. In primis insto 37

visione

visione externa coloris viridis, ex vi cuius non potest sensus neque intellectus discernere inter colorem viridem, & nigrum, & tamen fertur in differentiam specificam coloris: ergo non ex eo quod intellectus non possit ex vi huius cognitionis discernere inter species, non infertur ex vi huius cognitionis non attingere differentiam specificam. Ex hoc argumentum desumo ad impugnandas has præcisiones. Totum illorum fundamentum desumitur ex eo quod intellectus discernat rationem genericam, & non specificam. Sed idem contingit in sensibus, & tamen in sensibus hæ præcisiones non admittuntur: ergo neque ex hoc fundamento præcisiones sunt in intellectu admittendæ, quo destructo vix mediocre aliud reperietur ad has præcisiones suadendas. Respondeo viso equo distanti, quem intellectus non discernit dupliciter se posse gerere intellectum; aliquando enim, cùm tantùm percipiat illud obiectū visum se progressiuè mouere, hunc discursum conficit: *omne quod se mouet est animal: hoc se mouet: ergo hoc est animal*: quod ex parte obiecti est idem ac dicere: *omne quod mouetur est homo vel equus, vel leo, &c. hoc mouetur: ergo est equus vel leo, &c.* in quo nulla est præcisio sed affirmatio specierum sub disiunctione de illo subiecto, quæ fieri non posset si cognitio ad species non terminaretur. Neque ex hac enunciatione præcisio aliqua infertur, quia quando dico, *illud indiuiduum humanum quod video, est Petrus, vel Paulus*, etsi non possim determinatè dicere *est Petrus*, neque possim dicere *est Paulus* non abstraho rationem communem à Petro, & Paulo, sed vtrumque agnosco, & sub disiunctione prædico. Dixi vtrumque ex parte obiecti esse idem, quia ex parte obiecti animal, & aggregatum specierum, quæ sub animali continentur, non distinguuntur; ac proinde animal ex parte vnius extremi, & ex parte alterius species animalis videlicet homo, equus, leo, & sic aliæ, non distinguuntur, siue species disiunctiuè, siue copulatiuè significentur, quia modus iste significandi non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte actus. Differunt ergo discursus suprà dicti tantùm ex parte actus per distinctum modum apprehendendi idemmet obiectum, quod per modum vnius simplicis obiecti potest intellectus apprehendere per conceptum respondentem huic voci *animal*, vel per modum plurium entitatum per conceptum respondentem huic complexo *homo, vel equus, vel leo, &c.* ex his discursibus, qui ex parte actus distinguuntur potest intellectus vnum, vel alterum efficere, & frequentiùs fit discursus ille per terminum complexum, & cum videmus animal à longè, & speciem non discernimus, dicimus, *animal illud, vel est equus, vel leo, &c.* & dubitamus ad quam ex his speciebus pertineat, quod signum est illas sub speciali differentia, etiam ex parte actus attingere.

38 Alio modo se potest gerere intellectus nullam apprehendendo rationem animalis in communi, neque species aliquas sub disiunctione, quia tunc non occurrit intentionalis species impressa ad producendam speciem expressam, quæ ex parte actus repræsenter rationem, neque ex parte obiecti alia obiecta sub disiunctione, sed tantùm apprehendendo quoddam principium singulare determinatum operationis, quam ab illo obiecto videt procedere, quod infert arguens ex actu ad potentiam, & ita obiecto illi, quod videt à se moueri, tribuit principium se mouendi, quod nomine animalis significat, aut principium sentiendi si nouit obiectum illud aliquam sensationem exercere, aut aduertit principium motus progressiui, & principium sensationis realiter nunquam separari. Tunc ergo intellectus affirmans obiectum illud esse principium motus progressiui, seu sensationis nihil cogitans de ratione alia communi, neque de speciali aliqua differentia, de qua nec dubitat, sed tantùm tunc agnoscit præcisè obiectum illud esse principium talis operationis, cognoscit differentias omnes, quæ sunt in illo obiecto, & principium ratiocinandi si tale animal sit homo, vel sentiendi si sit equus, illa tantùm operatione connotata, ratione cuius connotationis ex parte actus tantùm cognosci dicitur principium illius operationis, etiamsi ex parte obiecti cognoscantur omnia principia cum illo identificata.

39 Obiicies quintò ex doctrina modò tradita. Sensatio tantùm dicit ordinem ad principium sensitiuum: ergo sensatio tantùm ducit in cognitionem principij sensitiui. Respondeo sensationem dicere ordinem ad principium illud, à quo procedit, ex quo fit nullam sensationem dicere ordinem, neque esse connexam cum sensitiuo in communi, neque cum puro sensitiuo, seu non identificato cum alia differentia, quia nulla est sensatio, quæ procedat à sensatiuo in communi, neque à puro sensitiuo, quælibet enim procedit à sensitiuo identificato cum aliqua differentia, ab homine videlicet, vel ab equo, cum quo habet connexionem, & in cuius cognitionem ducit tanquam in terminum connexionis, & relationis, sensatio enim hominis non magis refertur, neque connectitur cum animali, quàm cum rationali, sed ad vtrumque refertur, quia ab vtroque tanquam ab eodem principio, eadémque simplicissima entitate procedit; & sic sensatio equi æquè refertur ad hinnibile, & ad animal, & sic de quacumque alia sensatione in particulari. Dicitur autem sensationem procedere ab homine vt animali, & non vt rationali, non quia hæc sensatio, quæ de facto ab homine procedit, per se ipsam non procedat à rationali, sed quia potest dari alia sensatio, quæ non dependeat à rationali, & nulla potest dari, quæ ab animali non rationali, sed cum alia quacumque differentia identificato procedat, quod fundamentum tribuit intellectui, vt sensationem tribuat formalitati animalis, & non formalitati rationalis, vt in simili dixi Punct. 4.

Instabis: Etiamsi sensatio hominis connectatur cum homine, & in illius ducat cognitionem, & sic sensatio equi, & quælibet sensatio in particulari, sensatio tamen vt sic vniuersaliter sumpta tantùm ducit in cognitionem animalis secundum se præcisi ab omni differentia. Respondeo sensationem vt sic ducere in cognitionem animalis vt sic, quod non est ratio aliqua animalis à differentiis ex parte obiecti præcisa, sed quoddam aggregatum specierum animalis, quæ tantùm cognoscuntur connotatis operationibus similibus non connotatis dissimilibus, quæ cuiuslibet speciei propriæ sunt. 40

Obiic. sextò. Potest considerari calor fluens ab agenti, & non receptus in passo: ergo potest considerari actio, quin consideretur passio, seu receptio, cum quibus est identificata. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia defectus cognitionis caloris vt recepti in passo non prouenit ex eo, quod non cognoscatur totum illud, quod intrinsecè est receptio, sed ex eo, quod non cognoscatur passum, seu subiectum distinctum à receptione in ordine ad quod eadem formalitas actionis dicitur passio, & receptio. Itaque eademmet entitas ex eo, quod cognoscatur cum subiecto dicitur cognosci formaliter vt passio, & eadem intrinsecè inuariata cognita secundùm easdem formalitates intrinsecas, ex eò quòd cognoscatur connotato principio tanquam potentia, cuius illa sit actus dicitur passio, actio enim vt actio non differt à passione vt passione in ordine ad intellectum per aliquid identificatum cum actione, & passione, quæ in re sunt idem, sed per diuersa connotata, seu per eadem diuersa cognita. 41

Obiicies septimò. Actio vt actio non distinguitur obiectiuè per aliquod prædicatum illi intrinsecum à passione cum qua identificatur: ergo non potest cognosci actio vt actio quin cognoscatur passum. Sequelam probo: Passio vt passio dicit ordinem ad passum: sed actio vt actio nō distinguitur à passione: ergo actio vt actio dicit ordinem ad passum tanquam ad potentiam cuius illa sit formalis actus, eadem ratione quá passio dicit eumdem ordinem. Respondeo negando sequelam. Ad confirmationem dico actionem vt actionem entitatiuè & ex parte obiecti, adhuc per rationem, non distingui à passione, distingui autem in ordine ad nostrum modum concipiendi. Vnde licet formalitas actionis, & passionis sint idem obiectiuè, quia tamen distinguuntur formaliter ex nostro concipiendi modo, debent cognosci per diuersa connotata extrinseca, per quæ formaliter distinguuntur, quia eadem indiuisibilis formalitas cognita cum principio actiuo tanquam cum potentia cuius sit actus dicitur actio, & cognita cum principio passiuo tanquam cum potentia cuius sit actus dicitur passio. Instabis: Entitas intrinseca passionis habet connexionem essentialem cum passo: ergo si cognita actione necessariò cognoscitur passio, cognosci debet id, quod cum passione connexum est: ergo debet passum cognosci eodem modo, quo cognosceretur passione cognita eo ipso quod cognoscatur actio. Respondeo entitatem intrinsecam, tam actionis, quàm passionis habere connexionem essentialem cum principio actiuo, & passiuo, quia quidquid conuenit actioni realiter, debet realiter passioni conuenire, & è contrà; posse tamen entitatem intrinsecam, actionis, & passionis eamdem omnino cognosci sine extremis, 42

ad quæ dicit ordinem, quia cognitio confusa respectus, seu relationis non requirit cognitionem omnium extremorum, ac proinde eadem formalitas realis actionis & passionis, seu idem vtriusque respectus aliquando cognoscitur cum principio actiuo cuius est actus, & dicitur cognita formaliter vt actio, & non vt passio, etiamsi ex parte obiecti formalitas intrinseca passionis cognoscatur; aliquando verò eadem formalitas, seu idem respectus cognoscitur cum altero extremo videlicet principio passiuo cuius est actus, & tunc denominatur passio, & differt ab actione per connotatum extrinsecum videlicet subiectum, seu potentiam passiuam, cuius est actus. Itaque cognitio actionis, & passionis ad eamdem formalitatem intrinsecam tenentè se ex parte obiecti directi terminatur, quia tantùm per connotata extrinseca differunt actio & passio, ratione quorum eadem formalitas modò actio, modò passio denominatur.

§. VI.

Soluuntur argumenta, quæ præcisiones obiectiuas propugnant in ente increato.

42 SVspecta fuit olim opinio, quæ præcisiones obiectiuas admittit in Deo vt notat Hurtadus disp. 6. sect. 4. subsect. 6. modò tamen non desunt, qui existiment non posse sine illis veritas mysterij Trinitatis defendi. Vtraque tamen sententia longè abest ab omni censuræ calumnia, & ab illa omnino est independens veritas mysterij Trinitatis, & cuiusvis prædicati intrinseci Deo. Ratio est perspicua: Hæc rationis distinctio, seu hic modus præscindendi, siue formalis, siue obiectiuus, formaliter consistit in nostra cognitione: sed quidquid est in Deo est independens à nostra cognitione: ergo est independens ab his formalitatibus obiectiuis: ergo, siue ego præscindam, siue non præscindam, essentia diuina communicabitur, & paternitas non communicabitur: ergo quacumque præcisione, siue obiectiuâ, siue tantùm formali admissâ, hæc propositio, *essentia communicatur*, erit vera, & hæc propositio, *Paternitas communicatur*, erit falsa, siue essentia, & Paternitas ex parte obiecti, siue tantùm ex parte actus præscindantur, eodem enim modo loquimur de his, quæ ex parte actus præscindimus, ac si ex parte actus præscinderemus, & in ordine ad hæc prædicata *communicatur, & non communicatur*, non tantùm loquimur de essentia, & Paternitate etiamsi tantùm ex parte actus distinguantur, eodem modo ac si præscinderentur ex parte obiecti, sed eâdem etiam ratione, ac si ex parte rei realiter distinguerentur.

43 Hac ratione ductus affirmo negandas esse præcisiones obiectiuas in formalitatibus increatis. Ita Nominales omnes apud Hurt. suprà: & Caiet. & Fonseca, qui præcisiones obiectiuas in creaturis admittunt, illas in Deo negant apud eumdem Hurt. §. 137. Consentit P. Valentia in Contr. lib. 1. de Trinit. cap. 230. & 1. parte, disput. 2. quæst. 4. punct. 1. vbi asserit mysteria in Deo defendi per distinctionem virtualem independenter ab omni rationis distinctione. Neque Soar, & Vasquez, aliíque quàm plures, qui à Nominalium sententia recedunt eam impugnant, quia aliquid ex illa contra naturam Mysteriorum Dei inferatur. Accedunt P. Soar. lib. 4. de Trinit. cap. 7. & 8. Arrubal. 1. part. t. 2. disp. 101. Granados t. 3. 1. partis, tract. 30. disp. 4. sect. 2. qui docent relationes includi in essentia diuina adhuc per intellectum, ita vt sine conceptu metaphysico illarum essentia diuina non possit cognosci, neque possint mutuò ab essentia præscindi, sine quo putat mysterium Trinitatis non posse componi, quasi esse Dei infinitum, & increatum, Trinum, & vnum dependeret à nostris conceptibus, & ab imperfectione cognoscendi illorum. Standum ergo est sententiæ, quæ has præcisiones obiectiuas Deo negat, quia nihil speciale est, quod has præcisiones obiectiuas in formalitatibus increatis propugnet, vt ex solutione argumentorum constabit.

44 Obiicies primò. Si in diuinis non datur abstractio, qui cognoscit naturam Dei, cognoscit personalitates diuinas: ergo qui cognoscit Deum vt vnum, illum cognoscit vt trinum cum personalitatum Trinitas ab essentiæ vnitate non distinguatur. Respondeo verum esse cognoscentem essentiam diuinam eadem cognitione attingere entitatiuè personalitates, vt mysterium Trinitatis, non tamen mysterium cognoscere per conceptum respondentem his vocibus *Deus est trinus, & vnus*, sed per alium confusiorem respondentem his vocibus *Deus est vnus* ex vi cuius Deus Trinus & vnus, qui de facto cognoscitur, non discerneretur ab alio Deo non Trino, si per impossibile daretur, vel si mente fingatur, à quo secerneretur Deus Optimus Maximus respectu intellectus cognoscentis per alium expressiorem conceptum respondentem his vocibus, *Deus est trinus, & vnus*, & ita naturalis Philosophus, qui ex creaturarum cognitione tantùm Deum cognoscit, etiamsi ex parte obiecti Trinitatem attingat non potest dicere *Deus est trinus, & vnus*, neque aliquid cogitare de Deo trino, & vno vt distincto ab alio ficto, qui non esset trinus, sed tantùm vnus. Ac proinde Philosophus qui ita confusè Trinitatem cognoscit, perinde se habet ac si illam non cognosceret, sicuti qui apprehendit tantùm rationem præcisam animalis, est ex vi illius cognitionis attingat differentias indiuiduales Petri, qui est animal, nihil potest de Petro vt distincto ab omnibus animalibus ex vi illius cognitionis iudicare, & perinde se habet respectu Petri cogniti ac si illum non cognosceret. Cognoscere enim aliquod obiectum ex parte obiecti tantùm, & non ex parte actus, non dicitur simpliciter cognoscere in ordine ad intellectum cognoscentem, sicuti non dicitur potentiam visiuam videre relationem transcendentalem coloris, quia illam ex parte actus non videt, etiâsi ex parte obiecti relatio illa attingatur per actū.

Instabis: ergo diuerso modo cognoscit Philosophus vnitatem essentiæ, & Trinitatem personarum siquidem potest affirmare Deum esse vnum, & non potest affirmare Deum esse trinum, ex vi cognitionis, quam ex effectibus à Deo productis depromit. Respondeo: quamcumque affirmationem, seu cognitionem tendentem in Deum vt vnum, tendere in Deum vt trinum non per conceptum expressum respondentem his vocibus *Deus est trinus*, sed per alium confusiorem respondentem his vocibus *Deus est vnus*, ex vi cuius Deus trinus, & vnus tenens se ex parte obiecti confunditur cum alio Deo, qui esset, vel qui fingi potest vnus tantùm & non Trinus. Quæ diuersitas conceptuum non est formaliter, & directè in obiecto primariò cognito, sed formaliter in ipsis cognitionibus, & obiectiuè in mediis quibus obiectum directum cognoscitur. Quia quando formatur conceptus respondens his vocibus *Deus est vnus*, cognoscitur obiectum per connotata distincta ab illis, quibus cognosceretur idem obiectum per conceptum respondentem his vocibus *Deus est trinus, & vnus*. 41

45 Obiicies secundò. Etiamsi essentia sit eadem cum personalitatibus, essentia communicatur, & Paternitas non communicatur: ergo datur distinctio virtualis inter essentiam, & Paternitatem: ergo ex vi huius distinctionis poterit vnum sine alio cognosci: ergo ex eo quod essentia terminet cognitionem, & non Paternitas; non inferetur duplex contradictorium, videlicet cognosci, & non cognosci eamdem entitatem. Respondeo has propositiones, essentia communicatur, & Paternitas non communicatur, esse admittendas propter reuelationem Dei, & distinctionem virtualem in ordine ad hæc prædicata, si ex veritate illarum infertur talis distinctio. Non tamen ideo licet nobis sine alia reuelatione alia similia prædicata in quacumque materia confingere, alias possemus quàm plurima concedere, in quibus esset eadem difficultas, idémque mysterium ac in Trinitate. Ac proinde admissis reuerenter propositionibus de fide in argumento propositis, & admissâ distinctione virtuali in ordine ad illa prædicata, nego eamdem distinctionem in ordine ad alia extrinseca Trinitati, nolo enim multiplicare mysteria, neque ad illa recurrere in re purè naturali, & Philosophica, & facilia per difficillima explicare. 46

Obiic. tertiò. Defendi nō posse plures propositiones spectantes ad mysteria fidei sine hac præcisione obiectiua, quia si in conceptu obiectiuo naturæ includitur Paternitas ex parte obiecti, cùm dicimus *natura communicatur*, quod est de fide, dicemus, *Paternitas communicatur*, quod est hæreticum: ergo vt hæc propositio *natura communicatur*, defendi possit, necessum est has obiectiuas præcisiones admittere. Idem dico in hac propositione *Filiatio producitur*, cuius subiectum si ex parte obiecti naturam includeret, esset idem ac dicere *natura producitur*, quod dici nequit, similiter in hac propositione *Verbum fuit immediatè vnitum humanitati* si ex parte subiecti includitur obiectiuè respectu cognitionis tota Trinitas, quia Verbum identificatur cum essentia, & hæc cum tota Trinitate, sequitur esse idem, ac dicere, *tota Trinitas fuit immediatè vnita humanitati*, quæ omnia sunt absurda & manifestè contra fidem Catholicam. 47

Fateor

48 Fateor tamen difficultatẽ grauissimam esse, verumtamen ad rem, quam modò tractamus nullius momenti esse censeo, quia non oritur ex affirmatione, vel negatione præcisionum obiectiuarum, à quibus independentia sunt tanta mysteria, sed tantùm oritur ex ipsa intrinseca natura, & excellentia mysteriorum, quod sic probo. Beati qui Deum intuitiuè vident cognoscunt, & verè enunciant obiectum harum propositionum : *Essentia communicatur : Paternitas non communicatur : Filiatio producitur : essentia non producitur: subsistentia Verbi immediatè vnitur naturæ humanæ: essentia Verbi non vnitur immediatè naturæ humanæ*, & tamen non præscindunt ex parte obiecti inter essentiam, & relationes, de quibus prædictæ fiunt enunciationes: ergo veritas illarum enunciationum independens est ab obiectiua præcisione. Respondet Arriag. suprà subsect. 3. prædictum argumentum euincere ex parte obiecti præscindi non solùm à beatis, sed etiam à Deo cognoscente essentiam communicari & Paternitatem non communicari; Filiationem produci, & essentiam non produci. Desumo ex hac solutione prædictum argumentum non specialiter pugnare contra sententiam negantem has præcisiones obiectiuas factas per cognitiones abstractiuas, sed contra communiorem Philosophorum, & Theologum sententiam, quæ huiusmodi præcisiones per cognitiones intuitiuas creatas, & per diuinam increatam fieri non posse defendit.

49 Respondeo verum esse obiectum cognitum ex parte subiecti per hoc iudicium *natura communicatur*, esse idem cum obiecto cognito ex parte subiecti per hoc iudicium *Paternitas communicatur*, nihilominus prima propositio est summè vera, & secunda summè falsa, nam nos loquimur de eisdem conceptibus obiectiuis cognitis per diuersa media, ac si essent distincti, sicut enim præscindentes obiectiuè loquuntur in hoc mysterio de formalitatibus tantùm per intellectum præcisis eodem modo, ac si à parte rei essent distinctæ, sic similiter de eodem obiecto cognito per diuersa media loquimur in hoc mysterio ac si esset distinctum, & dicimus *natura communicatur*, & non possumus dicere *Paternitas communicatur*, quia licet idem sit obiectum cognitum ex parte subiecti, est tamen diuerso modo cognitum.

50 Secundò Respondeo aliquando non esse idem subiectum verificationis & prædicationis, cum enim currente Petro enuncio *aliquis homo currit*, cursus verificatur de Petro, qui indifferenter tamen prædicatur de Petro, & Ioanne, cùm enim dico *aliquis homo currit*, etiamsi Petrus currat, & non Ioannes, non magis affirmo Petrum currere quàm Ioannem, resoluitur enim propositio *Petrus currit, vel Ioannes currit, &c.* & sæpè sæpiùs ego qui enuncio aliquem hominem currere, nescio an sit Petrus, vel Ioannes. Ex hac subiectorum diuersitate respondeo in præsenti materia in hac propositione *natura communicatur*, subiectum cognitionis esse naturam, & relationem, & totum quod est in Trinitate, subiectum tamen verificationis tantùm esse naturam, quia de illa verificatur hoc quod est communicari, non de personalitatibus. Similiter in hac propositione *Filiatio producitur*, subiectum cognitionis est tota Trinitas, subiectum verificationis est filiatio, & non natura, quia filiationi conuenit prædicatum *producitur*, & non naturæ. Similiter in aliis propositionibus respondendum est distinctione prædicta subiecti cognitionis, & verificationis.

51 Insultabis forsan : nos iam admittere tuas præcisiones, præscindimus enim naturam à filiatione in ordine ad hoc prædicatum *communicatur*, & filiationem à natura in ordine ad hoc prædicatum *producitur*. Respondeo hoc non esse præcisiones obiectiuas admittere, sed mysterium Catholicè confiteri, quia verificatio huius propositionis *natura communicatur* non desumitur in ordine ad obiectum vt existens tantùm intentionaliter in cognitione, quâ dicitur, *natura communicatur*, sed in ordine ad obiectum vt existens à parte rei, veritas enim cuiuslibet propositionis desumenda est ab obiecto non tantùm vt cognito, sed vt existenti. Constat autem fide Catholica à parte rei, naturam non produci, & communicari, & filiationem produci, & non communicari: ergo necessariò dicendum est in hac prædicatione *natura communicatur*, verificationem desumi à natura, & non à filiatione, & in hac propositione *filiatio producitur*, verificationem desumi à filiatione, & non à natura, quod non est præcisiones obiectiuas & intentionales admittere; sed rem explicare provt existentem à parte rei. Quomodo autem de rebus identificatis naturâ videlicet; & filiatione possint diuersa prædicata verificari, est idem ac eamdem naturam communicari, & non communicari filiationem identificatam cum illa, quod meum non est in præsenti explicare, sed ex fide supponere, quia in hoc tota difficultas Trinitatis sita est, ad cuius explicationem necessum esset totam materiam de Trinitate pertractare.

52 Obiicies vltimò : In hac prædicatione, *natura producitur*, quæ est hæretica, subiectum cognitionis non tantùm est natura, sed etiam filiatio: ergo potest dici prædicatum *producitur* verificari de filiatione contenta in subiecto prædicationis, ac proinde esse veram. Resp. in omni propositione prædicatũ debere verificari de subiecto formaliter cognito tam ex parte obiecti, quàm ex parte actus, ac proinde vt hæc propositio esset vera *natura producitur* deberet verificari non de quocumque subiecto prædicationis, sed de subiecto formali videlicet natura, cùm tamen implicet verificari de natura, implicat propositionem esse veram.

53 Quod si adhuc his solutionibus non acquiescas, & asseras necessarias esse præcisiones obiectiuas ad loquendum de mysterio Trinitatis, illas in Deo admitte, in quo distinctionis virtualis ope defendi possunt, certum est enim admittendas esse, si non possumus sine illis defendere propositiones, quas fide traditas habemus; si enim ad has defendendas necessariæ sint; iure optimo distinctio virtualis in ordine ad has præcisiones adstruitur, vnum enim tantùm vellem fixum esse apud omnes distinctionem hanc virtualem non nisi vrgente ratione in Deo esse ponendam in ordine ad aliqua prædicata, & in creaturis nullo negotio esse admittendam, quia si semel admittatur, tota euertitur Philosophia, & Metaphysica, & diuina omnia mysteria rebus creatis absque vlla directione confundimus.

54 Postquam hæc in lucem proderem nouus quidam huius quæstionis suppositum negat forsan, vt se ab illa facile expediret. Asserit præcisionem formalem, & obiectiuam intelligendam non esse eo modo, quo nos de illa disputamus, sed has præcisiones desumendas esse illarumque differentiam ex fundamento, quod datur distinctionis, nam si fuerit solum fundamentum rationis ratiocinantis, erit præcisio ab intellectu facta solum formalis, si verò fuerit fundamentum rationis ratiocinatæ etiam erit præcisio obiectiua. Ratio est quia hæc præcisio non est separatio, aut circumscriptio realis, sed solum intentionalis; & ita dicetur esse subiectiuè, vel obiectiuè, non quia fit in ad extra, sed ex diuerso fundamento, quod reperit intellectus ad suam præcisionem. *Prado 1. par. Controu. 10. art. 7.*

55 Impugnat etiam explicationem terminorum præcisionis formalis, & obiectiuæ, seu sensum quæstionis, in quo nos illam tractamus ex D. Thoma in 1. dist. 2. q. 5. art. 2. vbi inquit ille illam impugnasse Angelicum Doctorẽ his verbis. *Quidam autem dicunt, quod ista attributa non differunt, nisi penes connotata in creaturis, quod non potest esse, tum quia causa non habet aliquid ab effectu, sed è conuerso, vnde Deus non dicitur sapiens quia ab eo est sapientia, sed potius res creata dicitur sapiens in quantum imitatur diuinam sapientiam.*

56 Demus verum esse Angelicum Doctorem impugnasse præcisiones formales, quas nos defendimus, & de quibus disputamus, ex hoc habeo de illis quæstionem fuisse institutam in qua pro parte negante quosdam suppresso nomine solita sibi modestia refert Sanctus Thomas, teneat igitur iste Thomista sententiam, quam Angelici doctoris esse putat; quæstionem autem de medio non tollat, quod si illius principiis eam aggredi non vult, alios vtiliter de illa agentes non impediat.

57 Hoc dixi dato, & non concesso quod D. Thomas præcisiones formales in sensu à me exposito impugnasset, quod verum non est, loco enim citato D. Thomas tantum asserit rationem formalem attributorum esse Deo intrinsecam in eo existentem non constitutam, neque deriuatam, aut emẽdicatam aliquo extrinseco vt constat ex verbis eiusdem articuli. *Sic ergo dicendum est, quod in Deo est sapientia, bonitas, & huiusmodi quorum quodlibet est ipsa diuina essentia, & ita omnia sunt vnum re, & quia vnumquodque eorum est in Deo, secundum sui verissimam rationem, & ratio sapientiæ, non est ratio bonitatis, in quantum huiusmodi relinquitur, quod sint diuersa ratione non tantum ex parte ipsius ratiocinantis; sed ex proprietate ipsius rei.* Hæc D. Thomas, quibus solum intendit, & tradit attributa quæ ratione distinguuntur importare veros conceptus reales intrinsecos Deo, & cum ipsa essentia identificatos. Ex quo infert non distingui distinctione rationis ratiocinantis, sed ratiocinatæ, hoc est non distingui distin-

ctione non habêre,sed habente fundamentũ in re,talia esse attributa,&nõ cõstitui rationes attributales,quas per rationẽ distinguimus per cõnotata extrinseca probat ratio adducta in priori testimonio relato his verbis.Quia causa nõ habet aliquid ab effectu,sed è conuerso. Insuper D.Th. positiuè docuisse sententiam affirmantem non dari præcisiones obiectiuas,sed formales eo modo, quo nos illas exponimus pluribus , & efficacissimis testimoniis Doctoris Angelici probat Puente,Hurtado disp.6.Metaph.sect.4.subs.3.

58 Has præcisiones formales tenentes se ex parte actus tradiderunt Nominales,Gabriel,Ochamus,Major,& Gregorius, quos refert, & accuratè exponit Puente Hurtado sect. 4. à tota subsect.1. eandemque sententiam refert, & impugnat Vasq.1.p.disp.117.c.1.Demum etsi hanc quæstionem non tractassent , neque in eo sensu intellexissent distinctionem formalem,& obiectiuam,authores antiqui illam tractant sic terminis formalis,& obiectiuæ distinctionis explicatis. Moderni vt videre est apud Puente Hurtado loco citato, & Arriagam in Log.disp.6.sect.2.3.& 4. Vltimo , etsi termini distinctionis formalis,& obiectiuæ improprij essent , id quod per illos explicamus, & clarè disputandum proponimus videlicet an cognitio, qua animal cognoscitur præcisum à rationali ex parte obiecti attingat rationem animalis , rationalis ratione non attacta , quod obiectiuè præscindere vocamus,seu præscindere ex parte obiecti , vel vtramque rationem obiectiuam attingat , ex eoque solum animalis cognitio dicatur,quia vtramque rationem attingit per ordinem ad sensationem, quod vocamus præscindere formaliter seu ex parte actus , & non ex parte obiecti , quæstionem de re importat , quam examinare oportet;ergo etsi termini huic recentiori non placerẽt rem per illos significatam contemnere non debebat.

59 Obiicit Recentior iste:Plura ratione distinguuntur,quæ diuersa connotata,quia non semper habent effectus ad extra,veluti infinitas,& æternitas Dei : ergo non rationis distinctio fit per ordinem ad aliqua connotata. Resp. non solum effectus formalitatis præcisè esse connotata , in ordine ad quæ talis formalitas cognoscitur , sed alia , inter quorum,vel in ordine ad quæ illa apprehendimus,licet in se talem ordinem non habeant,sic præsentiam,& durationem per ordinem ad spacia imaginaria temporis , & loci apprehendimus,& explicamus,cum tamen talia spacia solum sint ficta,& ita realis ordo ad illa dari non poterit.Hac ratione infinitatem Dei per ordinem ad carentiã dependentiæ ab alia similis illis,quas in creaturis agnoscimus,& æternitatem per ordinem ad spacium imaginarium, quod respectu nostri spatium temporis dicimus , quia non illi perpetuo coëxistimus , & respectu Dei spacium extrinsecum æternitatis dici poterit , quia permanet in seipso sine vllo fine,aut limitationi coëxistit illi perpetuo fluenti.

60 Obiicit idem Recentior,quod licet effectus deseruiant quoad nos à posteriori, vt veniamus in cognitionem principiorum,vt docet S.Th.1.p.q.24 art.1.ad 3. tamen loquendo secundum se propria ratio principij vnius effectus, vel operationis antecedenter ad eam debet distingui, vel esse idem cum alia , & ita licet ex connotatis innotescat , vel manifestetur antecedenter ad illa datur distinctio.

61 Oblitus est Recentior iste materiæ, quam scribit:agitur de distinctione rationis facta per cognitionem inter formalitates physicè,& realiter idemtificatas,& obiicit ante nostram in se ipsis habere distinctionem,vel idemtitatem. Supponimus antecedenter,& independenter à cognitione formalitates esse vnum,& idem simplex est absque vlla distinctione reali cum omni physica idemtitate existentes, & de his inquirimus quomodo per rationem distinguantur. Quorsum igitur ad distinctionem,seu identitatem existentem antecedenter ad cognitionem fit recursus.

CONTROVERSIA V.

De diuisione entis in decem prædicamenta.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit prædicamentum, & quâratione ens in decem prædicamenta constituatur.

1 PRÆDICAMENTVM secundùm propriam nominis significationem sumi consueuit pro prædicato,& pro ipsa actione prædicandi, licet propriùs attenta stricta nominis significatione pro prædicatione sumatur, sicuti fragmentum non pro actione frangendi,sed pro re fracta,seu parte illa,quæ per fractionem ab alia separatur propriissimâ nominis significatione desumitur. Celebris est diuisio entis ab Aristotele facta in *substatiam,quantitatem,qualitatẽ, relationem,actionem, pasionem, præsentiam, durationem, situm, habere,* cuius diuisionis singula membra *prædicamenta* vocauit , & ita vulgò dicitur ens diuisum esse ab Aristotele in decem prædicamenta. Hinc oritur quæstio quid prædicamenti nomine intelligatur. Quidam affirmant prædicamenti nomine intelligi res ipsas in obliquo connotantes actus intellectus , quibus fiunt & inter se ordinantur res, quæ in prædicamentis constituuntur. Alij affirmant prædicamentum sumi pro ordinatione rerum,quæ in prædicamento ponuntur,siue hæc in intellectus actibus constituatur,siue in quodam rationis respectu ex intellectus actibus resultante , quæ ordinatio connotat tanquam materiam, vel obiectũ res ipsas,quæ in prædicamento constituuntur.

2 Censeo ens non diuidi ab Aristotele in rerum ordinationes,siue hæ in intellectus actibus , siue in respectu rationis constituantur , sed in res ipsas , nempe substantiam, quantitatem , &c. de quibus ens essentialiter prædicatur tanquam quid superius de suis inferioribus. Moueor quia non dicimus ens diuisum esse in ordinationem prædicatorum,aut specierum substãtiæ,& ordinationem prædicatorum,aut specierum quantitatis, &c. sed in substantiam, quantitatem,&c.ergo membra diuidentia sunt substantia, quantitas, &c. Secundò, Ens diuisit Arist. vt de membris diuidentibus seorsim sumptis commodiùs doctrina traderetur,sed de rebus ipsis, & non de ordinatione specierum ipsarum intendebat Arist. doctrinam tradere : ergo in res ipsas,& non in illarum ordinationem ens diuisit.Vltimò,si Arist.diuisisset ens in ordinationem specierum,seu substantiæ,& in ordinationem specierum,seu prædicatorum quãtitatis , sub nullo membro diuidente constituerentur substantia,quantitas,& alia huiusmodi entia realia , quia ordinationes istæ in omnium sententia, vel sunt entia rationis,vel actus intellectus,quibus hoc prædicatum constituitur superius, illud inferius, hoc genericum , & illud specificum.

3 Ex his infertur quod si strictè dicendum sit ens diuisum esse in decem prædicamenta,prædicamenti nomine res ipsas significari connotantes actus intellectus, vel secundas intentiones,quibus inter se ordinantur,quia ens in res ipsas diuiditur, quæ subsunt actibus intellectus, seu secundis intentionibus,& non in ipsos actus intellectus,aut secundas intentiones. Nihilominus existimo à Dialecticis , & Metaphysicis prædicamentum sumi pro ordinatione specierum,& generum, quæ reperitur in vnoquoque membro diuidenti,ipsi enim inquirunt,quæ res ponantur in prædicamento, quod idem est ac inquirere quæ res ponantur in serie prædicamentorum , quæ ducitur à supremo genere vsque ad aliquod indiuiduum,vt constat ex communi modo respondendi huic quæstioni, quo solemus dicere differentias constitui indirectè,& ad latus,species verò directè & in ipsâ lineâ prædicamentali:ergo nomine prædicamẽti Dialectici,& Metaphysici significant lineam,seu seriem illam,in qua constituuntur omnia prædicata , quæ dicimus ad vnum prædicamentum spectare. Ex his inferes propriè & strictè loquendo ens non diuidi in decem prædicamenta formaliter sumpta, sed sumpta materialiter, hoc est in res ipsas , ex quibus fiunt prædicamenta , seu in res, quæ subsunt decem lineis , seu ordinationibus prædicatorum, quæ ordinationes prædicamenta vocantur.

4 Iuxta doctrinam istam prædicamentum definio:*ordo prædicatorum deductus ab aliquo supremo genere* (ab illo videlicet quod vniuersalissimum est in vnoquoq; membro diuidente rationem entis) *vsque ad indiuiduum vltimum.*Ordo iste consistit in aggregato rationum ex vi quarum hoc prædicatum denominatur genus, istud species, hoc species subalterna,& illud species infima , & alias huiusmodi denominationes superiores, & inferiores prædicata participãt. Si roges cur prædicamentum tantùm dicat seriem prædicatorum à supremo genere contento in quocumque membro diuidenti,& non à supremo genere absolutè,videlicet ab ente, siquidem hoc genus est ad reliqua inferiora. Respondebo prædicamẽti nomen desumptũ fuisse pro classe, seu ordine illorum,quæ sub vnoquoque membro diuidenti continebantur, vt distincto ab aliis,cuius nominis significatio tantum dependet ex libera hominum impositione,

&

& vulgari acceptione vocis, & non ex ipsa rei natura, & ita in hac re ratio alia desideranda non est, eâdem enim ratione, quâ dicimus dari decem prædicamenta possemus dicere dari vnicum tantùm prædicamentum, si prædicamenti nomine significaretur ordo deductus à suprema ratione entis vsq; ad vltimum indiuiduum cuiusuis speciei. Vniuersalitatem, & reliquas huiusmodi denominationes superioris, & inferioris consistere formaliter in actibus nostri intellectus, ex vi quorum, secluso quocunque rationis respectu entitates reales desumunt has denominationes dixi in Logica. Harum aggregatum ab ipsis non distingui simul in intellectu coexistentibus, sicuti aggregatum lapidũ non distinguitur ab ipsis coexistentibus in tali loco certum est. Ex quo infertur prædicamentum pro formali tantùm dicere quid intentionale, videlicet actus nostri intellectus, & nihil aliud in re physicum, vel ratione confictum. Pro materiali dicit quodlibet prædicamentum omnia illa quæ vniuocè significantur membri diuidentis nomine, v. g. prædicamentum substantiæ dicit pro materiali omnia illa, de quibus substantia vniuocè dicitur, & sic de aliis prædicamentis. An verò vniuersalis illa propositio extendenda sit ad substantiam increatam, vel tantùm de creata substantia intelligenda, dicam Punct. 2.

5 Contra hanc entis diuisionem non pauca obiiciuntur. Primò non esse immediatum, quia reliqua omnia membra diuidentia distincta à substantia conueniunt in ratione accidentis, & ita oportebat prius ens diuidere in substantiã, & accidens: deinde accidens in quantitatem, qualitatem, &c. Secundò, quia si Deus non ponitur in prædicamento substantiæ sub nullo membro diuidenti continetur, & ita diuisio entis adæquata non est, diuidendum ergo erat ens in increatum, & creatum, & postea ens creatum in substantiale, & accidentale. Tertiò obiicitur debuisse Arist. substantiam diuidere in viuentem, & non viuentem, spiritualem, & materialem, & pro his singulis singula prædicamenta constituere; sicuti diuisit accidens in specialia accidentia, quibus distincta prædicaméta est impertitus. Quartò obiicitur diuisionem esse vitiosam, quia continet plura membra contra exactæ diuisionis leges. Quintò eâdem ratione quâ constituit prædicamentum *situs*, & *habere* potuisse alia plura assignasse. His omnibus respondeo diuisionem hanc examinandam non esse rigore Dialectico, quia Aristoteles non intendit, dum illam tradit, exactam entis diuisionem tradere, sed ex vastissimo entis conceptu, quo omnia vagantur, ad certas classes illa reducere, vt commodiùs possemus de quocumque ente in particulari disputationem instituere, illiúsque sub determinata classe institutam inuenire. Classes istæ nullâ poterant ratione metaphysica taxari, neque ex natura rei certo quodam numero debebant circumscribi, sed tantùm prudenti quadam ratione designandæ erant, quâ ductus Aristoteles decem congruè instituit, qui posset plures, paucioresve non incongruè instituisse, sicuti qui opus aliquod in octo capita vel disputationes diuidit, potuit idem in plura pauciorave diuisisse, eamdem enim Logicæ materiam apud hunc authorem paucioribus, & apud illum pluribus capitibus sectam inuenimus, & illorum neutrum reprehendimus, quia huiusmodi diuisiones tantùm prudens ratio definit, quæ ad has, aliásve plures se valet extendere absque eo, quod congruæ rationis terminos transgrediatur. Standum ergo est numero prædicamentorum iam statuto, & ab omnibus recepto, etsi aliter potuisset institui, quia ita fuit ab Aristotele traditus, qui illum à se statutum, vel à Pythagorico quodam, nomine *Tarentinus* (vt nonnulli volunt) acceptũ, sua authoritate præfixit, quem nemini licet inuertere, sicuti nemini hodie datur annum in plures, paucioresve quàm in duodecim menses diuidere, licet potuisset in plures paucioribus diebus definitos, vel in pauciores pluribus diebus circumscriptos distribui.

Pvnctvm II.

Quæ entitates ponantur in prædicamento.

1 IN prædicamento rem constitui dicit posse habere rationem subiecti aut prædicati in illa serie, in qua prædicamentum consistere diximus. Ab hac primò relego omnia æquiuoca, & analoga, quæ non conueniunt in ratione generica, à qua descendunt omnia quæ in prædicamento cõstituuntur. Releganda sunt etiam entia rationis, quæ vniuocè cum entitate reali non conueniunt, quod Aristoteles diuisit in decem prædicamenta, quod si volueris pro omni ente rationis prædicamentum aliud instituere, vel decem alia correspondentia decem prædicamentis entium realium conficere, nullâ lege id præstare prohiberis.

2 Accidentia omnia naturâ sua entitates sunt incompletæ, de quibus certum est in prædicamento collocari, diuiditur enim qualitas ex se incompleta in hanc, vel illam qualitatem, tanquam genus in species diuersas. Substantias physicè essentialiter incompletas in prædicamento Aristoteles non constituit, semper enim substantia diuiditur, & subdiuiditur in substantias completas, quousque à supremo genere vsque ad vltimum indiuiduum peruenimus. Hac ratione materia, forma, & vnio seorsim sumptæ in prædicamento non constituuntur; sed tantùm quatenus includuntur in toto composito, quod directè ponitur in prædicamento. De partibus integrantibus, quatenus indiuisibiliter in toto, & quatenus ab aliis compartibus, quibus sunt vnitæ condistinctæ apprehenduntur idem iudicium ferendum est. Partes homogeneæ iam diuisæ à toto, partes non sunt, sed totius ratione retinent; ideo de his vt diuisis agendum non est, inuoluuntur enim implicantes termini cùm dicimus, pars homogenea à toto diuisa, sed tantùm dicere possumus totum diuisum, cuius tota substãtia antea vnita pars dicebatur. Pars heterogenea à toto diuisa transit in totum idem essentialiter cum toto integrali, quod antea constituebat, inadæquatè tantum ab illo distinctum, si eamdem retinet formam; caput enim à corpore abscissum, si eâdem potiretur anima, verè diceretur homo essentialiter completus, sicuti homo dicitur, qui pede, brachiove caret: si vero quod frequentiùs accidit materia huius partis antiquam amittat formam, & aliam adquirat, resultat quoddam totum completum distinctum essentialiter ab illo, cuius pars fuit abscissa; sic manus ab homine truncata iam non est manus, sed quoddam totum inanimatum, quod directè ponitur in prædicamento, sicuti lignum, lapis, & alia huiusmodi.

3 Substantia metaphysicè incompleta diuiditur in genus, & differentiam, ex his natura generica ab omnibus directè in prædicamento ponitur: animal enim directè prædicatur de homine, & directè subiicitur viuenti. Differentiã expungit communis sententia à recta linea prædicamentali, quàm tantùm ad illius latus admitti vult. Hurtadus tamen disput. 9. Metaphys. sect. 4. sententiam Ammonij propugnat asserentis, differentias directè in linea prædicamẽtali esse ponendas, sic pro Ammonio se arguere dicit. Differentiæ ponuntur ad latus vt diuidant genus, & significent oppositionem, quæ est inter ipsas, postea verò ad speciem, quam constituunt trahuntur, & quatenus in hac contentæ in recta linea prædicamentali collocantur, v. g. rationale ponitur in prædicamento ad latus animalis, deinde species, quam constituit videlicet *homo* ponitur in recta linea sub animali: ergo cùm species directè ponatur in prædicamento, differentiã, quatenus in specie contentam, eodẽ modo poni necesse est. Parum Ammonius debet suo propugnatori, est enim omnium communis sententia differẽtias inclusas in specie poni in prædicamẽto, quod tantũ importat poni species ipsas per differentias constitutas.

4 Procedit difficultas de differentiis secundùm se sumptis, de quibus assero directè non poni in prædicamento, quod sic probo: quælibet ratio ponitur in prædicamento, vel, vt prædicabilis de inferiori, vel vt subiicibilis superiori: sed differentia non potest poni, vt subiicibilis generi, quod diuidit, quia de illo prædicatur formaliter; hæc enim prædicatio rationale est animal tantùm est vera in sensu identico, non vt prædicabilis de eodem genere, de quo accidẽtaliter dicitur, neque de specie, quam constituit, respectu cuius inferior non est, sed ad conuertentiam dicitur, non respectu aliũs differentiæ inferioris de qua formaliter nõ prædicatur, sed tantùm identicè, vt contingit in hac propositione. *Rationale est sensitiuum*: ergo nulla alia superest ratio, qua vt prædicabilis in prædicamento possit constitui, nisi vt prædicabilis inferiorum speciei, quam constituit rationale, v. g. vt prædicabile de Petro, & Ioanne, & sensitiuũ vt prædicabile de homine, & equo. Sed adhuc sub hac ratione non poni sic probo: etiamsi rationale prædicetur de homine, vt quid illi superius, hæc prædicatio non descendit per lineam prædicamentalem à ratione suprema prædicamenti, & postquam diximus *Petrus est rationalis*

non

non possumus sursum ascendere prædicatione formali, & dicere, Rationale est animal, aut est sensitiuum, sicuti postquam diximus *Petrus est homo*, possumus dicere, homo est animal, animal est viuens, & sic ascendere vsque ad supremum genus substantiæ: ergo rationale non intrat rectam lineam prædicamentalem, in qua omnia quæ directè constituuntur per prædicationes formales ascendunt vsque ad supremum genus, & descendunt vsque ad vltimum indiuiduum.

5 De Deo Optimo Maximo multi latè disputant, an in prædicamento sit constituendus necne. D. Augustinus de cognitione veræ vitæ cap. 2. Deum amouet à prædicamentis, quia existimat in prædicamento substantiæ tantùm constitui substantias illas, quæ physicè accidentibus subsunt, quod Deo minimè conuenit, in quo nulla datur accidentium compositio, sed summa simplicitas essentiæ cum attributis. Conclusionem D. Augustini absolutè traditam defendit communis Scholasticorum sententia, quæ negat Deum in prædicamento constitui. Deum poni posse in prædicamento substantiæ defendunt Gregorius in 1. distinct. 8. quæst. 3. artic. 2. Gabriel & Ochamus ibidem, quæst. 1. quod tantùm negandum esse ait Hurtadus disputat. 9. Metaphysic. sect. 4. quia aliter Patres loquuntur, quorum vestigia sequi debemus non quia ratio aliqua metaphysica prohibeat Deum in prædicamento constitui. Consentit Arraga disput. 3. sect. 2. qui asserit in sensu vsitatiori, quo in Scholis substantiæ nomen desumitur proculdubio posse poni in prædicamento, licet certum sit ponendum non esse sumpta substantia in sensu, quo illam Augustinus desumpsit, quia in Deo summè simplici non inuenitur ratio substantiæ, quæ accidentibus physicè subsistet. Subscribunt ferè omnes recentes, qui asserunt quæstionem hanc purè esse de nomine. Si placet lege Hurtadum suprà, quia benè dissoluit omnia, quibus probari intenditur Deum non posse poni in prædicamento, quæ non refero, quia omnia parui momenti, & nullius doctrinæ. Certum est naturam diuinam non posse esse communem pluribus inferioribus, quia non possunt plures naturæ diuinæ, neque per intellectum excogitari. Certum est etiam rationem entis infiniti, & increati posse vniuocè dici de omnibus attributis diuinis realiter identificatis, & per intellectum distinctis, certum est etiam rationem personalitatis increatæ, & infinitæ posse vniuocè dici de tribus personalitatibus diuinis inter se distinctis, & cum essentia identificatis. Insuper constat ex doctrina Controuers. 1. Punct. 5. posse mente præscindi rationem entis à Deo, & creaturis, ex vi cuius præcisionis fit vna per intellectum, ex quo infertur posse abstrahi rationem substantiæ à creata, & increata, quod sufficeret vt substantia sic abstracta genus esset ad creatam, & increatam: insuper Controu. 1. Punct. 8. probauimus rationem entis sic abstractam esse vniuocam, quod eadem ratione dicendum est de substantia simili abstractione præcisâ. Certum est intra rationem entis creati, & finiti Deum non comprehêdi, qua ratione excludo cum communi sententia Deum à prædicamentis, & assero hæc tantùm in se claudere entia finita, & creata, non alia ratione nisi quia de his tantùm fuêre instituta, vt significaretur quantum Deus infinitè perfectus à creatura distaret, licet nulla possit ratio efficax assignari, propter quam non potuisset institui prædicamentum quoddam, cuius ratio suprema abstraheret à substantia creata & increata, sub quo posset constitui Deus tanquam ratio particularis indiuisibilis, & immultiplicabilis in alios Deos inferiores, aut similes.

CONTROVERSIA VI.

De primo membro diuidente quod est substantia.

INTER omnia prædicamenta primum sibi locum substantia vendicat, quia hæc est primum ens, & longè perfectius accidentibus, de qua modo hanc constituo Controuersiam.

PVNCTVM I.

Conceptus quidditatiuus substantiæ vt distinctæ ab accidenti explicatur.

§. I.

Aliorum sententia.

VVlgaris opinio substantiam ab accidenti distinguit vsus, per independentiam à subiecto, iuxta quam dicitur, essentiam accidentis esse inhærere, seu dependere à subiecto, & essentiam substantiæ carere hac dependentia, seu inhærentia, in quo sensu explicant communem definitionem substantiæ *ens per se*, qui hunc dicendi modum sectantur. Politiores Neoterici frequenter hunc dicendi modum reiiciunt: quia forma equi est substantia, dependetque à subiecto, & illi inhæret, sicuti dependet, & inhæret quantitas: ergo ex hoc capite non possunt differre substantia, & accidens, siquidem vtrique communis est inhærendi conceptus. Dices subiectum formæ equi hac deficiente exigere aliam, quæ huius loco substituatur, & deficiente formâ accidentali non aliam loco illius expoſcere. Nec vera, neque ad rem solutio: non vera, quia multorum fert opinio, quam tradidi Controuers. 2. Physic. Punct. 7. materiam quatenus est ex se posse sine forma existere. Sed esto non possit: certius est materiam non posse esse sine quantitate, & nullum subiectum posse esse sine præsentia, illique aliam necessariò esse concedendam, si ab hac remoueatur. Non ad rem, quia hæc differentia non pertinet ad inhærentiam, neque ad inhærentiæ negationem spectat: ergo licet ex hoc capite differant substantia, & accidens non benè vtriusque natura explicaretur per dependentiam seu dependentiæ negationem. Solet adduci pro hac sententia D. Thomas 3. part. q. 77. artic. 1. ad 2. Vbi docet proprium substantiæ esse exigere non esse in alio tanquam in subiecto. Ego D. Thomam interpretor de substantia completa, cui hoc conuenit, & non illum de quacumque substantia intelligo. 1

Alij substantiam definiunt, *quod est alicuius constitutiuum*, quod accidenti conuenire non putant. Ego non ex hoc capite formam substantialem ab accidentali discerno, quia harum neutra est constitutiua subiecti, quod supponit, & vtraque constituit compositum, seu concretum compactum ex ipsa, & subiecto: ergo per hanc rationem constituendi in nihilo hæ formæ differunt. Dices formam substantialem, veluti formam equi esse constitutiuam compositi substantialis, & formam accidentalem, veluti albedinem, esse constitutiuam compositi accidentalis, ex quo capite differunt, tanquam accidens, & substantia; quia forma constitutiua compositi accidentalis accidens est, & forma constitutiua substantialis formæ substantiæ essentiam ebibit. Dicis verum, sed principium petis, & explicas idem per idem, inquirimus rationem substantiæ, & illam explicas per constitutiuum substantiæ, cuius naturam venamur. Secundò, ideo totum constitutum ex subiecto, & forma substantiali substantia est, quia forma per quam constituitur, est substantia: ergo priùs est formam secundùm se esse substantiam, quàm totum ex illa constitutum esse substantiale: ergo aliunde explicanda est natura formæ substantialis, non per totum, quod constituit, quod cognosci non poterit, nisi prius forma per quam constituitur nobis innotescat. 2

Plerique conceptum explicant substantiæ per radicem subsistentiæ, illudque ens substantiale appellant, *quod est substantiæ radix*. Reiiciunt multi definitionem hanc, quia substantia radix subsistētiæ non est, & subsistentiæ constitutiuo gaudet. Non placet hæc impugnatio, quia si ex eo quod natura subsistentiam exigit, per ordinem ad hanc in esse substantiæ constituitur, potiori iure subsistentia substantia dicetur, quia per ordinem ad ipsam natura ab ipsa distincta in esse substantiæ constituitur. Reiicio hunc dicendi modum, quia iuxta illum difficilè poterit reddi ratio, propter quam, quantitas aliudve huiusmodi accidens subsistentiæ non sit radix, nunc enim dicimus quantitati subsistentiam non competere, quia est accidens; & si dicamus constitutiuum substantiæ esse subsistentiam exigere, 3

dicemus

dicemus non esse substantiam, quia illi subsistentia non conuenit, vitiosumque circulum manifestè committemus.

4 Hurtad. disput. 10. Metaph. sect. 2. modum alium explicandi substantiæ naturam inuenit: asserit *substantiam esse conceptum quidditatiuum rei, quo durante, res durat, cæteris omnibus mutatis aut circumscriptis.* Hic dicendi modus hucusque coincidit cum alio, quo substantia solet explicari per oppositionem cum accidenti, cuius natura est posse adesse, & abesse, absque subiecti corruptione. Quem dicendi modum ferè omnes impugnat, quia tam forma substantialis, quàm accidentalis abesse potest sine corruptione subiecti, & neutra sine corruptione compositi ex subiecto, & forma; sed occurrit illius author verbis illis, *quo durante res durat*, & docet illam particulam *res* intelligendam esse strictè, de his, quæ absolutè res dicuntur, ac proinde etiamsi durante & deficiente albedine duret, & deficiat album, non tamen ideò dicitur substantia, quia album res non est, talis enim dicitur homo, seu Petrus, non album, neque nigrum. Quid autem sit res, explicat Hurtadus dicens esse id, per quod respondemus quæstioni *in quid*: cùm enim interrogamus quid est hoc? non dicimus esse album, aut nigrum, sed est homo, vel equus: similiter si interrogetur, quid emerimus? respondemus emi equum, bouem, non album aut nigrum: concludit author huius sententiæ n. 10. substantiam esse, quæ est absolutè res, & eam constituit modo explicato, dicitque videri sibi rem hanc deducere ad prima principia.

5 Dicerem ego non ad prima principia, sed ad difficultatis initium per tot implexos circuitus quæstionem traxisse Hurtadum, neque principium aliquod ex quo substantiæ naturam cognoscamus his nominibus dedisse, multa enim sunt, quæ hunc dicendi modum improbant, quorum pleraque illius authorem præuidisse non inficior, sed illorum solutiones nobis non ostendisse existimo, quod sic suadeo. Conclusio est, substantiam esse rem, aut constitutiuum illius, rem autem esse id quo respondemus quæstioni *in quid*, ex quo infero substantiam esse id quo respondemus quæstioni in quid. Legitimam, & per se notâ existimo esse illationem, ex qua sic arguo: Quando agimus de re aliqua artificiali, & interrogamus, quid sit? quisque doctus respondet, est mensa, vel cathedra. Secundò si interrogemus quid emeris? rectè respondebis emi pallium, pileum, vel togam: sed hæc omnia sunt entia artificialia, quorum forma accidens est: ergo rectè respondetur quæstioni in quid entitatibus accidentalibus: ergo sunt res: ergo illis substantiæ ratio competit. Respondet Hurtadus: hæc vulgò *res dicitur* secundùm quid, & non absolutè, quia rectè cognoscitur idem manere lignum destructa cathedra, & rem illam esse lignum, rationémque cathedræ accidentalem esse, seu accidens. Videamus quid rei Hurtadi habeant verba. Inquiro ex quo capite cognoscamus lignum esse rem, & cathedram, quæ lantea fuerat, & iam est destructa, rem non fuisse? non ex definitione, quam tradit Hurtad. quia has entitates artificiales res vocamus; & ad definitionem explicandam recurrit Hurtadus ad notitiam, quam iam aliundè habemus lignum esse rem, & cathedram non esse talem. Rursus sicuti dicimus emisse Æthiopem, qui dicit formam accidentalem. Respondet Hurtadus nos dicere emisse Æthiopem ad discriminandum illum hominem ab aliis. Fateor hoc, sed quid ad rem, si quando interrogas quid emerim, respondeo, emi Æthiopem ad discriminandum hominem ab aliis: ergo iam quæstioni in quid, respondetur per concretum accidentale, siue ob illam rationem: ergo non bene respondemus substantiam esse id, quo respondemus quæstioni in quid.

6 A priori efficacissimè eandem sententiam reiicio. Nomina imposita sunt ad placitum, & omnia sunt extrinseca rebus, quibus imponuntur: ergo ex nomine non potest colligi substantia, seu quidditatiuus rei conceptus, quodcumque enim nomen potuit cuicumque rei accommodari: ergo ex eo quod aliqua entia vocentur hoc nomine *res*, non potest colligi, an sint substantia, vel accidens. Dices verum esse hoc nomen res impositum fuisse accidentibus, iam tamen solùm esse substantiis impositum: sed vnde hoc tibi constet inquiro, hoc enim per se non est notum, & quo lumine appareat albedinem non gaudere nomine res prorsus ignoro: sed esto, do gratis, nomen res tantùm impositum esse substantiis significandis, & deinde probo malè illo explicari quidditatiuum substantiæ conceptum, quia si ego inquirerem, quid est gladius, & responderes quod vocatur nomine entis, æquè illius naturam ignotam relinqueres, non enim ex nomine possem ego illius essentiam agnoscere: sic in præsenti contingit; inquirimus quid sit substantia, respondes, id, quo respondemus quæstioni *in quid*: rogamus vltrà, quo respondemus quæstioni in quid? respondes illo quod vocatur *res*, vnde de primo ad vltimum, substantiam definis per illud, quod vocatur *res*, quâ definitione non explicas, sed confundis substantiæ naturam, magis enim nobis innotescit per hoc nomen, *substantia*, quàm per hoc nomen *res*, quia apud omnes constans est quantitatem, albedinem, & alias entitates, quas accidentia vocamus, non gaudere hoc nomine *substantia*, & apud multos hoc nomen *res* etiam supposita hominum impositione ad significandum æquè quadrat substantiæ, & accidenti.

7 Propiùs ad veritatem accessit Arriaga disp. 4. Metaph. sect. 6. vbi sic substantiæ essentiam explicat, *substantia est quidquid intrinsecè constituit primam rem*: nomine primæ rei intelligi vult, id, quod primò, & per se intenditur à natura, vel primò, & per se existit, vel quia est prima radix cæterorum. Sub hac definitione comprehenduntur Deus, & Angelus, & quodcumque totum simplex, siue materiale, siue spirituale, comprehenditur etiam materia prima, quia hæc omnia sunt prima entia, quæ nullum aliud supponunt, quod efficiat, sed sunt prima subiecta, cui reliqua, quæ cum illis vnum componant debent accidere. Forma substantialis hac definitione continetur, quia est prima radix cæterorum. Ideo enim probauimus Controuers. 3. Physicæ Punct. 1. dari formam substantialem, quia datur vnum principium ex quo passiones, & accidentia omnia, quæ vnius speciei individua comitantur originem trahunt. Si obiicias materiam primam tantùm esse primam radicem: Respondet Arriaga materiam primam indifferentem esse ad hanc, vel illam formam, & consequenter ad has, vel illas compositi passiones, & ita illarum radicem non esse. Quod si detur aliqua materia ad vnam formam determinata, illa tantùm erit principium passiuum accidentium, & proprietatum totius, quod componit, & ita forma erit prima radix actiua harum proprietatum, quod omnes teneri defendere rectè ait Arriaga, vt formam substantialem tueantur; si enim hæc non datur, vt sit prima radix cæterorum, superfluè in quocumque toto constituetur, & nullum supererit fundamentum ad illam defendendam.

8 Obiicit sibi ipse Arriaga, posse produci à Deo substantiam aliquam nullatenus operatiuam compositam ex materia, & forma, & tamen hæc non esset radix cæterorum, quia non esset principium aliquorum accidentium, neque esset primum subiectum, cùm supponeret materiam præexistentem: ergo ratio substantiæ neque dicit essentialiter esse primum subiectum, neque cæterorum esse radicem. Admittit Arriaga substantiam possibilem esse, & asserit illius formam rationem substantiæ participare, quia esset prima radix negatiuè, hoc est, quia non accideret primæ radici, seu quia non radicaretur in alia priori, quod sufficeret, vt non esset accidens, & consequenter vt non esset substantia, quia esset prima res, id est primò, & per se, & propter se intenta à natura, sicuti quælibet simplex substantia. Cúmque videret Arriaga esse primam radicem negatiuè, non esse simpliciter esse primam radicem, addidit substantiam posse per disiunctionem definiri, *id, quod est prima radix cæterorum*, vel *quod ante se non habet aliam radicem.* Neque aliquod inconueniens esse ait per disiunctionem rem definiri, quando aliter non possumus rectam definitionem exhibere: vel aliter posse definitionem substantiæ tradi, *substantia est ens non habens ante se aliam priorem radicem.*

9 Si à substantia demas esse primum subiectum, & esse cæterorum radicem, difficilè poterit illius essentia in hoc conceptu negatiuo non habendi ante se aliam priorem radicem defendi. Cur enim non dicemus modum vnionis habere ante se materiam, & formam tanquam radices, ex quibus oritur, quia vtraque illum exigit. Præcipuè si de modo vnionis partiali per nutritionem acquisito sermo fiat, qui à forma substantiali producitur, & ab eadem exigitur ad perfectionem, & integritatem cõpositi quod constituit: ergo talis vnionis modus radicatur in forma: ergo adhuc negatiuè non conuenit illi ratio primæ radicis.

10 Vrget eadem difficultas in subsistentia, quæ oritur ex prima radice, videlicet ex forma materiæ vnitâ, seu ex natura compositâ ex materia, & forma: ergo subsistentia

adhuc

adhuc negatiuè non est prima radix, siquidem supponit aliam priorem in qua radicatur: sed subsistentia est substantia: ergo ratio substantiæ non est prima radix adhuc negatiuè sumpta. Respondet Arriaga num. 38. nos non cognouisse subsistentiam ratione naturali à priori, neque à posteriori, neque experientia aliquâ, sed solum ex fide, ex qua tantum illius existentiam nouimus, & ita non posse rationem naturalem reddere, propter quam subsistentiam sit substantia, sed rationem ex fide desumendam esse, & sicut omnes quocumque modo definitionem tradant, illam ex fide subsistentiæ applicaret, sic ipsum primæ radicis rationem, in qua conceptum constituit substantiæ eadem fide subsistentiæ tribuere, asserereque esse complementum primæ radicis in ratione primæ radicis, licet ab illa pullulet, & consequenter primam radicem esse inadæquatam cæterorum. Non acquiesco solutioni, fateor enim subsistentiam tantú ex fide nobis esse compertam, ex eadémque nos deducere esse modum substantialem. Verumtamen cùm nobis non constet ex fide, quid sit substantiæ constitutiuum; non illud debemus assignare repugnans modo, quem ex fide substantiam esse nobis compertum est. Potiùs ex eo quod fide nouerimus subsistentiam esse modum substantialem, constitutiuum substantiæ debemus assignare non repugnans tali modo, & quod possit ratione naturali non contradicente tali modo applicari: sed constitutiuum substantiæ ab Arriag. assignatum non potest applicari modo subsistendi, quem ex principiis fidei substantialem esse deducimus, sed rationi naturali repugnat tale constitutiuum huic modo competere: ergo hoc constitutiuum substantiæ ab Arriaga assignatum, non est verum substantiæ constitutiuum, sed chimæricum, & fictitium: ergo aliud nobis quærendum est, neque possumus nos fide protegere ad defendendum subsistentiæ constitutiuum competere, cùm ratio naturalis id contradicit, ex eo enim quod illi non competat, non infertur subsistentiam non esse substantiam, quod esset id quod ex principiis fidei deducimus, sed substantiam non constitui, vt vult Arriaga, per hoc, quod est non habere ante se aliam priorem radicem, quod ego absque periculo errandi in fide verum esse affirmo. Constitutiuum hoc, non competere subsistentiæ probat ratio facta: subsistentia oritur ex natura tanquam ex causa efficienti, & materiali, quæ illam exigit: ergo subsistentia radicatur in natura: ergo supponit aliam priorem radicem. Ergo non habet constitutiuum substantiæ, quod assignat Arriaga, videlicet non habere ante se aliam priorem radicem. Ex hoc infero iuxta hæc principia non posse substantiam complere naturam in ratione primæ radicis, id enim quod non est radix, sed radicatum non potest radicem adhuc integraliter, seu completiue constituere. Confirmatur. Non ex alio capite dici nequit, quantitatem non cõplere naturam, seu suppositum in ratione primæ radicis, nisi quia supponit aliam radicem, ex qua oritur, sed subsistentia similiter supponit aliam radicem ex qua oritur: ergo non potest constituere naturam in ratione primæ radicis. Dices subsistentiam supponere radicem incompletam, & quantitatem supponere radicem completam. Contrà: non ex alio capite potest inferri quantitatem esse extra complementum radicis, quam supponit, nsi quia illam supponit, & in illa radicatur: ergo eodem modo dicendum esset iuxta hæc principia subsistentiam esse *extra complementum radicis quam supponit*.

§. II.

Propria sententia.

10 SVbstantiam ego vulgari definitione definio, *ens per se*, quam sic interpretor. Et clariorem conficio: Substantia *est id, quod primario, & propter se intenditur à natura*: id autem propter se & primario intendi dicitur, quod intenditur propter aliud adæquatè ab ipso distinctum; quod enim intenditur propter illud, cum quo saltem inadæquatè identificatur, propter se intendi dicitur, sic materia, & forma, etsi propter totum intendatur, à qua illarum quælibet inadæquatè distinguitur, propter se intenduntur, quia totum à materia, formâ, & vnione non distinguitur, itaque substantiam definire poteris, *id quod non intenditur propter aliud adæquate ab ipso distinctum*. Totum compositum constans materiâ, formâ, & vnione esse propter se intentum à natura, nullus ex antiquis Philosophis negauit, est enim iuxta ipsorum sententiam primum, & præcipuum ens, propter quod perficiendum natura instituit accidentia, & vitales operationes v.g. intellectionem, & volitionem mediis quibus viuens sibi consuleret, & haberet omnia requisita, tum ad ipsius conseruationem, tum ad ipsius integritatem & perfectionem accidentalem. Formam non primariò, & per se intendi propter materiam tanquam propter finem vltimum, & præcipuum ex eo constat, quod tam materia quam forma intentæ sunt propter compositum, vt illud constituant, & vt existat totum in rerum natura, partes ipsius inuentæ sunt; propter eumdem finem inuentus est vnionis modus, quia videlicet totum existere non poterat sine illo, ideo vt existeret, & vt ex materia & forma resultaret totum, quod est primum, & præcipuum intentum à natura datus est nexus inter materiam, & formam, quo posito totum necessariò resultat. Dixi modò nullum Philosophum ex antiquis negasse totum esse primario, & per se intentum, propter quod, in horum sententia reliqua accidentia sunt instituta, quod non iuxta omnium sententias ratum tradidi: ex his enim qui suppositum fideagnouimus distinctum à composito, quicumque non vulgari ratione ductus dicere poterit, id quod primariò, & per se naturam intendit, esse suppositum, quia natura intendit ens completum, & perfectissimum absolutè inesse substantiæ, cùm autem compositum vt distinctum à supposito non sit absolutè completum, sed compleatur per subsistentiam, per quam vltimò cõstituitur suppositum; non compositum sed suppositum, dicetur vltimò, & primariò per se intentum. Neque ex hoc infertur non posse absolutè dici compositum propter se intendi, quia compositum adæquatè non distinguatur à supposito, & ita etiamsi compositum intendatur propter suppositum, intẽditur propter se, sicuti dixi de materia, & forma quæ etsi propter compositum intendantur, intenduntur propter se, vel saltem non intenduntur propter aliquid ab illis adæquatè distinctum. Habemus ergo totum non intendi propter aliud, vel intendi propter suppositum quod non est intẽdi propter aliud adæquatè ab ipso distinctum, & materiam, formam, & vnionem intendi propter compositum: quod si intendatur propter suppositum, vltimò materia, forma, & vnio propter suppositum intenduntur, cum quo inadæquatè illarum quælibet identificatur, & ita nulla intendetur propter aliquid adæquatè ab ipsa distinctum.

Ex his infero prædictam definitionem rectè materiæ, formæ, vnioni substantiali, & toti composito conuenire, quæ in omnium sententia sunt entia substantialia. Poterat tantum claudicare definitio, quia subsistentiæ, vel supposito non conueniret, in quo non peccare, sed subsistentiam, & ipsum suppositum includere sic suadeo. Habemus fide diuinâ subsistentiam esse substantiã, & suppositũ esse totum substantiale: Sed nullum est caput ex quo possimus confcere subsistentiam & suppositum non intendi propter se, alunde habemus omnes entitates distinctas à subsistentia, quas substantiam appellamus intendi propter se modo explicato: rectè ergo dicemus subsistentiæ, & supposito conuenire hoc, quod est intendi propter se. Confirmatur: quodcumque sit constitutiuum substatiæ non poterit à priori, neq; à posteriori ostendi de subsistentia, de qua tantùm nobis constat principiis fidei distingui à natura, & ex eisdem deducimus esse substantiam: ergo rectè actument cum subsistentia, si constitutiuum substantiæ assignemus, quod ex nullo capite constet illi repugnare, & necessum non est, tale constitutiuũ quærere, quod de illa positiua ratione valeat probari. Affirmo ergo subsistentiam esse substantiam, quia intenditur propter suppositum, quod quidem suppositum intenditur propter se. Eãdem ratione affirmo vnionem hypostaticam naturæ humanæ Christi ad Verbum esse modum substantialem, quia illa intenditur propter Christum, seu propter hominem Deum, qui homo dicit suppositum constans naturâ humanâ Christi, & subsistentiâ Verbi vnitâ per hanc vnionem hypostaticam, quæ se habet instar causalitatis, media qua subsistentia Verbi terminat naturam humanam Christi, & cum illa constituit idem suppositum, quod per se ipsam constituit cum natura diuina.

11

Probaui iam definitionem hanc competere omnibus entitatibus, quæ substantia dicuntur, restat probandum non conuenire alicui ex his, quas accidentia vocamus. In primis non competere alicui dispositioni ad formam substantialem sic probo. Dispositiones ad formam equi intenduntur (idem dico de dispositionibus ad quamcumque aliam

12

aliam formam) propter formam equi, & propter equum constitutum ex dispositionibus : sed dispositiones distinguuntur adæquatè à forma equi,& ab equo constituto ex materia,& forma:ergo intenduntur propter aliquid adæquatè ab illis distinctum : ergo non habent rationem substantiæ Ex hoc capite excludo à ratione substantiæ *quantitatem* , & omnes primas *qualitates*, quæ sunt dispositiones ad formam substantialem, & ad compositum substantiale. Excludo etiam omnes secundas qualitates , quæ oriuntur ex primis,quia si primæ propter se non intenduntur,neque propter se poterunt intendi secundæ,quæ ex primis oriũtur. Ex eodem capite qualitates omnes vitales à ratione substantiæ excluduntur, quia hæ intenduntur,vt perficiant viuens in actu primo,quod supponunt, & à quo adæquatè distinguuntur. Impulsum,lucem,sonum,& alias huiusmodi qualitates eadem ratione inter substantias non annumero,quia omnes inuentæ sunt propter subiecta perficiẽda, vel ob alia munera obeunda, à quibus adæquatè distinguuntur , sic inuentæ sunt species impressæ vt viuens expressam valeat illis adiutum producere : lux propter subiectum quod afficit , tum vt sit obiectum potentiæ visiuæ , quod videatur , & ratione cuius alia obiecta videri possunt , & sic de quibuscunque aliis qualitatibus.

13 *Actiones & passiones* à terminis distinctæ , institutæ sunt à natura propter terminum , vt hic mediis illis existentiã recipiat, ergo intentæ sunt propter aliquid ab illis adæquatè distinctum , ergo non habent rationem substantiæ. Quod si actio , & passio à termino non distinguantur eandem naturam cum illo subibunt , & si terminus sit substantia , actio cum illo identificata substantia erit. Sic creationem Angelo identificatam , quam non repugnare ostendi in physicis,Controu.13.Punct. 2. substantiam censeo esse dicendam. *Relationem* transcendentalem à fundamento, & prædicamentalem à fundamento,& termino non distinguo,ideo eiusdem natura erit transcendẽtalis cum fundamento,& prædicamentalis cum fundamento & termino.Qui autem asserunt relationes prædicamentales esse accidẽtia superaddita affirmant non intendi propter se,sed resultare ex fundamento , & termino , ex quo capite sub prædicta definitione non comprehenduntur. *Præsentia* similiter intenditur propter subiectum , quod afficit adæquatè ab illa distinctum, vt illud constituat in debita distantia ad influxus necessarios ad suam conseruationem recipiendos, & ad agendum , & patiendum : ergo similiter præsentia excluditur à conceptu suprà assignato substantiæ constitutiuo. *Duratio* accidens physicum non est distinctum à re durante,& in sententia, quæ defendit esse speciale accidens superadditum eodem modo de illa , ac de præsentia philosophandum est. *Situs* à præsentia non distinguitur. *Habere* tantùm dicit extrinsecam denominationem , quibus clauduntur omnia accidentium prædicamenta,quorum nulli competit definitio substantiæ à me assignata , ex quo concludo optimam esse , si quidem competit omnibus entitatibus , quas substantias esse tenet Schola , & nulli illarum quæ inter accidentia recensentur.

14 Obiicies : sicut forma equi est propter equum qui resultat ex forma, & ex materia præsupposita , sic calor est propter hoc concretum calidum,quod resultat ex calore, & ex subiecto , quod ad calorem supponitur : ergo sicuti forma equi est substantia , quia non est propter aliquid adæquatè ab illa distinctum, sic calor erit substantia iuxta nostra principia quia non est propter aliquid ab illo adæquatè distinctum,sed propter calidum cum quo inadæquatè identificatur , sicuti forma equi cum equo. Respondeo negando primum antecedens , quia forma equi primariò intenditur propter equum,quem constituit,calor verò non intenditur primariò propter calidum,quod constituit, sed propter subiectum,quod supponit , calidum enim formaliter vt calidum , non intenditur propter se : sed propter subiectum , quod dicit pro materiali , in cuius gratiam natura constituit calorem , vt subiectum quod supponit, constitueret calidum,sic de aliis accidentibus,quæ instituta sunt propter substantias, quas afficiunt mediatè,vel immediatè , vt substantiæ perficiantur, & benè se habeant , vel in ordine ad se , vel in ordine ad aliquam actionem, vel passionem ipsarum.

15 Contra prædictam definitionem , & conceptum quem substantiæ adscripsi nullam difficultatem inuenio , quam præiacta doctrina non præoccupauerit, ex qua facilè erit quancumque dissoluere,constat etiam ex prædicta definitione quæ sit formalis ratio accidentis,eo enim ipso quod ens adæquatè diuidatur in substantiam , & accidens , & substantia definiatur, *id quod primariò propter se intenditur à natura , seu id quod non intenditur propter aliud , à quo adæquate distinguatur* , consequens est accidens definiri, *id, quod intenditur à natura propter aliud à quo adæquate distinguatur.*

Punctum II.

Quid addat natura supra suppositum.

PRæcipua substantiæ affectio est subsistentia , ideo de subsistentia disputatur , cùm de substantia disputatio instituitur.

§. I.

Terminorum explicatio.

1 OPortet terminorum explicationem in hac materia præmittere , vt distinctè nostra procedat disputatio. Natura est id,cui subsistentia coutingit ; natura dicitur totum resultans ex materia, forma , & vnione , etsi totum sit simplex principium primum operationum , cui reliqui modi,& cætera accidentia aduenium. Subsistentia dicitur entitas complens , & perficiens naturam seu totum substantiale suprà explicatum , de natura subsistentiæ,& effectu formali,qui ex illa consurgat dicã Punct.3.Subsistentia hæc quando complet naturam completam sicuti hominẽ vel equum suppositalitas dicitur, & suppositum constituit; suppositum enim dicit naturam substantialem completam subsistentiã terminatam. Si natura hæc rationalis sit,subsistentia non tantùm dicitur suppositalitas , sed etiam personalitas , & totum quod constituit non solùm suppositum appellatur.quod est nomen commune subsistenti adæquato includenti naturam rationalem , sicut includit homo, & irrationalem sicuti includit equus , sed etiam persona, quo speciali nomine gaudet subsistens completum rationale,si subsistentia naturam,seu substantiam inadæquatam perficit,neque suppositalitas, neque personalitas dicetur, subsistens enim inadæquatum, neque suppositum , neque persona dicitur,sic rationalis animus in statu separationis non dicitur persona, neque suppositum, sed tantum subsistens,quia nomina,persona,& suppositum, naturæ tantùm completæ accommodantur.Nec desunt aliqui qui modum illum quo afficitur rationalis animus in statu separationis renuant subsihentiam appellare,sed modum perfeitatis dici volunt,sed immeritò , animus enim rationalis in statu separationis subsistens dicitur , & subsistentia partiali gaudet , neque est ratio aliqua , quæ modum hunc loquendi reprehendat,illumque inducunt rationes omnes, quæ suadent modum afficientem naturam completam subsistentiam esse dicendam.

2 Itaque subsistentia abstrahit à ratione completæ,& incompletæ , & suppositalitas contrahitur ad rationem cõpletæ, abstrahit tamen à pura suppositalitate , quæ afficit naturam irrationalem , & à suppositalitate,quæ afficit rationalem naturam , & dicitur personalitas. Personalitas hæc dicit subsistentiam completam , & afficientem rationalem naturam. Eodem modo quo se habent subsistentia, suppositalitas,& suppositum , se habent inter se subsistens, suppositum,& persona.

4 Hypostasis aliquando idem sonabat , quod substantia ideo recusabant Patres in diuinis admittere tres hypostases , ne viderentur tres substantias admittere , iam verò nomen hypostasis pro eodem sumitur , quod suppositum , licet non rarò sumatur non pro supposito in concreto ; sed pro subsistentia , seu suppositalitate , & in quacumque ex his duabus posterioribus acceptionibus sumatur,verè dicitur dari in diuinis tres hypostases , quia dantur tria suppositа realiter inter se distincta,& tres subsistẽtiæ relatiuæ per quas hæc suppositа cõstituantur.Inuenies aliquando apud Arist hoc nomen,subsistentia,sumptũ pro eodem quod existentia, quia Philophus subsistentiam naturæ superadditam non agnouit , cuius notitiam tantùm ex mysterio Incarnationis assequuti sumus. Vltimò

ne te in hac materia terminum aliquem lateat, scito Græcos hoc nomine οὐσία significasse quod Latini his vocibus *essentia, substantia, natura*, vnde tres personæ *homo ousion* vocantur, id est, vnius essentiæ.

§. II.

Aliorum sententia circa præcipuam difficultatem.

5 SVppositum aliquo modo distingui à natura certum est, siquidem Verbum assumpsit naturam humanam, & non assumpsit hominem, seu suppositum: quæ verò intercedat distinctio inter vtrumque extremum inter Catholicos Controuersiæ materiam præbet.

6 Vetusti Philosophi mysterij Incarnationis ignari naturam à supposito non distinguebant, quibus in re consentire videntur Henr. & Durand. apud Patrem Suar. disp. 34. sect. 2. num. 4. vbi hos refert asserentes naturam, & suppositum tantùm per rationem distingui, sicuti distinguuntur entitas, & ens: Sententia hæc omnino est intolerabilis, quia si homo, & humanitas tantùm differunt ex modo significandi, & per rationem; non verò in re, implicat vnionem hypostaticam terminatam fuisse ad naturam humanam, & non ad suppositum, ex duobus enim realiter identificatis, & tantùm per rationem distinctis non potest vnum vniri, & alterum non vniri, quia vnio est præcisiua: ergo secundùm hanc sententiam Verbum vnitum fuit, non solùm humanitati, sed homini, seu supposito creato: ergo non solùm assumpsit humanitatem, sed hominem, quod hæreticum est: ergo suppositum, & natura, seu homo, & humanitas non tantùm per rationem, sed etiam realiter distinguuntur.

7 Respondere posses pro Durando vnionem hypostaticam posse præscindere inter naturam humanam, & subsistentiam ex eo præcisè, quod per rationem distinguantur, etiamsi realiter identificentur, sicuti eadem met vnio præscindit ex parte Verbi, inter subsistentiam, & naturam, quæ realiter identificantur, & tantùm per rationem distinguuntur, & nihilominus vnio naturæ humanæ immediatè terminatur ad subsistentiam Verbi, & non immediatè terminatur ad naturam Verbi, quia natura humana Christi non est immediatè vnita naturæ diuinæ, sed tantùm personalitati Verbi, etsi personalitas Verbi, & natura diuina identificentur: ergo eadem ratione poterit Verbum vniri immediatè naturæ humanæ, & illam assumere, & non vniri subsistentiæ creatæ, neque illam assumere, etiamsi natura humana, & illius subsistentia creata realiter identificentur. Respondeo naturam diuinam non vniri immediatè naturæ humanæ, & vniri subsistentiam Verbi cum illa identificatam, summum esse nostræ fidei mysterium, quod solùm reperiri potuit in re infinita simpliciter per essentiam, sicuti est diuinum Verbum, illiúsque natura, ratione cuius infinitatis alia his similibus componuntur, sicuti subsistentiam Verbi produci, & non produci naturam cum illa identificatam; naturam communicari alij personæ, & non personalitatem, quæ, aut aliæ his similibus in creaturis admitti nefas est, & ita licet in diuinis possimus, & debeamus admittere aliqua conuenire alicui prædicato, & non alij cum illo identificato, hoc in creatis neutiquam admittendum est, quia in diuinis oritur ex Dei infinitate, ratione cuius sine vlla oppositione possunt competere illa, quæ in creaturis sine contradictione non admittentur.

8 Addo ratione identitatis subsistentiæ Verbi cum natura diuina, humanitatem immediatè vnitam substantiæ Verbi mediatè esse vnitam naturæ diuinæ, subsistentia autem Verbi immediatè vnita naturæ humanæ, neque mediatè, neque immediatè vnitur subsistentiæ naturæ humanæ, quia hæc nullo modo existit eo ipso, quod Verbum sit vnitum humanæ naturæ.

9 Scotus quem sui sequuntur asserit in 3. dist. 1. q. 1. §. *non asserendo*, suppositum non addere suprà naturam aliquid positiuum, sed quid negatiuum, videlicet negationem vnionis actualis ad aliud suppositum, insuper negationem vnionis aptitudinalis ratione cuius anima in statu separationis non est suppositum, quia licet habeat negationem vnionis actualis, non habet negationem aptitudinalis vt vniatur, quia capax est vniri supposito. Si Scoto obiicias naturam similiter esse aptam vniri alteri supposito, respondebit naturam non esse aptam, sed non repugnantem, animam verò rationalem in statu separationis non solùm non esse repugnantem vt vniatur, sed esse aptam.

Hanc opinionem efficaciter satis impugnat Pater Soar. 10
suprà n. 11. ad hominem contra Scotum, & Nominales asserentes posse suppositum creatum alienam naturam terminare, in quo casu natura, vel terminaretur aliquo positiuo, vel negatiuo; si aliquo positiuo iam subsistentia aliena erit quid positiuum, & consequenter omnis subsistentia erit quid positiuum, quia nulla est subsistentia, quæ aliena non sit respectu omnium naturarum, quæ distinguuntur ab illa cuius est propria. Si dicas terminari aliquo negatiuo, manifestè implicat, quia natura non potest vniri negatiuo ni subiecti extranei, quia ad negationem nulla potest positiua vnio terminari, neque negatiua excogitari potest, quia vnio negatiua vnio non est, sed negatio vnionis, & etiam si vnio negatiua vnio dici posset, non apparet in præsenti, quæ vnio negatiua posset hæc esse, neque natura potest immediatè affici negatione subiecti extranei, quia si immediatè illa afficeretur, iam illa negatio non esset aliena, sed propria, illud enim quod immediatè rem afficit, vel quod res per se, & immediatè respicit non potest esse alienum; sed necessariò est proprium, quid enim magis proprium, quam illud quod sine alio medio interiecto respicitur.

Ex hoc argumento aliud probabile satis deducit idem 11
Suarius: Verbum diuinum terminat naturam humanam secundùm subsistentiam, quæ est in Verbo quid positiuum, vt conuincit ratio suprà facta, qua intuli subsistentiam terminantem alienam naturam debere esse positiuam, & in diuinis personis admittunt omnes Theologi, & negari non posset absque insano errore: ergo etiam subsistentia suppositi creati est quid positiuum. Confirmatur: sicuti subsistentia Verbi constituit Verbum subsistens, ex eo quod illius naturam diuinam terminet, ita subsistentia cuiusuis supppositi creati constituit illud subsistens, ex eo quod illius naturam terminet, & similem effectum præstat subsistentia creata naturæ creatæ (loquor vulgari modo iuxta quem dicitur formam tribuere subiecto suum effectum formalem, quem sum moderatus Controuersia sexta Physic. Puncto 3. illi quem præstat subsistentia increata naturæ increatæ salua differentia entis creati, & increati:) ergo sicuti in Verbo esse subsistens est quid positiuum increatum, ita in homine esse subsistens erit quid positiuum creatum.

Rursus arguo contra eamdem sententiam. Si suppositum 11
non addit aliquid positiuum supra naturam sequeretur habere totam perfectionem creatam, quã haberet, si subsisteret propria subsistentia creata, quia tãtùm illi deficeret negatio, seu ablatio vnionis ad Verbũ, per ablationem autem nõ cõstituitur natura magis perfecta, vt acutè notault Soar, sed per additionem. Addo ego per ablationem posse naturam negatiuè perfici, etsi non positiuè, quando ablatio est alicuius positiuæ imperfectionis, in præsenti autem ablatio vnionis ad Verbum non est ablatio positiuæ imperfectionis, quia vnio ad Verbum non est imperfectio positiua naturæ humanæ, sed maxima illius perfectio: ergo natura humana per negationem vnionis ad Verbum non constituitur positiuè perfecta, neque negatiuè, hoc est carens imperfectione, quã haberet seclusã hac negatione: ergo Verbum diuinum assumens naturam humanam assumpsit illam cum omni perfectione positiua, & negatiua, quam haberet si subsisteret propria subsistentia, si subsistentia propria nihil aliud est quàm negatio vnionis ad Verbum. A priori breuiter eamdem rationem expendo. Pura negatio non potest esse perfectio entitatis positiuæ, neque illam perficere: sed subsistentia est perfectio naturæ & illam perficit: ergo subsistentia non est negatio. Maiorem probo: negatio est non ens: ergo non potest esse perfectio, perfectio enim est complementum, & nulla res compleri potest per negationem, quia complementum dicit additionem perfectionis, negatio autem, non est additio, sed ablatio. Minorem probo: si subsistentia non perficeret naturam, illámque compleret penitus esset otiosa, & nullum esset munus, seu formalis ratio, per quam posset constitui, vt constabit ex dicendis Puncto sequenti: ergo dicendum est subsistentiam naturam perficere, & constituere totum subsistens, quod perfectionem addat supra totũ essentiale, seu naturam ex materia, & forma compositam. Conclusio, & ratio robur accipient ex dicendis Punct. immediato de

subsistentia

substantiæ munere, quod non solùm iuxta nostram sed etiam iuxta aliorum sententiam non poterit sine positiua entitate designari.

13 Arguo insuper contrà eamdem sententiam. Definiuit Ecclesia contra Nestorium, in Christo naturam humanam non retinere propriam subsistentiã;sed si subsistentia naturæ humanæ tantùm diceret negationem vnionis ad aliud suppositum, necessaria non esset talis definitio,quia ex apprehensione terminorum constaret naturam humanã vnitam Verbo,non retinere negationem vnionis ad Verbum, quod quãuis amens,& stolidus negare non posset Nestorius terminis apprehensis, & superfluè,ac importunè definiretur, id quod naturæ lumine notum est, videlicet naturam vnitam Verbo non habere negationẽ vnionis ad Verbum, quod esset definire naturam non esse simul vnitam, & non vnitam,& non illi duo contradictoria primò,& per se nota competere. Vltimò solet reiici hæc opinio, quia verbis tantum videtur differre ab opinione Durandi,quia Durandus fatetur in natura substantiali completa necessariam esse carentiam vnionis ad aliam personam, vt possit dici suppositum subsistens propria subsistentia.

14 Alij asserunt subsistentiam distingui à natura ratione connotati,& secundùm secum illa identificari,eodẽ modo quo de relatione prædicamentali dici solet idẽtificari cum fundamento secundùm se,& distingui per terminum tanquam per connotatum : in hanc sententiam nonnulli interpretantur Nominales asserentes cum Scoto subsistentiã tantùm addere supra naturam negationẽ,cum qua sententia volunt cõponere subsistentiam esse quid positiuum adæquatè cum natura identificatum,& negationem superadditam se habere tanquã conditionem. Hac ratione cõponere præsumunt Verbum fuisse vnitam humanitati, & non subsistentiæ,quia potuit assumere naturam non formaliter subsistentem ex defectu cõnotati,sicuti existit fundamentum relationis non formaliter relatum ex defectu cõnotati quando existit fundamentum termino non existente. Contra hos connotatores scribam Controu.9.Punct.4. vbi doctrinam hanc de connotatis, quam ad plures entitates extendunt, in omnibus impugnabo. Sustinet etiam in hac materia specialem impugnationem, nimisque grauem difficultatem, infertur enim ex doctrina tradita in Christo existere subsistentiam creatam naturæ humanæ in se,& secundùm suam entitatem,etiamsi non sit quoad formalitatem,neque formaliter naturam subsistentem reddat, & consequenter infertur assumpsisse Verbum totum reale, & physicum quod dicit suppositum creatum, quod ego non concedam.

15 Doctrinam de connotatis amplexus est Paludan. in 3. dist.6. & alij quos refert Henric.quodlib.3.concl.2.asserentes suppositum non distingui à natura per aliquid intrinsecum, sed per extrinseca connotata, quæ sunt accidentia constituentia idem suppositũ. Reticienda est hæc sententia communi impugnatione exhibita contra omnes connotatores, & speciali contra illam institutа, ex eo quod nulla appareant accidentia, quæ possint neque tanquam connotata suppositũ constituere. Insuper quia Verbum assumpsit naturam humanam cum omnibus passionibus,proprietatibus,atque accidentibus,& ita illam assumpsisset formaliter subsistentem,si per accidentia,tanquam per cõnotata constitueretur subsistens, assumpsit enim naturam,quæ secundùm se,dicit totum quod subsistentiæ est intrinsecum, & assumpsit illam affectam propriis accidentibus, quod secundum hanc sententiam est assumere naturam cum propriis subsistentiæ connotatis in quibus includitur totum id,quod intrinsecè, & extrinsecè in recto, & in obliquo dicit suppositum creatum.

§. III.

Propria sententia.

16 COncludo ex his subsistentiam esse quid reale positiuum naturæ superadditum ; ita fere communis omnium Doctorum opinio, præter illos, quos dedi suprà pro relatis sententiis:ita tenent P.Soar.disp.34.sect.2. num.20. P.Val.3.p t.1. disp.31.c.6. P.Valent.t.4. disp.1. q.4.punct.2. P.Albert. de prædicam. Subst. c.3. q.7. P. Hurtad disp.11. Meraph sect.36. Arriaga disp.4 sect.11. subsect.2. & alij innumeri;consentiunt Thomistæ, in quibus illã tradit Bañez 1.p.q.3.art.2.dub.1.& Capreol.in 3.p. q.4. art.2.disp.4. concluſ.2. vbi pro hac sententia refert Angelicum Doctorem 3.p. q.2.art.2.& 1.p.q.3.art.3. & asserit cõmunem esse Thomistarum Caietani,Ferrar.& aliorum. Probatur prædicta sententia ex separatione subsistentiæ creatæ à natura humana Christi,quam Verbum assumpsit,quæ euidens signum est distinctionis, nihil enim potest separari ab illo, cum quo realiter identificatur : sic in forma prædictum argumentum instituitur. Verbum assumsit naturam humanã, & non assumpsit subsistentiam propriam naturæ humanæ, sed potiùs naturam ipsam nudam propria subsistentia:ergo subsistentia propria humanæ naturæ separata fuit ab eadem natura:ergo ab illa distinguitur. Alio modo idem ferè argumentum constituitur. Verbum assumpsit naturam humanam,& non assumpsit hominem : ergo homo dicit aliquid supra naturam humanam,quod potest ab hac separari:ergo homo seu suppositum humanum dicit aliquid supra naturam,& ab illa separabile, quod subsistentiam appellamus. Hoc superadditum debere realiter,& non solùm per rationem esse distinctum probat ratio suprà facta, separatio enim non inducit tantùm distinctionem rationis, sed realem,idémque ostendi suprà contra Durandum. Hoc reale superadditum non posse consistere in aliquo negatiuo, seu in negatione dependentiæ probaui contra Scoti sententiam. Insuper non posse esse accidentia realia, quæ tanquam connotata suppositum constituant contra Palud. ostendi.Ex quibus infertur debere esse aliquid reale positiuum subsistentiale intrinsecè naturam afficiens.

Conuincit discursus supra factus suppositum humanum 17
dicere aliquid reale positiuum subsistantiale superadditum humanæ naturæ. Ex supposito humano consequentiam faciunt omnes authores ad reliqua suppositа materialia,quorum naturæ ex materia,& forma componuntur, in quibus à paritate hominis subsistentiam naturæ superadditam inferunt esse dandam. Hanc illationem extendere ad suppositum spirituale, cuius natura simplex est, & non constans materia, & forma, v.g. ad Angelum facile non est, contra quam hæc posset institui ratio : Ex eo quod in homine natura constet materia, & forma, non infertur eadem compositio in natura Angelica : ergo ex eo quod suppositum humanum dicat compositionem ex natura, & subsistentia, non infertur eadem compositio in supposito Angelico. Vrgeo:in homine natura dicit duplicem entitatem, materiam videlicet,& formam,& tamen in Angelo tantùm dicit simplicem quamdam entitatem:ergo etiamsi in homine suppositum dicat naturam,& subsistentiam, in Angelo tãtùm dicit simplicem entitatẽ, quæ nullo alio superaddito formaliter erit Angelicum suppositum. Atqui nullum est fundamentum distinguendi subsistentiam à natura præter illud,quod sumitur ex vnione Verbi ad humanam naturam, ex qua tantùm immediatè infertur naturæ humanæ subsistentiam inesse superadditam:ergo si ex hac à paritate idẽ non valet inferri in supposito Angelico,nullum est fundamentum ad distinguendam in Angelo subsistentiam à natura Angelica, sed possumus dicere naturam Angelicam per se ipsam esse subsistentem nullo alio superaddito.

Putauit P.Soar. suprà sect.3. n.11. non posse dari suppositum,in quo subsistentia à natura realiter distincta non sit, ex quo principio rectè defendit subsistentiam Angeli ab illius natura realiter distingui ; verumtamen ipse fatetur n.16. rationem, quà prædictam conclusionem probat, tantùm esse probabilem quamdam coniecturam,cui ego parũ fido, illámque non refero, quia facile à quocumq; poterit dissolui. Sentio ergo possibilem esse naturam spiritualem, quæ secum realiter subsistentiam habet identificatam. Defendo hanc conclusionem, quia nullum contradictionis vestigium inuenio in eo,quod detur talis natura, seu suppositum simplex nullam habens compositionem ex natura, & subsistentia,quod in quæstionibus his similibus vnicum, & potissimum fundamentum est. Meum erat ad corroborandum prædictum fundamentum rationes dissoluere quibus talis subsistentiæ propugnaretur contradictio, verùm nullam hucvsque audiui cuius adhuc mediocris,vel apparens difficultas solutionem desideret.

De suppositis spiritualibus quæ de facto dantur affirmo 18
includere compositionem ex natura, & subsistentia interse distinctis. Id coniicio ex ipsis substantiis spiritualibus,quæ plures alias habent compositiones ex natura,& accidentibus, quæ imperfectiores sunt compositione ex natura, & subsistentia : ergo poterit supposito Angelico tribui hæc compositio,sicuti plures aliæ accidentales,& imperfectiores tribuũtur,non enim congrueret simplicitas substãtialis

suppositi,quæ nimiam arguit perfectionem,cum tot accidentalibus compositionibus,quo enim est suppositum substantialiter simplicius, eò simplicius est accidentaliter, & pauciores habet accidentales compositiones. Fateor nos non posse certo numero metiri quot compositiones accidentales componi possint cum simplicitate suppositi,cùm etiamsi daretur suppositum substantialiter simplex non esset omnino simplex accidentaliter, sed aliquas haberet compositiones,licet pauciores, quàm aliud substantialiter compositum, ideóque prædicta ratione intentum conuincere non præsumo,sed probabiliter morali quadam coniecturâ suadere,quæ in re vtrinque incerta suffragium posset addere sententiæ communi, cuius opposita non firmiori alia innititur ratione.

20 Probo eamdem conclusionem à paritate suppositi humani, in quo anima rationalis spiritualis subsistentiam superadditam habet, ergo etiam totum cõpletum spirituale eamdem subsistẽtiam habebit superadditam. Ad rationem quâ huius illationis vis intendebatur infringi. Respond.in Angelis apertè cognosci deficere rationem corruptibilitatis,ex qua in substantiismaterialibus compositionem agnoscimus ex materia,& forma,ac proinde non possumus circa compositionem istam à paritate arguere, quia constat nobis rationem illius, quod à paritate probare intendimus non esse eamdem in vtraque substantia. Ratio verò,ex qua in substantia materiali inferimus distinctionem ex natura, & subsistentia,videlicet,quia Verbum potest illis vniri hypostaticè, reperitur in Angelis ex mente Pauli iuxta multorum Patrum explicationem, vel saltem nobis non constat oppositum reperiri, sicuti nobis constat Angelos esse incorruptibiles, quod opponitur cum corruptibilitate, ex qua primò deducitur compositio essentialis ex materia,& forma.

21 Suadetur etiam conclusio ex testimonio Pauli quod modo innuebam ad Hebræos 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*,quod licet multi ex Græcis Patribus interpretentur de voluntate redimendi, alij quàm plurimi ex Latinis apprehensionem hanc de vnione hypostatica intelligunt,qui reiici nullo modo possunt,tum propter ipsorum authoritatem,tum quia Græci Patres,qui testimonium illud interprerantur de cura redimendi, non dissentiunt à Latinis;cùm vtraque expositio possit componi,neque vna alteri contradicat : quibus positis sic arguo. Paulus effert beneficium factum naturæ humanæ per incarnationem ex eo,quod non fuit factum naturæ Angelicæ;ergo potuit fieri naturæ Angelicæ:ergo Verbum diuinum potuit vniri naturæ Angelicæ:ergo natura Angelica habet subsistentiam distinctam.Probo consequentiam : ex eo, quod Verbum fuerit vnitum naturæ humanæ infertur naturam humanam habere subsistentiam distinctam : sed Verbum potuit vniri naturæ Angelicæ:ergo natura Angelica habet subsistentiam distinctam : Maiorem admittunt omnes : Minorem probaui ex Paulo iuxta explicationem Latinorum Patrum:Consequentiam probo : Si Verbum de facto fuisset vnitum naturæ Angelicæ natura Angelica esset eadem quæ modò est,sed tunc inferretur habere subsistentiam distinctam:ergo modo idem eadem ratione infertur. Neque alicuius est momenti quod ait Hurtadus,videlicet in multorum sentẽtia Verbum potuisse assumere suppositum, & ita ratione supradicta nostram conclusionem non probari, quia non intendimus ratione prædicta conclusionem demonstrare,ita vt neq; iuxta aliorum principia aliqua possit reperiri solutio, sed iuxta illa quæ probabiliter defendimus per legitimam consequentiam conclusionem deducere. Mitto afferentes ratione supradicta rẽ non probari ex eo quod Verbum potuerit assumere naturam retinentem propriã subsistentiam, destruere fundamentum, quo Patres & Concilia intulere in homine dari subsistentiam distinctam à natura,& hanc propria subsistentia carere in Christo,ex eo quod Verbum illi fuerit vnitum.

22 De mente D.Thomæ in hac re tractat P.Soar.suprà n.18. est enim difficile testimonium desumptum ex 1.p.q.3.art.3. vbi apertè videtur asserere in Angelis naturã non distingui à subsistentia;quod sibi obiecit Caiet. 3.p. q.4. art.2. & tantùm respondit Angelicum Doctorem nondum tractasse mysterium Trinitatis, & Incarnationis cùm prædictum scripsit articulum, & ideo non plenè pertractasse distinctionem suppositi ab indiuidua natura. Digniùs de Angelico Doctore nostri Doctores loquuntur,cum quibus illum interpretor de natura in cõmuni respectu indiuidui, quod intellexit nomine suppositi, & docuit non distingui à natura in communi. Adhibenda est necessariò hæc explicatio ne tantus Doctor sibi contrarius esse videatur, quia 3.p.q.4.art.1.ad 3. docet naturam Angelicam esse assumptibilem à Verbo, posséque ita per vnionẽ hypostaticam præuenire,vt careat propriâ subsistentia, quibus apertè docet subsistentiam à natura distingui. Stat ergo pro sententia suprà tradita Angelicus Doctor, cuius authoritas mihi semper magni ponderis est,& me totum trahit in quæstione pro vtraque sententia vrgenti ratione destitutâ, in qua ab Angelico Doctore, & communiori Theologorum sententia recedendum non est.

Obiicies contra præcipuam conclusionem,quâ diximus subsistentiam distingui à natura. Si naturæ humanæ esset innata subsistentia superaddita natura humana Christi vnita Verbo, & propria subsistentia spoliata esset violenta. Sed dici nequit violentam esse:ergo dicendum est naturæ humanæ non deberi subsistentiã superadditam.Respondet Hurtadus naturæ humanæ Christi nullam fieri violentiam, quia loco propriæ subsistentiæ subrogata est Verbi subsistentia. Consentiunt Recentiores afferentes violentiam non fieri rei;quando si illi inesset appetitus elicitus, contenta esset illo, quod subrogatur loco entitatis, in quam fertur innatus appetitus. Addit Arriaga nihil absurdi esse inferendum, etsi concederetur naturam humanam Christi secundùm appetitum innatum esse violentam. 23

Obiicies secundò. Verbum assumpsit totam essentiam hominis, & non assumpsit subsistentiam : ergo subsistentia non dicit aliquid positiuum, aliàs non assumpsisset totum positiuum, quod dicit homo, & consequenter non assumpsisset totam essentiam.Resp.essentiam hominis dici illius naturam compositam ex materia, & forma quam totam assumpsit Verbum, etsi non assumpserit subsistentiam positiuam,quæ dicitur essentia,seu natura, sed naturæ terminus,seu complementum. Itaque assumpsit Verbum totum quod naturam constituit,non verò illud, quo constituitur suppositum in esse suppositi,quod aliter dici solet Verbum assumpsisse totum,quod dicit homo in recto, non verò illud,quod dicit in obliquo. 24

PVNCTVM III.

Quæ sit formalis ratio subsistentiæ.

FRequenter inquiritur quis sit effectus formalis subsistentiæ,sub quibus terminis eadẽ venit difficultas cum illa,quâ sub præfixo titulo voco,cuius termini magis mihi arridẽt,quia vt sæpe monui,& ex professo tradidi Contr.8. Phys.Punct.3. effectus formalis non distinguitur à composito constituto ex subiecto,& forma,cui talis effectus formalis tribuitur, vnde idem est inquirere, quis sit effectus formalis subsistentiæ?ac inquirere, quid sit suppositum cõstitutum ex natura & subsistentia? Clariùs ergo inquiritur quæ sit formalis ratio subsistẽtiæ:ex qua cognoscetur quid sit suppositum formaliter vt suppositum, & quæ perfectio accrescat naturæ ex eo,quod subsistentia afficiatur. 1

Recedendum est in primis à Caietano, qui docuit 3.p. q.4.art.2. subsistentiam esse rationem formalem ex vi cuius existit natura,& formaliter existens constituitur, quod vt componeret dicebat subsistentiam afficere naturã in priori quodam signo, in quo non supponebatur existens. Sequuntur Caietanum alij Thomistæ,qui pro se referũt Angelicum Doctorem 3.p. q 17. art.2. sed immeritò, quia ibi Angelicus Doctor potiùs oppositum innuit ; asserit enim teste ipso Caietano esse pertinere ad personam vt habentem,seu id quod est;& ad naturam vt principium, seu quo aliquid est. Contra Caietani sententiam agendũ est rationibus quibus probaui Contr.2.Punct.2. essentiam cuiusuis rei non distingui à propria eiusdem rei existentia. Secundò quia adhuc in opinione, quæ essentiã ab existentia distinguit,creatio termiuatur ad rem existentem,& creatio est causalitas ex vi cuius res cum sua exstientia constituitur. Sed subsistentia aduenit naturæ iam creatæ,seu productæ : ergo subsistentia aduenit naturæ iam existenti : ergo natura non constituitur formaliter existens per subsistentiã.Tertiò,si natura existeret per subsistentiam,qua terminatur,natura humana Christi,existeret per subsistentiã Verbi:sed subsistentia Verbi est infinita,& ab æterno existens: ergo existeret per existentiam infinitam, & ab æterno existentem: 2

existentem : ergo non in tempore incepissет , sed esset ab æterno , & Verbo coæua. Dices naturam humanam non fuisse ab æterno vnitã existentiæ Verbi,& ita non fuisse ab æterno, etiamsi Verbi existentia, per quam existit dum est vnita fuerit ab æterno. Contrà:Si natura humana existeret per existentiam Verbi,vnio naturæ ad existentiã Verbi existeret per eãdem existentiam:ergo vnio existeret ab æterno:ergo natura humana Christi,& illius vnio ad existentiã Verbi ab æterno existerent , & ab æterno natura humana Christi esset vnita Verbo,& ab æterno existeret cum vnione,quod falsum est,& ex suis principiis deducere intendo, vt ab absurdo consequentis illarum falsitas deprehẽdatur.

3 Dico secundò cõtra Ægidium in tract. de comp. & Arg. in 3. dist. 6. q. 1. Henr. quodlib. 5. q. 2. rationem formalẽ subsistentiæ non esse subsistare accidentibus,neque naturã constituere affectã,seu accidentibus informatam.Consentiunt omnes moderni,& facilè ostenditur. Actu subsistare accidentibus tanquam materiale subiectũ , ex quo educantur, est illa pati,& actus subsistandi non distinguitur à passione, per quam accidẽs dependet à causa materiali , & hæc influit in illud. Actu informari subiectũ dicit informationẽ, seu vnionem, ex cuius subiectũ redditur informatum : sed subsistentia distinguitur à passione,quæ est accidens,& ab vnione inter subiectum & formã,tum quia vnio naturæ ad accidentia accidens est,tum quia Verbum assumpsit naturã,quin hæc amitteret aliquod accidẽs,seu vnionem aliquã ad proprium ipsius accidens,quæ omnia supposita vnione natura humana Christi retinuit, & non retinuit propriam subsistentiã:ergo subsistentia distinguitur ab inhæsione, & informatione accidentium : ergo ex vi subsistentiæ nullo modo constituitur natura substans accidentibus. Si dicas subsistentiã non tribuere naturæ hoc,quod est actu subsistare,sed posse subsistare,non maiori opera impugnaberis.Posse subsistare media passione dicit potentiam passiuã, seu receptiuã formæ cui subsistandum est.Posse subsistare media informatione dicit posse terminare vnionẽ respicientem formam. Sed natura per seipsam est potens recipere formam, & terminare vnionẽ ad illam;ergo non constituitur potens per subsistentiã. Confirmatur:quantitas in omnium sententia subsistat aliis accidentibus media vnione,&informatione,& non habet subsistentiam:ergo subsistẽtia non requiritur vt subiectum accidentibus subsistet , neque media inhæsione, neque media informatione. Probat hæc ratio à quantitate desumpta subsistentiã non requiri, neque tanquam rationem formalem, neque tanquam conditionem, siquidem quantitas omnino absque subsistentia potest sibi vnire,& recipere alia accidentia. Dices quantitatem non posse primò subsistare,siquidem datur aliud subiectum quod quantitati substet. Resp.quantitatem non posse primò subsistare non prouenire ex defectu potentiæ ad subsistandum, sed ex eo quod ipsa supponat subiectum, quod si non supponeret eodem modo subsistaret accidentibus , & primò subsistare diceretur.

4 Dico tertiò contra plures Recentiores:De ratione subsistentiæ quæ abstrahit à completa,& incomplera non est incommunicabilitas,quæ opponitur inhærentiæ,neque ex vi illius constituitur natura,seu subiectum quod afficit existens in se,seu non dependens à subiecto. Probo. Materia prima,anima rationalis , Angelus, & totum compositum, seclusâ quacumque subsistentia sunt incapacia dependendi ab alio tanquam à subiecto præsupposito,seu essendi in alio tanquam in subiecto : ergo non indigent subsistentia vt sint in se,seu vt habeant inseitatem,seu independẽtiam ab alio tanquam à subiecto. Materiam primam,Angelum, & totum compositum non indigere subsistentia vt sint in se seu independentia à subiecto facilè euincitur,quia materia essentialiter est primum subiectum, quod dicit nullũ aliud ad illam præsupponi , aliàs non esset primum subiectum,siquidem aliud prius præsupponeret,Angelus autem, & quodlibet aliud totum compositum,cum nullo alio subiecto ab ipsis distincto possunt compositionem inire:ergo non possunt subiectum supponere , quod si supponerent, non essent entia totalia,& adæquata. De anima rationali eamdem cõclusionem probo. Anima rationalis creatur,sed eo ipso quod creetur est independens à subiecto , & nullum supponit,quia creatio est productio rei ex nihilo,hoc est ex nullo præsupposito subiecto:ergo seclusâ subsistentia præcisè per creationem constituitur anima rationalis independens à subiecto:ergo superflua est subsistentia , vt anima rationalis, materia prima totum simplex sicuti Angelus,& quodvis aliud corporeum,si datur,& totum compositum sint independentia à subiecto, seu vt habeant inseitatem oppositam inhærentiæ , & dependentiæ à subiecto. Eamdem rationem latiùs pro omnibus entitatibus conficio. Quælibet entitas necessariò est producta per creationem , vel productionem , & eo ipso quod supponatur existens , supponitur existens per eductionem , vel creationem ; ergo eo ipso quod supponatur existens debet supponi dependens à subiecto , vel independens ab illo:ergo subsistentia,quæ accidit rei existenti non potest illi tribuere esse independentem à subiecto: Probo consequentiam : eo ipso quod subsistentia supponat rem existentem ex vi eductionis , supponit illam dependentem : ergo non potest illam constituere independentem,aliàs esset dependens , & independens : dependens, quia ita supponitur ad subsistentiam ; independens, quia per subsistentiam independens constitueretur. Neque dicas subsistentiam posse destruere dependentiam quam supponit in forma , quia nihil quod per se ad aliud supponitur potest ab illo destrui,illud enim quod supponitur ad formã debet illi coëxistere,& illius causa dicitur,& non potest effectus causam destruere,à qua adhuc remotè accipit esse , & cui debet coexistere. Secundò , si subsistentia supponens formam dependentem per eductionem destrueret dependentiam formæ , destrueret illius eductionem,quod esset formam destruere,quia nihil aliud est destruere formam,seu quamlibet aliam entitatem , quàm auferre actionem , ex vi cuius existit seu producitur. Si subsistentia rem supponat existentem ex vi creationis, supponit illam iam independentem,quia creatio constituit rem extra subiectum : ergo superfluè aduenit subsistentia, vt rem iam independentem à subiecto , iterum independentem constituat. 5

Dices has entitates seclusâ subsistentia esse indepẽdentes negatiuè , non verò positiuè,quia positiua incapacitas dependendi à subsistentia formaliter prouenit. Contrà: Materia prima , Angelus , & totum compositum habent hanc incapacitatem dependendi à subiecto per suasmet intrinsecas entitates , quia conceptui intrinseco materiæ primæ , & totius completi , siue simplicis , siue compositi repugnant dependentia à subiecto. Anima rationalis in multorum sententia per se ipsam habet eamdem repugnantiam,& adhuc de potentia Dei absoluta,seclusâ creatione non potest educi,& dependere à subiecto vel saltem habet hanc incapacitatem dependendi per creationem, quæ est forma positiua:ergo omnes prædictæ entitates habent incapacitatem formalem dependendi per formalitates positiuas:ergo habent incapacitatẽ positiuam dependendi quid enim est incapacitas positiua dependendi,nisi prædicatum quoddam positiuum cui repugnat dependentia;ipsa enim non dependentia , seu dependentiæ negatio nunquam potest esse quid positiuum,sed semper dicit formaliter negationem. 6

Dices has entitates seclusâ subsistentiâ habere incapacitatem radicalem dependendi,non verò formalem , quæ prouenit à subsistentia. Contra:prædictæ entitates habent prędicata,seu rationes positiuas suprà assignatas,quibus immediatè repugnat dependentia,& cũ quibus hæc non poterit componi , etiamsi subsistentiam demas : ergo habent seclusâ subsistentia incapacitatem formalem depẽdentiæ, quia incapacitas formalis dependẽtiæ nihil est aliud,quàm prædicatum,cui immediatè,& per se repugnat dependentia,sicut capacitas formalis dependẽtiæ aliud non est,quam prædicatum, ex vi cuius immediatè , & per se potest dependentia entitati competere. Aliter posset responderi subsistentiam posse tribuere incapacitatem dependendi rei aliàs incapaci, quia potest entitas ex pluribus titulis adæquatis esse incapax cuiusvis formæ, vt patet in humanitate Christi , quæ ex vi vnionis hypostaticæ est incapax peccandi, & rursus incapax peccandi constituitur per visionem beatam.Non nego posse entitatẽ esse incapacem pluribus titulis cuiusvis formæ, sed assero superfluè addi formam rei iam incapaci præcisè vt fiat incapax,quia tũc perinde se habet subiectum cum illa formã,ac si eadẽ careret. Neque exemplum à se adductum quidquam contra meam sententiam probat, quia visio beata quæ Christum iam impeccabilem,iterum incapacem peccandi cõstituit,non datur Christo præcisè, vt fiat incapax peccandi, sed vt constituatur beatus , & videns Deum, ex quo secundariò impeccabilis infertur,subsistentia autem rei iam incapaci dependendi

pendendi daretur, vt incapax constitueretur, & hæc incapacitas esset primarius effectus subsistentiæ, & prima ratio constitutiua illius. Si dicas subsistentiæ aliam formalitatẽ competere, quæ dicatur tribui rei, quam constituit subsistentem, illam assigna, in hac enim inuenienda totum huius negotij situ est opus, quã si assignes, si ad rem sit, inferã ego in illa totã rationem formalem subsistentiæ consistere, & frustra illi hanc incapacitatem attribui dependendi.

7 Respondent alij apud Patrem Arriag. formam habere posse duplicem dependentiam à subiecto, quandam à priori media passione, aliam à posteriori media vnione, cui duplex independentia correspondet, & incapacitatem dependentiæ à priori per passionem tribui creationi, & alteram incapacitatem dependendi à posteriori mediâ vnione subsistentiæ tribuendam esse, in qua formaliter consistit. De dependentia à posteriori in vniuersum dixi Contr. 2. Physic. Punct. 7. vbi probaui, quàm ægrè possit hęc concipi; in præsenti autem materia, omnino est conficta: quia forma media vnione nullo modo dependet à subiecto, & eductione posita, etiamsi forma educta subiecto nõ esset vnita, naturaliter conseruaretur, & totum miraculum esset in negatione vnionis, & non in formæ conseruatione, & quælibet forma, siue accidentalis, siue substantialis creata, etiamsi extra subiectum sit creatione supposita, naturaliter conseruatur, neque quantitati Eucharisticæ, quæ existit sine vnione ad subiectum, & sine dependentia ab illo, datur duplex modus, quidam loco vnionis, & quidam loco dependentiæ, sed vna creatio, per quam producitur independenter à subiecto, & negatio vnionis, ex vi cuius subiecto vnita erat. Neque fundamentum adhuc apparens inuenio ad concedendam hanc dependentiam à posteriori per vnionem respectu formæ creatæ, neque ad dicendum quantitatem Eucharisticam præter creationem, ex vi cuius est extra subiectum inhæsionis, habere alium positiuum modum ex vi cuius sit extra subiectũ informationis, præcisè enim ex eo quod habeat negationem vnionis, seu ex eo quod non habeat vnionem, & terminet creationẽ, existit independens ab vtroque subiecto, seu existit independens, & non vnita subiecto, quia præcisè per creationem intelligeretur independens à subiecto inhæsionis, & informationis, etiamsi actu esset vnita, & actu subiectum informaret, quia forma, quæ subiectum informationis respicit taliter, vt deficiente informatione, ex vi causalitatis superstitis existeret, nullo alio subrogato loco informationis, independens esse dicitur ab informatione, & à subiecto, quod respicit mediâ illa.

8 Secundò: Modus iste dicendi sustineri nequit in materia prima, Angelo, & toto composito, quia his entitatibus per seipsas implicat dependentia à posteriori per vnionẽ, sicuti dependentia à priori per inhæsionem: ergo non rectè in ordine ad illas explicatur ratio formalis subsistentiæ per incapacitatem dependendi. Probo antecedens. Si poneretur Angelus subsistentia seclusâ non dependeret à posteriori à subiecto; ergo subsistentia seclusâ Angelus habet incapaciratem dependendi à posteriori. Respondent apud Arriagam huius dicẽdi modi patroni, implicare Angelum poni sine subsistẽtia. Admitto hoc quod mihi falsum est, & sic arguo: Subsistentia requiritur, vt existat Angelus, qui etiamsi per impossibile sine subsistentia posset existere, implicaret dependere à posteriori à subiecto: ergo subsistentia non datur, ne Angelus à posteriori dependeat, sed vt existat ille, qui per se incapax est dependendi à priori, & à posteriori à subiecto.

9 Dico quartò. Ratio formalis subsistentiæ non est incõmunicabilitas per modum partis in ordine ad totum essentiale, vel integrale. Respectu totius completi, siue simplicis siue compositi eodem modo probatur conclusio sicuti præcedens, quia cum totum sit incapax se communicandi per modum partis, superfluè illi superadderetur subsistentia, vt communicationis incapax fieret. Secundò, quia etiãsi respectu formarum, seu entitatum incõpletarum posset tribui subsistentiæ hæc formalis ratio, tamen respectu totius completi, alia assignanda est, quæ communis poterit esse omnibus entitatibus, tam completis, quàm incõpletis, præcipuè cùm nullum sit fundamentum ad tribuendã hanc formalitatem subsistentiæ. Tertiò efficaciùs arguo: etiamsi subsistentia simplex sit indiuisibiliter totum afficiens, & forma subsistentiam specialem non habeat, dum est vnita, tamen ipsa forma immediatè afficitur subsistẽtia totius, non enim immediatè subsistentia afficit totũ, & posteà partes medio toto, sed ipsa formalis affectio totius est affectio vtriusq; partis: ergo forma verè subsistit subsistentia totius, quã immediatè afficitur dũ est vnita, & tamen cõmunicatur subiecto tsnquam comparti, & composito tanquã toti, in quo includitur: ergo subsistẽtia ex vi cuius forma subsistit, non reddit illam incõmunicabilem. Vrgeo & declaro idẽ argumentum: in eo differunt opiniones, quæ simplicẽ subsistentiam & compositam tribuunt toti subsistenti, quod opinio quæ simplicem concedit, asserit ex vi simplicis modi fieri, quod alia opinio asserit fieri per modum quemdam compositum ex duplici parte, quarum vna afficit materiam, & altera formã: ergo idẽ affectus præstandus est à subsistẽtia respectu materiæ, formæ, & totius cõpositi, siue subsistentia sit simplex, siue cõposita, sed subsistẽtia simplex non tribuit formæ illã incommunicabilitatẽ: ergo nec composita.

Dico quintò. Non rectè explicatur ratio formalis subsistentiæ per hoc quod est reddere naturã incõmunicabilẽ alteri, vt suppositо, seu per hoc quod est constituere totum incõmunicabile alteri suppositо, quod sic probo. Hoc quod est subsistentiam constituere naturã incommunicabilẽ alij suppositо, vel dicit naturã propria subsistentia terminatã specificatiuè sumptã non posse in sensu composito terminari aliena subsistentia, etiamsi propria subsistentia aliena non terminaretur, neque assumeretur suppositum formaliter vt suppositum; vel dicit naturam vt terminatam formaliter propria subsistentia, non posse aliena terminari, ita vt propria illius subsistentia aliena terminetur, & assumatur suppositum vt suppositum. Neutrũ horum explicat naturam subsistentiæ: ergo alia ratione explicanda est. Primũ modum constituẽdi naturam incommunicabilem non explicare conceptum quidditatiuum subsistentiæ sic probo. Formam constituere subiectũ incapax habendi aliã eiusdẽ omnino rationis cum ipsa, vel illi oppositam, est quid cõmune omnibus formis: ergo etiamsi hoc eueniat subsistentiæ illis conceptũ quidditatiuum non explicabit. Antecedens est certum, quia forma equi constituit subiectũ, quod afficit incapax recipiendi in sensu composito salcò naturaliter, & in multorum opinione etiam supernaturaliter, aliã formam equi, & formam leonis, & quamcumque aliã numero, vel specie ab ipsa distinctam: ergo etiamsi subsistentia reddat subiectum, quod afficit incapax habendi aliam subsistentiã numero, vel specie ab ipsa distinctam, ex hoc capite non poterimus subsistentiam ab aliis formis distinguere, neque in hoc prædicato aliquid speciale assignamus ratione cuius possimus quidditatiuè subsistentiam cognoscere, illámque ab aliis entitatibus discernere. Vrgeomatura secundùm se secluſa propria subsistentia, vel est capax vel incapax terminandi aliena subsistentia. Si est incapax, superfluè additur *propria*, vt fiat incapax, si est capax, capacitas hæc est intrinseca, & identificata cum natura: ergo non potest tolli propria subsistentia: ergo tantùm impeditur, ne reducatur ad actum secundum, dum existit propria subsistentia, quod commune est omnibus formis, quælibet enim impedit ne cum illa coniungatur in ordine ad idem subiectum alia eiusdem omnino rationis, vel specie ab illa distincta: ergo sicuti interrogatus, quid effet forma substantialis constitutiua compositi, quidve respectu subiecti præstaret, ineptè responderes. Forma substantialis est illa, quæ vnita subiecto impedit ne tale subiectum alteri formæ substantiali vniatur, vel quæ constituens totum cum materia, non permittit materiam aliud totum constituere, sic ineptè respondes, rationem formalem subsistentiæ, quam disquirimus, esse constituere naturam, quam afficit incapacem affici alia subsistentia, quod tantùm dicis, dum ais effectum formalem subsistentiæ esse reddere naturam incommunicabilem alteri vt suppositо.

Ratio propter quam ineptè per hanc incommunicabilitatem conceptus quidditatiuus subsistentiæ explicetur est, quia hoc expellere, seu impedire formã oppositã est secundarius effectus, qui supponit primarium: ex eo enim quòd hoc compositum, siue subsistens sit constitutum, per hanc formam, vel subsistentiam, fit expelli constitutiuum aliûs totius, si ex parte materiæ præcesserit: vel impediri, si non præcesserit, quod est secundarius effectus ortus ex primario, per quem non possumus primarium quidditatiuè cognoscere, quia hic secundarius effectus omnibus formis est communis, idémq; potest esse ex formis specie distinctis, eadem enim expulsio ligni fiet à forma ignis vel aquæ superuenienti materiæ, quæ cum forma ligni præcesserat. In his autem in quibus non est idem effectus, reperitur

cum

cum eadem proportione,& similitudine, quia sicuti calor opponitur cum frigiditate, ita humiditas cum siccitate, quapropter si aliunde has qualitates non nouerimus, non poterimus ex ipsarum mutuâ oppositione earumdem naturas rimari,quod contingit in forma subsantiali constitutiua totius essentialis,& in subsistentia,quia sicut subsistentia opponitur cum subsistentia, ita forma subsantialis cum forma subsantiali,quapropter aliunde cognoscenda est natura subsistentiæ, & subsantialis formæ natura, & non ex oppositione, quam habet forma cum forma,& subsistentia cum subsistentia petenda est. Rursus si subsistentia daretur naturæ, vt aliam subsistentiam impediret,superfluè daretur subsistentia in rerum natura, hæc enim subsistentia esset ad illam impediendam,& illa ad hanc impediendam: ergo si neutra esset possibilis, nulla desideraretur, siquidem necessaria non esset ad impediendam alteram, & variis sumptibus natura has subsistentias impediret illarum productione, cùm posset nullam creasse, & ita necessum non esset aliquam impediri, & magis immunis esset natura ab aliena subsistentia,si hæc repugnaret, quam dum propria impedita alienam imminentem propulsat.

12 Si dicatur rationem formalem subsistentiæ consistere in incapacitate terminandi alia subsistentia, & reddere naturam incommunicabilem non specificatiuè,sed reduplicatiuè formaliter vt subsistentem, quod est constituere suppositum impotens terminari formaliter vt suppositum alia subsistentia inassumptibili ab alio, prius natura subsistentiæ explicatur, quia ineptè quis definiret formam substantialem per incapacitatem informandi alia forma substantiali, & per hoc quod est constituere quoddam totum incapax informandi alia forma, hoc enim omnibus formis commune est. Deinde quia frustrà daretur subsistentia in rerum natura, præcisè, ne terminaretur alia subsistentia. Vltimò quia in vtroque modo explicandi hanc incommunicabilitatem idem per idem definitur, subsistentia est quæ constituit naturam incommunicabilem alteri supposito, siue hoc intelligatur de natura specificatiuè sumpta,siue de illa formaliter, vt subsistente, quia in definitione ponitur suppositum, cui natura incommunicabilis dicitur, quod suppositum constituitur per subsistentiam, cuius naturam inquirimus,& quæ esset cognoscenda,vt possemus cognoscere quid sit naturam esse incommunicabilem alteri supposito.Vltimò probo effectum formalem subsistentiæ non posse in aliquo negatiuo consistere: effectus formalis est totum resultans ex forma, & subiecto: sed subsistentia est quid positiuum; natura, quæ subsistentia afficitur positiua est:ergo totum resultans ex natura & subsistentia est quid positiuum:ergo id quod formaliter dicit in ratione talis,& tanquam propriũ constitutiuum,seu id quod dicit primariò suppositũ,vt suppositum,non est incommunicabilitas negatiua,sed ratio aliqua positiua, ex qua ad summum oriatur negatio communicationis, quæcumque propria suppositi dicatur,quæ erit secundarius effectus,& non primarius.

13 Dico sextò. Effectus formalis subsistentiæ non est constituere naturam omninò incommunicabilem;Trado hanc conclusionem contra nonnullos asserentes non explicari rationem formalem subsistentiæ per incommunicabilitatem alteri,vt subiecto inhæsionis,velut parti, definiri autem per omnimodam incõmunicabilitatem quia subsistentia constituit suppositum per se existens, & naturam existentem in se, cui repugnat ex vi huius subsistentiæ esse in alio,siue tanquam in subiecto,siue tanquam in toto,alióve quocumque modo. Ita P.Vasq.t.1.in 3 p.disp.32. c.4.sententia hæc ex conclusionibus suprà traditis facilè reiicitur: ratio formalis subsistentiæ non est reddere naturam incommunicabilem alteri vt subiecto, neque vt toti, neque vt supposito: ergo non est tribuere naturæ omnimodam incommunicabilitatem. Antecedens tradidi,& probaui conclusionibus præcedentibus; consequentia est legitima. Rationem traditam iterũ breuissimè attingo:natura completa ex se est incommunicabilis alteri vt subiecto, & vt toti: ergo tantùm subsistentia poterat deseruire,vt illam constitueret incommunicabilem alteri vt supposito,sed per hanc incommunicabilitatem non rectè definitur ratio subsistentiæ: ergo nequit explicari per omnimodam incommunicabilitatem. Vltimò quia formæ materiales vt probabo Pun.4. adhuc quando sunt in toto,& dependentes à materia subsistunt, & tamen communicantur toti, & subiecto: ergo nulla ex his incommunicabilitas pertinet ad rationem formalem subsistentiæ.

Dico octauò. Effectus formalis subsistentiæ non est reddere naturam potentem operari,seu illam complere in ratione principij operatiui. Fatentur omnes subsistentiam non pertinere ad rationem formalem constitutiuam principij operatiui, verumtamen defendunt nonnulli subsistentiam esse conditionem requisitam ad operandum, sine qua virtus operatiua naturæ non intelligitur absolutè in actu primo potens operari,& hac ratione defendunt rationem formalem subsistentiæ consistere in hoc quod est constituere naturam per modum conditionis intrinsecæ, & consubstantialis illi proximè operatiuam. Potest probari nostra conclusio, & impugnari prædicta sententia ex duplici cap. Primò si affirmemus subsistentiam non esse conditionem requisitam ad operandum, sed naturam per se esse operatiuam independenter à subsistentia, ita tenent P.Vasq.3 p.disp.21. c.3.P. Albertinus de prædic.substantiæ disp.3. q. n.17.

Alio modo potest dici, dato subsistentiam esse condi- 14
tionem requisitam ad operandum per hanc rationem conditionis non rectè explicari rationem formalem subsistentiæ: ita tenet P.Lugo qui t. de Incarnat. disp.8. sect.1.docuit subsistentiam requiri ex parte principij ad operandum; cum quo alium formalem effectum subsistentiæ postea assignabo. Ex vtroque capite sententiam impugno,ex primo quia nullum est fundamentum ad asserendum naturam indigere subsistentia,vt conditione ad operandũ, sine fundamento autem non debent conditiones ad operandum assignari. Secundò quia non apparet in quo genere,neque qua ratione subsistentia possit esse conditio,vt natura operetur, non est enim applicatio agentis ad passum, neque dispositio ad effectum, neque hucvsque conditionis genus cognitum fuit ad quod possit subsistentia reduci. Dicunt recentes inferri subsistentiam esse conditionem ad operandum, quia si ita non esset, opera facta à Christi humanitate Verbo vnita non penderent ab vnione hypostatica, neque illam supponerent ex parte principij, ac proinde posset Christus suam vnionem promereri. Non moueor hac ratione,quia etiamsi physicè opera elicita ab humanitate Christi non dependeant ab vnione hypostatica, dependent ab illa moraliter, vt meritoria quatenus à principio significante talia opera, quod sufficiens est, ne talis vnio cadat sub illorum meritum,sicuti opera virtutum moralium naturalium efficienter non procedunt à gratia habituali,quam supponunt,vt formam significantem,& illam promereri non possunt, quia non solùm principium physicum, sed neque principium significans potest cadere sub meritum, eo enim ipso quod opus procedat à natura sancta per vnionem tanquam per causalitatem, opus dignificatur mediâ vnione, & cùm formaliter, vt meritorium,dicat dignificationem; non potest vt meritorium, respicere tanquam præmium formam dignificantem, neque causalitatem media qua formaliter constituitur dignum.

Frequentius probari solet subsistentiam se tenere ex 15
parte principij vulgari axiomate *Actiones sunt suppositorum* quod fertur ex Aristot. Damasc. & Ioanne Theologo in Concilio Florentino. Negat P. Vasq.hoc axioma esse Aristotelis & Damascẽni: sed esto,quid ex Arist.inferri potuit qui suppositum non cognouit? Doceret Aristoteles si tale axioma tradidisset,actiones esse singularium,quæ suppositа appellaret,& non naturæ in abstracto sumptæ. Tradiderit hoc axioma Damascenus, quod verè tradidit Ioannes Theologus,ex illo non infertur suppositum in ratione suppositi debere præcedere operationes,sed has tribui suppositis, eo ipso quod procedant à natura subsistentia terminata. Nam eodem modo dicere possumus passiones esse suppositorum,sicut enim non dicimus humanitas generat, sed homo generat, ita non dicimus humanitas generatur, sed homo: ergo sicuti ex hoc principio non inferimus tenere se formaliter ex parte principij passiui in creaturis ratio formalis subsistentiæ, ita non debemus inferre tenere se ex parte principij, sed actiones supponentes tantùm naturam ex parte principij tribui supposito, sicuti aliæ procedentes tantùm ab anima toti composito tribuuntur. Aliter sententia probari intenditur. Modus operandi sequitur modum essendi: sed anima rationalis vnita materiæ operatur dependenter ab vnione; & separata independenter ab illa: ergo natura terminata subsistentia operabitur dependenter ab illa. Respondeo modum operandi non sequi omnes modos essendi superadditos,homo enim sedens non intelligit

dependenter à sessione, ita neque natura subsistens dependenter à subsistentia. Ad paritatem desumptam ab vnione, Respondeo nobis à posteriori constare animam vnitam operari cum dependentia ab vnione, vbi autem nulla est ratio neque experientia, quæ suadeat dependentiam actionis ab aliquo modo, ponenda non est, & ita in actione respectu subsistentiæ non est sine ratione, aut fundamento statuenda. Ex altero item capite sententiam impugno, quia etiamsi subsistentia esset conditio ad operandum, sunt etiam aliæ entitates, quibus hæc ratio competit, ac proinde non ex illa poterimus quidditatiuè subsistentiam agnoscere, approximatio enim inter agens, & passum, & inhærentia formæ substantialis in subiecto conditiones sunt vt forma operetur: ergo illis conueniet ratio formalis subsistentiæ, si hæc tantùm dicit esse conditionem ad operandum. Dices subsistentiam esse conditionem diuersæ naturæ à reliquis. Hanc naturæ diuersitatem quærimus, illam dato, & explica quomodo, vel quo genere subsistentia sit principium ad operandum, quod haud facilè à quocumque explicandum est; monearis tamen precor, te audiendum non esse, si dicas subsistentiam complere naturam in esse principij, quia omnis conditio supponit totam virtutem, & complet actum primum, ac proinde si dicas subsistentiam complere actum primum, vt natura, quæ ex se habet totam virtutem, à qua procedit actio, sit proximè expedita ad operandum, hoc commune est omnibus conditionibus, & non speciale subsistentiæ; si affirmes subsistentiam complere virtutem actiuam in ratione virtutis, & potentiæ physicæ, iam non erit conditio ad operandum sed formaliter virtus operatiua inadæquata, & natura virtutem tantùm inadæquatam ex se habebit ad operandum quod alienum est à veritate, & ab omnium sententia.

17 Vltimò nota non benè percipi consequentiam doctrinæ Suarij in hac re; docuit disputatione tregesimaquarta Metaphysic. numero decimo, cum communi sententia, subsistentiam esse conditionem ex parte principij ad operandum quando existit, & postea addit n. 15. quod si per possibile, vel impossibile natura absque subsistentia permaneret, in illo casu posset operari naturaliter. Quæ doctrina mihi displicet, quia id sine quo effectus naturaliter fieri potest, conditio non est, est enim constitutiuum conditionis non posse fieri sine illa, illud cuius dicitur conditio, vnde dicere solemus *conditio sine qua non*, neque aliam influxum habet conditio, nisi quod illa posita ponatur effectus, qui illa ablata non poneretur, & si admittatur conditio physicè non influens ad effectum, & aliàs non prædeterminans ad illum, sine qua effectus esse potest, dicam ego conditionem esse huiusmodi habere pileum ad intelligendum, & esse muficum ad ædificandum.

18 Dixi iam quid non sit hic modus; quid verò sit non ab aliquo facilè dicendum spero, neque à me explicari posse præsumo. Venit hic subsistentiæ modulus vltimus ad Philosophiam, cùm iam ministeria omnia naturæ distributa erant, ac proinde difficillimum puto illi officium dare; ad aliud tribunal eum remitterem, si cum illo melius actum fore putarem, verumtamen vidimus quàm ægrè ab omnibus illius naturæ exercitium explicetur, cuius alia non est ratio nisi quia antequàm cognosceretur, Philosophi agnoscebant substantias independentes à subiecto, illarúmque virtutes cum omnibus requisitis ad operandum, quasdam substantias incompletas, completas alias incommunicabiles toti, & subiecto ac proinde nullum modò fundamentum reperiunt, vt ex inuentione noui modi asserant illum ad aliquod ex prædictis muneribus esse requisitum, quæ ratio si rectè expendatur magnam vim habet contra omnes dicendi modos iam relatos.

19 Dico primò. Nullum est principium naturale, neque hucvsque fide reuelatum, quo possit cognosci subsistentia, nisi esse quamdam entitatem substantialem naturæ superadditam, & constituentem quoddam concretum substantiale, quod suppositum appellamus. Ex hoc potest dici subsistentiæ munus esse naturam perficere per modum termini. Non dari aliud principiũ ex quo quidquam aliud possit inferri, sic probo. Subsistentiæ existentia neque à priori, neque à posteriori nobis constat, vt fatentur omnes, sed tantùm ex fide habemus Verbum fuisse vnitum humanitati Christi, & assumpsisse humanitatem, & non hominem, ex quo rectè inferimus hominem aliquid dicere supra humanitatem, quod Verbum non assumpsit loco cuius subrogata fuit subsistentia Verbi, inferimus etiam illud esse quid substantiale, quia Verbum assumpsit naturam non spoliatam suis accidentibus, & proprietatibus, & quia subsistentia substantialis Verbi loco accidentis, subroganda non erat, & quia hoc concretum *homo* quod formaliter dicit subsistentiam, accidentale non est, sed substantiale. Neque quidquam aliud licet inferri ex principiis fide reuelatis, quibus docemur Verbum assumpsisse humanitatem, & non hominem, & permansisse vnitum animæ Christi à corpore separatæ in triduo mortis, item illius sacratissimo corpori. Quod autem ex his principiis non infertur, gratis, & absque vllo fundamento de natura subsistentiæ dicitur, præter illa, quæ communia sunt omnibus entitatibus, vel entitatibus substantialibus, videlicet habere præsentiam, aliáque huiusmodi valde vniuersalia. Posse dici subsistentiam naturam perficere per modum termini, quo aliqui putant illius naturam exactè definisse facilè suaderi poterit, quia subsistentia naturæ aduenit, & cum illa componit totum subsistens, ex quo infertur illam perficere, hanc perfectionem esse per modum termini nihil aliud dicit, quàm esse vltimam rei perfectionem, supra quam alia substantialis perfectio non cadit, subsistentia enim aduenit naturæ iam completæ, & toti composito, subsistenti autem seu supposito, nihil substantiale potest superaddi. Sententiam hanc sic explicatam defendit P. Lugo 1. de Incarn. disp. 12. sect. 3. quam confirmat ex Epiphan. Diacono in 7. Synodo generali Const. 6. tom. 3. post medium. Vbi dicit naturam per se existentem esse illam, *quæ non indiget altera vt subsistat.* In quibus verbis videtur per se sumere *per se existere seu subsistere*, & *non indigere alia natura*. Quod dicit esse vltimò perfectam, & terminatam per vltimam sui perfectionem.

PVNCTVM IV.

An subsistentia sit entitas simplex vel composita.

NOn omnino sunt idem, dari subsistentias partiales, & subsistentiam habere partes, potest enim subsistentia partibus componi, quarum nulla partialis subsistentia dicatur: quod de personalitate certum est, sicut enim non dicitur persona inadæquata anima separata terminata subsistentia, ita neque illius subsistentia personalitas inadæquata dicitur, sic humanitas partibus non constat, quarum nulla humanitas inadæquata dicitur, nomen enim *humanitas* semper compositum adæquatum importat, sic nonnulli de subsistentia philosophantur. 1

Pater Vasquez prima parte, disputatione centesima vigesimaquinta capite quarto, absolutè negat posse dari subsistentias partiales, & disputatione 174. docet neque materiam neque formam subsistentias habere in composito, & tom. 1. in 3. parte disputatione 2. ægrè fert has subsistentias partiales admitti, existimat enim sine authore, & contra rationem esse confictas. Non tamen eodem modo de compositione subsistentiæ in ordine ad partes integrantes, & in ordine ad partes essentiales naturæ, quam afficit subsistentia philosophatur. Asserit enim subsistentiam totius diuisibilis integraliter partes habere integrales, & diuersam esse partem subsistentiæ, quæ afficit pedem, ab illa, quæ afficit caput equi, negat tamen dari subsistentias partiales adhuc in ordine ad partes integrantes, quia pars subsistentiæ afficiens partem integrantem non appellat subsistentiam partialem, sed asserit omnes partes subsistentiæ dici vnam integram, & adæquatam subsistentiam, quæ etsi in re diuisibilis sit, consistit in indiuisibili, sicuti humanitas diuisibilis in materiam & formam indiuisibilis est, quia materia secundùm se, neque forma secundùm se adhuc inadæquatè non dicuntur humanitas. In ordine ad partes essentiales compositi nullam diuisibilitatem tribuit subsistentiæ, sed existimat ex vi eiusdem modi subsistendi secundùm eamdem rationem formalem indiuisibilem terminari materiam & formam. 2

Pater Soares disputatione trigesima quarta citata, sectione quinta, latè insequitur hanc quæstionem, concluditque in homine materiam habere propriam subsistentiam, & similiter formam habere subsistentiam distinctam à subsistentia materiæ; in reliquis verò compositis 3

docet

docet materiam gaudere propria subsistentia, & formam materialem contentam esse modo quodam distincto à subsistentia partiali materiæ, qui modus subsistentia adhuc partialis non est, sed pars componens subsistentiam totalem cum subsistentia partiali materiæ, quia vt suprà dicebam non ex eo, quod totalem subsistentiam componat tanquam pars illius sequitur esse partialem subsistentiam, sicuti non sequitur esse partialem hominem, id, quod hominem componit.

4 Pater Albertinus docuit cum Patre Vasquez dari in homine simplicem subsistentiam terminatam ad materiam, & ad formam; in reliquis verò compositis cuius forma materialis est, docuit dari simplicem subsistentiam, non immediatè terminatam ad materiam, & formam, sed immediatè terminatam tantùm ad materiam, & mediatè ratione materiæ ad formam, quam sententiam docuit Caietanus tertia parte, quæstione sexta, articulo sexto, qui in homine formaliter simplicem quamdam subsistentiam constituit, quam non immediatè ad totam humanitatem, neque ad vtramque partem, sed tantùm immediatè ad formam, & mediatè ad materiam ratione formæ docuit terminari.

5 Præ omnibus displicet hoc, quod vltimò ex Caietano retuli, quod primò impugno. Subsistentiam deducimus ex vnione Verbi ad naturam, sed Verbum non fuit vnitum tantùm immediatè ad formam, & ratione formæ ad materiam, sed fuit vnitum immediatè toti humanitati indiuisibiliter sumptæ quatenus dicit materiam, & formam, vel immediatè materiæ, & immediatè animæ per duplicem partialem vnionem, ex quibus vna totalis conficitur: ergo materia non subsistit tantùm ratione subsistentiæ, quæ immediatè afficiat animam, sed per subsistentiam totalem quæ indiuisibiliter immediatè afficiat materiam, & formam, vel per partialem subsistentiam, quæ immediatè materiam afficiat. Inuerso ordine argumentum conficio. Verbum tantùm potest vniri immediatè subsistentiæ, quæ ex se subsistentiam habeat, loco cuius subsistentia Verbi subroganda est. Sed in sententia Caietani materia non habet subsistentiam, quæ illam immediatè, neque totam humanitatem, quam constituit, immediatè afficiat, sed tantùm subsistit ratione formæ: ergo Verbum non potuit vniri materiæ, neque ratione materiæ, neque ratione totius humanitatis, sed tantùm ratione formæ, imò neque posset vniri immediatè humanitati, sed tota vnio esset ad formam, & ita in triduo mortis Verbum non maneret vnitum corpori, quia huic non fuisset vnitum immediatè & ratione sui, neque ex eo, quod illi vnitum non permaneret, relinqueret aliquid, quod antea assumpsisset, quæ omnia hæretica sunt, est enim fide sanctum, Verbum, siue ratione vtriusque partis, siue ratione totius immediatè fuisse vnitum toti humanitati per se dico de fide esse humanitatem per se fuisse Verbo vnitam, quia quod humanitati competit ratione vtriusque partis, illi per se conuenit, cùm ipsa à partibus & vnione non distinguatur) eâdemque fide sanctum est Verbum mansisse vnitum in triduo mortis sacrosancto Christi corpori.

6 Simile argumentum conficio contra Albertin. docentem composita quorum forma materialis est tantùm subsistere subsistentia immediatè afficiente materiam. Verbum potuit vniri toti composito includenti formam materialem, & de facto fuit vnitum sanguini, cuius formam materialem esse testatur idem Albertinus: ergo composita quorum forma materialis est, proprias habent subsistentias; subsistentia enim Verbi loco propriæ subrogatur, & ita non potuit terminare naturam, cui ex se propria subsistentia non competat. Respondet Albertin. suprà num. 21. materiam, & formam sanguinis vniri immediatè Verbo, quia vniuntur per partiales vniones. Contrà: Fatebor vniri immediatè, si per partiales vniones vniuntur, sed intendo ego argumento prædicto non posse vniri formam sanguinis, neque per partialem vnionem ipsius ad Verbum terminatam, iuxta sententiam quam impugno: Sic instauro argumentum, eo modo quo forma est capax subsistentiæ propriæ, eo modo est capax vnionis ad alienam subsistentiam: sed forma materialis non est capax subsistentiæ propriæ adhuc partialis in sententia Albert. sed tantùm subsistit subsistentiâ materiæ: ergo non est capax propriæ vnionis ad Verbum adhuc partialis, sed tantùm potest esse vnita ratione materiæ.

Secundò sententiam Albertini reiicio, quia nulla potest reddi ratio, cur totum compositum non possit immediatè secundùm se totum indiuisibiliter sumptum subsistentiâ affici, nullus enim formalis effectus subsistentiæ poterit excogitari, ratione cuius totum compositum cuius forma materialis est, incapax subsistentiæ dicit possit.

Dico primò. In homine dari potest subsistentia totalis 7
diuisibilis in duas partes inter se distinctas, quarum vna materiæ, & altera formæ correspondet. Probo hanc conclusionem: Verbum vnitum fuit animæ in statu separationis: ergo in statu separationis anima capax fuit subsistentiæ. Consequentiam probo: non ex alio capite inferimus naturam esse capacem subsistentiæ, nisi quia Verbum fuit vnitum naturæ, sed similiter Verbum fuit vnitum animæ separatæ: ergo anima separata ex se capax est subsistentiæ: ergo similiter dum est vnita capax est terminandi eodem modo, quo terminatur dum est separata. Probo consequentiam: vnio animi ad subiectum non opponitur cum subsistentia immediatè afficiente animam: ergo anima potest terminari eadem subsistentia dum est vnita, & dum est separata. Antecedens probo: Si propter aliquam rationem vnio opponeretur cum subsistentia immediatè afficiente animam, maximè quia effectus formalis, quem præstat subsistentia animæ separatæ dicit hanc negationem vnionis: sed hæc negatio non potest esse primarius effectus subsistentiæ, quia vt dicebam, forma positiua vnita subiecto positiuo non potest effectum primarium negatiuum præstare, neque effectus secundarius, quia nullum est caput, ex quo possimus inferri subsistentiam immediatè afficientem animam opponi cum vnione ipsius animæ ad materiam, & illam expellere: ergo nullum est caput ex quo inferatur subsistentiam partialem immediatè afficientem animam opponi cum vnione ipsius animæ ad materiam. Dices subsistentiam animæ opponi cum modo vnionis, quia per subsistentiam constituitur anima existens in se ipsa, & per vnionem constituitur in alio tanquam in toto; & repugnat eamdem animam esse in se, & in alio. Respondeo modum essendi in se, quem subsistentia tribuit animæ non opponi cum modo essendi in alio tanquam in toto, quem eidem animæ tribuit vnio, quia subsistentia non tribuit animæ esse tanquam totum, & ita non opponitur modo essendi in alio tanquam partem, sicuti modus essendi per se quem tribuit creatio, hoc est, non essendi in alio tanquam in subiecto inhæsionis, non opponitur cum modo essendi in alio tanquam in toto, quem tribuit vnio. Tantùm ergo tribuit subsistentia subiecto, quod afficit esse per se, hoc est esse terminatum propriâ subsistentia, quod opponitur cum esse in alio tanquam in supposito, hoc est, cum hoc quod est esse terminatum aliena subsistentia, propria enim subsistentia exigit vt effectum secundarium, alienæ expulsionem. De materia prima à paritate animæ eadem conclusio sufficienter probatur. Dixi enim posse terminari eadem subsistentia dum est vnita, & dum est separata; si quis autem diceret modum illum tantùm dicendum esse subsistentiam, dum afficit animam non vnitam, de modo loquendi tantùm contenderet, de quo multùm contendendum non est, etsi nullum illi superfit fundamentum. Quia etsi verum sit denominationem personæ, & personalitatis tantùm tribui entitatibus completis, ratio subsistentiæ & suppositi non ita est limitata, sed ad entitates incompletas extendi potest, etiam dum sunt vnitæ aliis incompletis, sicuti ad easdem non vnitas extenduntur, nemo enim recusat animam separatam subsistentem appellare, etsi nomen suppositi inadæquati non ita frequenter illi tribuatur.

Obiicies: subsistentia partialis afficiens animam separa- 8
tam non opponitur cum vnione animæ ad materiam: ergo subsistentia animæ relinquit illam perfectibilem per vnionem ad materiam: ergo non est vltima perfectio. Respondeo subsistentiam adhuc partialem dici vltimam perfectionem per ordinem ad totalem, quæ supponit naturam iam constitutam, & naturæ inuoluenti in se vnionem inter materiam, & formam dicitur aduenire subsistentia, & non è contra.

Dico secundò. Possibilis est subsistentia, quæ immediatè, 9
& indiuisibiliter afficiat materiam, formam, & vnionem, ita vt eademmet indiuisibilis, quæ materiam afficit, afficiat formam, & totum compositum, seu totam naturam, siue huius forma materialis sit siue spiritualis. Consentio in

hac

hac conclusione cum P. Vasquez, contra quam nihil potest excogitari, quod alicuius ponderis sit, quia eo ipso, quod possit esse subsistens nihil potest obesse, quominus immediatè, & per se terminet eamdem indiuisibilem subsistentiam, secundùm vtramque partem essentialem, & vtriusque nexum, seu vnionem, cùm nulla denominationem tribuat subsistentia subiecto, quod supponit, neque aliqua resultet in supposito, quod constituit, quod non possit conuenire naturæ, & supposito, quod immediatè ex ipsa, & ex subsistentia indiuisibiliter respiciente naturam constituatur.

11 Dico tertiò. Forma substantialis materialis, siue producta per creationem, & materiæ non vnita, siue per eductionem producta dependenter à materia cui sit vnita, capax est terminandi immediatè, & per se partem quamdam subsistentiæ, quæ vnita subsistentiæ materiæ subsistentiam totalem constituat. Docet hanc conclusionem P. Soar. neque scio cur ab illa dissentit Pater Vasquez quia etsi effectus formalis subsistentiæ esset reddere subiectum quod afficit omnino incommunicabile, adhuc posset subsistere hæc pars subsistentiæ, quæ subsistentia partialis non diceretur, quia pars subsistentiæ non est necessariò partialis subsistentia, vt admittit Pater Vasquez qui asserit subsistentiam habere partes integrales, & tamen non admittit partiales subsistentias integrales, & asserit subsistentiam constituere subiectum incommunicabile etiam vt partem integralem, & tamen concedit partes distinctas integrales subsistentiæ afficientes distinctas partes integrales subiecti: ergo eodem modo potest admittere diuersas partes subsistentiæ in ordine ad partes essentiales naturæ, & asserere has non esse partiales subsistentias, quia subsistentia, etsi diuisibilis in ordine ad partes essentiales consistit in indiuisibili includente partes subsistentiæ respicientes vtramque partem essentialem naturæ, sicuti integralis subsistentia consistit in indiuisibili includente partes distinctas in ordine ad partes integrales subiecti, etsi in partes integrales diuisibilis sit.

12 Dico quartò. Pars illa subsistentiæ, quæ afficeret formam substantialem materialem eductam, vel creatam, vnitam, vel separatam, posset dici partialis subsistentia. Probo hanc conclusionem, & simul præcedentem confirmo à paritate animi rationalis, ex eo quod ex mysterio Incarnationis nouerimus subsistentiam in homine, illam in equo constituimus: ergo ex eo quod ex eodem mysterio cognouerimus subsistentiam in forma hominis separata, debemus illam constituere in forma equi, & sicuti eodem modo philosophamur de equo, ac de homine in ordine ad subsistentiam, sic eadem ratione debemus philosophari de forma equi, & de forma hominis. Sed formæ hominis vnitæ, & separatæ tribuimus partem subsistentiæ, & subsistentiam partialem: ergo formæ equi vnitæ, & separatæ, creatæ, & eductæ partem subsistentiæ, & partialem subsistentiam tribuere debemus. Dices disparem esse rationem, quia homo, & equus conueniunt in hoc quod est non esse in alio in quo non conueniunt forma hominis, & forma equi, quia forma hominis non est in alio tanquam in subiecto inhæsionis, in quo est forma equi. Probaui suprà animæ rationali vnitæ non repugnare subsistentiam ex eo, quod sit in alio tanquam in toto, & eodem omnino modo eadémque ratione probandum est non repugnare formæ substantiali subsistentiam partialem ex eo, quod sit in alio tanquam in subiecto inhæsionis, sicut enim subsistentia partialis, & modus, quem tribuit, essendi per se non opponitur cum vnione, neque cum modo, quem hæc tribuit essendi in alio tanquam in toto, ita eadem partialis subsistentia, & modus, quem tribuit essendi per se tanquam in supposito non opponitur cum eductione, neque cum modo, quem hæc tribuit essendi in alio tanquam in subiecto. Aduocanda sunt etiam ad hanc solutionem reiiciendam omnia, quibus Punct. præcedenti probauimus rationem formalem subsistentiæ non esse constituere subiectum quod afficit independens ab alio tanquam à subiecto inhæsionis.

13 Dico quintò. Verisimilius est dari in toto composito subsistentias partiales distinctas, quarum vna correspondeat materiæ, & altera formæ, quod etsi nulla possit ratione probari, hac probabili coniectura poterit suaderi. Verbum fuit vnitum per distinctas partiales vniones materiæ, & formæ humanitatis Christi: ergo materia, & forma habent partiales subsistentias. Consequentia iuxta hius materiæ principia est legitimè deducta: Antecedens probo. Verbum fuit vnitum animæ in triduo mortis per partialem vnionem: ergo vnio præcessit antequàm anima esset separata, & postquàm iterum fuit vnita, sine fundamento enim dicetur, Verbum amisisse totam vnionem, quam habebat ad materiam, & animam Christi, & aliam adquisiuisse ad eamdem animam in instanti, in quo anima fuit à corpore separata, & postea, hanc vnionem, quam habebat ad animam separatam fuisse deperditam, & aliam productam in instanti, in quo anima corpori fuit reunita, cùm possit dici semper eamdem vnionem partialem cum anima vnita corpori, & ab illo separata retinuisse, fide enim sanctum est Verbum animæ fuisse vnitum in triduo mortis, & nullus ex Patribus docuit hoc fieri per nouam vnionem, priorisque corruptionem. Quod si ratio hæc tibi non arriserit, oppositam sententiam defendito, quam ego defenderem, si pro illa rationem aliam, mediocriter efficacem inuenissem, nihil enim in hac materia firmum inuenio, neque alicui parti nimis adhæreo, magis tamen in sententiam traditam propendeo, quia neque æqualem coniecturam pro opposita apud authores inuenio, præter illas, quas impugnaui desumptas, ex incommunicabilitate, quam subsistentiæ vt primarium formalem effectum attribuunt.

14 Dico sextò. Si materia, & forma subsistunt per subsistentias partiales, danda est alia subsistentia modo vnionis, ex vi cuius vniantur subsistentia materiæ, & subsistentia formæ, & fiat vna totalis subsistentia. Consentit P. Soar. tom. 1. in 3. p. disputatione 17. §. *secundo modo*, vbi affirmat vnionem inter materiam, & formam assumi immediatè à Verbo, ex quo infertur habere propriam subsistentiam. Neque dissentit P. Lugo qui licet subsistentias partiales non admittat, affirmat tamen subsistentiam Verbi immediatè afficere non solùm materiam, & formam sed etiam vnionem, idémque censet de qualibet subsistentia creata respectu suppositi creati. Probo priorem partem conclusionis. Humanitas subsistit secundùm se totam: sed humanitas secundùm se totam non solùm dicit materiam, & formam, sed etiam vnionem: ergo non solùm subsistit secundùm materiam & formam, sed etiam secundùm vnionem: ergo subsistit vnio non subsistentia partium, quia partes separatæ retinerent suam subsistentiam, quæ tantùm est illarum affectio: ergo per propriam subsistentiam: ergo habet subsistentiam propriam distinctam à subsistentia partium. Totus discursus legitimè trahitur ex primo antecedenti, quod sic probo: Secundùm illam rationem subsistit humanitas, secundùm quam Christi humanitas terminat vnionem hypostaticam ad Verbum: Sed humanitas Christi terminat vnionem secundùm se totam: ergo humanitati secundum se totam competit subsistentia. Maior est certa, inferimus enim subsistentiam ex vnione ad Verbum. Minorem probo, quia absolutè reuelatum est Verbum assumpsisse humanitatem; humanitas autem non solùm dicit materiam, & formam, quia hæ sine vnione non sunt humanitas, sed materiam, formam, & vnionem. Dices, Verbum posse dici vnitum humanitati ex eo solùm, quod fuerit vnitum materiæ, & formæ: Respondeo vnionem ad materiam, & formam posse sufficere, vt humanitas denominaretur vnita, non verò vt esset vnita secundùm se totam, ac proinde neque vt esset vnita, quia consistit in indiuisibili, & si tota vnita non est, non est vnita humanitas, sed aliquid ad humanitatem pertinens, sicuti totus homo denominatur quantus per quantitatem materiæ, illius tamen forma quanta non est, neque homo secundùm se totum secundùm quam rationem includit formam, verè est quantus, licèt absolutè quantus denominetur. Eadem ratione si Verbum tantum fuisset vnitum materiæ, & formæ, humanitas posset denominari vnita Verbo, non tamen in re humanitas esset vnita, quia hæc dicit vnionem sine qua materia, & forma non sunt humanitas.

15 Secundam partem conclusionis videlicet subsistentiam modi vnionis esse vnitiuum subsistentiæ materiæ, & subsistentiæ formæ ex suppositione quod his entitatibus diuersæ subsistentiæ partiales correspondeant sic probo: subsistentia materiæ, & subsistentia formæ vniuntur, & conficiunt vnam subsistentiam totalem, & adæquatam: sed non vniuntur immediatè, & per se: ergo medio alio: sed nullo poterunt aptiùs vniri, quàm subsistentia modi vnionis, neque necesse est fingere alias entitates, vt hæ subsistentiæ vniantur: ergo vniuntur per subsistentiam modi vnionis.

Obiicies

16 Obiicies subsistentias partiales non vniri vt partes integrantes, quia sunt diuersæ rationis, non vt partes essentiales, quia vna non est forma alterius: ergo nullo modo possunt vniri. Respondeo non vniri vt partes essentiales propter rationem dictam, vniuntur tamen instar partium essentialium, quia ipsæ per se partes essentiales distinctas recipiunt, & posse dici vniri tanquam partes integrantes, quia non est de ratione partium integrantium esse eiusdem rationis inter se. Et quidquid sit de subsistentiis, difficultas hæc componenda est in præsentiis, quia materiæ, formæ, & vnioni, distinctæ præsentiæ inadæquatè respondent, ex quibus vna adæquata præsentia componitur.

17 Obiicies secundò. Modus vnionis inter materiam, & formam est subsistens, quia est substantialis: sed vnio hypostatica naturæ ad Verbum similiter est substantialis: ergo erit subsistens. Si dicas subsistere per se ipsam, quia est modus essentialiter afficiens subsistentiam, sequitur aliquid pertinens ad hoc suppositum *Christus*, non subsistere subsistentia infinita, & increata Verbi, sed subsistentia finita, & creata; vnio enim hypostatica creata est, & si per se ipsam subsistit, per aliquid creatum subsistet, & ita hoc suppositum *Christus* non secundùm se totum, & adæquatè subsistet per subsistentiam infinitam, siquidem aliquid illius, nempe vnio hypostatica subsistet per se ipsam, quæ est quid finitum, & creatum. Propter hæc posset dici vnionem illam subsistere per subsistentiam Verbi, quam recipit vt terminum vniendum, vel, si mauis, dicito vnionem illam non subsistere, neque indigere subsistentia, quia etiamsi subsistantialis sit, non pertinet ad constitutionem naturæ, cuius, & illorum, quibus natura formaliter constituitur, proprium est subsistere, & non cuiuscumque substantialis modi.

Punctum V.

An eadem natura possit duplici subsistentiâ terminari.

1 POtest procedere difficultas de duplici subsistentia, vtráque propria, & duplici aliena; subsistentia secluſa propria, & de subsistentia duplici quarum vna sit propria, & altera aliena. Vt definiri possit, an natura possit terminari simul subsistentia propria & aliena, sciendum est an possit terminari aliena, secluſa propria, si enim natura non possit aliena subsistentia terminari, vanum erit inquirere an possit terminari propria, & aliena. Sciendum etiam est an successiuè possit natura duplici subsistentia propria terminari, vt disputare liceat an possit simul duplici terminari, si enim neque capax sit habendi successiuè duplicem propriam subsistentiam, simul non posse extra quæstionem erit.

2 Naturam posse terminari subsistentia aliena increata fide sanctum est, quia eadem est sanctum naturam humanam Christi fuisse terminatam subsistentia Verbi. De subsistentia creata mihi dubium non est posse alienam naturam afficere, si propriæ non sit modus; sed res media vnione superadita illi vnita, neque enim de subsistentia re maior potest esse difficultas in hac quæstione, quàm de qualibet forma accidentali, de qua nemo dubitat posse extraneum subiectum afficere: sicuti calor afficit aquam, cui est extraneus. Idem dicerem de forma subsantiali si respectu huius subiectum aliquod extraneum inuenirem. De subsistentia modò fert communis sententia non posse efficere extraneum subiectum, quia inseparabilis est à proprio: probabiliter dici posse putat Arriaga disp. 4. sect. 13. subsect. 2. ad subsistentiam modum posse afficere naturam extraneam cui vniatur per vnionem superadditam, ita vt simul duplicem naturam respiciat: propriam per se immediatè, aliam per vnionem superadditam ab illa separabilem, quia de ratione modi non est non posse extraneum subiectum afficere, sed afficere proprium & ita si subsistentia modus semper propriam naturam afficiat, non erit contra rationem modalem ipsius respicere alienam. Ex eodem principio, seu ex natura modi rationem aliam expendunt Hurtad. & Lugo minùs vulgarem ex Soar. desumptam. Modus est actuale exercitium, est communicatio sui effectus formalis per se ipsum, & non per aliam entitatem superadditam: ergo subsistentia non potest constituere naturam subsistentem per modum alium superadditum: ergo non potest constituere existentem naturam, quam per se ipsam non respicit: ergo etiamsi subsistentia Petri vniretur extraneæ naturæ non illam constitueret subsistentem, sicuti si actio procedens ab hoc principio alteri vniretur non illud constitueret efficiens. Respondeo doctrinam veram esse in his entitatibus, quæ ex prædicato communi talis formæ habent esse modos, & illis repugnat esse res, sicuti contingit in actione, quæ eo ipso quod sit actio, debet esse modus, & in vnione, quæ ex prædicato vnionis habet esse modum. Subsistentia verò ex prædicato subsistentiæ non habet esse modum, non enim repugnat dari subsistentiam rem, quæ media causalitate suppositum constituat, & ita non repugnat subsistentiam hanc, quæ per se ipsam reddit subsistentem hanc naturam, reddere aliam distinctam ab istâ subsistentem per causalitatem superadditam.

Non improbabiliter rem componendam esse putarem si 3
diceretur subsistentiam modum huius naturæ posse per vnionem superadditam, aliam naturam subsistentem constituere. Fuit enim sententia Ochami, Bassol. Almaini, & Maioris apud P. Vasquez t. 1. in 3. p. disp. 25. c. 2. posse subsistentiam creatam terminare naturam alienam; & Pater Vasquez ibidem non assentitur rationi, quâ oppositum vulgò probatur, ex eo, quod subsistentia sit modus inseparabilis à re cuius est modus. & Hurtadus disp. 14. sect. 8. asserit se nescire an prædictus modus defendendi, naturam posse terminari aliena subsistentia creata probabilitate careat, in quem non parum propendet, idque probabiliter defendi posse tradit Arriaga disp. 4. sect. 13. subsect. 2. Nihilominus existimo probabilius dici subsistentiam modum per se ipsam respicientem subiectum non posse subiectum aliud respicere, etiam proprio retento, sicuti quæ per se ipsam respicit hoc principium efficiens, non potest medio modo superaddito aliud principium respicere, neque præsentia, quæ per se ipsam respicit hoc spatium, non potest aliud spatium per modum illi superadditum respicere, vt propriis locis probaui. Fateor nonnullam posse reddi disparitatem, quia si præsentia respiciens hoc spatium per se respiceret aliud per modum superadditum præsentia afficeretur præsentia, & esset præsens per præsentiam superadditam, quia modus ille ex vi cuius respiceret aliud spatium esset præsentia, & ita præsentia præsentiæ daretur. Idem contingeret in actione, quæ si respiceret per modum superadditum aliud principium distinctum ab illo, quod per se respiciebat, ipsa actio fieret per actionem, & actionis daretur actio, quia modus ille ex vi cuius actio per se respiciens hoc principium respiceret aliud principium effectiuum, esset actio terminata ad actionem. Si verò subsistentia per se ipsam respiciens hanc naturam per modum superadditum naturam aliam respiceret, non ideo subsisteret subsistentiâ superadditâ, neque daretur subsistentia subsistentiæ, quia modus ille non esset subsistentia, sed vnio subsistentiæ respicientis per se propriam naturam ad naturam extraneam, & causalitas, media qua subsistentia constitueret suppositum includens naturam extraneam eidem subsistentiæ. Nihilominus absque fundamento dici existimo subsistentias modò de facto existentes capacitatem habere terminandi vnionem ad naturas extraneas cum quibus suppositum constituant; quæ ratio recidit in illam, quam reddit Vasquez suprà cap. 3. qui existimat subsistentiam Petri non habere virtutem terminandi naturam Ioannis, quia si hanc virtutem haberet illam naturaliter terminaret. Quam illationem legitimam esse non defendo, verumtamen assentior Vasquio asserenti subsistentiam non posse naturam alienam terminare ex defectu virtutis illi innatæ. De possibilibus difficilè poterit reddi ratio, cur repugnet subsistentia modus per se afficiens hanc naturam, quæ per vnionem superadditam possit aliam afficere. His statutis procedere potest quæstio, an natura possit duplici subsistentia aliena, vel quadam propria, & altera aliena simul terminari? siquidem terminari potest aliena increata, & aliena creata, quæ sit res, & forsan aliqua ex possibilibus creatis, quæ sint modus.

Circa id, quod secundo loco statuendum proposui, pu- 4
tauit Pater Vasquez esse manifestum figmentum asserere eamdem naturam creatam posse terminari adhuc successiuè duplici subsistentia; cuius ratio hæc est. Natura ex se non potest habere plures subsistentias: ergo non est indifferens ad plures: ergo non sunt possibiles plures subsistentiæ respicientes eandem naturam. Posset eodem discursu inferre Pater Vasquez eumdem effectum non posse successiuè duplicem actionem terminare, neque idem subiectum

duplicem

duplicem recipere formam subſtantialem, & alia huiuſmodi, quia in ipſius ſententia ſubiectum non eſt capax recipiendi ſimul duplicem formam ſubſtantialem; & ita non eſt indifferens ad plures recipiendas: ergo non erunt poſſibiles plures formæ receptæ, ſeu recipiendæ in eadem materia. Eodem modo de actionibus fiet argumentatio. Reſpondebis materiam non poſſe recipere duplicem formam ſimul, ex quo infertur non eſſe indifferentem ad recipiendum, vel non recipiendum ſimul duplicem formam, non tamen non eſſe indifferentem ad recipiendam nunc hanc, vel illam, & nunc illam & poſtea aliam. Solutio eſt optima, ſed idem de ſubſiſtentiis affirmo. Do P. Vaſq. naturam non poſſe ſimul terminare duplicem ſubſiſtentiam, nego tamen ex hoc inferri non eſſe indifferentem ad terminandum modò hanc, vel illam, & modò hanc, & poſtea illam. Sit ergo firmum naturam poſſe ſucceſſiuè terminare multiplicem propriam ſubſiſtentiam, & in priori naturæ antequam contraxiſſet hanc numero ſubſiſtentiam, fuiſſe indifferentem ad contrahendum hanc, vel illam, ex pluribus poſſibilibus, quas potuit contrahere.

5 Etſi non ſine formidine aliqua defendit P. Lugo diſputatione 12. ſect. 6. n. 81. non potuiſſe naturam humanam Chriſti terminari triplici ſubſiſtentiâ increatâ, nempe ſubſiſtentia Patris, ſubſiſtentiâ Filij, & ſubſiſtentia Spiritus Sancti: Pro hac ſententia referuntur Richard. Palud. Alb. & Anſelm. quem D. Thomas aliter interpretatur. Oppoſitam ſententiam fert Doctorum conſenſus: ita D. Thomas 3. p. quæſt. 3. art 6. quem vltra plures alios ſequuntur P. Soar. apud eumdem diſp 13. ſect. 2. & P. Vaſquez. diſp. 19. Hurtad. & Arriag quos poſtea referam, mouentur communiter Doctores, quia licet ſubſiſtere in ſe, & ſubſiſtere in alio implicet contradictionem, nullam dicit eamdem naturam ſubſiſtere multiplici alienâ ſubſiſtentiâ. Idem de ſubſiſtentiis alienis creatis, ac increatis ſentiunt omnes, qui putant naturam poſſe terminari aliena ſubſiſtentia creata, neque ex alio capite negant Vaſq. & alij aſſerentes poſſe naturam multiplici ſubſiſtentia aliena creata terminari, niſi quia putant eſſe incapacem terminandi adhuc ſimplici aliena ſubſiſtentia creata, eodémque modo ſuppoſita capacitate in natura vt terminetur aliena ſubſiſtentia creata, philoſophandum eſt de pluribus ſubſiſtentiis alienis creatis ac de pluribus increatis, in ordine ad eamdem naturam. Similiter idem iudicium ferendum eſt de pluribus ſubſiſtentiis propris afficientibus eamdem naturam ſimul, quam ſucceſſiuè poterant afficere.

6 Cæterùm ſicuti in formis ſubſtantialibus duplicem excitaui quæſtionem Controu. 8. Phyſic. Punct. 3 videlicet, an eadem materia poſſit informari multiplici forma, & an ex illa poſſit multiplex forma educi, ſic in præſenti poteſt duplex tractari difficultas, an ex eadem natura poſſit ſimul educi duplex propria ſubſiſtentia, vel duplex vnio ad ſubſiſtentias alienas, vel ſimul ſubſiſtentia propria, & vnio ad alienam, & an poſſit natura ex ſuppoſitione quod ſubſiſtentiæ propriæ, & vniones ad ſubſiſtentias creatas creentur, multiplici ſubſiſtentia ſimul terminari. Ne tamen in his diutius quàm par eſt, immoremur, ex profeſſo tantùm diſputabo, an natura poſſit multiplici ſubſiſtentia terminari, ſiue ſubsiſtentiæ, vel vniones ad illas creentur, ſiue educantur, difficultas enim ſpecialis quam hìc tractant Authores eſt de ſubsiſtentiis, quatenus ſuppoſita conſtituunt, non de illis vt eductis, de quibus parum refert hac vel illa ratione iudicium ferri, adeo enim exigua, & minutula entitas eſt creata ſubſiſtentia, & vnio ad illam, vt neganda non ſit naturæ virtus vt ex illa duplex vnio ad alienas ſubsiſtentias, vel duplex ſubſiſtentia propria ſimul educantur, ſi ex alio capite non illi repugnet prædictis ſubſiſtentiis ſimul terminari.

7 De ſubſiſtentia propria, & aliena docuit P. Soar. dictâ diſput. 13. ſect. 1. repugnare naturæ exiſtenti in ſimplici loco, non tamen eidem exiſtenti in duplici loco, ita vt in vno habeat propriam ſubſiſtentiam, & in altero alienam: ſententia hæc reiicienda eſt ex dictis, Controu. 15. Phyſic. Punct. 10. vbi probaui omnia, quæ ratione incompoſſibilitatis formalis, vel ex defectu virtutis repugnant, ſubiecto exiſtenti in ſimplici loco repugnare eidem in multiplici exiſtenti, quia præſentiarum multiplicatio non addit virtutem cauſis, neque tollit incompoſſibilitatem formarum, quæ non eſt in ordine ad locum, ſed in ordine ad ſubiectum, quod ſemper eſt, etſi in diuerſis locis repetitum, ſed tantùm addit nouam applicationem ratione cuius exerceri poterunt in duplici loco, quæ in ſimplici præciſè ex defectu applicationis fieri non poterant. Vide quæ de hac re dixi loco citato. Conſequentiùs P. Vaſquez, & communis Doctorum ſententia eodem modo, id negant de natura abſolutè ſiue in ſimplici loco exiſtenti, & P. Lugo ſuprà n. 19. expreſsè aſſerit eamdem eſſe rationem de natura quocumque modo præſentata conſideretur.

Sentio nullam repugnantiam inuoluere naturam terminari duplici ſubſiſtentia, ſiue vtraque ſit aliena, ſiue vtraque propria, ſiue vna propria, & altera aliena increata, vel creata. Naturam poſſe terminari duplici ſubſiſtentia aliena, fulcitur authoritate Angelici Doctoris, quem ſequuntur vltra plures alios Soar. & Vaſquez num. 5. Idem dicit ros hos Doctores de duplici ſubſiſtentia propria, ex ſuppoſitione, quod poſſibilis ſit duplex ſubſiſtentia propria, quibus eadem natura poſſit ſucceſſiuè terminari, & hanc duplicem ſubſiſtentiam non repugnare oſtendi ſuprà n. 4. & 5. Naturam poſſe diuina intercedente potentia ſimul terminari ſubſiſtentia propria, & aliena, tradit Hurtad. diſp. 21. ſect 8. num. 24. quam ſententiam ſatis probabilem eſſe aſſerit, eámque à viris doctis vidiſſe defendi. Eamdem concluſionem abſolutè defendit Arriag. diſp. 4. ſect. 13. ſubſect. 4. & P. Lugo qui oppoſitam defendit diſp. 12. ſect. 6. aſſerit num. 68. difficilè poſſe rationem efficacem adduci, quâ concluſio tradita impugnetur. Concluſionem probo: Subſiſtentia quæuis, ſiue propria, ſiue aliena non conſtituit naturam formaliter non vnitam alij ſubſiſtentiæ, ſeu non terminatam alia ſubſiſtentia poſitiua, ſed tantùm habet vt poſſit per ſe ipſam exigere, ne natura, quam afficit vniatur, vel terminetur per aliam ſubſiſtentiam: ergo non implicabit Deum de potentia abſoluta, vnire naturam terminatam hac ſubsiſtentia alij ſubſiſtentiæ, ſiue propriæ, ſiue alienæ, per quam terminetur. Antecedens probo: naturam non eſſe vnitam alienæ ſubsiſtentiæ dicit formaliter negationem vnionis cum ſubsiſtentia aliena, eſſe vnitam ſeu terminatam per propriam ſubſiſtentiam dicit formaliter propriam ſubsiſtentiam afficientem naturam: ergo naturam eſſe terminatam hac ſubſiſtentiâ, & carere illa ſubſiſtentia diſtincta ab iſta, ſiue propria, ſiue aliena formaliter, & realiter diſtinguuntur, ſicuti diſtinguuntur ens poſitiuum & negatiuum, & ſicuti diſtinguuntur in materia ipſam eſſe informatam formâ hominis, & non eſſe informatam formâ ligni, vel bruti: ergo naturam eſſe terminatam hac ſubsiſtentia, ex ſe non dicit formaliter, & identicè non eſſe terminatam alia, ſiue propria, ſiue aliena, ſed tantùm dicit inducere negationem aliùs ſubsiſtentiæ per incompoſſibilitatem, quam habet hæc ſubsiſtentia cum illa; & per exigentiam, quam habet negationis omnis ſubsiſtentiæ diſtinctæ ab ipſa terminantis naturam, quam ipſa afficit. Conſequentiam probo: Etiamſi Deus vniat ſubsiſtentiam, ſiue alienam, ſiue propriam naturæ terminatæ per ſubsiſtentiam propriam, relinquit integram totam eſſentiam, & omnia, quæ dicit intrinſecè ſubsiſtentia, quæ afficiebat ſubiectum, quia ſubsiſtentia terminans hanc naturam tantùm dicit intrinſecè exigentiam negationis aliùs ſubsiſtentiæ informantis eamdem naturam, & non ipſam negationem, cum qua exigentia remanet etiamſi coniungatur cum contrario, ſicuti contingit calori vt octo, quando ſupernaturaliter iungitur cum frigiditate, cuius negationem exigebat: ergo per compoſitionem huius ſubsiſtentiæ cum alia, ſeu per poſitionem huius ſubſiſtentiæ permanente alia, quæ eamdem naturam afficiebat tantùm impedit effectum quemdam negatiuum, & ſecundarium, qui naturaliter erat inferendus ex poſitione vnius ſubſiſtentiæ, videlicet negationem illius ſubsiſtentiæ, quæ cum altera componitur in ſubiecto: ergo nihil efficit Deus, quod ſit formaliter deſtructiuum effectus formalis, quem præſtat ſubsiſtentia, neque alicuius prædicati intrinſeci ſubsiſtentiæ: ergo ſaluâ eſſentia quarumcumque ſubsiſtentiarum, & permanentibus integris omnibus, quæ ſubsiſtentiæ, ſiue propriæ, ſiue alienæ, ſiue vna propria, & altera aliena dicunt, intrinſecè poſſunt componi in eadem natura: ergo nulla contradictio eſt in eo, quod duplex ſubsiſtentia, quæ non opponuntur contradictorie in ordine ad ſubiectum, in eodem componantur. 8

Ex doctrina tradita ratione ſuprà dicta ſoluuntur facilè rationes omnes, quibus authores oppoſitæ ſententiæ intendunt probare, repugnare eamdem naturam terminari duplici ſubſiſtentia præcipuè propria, & aliena, quarum 9

hæc

hæc potissima. Ex vi subsistentiæ natura sistit in se ipsa: ergo non potest esse in alio supposito, implicat enim, id quod in se sistit transire ad aliud, sicuti in motu locali contingit, ex suppositione enim quod ego sistam in hoc loco, implicat transire ad alium. Vigetur ratio respectu subsistentiæ propriæ & alienæ: ex vi subsistentiæ propriæ constituitur natura existens in se, seu in proprio supposito: ex vi subsistentiæ alienæ constituitur natura in alio, & in alieno supposito, sed implicat esse in se, & in alio, in proprio, & alieno supposito: ergo implicat eamdem naturam terminari propriâ, & alienâ subsistentia.

10 Respondeo sistere naturam in se duo dicere, vnum positiuum, & aliud negatiuum: dicit positiuum naturam habere proprium terminum ex vi cuius alio non indiget, & constituitur actu vndequaque completa: dicit tanquâ quid negatiuum naturam non terminari aliâ subsistentia. Primũ illud positiuum est effectus primarius subsistentiæ inseparabilis ab illa. Secundum istud negatiuum est effectus secundarius subsistentiæ, sicuti est negatio frigiditatis in subiecto effectus secundarius caloris informantis subiectum, qui secundarius effectus à primo distinguitur, & ab illo separabilis est, vt suprà dicebam. Ex his respondeo posse cõponi cum primario effectu subsistentiæ, quæ tantùm dicit naturam habere terminum ex vi cuius sufficienter est terminata, & ex vi cuius petit carere alio, terminari alia subsistentia, siue propria, & aliena, licet non possit componi cũ secundario effectu, qui dicit negationem aliûs subsistẽtiæ, cùm tamen hic secundarius effectus separabilis sit à primario, sit naturam terminatam hac subsistentia posse terminari alia, ita vt non sistat in propria, seu in supposito constituto per propriam subsistentiam, quatenus sistere non solùm dicit rationem positiuam terminandi hac subsistentia, sed etiam negationem aliûs distinctæ ab ipsa. Ad illud, quod dicitur de subsistentia propria, & aliena, respondeo, per subsistentiam propriam constitui naturam in proprio supposito, quod est constitui hoc suppositum ex natura, & propria ipsius subsistentia, quod non dicit formaliter, & identicè, naturam non terminari aliena subsistentia, seu non constitui aliud suppositum ex eadem natura, & aliena subsistentia, sed tantùm causaliter, & illatiuè, quæ causatio, seu illatio potest impediri à Deo nolente iuxta exigentiam propriæ subsistentiæ naturam conseruare sine aliena subsistentia, sed simul conseruare subsistentiam propriam, & alienam afficientes eamdem naturam, seu simul producere duplex suppositum, hoc constitutum ex hac natura, & propria illius subsistentia, & illud ex eadem natura, & aliena subsistentia. Neque ex hoc infertur naturam habere, & non habere propriam subsistentiam, neque esse in proprio supposito, & non esse in proprio supposito, quæ contradictoriè opponuntur, sed esse in proprio, & alieno supposito, habere propriam, & alienam subsistentiam, quæ tantùm opponuntur contrariè. Exempla sunt obuia: corpus potest existere in duplici loco, vt fert communis sententia, demus ignem existentem iuxta Lunæ cõcauum ex vi huius præsentiæ, & in medio aëris ex vi alius præsentiæ, in quo nemo contradictionẽ inueniet, & tũc est in proprio centro, & in alieno: in proprio ex vi præsentiæ, qua cõstituitur iuxta Lunæ cõcauũ; & in alieno videlicet in cẽtro aëris, ex vi præsentiæ, quâ cõstituiturin medio aëris.

11 Addo hoc quod est rem affici propria forma, & alienâ abstrahendo ab hac, vel illa materia nullam dicere contradictionem, lapis enim afficitur frigiditate, quæ est propria illius qualitas, & afficitur luce quæ est qualitas illi extranea, aduentitia, & aliena, quapropter hoc quod est naturam non posse terminari subsistentia propria, & aliena præcisè oritur, ex eo quod natura non possit duplici subsistentia terminari, non ex eo quod vna sit propria, & altera aliena, ex his enim prædicatis præcisè nulla in illis resultat incompossibilitas in ordine ad eandem naturam, sicuti non resultat in duplici qualitate, quarum vna est propria, & altera aliena in ordine ad idem subiectum, vt de luce, & frigiditate respectu eiusdem subiecti nuper dicebam. Ex quo infero non maiorem incompossibilitatem habere hanc subsistentiam propriam cum alia aliena, quàm cum alia eiusdem naturæ propriæ. Dico nõ esse maiorem incompossibilitatem ratione oppositionis, quam inter se habent subsistentiæ, quia ex eo, quod precisõ quocumque alio, nulla subsistentia possit naturam alienam terminare, maius miraculum erit eamdem naturã terminari subsitẽtia propria, & aliena, quam duabus propriis, quia quando duabus propriis terminatur, terminatio cuiusuis subsistentiæ secundùm se sumptæ naturalis est, & tantùm supernaturale est vtramque coniungi, & simul eandem naturam terminare. Quando verò natura terminatur sussistentiâ propriâ, & alienâ, non est tantùm supernaturale vtramque subsistentiam coniungi, sed etiam supernaturale naturam terminari subsistentiâ alienâ, independenter ab vtriusque subsistentiæ coniunctione. Ex eodem capite censeo magis supernaturale esse naturam terminari duabus subsistentiis alienis, quàm vna subsistentia propria, & aliena, quia in vtroque casu subsistentiarum compositio est æquè naturaliter repugnans, & in primo vtraq; terminatio secundùm se sumpta, independenter ab altera est supernaturalis, & in secundo tantùm terminatio alienæ subsistentiæ supernaturaliter contingit, propria enim terminatio seclusâ coniunctione cum terminatione alterius subsistentia naturalis est.

12 Obiicies. Patres, & Concilia inferunt naturã humanam Christi carere propriâ subsistentiâ, quia est terminata subsistentiâ Verbi: ergo non potest natura humana Christi terminari propriâ subsistentia, & alena, aliàs non rectè inferretur est terminata subsistentiâ alienâ: ergo caret subsistentiâ propria. Respondeo Patres, & Concilia inferre defectum propriæ subsistentiæ in natura humana Christi, ex eo, quod subsistat subsistentia Verbi, quia non potest naturaliter eadem natura duplici subsistentia terminari, quæ illatio optima est, etiamsi supernaturaliter potuisset aliter contingere, sicuti benè omnes inferimus existentiam substantiæ, ex existentia accidentium, vbi fides oppositum non docet, etiamsi supernaturaliter accidentia sine substantia possint existere. Similiter inferunt Patres, & Concilia sub speciebus panis existere corpus & sanguinem Christi, item sub speciebus vini; etiamsi ex vi verborum sub speciebus panis tantùm sit corpus, & sub speciebus vini tantùm sit sanguis, quia naturaliter mutuò iunguntur corpus, & sanguis in homine viuo, etiamsi supernaturaliter possint separari.

13 Occurrit P. Lugo suprà sect. 6. Tantum & forsan maius miraculum est auferri à natura completa propriam subsistentiam, quàm illam conseruare subsistentia propria, & aliena, quia sicut datur repugnantia iuxta sententiã, quam defendimus naturalis tantum, & non essentialis in eo, quod natura terminetur duplici subsistentia: sic naturaliter repugnat naturam completam carere propria subsistentia. Cur ergo magis dicendum est auferri propriam subsistentiam, ne subsistat miraculosè eadem natura per duplicem subsistentiam, & non potiùs manere propriam subsistentiam, ne maneat natura sine passione sibi connaturaliter debita. Respondeo, supposita subsistentia Verbi terminante naturam humanam nullum esse miraculum hanc carere propria subsistentia, quia etsi subsistentia sit debita naturæ completæ, quando caret aliena, & eidem debitum sit carere aliena vt habeat propriam, non tamen debita est eidẽ naturæ propria subsistentia, ex suppositione quod habeat alienam, sicuti non est debita frigiditas aquæ ex suppositione, quod calore informetur; sed suppositæ informatione caloris, attenta exigentia causarũ naturalium naturaliter caret frigiditate, & huius informatio supernaturalis esset supra id, quod debebatur aquæ, & contra id, quod debebatur calori, quo supponimus aquam informari. Fateror ego forsan tantum, seu maius miraculum esse naturam hãc aliena subsistentia non terminatam propria carere, quàm illã propria & aliena terminari, quia naturæ non terminatæ subsistentia aliena debita esset propria subsistentia, & illius carentia esset contra exigentiam ipsius naturæ, nulla causa eamdem carentiã exigente; cùm verò natura affecta subsistentia aliena caret propria, etsi hæc carentia sit contra exigentiam naturæ, & iuxta exigẽtiam alienæ subsistentiæ, & ratione huius est carentia subsistentiæ, quæ tunc temporis non debetur, & qua naturaliter caret natura. Addo in multorum sententia naturam humanam Christi non habere appetitum ad propriam subsistentiam dum est affecta subsistentia Verbi.

14 Inquires an si daretur suppositum cuius subsistentia esset identificata cum natura, posset ipsius natura aliena subsistẽtia terminari. Affirmatiua pars suaderi videtur, quia si potest natura terminari aliena subsistentia, dum actu propriâ distinctam retinet: ergo etiamsi illam haberet identificatam eodem modo posset terminari. Respondendum tamen est negatiuè, quia si natura identificata cum subsistentia, aliena subsistentia terminaretur non solùm natura, sed etiam

etiam subsistentia cum ipsa identificata, terminaretur aliena subsistentia, & non solùm assumeretur natura, quæ subsisteret, sed suppositum, & ipsa formalis subsistentia, quod implicat.

PVNCTVM VI.

Nonnulla expediuntur de subsistentiis.

1 PRimò inquiritur, an natura possit conseruari à Deo absque omni subsistentia. Negat Scotus in 3. distinct. 1. & satis consequenter ad sua principia, cùm enim ipse teneat subsistentiam esse quid negatiuum, hoc non potest adimi, nisi adueniente illo cuius est negatio, cùm tamen hoc sit vnio ad aliud suppositum, sit non posse naturam priuari propria subsistentia absque vnione ad aliud suppositum, ac proinde subsistere subsistentia aliena eo ipso quod non subsistat subsistentia propria. Ex his qui docent subsistentiam esse quid negatiuum adhærent Scoto, P. Soar. in Metaph. disp. 34. sect. 6. n. 35. P. Fonsec. lib. 5. c. 8 q. 6. sect. 5.

2 Melius fert communis sententia naturam posse diuinitus manere nudam omni subsistentia, hanc tenet Caiet. 3. p. q. 4. art. 2. P. Valent. t. 4. disp. 1. q. 1. punct. 2. §. *nec obstat*. P. Lugo disp. 12. sect. 7. P. Albert. de prædic. subst. disp. 3. q. 4. P. Hurtad. disp. 11. sect. 9. §. 125. P. Arriaga disp. 4 sect. 13. subsect. 6. Sententiam hanc teneo & probo. Natura est prior causalitate subsistentia: ergo antequam intelligatur subsistentia, intelligitur natura existens: ergo siue postea existat subsistentia, siue non existat, existet natura. Sæpe hoc argumento vsus sum præcipuè Controu. 2. Physic. punct. 7. ad probandum materiam ex se posse existere naturaliter sine forma, si semel naturaliter, vel supernaturaliter forma expolietur, vbi egi de dependentia à posteriori, & ostendi, quàm ægrè possit defendi; sed quidquid sit de hac dependentia à posteriori argumentum prædictum conuincit naturam, vt existentem, tantùm dependere à posteriori subsistentia, si aliquo modo dependet, quam dependentiam potest Deus supplere, & illa non obstante naturam conseruare, supra id, quod exigit, seu casu quo non exigeret conseruationem ex defectu subsistentiæ. Secundò efficaciter eadem conclusio probatur ex eo, quod nulla appareat contradictio in eo quod conseruetur natura sine subsistentia, sine qua diuinæ omnipotentiæ nihil negandum est. Constabit antecedens ex argumentorum solutione.

3 Obiicies primò. Si natura daretur sine subsistentia esset per se, & non esset per se, quæ sunt contradictoria. Esset per se quia non inniteretur alteri, non esset per se, quia non haberet subsistentiam. In eamdem rationem coincidit argumentum aliud, quod vulgò circumfertur. Implicat effectum formalem sine forma; sed si natura existeret sine subsistentia esset effectus formalis subsistentiæ, quia natura existeret per se, quod est effectus formalis subsistentiæ: ergo implicat naturam existere sine subsistentia. Respondeo naturam sine subsistentia extituram per se, hoc est, non in subiecto inhæsionis, à quo educeretur, quod habet per creationem, non tamen extituram per se, hoc est, positiuè terminatam, & perfectam propria subsistentia, & vltima ipsius perfectione; in quibus nulla est contradictio, quia non diceretur natura esse per se, & non esse per se sumpto *per se* in eodem sensu, sed in diuersis, in quibus esse per se, & non esse per se non opponuntur, quia non opponuntur esse creatum, & independenter à subiecto, quem modum essendi per se haberet natura sine subsistentia, cum hoc quod est non habere proprium terminum, & vltimam perfectionem, quod esset in natura carente subsistentia non esse per se, neque alium modum non essendi per se haberet. Ad illud de effectu formali subsistentiæ, dicendum est ex doctrina tradita effectum formalem non esse naturam non existentem in subiecto inhæsionis, quæ esset, deficiente subsistentia, sed natura vltimò perfecta, proprióque gaudens termino, seu suppositum, & constitutum ex natura, & vltima perfectione illius, videlicet subsistentia, quod suppositum deficiente subsistentia neutiquam esset.

4 Obiicies secundò. Implicat rem esse sine proprio termino intrinseco: sed subsistentia est terminus intrinsecus naturæ: ergo implicat naturam existere sine subsistentia. Antecedens probatur in linea quantitatis, quæ si infinita non sit, non potest non proprium habere terminum. Distinguo primam propositionem: Implicat rem esse sine termino intrinseco, quando terminus realiter identificatur cum re terminata, concedo maiorem; quando ab illa saltem modaliter distinguitur, nego maiorem. Deinde distinguo minorem: subsistentia est terminus intrinsecus naturæ, identificatus cum illa, nego: distinctus saltem modaliter, concedo: & vltimò nego consequentiam. Ad exemplum adductum de quantitate dico lineam finitam & extensam non posse conseruari sine termino in opinione, quæ lineæ terminum vocat indiuisibile vltimum illius eiusdem rationis cum aliis; in opinione verò, quæ continuatiua puncta concedit specie à reliquis distincta, dicendum est posse lineam sine his indiuisibilibus conseruari.

5 Obiicies; eo ipso, quod à re aufertur talis modus necessariò illi modus oppositus contingit, sicuti eo ipso, quod à quantitate demas eductionem, illi creationem contingere necesse est: ergo eo ipso, quod à natura demas subsistentiam propriam, quâ est per se necessariò illi aliena contingeret, quâ sit in alio tanquam in supposito. Respondeo antecedens vniuersaliter non esse verum, licèt in exemplo adducto eductionis, & creationis illius doctrina specialiter sùpta vera sit, quia nullum ens creatum potest esse sine dependentia ab aliqua causa, & cum omnis dependentia à causa efficiéte sit actio, & hæc adæquatè diuidatur in eductiuam, & creatiuam, rectè tenet consequètia; entitas hæc non est educta: ergo est creata; & è contrà, non est creata: ergo educta. In præsenti autem materia non specialis inuenitur ratio, propter quam dicamus de potentia absoluta non posse entitatem existere sine subsistentia, sicuti reperitur ne possit existere sine actione. Adde in omnium sententia naturam tantùm posse dependere à posteriori à subsistentia, res verò creata dependent à priori ab actione, quam supponit.

6 Obiicies tertiò. Natura non potest esse sine præsentia: ergo neque sine subsistentia. Notauit benè Arriaga eodem modo posse inferri: ergo neque sine passionibus, vel argumento non potest esse sine præsentia: ergo neque poterit esse sine forma substantiali. Respondeo naturam posse existere de potentia absoluta sine subsistentia, quia in hoc nulla est repugnantia, quidquid sit de alia quæstione, an posse entitas sine præsentia existere, cui, qui negatiuè respondet admittet antecedens, & reddet pro disparitate rationem, quâ mouetur ad affirmandum entitatem non posse etiam diuinitùs sine præsentia existere: licebit etiam mihi antecedens negare, qui defendo Controu. 15. Physic. Punct. 7. posse entitatem creatam omni præsentia absolui, quia tamen difficultatis argumentum in illatione non consistit, sed tota est in antecedenti, quod longè difficilius est consequenti, vt intra proprios materiæ terminos coërceatur arguens, satius erit antecedens omittere, neque aliam teneris disparitatem reddere, si asseras certum tibi esse non esse repugnantiam in eo quod natura existat sine subsistentia, etiamsi admittatur in eo, quod entitas sit sine præsentia, quia etiam hac admissa quæcumque illa sit certum est solui omnia argumenta, quibus intenditur probare inuoluere contradictionem naturam existentem sine subsistentia. Neque in his quæ de potentia absoluta procedunt arguendum est negatiuè à paritate huius conclusionis ad aliam, sed à paritate rationis repugnantiæ, quam in vtraque agnoscimus: assigna ergo repugnantiam, quam inuenis in eo, quod sit entitas sine præsentia, & tunc ego disparitatem reddam propter quam ratio illa repugnantiæ non inueniatur in eo, quod natura existat sine subsistentia, aut defendam, si admittam rationem illam eo modo se habere respectu subiecti in ordine ad præsentiam, & subsistentiam, non esse veram rationem repugnantiæ, & neutrum ex illa implicare.

7 Insurgit alia difficultas, an natura existens sine subsistentia conseruaretur eodem influxu quo conseruabatur dum erat cum subsistentia, vel cum alio distincto. Conseruandum esse cum alio docet P. Albertinus suprà n. 7. Melius docet Hurtad. suprà ex Patre Soar. naturam eodem influxu conseruandam esse, quia natura non dependet à priori à subsistentia tanquam à principio; sed ad summum à posteriori, quia non illi debetur conseruatio deficiente subsistentia, quæ dependentia non variat actionem; quia idem concursus, qui datur naturæ subsistenti, quia illi debetur, potest dari à Deo quando non debetur. Eâdem ratione dixi loco citato de materia, eadem actione à Deo conseruâdam esse sine forma, quâ cum illa conseruabatur. Addo neque quoad modum esse supernaturalem, seu indebitum concursum, quo natura sine subsistentia conseruaretur, tantùm enim

enim esset supernaturale ipsam propria subsistentia carere, sicuti de materia dicebam loco citato naturaliter esse conseruandam si supernaturaliter omni forma expoliaretur. Ratio est eadem in vtraque materia petita ex prioritate, quam habet materia respectu formæ, & natura respectu subsistentiæ, cum qua haud facilè valet intelligi dependentia à posteriori, quam in natura respectu subsistentiæ meditatur Soar. 3. p. t. 1. disp. 8. sect. 1. §. alio modo.

8 Solet inquiri, an subsistentia sit de essentia hominis. Respondendum est negatiuè, quia essentia idem sonat, ac natura, deinde quia dicimus Verbum assumpsisse totam naturam, & totam hominis essentiam, tamen subsistentiam non assumpsit. Si tamen homo sumatur secundùm naturam completam, non quatenus natura, quæ est completa dicit in obliquo id, per quod completur; sed quatenus illud dicit in recto, & formaliter quatenus est suppositum, seu persona, subsistentia posset dicit de essentia hominis, quia est id, per quod formaliter constituitur suppositum & sicuti calor est de essentia calidi, vt calidi, sic subsistentia est de essentia suppositi formaliter, vt suppositi, quia sicuti implicat esse calidum sine calore, sic implicat esse suppositum sine subsistentia. Hic tamen loquendi modus frequens non est inter Philosophos, neque proprius in Philosophia, ideo absolutè dicendum est subsistentiam non esse de essentia hominis aut suppositi, quia iuxta frequentem, & proprium loquendi modum, cùm inquiritur, an aliquid sit de essentia hominis, non intelligitur de essentia suppositi reduplicatiuè, sumpti formaliter vt suppositi, sed tantùm specificatiuè, hoc est, an sit de essentia hominis, qui est suppositum, seu persona.

9 Inquirendum non est, sed supponendum, subsistentiam constituere formaliter suppositum in esse suppositi contra Capreol. qui in 3. dist. 5. q. 3. docuit existentiam, & subsistentiam non distingui realiter, reperiri tamen in eadem entitate duplicem formalitatem: vnam, quæ facit rem esse extra causas, & existentia dicitur; alteram, quæ naturam facit esse per se, & dicitur subsistentia, nihilominus asserit hanc non esse constitutiuam suppositi in esse suppositi, sed importari vt additum, sicuti terminus à relatione, qui formaliter non est constitutiuum relati formalitet vt relati, licet ab illo dependeat tanquam ab aliquo extrinseco, quo modo asserit suppositum à subsistentia dependere: Capreoli fundamenta hæc sunt: subsistentia est passio naturæ: ergo fluit à supposito: ergo non constituit suppositum. Concedo antecedens, & nego consequentiam, quia etsi passiones aliæ à supposito dependerent, & ad illas producendas requireretur subsistentia ex parte principij, passio illa per quam suppositum constitueretur non procederet à supposito, neque subsistentia ex parte principij subsistentiam, seu naturam subsistentem supponeret; sicuti præsentia non supponit ex parte principij, quod per illam præsens constituitur, aliam præsentiam, neque principium formaliter, vt præsens, licet ad producendum omnem effectum distinctũ à præsentia ex parte actus primi præsentia supponatur.

10 Arguit secundò: Existentia non est de essentia creaturæ: ergo neque subsistentia est de essentia suppositi. Concedo antecedens, & distinguo consequens, subsistentia non est de essentia suppositi specificatiuè sumpti, concedo consequentiam; reduplicatiuè formaliter vt constituti in esse suppositi, nego consequentiam. Posse vti eadem distinctione in antecedenti, quia existens formaliter, vt existens, & vt dicit rationem creaturæ abstrahibilem ab existenti, & & possibili iam contractam ad esse existentis, vt condistincti, & oppositi cum esse possibilis dicit existentiam tanquam rationem formalem constitutiuam, sicuti album vt album dicit albedinem, vt illius constitutiuum, sine qua implicat existere formaliter album, licet possit existere subiectum quod denominabatur album. Sic conceptus creaturæ, quæ denominatur existens concipi potest sine ipsa existentia, ipsa verò creatura formaliter, vt existens sine existentia concipi non valet.

11 Arguit tertiò: Si subsistentia esset de essentia suppositi non esset Christus vniuocè homo nobiscum, nam subsistentia in Christo est diuina, in nobis humana, quæ inter se essentialiter differunt: ergo si subsistentia esset intrinseca supposito hominis, non posset hic homo habens propriam subsistentiam conuenire vniuocè cum Christo. Respondeo Christum vniuocè esse hominem, cum alio quouis homine, quia habet naturam humanam, quæ vniuocè conuenit cum natura cuiusvis hominis, ex qua natura essentia hominis desumitur, & non ex subsistentia, natura enim eadem eumdem hominem constituit, quacumque subsistentia specie differenti terminetur, sicuti eadem natura diuina constituit eumdem Deum cum triplici subsistentia, quarum quælibet ab alia specie differt.

12 Non inconsequenter potuisset procedere Durandus, qui docuit in 1. dist. 33. q. 1. in 2. dubitat. subsistentiam non componere suppositum cum natura, quia cùm ipse asserat suppositum tantùm per rationem à natura distingui, & vbi nulla est realis distinctio nulla possit esse compositio rectè in suis principiis infertur subsistentiam non componere naturam cum supposito. Non tantâ specie consequentiæ docuit eamdem conclusionem Caietan 3. p. q. 4. art. 2. cùm ipse fateatur subsistentiam modum esse positiuum naturæ superadditum. Fundamentum Caietani hoc est: terminus non componit cum re terminata, sed subsistentia est terminus naturæ: ergo non componit suppositum cum natura. Antecedens probat exemplo puncti terminatiui, quod ex communi Philosophorum sententia cum linea quam terminat non componit.

13 Dixi potuisse Durandum consequenter ad sua principia procedentem docuisse conclusionem propter rationem dictam, verumtamen aliud fundamentum iecit ad illam adstruendam, quo intendit nullum modum posse cum alia re componere. Sic arguit: Nullus modus componit cum natura: sed subsistentia est modus: ergo subsistentia non componit cum natura. Supponit minorem, quam iuxta illius principia, qui tantùm distinguit per rationem naturam à supposito, negandam esse arbitror. Maiorem probat: omnis compositio fit per hoc quod vna res inhæreat alteri, vel per se subsistat alteri vnita, sicuti se habet anima respectu corporis; sed modus non inhæret in natura, neque per se subsistit naturæ vnitus: ergo non componit cum natura.

14 Fert communis sententia subsistentiam cum natura componere suppositum, in qua quæstione de vocibus tantùm potest esse dissidium, quia apud omnes est certum suppositum constare ex natura, & subsistentia, an verò subsistentia dicenda sit componens cum natura, vel terminans naturam, quæstio est purè de voce, in qua magis placet communis loquendi modus, quia subsistentia formaliter constituit suppositum in esse suppositi, quod est esse formam suppositi, vt suppositi, & omnis forma pars dicitur formalis illius, quod constituit cum alio, quod præsupponit, sicuti præsentia dicitur forma huius concreti præsens formaliter, vt est concretum accidentale constitutum ex subiecto, & ex præsentia. Neque refert subsistentiam esse modum, vt putauit Durandus, quia de ratione partis componẽtis tantùm est esse alteri vnitam, vel immediatè per se, vel per vnionem superadditam, potest enim dari compositum substantiale constans materia, & forma substantiali per se ipsas vnitis nulla superaddita vnione interiecta. Neque principium Caietani vniuersaliter est verum, potest enim dari terminus, qui cum re, quam terminat constituat, & componat non rem terminatam, seu habentem terminum, sed terminatum substantiuè, seu illud quod resultat ex re terminata, & ex ipso termino. Fateor punctum lineæ, non dici lineam componere, in opinione, quæ puncta terminatiua specialia admittit, & continuum constituit ex infinitis partibus, quia secundùm hanc sententiam secluso hoc puncto intelligitur tota essentia lineæ, quæ dicit quantitatem extensam versus longitudinem, ad quam extensionem punctum illud non conducit, quia indiuisibile cuicumque addatur non facit maius secundùm hanc sententiam. In opinione Zenonis si punctum speciale terminatiuum admittatur impenetrabile cum aliis partem componere dicetur, si verò penetrabile constituatur non erit pars lineæ propter eamdem rationem, qua exeluditur punctum à ratione quantitatis in Aristotelis sententia.

15 Potest inquiri an subsistentia possit separari à natura, cuius est subsistentia, cui quæstioni facilè respondeo in opinione, quæ subsistentiam rem esse defendit, & non modum posse separari; non verò in opinione, quæ asserit subsistentiam esse modum, propter communem rationem rei, & modi, quorum hic inseparabilis est à re cuius est modus, & illa à quacumque alia, cuius non est modus, separari valet.

16 Peti etiã solet quibus rebus subsistentia conueniat. Dixi iam subsistentiam conuenire toti composito, & posse conuenire materiæ, formæ, & modo vnionis. Explicui etiam ibidem an possit vnioni hypostaticæ subsistentia conuenire,

restat modò dicendum an conueniat accidentibus. Nulli accidenti subsistentiam cõpetere dum subiecto inhæret citra controuersiã est inter Doctores, an illi conueniat dũ per creationem extra subiectum conseruatur cõtrouersum est. P. Vasq. t. 3. in 3 p. disp. 149. c. 2. P. Soar. ibid. disp. 59. sect. 2. concl. 2. P. Lugo tom. de Incarn. disput. 12. sect. 7. num. 94. sentiunt quantitati Eucharisticæ per creationem existenti independenter à subiecto deberi modum quẽdam superadditum, quo constituitur per se existens. Oppositam sententiam tradidi Controu. 3. de anima Punct. 4. vbi dixi potentiis à subiecto separatis nullum deberi modũ superadditũ distinctum à creatione, quod de omnibus accidentibus verum reputo, quia præcisè per creationem constituitur accidens existens independenter à subiecto, & nullum fundamentum supereſt ad concedendũ modum alium illi existendi per se, aliàs posset subsistentia Verbi vnita accidenti supplere modum illum & Verbum vniri posset hypostaticè accidenti sicuti potest vniri animæ rationali separatæ à materia, quod nullo modo est admittendum.

17 Circa causas subsistentiæ certum esse existimo naturam seu subiectum cuius subsistentia dicitur terminus esse, causam materialem subsistentiæ propriæ, etiamsi nõnulli apud P. Soar. disp. 34. Metaph. sect. 6. n. 22. putent subsistentiam nullam habere causam materialem, sed creari per se ipsam subiecto affixam, quod omni caret fundamento, neq; in hac mente fuit P. Soar. loco citato, vbi tantùm subsistentiæ negauit modum superadditum, quo vniretur subiecto, quam inhærentiam appellat, & illi dependentiam ab eodem subiecto tanquam à causa materiali concedit. De causa efficienti maior est difficultas. Docet P. Albertin. suprà q. 10. cum Caietano & Capreolo subsistentiam produci à generante, & non ab ipsa natura. Mouetur Caietanus, quia putat subsistentiam non distingui ab existentia, quam produci à generãte certum est. Non assentitur Albertinus, qui meritò asserit subsistentiam distingui à naturæ existentia, ideo ratione Caietani omissa hanc adducit. Actiones sunt suppositorum, hoc est, procedunt à natura in priori naturæ terminata subsistentia: ergo subsistentia non potest procedere à natura, cuius est subsistentiã, quia hæc non potest supponi subsistens in illo priori, in quo præcederet propriã subsistentiam producendam. Ratio hæc efficax non est, tum quia principium quod supponit non est verum, tum quia etiamsi natura deberet supponi subsistens ad alios effectus à subsistentia distinctos producendos, non ita deberet supponi ad producendam ipsam subsistentiam, per quam formaliter constituitur subsistens, vt sæpe de subsistentia, & de aliis formulis similibus dixi, præcipuè de propria præsentia, ad quam producendam, vel recipiendam non debet supponi subiectum præsens, etsi ad alios effectus ita debeat intelligi, vt probaui Controu. 16. Physic. Punct. 4.

18 Arguunt alij: Anima rationalis non potest producere suam vnionem: ergo neque natura suam subsistentiã. Posses eodem modo inferre: ergo neque natura suas passiones. Respondeo animam rationalem non posse producere suam vnionem, quia nulla forma producit aliquid in subiecto, à quo dependet, vel cui vnitur, nisi quatenus cum illo composuit quoddam totum, & quatenus actus est forma illud informans, & cum nulla forma possit supponi vt informãs subiectum ante vnionem, nulla potest supponi in actu primo potens suam vnionem producere. Hac de causa neque calor à subiecto eductus potest suam producere vnionem. Ex quo non infertur naturam non posse propriam subsistẽtiam producere. Sed adhuc posses instare, etiam si natura deberet supponi subsistens ad alias actiones, non ita debet supponi ad subsistentiam producendam, per quam constituitur subsistens: ergo etiamsi forma debeat supponi informans ad reliquas actiones exercendas in subiecto non debet supponi informans ad producendam informationem, per quam formaliter informans constituitur. Resp. disparem, esse rationem, quia natura suam subsistentiam producit per simplicem quamdam emanationem independenter ab alio subiecto, forma verò non potest ita suam vnionem producere, sed dependenter à subiecto extraneo, & si substantialis sit dependenter ab illius dispositionibus, ad quas actiones distinctas à simplici emanatione in proprio subiecto exercendas debet intelligi actu informans. Adde formas accidentales non agere in proprium subiectum nisi per actionem æquiuocam terminatam ad alia accidentia specie distincta.

19 Subsistentiam produci à natura docet ex D. Thoma P. Soar. disp. 34. Metaph. sect. 6. quem sequitur P. Lugo sect. 7. citata n. 14. P. Hurt. disp. 11. sect. 9. §. 120. P. Arriag. disp. 4. sect. 13. subs. 3. in qua quæstione nulla firma ratio potest excogitari, vt bene monent nostri Doctores, qui sententiam hanc cum Soar. defendunt, quia magis ad mentem Angelici Doctoris esse videtur, cui propter hanc rationem assentiar. Adde subsistentiam esse vltimam perfectionem naturæ, quam ipsa per simplicem emanationem posse producere verosimilius esse videtur.

Disputant aliqui, an subsistentia producatur per eamdem actionem, per quam natura producitur, quæ difficultas locum non habet in opinione eorum, qui asserunt subsistentiam produci ab ipsa natura, quia secundùm hanc sententiam diuersum est principium, à quo producitur natura, & principium à quo producitur subsistentia: ergo actiones, per quas producuntur subsistentia, & natura diuersæ sunt. Insuper si natura est principium actionis, per quam producitur subsistentia, & subsistentia, & natura producerentur per ipsam actionem, natura esset principium actionis, per quam ipsa produceretur. Neque in opinione illorum, qui asserunt subsistentiam produci à generante admitti deberet hæc quæstio, quia in multorum sententia, qui materiæ, & formæ vnitis eamdem subsistentiam indiuisibiliter tribuunt, non potest non subsistentia materiæ, & formæ per eamdem actionem produci; at materia, & forma non producuntur per eamdem actionem: ergo distinguuntur actiones, quibus producuntur materia, & forma ab actione, qui illarum subsistentia producitur. Rursus, siue subsistentia sit simplex siue composita, subsistentia dependet in genere causæ materialis à natura, quàm afficit, seu à subiecto, quod constituit subsistens: ergo illud supponit productum: ergo antequam sit productio subsistentiæ præintelligitur, & supponitur productio naturæ, quæ constituitur subsistens: ergo non possunt natura, illiúsque subsistentia per eamdem actionem produci.

PVNCTVM VII.

De diuisione substantiæ in primam, & secundam.

NOster Vall. in prædicamento Substantiæ totam quæstionem tertiam in octo sectam capita instituit de hac diuisione substantiæ in primam, & secundam, & P. Albertinus in prædicam. Substantiæ disput. 3. q. 11. plures refert opiniones circa modos, quibus hæc diuisio ab authoribus intelligitur, quas omnes omitto, quia res est leuissimi momenti, in qua nihil temporis sine ipsius iactura impenditur. Primam substantiam definiuit Aristoteles, quæ, *neque in subiecto est, neque de subiecto aliquo dicitur.* Secundam descripsit, *genus, & species, in quibus insunt primæ.* Clariùs eosdem conceptus his vocibus exprimes: *Substantia prima est ens per se singulare.* Substantia secunda est *ens per se abstractum.* Indiuiduum prima substantia dicitur, & ratio indiuiduis communis secunda appellatur, quia hæc ab illa abstrahitur, & mente nostra indiuidua subsequitur, quæ supponuntur vt prima abstractionis materia, ideo non incongruè ab Aristotele primæ substantiæ dicuntur, & ratio abstracta, secunda substantia appellatur, non quia in re talis, nisi quia per nostros conceptus non intelligitur, quoysque primæ substantiæ, seu indiuidua præintelligantur. 1

Circa hanc diuisionem bene notat Hurtadus cum aliis plurimis non posse dici vniuocam, neque analogam, quia membra diuidentia non differunt per aliquid reale, sed tantùm per rationem, ac proinde si strictè loquendum sit, talis designatio subsstantiarum diuisio non est, quia substantia vt sic diuidi nequit in primam, & secundam, quia substantia vt sic dicit substantiam abstractam, quæ est substantia secunda: ergo diuisum adæquatè conuertitur cum altero membro diuidenti, & aliud excludit, & idem erit sic substantiam diuidere, ac dicere: *ratio communis substantiæ, alia est communis*, en vnum membrum diuidens, quod adæquatè conuertitur cum diuiso, à quo, nec formaliter differt, *alia est indiuidua*, en alterum membrum, quod destruit rationem formalem cum quo opponitur. Posset tamen dici reduci hanc substantiarum assignationem ad diuisionẽ subiecti in accidentia. Sume illud reduci tam respectu diuisionis, quam dixi 2

propriè

propriè non esse talem, quàm respectu differentiæ subiecti in accidentia, quia non vtrumque membrum afficitur aliquo accidenti, vt significatum nomine primæ, & secundæ substantiæ, quia prima substantia, videlicet Petrus, prout hoc nomine significatur, quod exprimit rationem indiuiduam, per quam ex mente Aristotelis in ratione primæ constituitur, nullum dicit accidens: Secunda verò tantùm dicit accidens quoddam extrinsecum, videlicet abstractionem. Subsistet tamen diuisio ex parte vnius membri diuidentis, si intelligamus tamquam differentiam constitutiuam extrinsecum accidens, videlicet abstractionem, & ex parte alterius negationem huius accidentis, ita vt diuisum abstrahat ab abstractione & à negatione abstractionis, & confideretur indifferens vt abstrahatur, & non abstrahatur, & contrahatur ad substantiam secundam per abstractionem positiuam, & ad substantiam primam per negationem huius abstractionis positiuè intellectam.

CONTROVERSIA VII.

De secundo membro diuidenti quod est quantitas.

DVPLEX vulgo circunfertur Quantitas; quædam dicitur quantitas *molis*, *perfectionis* alia. Quantitas *molis* dicitur, quam per extensionem, & impenetrabilitatem in rebus corporeis agnoscimus, quæ specialem sibi vendicat formalitatem. Quantitas *perfectionis* transcendens est omnibus entitatibus, quæ cuiusuis propriam perfectionem importat, iuxta quam, quæ perfectiora sunt, maiora vocamus. Vnde Augustinus libro 6. de Trinit. capite 8. dixit *in his quæ non mole magna sunt, hoc maius est, quod melius est.* De hac perfectionis quantitate non in præsenti agendum est, sed de quantitate molis, de qua tota instituitur Controuersia.

PVNCTVM PRIMVM.

An quantitas sit accidens speciale distinctum à substantia & reliquis accidentibus.

1 NOminales omnes apud Patrem Soar. in Metaphys. disp. 4. sect. 2. defendunt quantitatem non esse speciale accidens distinctum à substantia, & réliquis accidentibus, sed omnes entitates corporeas per se ipsas exigere extensionem, & impenetrationem, quæ quantitati tribuuntur. Itaque asserunt materiam primam ex se esse impenetrabilem, seclusо alio quocumque accidenti, & formas substantiales, & accidentales similiter per se ipsas esse impenetrabiles independenter à quocumque alio ipsis superaddito. Secundùm hanc sententiam tot erunt quantitates specie distinctæ, quot sunt entia corporea, quantitas enim identificata cum substantia erit substantialis, & quantitas identificata cum accidenti accidentalis erit, eadémque ratione distinguentur quantitates identificatæ cum accidentibus specie distinctis, licèt enim in eadem ratione formali quantitatis conueniant, siue hæc sit radix impenetrationis, vel fundamentum extensionis, aliáve quæuis formalitas.

2 Quantitatem esse speciale accidens distinctum à reliquis aliis entitatibus defendunt Angelicus Doctor. 3. p. quæst. 77. art. 2. & in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. & Scotus in 4. dist. 12. quæst. 2. & in 2. quæst. 9. vtrumque Ducem vtriusque Scholæ sectatores sequuntur, quos ferè omnes nostræ Societatis Doctores comitantur. His subscribo tanto authoritatis vtriusque Scholæ pondere tractus, nullâque firmâ ratione pro sententia negante quantitatem superadditam allectus. Quod si robustam nimis nullam inueniam pro sententia quantitatem distinctam adstruente, in illam magis inclinant probabiles coniecturæ, & in his, quibus subscripsit communis consensus dum vrgenti aliqua ratione non impugnantur, aliud non est desiderandum fundamentum, vt amplectantur.

3 Probant Thomistæ quantitatem distinguendam esse à materia. Conceptus materiæ primæ est esse subiectum receptiuum formarum, sed in hoc conceptu non includitur ratio quantitatis: ergo materia prima rationem quantitatis non includit. Eadem proportione fit argumentum de forma, præcipuè de forma hominis, quæ spiritualis est, quo facto facilè proceditur ad compositum, quia si quantitas distinguitur à materia, & forma distinguetur à composito, quod tantùm dicit materiam, formam, & vnionem, nemo enim dicet quantitatem distinctam à materia, & forma cum vnione esse identificandam. Hoc argumentum vt benè vidit Arriag. disp. 5. sect. 1. subsect. 1. rem non probat, quia licet conceptus quidditatiuus, & constitutiuus materiæ sit esse subiectum receptiuum quantitatis, hoc non impedit esse identificatam realiter cum materia prima aliam formalitatem quantitatis, quæ non pertinebit ad specialem conceptum metaphysicum materiæ, tum quia communis materiæ, & formæ, tum quia præcisè per conceptum subiecti receptiui formarum substantialium adæquatè constituitur in esse materiæ, & metaphysicè distinguitur à forma, & à reliquis entitatibus, quæ materia non sunt. Quod si aliquid valet prædicta ratio, posset, ex illa probari posse dari aliquam materiam primam, quæ non habeat identificatam formalitatem quantitatis, siquidem talis formalitas non est de conceptu constitutiuo materiæ, neque de conceptu entis corporei, adhuc vt existentis. cum nulla possit assignari repugnantia in eo, quod detur ens corporeum existens, cui illa quantitatis ratio non competat, quod per aliam formalitatem corporeum poterit constitui, & ex nullo capite possit desiderari formalis ratio quantitatis, vt intelligatur, & de facto sit existens quoddam subiectum receptiuum formarum in esse corporis constitutum per exigentiam quantitatis distinctæ, aliámve formalitatem, ex his quæ possunt assignari ad constituendum corporei gradum.

4 Fortius sit argumentum ad homines contra Nominales. In horum sententia quælibet entitas habet secum suam quantitatem identificatam, & est radix propriæ extensionis: ergo quando accidentia eidem subiecto vniuntur, duæ quantitates identificatæ cum accidentibus inter se penetrantur, & materia quæ est quantitas penetratur cum forma substantiali, quæ similiter est quantitas, & tot quantitatibus penetratur, quot sunt formæ accidentales cum substantiali, quibus vnitur, cùm omnes sint quantitates, & cum omnibus necessariò penetretur, vt illis vniatur. Vsus est Aristoteles hoc argumento libro secundo de anima, textu sexagesimonono, vbi probat lumen non esse corpus, quia se penetraret cum aëre, & ita penetrarentur duo corpora. Respondent Nominales non posse duas quantitates penetrari, quando pertinent ad diuersa subiecta, secus quando pertinet ad idem subiectum, & ita possunt plura accidentia eidem vnita subiecto penetrari, licet non possint duo subiecta inter se distincta penetrari. Hac ratione vim retinet illatio Arist. Si enim lumen esset corpus non subiectaretur in aëre, & ita eo ipso quòd cum aëre penetraretur, penetrarentur duæ quantitates non respicientes idem subiectum, quod est absurdum. Huius solutionis doctrina omni fundamento est destituta, vnio enim ad subiectum commune non potest facere penetrabiles quantitates, quæ vnione seclusâ impenetrabiles sunt, neque negatio vnionis potest conducere ad impenetrabilitatem, quam quantitates eidem subiecto vnitæ non haberent, quia vna quantitas non resistit penetrationi aliùs quantitatis per negationem vnionis, quam cum illa habeat, vel cum alio communi vtriusque quantitatis subiecto, neque hæc negatio vnionis potest requiri, vt vna quantitas aliam propulset, & actiuè producat impulsum, quo illius penetrationem non patiatur. Accedit ad hæc, omnia accidentia Eucharistica secundùm hanc sententiam nullum habere commune subiectum, ac proinde naturaliter inter se non possent penetrari. De hoc argumento, & de aliis, quæ ex Eucharistia sumuntur iterum meminero.

5 Respondent alij quantitates specie similes esse impenetrabiles, non verò quantitates diuersæ rationis, & hac ratione posse penetrari materiam, & formam substantialem, & cum his omnes formas accidentales, licet illarum quælibet sit quantitas, quia non est quantitas eiusdem rationis cum illa, cum qua penetratur, & penetrari nequeunt duo corpora cuiuscumque rationis illa sint, ne penetrétur duæ materiæ primæ, quæ quantitates sunt eiusdem

omnino rationis. Impugnatur hæc sententia in qualitatibus intensis,quarum gradus eiusdem rationis inter se penetrantur in eadem parte subiecti. Ex quo infertur penetrari quantitates eiusdem rationis, cùm non distinguatur ratio quantitatis à ratione specifica qualitatis, per quam quilibet illius gradus constituitur in ratione talis. Si recurras ad vnionem graduum inter se,vel dicas gradus qualitatis subordinatos esse,'& nullum esse eiusdem rationis cum alio existente in eodem subiecto, opponam species impressas receptas in aere missas ab obiectis numero diuersis,ex quibus non fit vna intensio, & quibus nulla contingit vnio,& tamen possunt inter se penetrari.

7 Non ita facilè poterunt impugnari recentes, qui asserunt quantitatem identificari tantum cum materia prima, ratione cuius forma substantialis, & reliquæ accidentales illi vnitæ extensionem exigunt, in quam sententiam non parum propendet Arriag. disp.5. sect.1.subsect.... vbi probabile esse docet, quantitatem à substantia non distingui, quam cum materia identificandam esse supponit. Contra hanc sententiam sibi obiecit,accidentia Eucharistica permanere absque substantia,& tamen non possunt penetrari: ergo impenetrabilitas per se,& non tantùm ratione substantiæ conuenit accidentibus à substantia distinctis, & postquam retulit, & retudit solutionem Nominalium asserentium quodlibet accidens habere secum quantitatem identificatam, ait, melius responderi in sua sententia manere ibi etiam vbicationes materiæ, (quæ sint accidentia realia, cùm fides doceat manere ibi omnia accidentia realia necessariò debent ibi manere) quæ vbicationes necessariò fundant impenetrationem,quia natura sua sunt incompossibiles cum aliis vbicationibus aliùs materiæ. Multa displicent in hac solutione, imprimis enim non benè tribuit resistentiam penetrationis præsentiis quantitatis, & ipsis quantitatibus,cùm enim vnum corpus impellit aliud, ne cum ipso penetretur, impulsus non procedit effectiuè à præsentia corporis; sed ab ipso corpore præsente, seu ab ipsa quantitate,quæ ad producendum talem impulsum indiget præsentia non tanquam comprincipio, seu virtute operatiua, sed tanquam conditione, seu applicatione agentis ad passum. Aliàs quantitas non esset immediatè in actu primo resistiua penetrationis, sed productiua præsentiæ,quæ penetrationi resisteret,neque cùm duplex quantitas penetraretur violentia fieret quantitatibus, sed præsentiis à quantitatibus productis. Secundò iuxta communiorem sententiam præsentia materiæ primæ est modus ipsius materiæ: ergo non potest conseruari destructa materia cuius est modus. Tertiò in omnium sententia præsentia immobilis est,& implicat præsentiam respicientem hoc spatium per se ipsam ad aliud transire:ergo etiamsi corrupta materia prima, illius vbicatio permaneret, vt primùm reliqua accidentia Eucharistica mouerentur, à præsentia materiæ primæ separarentur, siquidem non posset cum ipsis materiæ præsentia moueri, etiamsi permaneret incorrupta: ergo ratione præsentiæ materiæ, non possunt reliqua accidentia fieri impenetrabilia:aliunde ergo petenda est horum accidentium impenetratio. Solutionem aliam adducit Arriaga,communem omnibus argumentis ex Eucharistia petitis,quam postea dabo.

8 Probatur etiam dari quantitatem distinctam, quæ sit commune subiectum accidentium. Quando accidentia Eucharistica existunt à substantia separata producuntur in illis à quocumque agenti naturali, color,frigiditas,& alia huiusmodi accidentia: ergo datur aliquod commune subiectum,ex quo hæc accidentia educantur,aliàs omnia producerentur per creationem, quæ non potest ab agente naturali procedere. Rursus si hæc accidentia crearentur, & nullum esset illis commune subiectum,non possent mutuò expelli, quia expulsio semper est in ordine ad commune subiectum, à quo expelluntur, sed sic est quod producto calore in accidentibus Eucharisticis corrumpitur frigiditas: ergo vtrique qualitati datur quoddam commune subiectum.Vltimò si quantitas non distingueretur à substantia,accidentia Eucharistica, quæ absque substantia remanerent possent inter se penetrari. Communis solutio est, cui consentit Arriag.& non dissentit Hurtadus,verum esse à nullo agente naturali posse calorem, aliámve qualitatem produci, & calore producto non esse frigiditatem corrumpendam ex defectu subiecti communis, & accidentia Eucharistica posse ex natura rei inter se, & cum alio corpore penetrari in sententia, quæ totam rationem quantitatis constituit identificatam cum substantia,& in sententia Nominalium, quæ omnibus accidentibus attribuit rationem quantitatis cum illis identificatam, & asserit tantùm posse penetrari illa, quibus est commune subiectum, & albedinem, & calorem quæ in Eucharistia remanent absque subiecto,non posse naturaliter penetrari,Deum tamen ad præsentiam agentis naturalis,quod calorem produceret,si daretur ibi subiectum ex quo educeretur, calorem creare, & calore creato corrumpere ex se frigiditatem,quæ corrumperetur ad exigentiam caloris,si vtrique commune esset subiectum,ex quo educerentur. Similiter dicitur Deum miraculosè penetrare inter se accidentia Eucharistica specie distincta in Nominalium sententia, quam modò referebam, & in aliorum opinione, quæ tantùm admittit quantitatem identificatam cum substantia miraculosè impediri ab ipso Deo penetrationem partium integrantium accidentium inter se, & illorum omnium cum alio corpore. Quæ omnia miracula à Deo patrari dicuntur ne tantum fidei mysterium reueletur,& ne posset ex aliquo effectu naturaliter cognosci veram Christi existentiam, & absentiam substantiæ panis sub Eucharisticis accidentibus. Neque parcos nos esse debere ait Hurtad. in miraculorum multiplicatione circa hoc mysterium, in quo Deus vt ostenderet se nullis naturæ legibus teneri, neque ipsius omnipotentiam naturæ terminis circumscribi memoriam fecit suorum mirabilium. Neque in re philosophica attendendum est,ne miracula Eucharistica multiplicentur,sed more physico in omnibus ratiocinandum de substantia, & accidentibus ipsorúmque distinctione, quibus compositis Theologus postea miracula omnia multiplicabit, quæ necessaria sint ad veritatem mysterij defendendam.

Non facilè poterit impugnari solutio, neque omninò 9
fundamento destituta est, verumtamen illius doctrinam omnino non approbo: faterer ego nulli rationi Philosophicæ, quæ positiuè probaret identitatem substantiæ cum quantitate repugnandum esse ne miracula Eucharistica multiplicentur,verumtamen vbi nulla positiua ratio cogit, neque adhuc probabiliter suadet quantitatem non esse speciale accidens superadditum,prudens quisque illud admittet,ne miracula absque vlla ratione multiplicet, & ne à communi sententia omnium doctorum (paucis quibusdam Nominalibus exceptis quibus non firmiter vnus, vel alter recens adhæret,) nulla efficaci ratione ductus discedat. Dixi nullam positiuam rationem probabiliter suaderi quantitatem esse accidens superadditum,non quia improbabilem esse censeam Nominalium sententiam, sed quia illius fundamentum negatiuum est desumptum ex negatione rationis positiuæ quæ conuincat dari quantitatem distinctam à substantia, & reliquis accidentibus distinctam. Adde sententiam recentiorum, qui asserunt quantitatem specialiter cum materia prima identificari nullius antiqui Scholastici authoritate fulcitam esse, quia Nominales,qui quantitatem specialem non admittunt, asserunt cum omni re corporea propriam quantitatem identificatam esse. Concludo ex his cum communi Doctorum sententia dandam esse quantitatem distinctam à substantia, & reliquis accidentibus.

PVNCTVM II.

Quæ sit formalis ratio quantitatis.

PRæfixo titulo idem rogo, quod alij inquirere intendunt, dum rogant quis sit effectus formalis quantitatis, quem formalem effectum millies dixi non distingui à toto composito, & ita effectus formalis quantitatis erit hoc concretum *quantum*,cuius tota quidditas ex quidditate formæ petenda est,ideò aptius interrogari existimo quæ sit formalis ratio quantitatis, ex qua nobis innotescet ratio formalis huius concreti *quantum*, quod certum est, esse effectum formalem quantitatis. 1

§. I.

Explicatur definitio quantitatis tradita à Philosopho.

QVantitatem per suum concretum, seu hoc concretum *quantum* definiuit Arist. 5. metaph. cap. 7. his verbis: *diuisibile in ea, quæ in sunt,quorum vtrumque, vel vnumquod-* 2

que, vnum quid, & hoc aliquid aptum est esse. Quam definitionem multi improbant, quibus ego subscriberem, ni Philosophi me teneret authoritas, est enim obscura nimis, & sine benignis interpretationibus non potest aptari definito. Attingam, & soluam breuissimè, quæ contra hanc definitionem solent afferri: Primò obiicitur conuenire omnibus substantiis homogeneis, verbi gratiâ, substantiæ aquæ, quæ diuisibilis est in ea, quæ insunt, habet enim ex se partes, vt postea probabo, in quas diuidi possit. Ex quo infertur diuisibilem esse in illa, ex quibus componitur, quod sonant illa verba *diuisibile in ea, quæ insunt.* Rursus quælibet pars in quam diuidatur à qua seorsim sumpta, & vtraque simul sumpta habent quidditatem, & perfectam essentiam aquæ, quod importatur illis verbis: *quorum vtrumque, &c.* ergo hæc definitio cõuenit aquæ; & cuicũque substantiæ materiali habenti partes homogeneas. Rursus hæc definitio non conuenit homini neq; cælo quæ sunt quanta. Non cælo quia cælũ diuidi nequit vtpote incorruptibile, cui repugnat diuisio, quæ semper ex se tendit in rei corruptionem. Neque etiam homini, neque alij toti heterogeneo, quia non quodcumque in quod diuiditur est hoc aliquid cum toto, hoc est quia non quælibet pars est eiusdem rationis cum toto, brachium enim hominis non dicitur homo.

3 Respondeo essentiam definitionis traditæ ab Aristotele his claudi *diuisibile in ea, quæ insunt*, quod tantùm competit quanto, & non alij entitati ea ratione, qua prædicta verba explicabo: reliqua verò addidit Aristoteles ad maiorem explicationem definiti, quæ omnia quanto conueniunt, quod autem illa seorsim sumpta aliis à definito conueniant, nihil refert, cum tota definitio adæquatè sumpta tantùm illi conueniat, eo enim ipso quod verba, quibus definitionis essentia clauditur tantùm definito conueniant, non poterit tota definitio, quæ his verbis, & vlterioribus aliis componitur, aliis à definito competere. Assero verba illa *diuisibile in ea, quæ insunt*, tantùm competere quantitati, seu toti, quanto, quia tantum subiectum illud quod quantum, seu quia tantum quantitas ex se petit existere modo diuisibili, substantia enim etsi habeat partes ex se, potest illas habere redactas ad indiuisibile spatium, & ita constitui in hoc, ac si indiuisibilis esset, quod si seclusâ quantitate aliquando esset extensa hanc extensionem non exigeret substantia, sed æquè contenta esset præsentia quadam, ex vi cuius spatio quodam indiuisibili extensa constitueretur. Quantitas verò ex modo, quem petit sine quo naturaliter esse non potest, attenta tantum ipsius exigentia diuisibilitatem præ se fert, & ita existit vt partes in quas entitatiuè potest diuidi, modo diuisibili, id est in diuersis spatij partibus, quod proprium est partium corporis distinctarum, & consequenter diuisibilium constituit. Existunt etiam partes quantitatis aptæ, vt aliûs corporis interpositione diuidantur, quod non posset contingere substantiæ, quæ haberet omnes partes inter se penetratas, nihil enim potest poni inter partes, quibus est vnum indiuisibile spatium. Cælum ratione quantitatis capax est diuisionis, etsi hæc capacitas ratione formæ incorruptibilis sit impedita. Item est diuisibile mathematicè in partes extra partes existentes, quod sufficit ad rationem quantitatis, etiamsi ex peculiari ratione formæ cælestis diuisioni physicæ, seu vnionis corruptioni resistat, neque resistentia tanta est, vt non possit vinci à Deo, respectu cuius cælum diuisibile est in partes integrantes. Quanta heterogenea, sicuti homo, & equus, etsi non habeant partes eiusdem rationis cum toto quatenus totum dicit tale substantiale compositum, at verò quatenus formaliter est quantum, eiusdem rationis est cum qualibet illius parte seorsim sumpta, quia quantitas cuiuslibet partis eiusdem rationis est cum quantitate totius.

4 Explicata definitione quantitatis ab Arist. tradita, illius formalis ratio constitutiua restat assignanda, non enim quælibet definitio datur per formale constitutiuum rei, sunt etenim plures descriptiuæ definitiones, quæ dantur per passiones, seu affectiones rerum.

§. II.

Ratio formalis quantitatis non est tribuere partes substantiæ.

5 SEntentia fuit Capreoli in 3. distinct. 3. q. 1. & distinct. 35. q. vnica, & Soncin. 5. Metaphys. q. 22. substantiam materialem ex se nullas habere partes, sed hâs tribui à quantitate, cuius munus, & formale constitutiuum est partes substantiæ tribuere, illamque constituere diuisibilem integraliter. Sententiam hanc amplexus Noster Vasquez tom. 3. in 3. part. disput. 190. c. 3. num. 25. quam modò magnificiunt recentes Thomistæ. Probat prædictam sententiam Vasquez quia si substantia, & reliqua accidentia secundùm se haberent partes, & extensionem, alia non esset extensio constituenda, in qua essentia quantitatis consistat, quæ esset media inter substantiam ipsam, & extensionem, quam in ordine ad locum vocant authores, qui omnibus entitatibus ex se partes attribuunt, sed extensio in ordine ad locum posset immediatè substantiam ipsam, à quantitate indistinctam afficere, aut è contra essentia quantitatis ipsi extensioni actuali in ordine ad locum posset adscribi, & dici Christum in Eucharistia esse sine sua quantitate, quod nonnulli sunt abitrati, existimantes nullam dari rationem quantitatis distinctam ab extensione actuali. Fateor discursum hunc difficultate non carere, verumtamen quæcumque illa sit, potius me cogeret ad negandum quantitatem distinctam à substantia, quàm ad tribuendum illi munus impertinendi partes substantiæ, quas ipsa ex se non haberet, non enim immediatè ex illo positiuè concluditur hoc esse quantitatis munus, sed quod si tale non sit, necessariam non esse quantitatem superadditam, quod facilius posset admitti, cum nulla ratione efficaci possit probari dari quantitatem distinctam à substantia, vt constat ex Punct. præcedenti, & sint argumenta valde difficilia, quibus impugnetur substantiam ex se non habentem partes illas posse à quantitate mutuari. Respondeo aliud esse munus quantitatis à prædicto distinctum, quod postea dabo, & ita illo secluso non superfluè poni quantitatem distinctam à substantia, & extensione locali, quam dari à posteriori inferimus rationibus puncto præcedenti adductis.

Secundò argumentatur Vasquez: Si substantia ex se 6
partes haberet, peteret vbi: vel ergo peteret vbi diuisibile ex vi cuius constitueretur diuisibiliter in spatio cum correspondentia partis subiecti ad partem spatij diuisibilem, vel peteret vbi indiuisibile ex vi cuius constitueretur tota in toto spatio, & tota in qualibet parte, cùm enim natura sit ad vnum determinata non posset indiscriminatim vnum vel alterum modum petere: Cùm ergo substantia diuisibilis esset, peteret modum existendi diuisibiliter, & præsentiam diuisibilem cum correspondentia distinctæ partis substantiæ ad distinctam spatij. Quod si substantia peteret per suam entitatem esse in loco diuisibiliter, neque per diuinam potentiam posset indiuisibiliter constitui. Ex quo etiam fieret quod Christus in Eucharistia non posset præsentari indiuisibiliter, quod est absurdum, & contra fidem. Si verò substantia ex se peteret modum indiuisibilem existendi in loco, siue in quodam spatio indiuisibili, siue in spatio diuisibili tota in toto spatio, & tota in quolibet spatij puncto, eo modo, ac est Angelus, non posset constitui indiuisibiliter in loco diuisibili, quin etiam dum esset sub quantitate propriam præsentiam amitteret, quod ait Vasquez non admittere authores oppositæ sententiæ, qui omnibus entitatibus proprias attribuunt præsentias.

Non animum conuincunt rationes Vasquez. Respon- 7
deo enim substantiam sine quantitate ex se exigere præsentiam, per quam constituatur in spatio diuisibili, vel indiuisibili, ipsa enim neque exigit penetrationem suarum partium inter se, neque repugnat earum penetrationi, sed indifferens est, vt habeat partes inter se penetratas, vel omnino extensas, & quamlibet extra aliam; itaque substantia huius chartæ ablata illius quantitate indifferens est vt teneat eandem extensionem, quam modò habet, & vt redigatur, ad quodlibet spatium, minus isto, quod occupat, quousque in puncto indiuisibili constituatur. Huic substantiæ sic indifferenti diuisibilis quantitas illi vnita præstat determinationem per modum actus primi vt determinatè habeat præsentiam, ex vi cuius commensuretur cum spatio, cui quantitas vnita correspondet, quâ posità determinatione datur substantiæ præsentia quædam, quam ipsa ex se indeterminatè petebat & ad quam determinatur ratione quantitatis, ex vi cuius formaliter constituitur præsens in eodem spatio, in quo est quantitas, cui vnitur & ratione cuius hæc determinata præsentia illi debetur. Quod ait Vasquez c

numero vigesimosexto, naturam esse ad vnum determinatam,& non posse indiscriminatim hoc vel illud vbi exigere,verum non est,quia omnis causa quantumuis necessaria indifferens est ad indiuiduationes effectuum , & non petit determinatè hunc præ alio,neque præstat,quod ait numero vigesimonono , substantiam posse esse indifferentem ad præsentias numero distinctas , non verò ad præsentias specie distinctas,quia materia prima non tantum est indifferens ad formas solùm numero , sed etiam specie distinctas, & intellectus ex se indifferens est ad actus specie distinctos,quos producit,& patitur. Addo præsentias,ex vi quarum sustantia poneretur absque vlla penetratione partium , & cum earumdem partium penetratione non esse specie distinguendas , quia quælibet pars substantiæ eandem partem præsentiæ habet in hac spatij parte , siue aliæ partes penetrentur,siue non penetrentur,ad penetrationem enim non requiritur corpora penetrata habere præsentias specie , aut numero distinctas ab illis , quas quodlibet haberet corpus, si in eodem spatio absque vlla penetratione existeret. Distingueretur in specie præsentia , ex vi cuius substantia in spatio diuisibili indiuisibiliter poneretur tota in toto , & tota in qualibet parte , eodem modo , quo est Angelus præsens à præsentia , ex vi quorum substantia diuisibilis in spatio diuisibili diuisibiliter poneretur absque vlla penetratione,vel cum aliquali, seu omnimoda partium penetratione in spatio diuisibili, aut indiuisibili. Ad illam autem præsentiam ex vi cuius substantia existeret in loco , eo modo quo existit Angelus non ego adhuc indeterminatè substantiæ materiali diuisibili propensionem tribuo , sed tantum obedientialem potentiam,ex vi cuius indifferens est,vt illam recipiat supernaturaliter à Deo,eo modo quo quantitas Eucharistica illam de facto recipit.

8 Neque placet quod ait Vasquez quod si substantia ex se peteret præsentiam diuisibilem , quâ existeret in spatio diuisibili non posset de potentia absoluta constitui indiuisibiliter in spatio diuisibili , neque posset Christus in Eucharistia hoc indiuisibili modo præsentari , quia de facto quantitas petit existere circumscriptiuè modo diuisibili, & nihilominus præsentatur à Deo contra ipsius quantitatis exigentiam modo indiuisibili: ergo etiamsi substantia talem modum præsentandi diuisibiliter exigeret , posset à Deo indiuisibiliter præsentari. Similiter etiamsi exigeret modum præsentiæ,quo existeret indiuisibiliter,capax esset habendi modum,quo esset in spatio diuisibili diuisibiliter præsens. Quod ait P. Vasquez tunc substantiam propria præsentia carituram , quod putat esse contra sententiam illorum,qui singulis entitatibus distinctis,distinctas attribuunt præsentias , distinctione indiget. Dici potest entitatem carere propria præsentia , quia nullam habet præsentiam,qua per se,& immediatè afficiatur, sed constituitur præsens per præsentiam per se , & essentialiter respicientem aliam entitatem, sicuti plures affirmant formam, & reliqua accidentia præsentari, per præsentiam materiæ aut quantitatis. Alio modo dicitur entitas carere propria præsentia , quia etsi habeat præsentiam essentialiter ab illa dependentem, qua immediatè afficiatur, talis præsentia illi non est innata neque iuxta ipsius propensionem, & in hoc sensu dicetur substantia carere propria præsentia, quod non est contra sententiam illorum,qui singulis distinctis entitatibus distinctas tribuunt præsentias, qui tantum defendunt cuicumque entitati datam esse præsentiam afficientem essentialiter talem entitatem,quæ præsentia propria dicitur rei,quam essentialiter respicit,& ita in prædicto casu non posset dici substantia carere propria præsentia in priori sensu.

9 Adduci solent alia argumenta minoris momenti qualia sunt hæc. Habere partes extensas est effectus accidentarius : ergo non potest per se conuenire substantiæ,sed ratione quantitatis. Secundò quia partes materiæ non distinguerentur essentialiter:ergo accidentaliter : ergo materia haberet partes accidentales à quantitate distinctas. Tertiò,si materia secluſa quantitate haberet partes,secluſa quantitate posset extendi , replere locum, & fundare distantiam , esse alteri æqualem , omnia tantum competunt quantitati. Ad primum respondeo habere partes extensas duo dicere, partes inter se distinctas, & illarum extensionem : habere partes distinctas est quid substantiale, & intrinsecum substantiæ, illarum extensio, ratione cuius substantia dicitur habere partes extensas , seu extensionem partium, non competit substantiæ per se,sed per extensionem superadditam, quæ est accidens distinctum à substantia, & ab ipsarum partibus. Ad secundum respondeo partes substantiæ differre eo modo , quo differunt indiuidua eiusdem speciei non essentialiter , sed indiuiduliter per substantiam indiuiduam earumdem partium. Ad tertium concedo substantiam seclusâ quantitate posse per præsentiam superadditam constitui in spatio diuisibili cum correspondentia partis substantiæ ad partem spatij,in quo sensu posset dici occupare spatium, quia nulla pars certi spatij esset,cui non responderet pars substantiæ, si verò occupare spatium sonet impedire,ne aliud corpus ingrediatur idem spatium , substantia seclusâ quantitate spatium non occuparet , quia esset penetrabilis cum alio quocumque corpore. Similiter concedo substantias posse fundare distantias per præsentias illis superadditas , & per eadem posse dici substantiam hanc correspondere æquali spatio cum illa & adhuc secluſa præsentia,& quocumque alio accidente posse dici substantiam hanc tot habere partes quot habet illa.

Sententia hæc graues patitur impugnationes , quarum 10
nonnullas dabo , esto prima:substantia pedis non est substantia capitis ; ergo substantia pedis distinguitur à substantia capitis : sed hæ substantiæ non distinguuntur tanquam duæ substantiæ partiales , seu tanquam partes componentes idem totum. Hæc ex communi apprehensione existimo esse omnino certa ; Verumtamen ea est conditio illorum , quæ semel in quæstionem inciderunt , vt nihil sit adeò obscurum,& imperceptibile, quod multi facilè non præsumãt exponere,& persuadere,afferantque clarè ostendi ea,quæ semel,& iterum disputationibus repetita, & libris perlecta, & examinata communi ore, paucis illorum sectatoribus exceptis, reliqui omnes non solùm falsa , verum etiam imperceptibilia esse clamitant , ideóque primum antecedens nobis probandum est. Probo antecedens : substantia pedis corrumpitur permanente substantia capitis:ergo substantia pedis distinguitur à substantia capitis. Experimur antecedens perpetua corporum diminutione , quæ fit per corruptionem alicuius pertinentis ad hanc substantiam,permanentibus aliis ad eandem substantiam pertinentibus. Abstineo hoc nomine *pars* ne suppositum neges , & dicas me supponere quod probare debebam. Consequentia est legitima , quia non potest idem corrumpi,& non corrumpi,sed substantia pedis corrumpitur : ergo substantia pedis , & substantia capitis non sunt idem : ergo distinguuntur. Non distingui tanquam duas substantias totales per se notum est , quia illa substantia pedis vt distincta à substantia capitis non est totum compositum , aliàs substantia capitis non pertineret ad illud. Neque substantia capitis est totum compositum,aliàs substantia pedis non pertineret ad illud compositum:ergo distinguuntur tanquam duo spectantia ad idem compositum, ergo distinguuntur tanquam partes eiusdem compositi, quid est enim pars compositi nisi illud quod simul cum alio constituit compositum , & quod non est totum compositum,sed aliquid constitutiuum illius,siue integraliter, siue essentialiter, eâ enim ratione,qua illud constituat rationem partis habebit.

Respondent Thomistæ substantiam pedis distingui à 11
substantia capitis non ratione sui;sed ratione quantitatis. Contrà:Quælibet entitas per se ipsam,& per id per quod constituitur,distinguitur ab omni alio, sed substantia pedis constituitur in esse substantiæ per se ipsam,& non per quantitatem : ergo distinguitur à substantia capitis per se ipsam, & non per rationem quantitatis. Dices quamlibet entitatẽ distingui ab alia per id,perquod constituitur in ratione,secundum quam ab illa distinguitur, & ita substantiam pedis distingui à substantia capitis per quantitatem, quia per rationem quantitatis constituitur in esse partis, secundùm quam rationem distinguitur à substantia capitis, & non præcisè secundùm rationem substantiæ, quam habet independenter à quantitate. Contrà:substantia pedis præcisè secundùm rationem substantiæ ablatâ ab illa ratione partis (si velis hanc esse superadditam rationi huius substantiæ) non est substantia capitis : ergo præcisè secundùm rationem substantiæ , distinguitur à substantia capitis ? Dices me implicationem in terminis inuoluere , quia eo ipso quod dico substantia pedis , dico partem substantiæ & postea addo præcisâ ratione partis, quod est idem , ac dicere album formaliter præcisâ albe-

dine

dine quod implicationem manifestam inuoluit, quia volumus præscindere à constitutiuo rei rem ipsam, quam constituram supponimus. Plura sunt verba his similia omninò re vacua quibus intenditur difficultas eludi, veruntamen illa exhaurire conabor. Argumentor sic : substantia, quæ est sub quantitate pedis, & constituitur in esse partis per hoc quod est sub quantitate pedis, seclusâ illâ ratione formali, ratione cuius est sub quantitate pedis, & sumptâ tantùm pro materiali, non est substantia illa, quæ est sub quantitate capitis : ergo præcisè per se ipsam, secluso hoc quod est esse sub quantitate pedis distinguitur à substantia capitis : Quæ forma argumentandi optima est, sicuti si ego arguerem : homo, qui est albus, & constituitur albus per albedinem, secundum se sumptus non vt albus, sed vt homo præcisa ratione albedinis non est equus : ergo hac ratione sumptus, albedine seclusâ, non est equus. Admisso antecedenti consequentia ineuitabilis est, distingui enim ab illo ex parte rei distinctæ nihil aliud est quàm ipsam esse, & non esse idem cum illo : sed illa substantia, quæ est sub quantitate pedis, secluso hoc quod est esse sub pede, non est substantia capitis : ergo illa substantia secluso hoc quod est esse sub pede per suam entitatem distinguitur à substantia capitis. Si antecedens neges, illud sic ostendo. Substantia illa, quæ est sub quantitate pedis secundùm rationem distinctam ab hoc, quod est esse sub pede corrumpitur, non corruptâ substantiâ capitis secundùm aliquam rationem, sed permanente secundum omnes : ergo substantia, quæ est sub quantitate pedis distinguitur secundùm rationem distinctam ab hoc quòd est esse sub quantitate pedis. Patet consequentia. Substantia pedis distinguitur à substantia capitis secundùm omnẽ rationẽ, secundùm quam corrumpitur, sed corrũpitur secundùm rationẽ distinctam ab hoc quod est esse sub quantitate pedis : ergo distinguitur secundùm rationem distinctam ab hoc quod est esse sub quantitate pedis, sed secundùm illam rationem distinctam non constituitur per hoc quod est esse sub quantitate pedis, quia nihil constituitur per aliquid à se distinctum : ergo non distinguitur à substantia capitis, per hoc quod est esse sub quantitate pedis, quia omne ens per id distinguitur ab omni alio per quod constituitur. Si neges primum illud antecedens, videlicet substantiam, quæ est sub quantitate pedis, corrumpi secundùm rationem distinctam ab hoc, quod est esse sub quantitate pedis, sic insurgam : ergo quando corrumpitur pars equi per diminutionem, vel quando abscinditur pes ab equo tantum corrumpitur hoc, quod est substantiam illam esse sub quantitate pedis, & non substantia, quæ erat sub quantitate pedis sumpta pro materiali : ergo æquè incorrupta, & integra manet in se ipsa forma equi, quando abscinditur pes ab equo, ac forma hominis quando abscinditur pes ab homine : ergo nunquam datur corruptio partialis substantiæ; sed tantum corrumpitur hoc, quod est substantiam esse sub hac, vel sub illa quantitate, quod si ita esset, neque noua pars substantiæ produceretur sed tantùm produceretur hoc, quod est antiquam substantiam esse sub noua quantitate, & ita omnis substantia indiuisibilis erit sicuti homo, & anima rationalis.

12 Secundò pro eadem sententia sic argumentor. In nutritione substantiæ producitur aliquid substantiæ, nutritio enim terminatur ad substantiam, & est illius productio, sed non producitur substantia viuentis quæ antea erat : ergo producitur aliquid substantiæ distinctum à substantia quæ in viuente præesserat : ergo producitur pars substantiæ. Respondebis produci aliquid substãtiæ distinctum non ratione sui, sed ratione quantitatis à substantia, quæ in viuente præesserat. Contrà terminus qui producitur secundùm illam rationem formalem præcisam, quæ terminat actionem est quid reale, & physicum non identificatum cum substantia præcedenti, neque cum quantitate, quia neque substantia præcedens, neque quantitas producuntur per nutritionem : ergo secundum illam rationem formalem præcisam est distinctus à substantia præcedenti, non tanquam quid adæquatè constituens viuens, quod est nutritum : ergo tanquam quid, quod cum substantia præcedenti illud constituit : ergo tanquam pars viuentis substantialis, & pars substantiæ totalis.

13 Tertiò, quantitas distinguitur à materia prima : ergo materia prima à quantitate poterit separari, supponamus ergo separatam esse, vel tantùm illam mente præscindamus. Si velis materiam numquam existere sine quantitate, & hac suppositione factâ argumentum instituo. Inquiro, an materia prima separata à quantitate haberet partes necne. Si illas haberet, habeo intentum. Si illas non haberet : ergo materia prima est simplex, & indiuisibilis. Probo consequentiam : entitatem esse indiuisibilem nihil aliud est, quàm non habere vnum, & aliud, ex quibus possit. Sed materia prima seclusâ quãtitate non habet vnum, & aliud ex quibus componatur : ergo est indiuisibilis, & omninò simplex. Dices materiam primam, vt præcisam à quantitate, neque habere partes, neque carere illis, sed esse indifferentem, vt illas habeat ratione quantitatis. Contrà : præcisio hæc in ordine ad nostros conceptus potest in obiecto reperiri, quia possum ego non apprehendere materiam habentem partes, neque illam apprehendere carentem partibus, sed neutrum apprehendere, quia non contradictoriè, aut immediatè opponuntur apprehensio materiæ cũ partibus, & apprehensio materiæ sine partibus, possum enim ego vtraque apprehensione carere, in rebus autem physicis, & in ordine ad se implicat talis præcisio, quia physicè, & à parte rei necessariò hæc charta habet albedinem, aut non habet albedinem, habere enim albedinem, & non habere albedinem physicè, & à parte rei sunt extrema contradictoria immediatè opposita, quorum alterum necessariò cuicumque conuenit entitati. De materia ergo vt distincta à quantitate non inquiro, an concipiatur cum partibus, vel sine partibus, quia tunc locum habet præcisio mentalis, & dicere non concipi cum partibus, neque concipi sine partibus, sed an vt distincta à quantitate, seu secundùm illud esse quod habet non mente, sed physicè distinctum à quantitate, habeat partes, vel non habeat partes, à quibus extremis præscindere non poteris.

Respondent alij materiam primam non esse entitatem 14
simplicem, quia etsi vt distinctam à quantitate formaliter non habeat partes, habet tamen partes virtualiter, hoc est habet virtutẽ, vt habeat partes formaliter distinctas ratione quantitatis : sic contingere affirmant in qualibet entitate materiali, quæ ex sua natura seclusâ quantitate virtualiter est diuisibilis in partes, & constituitur formaliter diuisibilis per quantitatem. Itaque asserunt in substantia esse virtualiter contentas, & quasi implicitas partes substantiæ, quæ explicantur per quantitatem, ad quam explicationem dicunt terminari actionem nutritiuam, ex vi cuius non producitur pars noua substantiæ, sed explicatur, & constituitur distincta formaliter à substantia præexistente pars illa, quæ antea tantùm virtualiter erat distincta.

Has explicationes, & virtualitates nonnulli adstruunt, 15
non vt suam explicent sententiam, sed vt oppositam confundant, videamus modò quid sub illis lateat. Explicatio hæc, vi cuius substantia, quæ tantùm erat virtualiter diuisibilis, fit diuisibilis formaliter, vel est identificata cum substantia. Si est identificata cum substantia, non potuit vnquam fine illa substantia existere : ergo semper substantia fuit diuisibilis. Deinde actio nutritiua terminaretur ad explicationem identificatam cum substantia antiqua : ergo terminaretur ad substantiam antiquam : ergo ex vi nutritionis non magis produceretur antiqua substantia, quam noua, imò non esset noua, & antiqua, sed eadem magis explicata. Si est distincta à substantia, inquiro, quid sit an quantitas producta, an aliud accidens ; Neutrum horũ, quia actio nutritiua non terminatur ad quantitatem neque ad aliud accidens ; sed ad substantiam. Rursus : si actio illa terminaretur ad quantitatem, seu ad aliud accidens, ex vi illius produceretur quantitas, seu tale accidẽs, ad quod terminaretur, & non noua substantia, & viuens augeretur accidentaliter, & non substantialiter, illud enim producitur per actionem ad quod terminatur actio, & id viuẽti acrescit, quod ex vi actionis nutritiuæ producitur. Dicunt actionem nutritiuam terminari ad quantitatem tanquam ad terminum directum. Contra hanc solutionem redit iterum idem argumentum : terminus directus actionis productiuæ debet produci per actionem, quam terminat : ergo si terminus directus actionis nutritiuæ est substantia, hæc debet per actionem nutritiuam produci. Vel ergo producitur substantia præexistens, vel alia quæ præexistenti vniatur : non præexistens, quia iam erat extra causas : ergo noua alia quæ præexistenti vniatur : ergo producitur pars noua substantiæ, quia substantia illa noua quæ præexistenti vnitur, cum præexistente componit integram substantiam, quod est habere rationem partis. Deinde actionem productiuam tangere terminum in obliquo, vel dicit tantùm tangere per se in recto aliquid, quod respiciat

aliud

aliud, quod dicatur obliquefactum, seu terminus obliquus, ex eo præcisè, quod termino directo respiciatur, vel dicit tangi immediatè per ipsam actionem. Si dicat hoc secundum æquè terminus directus, & obliquus producentur, ex vi actionis, quia quidquid per actionem immediatè, & per se tangitur, ex vi illius producitur. Si primum dicat terminus, qui obliquus dicitur, in re non est terminus, sicuti non est terminus actionis productiuæ vnionis inter materiam, & formam, materia, quam essentialiter respicit vnio.

16 Insuper totam solutionis doctrinam hac ratione refuto. Posita explicatione partium substantia, vel manet eadem secundùm totum id reale materiale, & formale, quod dicit, vel non manet eadem. Si manet eadem, quod dici necessum est: ergo permanet cum eisdem omnino partibus non pluribus, neque paucioribus, quas haberet, si non haberet quantitatem, quia implicat rem esse omnino eamdem, & non habere easdem omnino partes, nullum enim totum à suis partibus distinguitur. Rursus: eo ipso, quod maneat eadem, manet cum eadem vnitate: ergo cum eadem indistinctione, & distinctione in ordine ad se, & in ordine ad quodvis aliud: ergo vnitas substantiæ est eadem posita quantitate, & ablata eadem quantitate: ergo distinctio ipsius, & distinctio partium, quæ cum ipsis identificatur eadem erit. Dices substantiam manere eamdem materialiter, & non formaliter. Contrà: physicè, & realiter inter substantiam simplicem, materiam videlicet materialiter, vel formaliter sumptam, nulla intercedit distinctio: ergo eo ipso, quod materia sit eadem materialiter sumpta, etiam formaliter sumpta eadem erit. Rursus illud substantiæ, quod posita quantitate dicitur pars distincta ab alia comparte eiusdem substantiæ, antequam constitueretur in ratione partis distinctæ, vel præcessit identificatum cum reliquo eiusdem substantiæ, quod modò est illius compars, vel non præcessit (pono substantiam hanc, quæ modò est sub quantitate sine illa præcessisse) si præcessit identificatum, implicat modò distingui, implicat enim de potentia absoluta, ea quæ sunt idem, fieri distincta, & ea quæ distinguuntur, fieri idem, etiam de potentia Dei absoluta, vt per se notum est, non enim Petrus, qui distinguitur à Ioanne, potest fieri idem cum Ioanne, etiamsi omnipotentia Dei intercedat, nec rationale, quod est idem cum animali, potest vel diuinitùs ab illo distingui. Si antea quàm aduenirent quantitas, extrema illa non præcessere cum identitate: ergo præcessere cum distinctione: ergo secluſa quantitate distinguebantur non tanquam duæ substantiæ totales: ergo tanquam partes eiusdem substantiæ.

17 Alij Connotatores dicunt substantiam per se ipsam partes includere posita quantitate tanquam connotato, quas non includit formaliter secluſa quantitate ex defectu cõnotati, etiamsi illas materialiter includat, & quoad entitatem. quia substantia quæ ex se absolutè intrinsecè includit partes quoad entitatem, incipit illas per se ipsam includere quoad formalitatem posito connotato, sicuti relatio identificata cum fundamento quoad entitatem, non est quoad formalitatem, quovsque incipiat terminus. Doctrinam hanc de connotatis in relatione, in aliis entitatibus impugnabo Controuers. 9. Punct 4. interim tamen specialem impugnationem contra illam in hac materia adduco. Totum substantiale integrale formaliter sunt partes & vnio: ergo eo ipso, quod totum sit idem, partes sunt eædem: sed posita quantitate substantia totalis est eadem, quæ esset quantitate secluſa: ergo non includit partes, quas non includeret quantitate secluſa, easdemque includeret secluſa quantitate, quas modò includit; sed posita quantitate habet partes: ergo easdem haberet semota quantitate.

18 Arguunt alij: si lignum in duas medietates diuidatur, substantia huius medietatis distinguitur à substantia alterius medietatis: ergo duo illa ligna, in quæ primum fuit diuisum, sunt duæ substantiæ; ergo ante diuisionem erat duplex substantia, quia per diuisionẽ nihil substantiæ producitur. Respondent nonnulli ante diuisionẽ fuisse duplicẽ substantiam partialem distinctam, distingui tamen tunc, & habere rationem partium, quas includebat lignum, antequam diuideretur, ratione quantitatis, quæ partes communicat substantiæ, quam informat. Ab impugnatione huius solutionis incipiat ratio à priori contra hanc sententiam. Quantitas quæ in se habet partes, ex quibus cõponitur, non se ipsum communicat subiecto, cui vnitur per identitatem, sed per vnionem, forma enim subiecto vnita non fit eadem cum subiecto, potius, vt vnionem retineat debet distinctionem retinere, vnio enim non nisi inter distincta valet reperiri: ergo quantitas tantum habet hoc quod est seipsam in partes actu distinctas diuisibilem & partes, cum quibus identificatur vnire substantiæ: ergo si substantia ex se partes non habebat, per vnionem quantitatis illas habere nequit. Probo consequentiam: esse vnitum extremo habenti partes non est habere partes: sed substantia per vnionem ad quantitatem tantùm habet hoc quod est esse vnitam extremo habenti partes: ergo quantitas per vnionem ad quantitatem non habet hoc quod est, habere partes. Vrgeo: quantitas vel communicat substantiæ partes, quas in se habet, vel alias distinctas, quæ à quantitate oriuntur: non quas in se habet, quia hæ sunt accidentales, & partes substantiæ sunt substantiales, & quia quantitas secundum se & secundum partes, quas includit adæquatè distinguitur à substantia; non alias, quæ à quantitate oriuntur, quia quantitas nihil substantiæ producit, neque causat in aliquo genere: ergo quantitas nullas potest substantiæ partes communicare.

Vltimò duæ substantiæ adæquatæ, per se ipsas distinguuntur, etiãsi à quantitate separentur: ergo etiam si vnianeur, separatæ à quantitate eamdem distinctionem habebunt: ergo distinguentur, dum sunt vnitæ tanquam duæ substantiæ componentes aliam tertiam: ergo distinguentur vt partes: ergo secluſa quantitate, substantia illa composita ex duabus, quæ diuisæ sine quantitate præcesserunt, secluſa quantitate, partes habebit. Respondent nonnulli, substantias adæquatas, adhuc dum sunt diuisæ, & à quantitate separatæ distingui per ordinẽ ad quantitates, quibus possunt vniri. Contrà, distingui per ordinem ad quantitatem, vel dicit distingui per aliquem respectum, quem ad quantitatem dicat substantia adæquatè distincta ab ipsa quantitate vel dicit distingui per ipsam quantitatem. Si dicat distingui per illum respectum, dicit substantiam per se ipsam distingui, & non per quantitatem. Secundum dici nequit, quia nihil actu existens potest actu distingui per illud, quod actu non est, sed substantiæ, de quibus procedit argumentum, actu existerent, & quantitates non existerent: ergo substantiæ non distinguuntur per quantitatem. Mitto principium illud omnibus notum, & sæpe repetitum videlicet quodlibet ens distingui ab alio, per illud, per quod constituitur, & cum non possit constitui per aliquid à se distinctum, ita non potest per aliquid à se distinctum ab alio distingui.

§. III.

Duplex alia sententia reiicitur.

20 ALij apud P. Soar. disp. 40. sect. 3. asserunt essentiam quantitatis consistere in ratione mensuræ, contra quos hæc efficacia procedunt argumenta. Quantitatem actu esse mensuram dicit extrinsecam denominationem procedentem ab applicatione alius quantitatis, & ab actu intellectus mensurantis: ergo non potest in ratione mensuræ essentia quantitatis consistere. Dices non consistere in actuali commensuratione, sed in potentia ad hanc commensurationem. Contra: commensuratio actualis dicit applicationem duarum quantitatum, & actuum intellectus mensurantis: ergo potentia ad hanc commensurationem consistit in potentia applicatiua quantitatum, & productiua actus intellectus, in quo cõsistit actualis commensuratio: sed hæ potentiæ sunt extrinsecæ cuiuis quantitati, quia hæc quantitas eadem permaneret, etiam si repugnaret altera, & consequenter vtriusque applicatio, & etiamsi repugnaret potentia productiua actus, in quo consistit actualis commensuratio: ergo essentia quantitatis nõ potest consistere in hac potentia. Dices essentiam quantitatis adhuc non dicere potentiam absolutam ad commensurationem, sed tantùm capacitatẽ, quam ex se habet quantitas, ad commensurationem actualem, secundùm id, quod requiritur ex parte ipsius quãtitatis. Contrà: id, quod requiritur ex parte huius quantitatis, vt possit esse mensura, est extensio actualis: sed hæc potest separari à quantitate: ergo non potest in hac extensione actuali, quæ ex parte quantitatis est fundamentum mensuræ illius, actualis essentia consistere. Retrocedes amplius, & dices essentiam

quantitatis

quantitatis non consistere in ipsa actuali extensione, seu capacitate fundandi mensuram quatenus est esse, sed in exigentia huius extensionis, seu capacitatis fundandi hanc mensuram. Post tot distinctiones, & subdistinctiones coincidit hæc sententia cum alia, quæ in prima sui inscriptione asserit essentiam quantitatis consistere in exigentia extensionis, de qua postea iudicium fero, modo tantum infero malè hanc sententiam explicari, per ordinem ad commensurationem, radix enim extensionis non benè explicatur per ordinem ad mensuram, ad quam neque extensionis radix, neque ipsa extensio per se ordinatur, sed illis extrinsecè valde, & accidentaliter contingit, sicuti extrinsecè qualitati aduenit denominatio similis, per quam non rectè formalis ratio qualitatis explicaretur, sicut enim rectè intelligitur qualitas sine ordine ad similitudinem, sic rectè quantitas intelligitur sine ordine ad mensuram, etiamsi quantitati per se conueniat fundamentum valdè remotum fundandi mensuram quatenus est ex se, sicuti qualitati conuenit, & non ita remotè fundamentum fundandi similitudinem.

21 Alij propiùs ad veritatem accedunt dicentes essentiam quantitatis consistere in exigentia extensionis in ordine ad locum: in hac sententia expendendum est, an hæc exigentia extensionis in ordine ad locum sit idem cum resistentia ad penetrationem, vel dicat aliquid ab ista distinctum, vt de illa possit iudicium ferri. P. Hurt. disp. 4 sect.... putat hanc exigentiam extensionis non distingui formaliter ab impenetrabilitate, quod sic probat. Eo ipso quod entitas exigat extensionem, per hunc positiuum conceptum exigentiæ quocumque alio secluso, fundat negationem actualis penetrationis: ergo fundamentum impenetrationis, seu impenetrabilitas non distinguitur ab exigentia extensionis. Censeo ego exigentiam extensionis formaliter esse impenetrabilitatem, seu repugnantiam penetrationis, puto tamè latiùs patere impenetrationem, quàm patet extensionis exigentia, quia impenerrabilitas conuenit entitati indiuisibili independenter ab vnione, cum quacumque alia: extensio autem non potest conuenire entitati indiuisibili, neque entitas indiuisibilis non vnita alteri saltem indiuisibili, cum qua totum indiuisibile constituat, potest fundare extensionem. Ex quo inferes extensionem non esse quãcumque impenetrationem, sed impenetrationem rei diuisibilis. Insuper extensio, quam habet entitas in ordine ad spatium, dicit impenetrationem partium, quas entitas includit, non verò impenetrationem cum alio quocumque corpore, quia etiamsi huic ligno extenso retinenti eamdem præsentiam, quam antea habebat, accideret penetratio cum altero ligno ex eo, quod alterum inciperet occupare spatium, quod occupabat, & modò occupat, lignum retineret eamdem extensionem in ordine ad se, quia retineret eamdem præsentiam, & eodem modo se haberet in ordine ad spatium, quo antea se habebat: ergo extensio in ordine ad se tantùm dicit impenetrationem partium eiusdem corporis inter se, & non impenetrationem earumdem, & totius corporis cum alio corpore distincto: ergo latius patet impenetratio, quàm extensio: ergo latius patet exigentia impenetrationis, quàm exigentia extensionis.

22 Dices posse in corpore diuisibili considerari duplicem extensionem, quandam in ordine ad se, & hanc tantùm dicere impenetrationem partium eiusdem entitatis, quam haberet corpus penetratum cum alio, aliam in ordine ad alia corpora, & hanc dicere impenetrationem cum aliis corporibus, qua extensione careret corpus cum alio penetratum, & hac ratione non distingui impenetrationem ab extensione, quia impenetratio in ordine ad se identificatur in corpore diuisibili cum extensione in ordine ad se, & impenetratio in ordine ad alia corpora identificatur cum extensione in ordine ad alia corpora. Ex eo solum posset impugnari, qui hæc diceret, quia abuteretur nomine extensionis, quæ semper in ordine ad se sumitur, & non in ordine ad aliud, & quod in hac solutione nomine extensionis in ordine ad aliud significatur, nullus extensionem vocabit, neque ita vocari potest vt iam probo. Quodcumque corpus quantitatiuum penetrari potest cum Angelo, & absolutè dicimus corpus esse penetrabile cum Angelo, & tamen nemo dixit hominem esse inextensum in ordine ad Angelum: ergo penetratio cum alia entitate non dicitur inextensio in ordine ad talem entitatem: ergo neque impenetratio cum entitate distincta dicitur extensio in ordine ad entitatem distinctam, sed semper extensio sumitur in ordine ad partes eiusdem totius, & penetratio in ordine ad partes totius inter se, & in ordinè ad partes totius, quod illas includit cum quolibet alio toto, & partibus ipsius. Si quis autem ita nominibus abuteretur, & impenetrationem huius entitatis cum illa extensionem in ordine ad illam entitatem vocaret, & penetrationem earumdem inextensionem vniuscuiusque in ordine ad aliam entitatem esse diceret, tantùm contra communem loquendi modum peccaret, & contra significationem, quam ex hominum impositione habet hæc vox *extensio* & ita non posset ratione aliqua efficaci ab hoc improprio loquendi modo dimoueri.

Ex his infero exigentiam extensionis, & exigentiam im- 23
penetrationis non esse duos conceptus, quorum vnus oriatur ab altero, sed distingui tanquam superius, & inferius, includens, & inclusum. Exigentia impenetrationis se extendit ad subiecta diuisibilia, & indiuisibilia, exigentia extensionis dicit non quamcumque exigentiam impenetrationis, sed exigentiam penetrationis in corpore diuisibili, cui tantum potest conuenire extensio, & extensionis exigentia. Insuper in corpore diuisibili exigentia extensionis non dicit exigentiam totius impenetrationis, sed exigentiam penetrationis in ordine ad partes eiusdem subiecti, quia cum penetratio huius corporis cum illo non impediat extensionem huius, ita non exigit corpus hoc impenetrationem cum illo, vt sit extensum, neque exigentia extensionis dicit exigentiam impenetrationis cum alio corpore. Non autem distinguuntur in corpore diuisibili exigentia impenetrationis partium secundum se, & exigentia extensionis, quia vt benè arguit Hurtadus idem conceptus positiuus, qui fundat extensionem, fundat earum impenetrationem, & impenetratio positiuè sumpta pro præsentia partium in diuersis spatij partibus ab ipsa extensione formaliter non differt.

§. IV.

Propria sententia, vbi præcedens magis impugnatur.

EX dictis infero non rectè explicari quidditatiuum 24
conceptum quantitatis, per extensionis exigentiam, siquidem hæc exigentia tantum dicit impenetrabilitatem partium quantitatis inter se ipsas, & æquè primò conuenit quãtitati impenetrabilitas in ordine ad proprias partes inter se ipsas, ac in ordine ad aliud quodcumque totum quantitatiuum, ac proinde explicanda est natura quantitatis non solum per impenetrabilitatem partium eiusdem quantitatis inter se, quam dicit formaliter exigẽtia extensionis, sed per impenetrabilitatem quantitatis in ordine ad proprias partes, & in ordine ad aliam quamcumque quantitatem. Meliùs ergo explicabitur quantitatis essentia per impenetrabilitatem, seu exigentiam occupandi distinctum spatium ab illo, quod occupat quodvis aliud corpus, quàm per exigentiam extensionis. Addo iuxta Zenonis sententiam non aptè explicari essentiam quantitatis per exigentiam extensionis, quia punctum quantitatis secundùm hanc sententiam eiusdem rationis est cum tota quantitate, & tantùm differt penè magis & minùs sicuti differt homo à pluribus hominibus, vt dicebam Controuers. 17. Phys. Punct. 7. Quod si tota quantitas dicat vnionem integralem, quam non dicit punctum quantitatis, hæc vnio ad integritatem, & non ad essentiam quantitatis spectabit, ac proinde eadem essentia gaudet punctum quantitatis, qua tota quantitas. Sed punctum quantitatis non exigit extensionem, sed impenetrationem: ergo melius per exigentiam impenetrationis, seu per impenetrabilitatem essentia quantitatis, iuxta omnium sententias explicabitur.

Dices punctum quantitatis fundare extensionem totius 25
quantitatis, licet illam sibi non exigat, sed toti quantitati quam componit. Fateor solutionem hanc benignè sustineri posse, non tamen difficultatem euacuat, quia essentia quantitatis non consistit in eo, quod est fundare extensionem, cùm iuxta Zenonis sententiam, cui intẽdimus definitionem quantitatis aptare, si indiuisibile quantitatis poneretur separatum totam essentiam quantitatis retineret, & nihilominus actu non fundaret extensionem: ergo essentia quantitatis non consistit in hoc, quod est actu fundare extensionem, neque potest consistere in hoc, quod est

exigere

exigere fundare extensionem, quia quædam totalis quantitas, etsi extensionem habeat, non exigit illam fundare, aliud enim est habere in se formalem extensionem, aliud esse fundamentum extensionis, seu habere exigentiam fundandi extensionem, illud enim tantum exigit fundare extensionem, quod exigit vniri alteri extremo, ex quo simul, & ex ipso resultet extensio, sic enim vniri est actu extensionem fundare, cum autem quantitas totalis non exigat vniri alij quantitati non exigit extensionem fundare. Video partes, seu indiuisibilia, quæ in quantitate includuntur exigere fundare extensionem, & illâ actu fundare iuxta sententiam Zenonis, ratione quorum seorsim sumptorum, licet non ratione quantitatis integræ indiuisibiliter sumptæ quantitati conuenit, hoc quod est exigere fundare extensionem, ex quo potest aliquo modo prædictæ obiectioni respondere, verumtamen negabit nemo clariùs, & expeditiùs quantitatis essentiam explicari per impenetrabilitatẽ, quàm per hoc quod est fundare extensionem. Deinde communis sententia, quã impugno nõ constituit essentiã quantitatis in exigentia fundandi extensionem, quæ indiuisibili quãtitatis potest cõpetere, sed in exigentia extẽsionis, quæ sicuti, & ipsa extensio indiuisibili repugnat cui impenetratio, & impenetrabilitas iuxta Zenonem optimè quadrat.

26 Reiicio definitionem datam per exigentiam extensionis, & probo dandam per exigentiã extensionis, quia licet definitio illa rectè explicaret essentiã quantitatis diuisibilis, quæ modò est, non rectè explicat essentiam quantitatis indiuisibilis, quæ possibilis est, cui repugnet extensio secundum suam entitatem & indiuisibilis sit, & omnino simplex sicuti Angelus, & anima rationalis, quæ entitas poterit habere impenetrabilitatem, per quam formaliter constituetur formaliter quantitas. Dices repugnare talem quantitatem, quam ego non repugnare fic probo. Non repugnat corpus completum indiuisibile integraliter vt probaui Controu. 5. Physic. Punct. 5. ergo non repugnabit accidens quoddam inhærens huic corpori commensuratum cum illo, ex vi cuius corpus istud impenetrabile fiat. Sed tale accidens habebit rationem quantitatis: ergo non repugnat quantitas adæquata, & indiuisibilis integralis. Non repugnare tale accidens probandum esset soluendo rationes, quibus talis accidentis propugnaretur repugnantia, sed nulla aliûs momenti mihi occurrit, neque adhuc apud alios, hanc difficultatem exagitatam vidi, ideo huius accidentis non repugnantiam non probo, sed tanquam certam mihi statuo ex eo præcisè, quod nulla in tali accidenti valeat excogitari repugnantia. Minorem videlicet tale accidens habiturum rationem quantitatis sic probo. Tale accidens differt à reliquis alijs ex eo, quod esset resistiuum penetrationis, sed hæc differentia non est constitutiua accidentis pertinentis ad prædicamentum distinctum à prædicamento quantitatis, vt per se patet: ergo constitueret accidens quod ad propriam speciem quantitatis pertineret. Confirmatur: Penetrabilitas in omnium sententia, aut est essentia, aut passio quantitatis; ergo quodcumque accidens, cui conuenit impenetrabilitas est quantitas. Paret consequentia: quodcumque accidens cui conuenit essentia, aut passio quantitatis est quantitas: sed tali accidenti conuenit impenetrabilitas, quæ saltẽ est passio quantitatis: ergo tale accidens esset quantitas, siue in ratione talis cõstitueretur per impenetrabilitatem, tanquam per rationem formalem quantitatis, siue per aliud prædicatum, à quo impenetrabilitas oriatur, vt passio ab essentia. Ex hoc infero tale accidens habiturum rationem quantitatis; quod si semel admittatur, necessariò dicendum est constitui in ratione talis per impenetrabilitatem, cùm nullum possit excogitari prædicatum in tali accidenti distinctum ab impenetrabilitate, quod sit formale quantitatis constitutiuum, & à quo impenetrabilitas concipiatur oriri.

27 Statui essentiam quantitatis in impenetrabilitate consistere, item præter quantitatem diuisibilem, quam experimur, posse dari quantitatem indiuisibilem, restat modò explicandum respectu cuius futura sit hæc quantitatis impenetrabilitas. Vulgo dicitur impenetrabilitas quãtitatis esse respectu alius quantitatis, quod est quantitatem per quantitatem explicare, quia in definitione quantitatis ipsam quantitatem apponimus, & cùm rogamus, cum quibus entitatibus quantitas sit impenetrabilis, respondetur esse impenetrabilem cum quantitate, qua responsione adhuc datâ, restat sciendum quid sit quantitas. Neque dici potest quantitatem esse impenetrabilem cum alio corpore, quia quantitas penetrabilis est cum corpore substantiali, si ab illo demas quantitatem superadditam, ratione cuius fiat impenetrabilis. Rectè iuxta communem sententiam essentia quantitatis explicabitur per impenetrabilitatem cum alio eiusdem rationis cum ipso, ita vt illud accidens, seu illud ens, quod impenetrabile sit cum alio eiusdem speciei cum ipso, habeat rationem quantitatis etiamsi penetrabile sit cum omni alio specie ab ipso distincto. Verumtamen in mea sententia non adæquatè hac ratione essentia quantitatis explicatur, quia cum admittam quantitates specie distinctas vnam diuisibilem, indiuisibilem aliam, & omnis quantitas cum quacumque alia impenetrabilis sit, sit hâc quantitatem existentem non solùm esse impenetrabilem cum alio accidenti eiusdem speciei cum ipsa, sed etiam cum accidenti specie distincto ab illa, videlicet cum quantitate indiuisibili, quam possibilem esse defendimus. Deinde etiãsi non admittatur possibilis quãtitas indiuisibilis, saltem possibilis est quantitas identificata cum substantia, quæ per se ipsam sit impenetrabilis, & extensionem exigens, quæ specie distinguitur à quantitate substantiæ superaddita, & tamen erit impenetrabilis cum illa per præcisum quantitatis conceptum: ergo non explicatur adæquatè impenetrabilitas quantitatis per ordinem ad aliam entitatem eiusdem rationis cum illa, quam impenetrabilem appellamus.

Ob difficultatem prædictam quidditatiuum conceptum 28
quantitatis sic exprimo: *Ens per se impenetrabile cum alio eiusdem rationis cum ipso, & cum quacumque alia entitate, quæ similem impenetrabilitatem habeat cum alia eiusdem speciei cum ipsa.* Definitio hæc comprehendit omnem quantitatem possibilem, siue substantialem, siue accidentalem, diuisibilem, vel indiuisibilem, quia omnis quantitas est impenetrabilis cum alia quantitate eiusdem speciei: insuper quantitates omnes etsi specie distinctæ inter se sunt impenetrabiles, qui conceptus optimè prædicta definitione exprimuntur, quia prior illius pars exprimit impenetrabilitatem quantitatis accidentalis diuisibilis cum alia accidentali diuisibili eiusdem rationis, & posterior exprimit impenetrabilitatem quantitatis diuisibilis cum indiuisibili, quæ impenetrabilis est cum alia eiusdem rationis, videlicet cum alia indiuisibili, & eadem ratione explicat impenetrabilitatem quantitatis accidentalis cum quantitate substantiali, quæ impenetrabilis est cum alia eiusdem rationis, videlicet cum alia quantitate substantiali

Obiic. non bene explicari essentiam quantitatis per im- 29
penetrabilitatem entis cum alio eiusdem speciei, &c. quia ad hoc vt cognoscatur hoc ens esse eiusdem speciei cum illo, cognoscenda est species, & essentia vtriusque entis: ergo ad cognoscendam essentiam quantitatis requiritur præcognosci ipsam essentiam: ergo explicatur idem per idem. Respondeo ad cognoscendum hoc ens esse eiusdem essentiæ cum illo necessum non esse cognoscere essentiam metaphysicam alicuius, neque prædicatum per quod ens in tali specie constituatur, sed sufficere cognitionem quandam valde confusam accidentium, & proprietatum vtriusque, quæ rectè potest supponi, & prærequiri ad essentiam metaphysicam quidditatiuè cognoscendam. Cognitionem illam sufficere ad cognoscendum duo entia esse eiusdem speciei per se notum est, nullus enim dubitat materiam primam Petri esse eiusdem speciei cum materia prima Ioannis, & magna est difficultas in agnoscendo prædicato metaphysicè constituente materiam primam.

Obiic. secundò. Nulli entitati, quæ non sit quantitas con- 30
uenit impenetrabilitas cum alia eiusdem speciei cum ipsa: ergo per hanc impenetrabilitatem adæquatè differt quantitas ab illis entitatibus: ergo rectè, & adæquatè definietur quantitas per impenetrabilitatem cum alio eiusdem speciei, & necessum non erit addere secundam partem definitionis, per quam definitio longior quàm par est euadat. Respondeo impenetrabilitatem cum alio eiusdem speciei tantùm conuenire quantitati, ex quo infertur per hanc impenetrabilitatem adæquatè distinguendam esse quantitatem à reliquis entitatibus, siquidem hæc tantùm impenetrabilitas illi competeret; distingui tamen per impenetrabilitatem in ordine ad aliud eiusdem speciei, & in ordine ad aliam entitatem habentem similem penetrationẽ, quia impenetrabilitas quantitatis non solum est in ordine ad aliud ejusdem speciei, sed etiam ad aliam quamcumque entitatem, quæ similem habeat impenetrabilitatem. Sic contingit in creatura rationali, quæ sufficienter distingueretur ab omni alio per principium iudicandi, quia tamen

non

non habet principium iudicandi distinctum à principio discurrendi, sed idem principium, quod est virtus iudicatiua, est etiam discursiua, sit creaturam rationalem differre à non rationali non solùm per principium iudicandi, sed etiam per principium discurrendi.

31 Iam de effectu formali quantitatis iuxta mea principia parum superest dicendum, dixi enim sæpe effectum formalem cuiusque formæ esse compositum resultans ex forma, & ex subiecto, cuius compositi essentia facilè cognoscitur cognitâ essentiâ materiæ, & formæ quibus componitur, præcipuè cognitâ formâ, quæ est vltimum constitutiuum compositi, & cùm iam explicuerim quidditatem quãtitatis hac cognitâ facilè poterit cognosci quidditas compositi, seu quanti constituti per quantitatem. Quod vulgò dicitur quantitatem communicare materiæ impenetrabilitatem, & extensionem, non ita intelligendum est, vt materia prima habeat aliquam exigentiam ratione quantitatis, quam seclusâ quantitate non haberet, quia exigentia intrinseca rei ab ipsa non distinguitur, & cùm entitas eadem sit manet cum eadem exigentia. Si dicas præstare illam exigentiam extrinsecam talis exigentia extrinseca materiæ, erit intrinseca quantitati, mediâ quâ exigit materia, ac proinde exigentia illa propria erit quantitatis, & non materiæ; id autem præstat quantitas materiæ vnita, vt materiæ, impenetrabilitas debeatur, quia materia ex se exigit esse in eodem spatio, in quo est quodcumque accidens cui vnitur, & accidens similiter petit esse in eodem spatio, in quo est subiectũ, cui vnitur, insuper petit quãtitas impenetrationem cum alio ente eiusdem rationis, & impenetrationem partium ipsius quantitatis inter se ex quo fit petere eamdem impenetrationem materiæ cui vnitur cum petat habere spatium commune cum materia, cui vnitur. Fit etiam posita impenetratione quantitatis deberi eamdem impenetrationem materiæ, cui quãtitas est vnita, quia materia exigit esse in eodẽ spatio, in quo fueritforma illivnita: ergo suppositâ præsentiâ quãtitatisvnitæ materiæ in tali spatio, debetur materiæ præsentia in eodem spatio, ex vi exigentiæ, quam habet præsentandi in quocumque spatio, in quo sit præsentatum accidens illi vnitum, & consequenter debetur materiæ impenetratio, quam habet
32 quantitas, cui vnitur.

Ex hoc inferes, quod cum Hurtad. notabam Controu. 5. Phys. Punct. 5. posita vnione plurium partiũ substantiæ ad indiuisibile quantitatis his partibus non deberi impenetrationẽ ipsarum inter se ratione huius vnionis, potiùs ratione talis vnionis illis deberetur penetratio, quia partibus substantiæ debetur præsentia in eodem spatio, in quo est quantitas terminãs ipsarum vnionẽ, & cum in hoc casu idẽ indiuisibile quantitatis terminaret vnionem plurium partium substantiæ, his omnibus deberetur præsentia in eodem spatio, in quo esset illud indiuisibile quãtitatis, ac proinde illis deberetur penetratio. Eadem ratione si idem indiuisibile substantiæ, vel eadem indiuisibilis substantia vniretur pluribus partibus quantitatis non penetratis, sed extensis, tali substantiæ indiuisibili deberetur præsentia in omnibus indiuisibilibus spatij, in quibus quantitas illa diuisibilis penetraretur. Ex hoc inferes, ex eo deberi extensionẽ substantiæ, quæ vnitur quantitati extensæ, quia distincta pars substantiæ distinctæ parti quantitatis vnitur, & cũ distinctæ partes quantitatis occupent distinctum spatium fit distinctas substantiæ partes distinctum occupare spatiũ. Ex eodem principio inferes, quod si naturaliter, vel supernaturaliter omnes partes substantiæ diuisibiles immediatè vnirentur cuicũque indiuisibili quantitatis diuisibilis, omnibus partibus substantiæ, & toti substantiæ deberetur intima præsentia, cum quocumque indiuisibili quantitatis, & consequenter deberetur præsentia definitiua substantiæ hac ratione vnitæ quãtitati præsenti circumscriptiuè, quia eo ipso, quod tota substantia esset intimè præsens cuicumque indiuisibili quantitatis, esset tota in quocumque indiuisibili spatij, & in toto spatio, in quo esset quantitas. Addo in sententia, quæ asserit omnes entitates fieri præsentes per præsentiam quantitatis, cui vniuntur, non solùm ex vi vnionis substãtiæ diuisibilis secundùm se totam ad quodcumque indiuisibile quantitatis circumscriptiuè existentis deberi prædictæ substantiæ præsentiam definitiuam, sed fieri formaliter definitiuè præsentem in tali spatio, quia in hac sententia ex vi vnionis ad quantitatem quodcumque extremum quantitati vnitum cõstituitur formaliter in eodem spatio, in quo est quantitas per se terminans talẽ vnionẽ, cùm autem tota substantia esset vnita huic indiuisibili quantitatis immediatè, & sic reliquis aliis, per hanc vnionem tanquam per formã, seu tanquam per informationem, de quo non curo, constitueretur formaliter tota substantia in quocũque spatio, cui quælibet pars. & quodlibet indiuisibile quantitatis correspondet, quod est constitui definitiuè in spatio, in quo est quantitas circumscriptiuè præsens.

Punctvm III.

De speciebus quantitatis permanentis continuæ.

SI de quantitatibus possibilibus disputatio procedat, tot possunt excogitari quantitatis species, quot sunt species rerum materialiũ quæ in aliis prædicamentis realiũ entitatum reperiuntur, cùm enim non repugnet substãtia per se ipsam immediatè impenetrabilis, & quantitates, quæ huiusmodi impenetrabilitatem habeant, dari poterunt quãtitates specie distinctæ identificatæ cum substãtiis, vel qualitatibus specie differentibus. Poterunt etiam quantites superadditæ specie differre ex eo, quod vna sit diuisibilis, & indiuisibilis alia, cùm iam probauerim non repugnare quantitatẽ indiuisibilem. De quantitate reali, quæ speciale est accidens distinctũ à reliquis omnibus difficultatẽ hãc examinant Doctores, cum quibus quid de hac quantitate breuiter definiam. Ad naturam quantitatis explicandam præ oculis semper habenda est duplex opinio circa continui compositionẽ, quædam illud componens ex puris indiuisibilibus, alia ex partibus in infinitis in infinitũ diuisibilibus. Vtriusque continui structuram explicui Controu. 17. Punct. 7. & iuxta doctrinam ibi traditam rem tracto.

Dico Primò: Iuxta Aristotelis sententiam linea, superficies, & corpus est species quantitatis. Conclusio hæc communis est omnium ferè Doctorum, licèt non illi absque distinctione assentiatur Hurt. disp. 13. sect. 6. §. 52. quia existimat lineam, & superficiẽ subiectari in partibus quãtitatis, cum quibus penetrãtur nullumque subiectum reddere impenetrabile, illam defendit P. Soar. supra, à quo recedit Hurt. quia existimat lineas, & superficies quantitatis non subiectari in lineis, & superficiebus materiæ, sed in partibus eiusdẽ quantitatis, quas vniũt, asseritque lineas, & superficies quantitates esse dicendas, si subiectantur in lineis & superficiebus materiæ, quas reddant impenetrabiles. Defendo lineas quantitatis in lineis materiæ subiectari, & sic de superficiebus, ac proinde ex hoc capite nõ illis iuxta mea principia poterit denegari ratio quantitatis, verũtamen existimo nihil conducere lineas, & superficies quãtitatis in lineis, & superficiebus materiæ, vel in ipsis quantitatis partibus subiectari, ad hoc, quod quantitatis rationem participent, vel illa careant. Ratio esto: illud quod secundùm suã entitatem quantitas est, secũdùm seipsum impenetrabile est, & non à subiecto impenetrabilitatẽ mendicat: ergo si linea est species quantitatis, secundùm se independenter à subiecto debet esse impenetrabilis: ergo siue huic, siue illi subiecto vniatur eamdem impenetrabilitatem habebit. Secundò etiamsi quantitatis essentia cõsisteret in extensionis exigentia, vt multorum fert probabilis opinio; quantitas vnita subiecto indiuisibili, cui non potest præstare extensionis exigentiã, retineret totam quãtitatis essentiam: ergo etiamsi linea ex se diuisibilis vniatur subiecto aliunde impenetrabili, cui non posset impenetrabilitatẽ præstare, retinebit essentiam quantitatis, quia hæc consistit in quidditate rei, quæ ex se impenetrabilis est, & apta, vt communicet hanc impenetrabilitatem subiecto ex se capaci, quod si subiectum incapax respiciat, non ideo secundùm aliquam rationẽ illius prædicata essentialia deficiunt, quæ in quacumque forma eadem retinent, dum permaneat intrinsecè eadẽ forma, siue hoc, siue illud subiectum forma respiciat. Vltimò: etiamsi quãtitati essentiale esset communicare impenetrabilitatem subiecto, adhuc linea parti quantitatis vnita essentiam haberet quantitatis, & de facto talem impenetrabilitatem communicaret parti quantitatis, cui vniretur, quia etiamsi pars quantitatis ex se sit impenetrabilis, potest etiam impenetrabilis fieri ratione lineæ ab ipsa distinctæ, quia non repugnat eandem partem quantitatis ex duplici capite esse impenetrabilem, etiamsi alterum non distinguatur ab ipsa quantitatis parte, quia pars quantitatis ex se impenetrabilis potest vniri formæ, seu formam recipere talis naturæ, vt ex vi illius impe-

dimentum habeat vt penetretur, ita vt etiam si ipsa ex se non haberet impenetrabilitatem, præcisè ratione formæ aduenientis penetrari nõ posset, negatio enim penetrationis potest ex repugnantia subiecti, & ex repugnantia formæ superadditæ eidem subiecto procedere: sic cõtingeret si pars superficiei penetraretur cũ parte corporis, quia tũc pars corporis ex se impenetrabilis taliter esset affecta parte superficiei, vt etiamsi nullam impenetrabilitatem haberet, præcisè ex superficiei parte necessariò haberet eãdem impenetrationem, quam ex se habet pars superficiei, cui vnitur, ita vt pars corporis à se haberet impenetrabilitatem propriã partis corporis, & à parte superficiei cui esset vnita impenetrabilitatẽ propriam partis superficiei superadditã parti corporis, sicuti superadditur parti materiæ impenetrabilitas partis quantitatis. Dicendũ ergo est in omnium sententia lineã, superficiem, & corpus esse quãtitatis species, quia his omnibus entitatibus cõuenit impenetrabilitas, & illarum neutra potest ita penetrari vt reducatur ad indiuisibile partium. Fateor lineas, & superficies non esse quantitates completas, quia ex se ordinantur ad cõponendum totum integrale tanquam nexus partium talis totius, quod per se notum est, & alia probatione non indiget.

3 Obiicies: quando duo corpora tangũtur superficies extimæ corporũ in quibus fit contactus penetrantur inter se, & lineæ huius superficiei cum lineis alterius superficiei: ergo non cõuenit impenetrabilitas lineis, & superficiebus: ergo non sunt species quantitatis. Respondent nonnulli lineas, & superficies extimas diuersorum corporũ penetrari secundum partem, quæ indiuisibiles sunt, non verò secundum partem diuisibilem, v g. lineam penetrari secundum latitudinem, non verò secundum longitudinem, & superficiem penetrari secundũ profunditatem, non verò secundum longitudinem, aut latitudinum: Displicet solutio, quia linea, & superficies penetrari nequeunt secundũ mensuras, quas non habent, sed linea non habet latitudinẽ, neque superficies profunditatem: ergo neque linea potest penetrari secundum latitudinem, neque superficies secũdum profunditatem. Secundò linea quæ habebat lõgitudinem duorum palmorum in ordine ad spatium, habet tantum longitudinem vnius palmi cum duplicata charta penetratur; ergo penetratur secundum longitudinem. Persistentes eadem solutione respondent penetrari longitudinem lineæ, quia pars lineæ supponitur parti lineæ, qua parte linea est indiuisibilis, non posse tamen penetrari secundum longitudinem hoc est intrante linea spatium alterius per partem, secundum quam linea diuisibilis est, quia si linea lineæ è regione obiiceretur per puncta initiatiua, nulla posset locum alterius ingredi, neque vlla esset inter lineas penetratio. Placebit forsan solutio ad speciem composita rem non percallenti; quis tamen illam attentè inspiciat, facilè illius falsitatem deprehendet, quam sic ostendo. Ponatur manus supra mensam, lineæ manus per suprapositionem penetrabuntur cum lineis mensæ, vt solutione, quam impugno traditur, ducatur postea manus per mensæ planum, tunc lineæ manus intrabunt spatium linearum mensæ non per suprapositionem, sed ingressu facto per puncta & partes linearum, quæ è regione opponebantur, & secundum partem illam, qua linea diuisibilis est.

4 Alij magis ad veritatem accedentes asserunt lineas posse penetrari secundùm aliquas partes, non verò secundùm omnes, quia nulla pars lineæ potest penetrari cum parte sibi immediatè vnita, etiamsi cum aliis mediatè vnitis valeat penetrari. Non acquiesco: Partes quãtitatis omnes sunt eiusdem rationis: ergo si hæc pars, *B*. v.g. potest penetrari cum parte *D*, mediatè vnita poterit penetrari cum *C* immediatè vnita eiusdem rationis cum parte *D*, mediatè vnita. Vrgeo: hæc pars quæ est vnita immediatè parti *B*, potuit vniri mediatè: sed vnita mediatè potuit penetrari: ergo modò, cùm sit eadẽ pars. Dices non posse penetrari ratione vnionis immediatæ: Contrà: partes quãtitatis secũdùm se sunt impenetrabiles, & non ratinone vnionis: ergo siue vnitæ mediatè, vel immediatè, siue non vnitæ eãdem impenetrabilitatem retinebunt. Meliùs dicetur partes lineæ esse penetrabiles secundùm aliquas, & secundùm quãlibet assignabilem cum quacumque alia, non tamen posse partes omnes secundùm se totas penetrari, ita vt ad indiuisibile reducantur spatium, quia cùm quælibet pars sit diuisibilis in semper diuisilia, quantumuis penetretur semper illud partis, seu pars illa, quæ penetratur habet partes inter se non penetratas, quibus repugnat naturaliter ad indiuisibile spatium reduci.

Obiicies: Impenetrabilitas lineæ in eo consistit, vt non possit ad indiuisibile reduci: ergo linea tantùm est impenetrabilis in ordine ad partes, quas in se continet, & non in ordine ad aliam lineã, quia tota hæc linea cum tota illa penetratur, quod si non possit penetrari tota hæc linea cum aliquo indiuisibili seorsim sumpto alterius lineæ, ideo est quia non potest ipsa ad indiuisibile reduci, non quia semel ad indiuisibile redacta repugnaret penetrari cum quolibet puncto alterius lineæ: ergo malè definiuimus quãtitatem per ordinem ad impenetrabilitatẽ partium eiusdem quantitatis inter se, & quantitatis adæquatæ cum alia quãtitate adæquata. Resp. eamdẽ impenetrabilitatem habere hanc lineã in ordine ad se ratione partium, quam habet ratione sui totius in ordine ad aliã lineam, quia sicuti omnes partes distinctæ huius lineæ possunt correspondere partibus distinctis alterius lineæ, sic dimidia pars lineæ potest eamdẽ correspondentiã partium seruare cũ altera medietate partiũ eiusdem lineæ, & sicuti tota hæc linea nõ potest ita penetrari, vt quælibet pars illius sit penetrata cum omnibus collectiuè sumptis eiusdem lineæ, sic non potest penetrari hæc linea cũ alia, ita vt quælibet pars illius sit penetrata cũ omnibus partibus alterius lineæ collectiue sumptis. Si verò hæc solutio non placeat, dicito suprà definitã fuisse quãtitatem completã, cui cõuenit impenetrabilitas in ordine ad se, & in ordine ad aliud, & de ratione quantitatis incõpletæ tantùm esse incõpletam impenetrabilitatẽ in ordine ad aliud. Punctũ initiatiuum partium linearũ in sententia Aristotelis quantitatis non habet essentiam, quia secũdùm se totum penetratur cum quocumque alio, incapax est fundandi extensionem; & longitudinem, est enim iuxta hanc sententiam firmiter statutum indiuisibile additum indiuisibili non facere maius. Hæc de speciebus quantitatis permanentis continuæ iuxta Aristotel. sententiam.

6 In opinione Zenonis, quæ continuum ex puris indiuisibilibus construit Punctum est species quantitatis. Probo facilè. Punctum resistit penetrationi: ergo Punctum est quantitas. Probo antecedens: totum quãtitatiuum resistit penetrationi: ergo secundùm id quod intrinsecè in se habet, & ex quo intrinsecè componitur. Sed totum tantùm componitur ex indiuisibilibus: ergo resistit penetrationi secundum indiuisibilia. Confirmatur. Si vnum indiuisibile posset cum alio penetrari, illud aliud posset etiam penetrari cum alio, & omnia possent ad vnum indiuisibile reduci. Dices puncta immediatè vnita non posse inter se penetrari, etiamsi possent penetrari alia puncta vnita mediatè. Hanc solutionem in partibus supra impugnaui, & in indiuisibilibus impugnationem efficacissimam habet. Si puncta mediatè vnita possent penetrari, puncta non vnita penetrari possent: ergo possent duo corpora adæquatè distincta penetrari, quod est absurdũ, & contra omnem experiẽtiam. Rursus probatur eadem Conclusio. In hac opinione totum quantitatiuum est homogeneum, & resoluitur tanquam in partes in Puncta indiuisibilia: ergo quælibet pars, seu quodlibet Punctum indiuisibile eãdem rationem habet cum toto, vt patet in aqua, & in aliis totis homogeneis, quorũ quælibet pars eiusdẽ est rationis cum toto. Deinde iuxta hanc opinionẽ linea tantùm dicit plura Puncta vnita, sed plura Puncta specie non differunt ab vno Puncto: ergo linea non specie differt à Puncto. Dices lineam differre ratione vnionũ integralium, quas includit, & quibus caret Punctum. Contrà: totũ integrale non differt essentialiter ab alio præcisè ratione vnionis integralis, quãdo extrema vnita inter se non differunt, quia essentia Metaphysica totius, siue integralis, siue essẽtialis ex natura extremorũ quæ vniuntur, & non ex vnionibus desumitur. Fateor totum integrale specie inadæquata physica differre à Puncto, quia includit vniones, seu Puncta quædã modos, quibus vniũtur Puncta res, quæ specie differũt à Punctis rebus, quæ medijs illis vniũtur, sicuti modus à re cuius est modus, & vnio ab extremis, quibus vnitur. De his Punctis modis dixi Controu. 17. Phys. Punct. 7. vbi statui omnino esse extra Puncta res, & diuersum spatium occupare, ex quo modò infero illis rationem quantitatis competere; etsi sint entitates modales ex se incompletæ, & ordinatæ ad extrema vnienda.

7 Locum ex Aristotele inter species quantitatis nonnulli annumerant, qui si sumatur pro locali reali, qui definitur

vltima

ultima superficies, &c. quantitatis participat essentiam, non formaliter quatenus locus, sed quatenus superficies eiusdem corporis quantitatiui, seu impenetrabilis, quæ in se impenetrabilitatem habet eandem, quam habet quælibet alia superficies quantitatiua, quæ impenetrabilitas fundamentum est actualis extensionis, via qua fundatur ratio loci, quæ non quantitatè constituit; sed supponit pro materiali iam constitutam, & extensam.

8 Alii volunt speciebus quantitatis præsentiam corpoream diuisibilem adiungere, quia illius partes impenetrabiles sunt, & quia præsentia vnius quantitatis impenetrabilis est cum præsentia aliùs quantitatis. Melius defendit communis sententia præsentiam, etiam quantitatiuam non esse speciem quantitatis, & illius partes impenetrabiles non esse, quia licèt non possint eidem spatio respondere partes præsentiæ, quam modò habet hæc charta, impossibilitas ista non oritur ex mutua incompossibilitate relatiua, quam præsentiæ partes inter se habeant, sed quia quælibet pars immobilis est, & non potest aliud spatium respicere præter hoc, quod per se respicit, ex quo fit hanc præsentiæ partem non posse respicere spatium, quod alia præsentia respicit, non quia tale spatium aliâ præsentiâ occupetur; sed quia secundùm se non potest illud respicere, ita vt æquè impotens sit, & non minùs impedita hæc præsentiæ pars respicere aliud spatium, dum actu tale spatium nulla præsentia respicitur, & dum illi alia præsentia correspondet. Quod si duplex præsentia possibilis, quarum quælibet idem spatium per se respicit, nunquam coëxistant, neque penetrentur, hoc non fit quia illarum penetratio immediatè repugnat; sed si præsentiæ illæ sint eiusdem corporis, mutuò inter se pugnant, non in ordine ad spatium, sed in ordine ad subiectum, sicuti quælibet alia duo accidentia eiusdem rationis, quæ ab eodem subiecto mutuò se expellunt. Si verò præsentiæ illæ ad diuersa corpora pertineant, repugnat præsentiarum penetratio, quia vnum corpus propellit aliud actiuè medio impulsu, ne fiat illi intimè præsens, vnde immediatè in se tantùm penetratio corporum repugnat, & non præsentiarum penetratio. Ex quo inferes, quod si Deus eidem subiecto in eodem spatio indiuisibiliter sumpto duplicem præsentiam concederet tantùm supernaturalem esse futuram coëxistentiam duplicis præsentiæ in eodem subiecto, sicuti esset supernaturalis coëxistentia aliorum quorumlibet accidentium eiusdem rationis, & non coëxistentiam præsentiarum in ordine ad spatium. Eadem ratione si duo corpora penetrarentur, totum miraculum in corporum penetratione, & non in penetratione præsentiarum consisteret. Ex quibus inferes non maiorem impenetrabilitatem ex se immediatam habere præsentias rerum materialium, quàm spiritualium, quia omnes impenetrabiles sunt ratione spatij, cui sunt affixæ, & non ob aliquam repugnantiam relatiuam, quam habeant ex vi cuius vna præsentia expellat aliam ab spatio quod occupat.

PVNCTVM IV.

De speciebus quantitatis continuæ successiuæ, & quantitatis discretæ.

1 SCire oportet esse aliquas entitates, quæ sunt extensæ in ordine ad tẽpus, sicuti quãtitas est extensa in ordine ad locum, quæ extensionem successiuam habere dicuntur, & quantitates successiuæ solent nuncupari, hæ sunt tempus, & motus de quibus breuiter dicam, an sint species quantitatis continuæ successiuæ. Sunt non pauci præcipuè è recentioribus asserentes entitates successiuas nullam habere vnionem. Huius sententiæ fundamentum expendi, Contr. 17. Physic. Punct. 6. à qua non omnino discessi Punct. 11. Iuxta hunc dicendi modum specialis insurgit difficultas an motus, & alia quæuis entitas successiua possit esse species quantitatis, quia ens successiuum, cuius partes immediatâ tantùm successione annectuntur non est vnum per se, vbi enim non intercedit physica vnio, & partes diuersæ reperiuntur, vnum per se reperiri non valet. Sed adhuc hac admissâ opinione, dubitari potest, an partes motus inter se non vnitæ propriam habeant impenetrabilitatem, ratione cuius quælibet propriam speciem quantitatis constituat, licet non ex omnibus simul sumptis integretur quantitas, quæ propriam, & physicam habeat vnitatem, cùm enim dixerimus indiuisibile separatum in Zenonis sententia rationem habere quantitatis, sic dici forsan poterit partem indiuisibilem motus veram rationem quantitatis participare ratione impenetrabilitatis quam in ordine ad alias habeat compartes.

Triplex est motus, alterationis, nutritionis, & localis motus: Alterationis motus tantum fit successiuè ratione qualitatis contrariæ resistẽtis, & plures illius partes simul fiũt & eadẽ numero actio, quæ dicitur motus, & successiuè incipit, postea tota simul conseruatur, ex quo clarè infertur motum alterationis non esse successiuè per se, sed per accidens ratione contrariæ qualitatis, vel principij actiui intendentis oppositam qualitatem producere, vt latè expendam Contr. 6. de Generat. Punct. 4. non ergo species quantitatis dicendus est alterationis motus, cui extensio in ordine ad locum non per se conuenit, neque ratione alicuius extrinseci principij, sed tantùm ratione formæ oppositæ. Nutritioni tantùm ratione alterationis cõuenit successio, fit enim nutritionis motus vt primũ subiectum est vltimò dispositũ, & cùm hoc successiuè disponatur, successiuè cõtingit nutritio, quæ instantanea esset, si subiectũ extensũ in instãti vltimò disponeretur. Hac ratione excludẽdus est à ratione quãtitatis nutrition. motus, sicuti excluditur alteratio. 2

Tota difficultas ad motum localem reducitur, de quo dicendum est non esse speciem quantitatis. Ita P. Soar. suprà sect. 8. qui absolutè affirmat nullum motum esse quantitatis speciem. Ratio conclusionis esto: successio tantùm conuenit partibus motus localis per incompossibilitatem terminorum in ordine ad subiectum, videlicet per naturalem repugnantiam, quam habent duæ præsentiæ in eodem subiecto simul existentes; ex introductione enim vnius, sequitur expulsio alterius, ex quo sequitur non posse duas præsentias, neque duas præsentiæ partes subiectum secundùm se totum, neque secundùm eãdem sui partẽ simul recipere, & eidem subiecto inhærentes coexistere. Cùm autem actiones, seu partes motus, quæ sunt modi præsentiarum, quas tanquam terminos respiciunt, non possint separari à præsentiis, quarum sunt modi, fit non posse coëxistere actiones, quibus præsentiæ, quæ successiuè existunt, producuntur, sed necessariò existere successiuè, non quia vna pars motus expellat aliam à tempore, cui correspondet, sed quia cum altera incompossibilis est in ordine ad suiectum. Confirmatur: si motus incompossibiles essent præcisè in ordine ad tempus, non tantùm non possent coëxistere partes eiusdem motus, sed neque partes motuum diuersorum subiectorum, neque motus adæquati diuersi: sed non repugnat motus diuersorum subiectorum, & partes illorum existere in eodem tempore: ergo coëxistentia partium eiusdem motus non repugnat ex eo, quod vna pars petat esse extra tempus alterius, sed ex eo, quod vna incompossibilis sit cum alia in ordine ad subiectum, & se mutuò expellant, sicuti expelluntur albedo, & nigredo, quæ si idem subiectum informent, id nequeunt simul, sed successiuè præstare propter incompossibilitatem formalem, quam habent in ordine ad subiectum, & non propter extensionem, quam petant in ordine ad tempus. Probo antecedens: Quantitas, quæ ex se est impenetrabilis in ordine ad locum non solùm est impenetrabilis secundum partes respicientes idem subiectum, sed respectu aliùs cuiusuis adæquatæ quantitatis respicientis aliud subiectum, & repectu partium quantitatis distinctæ: ergo si motus ex se esset impenetrabilis in ordine ad tempus impenetrabilis esset cum motu adæquato aliùs subiecti, & cum partibus cuiusuis aliùs motus: Sed motus non habet hanc impenetrabilitatem, vt modo dicebam: ergo ex se non est impenetrabilis in ordine ad tempus, sed in ordine ad subiectum. 3

Faciliùs tempus à ratione motus, excludo cum P. Soar. suprà citato. Tempus est duratio motus, quæ in mea sententia tantùm addit suprà motum denominationem quandam prioris, & posterioris, quæ nihil physicum reale importat, sed tantùm extrinsecam quandã denominationem. In sententia, quæ defendit durationem esse accidens superadditum eodem modo philosophandum est de duratione in ordine ad spatium imaginarium temporis, ac de præsentia in ordine ad spatium imaginarium loci; sicut enim præsentia immobilis est, sic duratio, & sicuti præsentiæ, quas habet eadem, vel diuersa entitas in diuersis locis non possunt penetrari nõ ex eo, quod vna expellat aliam à loco, sed quia illarum quælibet propriũ spatiũ non potest 4

deserere, neque aliud adquirere, sic eadem omnino ratione contingit in durationibus quarũ illæ quæ diuersum respiciunt temporis spatiũ, nullatenus possunt idem respicere, quia vtraque proprio est affixa spatio, vltra quod existere nequit. Confirmatur; de facto penetrãtur diuersæ durationes motuũ coëxistentium eiusdẽ speciei, & tamẽ non possunt penetrari aliæ durationes, siue eiusdẽ mobilis, siue diuersorũ, quæ diuersum spatium respiciunt: ergo impenetrabilitas durationũ tota oritur ex eo, quod durationes sint spatiis affixæ, ex quo fit, illas, quæ semel diuersum respiciũt spatium nunquam posse spatium commune respicere.

5 Video graues authores, & recentiores nobiles, qui de speciebus quãtitatis discretæ vix vel nullã mentionem faciunt: non desunt tamen, qui antiquorũ ductu velint seriò in Scholis spargere, illa, quæ vulgo indulgẽtes vetusti permiserunt, ideo non omnino has nænias obliuiscor, sed illas summa qua potuero breuitate pertingam. Definitur quãtitas discreta *cuius partes nullo cõmuni termino copulantur*, quã in numero & ratione nõnulli meditãtur. Numerus est collectio vnitatũ, quæ percenseri possũt. Dissensio est inter Nominales, & Thomistas an numerus in rebus purè spiritualibus possit reperiri, hi negãt, & alij affirmã: vtrosque citatos inuenies apud P. Soar. in Met. dist. 41. sect. 2. in quibus nulla potest de re esse dissensio, vt patebit ex his, quæ subiicio.

6 Affirmo numerũ supra coëxistentiam entitatum realium nihil addere ex parte rerum, ex quibus cõponitur, ex vi cuius hæc vnitas determinetur ad numerum componendum, vel non componendũ, vel ad componẽdum hunc præ alio. Dico numerum nihil addere ex parte rerum, quia multi affirmãt numerum formaliter in ratione numeri includere actum intellectus annumerantis, sine quo tantùm est multitudo, seu proxima materia, vt per actum intellectus annumerantis formaliter numerus constituatur, quod impugnat Hurt. disp. 13. sect. 6. §. 54. quia intellectus supponit numerum, quem recenset, & non illum constituit, cùm enim ego video tres homines, & affirmo ibi esse ternariũ numerum, non illis ego trinitatem mente appingo, sed illam tenenté se ex parte obiecti cognosco. Res est leuis momẽti, in qua parum refert hoc, vel illo modo loqui, si enim quis dicat actum, quo ego annumero homines in hoc gymnasio existentes, & affirmo esse octo, tantùm supponere multitudinem aptam, vt ab intellectu recẽseatur hoc numero, cuius ratio formalis in ipso actu intellectus cõsistit, qui multitudini seu numero materialiter sumpto tribuit denominationẽ formalis numeri, nulla ratione poterit impugnari, sicut ineque ille, qui cum Hurtad. diceret rationem numeri totam se ex parte obiecti tenere, in quam tanquam in obiectũm fertur intellectus: Censeo tamen loquendum esse cum Arist. & D. Thoma qui numerum ens rationis appellant, quos perperam interpretatur Hur. de extrinseca concomitantia duarum entitatum, hanc enim rem aliam comitari non dicitur ens rationis, & frequenter extrinsecæ denominationes ab actu intellectus prouenientes entia rationis appellantur, etiamsi nullam includant fictionẽ. Iam numerũ nihil addere ex parte rerum, quibus componitur supra ipsarum vnitates sic probo. Quælibet vnitas ex se est apta vt per aliarum aduentum numerum constituat: ergo non indiget alio superaddito, vt numerum cõstituat. Confirmatur; quocumque intrinsecè superaddito rei, quod non sit aduentus aliarum entitatũ, ex quibus numerus est componendus, adhuc manet res indifferens, vt numerum constituat, vel non constituat, quia manet indifferens, vt cum aliis coniungatur, cum quibus numerum constituet, vel vt non coniungatur cum illis, sine quibus non potest numerum componere: ergo præcisè per aduentum aliarum entitatum, & non per aliquid intrinsecè superadditum determinatur ad numerum constituendum. Vltimò si ponas hãc, & illam entitatem realiter existentes sine modo intrinsecè superaddito, quem non haberent, si quælibet illarum seorsim existeret, intellectus illas recenseret, & nihil ex parte illarũ desideraretur, vt numerus ternarius, vel quaternarius assurgeret: ergo numerus nihil addit supra collectionem vnitatum, ex quibus componitur.

7 His positis quæstio est purè de nomine, an in rebus spiritualibus numerus reperiatur nẽcne? Certum enim est dari collectionem rerum spiritualium, quas potest intellectus recensere, & dicere: hæ animæ rationales sunt quatuor; hi Angeli sunt octo: Angelorum chori sunt nouem, in quo sensu nemo negare poterit dari numerum rerum spiritualium, fides enim docet tres esse personas Trinitatis. Nihilominus hoc nomen *numerus* quantitatẽ sonat, quapropter numerus quantitas discreta dici solet, quantitas dicit molem, rem sensibilem, & corpoream, quæ non conueniunt rebus spiritualibus, ideòque nomen *numerus* illis non solet applicari eo modo, quo sumitur à Philosophis, & Mathematicis pro quantitate discreta, licet nullus negare poterit aliquo modo rationem numeri rebus etiam immaterialibus conuenire, quid enim immaterialius, personis diuinis & illis numerum ternarium tribuimus.

Ex his infero, numerum non esse speciem quãtitatis, quia 8
nullam habet propriam vnitatem, neque aliquid dicit physicum distinctum à singulis vnitatibus, ex quibus consurgit, & ita non potest specialem physicam quantitatem cõponere. Quod si quælibet entitas, ex quibus numerus componitur, quantitas sit, numerus dicet aggregatum quantitatum, quarum quælibet rationem quantitatis habebit, non tamen ex illis alia tertia quantitas resultabit.

Dico vltimò, orationem non esse speciem quantitatis. 9
Probo hanc conclusionem: In oratione nihil inuenitur, ratione cuius possit dici quantitas, quia tantùm dicit specialem sonum per motum localem quorumdam viuentis organorum productum, cuius motus tantùm est causæ efficiens vel conditio, vt producatur, vtraque extrinseca orationi, etsi motus orationi esset intrinsecus, nõ ideo illa esset species quantitatis, quia iam dixi motum non esse quantitatis speciẽ. Sonitus est quædam qualitas, cui tantùm conuenit successio, quia producitur dependenter à motu locali, qui successiuè fit, neque ex alio capite partes sonitus successionem habent, quia illarum coëxistentia nullatenus in ordine ad tempus aliquam repugnantiam, neque adhuc in ordine ad subiectum, quia non illis necessariò subiectum est commune: sæpè enim sonitus primæ syllabæ non producitur in eadem aëris parte, in qua secundæ sonitus producitur. Nihil ergo inuenitur in oratione, ratione cuius possit illi propria impenetrabilitas in ordine ad temporis spatium attribui, & strictè dici quantitatis species.

Obiicies Aristotelem capite, de quantitate, asserentẽ aliquas ex his entitatibus esse species quantitatis. Resp. Arist. 11
in ordinatione huius prædicamenti ostendisse ad vulgi opiniones, non ad propriam sententiam, & rigorosam rationem vt ex Alberto & Commentatore 5. Met. commento 18. notauit P. Soar. disp. 41. Metaph. sect. 3. n. 3. Qui de hac re plura volet legere, adeat Patrem Vallium in prædicamento Quantitatis q. 4. vsque ad septimam inclusiuè vbi de his omnibus entitatibus seorsim sumptis, distinctas instituit quæstiones per plura capita diuisas.

CONTROVERSIA VIII.

De tertio membro diuidente, quod est qualitas.

QVALITAS accidens est omnium nobilissimum, cuius natura explicatu valde difficilis est: sunt enim pauca quæ de qualitate secundùm se possint disputari.

PVNCTVM I.

Quid sit qualitas.

PAter Soar. tom. 2. Metaph. disp 42. sect. 1. varias qualitatis adducit definitiones, quarum prima desumitur ex Aristotele cap. de qualitate, vbi sic illam definit: *Qualitatem dico qua quales quidam dicuntur.* Plerique authores huic definitioni non acquiescunt, quia si aliquantulum euoluatur, in illa vitiosus circulus deprehenderetur, inquirenti enim quid sit quale, respondendum est, quod à qualitate tale dicitur, seu denominatur. Quod si dicas quale alio modo definiendum esse, illo modo vtere ad definiendam qualitatem, & breuiùs naturam qualitatis quidditatiuè explicabis. Secundò adducit aliam definitionem desumptam ex D. Thoma 5. Metaphysic. & aliis in locis. *Qualitas est* 1

accidens

accidens absolutum consequens formam. Non omnino acquiesco, quia quantitas est accidens absolutum, quod licèt materiam consequatur, consequitur etiam formam, quia forma totius corporei quantitatem exposcit, & in multorum sententia, quantitas subiectatur in toto composito, & ab illo nascitur, secundùm quorum sententiam æquè consequitur materiam, & formam. Secundò efficaciùs impugnatur hæc sententia in actibus vitalibus, speciebus, & habitibus Angelorum, quæ qualitates sunt, & non consequuntur formam, qua carent Angeli. Tertiò, adducitur alia definitio ex eodem Angelico Doctor disp. 12. quæst. 49. quæ sic se habet: *Qualitas est modus seu determinatio subiecti secundùm esse accidens.* Hæc definitio præ se fert impugnationem, quia in primis non omnis qualitas est modus, imò si actus vitales intentionales modi non sunt, vix qualitas reperietur, quæ sit modus, & non res: Deinde nulla est ratio, propter quã calor, & aliæ huiusmodi qualitates dicantur determinare subiectum, potiùs quàm quantitas, vbi, & passio, quæ determinatio subiecti ad formam sustentandã. Alij ex Arist. apud Soar. ibid. definiunt: *Omne id, quod præter quantitatem substantiæ inest*, definitionem hanc probabiliter posse defendi ait Soar. subintelligendo omne id absolutum quod inest substantiæ secundùm se, & in esse quieto, & perfecto modo esse qualitatem, quã ratione excludi putat relationes, & alia prædicamenta. Haud difficiliùs reliquis hæc impugnatur definitio, est enim vbi accidens magis absolutum, & substantiæ ineſt modo magis quieto quàm intellectio, quæ ad suum refertur obiectum, & ineſt viuo modo, qui dicit motum & actionem, quæ difficilè diu potest durare.

2 Alio modo definitur qualitas accidens absolutum *ad complendam perfectionem substantiæ, tam in agendo, quàm in existendo.* Peccat hæc definitio sicuti præcedentes, quia omne accidens perficit substantiam saltem extrinsecè, & accidentaliter, omnia enim sunt ornamenta, & quasi substantiæ vestes, entitatiuè autem, neque qualitas substantiã, perficit, quia omnis substantia habet suum esse adæquatè distinctum à qualitate. Deinde quantitas substantiam perficit in operando, quia iuxta commanem sententiam ad rationem agentis corporei extensio requiritur, quæ in quantitate radicatur, & præsentia substantiam perficit in ordine ad operationem, ad quam ex parte actus primi tanquam conditio requiritur, quia ad operationem agentis in passum supponitur approximatio, quæ à præsentia non distinguitur.

3 Pater Hurtad. disp. 4. sect. 1. num. 4. sic qualitatem definit *accidens à quantitate distinctum.* Quam definitionem tradit etiam Arriag. disp. 5. sect. 1. Rogo in primis Arriagam, quod esse intelligat *per accidens absolutum* quod nullũ ordinem, relationémve dicat, intelligere non potest, quia potentiæ, & actus vitales, apud omnes, qui relationes cognoscunt eas includunt, potentiæ ad actus, & actus ad obiecta. Si per accidens absolutum intelligatur accidens reale prout modali opponitur, memor sit Arriaga, se docuisse disp. 14. Physic. sect. 2. subsect. 7. præsentiam esse rem, & non modũ, & hac ratione dici poterit accidens absolutum præcipuè cùm teste Arriag. disp. 14. Physic. sect. 3. num. 6. nullum ordinem dicat ad spatium imaginarium cùm hoc purum figmentum sit ad nostros tantùm conceptus explicandos inuentum, & æquè absolutum sit, ac albedo. Adde inrellectionem, & huiusmodi operationes vitales in multorum sentẽtia esse modos, & ita ex nullo capite poterunt dici accidentia absoluta, cùm aliàs eisdem insit relatio transcendentalis ad obiecta. Tandem reiicio hanc definitionem, quia rem non explicat: per illam enim tantùm dicitur quid non sit quantitas, non vero quid sit. Quod si de Deo sic loquamur, ideo est quia nullo hominum, neque Angelorum intellectu illius essentia possit comprehendi.

4 Recentes alij essentiam quantitatis per capacitatẽ extensionis explicant, qualitatem definientes, *accidens per se intensum*, id est *constans partibus vnitis eidem omnino subiecto.* Alij existimantes definitionem hanc conprehendere actionem diuisibilem terminatam ad qualitatem intensam, cuius partibus subiectum est commune, cum partibus qualitatis, quæ ex vi illar um producuntur, vt hanc à ratione qualitatis exclud erent definiunt qualitatem; *Accidens physicum aptum natura sua terminare actionem, & vnionem intensiuam.* Per quam capacitatem asserunt acc idens constitui intensũ radicaliter, seu petens intensionẽ formalẽ quę cõsistit, tum in vnione partium in eodem subiecto, cui indiuisibiliter vniuntur, tum in actione, per quam partes istæ proliter vniuntur, tum in actione, per quam partes istæ proliter vniuntur. Singularem hunc dicendi modum sic probant: essentia quantitatis est exigere extensionem ergo essentia quantitatis est exigere intensionem. Secundò sicuti extensio est propria quantitatis, sic intensio est propria qualitatis: sed essentia quãtitatis consistit in extẽsionis exigentia: ergo essentia qualitatis in exigentia intensionis consistit. Nihil frigidius, quàm hæc argumenta, quæ à paritate sumuntur, in quibus non disparitas à respondente, sed paritas ab arguente petenda est. Respondeo omisso primo antecedenti negando consequentiam, & disparitas petenda est ex speciali ratione, quã quisque moueatur ad constituendam essentiam quantitatis in exigentia extensionis, quæ non reperietur ad ponendam essentiam qualitatis in exigentia intensionis. Ad secundum argumentum nego eodem modo competere extensionẽ quantitati quo competit intensio qualitati, si essentia quantitatis in exigentia *extensionis* constituitur. Positiuè eadem sententia impugnanda est ex potentiis vitalibus superadditis, quæ, etsi de facto non competant animabus existentibus, tamen aliis possibilibus possunt competere, quæ qualitates sunt in omnium sententia, & tamen intentionis capaces non sunt, & characteri qui qualitas est supernaturalis iuxta communem Theologorum sententiam, intensionem negat P. Soar. tom. 3. in 3 p. comment. art. 5. quæst. 69 & P. Vasq. tom. 2. in 3. part. disp. 114. affirmat non omnino esse certum an illa polleat, quibus supponit possibilem esse dari hanc qualitatem sine intensione, neque vllus fuit Philosophus, neque Theologus, qui neget possibilem esse qualitatem non intensibilem, quod negant isti recentes, vt sententiam, quam ipsi ex proprio cerebro absque vllo fundamento defendendam suscipere defendant.

Hæ sunt definitiones, quas authores communiter adducunt, quæ prædictas patiuntur difficultates, quapropter dum clariorem, & exactiorem aliam non audio, sic qualitatem definio: *Accidens quod secundum rationem superiorem prædicamenti tantùm sequitur actualitatem perfectam.* Per *actualitatem perfectam* intelligo id, quo vltimò constituitur totum subſtantiale, quod in toto composito est forma, & in toto simplici, sicuti Angelo est eademmet totius substantialis impartibilis entitas. Sic Angelum, aliudque huiusmodi totum substantiale si existet, & formam substantialem, vltimas actualitates perfectas voco, non verò materiam, quæ per formam actuatur, ad quam potentia, & esse in potentia dicitur. Definitionem hanc competere omnibus qualitatibus, & nulli alij accidenti, sic probo. In primis nulla qualitas materiam primam consequitur, quæ non est actualitas perfecta, materiæ enim primæ secundùm se nulla debetur qualitas, sed est indifferens ad hanc, vel illam recipiendam, secundum exigentiam formæ, cui est vnita quæ qualitates sibi debitas, & innatas secum affert. Sequitur insuper omnis qualitas actualitatem perfectam, omnis enim in toto composito in forma radicatur, & ex illa nascitur, sic primæ qualitates formam sequuntur, & quæ ex primis oriuntur ex eadem forma mediis primis originem trahunt, potentiæ vitales, illorum actus, & species formam compositi viuentis sequuntur, quod si obiectorum externorum species recipiantur in aere, & huius materia prima illarum sit subiectum, materiæ primæ debitæ non sunt, & producuntur ab obiectis sensibilibus, quæ in forma radicantur, & ordinantur ad actiones vitales, quæ viuentis formam sequuntur. Idem dico de sono, luce, & impulsu, quæ sunt accidentia materiæ indebita, & non ad illius exigentiam, sed ad exigentiam formæ, & dispositionẽ, quæ formam consequuntur, hac, vel illa ratione producuntur. Gratia habitualis, & alij habitus supernaturales, etsi non debeantur animæ, neque Angelo; tamen quotiescumque existunt, semper perficiunt perfectam actualitatem, huiusmodi enim actus semper animum rationalem, vel Angelum, qui sunt perfectæ actualitates perficiunt, & in horum perfectionem natura sua ordinantur, & non in materiæ perfectionem. Neque ratio per definitionem explicata, alicui accidenti à qualitate distincto competit quia quantitas materiam consequitur, & ita non tantum sequitur actualitatem perfectam, si formam consequatur. Relatio, præsentia, duratio, actio, & passio æquè materiam & formam, substantiam, & accidens sequuntur, quod si præsentia formæ aliudve modale illius accidens tantùm posset sequi formam, quæ est perfecta actualitas, hoc non illi

competet ex prædicato generico, seu superiori prædicamenti, sed ex prædicato specifico, videlicet, quia est talis præsentia, talis duratio, vel relatio, qualitas autem eo præcisè, quod sit qualitas, quacumque alia speciali differentia secluſa semper sequitur perfectam actualitatem.

6 De figura secundùm diuersas sententias diuersum ferendum est iudicium. In opinione, quæ asserit non distingui à præsentia æquè sequitur materiam, & formam; & in sententia illorum qui asserunt materiæ primæ propriam præsentiam inesse sequitur quantitatem, quæ neque est perfecta actualitas, neque illam tantùm consequitur. Iuxta sententiam illorum; qui asserunt figuram esse qualitatem distinctam à præsentia, quæ certam deorganizationem, & partium positionem importat, dicendum est figuram tantùm sequi formam, quia debita non est materiæ aut quantitati specialis deorganizatio neque partium positio.

PVNCTVM II.

Diuisio qualitatis.

1 PRimò diuidit Aristoteles qualitatem in habitum, & dispositionem. Secundò, in potentiam, & impotentiã, Tertiò in passionem, & passibilem qualitatem. Quartò in formam & figuram. Diuisio hæc tradita non fuit ab Aristotele per species strictè, & rigorosè inter se oppositas, sed tantum designauit hos qualitatis modos, vt variæ qualitates vulgo innotescerent: imò inter hæc membra diuidentia aliqua recensuit, quæ propriæ qualitates non sunt, sed tantum secundum vulgarem loquendi modum *quale* denominant. Arist. enim in prædicamentis vulgo indulgebat, & omnia tractabat eo modo, quo magis illi arriderent, & faciliùs ab imperitis percipi possent. Constabit hoc ex iam dicendis, dum singulas species qualitatis percurro.

2 Habitus significare solet possessionem, seu ius ad rem, quo sensu ad prædicamentum *habere* pertinet. Idem significat naturalem positionem, quæ eadem est cum situ vel figura. Rursus sumi solet pro qualitate quadam ab actibus vitalibus dimanante, qua ad illos exercendos faciliores reddimur, & secundum hanc rationem pertinet ad hanc speciem qualitatis, licèt non his qualitatibus species ista circunscribatur, sed se ad alias extendat. Dispositio frequenter, significat ordinem, quem inter se res habent, in qua significatione ad hoc prædicamentum non pertinet, quia iste ordo tantum importat successionem in ordine ad locum, vel tempus ratione cuius hoc prius, & illud posterius dicitur. Secundò sumi solet pro corporis figura, quæ in quarto membro diuidenti continetur. Tertiò sumitur pro accidenti sternente materiam ad formam quod est commune quanto, qualitas verò quæ sic materiam sternit, & dispositio formæ dicitur, ad hanc speciem pertinet, licet non illam adæquatè componat.

3 Iam pressius Aristoteles dispositionem definiuit: *Qualitas facilè mobilis, quæ aliquo modo disponit subiectum; vel in ordine ad se, vel in ordine ad aliud.* Rursus habitum & dispositionem tantùm distinxit ex modo afficiendi subiectũ, & habitum definit: *qualitas diu permanens quæque difficile moueri potest.* Ex quibus definitionibus conceptum communem vtriusque deprehendes, si *facilè mobilis* remoueas à priori definitione dispositionis, & dicas *qualitas quæ aliquo modo disponit subiectum vel in ordine ad se vel in ordine ad aliud.* Ad hanc speciem pertinent habitus acquisiti siue speciales sint qualitates; siue ab speciebus non distinguantur, quia principium iam potens operari, & adæquatè constitutum in esse principij disponunt, vt faciliùs suam operationem exerceant, & ita disponunt illud in ordine ad aliud. Pertinent etiam ad eamdem speciem qualitates, quæ materiam ad formam sternunt, quia materiã ex se potentem recipere formam disponunt, vt illam in actu secundo recipiant. Sub eadem specie recensentur qualitates illæ, in quibus bona valetudo viuentis consistere dicitur, quia subiectum iam constitutum in esse viuentis disponunt, vt diu duret, quod est benè se habere in ordine ad se. Item qualitates, in quibus pulchritudo, & corporis elegantia consistit, quibus subiectum in ordine ad se, & in ordine ad alia benè se habet. Differentia inter habitum, & dispositionem acidentalis tantùm est, eadem enim qualitas dum est remissa, & facilè perdi potest, dispositio dicitur, & postea dum intenditur, & firmius subiecto hæret habitus appellatur, quapropter dixit Arist. omnem habitum esse dispositionem, & non omnem dispositionem esse habitum, quod intellige non in sensu composito, sed in sensu diuiso, hoc est, omnem habitum, antequam per extensionem in subiecto radicaretur fuisse dispositionem dum erat qualitas remissa, & facilè mobilis.

Potentia virtutem ad agendum significat, impotentia verò huius virtutis carentiam solet significare, hic sumitur à Philosopho pro potentia debili, & imbecilli, sicuti potentia deambulandi in claudo quem dicimus non posse deambulare. Sub hac specie continentur potentiæ vitales si superadditæ sint. Difficultas est an ad illam spectent habitus supernaturales, qui non dantur ad faciliùs operandũ sed ad operandum, ex quo capite non videntur pertinere ad speciem habitus, sed ad potentiæ speciem. Affirmat P. Soar pertinere ad præcedentem speciem habitus, quia supponunt potentiam inchoatam, & constitutam in esse vitalis, quam eleuant ad actus supernaturales. Leuis momenti diffidium est, & vtrumque facilè defendi potest, assentior tamen P. Soario de mente Aristot. solicitè in hac re agenti. Idem dicito cum eodem Soar. de speciebus impressis propter eamdem rationem, licet enim non supponant adæquatum principium actus vitalis, supponunt tamen potentiam vitalem secundùm totum id, quod dicit formaliter, vt est potentia vitalis. 4

Passio significare solet omnem proprietatem à forma dimanantem, quæ proprium quarto modo constituit, secundum quam acceptionem ad hanc speciem non attinet quia omnes potentiæ hac ratione passiones dicuntur. Secundò sumitur passio pro receptione formæ in subiecto, sub qua ratione cõstituit speciale prædicamentum passionis. Tertiò sumitur pro forma recepta in subiecto, cui aliquod affert incommodũ v.g. pro actu tristitiæ, vel pro sensatione dolorifera, tunc enim dicimus pati subiectum quando nimia tristitia afficitur: imò forma illa, quæ nimiam voluptatem in subiecto deriuat passio dicit solet, sæpè enim patitur subiectum præ nimia voluptate, quæ illi disconueniens, & incommoda esse solet. Secundum hanc acceptionem passio dicit vitalem actum, qui ad hanc speciem non pertinet. 5

Passionem, quæ ad hanc speciem spectat, illam Arist. vocat, quæ passionum in sensibus efficax est, id est, quæ ita sensibilis est vt eius sensatione aliquid sensus patiatur. Vnde sub hac specie comprehenduntur omnes qualitates, quæ sensibus percipiuntur. Passionem vocat Philosophus qualitatem, quæ ex occasione sensationis alicuius obiecti in subiecto resultauit, sub qua comprehenduntur eædem qualitates, quæ sub passibili qualitate, quia idem color natiuus, qui ad passibilem qualitatem pertinet ratione supra dicta, ad passionem pertinet, quando oritur ex aliqua sensatione, vel mutatione subitanea. Per hæc principia, ex quibus oriuntur passio & passibilis qualitas, illarum differentias intendit explicare Philosophus, quæ in eo sitæ sunt, quod passibilis qualitas diu duret, & passio citò transeat, & cùm color ex verecundia, vel ex alia subita mutatione ortus diu non permaneat, sic, cum ex his affectibus qualitas sensibilis trahit originem, passio dicitur, & cum habet principia stabiliora, passibilis qualitas appellatur. Passionem & passibilem qualitatem specie non differre constat ex dictis de habitu, & dispositione in quibus eadem intercedit differentia. 6

Contra hanc qualitatis speciem insurgit difficultas, quia calor & reliquæ primæ qualitates sunt virtutes actiuæ, & potius videntur ex hoc capite pertinere ad secundam qualitatis speciem, quàm ad tertiã. Multus est P. Soar. disp. 41. sect. 4 n. 7. vt probet primas qualitates nõ pertinere ad speciẽ potentiæ & impotentiæ: illius fundamentũ est huiusmodi, qualitates non intendi à natura vt effectus similes producant, sed ad ornatum, & conseruationẽ formæ, & vt illã reddant sensiblẽ. Quod si gaudeant intrinseca actiuitate producẽdi qualitatẽ similẽ, v.g. si calor intrinsecè potens sit producere caloré, virtus ista cõuenit calori ratione suæ perfectionis concomitãter ad id, quod intẽdit natura in calore producẽdo, quod tantũ est sensibilis qualitas, quæ conseruet, ornet, & reddat sensibilẽ formã eõpositi, quod afficit. Doctrinam hanc sic impugnat Hurt. calor intrinsecè est actiuus, & intrinsecè habet virtutem disponendi ad formam, & illam reddendi sensibilem: ergo nulla est ratio propter quam dicatur natura intendisse calorem vt dispositiuum ad formam, & vt perceptibilem per sensus, & 7

constituentem

constituentem ratione illius sensibile subiectum, quod afficit, & non illum vt actiuum intendisse. Respondetur potest ex ratione, quâ mouetur Soarius ad asserendum calorem, vt actiuum non intendi, quia natura non indiget calore, vt calorem producat, qui potest produci ab igne vel luce, indigere tamen calore & aliis primis qualitatibus, vt subiectum disponatur ad formam, & vt mediis illis sentiatur, quia ablatis primis qualitatibus, neque extarent sufficientes dispositiones ad formam, neque totum per formam constitutum esset sensibus perceptibile.

8 Efficacius contra doctrinam Soarij arguo: Natura non sibi proponit finem, vt illum propositum seu applicatum per aliquam cognitionem postea intendat, sed id dicitur natura intendere, in quod causæ naturales propendent, intentio enim naturæ nihil aliud est quam propensio causarum naturalium, in id autem primariò & per se causæ naturales propendent, quod primariò & per se absque vlla eleuatione supra naturam, neque violentia contra ipsarum naturam, sed sponte sua producunt, & eadem ratione illud intendunt, qua illud producant: sed causæ productiuæ caloris sponte sua absque vlla eleuatione supra naturam, neque violentia contra ipsarum naturam producunt calorem cum virtute actiua ad producendum alium calorem: ergo illum intendunt cum hac virtute actiua. Rursus omnia prædicata, quæ sunt identificata in effectu æquè primò, & per se attinguntur per actionem qua natura producit effectum, quem intendit, quia actio non est prædicatorum præcisiua: ergo virtus causatiua æquè primariò, & per se intendit omnia prædicata, quæ sunt in effectu, cum id primariò, & per se intendat causa, quod primariò, & per se attingit per actionem.

9 Definiri solet figura, *vltimus terminus quantitatis*: alio modo *id quod resultat ex terminatione magnitudinis*. melius tamen censeo definiendam *externarum partium corporis inter se dispositio*: qua descriptione rectè intelligitur, quid figuræ, & formæ nomine significetur, quod ex dicendis constabit; figuram, & formam essentialiter inter se non differre communis fert opinio, quæ tantum illas distinguit ex modo significandi, quia figuræ nomen mathematico modo significat abstrahendo à materia; forma verò modo physico connotando subiectum. Addit Soar. suprà non improbabile esse hoc loco formæ nomine non intelligi figuram vtcumque, sed ornatam accidentibus, ex quibus pulchritudo consurgit, quæ ad hoc prædicamentum reducitur, quia dicit quoddam aggregatum qualitatum quidquid de hoc sit, modò non agimus de figura ex accidentibus vestita, sed de illa secundùm se.

10 Sensit P. Rub. figuram esse modum quemdam specialem à præsentia distinctum, & quantitati superadditum. Fert communis opinio non distingui à præsentia, licet pro materiali supponat subiectum vnum, seu vnitum. Duplicem ego contemplor figuram, quamdam mathematicam, aliam physicam. Figura mathematica est illa, quâ corpus constituitur rotundum, quadratum, vel triangulare. Figura physica est, qua portio substantiæ retinet partium ordinem ex vi cuius dicitur, est manus, vel caput. Figuram mathematicam hac ego ratione à præsentia non distinguo. Corpus esse rotundum tantùm dicit omnes illius partes extimas ab vno eiusdem corporis puncto, quod centrum dicitur eamdem habere distantiam: sed hoc, quod est habere distantiam consistit in præsentiis illorum, quæ distare dicuntur: ergo corpus esse rotundum consistit in præsentiis partium, quibus constat. Secundò ex eo præcisè, quod hæ partes vnitæ habeant has easdem numero præsentias dicentur æquè distare ab vnico centro: ergo ex eo præcisè, quod hæ partes vnitæ habeant has easdem numero præsentias, dicetur corpus rotundum, quia corpus esse rotundum nihil aliud est, quam habere partes æquè distantes ab vno centro. Idem dico de figura triangulari, & quacumque alia proportione seruata in partium distantiis. Ex his inferes globum rotundum amittere hanc numero rotunditatem, seu figuram mathematicam, cum hanc perdit præsentiam, dicitur tamen permanere cum eadem rotunditate, quia aliam eiusdem rationis per motum acquirit, sicuti dicitur caput eamdem habere distantiam à pectore siue homo sit in hoc spatio, siue in illo, quia etsi distantiæ sint distinctæ in spatiis diuersis, sunt tamen valde similes, & æquales. Inferes secundò corpus ad indiuisibile redactum non habere figuram mathemathicam, neque esse rotũdum, aut triangulare, quia nullam habet partium distantiam.

Figuram physicam constituo in hac vnione partium cum hoc ordine vnitarum, ex vi cuius, hæc pars exigit præsentiam, qua sit anterior illa, qua sit posterior, & alia, qua sit media. Hac ratione ex vi figuræ manus pollex petit in ordine ad locum esse priorem, index esse immediatum pollici, & sic de aliis digitis. Addit insuper hæc figura negationem aliarum partium supervnitarum eiusdem rationis. Si enim partibus huius manus ingens portio carnis supervniretur, manus figuram non retineret. Dixi negationem partium supervnitarum eiusdem rationis, quia etiam si partibus cordis supervniantur partes sanguinis, vel carnis, adhuc stabit cordis figura, in partibus diuersæ rationis ab illis, quæ illis supervniuntur. 11

Inferes ex his neque figuram mathematicam, quæ consistit in præsentiis, neque physicam, quæ consistit in vnione partium habere rationem qualitatis, sed illas in qualitatibus annumerasse Philosophum, vt vulgo indulgeret. 12

CONTROVERSIA IX.

De quarto membro diuidente, quod est prædicamentalis Relatio.

AGIT Aristoteles in lib. Prædicamentorum cap. *ad aliquid*, & lib. 5. Metaphysic. c. 15. promiscuè de Relationibus prædicamentalibus, & transcendentalibus, de quibus vt distinctè procedam distinctas constituo Controuersias, hæc Relationem prædicamentalem amplectitur, & proximà ventura transcendentalem.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit Relatio.

ARistoteles cap. *ad aliquid* duplicem adducit Relationis definitionem, Prima est *ad aliquid verè talia dicuntur, quæcumque hæc ipsa quæ sunt aliorum esse dicuntur vel quomodolibet aliter ad alterum.* Secundò relatiua definit: *Secundò aliquid sunt quibus hoc ipsum est esse, ad aliud quodammodo se habere.* Post primam definitionem assignauit statim tanquam obiecta sub illa contenta habitum, dispositionem, sensum, scientiam, & positionem, quæ ad diuersa attinent prædicamenta, ex quo nonnulli inferunt tacitè hanc definitionem impugnasse Aristotelem ob reuerentiam sui Magistri, qui illam tradiderat, quod præstitit dum plura, quæ relatiua prædicamentalia non sunt, de quibus agitur in hoc prædicamento, probauit sub illa contineri. Neque ex alio capite adeò vastam definitionem esse affirmant, nisi quia tantum exposcit entitates quomodolibet se habere ad aliud, & non speciali, & certo quodam modo, patet enim latissimè verbum illud *quomodolibet*, & ita relatiua prædicamentalia, & transcendentalia, quæ ad hoc prædicamentum non attinent, valet amplecti: hanc prioris definitionis latitudinem cinxisse putant posteriori definitione per verbum *quodammodo* quando dixit *quibus hoc ipsum est esse ad aliud quodam modo se habere*: ac si diceret, certo, fixo, ac speciali quodam modo. Res leuis momenti leuiori dicta fundamento, quia Aristotel. dum multa relatiua transcendentalia sub priori definitione comprehensa assignauit, non de verbo *quomodolibet* curauit, potius illud omisit, cum rationem reddit propter quam illa relatiua sub illa definitione comprehendebantur, subdit enim Philosophus: *Habitus enim alicuius habitus esse dicitur, & scientia alicuius scientia, & positio alicuius positio, & alia quoque similiter.* Et Philosophus inter relatiua scientiam, & habitum annumerat, non quia quomodolibet aliorum esse dicuntur, sed quia aliorum esse dicuntur, nulla facta mentione verbi *quomodolibet*. Quod si dicas dici esse aliorum, & non speciali modo esse idem ac quomodolibet dici, verum erit, verumtamen non rectè vitium definitionis exprimeret Philosophus, neque rationem explicasset, propter quam adeo latè pateret definitio omisso verbo *quomodolibet*, si 1

illud esset, non speciali modo aliorum dici relatiua, malè enim vitium definitionis, quod in illa expressè esset appositum, confusè, & implicite omisso verbo *quomolibet*, significaretur ab Arist. cum illud impugnare intendebat.

2 Alij apud P. Soar. disp. 57. sect. 5. asserunt definitiones illas differre ratione illius particulæ *dicuntur*: omnia enim relata transcendentaliter, quæ Aristoteles suprà annumerat, eodem modo ac relatiua prædicamentalia, non tamen prædicamentaliter sunt relatiua. Fulcit hanc mentem modus loquendi illorum, quí relatiua transcendentalia appellant relatiua secundum dici, id enim iure optimo relatiuum secundum dici appellatur, quod non ita, ac est relatiuum dicitur. Verumtamen, neque hæc differentia firmas radices habet, sæpe enim iuxta Arist. phrasim idem dici, ac esse, sic qualitatem definiunt, *qua quales quidam dicuntur*, vbi quale dici, ac esse quale pro eodem vsurpauit, & ideo teste Soar supra, multi sentiunt non multum curandum esse de harum definitionum distinctione. In his est Simplicius, qui in fine huius prædicamenti existimauit Aristotelē malè intellexisse priorem definitionem traditam à Platone, à qua in re non differt illa, quam ille substituit, sed tantum in modo loquendi, quia à propria natura, & modo essendi ipsius rei sumitur modus dicendi, & denominandi, & ideo idem in re significatur per hoc, quod est aliorum dici, & aliorum esse. Vnum in re certum est priorem definitionem traditam fuisse à Platone, & tēpore Aristot. vulgò circumferri, quæ iuxta mentem Aristotelis bona non erat, vt notat Porphyrius interrogat. 2. Alb. c. 3. Boēt. & Ammonius & plures alij, ideoque attulit Aristoteles varia exempla, quæ ab aliis admittebantur inter relatiua, vt clariùs constaret prædictam definitionem non esse bonam, siquidem certum erat exempla adducta in relatiuis prædicamentalibus iure non numerari. Habemus ex his probabiliter satis posse dici duas has definitiones non differre in re, sed tantum in medio, ex eo, quod definitio Aristotelis vt tenet Simplicius tradatur per causam, & definitio Platonis per effectum, esse enim aliorum causa est, vt aliorum esse dicantur, & cum Aristoteles definierit per esse aliorum, & Plato per dici aliorum, fit Aristot. per causam, & Platonem per effectum eadem relatiua definiisse, in quo tantum differunt definitiones. Habemus etiam ex peritis. Arist. interpretibus definitiones has differre, ex eo quod Platonica importet dici aliorum, & Aristotelica, non tantum dici aliorum, sed esse aliorum, in quo tota differentia definitionum, siue vtraque in re eadem sit definitio, siue vna rectè explicet, & altera nimis laxè, & malè relatiua circumscribat, & verba *aliquomodo*, & *quomodolibet* non diuersas definitiones reddere. Etsi facilè posset defendi has definitiones in re non differre, vt iam vidimus, nihilominus improbanda est prior definitio, quam Aristoteles impugnauit, & approbanda posterior, quam Philosophus nobis tradit, videlicet *ad aliquid sunt, quorum ipsum est ad aliud quodammodo se habere*. Ex qua definitione communis Philosophorum sententia hanc deprompsit: *relatiua sunt, quorum totum suum esse est ad aliud*. Reiicitur prior definitio, quia licet frequenter pro eodem vsurpetur esse aliorum, & aliorum dici, nihilominus ex se latius patet dici aliorum, quàm esse aliorum, quia non rarò aliorum esse dicuntur, quæ in re aliorum non sunt, ex quo apud multos fundamentum habet illa diuisio relatiuorum, in relatiua secundùm *esse*, & secundùm *dici*. Deinde negari nequit clariùs, & longius ab errandi periculo definiri relatiua per hoc, quod est *esse aliorum* quàm per aliorum dici. Iuuat etiam ad hanc posteriorem definitionem propugnandam, & illam impugnandam Philosophi authoritas, qui nobis posteriorem definitionem tradidit, & priorem reiecit.

3 Mentem Aristotelis non fuisse tradere definitionem communem relatiuis transcendentibus, & prædicamentalibus, citra omnem controuersiam est, ideo enim reiecit priorem definitionē, quia relatiuis transcendentalibus cōpetebat, & in præsenti opus Philosophi erat definire illa, quæ ad hoc prædicamenrum, quod ad aliquid vocauit, pertinebant, & non illa, quæ per diuersa vagantur prædicamenta, ideo dixit *ad aliquid sunt*: relatiua verò transcendentalia per omnia prædicamenta esse diuulsa compertum est. Ex his non leuis mihi accrescit difficultas, cur relatiua transcendentalia sub hac definitione non comprehendantur, quia verè aliorum sunt, scientia enim non solum dicitur, sed verè est scientia obiecti, & vnio propriissimè est extremorum vnio, & actio termini: ergo esse relatiuorum transcendentalium est ad aliud, seu aliorum esse: ergo cōprehenduntur hac definitione. Censent aliqui relatiua transcendentalia secerni ab hac definitione per *totum suū esse*, quod addunt in definitione, quam inferunt ex Aristotel. definientes relatiua, *quorum totum suum esse est ad aliud*, quia relatiua transcendentalia, etsi habeant suum esse ad aliud, non illud totum habeat ad aliud, quia cum pertineant ad diuersa prædicamenta, habent rationem subſtantiæ, vel qualitatis, seu quantitatis, quæ rationes ad aliud non sunt, sed absolutè significantur, & ita non totum suum esse est ad aliud. Non placet hæc expositio, quia etsi in his relatiuis reperiatur ratio aliqua, quæ possit absolutè significari, etiam in relatione prædicamentali reperitur ratio entis, quæ significatur absolutè: quod si dicas hanc esse rationem nimis vniuersalem, quæ non speciale prædicamentum constituit, obiiciam totam rationē specialem prædicamenti actionis esse respectiuam ad terminum, actio enim eo ipso, quod actio sit, est actio alicuius, & ita poterit dici habere totum suum esse ad aliud, seu totum esse actionis esse alius, termini videlicet, cuius est actio. Censeo hanc definitionem restringēdam esse ad relata prædicamentalia ex differentia, quam postea assignabo inter relationes prædicamentales, & transcendentales, ita vt relata prædicamenealia sint tota ad alia, seu aliorum, hoc est, purè ad alia, ita vt terminum, vt purè terminum respiciant, quod importat verbum illud *totum* in definitione, quæ vulgo circumfertur expressum, & virtualiter contentum in illa particula *quorum suum esse* in definitione Arist. posita, illud enim *suum* indicat nihil aliud inesse relatiuis, de quibus agitur, quā respicere terminū, & nō illis aliā specialē denominationē tribuere, quod est terminū vt purè terminū respicere, vt latius explicabo Cōtr. 10. Punct. 1. Itaque definiri possunt relatiua prout abstrahunt à relatiuis prædicamentalibus, & transcendentalibus *Quæ id, quod sunt aliorum esse dicuntur*, seu, *quorum esse est ad aliud*, omnia enim relatiua, siue transcendentalia, siue prædicamentalia ad aliud sunt, nulla enim potest concipi relatio, quæ respectu alicuius, seu ad aliquem terminum nó fit. Definientur autem relatiua prædicamentaliter: *quorum totum suum esse est ad aliud*, quæ definitio desumitur ex illa, quam tradidit Aristoteles: *Quibus hoc ipsum est esse ad aliud quod quodammodo se habere*; multóque clariùs definietur: *quorum suum esse est ad aliud tanquam ad purum terminum*: relatiua verò transcendentalia definientur, *quorum suum esse est ad aliud, & non vt purum terminum*. Quid sit autē esse purum terminū explicandum promisi Contr. 10 Punct. 1.

Conceptum relationis realem esse, & non fictitium inter Doctores classicos citra controuersiam est, quibus tantum aduersatur insigne Pythagoræ delirium, quod refert Ammonius in hoc prædicamento, qui dicebat res omnes relatiuas esse, seu *ad aliquid*, quia nulli rei ex se determinata inerat natura, sed à nobis cuicumque hanc vel illam tribui, qui rem ita, vel aliter apprehendimus, atque ideo id omne, & non aliūd verum esse, quod verum apparet, quia in rebus nulla ineſt veritas aut certitudo. Referuntur aliqui ex vetustissimis, qui sentiebant relationes omnes creatas esse entia rationis, verumtamen hi tantum tenebant relationes prædicamentales creatas non esse accidentia physicè fundamento inhærentia, seu accidentia producta speciali actione distincta ab illis, ex vi quarum fundamentum, & terminus producuntur, quia existimabant esse simile, vel æquale, & alias huiusmodi relationes tantùm esse denominationes quasdam extrinsecas, quorum sententiam vt veriorem amplectar. Hanc fuisse illorum mentem doctè tradit Vallius in Prædic. *ad aliquid* q. 1. c. 2. n. 1. iuxta quorum sententiam sano sensu posset dici Relationes esse entia rationis, quia denominationes omnes extrinsecas multi entia rationis appellant. Tenendum est conceptū relationis esse realem, siue sit accidens intrinsecè inhærens, siue extrinseca denominatio desumpta à fundamento, & termino, de quo postea Ratio esto: nullo intellectu cogitāte conuenit Petro, qui Ioannē genuit esse Patrē Ioānis, & Ioanni genito à Petro esse filium Petri: ergo hoc, quod est esse Patrem est quid independens ab intellectu: ergo paternitas ex vi cuius denominatur Pater Petrus, qui genuit est independens ab intellectu: ergo est ens reale. Simile argumentum efficitur de similitudine inter duo alba, & æqualitate inter duas quantitates vlnares, & aliis huiusmodi relationibus. Deniq; in diuinis fide sanctū est dari relationes reales paternitatē, filiationem, spirationem actiuā, & 4

& spirationem passiuam, vt docent Theologi omnes 1.p.q. 28.art.1.& 2.ergo cum conceptu relationis increatæ, neque abstrahentis à creata, & increata non est oppositio cum ratione positiua entis realis, quia si de conceptu relationis abstrahentis à creata, & increata esset hæc oppositio, non posset ratio illa communis contrahi per differentiam increatæ ad rationem positiuam realem, quia nulla differentia contractiua potest determinare genus ad rationem oppositam illi; quam includit secundum rationẽ generis præcisam. Sed ratione specialis differentiæ creaturæ, nullam habet oppositionem relatio creata cum ratione positiua realis: ergo datur relatio creata, quæ sit ens reale: ergo potest hoc speciale prædicamentum constitui ex relationibus realibus. Nonnihil ab his, quæ certa sunt recessère Caietanus & Canar.1. p. q.28. art.2. asserentes relationes secundum esse *ad* neque esse ens reale, neque rationis, sed præscindere, quia secundum esse *ad* non est ratio respiciẽdi fundamentum; sed terminũ, hæc autem præscindit ab ente reali, & rationis. Reiiciũt passim omnes Doctores hunc dicendi modum, quia ratio *ad* non potest præscindi à ratione *in*, quia quod est ad aliud necesse est concipi alicuius ad aliud, quod est concipi in aliquo ad aliud. Secundò: etiamsi ratio *ad* præscinderet ab ente reali, & rationis, ratio *ad* prædicamentalis non præscinderet, quia relationes prædicamentales sunt reales, & debent habere vltimum constitutiuum reale, quod est ratio *ad*. Vltimò, quia nihil datur commune enti reali, & rationis, neque ab vtroque præcisum. Quod autem dentur plures relationes rationis nemo negat, neque ideo dicendum est conceptum relationis non esse realem, quia eo ipso, quod dentur relationes reales, & relationes rationis, absolutè nomine relationis, relatio realis debet intelligi, semper enim in analogis nomen absolutè prolatum stat pro famosiori, sic quando dicimus hominem, non hominem pictum, sed viuum intelligimus.

Pvnctvm II.

Diuisiones Relationum.

1 PRimò diuiditur relatio in relationem realem, & relationem rationis. Relatio realis est illa, quæ habet aliud esse præter esse obiectiuum in intellectu; Relatio rationis est illa, quæ tantum habet esse obiectiuè in intellectu. Sic relationes reales, & rationis definio propter aliquos qui relationes omnes, quæ fundantur in cognitione effectiuè ab intellectu procedente, vel in aliqua sensatione, seu intentionali operatione, relationes rationis immeritò appellant, quia sicuti cognitiones etiamsi ab intellectu efficienter dependeant, non dicuntur entia rationis; sed realia, quia aliud habent esse præter hoc, quod est cognosci, seu esse obiectiuè in intellectu, sic huiusmodi relationes fundatæ in operationibus efficienter ab intellectu, seu ab alia potentia sensitiua seu rationali dependentibus non relationes rationis, sed reales dici debent.

2 Secundò diuiditur relatio in relationem intrinsecam & extrinsecam. Relationem intrinsecam appellant, qui specialia accidentia distincta à fundamento, & termino pro relationibus constituunt, illam quæ intrinsecè inhæret. & informat subiectum, quod relatiuum constituit, sicuti relatio similitudinis, aut paternitatis. Relationẽ extrinsecam iidem appellant, quæ non importat accidens physicè & intrinsecè inhærens fundamento: sed tantùm extrinsecè, sicuti relatio domini, aut serui. Qui tenent relationes prædicamentales non esse speciale accidens distinctum à fundamento, & termino difficilè possunt relationem intrinsecam assignare, quia omnis relatio includit aliquid intrinsecum subiecto relato, fundamentũ videlicet ab ipso indistinctũ, & aliquid extrinsecum, nempe terminum, qui à subiecto distinguitur, & in ratione termini, nulla ratione debet intrinsecè fundamentum afficere. Nihilominus adhuc in hac sententia potest distingui duplex relatio prædicamentalis, quædam cuius ratio fundandi à termino distincta intrinseca est fundamento, sicuti in relatione similitudinis ratio fundandi, quæ distinguitur à termino intrinseca est subiecto relato, & hæc dici potest intrinseca relatio. Alia est relatio cuius ratio fundandi adhuc à termino distincta extrinseca est fundamento, sicuti in relatione paternitatis ratio fundandi est actio generatiua distincta realiter à termino, & extrinseca subiecto relato relatione paternitatis.

2 Tertiò diuiditur relatio in relationem mutuam, & non mutuam. Relatio mutua est illa, cuius terminus iterum illius fundamentum tanquam terminum respicit eádem, aliâve distinctâ relatione, sicuti relatio inter duo alba, quorum vtrumque relatione similitudinis ad alterum refertur, & inter Patrem, & Filium. Relatio non mutua est illa, cuius terminus nulla relatione ferit fundamentum, sed tantùm vnum illius extremum relatum dicitur. Exemplum vulgò adducitur inter Creatorem, & creaturam, quia ista refertur ad Creatorem, & Creator ad creaturam non refertur. Exemplum rem modò explicet, illius verò veritatem postea discutiam.

3 Quartò, Relatio mutua subdiuiditur in relationem equiparantiæ, & disquiparantiæ. Relatio æquiparantiæ dicitur, quando vtrumque extremum eodem modo constituitur relatum, sicuti duo alba, quorum vtrumque simile dicitur. Relatio disquiparantiæ est quando diuerso modo referuntur extrema, in quibus est mutua relatio, sicuti substantia generans, & substantia genita, quarum hæc filiatione refertur, & illa paternitate.

4 Quintò, Relatio diuiditur in relationem secundùm esse, & secundùm dici. Sentiunt multi relationem secundùm dici, coincidere cum relatione rationis, quia illa dicimus, quæ cognoscimus, & ita idem est relatio secundum dici; ac secundum cognosci, relatio autem secũdum cognosci erit, quæ nullum aliud habet esse præter cognosci. Hæc congruè dicta sunt, nihilominus communis sententia aliter relationem secundùm dici explicat. Sentiunt multi relationem secundùm dici esse relationem transcendentalem, & relationem secundùm esse, esse relationem prædicamentalem, sed plures alij renuunt rem ita componi, quia relatio transcendentalis non tantum dicitur relatio, sed propriè, & strictè relatio est. Non multùm premit ratio, quia relatio transcendentalis, quæ verè est relatio transcendentalis, quatenus eodem modo significatur, ac prædicamentalis poterit appellari, prædicamentalis secundùm dici. Alij relationem secundùm esse appellant illam, ex vi cuius fundamentum verè est relatum, & relationem secundùm dici eam, ex vi cuius fundamentum non est relatum, sed apprehenditur per ordinem ad aliud, seu instar aliûs rei distinctæ ab ipso. Sic Angelum, quatenus instar iuuenis apprehenditur, relatum appellamus secundùm dici, non quia ex vi huius apprehensionis relationem aliquam fingamus tenentem se ex parte obiecti directi, neque Angelum relatum esse apprehendamus, hoc enim esset relationem rationis effingere; sed quia Angelum ex modo concipiendi apprehendimus, ac si esset relatiuus, quæ relatio tota consistit in nostra cognitione, & nimis est fundamento extrinseca, differtque à relatione rationis, quia relatio rationis est obiectum cognitionis ex vi cuius fit, & non formaliter in ipsa cognitione consistit, relatio autem secundùm dici non se tenet ex parte obiecti cogniti; sed est formaliter ipsa cognitio, quæ obiectum cognitum extrinsecè relatum denominat. Sic relationem secundùm dici explicat P. Soar. disp. 4. sect. 3. n. 8. & alij quàm plures. Ego in hac re nihil inuenio definiendum, quæstio enim est, quid authores intelligant nomine relationis secundum dici, quia certum est relationem quocumque modo ex supra dictis potuisse non sine aliquo fundamento appellari secundum dici. In quæstione de mente authorum, illorum scripta consulenda sunt, apud quæ varias reperio sententias, neque aliquam inuenio cui stare teneamur. Arist. enim cui in hac materia subscribendum erat nullibi suam nobis mentem aperuit, quapropter liberum cuique erit sic, vel aliter relationem secundum dici explicare, cum quilibet dicendi modus Doctores non paucos pro se habeat.

5 Sextò, Scotus diuisit relationem in relationem extrinsecùs aduenientem, & relationem intrinsecùs aduenientem. Relatio intrinsecùs adueniens est illa, quæ posito fundamento, & termino illico necessariò consurgit, talis est relatio similitudinis, & hæc relatio intrinsecùs adueniens prædicamentum ad aliquid constituit iuxta Scoti mentem. Relatio extrinsecùs adueniens est illa, quæ posito fundamento, & termino non necessariò consurgit, sed quidquam aliud desiderat vt pullulet, talis est actio, quæ non eo ipso, quòd sit principium effectiuum, & passiuum, necessariò assurgit, sed necessaria est applicatio inter vtrumque, & hæc relatio extrinsecùs adueniens non hoc speciale prædicamentũ constituit, sed ad sex vltima prædicamenta attinet. Diuisionem hanc solidè impugnat P. Soar. disp. 48. Metaphysic.

physic. sect. 1. vnum, vel alterum argumentum in illam attingam. Inprimis, vt bene notat Soar. malè has relationes, quas extrinsecus aduenientes appellat Scotus ad sex vltima prædicamẽta reducit, quia vnio inter materiã, & formã substantialẽ non ad aliquod ex sex vltimis prædicamentis, sed ad prædicamentũ substantiæ pertinet, & eodẽ iure dicenda est relatio extrinsecùs adueniens, quo secundũ sententiã Scoti actio dicitur relatio extrinsecùs adueniens, sicut enim posito principio actiuo, & passiuo expectanda est actio, sic posita materiã, & forma expectanda est vnio: ergo neutra necessariò resultat ex fundamento, & termino secundũ sententiã Scoti: ergo vtraque est extrinsecus aduenies. Secundò impugnatur eadem diuisio: Præsentia, & duratio necessariò consurgunt posito fundamento, quia implicat dari entitatem in rerum natura non respondentem tempori imaginario, seu reali actu, vel potentia existenti, quomodocumque duratione connotetur, & saltem naturaliter, in multorumque sententia, etiã supernaturaliter nequit existere creatum sine præsentia, ex vi cuius cõstituatur in spatio determinato: ergo si duratio, & præsentia sunt relationes, non dicendæ sunt extrinsecùs aduenientes secundum Scoti sententiam; sed extrinsecus aduenientes, si quidem necessario resultant ex fundamento, & illa dicenda est relatio intrinsecus aduenies, quæ posito fundamẽto necessariò resultat. Tertiò contra eamdem sententiã sic arguo: Relatio intrinsecùs aduenies, vel oritur necessariò ex fundamento, & termino, & secluſa ratione fundandi, vel ex fundamento, & termino ratione fundandi posita. Primum dici nequit, quia posito Petro, & Ioanne, qui sunt fundamentum, & terminus relationis paternitatis, non oritur talis relatio quousque intercedat actio generatiua. Secundum commune est omnibus relationibus, nulla enim est, quæ posito fundamento, termino, & ratione fundandi, necessariò non oriatur: ergo ex hoc capite non rectè diuidit Scotus relationem in relationem quandam intrinsecus aduenientem, & aliam aduenientem extrinsecus. Commune esse omnibus relationibus oriri necessariò posito fundamento, termino, & ratione fundandi; & nullam sine his omnibus assurgere probat exemplum iam datum, quia sicut ex duobus hominibus non resultat necessariò relatio paternitatis, quousque intercedat generatio, sic ex duobus ignibus non resultat relatio causæ, & effectus, quousque intercedat actio, qua hic ab illo procedat, & hac interueniente non potest non oriri. Ratio à priori est, quia sicut in viuentibus generatio est ratio formalis fundandi relationem paternitatis, & filiationis inter vtrumque viuens, sic in non viuentibus actio, qua vnum ab alio procedit, est ratio formalis fundandi relationem, ex vi cuius producens refertur relatione causæ, & productum relatione effectus. Vltimò inquiro, cui sit extrinsecùs aduenies relatio actionis, an principio effectiuo, an ipsi subiecto: si principio effectiuo quod est relationis subiectum, etiam relatio similitudinis extrinseca est parieti, & etiam albedini, quia posito pariete cum albedine inhærente adhuc dependet relationis ortus ab aliquo extrinseco, videlicet ab alio albo, quod sit terminus relationis. Si dicat Scotus relationem esse extrinsecus aduenientem ipsi actioni, efficaciter in illum arguitur, qui actio per se ipsam refertur ad terminum, ad quem non potest non referri, & in hoc sensu potius relationes prædicamentales dicendæ essent extrinsecus aduenientes. Docet P. Soar. n. 5. non esse multum cum Scoto contendendum si per relationes extrinsecùs aduenientes intelligat relationes transcendentales, licet ab hoc loquẽdi modo cauendum sit. P. Arriaga ait disp. 12. sect. 2. n. 7. sustineri posse Scoti diuisionem, si per relationes intrinsecùs aduenientes explicaret illas, quæ adæquatè sunt essentiales fundamento, quas transcendentales vocamus, & per relationes extrinsecùs aduenientes illas, quæ fundamento essentiales non sunt. Sed quam longè absit ab vtraque explicatione Scoti mens, rectè infertur ex eo, quod in oppositas sententias ab authoribus trahatur.

7 Celebris est alia diuisio relationis in relationem prædicamentalem, & transcendentalem, de qua latè dicã Contr. 10. punct. 1. vbi postquam naturam relationis prædicamẽtalis explicuero, illam à relatione transcendentali diuidã.

8 Vltimò relationes prædicamentales in tria genera Aristoteles partitus est. Primum genus relationis prædicamentalis fundatur in vnitate, quæ vnitas non est talis formaliter, neque realiter, neque per rationem, sed tantũ fundamentaliter, sicuti intercedit inter principia operationum similiũ: nullo enim intellectu cogitante inter Petrũ, & Ioannem nulla intercedit vnitas formalis, neque realis, neque rationis, sed tantum fundamentalis, ratione cuius Petrus, & Ioannes referuntur relatione identitatis. Hæc fundamentalis vnitas potest esse in subſtantiis, quæ sint principium similium operationum, & fundat relationem identitatis, talis est, quæ intercedit inter Petrum, & Ioannem. Secundò potest esse hæc vnitas secundùm qualitates eiusdem speciei, qualis est inter duo subiecta habentia albedinem, & hanc vnitatem sequitur relatio similitudinis. Tertiò potest esse hæc vnitas secundum mensuram extensionis quantitatis, & ex hac vnitate assurgit relatio æqualitatis Vnde ex Arist. ea, quorum subſtantia est vna, identitatis relationem habent, illa verò, quorum qualitas est vna habent relationem similitudinis. Vltimò illa, quorũ quantitas est vna secundùm mensuram extensionis æqualitatis relatione gaudent. Sub eodem genere collocantur relationes his oppositæ videlicet relatio diuersitatis in his, quæ natura differunt vt homo, & leo, relatio dissimilitudinis in his, quæ qualitate differunt, sicut album, & nigrum; & relatio inæqualitatis in his, quæ differunt in mensura extensionis quantitatis, sicuti palmus, & vlna.

Secundum genus relationis ab Arist. assignatum, fundatur in actione, vt relatio causæ ad effectum, & effectus ad causam, Patris ad Filium, & Filij ad Patrem, ignis producentis ad ignem productum. His adiunxit Arist. alias relationes, quæ verè relationes non sunt, neque in vera actione fundantur, sed quasi in actione vt relatio domini ad seruum, magistri ad discipulum. 9

Tertium genus ab Arist. assignatum relationes non mutuas continet, sub his constituit Arist. relationem mensuræ ad mensurabile, scientiæ ad obiectum, visus ad visibile, in quibus actus sciendi, & videndi relationem dicunt ad propria obiecta, hæc verò minimè ad hos actus referuntur, quia colori, & cuicumque obiecto, quod cognoscitur nimis extrinsecum est videri, & cognosci. Annumerauit hoc genus relationis Philosophus inter relationes prædicamentales, quia de illo, & de aliis promiscuè egit, & passim relationes prædicamentales, & transcendentales permiscuit, non quia relationes in hoc genere contentæ prædicamentales sint, ostendam enim Punct. 6. n. 2. inter transcendentales annumerandas esse. 10

PVNCTVM III.

De fundamento, termino, & ratione fundandi.

IN omni relatione reperiuntur fundamentum, terminus & ratio fundandi. Fundamentum dicitur illud, quod relatum denominatur, & dicitur respiciens aliud: terminus appellatur illud, quod respicitur, seu in quod relatio tendit. Ratio fundandi est illud, ratione cuius immediatè fundamentum relationem sortitur, seu illud quod vltimò requiritur ex parte fundamenti, vt relationem subeat. Fundamentum, & terminum necessariò esse distinguenda, non solùm per rationem; sed etiam realiter, omnium consensu stabilitum est: de distinctione rationis fundandi à fundamento nonnulla potest esse dubitandi ratio. 1

In relationibus primi generis fert communis sententia non distingui rationem fundandi à fundamento, quia absque illa ratione fundandi distincta duæ subſtantiæ subeũt relationem identitatis, & duæ albedines relationem similitudinis, & duæ quantitates relationem æqualitatis, ita P. Soar. disp. 47. sect. 7. ad finem. In relationibus secundi generis dari rationẽ fundandi distinctam à fundamento sentiũt omnes, qui actionem à principio effectiuo distinguũt, quia in huiusmodi relationibus ratio fundandi est actio, & principium actiuum est fundamentum. In relationibus tertij generis nulla est difficultas, quia huiusmodi relationes, non solùm secundum fundandi rationem, sed etiam secundum se ipsas adæquatè identificantur cum fundamento, & relationes prædicamentales non sunt, sed transcendentales. 2

Circa relationes secundi, & tertij generis, & secundum relationes primi generis, quæ fundãtur in vnitate subſtantiæ, seu essentiæ assentior cõmuni sententiæ, quã supra circa hanc rem modò exposui. Circa relationes, quæ fundantur in vnitate qualitatis, & in vnitate quantitatis, seu circa relationes similitudinis, & æqualitatis mihi difficile est nõ esse philosophandum eodem modo, sic de relationibus 3

secundi

secundi generis, existimo enim in his etiam reperiri rationem fundandi à fundamento distinctam, quod sic suadeo. Duæ albedines immediatè inter se referuntur relatione identitatis, sicuti referuntur Petrus, & Ioannes, quia sicuti Petrus, & Ioannes specie conueniunt, sic conueniunt duæ albedines, quibus competit vnitas specificè fundamentalis, quæ est fundamentum relationis identitatis. Quod si Arist. dixit relationem identitatis fundari in substantia, nomine substantiæ non substantiam specialiter pertinentem ad primum prædicamentum intellexit; sed essentiam cuiuscumque rei, in quo sensu substantiam desumpsit, cùm definiuit vniuoca in verbis illis: *Ratio verò substantiæ omnino eadem*, quæ vertunt omnes *ratio verò essentiæ omnino eadem.* Referuntur ergo relatione similitudinis illa, quibus inhærêt qualitates eiusdem speciei, quod Arist. tradidit dum dixit *similia sunt, quorum qualitas est vna*: ergo non qualitates ipsæ inter se, sed illarum subiecta ratione qualitatum similia dicuntur: ergo in his, quæ similia sunt, possumus distinguere subiectum qualitatis, quod simile denominatur, & est fundamentum relationis, & qualitatem subiecto inhærentem, quæ est ratio fundandi relationem; & sicuti substantia, quæ genuit est fundamentum relationis paternitatis, & actio generatiua ratio fundandi talem relationem, sic subiectum, quod est album erit fundamentum relationis similitudinis, & albedo, vt eidem subiecto inhærens erit ratio fundandi hanc relationem, quia posita albedine in subiecto, quod simile denominatur, & in termino statim consurgit relatio similitudinis inter vtrumque, sicuti posita actione generatiua statim consurgit relatio præternitatis, & filiationis inter animal, quod genuit, & animal, quod fuit genitum. Eadem ratione de quantitate iudico: duæ quantitates immediatè, & per se non fundât relationem æqualitatis, sed identitatis specificæ, quia secluſa extensione superaddita quantitatibus nulla est æqualitas, aut inæqualitas, & independenter ab omni extensione duæ quantitates, etsi vna sit digitalis, & alia vlnaris referuntur relatione identitatis, quia habent vnitatem specificam fundamentalem. Referuntur ergo quantitates relatione æqualitatis, & inæqualitatis quatenus subiacent extensioni, ratione cuius consurgit relatio æqualitatis, & inæqualitatis, quia ex maiori, minorive extensione, æqualitatem, & inæqualitatem colligimus, non præcisè ex quantitatibus nudis, quia duæ quãtitates ad indiuisibile redactæ inæquales dici nequeunt, etiamsi vna contineret totam quantitatem, quam mons ingens includit, & alia tantum vnius formicæ quantitatem, quia ex quantitatibus commensuratis inter se, quarum nulla excedit aliam, cùm inæqualitas ex excessu quantitatis secundùm commensurationem desumatur, non possunt quantitates inter se commensurari secluſa extensione, seu præsentia, si ab illa non distinguitur, & in communi sententia, quæ rarefactionem, & condensationem sine intromissione corpusculorum admittit sine accretione nouæ quantitatis, duæ quantitates, quæ modo sunt æquales, possunt fieri inæquales sine aduentu alicuius partis quantitatis, ex eo præcisè quod vna permaneat cum eadem extensione, & altera maiorem, seu minorem extensionem ex vi rarefactionis, seu condensationis acquirat. Secundùm hanc doctrinam ratio fundandi relationem æqualitatis, & inæqualitatis erit extensio quantitatum, quæ æquales dicũtur, & quantitas secundũ se erit fundamentum relationis, qua æqualis dicitur, & altera quantitas cui hæc est æqualis, terminus erit huius relationis. Hanc relationem æqualitatis, & inæqualitatis existimo communem esse omnibus entitatibus extensis, nó solum mediatè quatenus subiacent quantitatibus æqualibus; sed quatenus subiacẽt propriis extensionibus, si enim daretur duplex corpus vtrumque vlnare quacũque quantitate secluſa esset æquale, dum illa retinerent extensionem, quia tamen nulla entitas ratione sui; sed tantum ratione quantitatis exigit extensionem, quantitati tantũ tribuitur ratio æqualitatis, & inæqualitatis; non verò aliis entitatibus, etsi in re omnia entia, quæ habent extensionẽ propriè, & strictè æqualia, & inæqualia dici possent.

4 Superest sciendum an extensiones ipsæ inter se referantur tantùm relatione identitatis, an etiam relatione æqualitatis, & inæqualitatis. Respondeo extensiones duplicis quantitatis secundum se sumptas referri relatione identitatis, qua ratione referri non possunt relationes æqualitatis, aut inæqualitatis, quia per ablationẽ, seu additionẽ partiũ vnius extẽsionis variatur necessariò relatio æqualitatis, & inæqualitatis, si in extensionibus reperitur & non variatur relatio identitatis. extensio enim vlnaris æquè refertur relatione identitatis ad extensionem semiulnarem, & ad vlnarem, & biulnarem, cum omnes sint eiusdem speciei, & non potest relatione eiusdem rationis, æqualitatis videlicet, seu inæqualitatis ad extensionem vlnarem, & semiulnarem referri; sed necessariò respiciet extensionem seminarem relatione inæqualitatis, & extensionem vlnarem relatione æqualitatis si harum relationum est capax. Censeo parum referre hac vel illa ratione loqui, & in re leuis momenti congruè dici ipsas extensiones esse æquales, & inæquales vt *quo* respectu subiecti, & vt *quod* respectu ipsarum; sed adhuc in his relationibus æqualitatis, & inæqualitatis, quas inter se habent diuerso modo desumitur ratio fundandi; ac sumitur in relationibus identitatis, quæ in ipsis reperiuntur, quia relationes identitatis fundantur in vnitate essentiali independenter ab vnitate integrali, relationes verò æqualitatis, & inæqualitatis immediatè fundantur in vnitate integrali ipsarum, seu in vnitate integrali spatij, in ordine ad quod dicunt ordinem. A posteriori rem probat doctrina suprà tradita: si ponas duplicem extensionem, vtramque vlnarem, referuntur relatione identitatis, & æqualitatis, si ab altera demas vnius palmi extensionem, permanebit relatio identitatis, & peribit relatio æqualitatis, succedétque relatio inæqualitatis: ergo relatio identitatis sumitur independenter ab vnitate integrali, si quidem hac variata permanet illa omnino eadem, & relatio æqualitatis sumitur dependenter ab vnitate integrali, siquidem variata vnitate integrali, & permanente vnitate essentiali variatur relatio æqualitatis, & inæqualitatis.

Dices eadem ratione posse philosophari in qualitatibus, 5
v.g. in duplici albedine, quæ possunt referri inter se non solum relatione identitatis; sed etiam relatione similitudinis; sicuti duæ extensiones referuntur relatione identitatis, & relatione æqualitatis. Respondeo similitudinem sumi posse in qualitate, vel in intensione eiusdem qualitatis, duo enim similia dicuntur, quia vtrumque est album, etsi vnum sit album, vt tria, & alterum, vt sex, quæ similitudo sumitur ab vnitate essentiali qualitatum independenter ab vnitate integrali extensiua, & intensiua earumdem qualitatum, & ita respectu harum, neque fundamentum, neque ratio fundandi, neque terminus possunt reperiri, quæ formaliter non sunt idem cum fundamento, & ratione fundandi, & termino relationis identitatis, quia fundamentum, & terminus est vtraque albedo, & ratio fundandi vnitas essentialis vtriusque independenter ab vnitate integrali, vbi autem fundamentum, terminus, & ratio fundandi sunt omnino idem, relationem eamdem omnino esse necesse est, quapropter non potest in duplici albedine reperiri relatio aliqua similitudinis independens ab vnitate integrali qualitatis, sicuti est inter duo subiecta alba vnum vt tria, & aliud vt sex, quia respectu albedinum tantùm reperitur vt ratio fundandi relationum vnitas essentialis ipsarum, quæ semper fundat relationem identitatis respectu extremorum, quibus est essentialis. Dico respectu extremorum, quibus vnitas est essentialis, quia vnitas essentialis albedinum fundat relationem identitatis inter ipsas albedines, & similitudinis inter se subiecta albedinum, & vnitates essentiales oppositæ inter albedinem, & nigredinem fundant relationem diuersitatis inter has qualitates, dissimilitudinis inter subiectum album, & nigrum. Si similitudo sumatur, non solum inter duo alba, sed etiam inter duo obiecta æquè alba, talis similitudo desumetur non solùm ex vnitate essentiali, sed etiam ex vnitate integrali qualitatum, & hæc poterit ipsis qualitatibus concedi, sicuti conceditur extensionibus, habebit enim diuersam rationem fundandi, ac habet relatio identitatis, quia hæc tota desumitur ex vnitate essentiali, & illa sumetur ex vnitate integrali intensionis, quæ similitudo est quasi quædam æqualitas intensionis, & posset dici relatio æqualitatis; nihilominus relatio similitudinis vulgò appellatur, & ratione huius album vt octo, magis simile dicitur alij albo vt octo, quàm albo, vt duo.

Requiri ad relationem existentiam fundamenti perspi- 6
cuum est, quia cum fundamentum dicatur relatum, simile, aut dissimile, æquale, & inæquale, & id, quod non existit non possit tale dici, illius existentiam ad relationem requiri per se notum est. Secundò, quia relatio, vel distinguitur adæquatè à fundamento, vel non distinguitur. Si distinguitur, est accidens illi inhærens, quod essentialiter supponit fundamentum tanquam proprium subiectum. Si non

distingui

distinguitur à fundamento necessaria erit fundamenti existentia, vt relatio cum illo identificata existens dicatur.

7 Docuit Gregor. in 1. dist. 28. q. 23. posse dari relationem prædicamentalem ad rem non existentem, sed tantum possibilem. Pro hac sententia non contemnenda ratio à priori peti potest in hunc modum. Terminare actu tantùm est denominatio quædam extrinseca deriuata ex habitudine rei, quæ terminatur: ergo hæc denominatio potest cadere in rem actu non existentem præcisè quatenus est ex parte rei non existentis, sicuti denominatio cogniti, & amati cadit in obiecta non existentia, quæ adhuc non existentia terminant cognitionem, & amorem, quibus cognoscuntur, & amantur vt existentia. Rationi à priori suffragatur ratio paritatis desumpta à relatione transcendentali, quæ respicit terminum non existentem, sed tantum possibilem, ex quo argumentum desumitur: entitas non existens potest terminare relationem transcendentalem: ergo & prædicamentalem.

8 Fert omnium Doctorum sententia relationem prædicamentalem essentialiter exigere terminum realem realiter existentem: Ita P. Soar. in Metaph. disp. 47. sect. 8. n. 4. vbi D. Thom. & plures ex vetustis pro hac sententia refert. Conclusio facilè suadebitur, si per singulas relationes fiat Discursus. Quomodo enim homo poterit dici Pater hominis, quem non genuit; sed quem potest gignere? & quomodo paries albus similis erit parieti non albo, seu non existenti, quia possibile est talem parietem album existere, & quomodo mons æqualis erit lapillo, quia potest in montem magnum excrescere? Hæc omnia naturæ lumini dissona valdè sunt. Secundò hæ omnes relationes sunt mutuæ: ergo si Petrus est Pater Ioannis non existentis, Ioannes ipse non existens erit filius ipsius Petri: & si paries iste similis est parieti non existenti, paries nõ existens similis erit huic parieti, quod est absurdũ, id enim quod non est, neque potest esse simile, neque dissimile, neque pater, aut filius, quia hæc omnia prædicata supponunt existentiam subiecti cui contingunt. Probat Hurtad. disp. 15. Metaph. sect. 6. prædictam conclusionem: relatio prædicamentalis est ad aliud: ergo debet esse ad aliud reale existens, id enim, quod non est reale existens, propriè non est aliud. Ratio hæc, vt bene vidit P. Soar. suprà inefficax est, communis enim est pro relatione prædicamentali, & transcendentali, & certum est relationem transcendentalem referri ad terminum actu non existentem. Respondet Hurtad. suprà §. 61. relationem transcendentalem, non propriè in rigore esse ad aliud, sed tantum translatiuè, quia habet conceptum, qui non potest esse ad se. Similiter asserit ens rationis non esse terminum propriè, sed tantùm obiectum extrinsecum in quod tendit relatio transcendentalis identificata cum actu intentionali. Non consentio Hurtado, quia relatio transcendentalis propriissimè, & longè propriùs quàm prædicamentalis est relatio: ergo propriissimè habet terminum. Si dicas relationem transcendentalem propriissimè esse relationem, & tamen non habere propriè terminum: sed tantùm translatitiè, dicam ego relationem prædicamentalem esse propriè ad aliud, quod est esse propriè relationem, & illud aliud propriè non esse terminum, si enim semel admittitur relatio transcendentalis propriè esse relationem, & tamen non habere terminum, qui propriè sit terminus, cur non poterit dici relationem prædicamẽtalem propriè esse relationem, & tamen non habere terminum, qui propriè sit terminus?

9 P. Soar. suprà num 7. asserit inferri terminum relationis transcendentalis debere realiter existere ex natura ipsius relationis, quam ipse putat non distingui à fundamento, & tunc tantùm illud denominare relatum quando existit terminus, & non habere alium producendi modum, neque aliâ ratione constituere hoc speciale prædicamentum, & posse dici accidens, nisi quia connotat termini existentiam. Vrget eandem rationem: relatio non est aliud, quàm ipsum fundamentũ vt dans denominationem relatiuam: ergo non potest illam dare nisi coëxistente termino, quia omnis alia denominatio quæ termino nõ existẽte subiecto accidit, est absoluta, vel ad summũ transcendentaliter tantũ respectiua. Modũ hunc constituendi relationẽ latè impugnabo Punct. sequenti, & contra illum inferam fundamentum identificatum cum relatione actu esse referendũ termino non existente; quapropter neque rationi Patris Soar. fidendum est.

10 Optima desumitur ratio ex doctrina tradenda Punct. sequenti de natura, & constitutiuo relationis prædicamentalis, quam dicam identificari cum fundamento, & termino. Ex quo infertur termino non existente non posse relationem existere, quia deficiente termino deficit aliquid essentialiter requisitum ad constitutiuum relationis. Hanc rationem reddit Hurtad. suprà qui eamdem amplectitur opinionem de constitutiuo relationis, ex qua optimum redditur discrimen, ratione cuius relatio transcendentalis possit existere termino non existente, & prædicamentalis non ita, quia transcendentalis adæquatè distinguitur à fundamento, & ita potest sine illo subsistere. Ex eadem doctrina similiter respondetur ad argumentum suprà factum, quo intendebatur ad terminandum non requiri existentiam illius, quod terminat, quia etiamsi concedatur præcisè ad terminandum non requiri existentiam termini, cum terminus relationis non tantum sit terminus, sed etiam constitutiuum relationis, necessariò requiritur existentia termini, vt relatio constituta intelligatur.

11 Ratio fundandi relationem duplex est, quædam per modum actus, seu actionis, quæ ex se est transiens, huiusmodi est ratio fundandi secundum genus relationis: quædam per modum habitus, quæ ex se est durans, & perseuerans, huiusmodi est ratio fundandi relationes primi generis, extensio enim, quæ est ratio fundandi æqualitatem, & qualitas, quæ est ratio fundandi similitudinem ex se sunt entitates, quæ diu perseuerant, & quietè, & quasi mortuo modo subiecta denominant. Ratio fundandi relationes secundi generis non requiritur actu existens, vt subiectum denominetur relatum, licet non sufficiat vt possibilis ad talem denominationem præstandam; sed requiritur ipsam existere, aut extitisse, quod sufficit, vt ex vi illius etiam præteritæ subiectum existens denominetur relatum dum illius terminus existens perseueret, quia non solùm vocamus patrem Ioannem, qui genuit Petrum in instanti, in quo illum actu gignit; sed toto tempore, quo existunt Ioannes, qui genuit, & Petrus, qui fuit genitus, in quo moraliter perseuerat actio generatiua ratione aliùs actionis conseruatiuæ, quæ succedit loco generationis, quod sufficit, vt virtualiter dicatur permanere actionem ineffectu, sicuti dicuntur permanere actus voluntatis in effectibus, qui ab illis originem trahunt, & sicuti permanere virtualiter dicitur intentio in exequutione medij, etiamsi actus intentionis physicè non perseueret. Rationes fundandi relationes primi generis necessariò debent actu existere, vt possit ex illis relatio consurgere, non enim subiectum album simile dicitur alteri subiecto, quod fuit album, & modò tale non est, sed necessariò albedo existere debet ex parte vtriusque extremi, vt assurgat relatio similitudinis: similiter non dicitur æqualis quantitas vlnaris quantitati, quæ fuit vlnaris, & modò palmaris est tantùm, sed necessariò debet esse vtraque vlnaris, vel palmaris vtraque, vt quantitates denominentur æquales. Ratio à priori esto, quia cùm hæ rationes fundandi non sint natura sua transeuntes; sed permanentes, & per modum habitus quieto modo subiectum denominent, non dicuntur virtualiter, aut moraliter permanere, dum actu non existunt, sicuti dicuntur permanere actiones terminis permanentibus. Hæc est enim natura transeuntium per modum actus, seu actionis viuo modo, & permanentium per modum habitus, quieto, & mortuo, vt hæc postquam extitêre non dicantur moraliter permanere, illa verò, etiamsi physicè non existant, ex eo quod extiterint dicantur moraliter permanere, vt patet in actu voluntatis, qui saltem habitualiter permanere dicitur, dum non retractatur, etiamsi physicè non existat, ex eo præcisè quod extiterit, & in habitu eiusdem voluntatis, qui dum physicè actu non existit nullo modo permanere dicitur.

PVNCTVM IV.

De distinctione relationis à fundamento, termino, & ratione fundandi.

1 EXplicui Puncto præcedenti quid sit fundamentum, quid terminus, quid ratio fundandi relationem, dicam modò quâ ratione ab his differat, vel cum illis identificetur.

§. I.

Impugnatur prima sententia.

AFfirmat prima sententia, posito fundamento, termino, & ratione fundandi pullulare modum quemdam ab his

ab his omnibus distinctum inhærentem fundamento, ex vi cuius hoc dicitur relatum, qui modus non resultat etiãsi fundamentum existat, quovsque existant simul terminus,& fundandi ratio. Defendunt hanc sententiam Cajet. 1.p.quæst.28.art.2.Ferr.4. contra gent.14,Capreol 1.dist.30. quæst.1.quos sequutus est P. Rub. in Prædic. cap 7. quæst. 2. Reiicienda est hæc sententia ex dicendis §. 3. vbi probabo modum istum esse superfluum, & illo secluso intelligi subiectum relatum simile,& æquale,sed præcisè ex eo quod existant duo subiecta alba dici similia,& ex eo,quod existant duæ quantitates vtraque palmaris, vel vtraque vlnaris dici æqualia, & sic in aliis relationibus, pro quibus absque necessitate fingitur modus iste superadditus, nunc tamen hac ratione prætermissa, quam in posterum reseruo, à posteriori impugno prædictum dicendi modum.

3 Primò sequitur ex hac sententia ad leuissimum motum aristæ produci in omnibus entitatibus creatis modum quemdam superadditum, & cælum empyreum imò beatorum animos physicè mutari per receptionem talis modi. Sequelam probo: motâ arista producitur præsentia quædam cum qua relationem habent identitatis reliquæ præsentiæ creatæ eiusdem speciei cum illa, & relationem diuersitatis reliquæ omnes entitates, quæ non sunt eiusdem speciei cum ipsa:ergo motâ arista reliquis omnibus entitatibus creatis aduenit noua relatio identitatis, vel diuersitatis,sed hæc relatio consistit in modo quodam superaddito intrinsecè inhærente rei relatæ: ergo omnibus entitatibus aduenit modus realis intrinsecè inhærens: ergo mutantur omnes entitates creatæ, ex eo præcisè,quod leuis arista moueatur. Consequentiam admittunt,& consequens deuorant authores huius sententiæ, quod mihi quidem absurdissimum est, ne tamen videamur absque ratione tradere illud, quod prima dictat apprehensio, ratione probo consequens nullatenus sustinendum esse. Productâ præsentiâ aristæ existentis Matriti (idem dico de quacumque alia entitate producta) nihil est quod determinet corpus existens Parisijs, vt producat modum illum relationis quo referatur ad præsentiam, seu entitatem denuo productã: ergo corpus illud quod antequam produceretur illa entitas, modum relationis non producebat, non illum producet, postquam talis entitas sit producta. Respondebis nouum terminum Matriti productum determinare corpus existens Parisiis ad relationem producendam, quam antea ex defectu termini non producebat. Contrà: terminus iste valdè distat à subiecto producturo talem relationem:ergo nihil potest influere in relationem neque aliquo modo determinare fundamentum, vt talem relationem producat. Vrgeo:terminus iste nihil physicum, neque morale potest præstare, ratione cuius determinet corpus existens Parisiis ad relationem producendam:ergo nullo modo potest illud determinare ad productionem talis relationis. Nihil posse præstare physicum per se, patet, quia etiamsi ad id præstandum virtutem haberet ratione distantiæ non posset talem virtutem exercere: non posse aliquid morale præstare, seu moraliter determinare productionem talis relationis sic probo. Si terminus productus determinaret moraliter relationem producendam à fundamento distanti, esset exigendo vt Deus præberet concursum ad talem relationem producendam, sed terminus iste non exigit illam, quia nulla entitas exigit aliquid, quo ipsa non indigeat, ergo. Terminum non indigere tali relatione probo ex eo, quod terminus ille referendus non sit per relationem inhærentem in subiecto distanti,quam ipse est terminaturus, sed per relationem ipsi affixam respectu cuius non se habeat vt terminum, sed vt fundamentum. Instituisse ergo debuerat natura solicitos quosdam tabellarios, qui ad productionem cuiusuis entitatis reliquis aliis nuncium deferrent, atque certiores facerent nouum terminum adueniisse, vt illico in nouas erumperent relationes, terminus enim longè distans nihil posset præstare ad tales relationes producendas.

4 Dices fundamentũ semper esse in actu primo ad relationes omnes producendas, has tamen non producere quovsque adueniat terminus, quia quælibet relatio essentialiter dependet à proprio termino, sine quo nequit existere. Æquè mihi difficilis est dependentia relationis à termino longè existenti,ac determinatio ad relationem producendam ab eodem termino, & ideo ratione suprà facta solutio impugnanda est. Terminus est valdè distans à relatione: ergo nullo modo potest in illam influere: ergo nulla ratione potest relatio à termino distanti dependere.

Melius forsan responderetur quamlibet entitatem per se ipsam exigere à Deo concursum ad producendam relationem respectu omnium entitatum existentium, quæcumque sint de facto existentes, & ad conseruandam eandem relationem dum illius terminus perseuerat, ex vi cuius exigentiæ non debetur Petro existenti Matriti concursus ad relationem, ex vi cuius constituitur diuersus à Ioanne producendo Parisiis, quovsque Ioannes sit productus, & in primo instanti, in quo Ioannes fuit productus incipit deberi, non propter exigentiam noui termini aduenientis; sed ex vi antiquæ exigentiæ ratione nouæ circunstantiæ, productionis Ioannis, quâ positâ debitus est concursus exigentiæ, cui antea non debebatur, quia non erat purificata conditio, sub qua dari exigebat talem concursum, quem non petebat absolutè dandum, sed dandum si existeret terminus, & pro illa mensura pro qua existeret talis terminus. Hic aptior modus, si aptus aliquis ad prædictam sententiam defendendam, verumtamen quantis subiaceat difficultatibus ex secunda impugnatione, quam conficio contra prædictam sententiam, quæque solutionem hanc euertet clarè constabit. 5

Infero secundò ex prædicta sententia posse Deum constituere simile corpus album, etiamsi nullum album existat neque exiterit,aut extiturum sit in rerum natura,& æqualem quantitatem vnicè existentem in rerum natura,& Patrem hominem, qui nunquam genuit, & sic de omnibus aliis relationibus, quæ poterunt subsistere sine termino. Sequelam probo: hominem esse Patrem,corpus simile, & quantitatem æqualem non est formaliter terminum existere, sed subiectum relatum habere talem modũ distinctum à termino; sed poterit Deus supernaturaliter producere talem modũ destructo termino,seu nunquã producto:ergo poterit Deus constituere fundamentum relatum relatione prædicamentali termino non existente. Minorem probo: in qua tota argumenti difficultas sita est. Modus ille relationis tantùm dependere potest à termino, vt suprà dicebam, quatenus illius fundamentum tantùm exigit illius productionem pro illa mensura, in qua terminus existit, sed Deus potest præstare concursum ad talem modum producendum, & illum producere vltra exigentiam fundamenti: ergo poterit illum producere termino non existente:ergo poterit producere paternitatem in Petro,etiamsi Petrus nullum genuerit filium,& sic de aliis relationibus. Dices relationem dependere à termino tanquam modum à re, quia non est tantùm modus fundamenti, sed etiam termini, sicuti actio est modus non solùm principij actiui, & passiui, sed etiam termini. Contra hanc solutionem procedit argumentum supra factum, quod iterum breuissimè attingo. Relatio naturaliter existit, & conseruatur termino valdè distanti nulla facta applicatione mediata, neque immediata: ergo potest physicè dependere, neque tanquam modus,neque ratione aliqua à termino longè distanti: dependentia moralis potest suppleri à Deo, qui potest contra causarum exigentiam operari: ergo relatio,neque vt modus,neque ratione alia potest habere dependentiam à termino, & adeò strictam connexionem inire cum illo, vt non possit Deus illam sine termino producere, & conseruare. Eadem ratione infertur ex hac sententia posse Deum facere vt Petrus, qui genuit Ioannem non sit illius Pater adhuc in illo instanti,in quo illum gignit, & vt duo alba vtrumque vt octo non sint similia,& vt duplex quantitas vtraque palmaris, & neutra aliam excedens non sint æquales quia cum paternitas similitudo, & æqualitas consistant in modo superaddito fundamento,& termino,& ratione fundandi, potest Deus his existentibus contra illorum exigentiam non præbere concursum ad talem modum producendum, quo modo non producto deficiet formalis relatio, & extrema relata non erunt. 6

Contra eamdẽ sententiam à posteriori iterum argumẽtor.Si relatio distingueretur à fundamẽto,& termino, vna relatio fundaret aliam,relatio enim identitatis inter Petrũ & Ioannẽ esset diuersa à relatione similitudinis inter duo alba,ac proinde fundaret aliam relationem, & hæ aliam, & aliam,& sic in infinitum procederetur. Respondent aliqui relationem non indigere alia relatione superaddita vt referatur, sicuti præsentia non indiget alia superadita præsentia vt fiat præsens, neque actio actione superaddita,vt dependeat à principio effectiuo, sed per ipsam referri, sicuti per se ipsam fit præsens præsentia, & dependens, seu producta productio cuiuslibet termini: Contrà præsentia tantùm per se ipsam fit præsens spatio cui præsentat 7

subiectum, quod afficit, v.g. præsentia, qua ego præsentor Compluti, per se ipsam præsentatur Compluti, cui non potest non esse præsens: at verò si talis præsentia contingenter præsentanda esset Toleti, alia indigeret præsentia superaddita: idem dico de actione, quæ per se ipsam dependet à principio actiuo, à quo constituit terminum dependentem, & à quo non potest non dependere: si verò talis actio inciperet dependere ab alio principio, à quo non constitueret suum terminum dependentem, & à quo posset non dependere, indigeret alia dependentia superaddita. Sed relatio identitatis inter Petrum, & Ioannem non tantùm referretur ad Petrum, & Ioannem, sed referretur ad relationem similitudinis inter duo alba, ad quam posset non referri, & ad quam non constituit relatos Petrum, & Ioannem: ergo indiget alia relatione superaddita vt referatur ad illam relationem similitudinis, ad quam contingenter refertur, & diuerso modo, quo refert propria extrema, quia hæc referuntur ex vi illius relationis identitatis, & relatio ipsa identitatis refertur ad relationem similitudinis relatione diuersitatis. Rem declarat vnio integralis quantitatis, quæ non per se ipsam, sed per aliam vnionem diuersæ rationis vnitur vnione integrali materiæ, quam informat, licet per se ipsam vniatur partibus quantitatis, quas integraliter vnit.

8 Dices relationem identitatis inter Petrum, & Ioannem non posse non referri relatione diuersitatis, ad relationem similitudinis inter duo alba, ac proinde per se ipsam referri. Contrà: duo alba ex suppositione, quod vtrumque existat, non possunt non referi, & tamen infert hæc sententia ex eo, quod quodlibet seorsim existens possit non referri vtrûque referri per relationem superadditam, & neutrum per se ipsum: ergo eadem ratione duæ relationes quarum quælibet existens sine alia potest non referri, non referuntur per se ipsas, sed per aliquid superadditum, etiamsi vtraque existens non possit non referri. Vidi aliquos recentiores eximiè laborantes in hoc processu in infinitum vitando, quorum laborem laudarem, si ad rem alicuius momenti defendendâ esset susceptus, in hac tamen materia non possum non illum improbum censere, cùm causâ tantum cuiusdam opinionis iam exoletæ defendendæ suscipiatur, & hoc adhuc non assequantur. Alij absque vlla formidine tunc processum in infinitum admittunt, asserúntque nihil absurdi contineri in effectibus qui ab vna determinata omnium causa descendunt, tantumque esse vitandum in causis à parte antea, ita vt prohibeat ad aliquam primam peruenire, à qua effectus omnes originem trahant, quod tantû intendit Arist. & cum illo Philosophi omnes qui vnam primam omnium causam rerum esse demonstrant, cui veritati non refragatur processus ad infinitum in effectibus, quibus vnum primum principium, ante quod non sit aliud, potest designari. Sic perdoctè, & acutè satis rem tractabat sapientissimus quidam Magister meus, cuius instructus disciplina facilè satisfacerem omnibus rationibus, quæ contra hanc doctrinam possent adduci. Verumtamen ad alia majoris momenti eam adseruarem, nec tanti emo relationes superadditas defendere, quas hoc argumento sublato à Philosophia exterminarem.

§. II.

Impugnatur sententia de connotatis.

9 PAter Soar. disp 47. Met. sect.2.à n.21. docet relationem non distingui realiter à fundamento, connotare tamen termini existentiam, vt tribuat denominationem relati, ita vt deficiente termino non aliquid relationis deficiat; sed tantùm id, quod requiritur, vt ipsa relatio identificata cum fundamento fundamentû denominet relatum, quia denominationem hanc relatio non tribuit, nisi cum connotatione ad existentiam termini, qua deficiente deficit denominatio. Sententiam hanc multi sequuti sunt recentiores, illiúsque doctrinam plerique tradunt authores, vt defendant non dari modum vnionis superadditum inter materiam, & formam, neque præsentiam distinctam à subiecto, quod est præsens, neque actionem mediam inter principiû effectiuum, & terminum, sed vnionem, præsentiâ, & actionem identificari cum subiectis, quæ constituunt vnita præsentia, & efficientia, illíque non tribuere suam denominationem quoúsque supponatur connotatum, ratione cuius album non est formaliter relatum, etiamsi habeat relationem identificatam secum, quoúsque adueniat aliud album, quod sit connotatum huius relationis: neque principium effectiuum, v.g. Deus, qui ab æterno existit, haber hoc, quod est esse actu efficiens ab æterno, sed tantùm tempore, quia in tempore incipit esse connotatum huius actionis identificatæ cum Deo, quod est terminus, qui ex vi illius producitur, quo deficiente actio identificata cum Deo non illi tribuit denominationem principij actu efficientis. Sic in pluribus aliis materiis philosophantur sectatores huius dicêdi modi, quos hodie vulgus *Connotatores* appellat. Doctrinam hanc impugnant multis in locis Hurtad. & Arriaga; iste præcipuè disp.12. Log. sect.8. ille dispositione 6. Met. sect.3. subs.7. in eamdem incuehuntur plerique recentiores; illam ego in hunc locum impugnandam remisi, ne passim illius impugnationes repeterem, vbi illam penitus euertere intendam.

Argumentor primò contra hanc sententiam. Deficiente connotato non deficit aliquid intrinsecum relationi seu aliquid pertinens ad illius formale constitutiuum: ergo permanet totû id, quod formaliter est relatio afficiens formaliter subiectum omninò eodem modo: ergo deficiente termino subiectum permanet eodem modo relatum, & formaliter erit relatum eadem ratione, qua relatum erat existente termino. Probo consequentiam: subiectum non constituitur relatum per terminum, sed per relationem formaliter vt afficientem subiectum, siue per identitatem, siue vnionem superadditam: sed permanet cû eadem relatione eodem modo afficiente idem subiectum deficiente termino: ergo deficiente termino subiectum, seu fundamentum manet cum toto illo, per quod constituebatur relatum, eodemque modo illo affectum: ergo permanet eodem modo relatum. Subiectum, seu fundamentum non constitui formaliter relatum adhuc inadæquatè per terminum fatentur authores huius sententiæ, & probat P.Soar. quia ratio formalis referendi debet distingui à termino, quem illa ratio respicit, aliàs idé seipsum respiceret. Fundamêtum manere cum eadem ratione formali, ex vi cuius constituitur relatû, & eodem modo illa affectû, etiamsi terminus deficiat sudetur facilè. Ratio formalis referêdi est relatio: relatio identificatur cum fundamento: fundamentum permanet idem deficiente termino: ergo ratio formalis referendi identificata cum fundamento eadé permanebit. Modum, quo ratio formalis referendi subiectû afficit, semper esse eundem, eadem ratione euincitur. Ratio formalis referendi non informat subiectû, seu fundamentum relatum per informationem superadditam, sed per identitatem: ergo dum ratio formalis seu relatio est eadem, permanet eadem identitas cum fundamento, & eadé informatio. Permanente eadem ratione formali referendi, seu eadem relatione, cum eadem informatione respectu eiusdem subiecti, permâsurum idem relatum formaliter vt relatum, sic euinco. Relatum, formaliter vt relatum, & vt formaliter dicens denominationem relati est totum quoddam includens subiectum, relationem, & modum, quo relatio subiectum afficit, siue hæc realiter distinguantur, vel identificentur. Sed hæc omnia manent omnino eadem: ergo totum manet omnino idem, quia totum non distinguitur à partibus, & vnione.

Respondent nonnulli deficiente termino permanere totum id, quod relatio dicit in recto, & deficere, quod relatio dicit in obliquo ex cuius defectu subiectum non denominatur formaliter relatum. Contrà: id, quod deficit, & relatio dicit, non in recto, sed obliquo, vel formaliter per seipsum denominat saltem inadæquatè subiectû relatum, vel non. Si denominat formaliter saltem inadæquatè, etiâsi in obliquo importetur subiectum relatum, iam ratio formalis relationis non est identificata, adæquatè cû subiecto, sed includit terminum, etsi in obliquo importatum: ergo relatio formaliter vt relatio dicit fundamentum, & terminum, quod negat P.Soar. & cum illo connotatores, qui totam rationem formalem relationis à termino distinguunt. Si terminus in obliquo importatus, neque inadæquatè denominat subiectum relatum: ergo remanet tota forma adæquata, à qua subiectum denominatur, etiamsi terminus deficiat: ergo eodem modo denominabit subiectum. Recurre ad rationem suprà confectam. Adhuc distinguunt nonnulli, qui dicunt terminum importatum à relatione denominare subiectum in obliquo. Inania verba. Terminum denominare in obliquo subiectum relatum, vel dicit terminum importatum in obliquo denominare fundamentum, ita vt ratio obliqui tantum se teneat ex parte termini, & non ex parte denominationis, vel dicit terminum importatum in obliquo denominare subiectum obliquè, seu denominatione obliqua. Hoc secundum frustrà diceretur quia

fundamen

fundamentum tantùm habet vnam simplicem denominationem relati, quæ eadem est, & omnino simplex: ergo omnia, quæ tribuunt denominationem relati, eandem omnino tribuunt, siue rectam, siue obliquam: ergo non potest fundamentum habere à se, seu à relatione secum identificatam rectam denominationem relati, & à termino denominationem obliquam. Si dicatur primum infertur necessariò denominationem simplicem relati prouenire à fundamento, quod est in recto, & à termino, qui est in obliquo, & relationem formaliter dicere fundamentum, & terminum, quod renuunt concedere huius dicendi modi sectatores.

12 Respondent alij terminum non esse rationem formalem denominandi subiectum relatum, esse tamen conditionem, sine qua non potest subiectum tale denominari. Euasionem hanc efficaciter impugno. Conditio debet distingui ab illo, ad quod est conditio: sed posito termino nihil ponitur distinctum ab illo: ergo terminus non se habet vt conditionem. Negabis minorem, & dices posito termino poni denominationem. Contrà: denominatio vel sumitur pro ipsa nominis impositione, quæ est valde extrinseca subiecto, seu pro re significata nomine impositio. Si sumatur pro nominis impositione ad hanc tantum potest esse conditio id, quod est conditio ad rem significatam per nomen, & ad formam, per quam formaliter subiectum est relatum: ergo vt terminus sit conditio ad hanc nominis impositionem debet esse conditio ad id, quod significatur per hoc nomen relatum, vel debet esse id, quod formaliter constituit illius obiectum significatum, videlicet hoc concretum *relatum*, quod est formaliter esse relationem: Terminum non posse esse conditionem ad rem significatam per nominis impositionem sic probo. Posito termino nihil reale ponitur distinctum ab illo: ergo non potest esse conditio respectu alicuius, quod ponatur. Probo antecedens: fundamentum existebat antequam existeret terminus: ergo terminus non est conditio ad fundamentum: ergo non est conditio ad aliquid, quod cum fundamento sit identificatū, quia nequit terminus esse conditio ad positionem alicuius identificati cum fundamento ad quod non est conditio, aliàs esset, & non esset conditio respectu eiusdem, quia nō esset conditio fundamenti, vt supponimus, & aliàs esset conditio alicuius identificati cum fundamento, ex quo inferetur esse conditionē ipsius fundamenti, quia quidquid conuenit entitati respectu alicuius, conuenit respectu totius, quod cum illo est identificatum, sed posito termino nihil datur distinctum à fundamento, & termino: ergo nihil datur respectu cuius terminus possit esse conditio. Nihil dari distinctum à fundamento, & termino, posito termino statuit sententia, quam impugno, quæ asserit posito termino fundamentum per se ipsum absque alio superaddito referri.

13 Obscurioribus terminis rem alij confundere intendunt, & vim argumenti effugere, asserentes deficiente termino permanere fundamentum, & permanere relationem identificatam cum illo, quoad entitatem, non verò permanere relationem quoad formalitatem, ita non tribuere effectum formalem, neque denominare subiectum relatum. Contra hunc dicendi modum sic impugno. Relatio quoad formalitatem, vel est identificata cum fundamento realiter, & physicè; vel ab illo distinguitur realiter & physicè: Hoc secundum non potes admittere, ne concedas rationem formalem relationis superadditam fundamento, quod tua sententia negat: ergo debes dicere relationem quoad formalitatem non distingui à fundamento. Tunc sic: relatio, quoad formalitatem, est identificata cum fundamento: ergo permanente fundamento permanet relatio quoad formalitatem, implicat enim ex duobus identificatis vnum deficere, & aliud permanere. Sed deficiente termino relationis permanet fundamentum: ergo permanet relatio quoad formalitatem, quæ est identificata cum fundamento. Confirmatur: Relatio quoad entitatem, & quoad formalitatem non distinguuntur realiter, & physicè: ergo permanente relatione quoad entitatem permanet relatio quoad formalitatem: Antecedens probo: relatio quoad entitatem, & quoad formalitatem identificatur vni tertio, videlicet fundamento: ergo identificantur inter se. Rursus relatio quoad formalitatem realiter est entitas: ergo relatio quoad formalitatem; & relatio quoad entitatem realiter non distinguuntur: ergo implicat deficere relationem quad formalitatem, quin deficiat relatio quoad entitatem, & implicat permanere relationem quoad entitatem, quin permaneat relatio quoad formalitatem. Subdistinguunt iterum recentiores: relatio quoad entitatem, & relatio quoad formalitatem sunt idem: quoad entitatem concedo, quoad formalitatem nego; Attendas obsecro, quomodo in ipsa distinctione membra distinctionis confundunt, distinxère relationem tanquam in membra opposita in relationem quoad entitatem, & quoad formalitatem, & rursus cùm illis obiicitur, relatio quoad entitatem identificatur cum relatione quoad formalitatem subdistinguunt: identificatur quoad entitatem, concedo; quoad formalitatem, nego, quæ distinctio supra quodcumque ex duobus extremis cadat, secundùm vnum membrum illud replicat, & secundùm aliud per oppositum contrahit. Hoc notato solutionem euerto: Relatio quoad entitatem, etiamsi subdiuidatur in relationem quoad entitatem, & quoad formalitatem, vt ineptè traditur distinctione prædicta, non distinguitur realiter sumpta quoad entitatem, & quoad formalitatem, & idem dico de relatione quoad formalitatem eodem modo diuisa: ergo implicat relationem quoad entitatem, & quoad formalitatem identificari quoad entitatem, & non identificari quoad formalitatem.

Dicunt alij relationem quoad entitatem, & quoad for- 14
malitatem distingui in obliquo, & per connotata. Contra hos redit discursus suprà factus contra illos, qui absolutè dicebant relationem distingui à fundamento ratione connotati extrinsecè, & in obliquo, & non in recto.

Efficacissimè arguo contra hos connotatores. Implicat 15
esse albedinem in subiecto apto ad componendum hoc concretum album, & illud de facto non componere, cùm concretum formaliter nihil aliud sit, quàm subiectum, forma, & informatio: ergo implicat esse relationem in subiecto cum omni informatione requisita, quæ non distinguitur ab ipsa relatione, & subiecto, quod informat per identitatem, quin subiectum constituatur. Concedunt antecedens aduersarij; & negant consequentiam, quia albedo est forma absoluta nullum habens connotatum, neque illo indigens, vt præstet suum effectum formalem, ac proinde ex defectu connotati non potest illum non præstare. Relatio autem est forma respectiua respiciens connotatum, & illo indigens, vt præstet suum effectum formalem, ex defectu cuius potest illum non præstare. Contra hanc solutionem instauratur ratio supra facta. Adhuc in concretis respectiuis effectus formalis non distinguitur à toto composito, toto videlicet relato, quod tantum dicit subiectum, relationem, & informationem: ergo his præcisè positis erit constitutiuum hoc concretum relatum, siue terminus ponatur, siue non ponatur. Exemplum desume in hoc concreto *cognoscens*, quod est respectiuum, & connotat obiectum cognitum, quia tamen intrinsecè; & formaliter tantum dicit viuens vt subiectum, & cognitionem, vt formam, & informationem cognitionis ad subiectum, siue identificatam, siue distinctam à cognitione, posito viuente cum cognitione illud informante, ponitur hoc concretum *cognoscens*, siue ponatur, siue non ponatur obiectum.

Ne tamen iterum vanè repetas inanem illam distinctio- 16
nem recti, & obliqui, ex his, quæ prædicta solutio admittit conclusionem impugno. Forma relatiua potest esse quoad entitatem, & non quoad formalitatem ex defectu connotati, & hoc incipiente incipere præstare effectum formalem, quem antea eadem existens quoad entitatem non præstabat: ergo omnes actus vitales intentionales, visio v.g. auditio, sensatio interna, intellectio, & volitio, possunt esse identificati cum anima, cui non præstabunt suum effectum formalem, quousque vnicuique proprium adueniat connotatum, quo adueniente anima cognoscere incipiet, non quia noua producatur cognitio, neque quia hæc incipit quoad entitatem, sed quia nouum aduenit connotatum, & cognitio, quæ antea erat quoad entitatem identificata cum anima, incipit modò esse quoad formalitatem, & præstare formalē effectum, quem antea non præstabat. Dices ad hos intentionales actus requiri has, vel illas dispositiones, seu comprincipia potentiæ respectū illarum v. g. speciem impressam ad visionem producendam, quod signum est visionem non solùm quoad formalitatem denuo assurgere, sed quoad entitatem incipere. Non satisfacis, quia medij dispositionem, & deorganizationem potentiæ, & specierum impressarum productionem dicam ego requiri tanquam connotatum, vt visio, quæ antea erat quoad entitatem, incipiat modò quoad formalitatem. Imò secundùm hanc doctrinam de medio tollerem species impressas, quia has

tantùm opponimus, vt loco obiecti efficienter producant actum intentionalem, qui non potest produci ab obiecto distanti, in hoc autem philosophandi modo necessum non est actum intentionalem denuo produci, quando anima ex vi illius incipit sentire, aut cognoscere, sed tantùm tunc incipere quoad formalitatem, ad quod sufficit præsentia obiecti, medio, vel distantia non impediente, quia etsi hoc nimis extrinsecum sit actui, etiam productio albi Romæ exercita, est nimis extrinseca albo existenti Compluti, & relationi cum illo identificatæ, & tamen sufficiens est vt hæc, quæ antea tantùm existebat quoad entitatem, iam existere incipiat quoad formalitatem.

17 Vltimò confuto doctrinam istam de connotatis exemplo, quo eam explicant, & probant illius sectatores petitum ex actibus liberis Dei. Asserunt in Deo de facto dari actus liberos voluntatis, & scientiæ visionis, qui potuerunt non esse Deo omnino intrinsecè inuariato, & de facto sunt ratione connotati, quod si deficeret, actus liberi Dei deficerét, non secundum entitatem quia nihil intrinsecum Deo potest deficere secundum entitatem, sed tantùm secundum formalitatem, hoc est existeret illorum entitas, & tamen non Deum constituerent formaliter volentem tale obiectum, illudque cognoscentem scientia visionis. Hoc inquam exemplo doctrinam hanc confuto, quia difficultas hæc de constitutiuo actuum liberorum Dei est omnium maxima, quas tota continet Theologia, & nullus ingenuus Theologus reperitur, qui non fateatur nostro intellectui esse insuperabilem, & qui non confugiat ad infinitam, & incomprehensibilem Dei perfectionem, ratione cuius illi absque vlla repugnantia conueniat illa, quæ noster intellectus vix potest sine repugnantia apprehendere, & ne indecorè vi formæ in hac materia opprimerentur, quàm plures Theologi, qui distinctionem virtualem in Deo sunt meditati, qua in materia de Trinitate, & in actibus liberis Dei difficultatem formæ nonnihil declinant: ergo hac ratione in rebus Philosophicis, & purè naturalibus, nonque grauioris momenti discurrere, in quibus faciles alij dicendi modi supersunt, est omnia æquè difficilia reddere cum mysterio Trinitatis, abstrusioribus proprietatibus Dei optimi maximi, cuius omnia intrinseca vtpotè per essentiam infinitam longè superant intellectus captum, qui superari non debet natura tenuis valdéque imperfectæ relatiunculæ, aliarúmque entitularum, ad quas explicandas eandem viam inière connotatores, qua aliqui Theologi intendunt effugere illa, quæ ad intrinsecam Dei per essentiam infiniti spectant, quos plures alij adhuc in hac materia non tutè illam fuisse aggressos existimant.

18 Eamdem sententiam sic impugnat Arriaga. In sententia aduersariorum non potest incipere noua denominatio sine noua entitate: ergo non potest incipere noua denominatio intrinseca sine noua intrinseca entitate, quia intrinseca denominatio non potest nisi à noua intrinseca entitate procedere. Hanc rationem latè insequitur Arriaga, cui respõdebunt Connotatores incipere nouam denominationem, quia incipit noua entitas intrinseca quoad formalitatem, etiamsi non incipiat quoad entitatem, quæ inceptio quoad formalitatem intrinsecam potest procedere tanquam à conditione extrinseca à connotato extrinsecè posito. Difficultates aliasquibus se implicant connotatores ex hac doctrina negantes modos vnionis superadditos, actiones distinctas à principio actiuo, præsentias distinctas à re præsenti propriislocis expendo, vbi de his modis disputationem instituo.

§. III.

Propria sententia.

19 SEntio relationem prædicamentalem non distingui à fundamento, & termino, & ratione fundandi: sententiam hanc defendunt communiter Nominales, Ochamus in 1. dist. 30. q. 1. & dist. 32. quæst. 1. Gregor. in 1. dist. 28. q. 2. Marsil. q. 32. art. 1. Heru. in 1. dist 3. art. 1. & quodlib. 7. quæst. 15. & quodlib. 10. q. 1. Alens. 5. Metaph. text. 20. Lau. 5. Metaph. quæst. 22. Soncin. quæst. 28. qui licet affirmet oppositam posse defendi, asserit tamen hanc sibi magis placere. Stant pro eadem sententia quàm plures authores asserentes relationem non distingui à fundamento, qui tandem intendunt non dicere aliquid intrinsecè fundamento superadditum, sed tantùm ex fundamento & termino resultare denominationem relati, ideóque asserunt relationem à fundamento non distingui, quia hoc in recto, & illud in obliquo significatum importat. Tenent eandem sententiam Hurtad. disp. 15. Metaph. sect. 2. & Arriag. disp. 12. Logicæ sect. 3. & omnes politiores recentes huius temporis. Angelicum Doctorem nobis eandem tradidisse sententiam clarissimis testimoniis apertè conuincit Hurt. quæ nullam non violentam in alium sensum explicationem pati possunt, illa non refero, quia nimis longa, & facilè legi possunt apud Angelicum Præceptorem quæst. 7. de potentia art. 8. & opusc. 48. tract. 5. de prædicamento ad aliquid, c. 2. & c. 3. Pro eadem sententia refertur etiam Arist. qui dixit ad relationem non dari per se motum, hoc est non dari specialem actionem, quod signum est non esse specialem entitatem distinctam à fundamento, & termino: huiusmodi tamen testimonia laxè nimis solent interpretari, ideò non his multum fido, & ad rationem deuenio.

Desumo primam rationem ex vulgari, solidóque principio. Vbi nulla est separatio, nullum signum est distinctionis. Sed posito fundamento, & termino cum ratione fundandi, si hæc ab illis distinguitur, nulla inuenitur, neque inueniri potest separatio relationis ab illis: ergo relatio ab eisdem non distinguitur. Dices separari à singulis seorsim sumptis, licet non separetur ab omnibus simul existentibus. Benè est, hæc separatio arguit distinctionem à singulis seorsim, & non ab omnibus simul sumptis, quia ab illo est distinctio, à quo potest esse separatio, sed separatio est à singulis, & non ab omnibus simul sumptis: ergo distinctio est à singulis, & non ab omnibus simul sumptis. Vrgeo, posito Petro, & Paulo in rerum natura, seclusà qualibet alia entitate distincta Petrus, & Paulus manent eiusdem naturæ, & eiusdem essentiæ, & positis duobus albis vt quatuor, secluſa quacumque alia entitate, sunt similia, & positis duabus quantitatibus vlnaribus, nulla alia intercedente entitate, sunt æquales, & eo ipso, quod vtraque vlnaris percipiatur intelliguntur æquales nulla alia forma, adhuc per intellectum, percepta: ergo relatio identitatis, similitudinis, & æqualitatis, separari non possunt à fundamento, & termino, neque aliquid addunt ab illis distinctum. Idem dico de relationibus secundi generis. Da mihi Petrum genitum fuisse à Ioanne secluſo quocumque alio modo Ioanni inhærente, quem Deus non produxit, vel quem ego mente præscindo, ex eo præcisè, quod Petrus fuerit à Ioanne genitus, Ioannes dicetur Pater, & Petrus filius: ergo fruſtra nouos alios modos inhærentes Petro, & Ioanni, vel prædicatum aliquod intrinsecum in Petro, & Ioanne meditaris, vt vnus dicatur Pater, & alter filius: ergo relatio paternitatis nihil aliud est quàm ab hoc homine illum processisse.

Respondent aduersarij duo alba, ac reliqua prædicta extrema secluſo modo superaddito, & formalitate intrinseca, esse similia, & relata fundamentaliter, & non formaliter. Contrà: vtraque quantitas assignata esset palmaris, secluſo quocumque modo superaddito, & quocumque prædicato intrinseco, & illarum neutra alteram excederet: ergo formaliter essent æquales. Probo consequentiam, illa æqualia dicuntur quæ commensurari possunt, & quorum neutrum excedit alterum: sed duæ quantitates vlnares quocumque alio secluſo possent commensurari, & neutra aliam excederet: ergo essent æquales. Si dicas hanc commensurationem quantitatum absque alicuius excessu, secluſo modo alio positiuo arguere æqualitatem fundamentalem, & non formalem, inquiro, ex quo principio inferas illam æqualitatem formalem, quam agnoscis supra æqualitatem, quam ego assigno, & tu fundamentalem appellas? Vrgeo: destruat Deus æqualitatem quam appellas formalem, vel illam mente præscindamus, & remaneat tantum illa, quam ego assigno, & tu fundamentalem appellas: Tunc rogo, ex quo capite desiderabimus modum illum in quantitatibus, vel qua diuersa ratione de illis agemus, ac nunc agimus? Certè talis modi defectum nusquam experiemur sicutineque illum præsentem nunquam experti sumus, sed eodem modo quantitates illas æquales vocabimus ex eo, quod neutra alteram excedat: ergo modus ille neque ab hac denominatione æqualitatis quantitatibus conuenientis, neque ab alio aliquo principio à priori, vel à posteriori nobis innotescit: ergo sine fundamento fingitur. Idem argumentum fit in relationibus secundi generis, præcisè enim ex eo, quod Ioannes Petrum genuerit nullo habito respectu ad modum alium, absolutè vocamus Ioannem Patrem Petri, & non modum illum inquirimus, vt pleno ore

Ioannem

Ioannem Petri patrem appellemus; sed tantùm rogamus an ab illo fuerit genitus, ex qua generatione præcisè quocumque alio secluso fundamentum desumimus ad denominationē patris Ioanni tribuendā, quam tribuunt docti, & indocti, qui nunquam modum superadditum, neq; prædicatum intrinsecum paternitatis excogitarunt. Ex quo infertur denominationem hanc à posteriori non arguere modū intrinsecum paternitatis, neq; prædicatum aliquod adæquatè identificatū cum fundamēto ac proinde vtrumque esse relegandū, cùm neque à priori, neque à posteriori aliquod illorum extet fundamentum. Clariùs res cernitur in relationibus oppositis illis, quæ fundantur in vnitate superaddita: eo ipso quod quātitas vlnaris sit, si cōmensuretur cùm quātitate palmari illā excedet in extensione: ergo erit illi inæqualis, non enim aliam inæqualitatem agnoscimus præter excessum, quē habet hæc entitas respectu alterius.

22 Argumentor iterum pro eadem sententia: Deus est diuersus à Petro, qui modo existit non præcisè per suam entitatem, non per aliquod accidens illi intrinsecè inhærens: ergo per coëxistentiam ipsius Dei cum Petro: ergo eodē modo poterit Petrus constitui diuersus, ab equo, non per suā entitatē, neq; per aliquod accidens illi intrinsecè superadditum, sed per coëxistentiam suæ entitatis cum equo. Offendunt multi in maiori, qui existimant Deo competere non posse relationē aliquam prædicamentalē, adhuc diuersitatis à creatura: horum copiam refert P. Soar. disp. citatā, sect. 15 n. 17. Verumtamen hanc relationem Deo conuenire defendunt Ocham, Greg. Gabr. Marsi. & Durand. quod elegāter docuit Anselm. in Monologio c. 24. vbi cùm dixisset Deo nihil accidere posse, quia est inuariabilis, postea sibi obiicit: *Quomodo non est particeps accidentis, cùm & hoc ipsum quod maior est omnibus creaturis, & quo illis dissimilis est videatur accidere.* Cui obiectioni respondet: *sed quid repugnat quorundā, quæ accidentia dicuntur, susceptibilitas, & naturalis incōmutabilitas, si ex eorum assumptione nulla substantiæ consequitur variabilitas?* & addit inferius huiusmodi esse relationes, & ne quis iudicaret ipsū loqui de relationibus rationis, exēplū in creaturis adhibet: *Nam ego* (verba sunt Anselmi) *nec maior, nec minor, nec æqualis, vel similis sum homini post annum nascituro; omnes autem relationes has illo nato habere potero sine omni mei mutatione.* Quibus verbis expressè docet Magnus Anselmus Deo has relationes inæqualis, & dissimilis sine aliqua sui mutatione in tēpore aduenire, tantíq; Doctoris authoritate, Nominaliū sententia, quam amplector, ab omni censura manet vindicata. Et P. Soar. suprà n. 20. rem doctè contemplatus asseruit satis consequenter concessuros Deo has relationes, qui putant has denominationes relatiuas, quæ possunt de nouo aduenire per solam mutationem eius rei, quæ referri dicitur, esse tantùm denominationes extrinsecas ex coëxistentia extremorum, quia nullum est inconueniens Deum ex tēpore denominari ab aliqua forma reali existente in creatura, vt patet in actione creatiua, & in aliis, quæ Deus ad extra operatur. Additq; D. Anselm. in hunc modū dicendi multum propendere, licet illum in fine capitis, vt incertū prætermittat. Hæc dixerim ne videatur alicui sine maturo consilio has relationes prædicamētales iuxta principia quæ amplector Deo concedi, quas illi tribuūt Hurt. sup. sect. 2. §. 19. & Arriag. iam citat. sect. 6. n. 8.

23 Ratione probo, eadem proprietate conuenire Deo relationem diuersitatis respectu creaturæ, & ratione causæ respectu cuiusuis effectus, quā huiusmodi relationes creaturæ cōpetunt. Non alio fundamento dicimus Petrum esse diuersum ab hoc equo, nisi, quia ab illo specie differt, & habet proprietates, & operationes longè ab illo differentes. Sed Deus summè differt à creatura, & habet operationes summè differentes à creatura: ergo est diuersus ab illa. Secūdò: relatio diuersitatis semper est mutua, lumine enim naturæ constat hanc esse legitimā consequentiā: hoc est diuersum ab illo: ergo illud est diuersum ab hoc, sed creatura est diuersa à Deo? ergo Deus est diuersus à creatura. Sic discurro in relationibus secundi generis: hoc principium productiuum referri relatione causæ ad illum effectum sumitur ex eo, quod ab hoc principio processerit actio, ex vi cuius talis effectus fuit productus: sed à Deo processit actio ex vi cuius fuit producta, quælibet creatura: ergo Deus habet relationē causæ respectu cuiusuis creaturæ. Dices relationē diuersitatis non sumi formaliter ex naturarum differentiā, neq; relationem causæ ex actione intercedente inter principium productiuum, & effectum productum, sed ex modo quodam, qui ex his resultat, in entitatibus, quæ sunt capacia illum recipiendi, & cùm omnes creaturæ, sint capaces recipiendi talem modum, fit omnes creaturas specie ab illis differentes recipere modum hunc diuersitatis respectu aliarum, à quibus specie differunt; Deus autem cùm incapax sit recipiendi modum superadditum incapax est habendi relationem diuersitatis, & quamcumque aliam. Contrà: possunt Deus, & creatura existere, & infinitè differre secundum essentiam, quin Deus sit diuersus à creatura: ergo similiter poterunt existere, quin creatura sit diuersa à Deo, & poterunt existere homo, & equus absque vlla relatione diuersitatis, ad quid enim indiget creatura relatione diuersitatis respectu Dei sine qua existit Deus respectu creaturæ, & cur debet esse magis diuersus equus ab homine, quàm Deus à creatura? Dices iterum creaturam habere hanc relationem, quia illius est capax, & Deum illam non habere, quia illius est incapax: Contrà: ego non arguo modò: creatura habet relationem: ergo Deus; sed in hunc modum: Deus non habet relationem diuersitatis cuius tu dicis esse incapacem, respectu creaturæ, etiamsi summè ab illa differat, & nihil in illo desideratur, vt concipiatur longè alius, & infinitè differens à creatura: ergo licet ex prædicato entis creati non repugnet creaturæ relatio diuersitatis, illam non habebit, quia omnino illi erit superflua, poterit enim existere sine illa eodem modo differens à Deo sine diuersitate respectu illius, sicuti Deus differt à creatura sine diuersitate respectu huius. Quod si communi apprehensione dicimus creaturam esse diuersam à Deo eadem dicimus Deum esse diuersum à creatura: ergo concedenda est mutua relatio diuersitatis inter Deum, & creaturam, vel à Deo & à creatura releganda: sed omnes asserunt creaturam dicere diuersitatis relationem respectu Dei: ergo debent concedere Deum dicere relationem diuersitatis respectu creaturæ. 24

Si dicas Deū referri relatione diuersitatis fundamētaliter & per rationē, non vero reali, & formali relatione: Idē dicā ego de creatura respectu Dei, non enim maiorē diuersitatē desiderat creatura respectu Dei, quā Deus respectu creaturę. Rursus relationē hanc respectu Dei nullam dicere imperfectionē cōuincit manifestè Anselmus ratio. Hæc relatio aduenit Deo absq; vlla sui mutatione ex positione termini extrinseci, sicut illiin tēpore extrinsecè aduenit relatio Creatoris, & Domini: ergo nullā imperfectionem dicit in Deo. Relationes has non competere Deo per suammet entitatē sic probo. Quidquid competit Deo per suam entitatem conuenit Deo per aliquid intrinsecum, & etiamsi illi liberè conueniat, & dependenter à connotato extrinseco conuenit ab æterno; sed relationes hæ non conueniunt Deo ab æterno: ergo non illi conueniunt per aliquid intrinsecum. Maior est inconcussa apud omnes Theologos, qui constanter defendunt actum liberum diuinæ voluntatis, & actum scientiæ visionis circa illius obiectum, qui antecedenter potuerunt non esse in Deo; eo ipso quod sint, esse ab æterno, & Deum non posse in tēpore cessare à decreto libero, quod habet, neque in tempore incipere habere aliquod decretum, quod ab æterno non habuit, licet antecedenter potuerit ab æterno non habuisse decretum liberum, quod modò habet, & habuisse, quod modò non habet quia actus diuinæ voluntatis conuenit Deo per suā intrinsecā entitatem, & non per aliquid extrinsecum, per quod formaliter constituatur volens, sicut constituitur efficiens per extrinsecam actionem. Eadem ratione inferunt Theologi scientiam visionis non posse in tempore incipere in Deo, etiāsi connotet obiectum liberè productū, quia Deus cognoscit, non formaliter per extrinsecum obiectum; sed per actum internum intellectus diuini, & nullus actus internus diuini intellectus, aut volūtatis, seu nihil, quod Deo per suāmet conuenit entitatem, potest illi in tēpore, & non ab æterno competere. Relationes has non posse cōpetere Deo ab æterno certum est, quia Deus non potest esse diuersus ab eo, quod non est, vt rectè docuit Anselm prædictis verbis: *Nam ego nec maior, nec minor, &c.* sed creaturæ nō sunt ab æterno: ergo non potest Deus ab æterno ab illis esse diuersus. Consequentia prioris enthymematis facti in hoc argumēto efficax est, quā sic confirmo. Non minùs capax est creatura, quā Deus denominationis extrinsecæ ab aliqua forma extrinseca procedentis: sed Deus potest denominari diuersus, & inæqualis, & relatus relatione causæ à coexistentia ipsius cum termino relationis extrinseco Deo: ergo creatura poterit huiusmodi denominationes accipere ab eodem extrinseco termino, seu à coexistentia ipsius

tia ipsius cum illo, quod dicitur relationis terminus, & hac coëxistentia dici relata secluſa quacumque alia relatione adæquatè intrinſecâ fundamento, ſiue huic ſuperaddita, ſiue cum ipſo adæquatè identificata.

25 Ex his infero omnem relationem, partim eſſe intrinſecam, partim extrinſecam fundamento, relatio enim, vt conſtat ex doctrina tradita, dicit fundamentum, & terminum, & ita ratione fundamenti, quod dicit, ipſi fundamento intrinſeca eſt, nihil enim magis intrinſecum entitati, quàm illius propria entitas; ratione verò termini fundamento eſt extrinſeca, quia terminus ſemper diſtinguitur à fundamento, & illi eſt extrinſecus. Fundandi ratio aliquando fundamento extrinſeca eſt, ſicut actio generatiua principio generanti, quod eſt fundamentum relationis paternitatis, aliquando eſt intrinſeca, ſicuti in relatione identitatis ratio fundandi non diſtinguitur ab ipſo fundamento relationis.

26 Infero ſecundò in creatis rationem Patris prædicamentaliter relati diſtingui inadæquatè à ratione generantis, quia Petrus formaliter vt generans conſtituitur formaliter adæquatè per generationem, quæ reſpicit terminum genitũ, & ratione illius eundem terminum reſpicit hoc concretum *generans* præcisè vt terminum, non vt pertinentem formaliter aliquo modo ad intrinſecum conſtitutiuũ huius cõcreti *generans*, Pater verò, vt pater prædicamentaliter relatus, non ſolùm dicit actionem generatiuam, ſed etiam terminum genitum formaliter, vt conſtitutiuum huius cõcreti *Pater*, reſpectu cuius terminus genitus duo dicit eſſe realiter conſtitutiuum huius concreti *Pater*, & concipi vt terminum paternitatis, per quem formaliter concretum conſtituitur. Hæc dixerim in creatis, in diuinis autem aliter res ſe habent, quia Pater æternus formaliter conſtituitur Pater per generationem actiuam diſtinctam à termino genito, quia in Patre æterno relatio paternitatis eſt quaſi tranſcendentalis adæquatè identificata cum fundamento, & vt fert communis ſententia ipſa paternitas formaliter vt talis eſt conſtitutiua formaliter perſonæ generantis, & cum dicimus Pater æternus generat, illud *generat* conſtitutiuè intelligitur, quia formaliter per generationem conſtituitur in ratione Patris, & in ratione primæ perſonæ, cum verò dicimus in creatis Pater generat, illud *generat* intelligitur elicitiuè, quia generatio non conſtituit principium generans in ratione ſuppoſiti, ſed illud ſupponit, & ab illo tanquam à ſuppoſito procedit generatio, & non tãquam à Patre, quia potius per actionem elicitam à ſuppoſito, quod prius illa ſupponitur, & per terminum illius actionis conſtituitur ſuppoſitum creatum Pater formaliter. Addit Arriag. diſp. 12. Logicæ, ſect. 9. n. 42. probabile eſſe in Patre æterno dari duplicem relationem, quandam tranſcendentalem adæquatè identificatam cum generatione actiua, per quam conſtituitur formaliter; & aliam prædicamentalem partim intrinſecam, & partim extrinſecam deſumptam ab ipſo Patre generante, & relato tranſcendentaliter, & à termino genito.

27 Infero tertiò, per eamdem relationem referri relatiua prædicamentalia, quæ mutuò referuntur, v.g. duo ſimilia, quia relatio cuiuſuis dicit vtrumque extremum, & nihil aliud alicui inhærens: ergo nulla eſt entitas ratione cuius diſtinguatur relatio, quam dicit hoc album ad illud album à relatione, quam dicit illud album ad iſtud. Similiter paternitas dicit ſubſtantiam, quæ generat, ſubſtantiam, quæ eſt genita, & generationem procedentem ab vna ſubſtantia, & ad aliam terminatam, ſed hoc, & nihil aliud dicit filiatio: ergo in nihilo different paternitas, & filiatio: ergo per eamdem relationem, per quam conſtituitur Pater ſubſtantia, quæ generat, conſtituitur filius ſubſtantia, quæ eſt genita. In modo tamen ſignificandi valde diſtinguuntur relationes, quibus diſtincta extrema inter ſe referuntur, relatio enim, qua refertur Petrus ad Ioãnem, dicit entitatem Petri in recto, & in obliquo entitatem Ioannis, relatio verò, qua refertur Ioannes ad Petrum, dicit Ioannem in recto, & Petrum in obliquo, & ita ex modo ſignificandi diſtinguuntur illa, quæ in re ſunt idem, in re enim idem eſt hoc album eſſe ſimile illi albo, & illud eſſe ſimile huic, in modo autem ſignificandi diſtinguuntur. Eadem ratione in re idem eſt Petrum eſſe Patrem Ioannis, & Ioannem eſſe filium Petri, licet in modo ſignificandi diſtinguantur.

28 Obiter etiam nota rationem, propter quam eadem numero relatio aliquando conſtituat extrema relata relatione æquiparantiæ, aliquando relatione diſquiparantiæ, quoties enim ratio fundandi eodem modo afficit vtrumq; extremũ, hæc non ſolum eadem relatione phyſica, ſed relatione eiuſdẽ rationis formaliter attingit extrema, ſicut in relatione ſimilitudinis inter duo alba, cùm verò ratio fundandi diuerſo modo afficit extrema, vt cõtingit in Patre, & filio, quos diuerſimodè reſpicit ratio fundandi, quæ eſt generatio, vnum vt principium, alterum vt terminum, extrema, etſi phycicè eadem relatione referantur formaliter relatione diuerſæ rationis referuntur, & vnum extremum ex vi eiuſdem phyſicæ relationis conſtituitur Pater, & alter Filius, ſicuti per eamdem phyſicam cauſalitatem conſtituitur principium actiuum agens, & paſſiuum paſſum, & terminus productus & receptus.

§. IV.

Argumenta ſoluta.

PRimò obiicitur, ſecundum hanc ſententiam de medio tolli prædicamtum relationis, quiaſi relatio identitatis identificatur cum fundamento, & termino, cum fundamentum, & terminus ſint ſubſtantia, relatio identitatis ad ſubſtãtiæ prædicamentũ pertinebit: ſimiliter ſi relatio æqualitatis non diſtinguitur ab vtroque extremo, extrema ſunt quantitates, & ita relatio æqualitatis ad quantitatem ſpectabit: ergo nulla dabitur relatio, quæ ſpeciale prædicamentum conſtituat. Reſpondeo relationem nunquam eſſe ſubſtantiam, aut quantitatem, aliámve entitatem, quæ tantum ad vnum prædicamentum pertineat, quia relatio identitatis inter Petrum, & Ioannem non tantùm importat vtriuſque ſubſtantiam, ſed etiam durationem, ratione cuius inter ſe coexiſtunt, duratio autem diſtinctum prædicamentum conſtituit à prædicamento ſubſtantiæ. Relatio æqualitatis inter duo quanta præter duas quantitates, & durationes earumdem quantitatum, ratione quarum coëxiſtunt, dicit exenſiones quantitatum, quas aliqui ad qualitatis prædicamentum attinere dicunt, & alij probabilius, qui extentionem à præſentia non diſtinguunt ad prædicamentum *vbi*. Omnes ergo relationes dicunt diuerſas entitates ad diuerſa prædicamenta ſpectantia, quæ formaliter conſiderantur per modum vnius ordinis, & reſpectus, ſub qua conſideratione, & diuerſo modo, quo reſpiciuntur, conſtituunt vnum tertium prædicamentum diſtinctum ab illis, ad quæ entitates, ex quibus conficitur relatio, ſpectabant. Neque ſpeciale eſt in hoc prædicamento conſtitui ratione diuerſi modi concipiendi eaſdem entitates ſub diuerſis prædicamentis, quia actio, & paſſio ſunt eadem impartibilis entitas phyſicè loquendo, & tamen ex diuerſo modo quo conſiderantur ſub diuerſis collocantur prædicamentis. Similiter duratio ſupra entitates vagantes per omnia prædicamenta, tantùm addit connotationem quandam ad motum realem, vel poſſibilem, per quem tempus conſtituitur, ratione cuius connotationis, prædicamẽtum ſpeciale conſtituit: ergo ratione ſimilis connotationis, quam dicit entitas relata, & ratione vnitatis, & ordinis, quæ conſideratur in rebus diſtinctis ad diuerſa prædicamenta, poteſt conſtituere ſpeciale prædicamentum, etiamſi ex ſe connotatione ſecluſa ad vnum, vel plura, ex reliquis prædicamentis ſpectet.

30 Inſtat Noſter Albertinus in prædic. *ad aliquid* quæſt. 6. concluſ. 1. Si relatio nihil dicit præter fundamentum, & terminum, ſequitur nihil eſſe reſpectiuum in hoc prædicamento, quia fundamentum ex ſe, album, v.g. antequam adueniat terminus, abſolutum eſt, terminus adueniens, aliud videlicet album, eiuſdem rationis eſt cum fundamento præexiſtente: ergo ſimiliter eſt abſolutum: ergo ſi nulla alia aſſurgit entitas aliquo modo diſtincta à fundamento, & termino, nihil datur in relatione ſimilitudinis præter duas entitates omnino abſolutas: ergo nihil reſpectiuum inuenitur in hoc prædicamento, & quod verè ſit ad aliquid. Reſpondeo verum eſſe in relatione prædicamentali nihil reperiri, quod realiter, & intrinſecè ſit reſpectiuum prædicamentaliter ſecundum ſe, ſed ad ſummum tranſcendentaliter, ſed tantũ dicere aggregatũ quoddam entitatũ abſolutarum, quod reale eſt, & quatenus per modum vnius ſignificatur, concipitur à nobis vt reſpectiuũ, & ideo dicimus relationes prædicamentales eſſe reales, licet realiter non dentur eodem modo, quo concipiuntur, per modum vnius reſpectus inter vtrumque terminum.

31 Obiicies ſecundò, Sequi ex hac doctrina relationem non eſſe vnum per ſe, ſed vnũ per accidens, & ita non poſſe ſpeciale prædicamentum conſtituere Reſp. relationem

eſſe

esse vnum per accidens vnitate physica, non tamen vnitate Logicâ, quia etsi physicè relatio plures entitates importet, logicè hæ omnes entitates considerantur per modum vnius simplicis entitatis, & hac ratione consideratæ possunt constituere prædicamentum distinctum à reliquis ad quæ pertinent entitates, ex quibus relatio consurgit. Instabis similè vnitatem posse considerari in pluribus aliis aggregatis, in musica, vel exercitu, quæ ratione talis vnitatis possent alia prædicamenta constituere. Resp. non esse tantũ fundamẽtum, quantũ est in aggregato, cui tribuitur relationis vnitas, in aliis aggregatis, vt vnitas logica illis concedatur, ratione cuius specialia instituant prædicamẽta, quia in relatione plures iudicant reperiri vnitatem quãdam physicam, quod etsi verum non sit in mea sententia, arguit maximum fundamentum ad vnitatem logicam concipiendam. Addo omnes vnitates, quas in aliis aggregatis possumus considerare ad relationem reduci, vnitas enim exercitus consistit in certa approximatione, & distantia, & ordine rerum, ex quibus exercitus componitur. Similiter vnitas musicæ consistit in quadam consonantia, & proportione vocum, quæ omnia ad relationem reducuntur, vel formaliter consistunt in relatione æqualitatis, & inæqualitatis, similitudinis, & dissimilitudinis, approximationis, & distantiæ. Vltimò dico idem argumentum fieri posse contra prædicamentum *habere*, quod consistit in quodam rerum aggregato, quarum extrinseca, seu logica vnitate voluit Aristoteles speciale prædicamentum constrUi, non metaphysicâ aliqua ratione ductus, sed ptudenti quadam conuenientia, quæ mensuram habet nimis latam, iuxta quam plura, vel pauciora potuerunt ab Aristotele assignari, vt sæpe monui.

32 Obiicies tertiò: Relatio dicit fundamentum, & terminum, & rationem fundandi: ergo deficiente quolibet horum deficit relatio: ergo transacto primo instanti generationis non manet relatio, siquidem non manet ratio fundandi illam, cum qua inadæquatè identificatur. Idem ârgumentum fieri potest, etiamsi admittatur relatio superaddita, quia relatio durat toto tempore, quo durat substantia genita, & substantia generans: ergo durat relatio sine ratione fundandi, à qua necessariò dependere debet. Resp. in primo instanti generationis paternitatem physicè, & realiter existere secundum se totam, in reliquis autem isto transacto paternitatem esse denominationem quamdam moralem moraliter existentem, ex vi cuius substantia, quæ genuit dicitur pater, sicuti dicitur peccator homo, qui peccauit transactâ iam actione peccaminosâ, & dicitur fur, qui furatus est etiam transacto furto, præcipuè cùm loco actionis generatiuæ, Deus aliã substituat, quã terminũ genitũ conseruet, & quæ vices gerat generationis iã transactę, loco cuius subrogatur. Laxiùs etiã transactâ substantiâ, quæ genuit solemus substantiam genitam dicere esse filiũ. Sic Petrum appellamus filium Ioannis iã emortui, & econtra solemus vocare Francisc. Patrẽ Ioannis, qui non est, sed fuit sed loquutiones hæ non sunt Philosophicæ, homo enim, qui non est simpliciter, non potest esse talis, neque Pater, aut Filius dici, vbi autem non est filius, non est cuius sit pater, & ita, neque pater potest esse, aut è contra.

Punctum V.

An relatio terminetur ad absolutum, vel ad respectiuum.

1 IN nostra sententia, quæ relationes prædicamentales cõstituit in aggregato entitatum, quæ in se sunt absolutæ, quæstio terminis euolutis locum non habet, quia cum in re nihil detur intrinsecè respectiuum, neque ex parte obiecti cogniti detur aliqua formalitas, quæ in se intrinsecè sit respectus, non potest secundum hanc sententiam dari terminus respectus, qui non est. Secundò relatio in hac sententia formaliter inuoluit, id quod fundamentum, & quod relationis dicimus esse terminum: ergo nihil habet ad quod referatur, si terminus, qui se tenet ex parte constitutiui relationis ad se ipsum referendus non est. Sit ergo ratum secundum nostram sententiam propriè non dari terminum, neque terminationem relationis; quam non constituimus in respectu aliquo adæquatè distincto à termino respiciendo. Ex modo nostro concipiendi, quo per modum respectus apprehendimus aggregatum rerum absolutum terminum apprehendimus actu terminantem non vt respectiuum; sed vt absolutum, quia ex parte termini relationis quam dicit hoc album ad illud, non apprehendimus vtrũque album, sed illud cui dicimus hoc esse simile, sicuti ex parte fundamenti nudam entitatem absolutam apprehendimus, cui relationem superuenire concipimus. In sententia aliorum, qui relationes superadditas concedũt, quid alij senserint, & quid sentiendum sit meum explicare non erat, cui sat est iuxta propria principia propriamque sententiam rem componere, verumtamen ad pleniorem huius rei notitiam rem breuiter tractabo.

Mens fuit Caietani 1.p.q.13.a.7. omne relatiuum, etiam 3
non mutuum ad relatiuum terminari, cumque in non mutuis, ex parte termini nullam relationem inueniat, ratione cuius terminus aliûs extremi relationem excipiat, asserit ipsam relationem tenentem se ex parte fundamenti, & quæ in se terminatur, esse rationem tenentem se ex parte termini, ratione cuius eadem met relatio terminatur. Sententiam hanc facili negatio ferè omnes reiiciunt, quia nihil potest ad se ipsum referri, neque esse rationem terminandi se ipsum: ergo relatio tenens se ex parte fundamenti non potest se ipsam respicere, vt tenentem se ex parte termini, neq; esse rationem se ipsam terminandi. Secundò: Fundamentũ & terminus supponuntur ad relationẽ, & ex illis consurgit in opinione, in qua procedit quæstio: ergo relatio non se tenet ex parte termini, aliàs eadem ad se ipsam supponeretur, & esset se ipsa prior, quia in illo priori, in quo terminus præcedit relationem intelligeretur ipsa relatio, quæ est posterior termino: ergo relatio esset seipsa prior & posterior.

Asserunt aliqui terminum formalem relationis non mu- 3
tuæ esse relationem rationis tenentem se ex parte termini qui relationem non fundat. Subsistere nequit hic dicendi modus, quia relatio realis non mutua independenter à fictione nostra habet suũ esse: ergo independenter à fictione nostra suum terminum respicit: ergo etiamsi nulla intercedat fictio terminatur, & est id, per quod terminatur: ergo non terminatur per ens rationis tenens se ex parte termini realis materialis, cùm ens rationis, fictione seclusâ existere nequeat.

P. Fonsec. lib. 5. Metaph. c. 15. q. 5. sect. 4. nonnihil præce- 4
dentem sententiam attemperauit, & docuit terminum relationis non mutuæ esse relationem rationis, non secundum existentiam actualem obiecti, quæ tunc est quando ab intellectu concipitur, sed secundum conuenientiam, eo modo, quo homo est animal rationale, etiam si non existat. Sententiã hanc solidè impugnat N. Soar. sect. 17. n. 11. Quia quod hoc modo alicui conuenit, non conuenit actu, sed tantum in potentia, cùm enim de homine non existente dicimus esse animal, illud esse non est actuale physicum; sed tantùm obiectiuum, & possibile, importans necessariã connexionem prædicati cum subiecto; quæ connexio tantũ dicit hominem non posse non esse animal, ex suppositione quod existat, seu futurum esse animal si existat. Rursus modus ille conueniendi per connexionem necessariam reperiri nequit inter prædicata accidentalia, sed tantùm inter essentialia identificata cum physica rei entitate, quam existere repugnat sine prædicatis, quæ hac illi ratione conueniunt. Sed vt benè arguit Soar. ex ipso Fonsec. relatio rationis accidentaliter conuenit Deo, & cuicumque termino, qui relatione non mutua tangitur: ergo relatio rationis non potest tali termino prædicta ratione conuenire.

Noster Albert. suprà q. 9. n. 6. aliter Fonsecæ sententiam 5
interpretatur, quam ipse amplectitur. Asserit mentem huius Doctoris esse terminum in se absolutum terminare relationem immediatè quatenus capax est fundandi relationem rationis à nostro intellectu fictam, cui fundamentum tribuit ad talem relationem fingendam. Hunc dicendi modum non ex Fõsecæ, sed ex aliorum mente refert Soar. suprà, n. 10. quem sic refellit. Entitas, vt proximè potens fundare relationem, & vt præbens fundamentum intellectui, vt illam fingat, antequam illi contingat relatio, adhuc est omnino absoluta: ergo terminum tangi relatione reali quatenus immediatè potest fundare relationem rationis est illam terminare vt in se est absolutus, & non vt respectiuus. Concludetur ex his relationes non mutuas necessariò referri ad absolutum, quia nihil respectiuum reperitur ex parte termini, quod possit relatione tangi, quod possit esse formalis ratio illam terminandi.

Venio iam ad relationes mutuas, in quibus Thomistæ, 6

qui defendunt relationes non mutuas terminari ad respectiuum, idem potiori ratione affirmant de mutuis relationibus. His adde Ferrar. Nimph. Hispal. apud P. Soar. suprà sect. 16. n. 4. qui affirmant relationes mutuas ad respectiuum terminari, etiamsi non mutuæ ad absolutum terminentur. His consentit Rub. c. 7. ad aliquid q. 7. n. 64. Arriag. suprà sect. 11. n. 58. asserit relationem similitudinis huius albi ad respectiuum, quia non tantùm refert parietem, vt similem quia vna similitudo alij similis est. De hoc non contendo cum Arriagâ, quia non ad rem, certum enim est relationem referri ad respectiuum, quatenus relatio comparatur cum alia relatione quæstio est an subiectum media hac relatione respectiuum respiciat, an absolutum, seu an hæc relatio præcisè, vt hoc album alteri albo simile constituat, debet attingere terminum respectiuum independenter ab hoc, quod ipsa similis constituatur.

7 Scotus cum suis Capr. ac Soncin. apud Soar. supra n. 5. asserunt omnes relationes prædicamentales; etiam mutuas referri ad absolutum. Consentiunt Soar. ibid. n. 14. & Hurt. disp. 15. Metaph. sect. 7. Vall. in prædic. ad aliquid, q. 11. c. 9. quibus subscribo: verumtamen, antequam sententiam hanc probem, placet subtilem quandam opinionem nostri Albertini expendere.

8 Docuit Albertinus in Prædic. *ad aliquid*, quæst. 8. relationem posse tripliciter considerari. Primò, vt est aliquis effectus, qui producitur à sua causa, & vt sic, dicit relationem transcendentalem ad suam causam, sicut reliqui. Secundò ait Albertinus posse considerari, vt est ratio, quâ refertur fundamentum absolutum, & specificatiuè relatiuũ ad suum terminum, v. g. quatenus paternitas refert generantem vt generantem formaliter ad esse genitum, in quo casu generans, quamuis sit affectum paternitate non tamen refertur formaliter vt Pater, sed vt generans, stat autem sub paternitate specificatiuè, sicut vnio vnit materiã cum forma, quatenus materia stat sub vnione specificatiuè, non autem reduplicatiuè, quia materia est, quæ vt potentia facit vnum per se cum forma, & non vt vnio, non autem faceret vnum per se nisi esset vnita. Tertiò potest concipi relatio paternitatis, quatenus refert generans, vt vt patrem, formaliter, & reduplicatiuè, in quo casu generans potius se habet quasi materialiter. Concludit ex his relationem consideratam primo, & secundo modo referri ad absolutum, & tertio modo consideratam ad respectiuum referri. Ne subtili sententiæ propriis verbis quidquam detraherem, illam authoris verbis retuli.

9 Mitto relationem primo modo consideratam, quia sub illo respectu ad hanc quæstionem non spectat, & sub illa consideratione vt bene docet Albertinus eadem est ratio de illa, ac de quocumque alio effectu. Secundum, & tertiũ modum in relatione præscindere mihi difficile est. Asserit Albertinus secundo modo relationem esse rationem referendi fundamentum absolutum, & specificatiuè relatiuũ ad suum terminum, in quo casu refert formaliter generans, vt generans, & non vt patrem ad esse genitum, licet stet sub paternitate specificatiuè. Rem examino: Relatio hoc secundo modo ideo potest dici referre fundamentum formaliter, vt patrem, quia non illud afficit, vt præsuppositiuè patrem, ita vt cadat ipsa supra fundamentum constitutum in esse patris. In quo sensu nunquã paternitas refert patrem, vt patrẽ: quia nunquam cadit supra subiectũ constitutum in esse patris, vel dicitur non referre fundamentum vt patrem, sed vt generans, quia non solùm non supponit constitutum in esse patris, sed neque fundamentum, vt affectum relatione hoc secundo modo intelligitur in esse patris formaliter constitutum, & hoc implicat, quia paternitas eo ipso, quod fundamentum afficiat, & illud referat, illud constituit in esse patris, & vt tali ratione relatum est formaliter pater absque vllo alio respectu superaddito, nõ enim potest paternitas non constituere patrem subiectum quod afficit, neque potest illud generans constituere, sed illud, quod inuenit generans, & cui vt generanti accidit constituit formaliter patrem, & illud vt patrem formaliter refert, non præsuppositiuè; sed constitutiuè, quia idem est formaliter paternitatem referre subiectum, quod supponit generans ad substantiam genitam, ac illud formaliter patrem constituere.

10 Ex hoc infero præscindi non posse duplicem illum modum posteriorem assignatum ab Albertino, quo asserit relationem referre suum effectum, quia quod ait de tertio modo paternitatem referre generantem, vt patrem formaliter reduplicatiuè in quo casu generãs potiùs se habet quasi materialiter, semper conuenit paternitati, quæ refert necessariò fundamentum, quod pro materiali supponitur generans, vt constitutum ex vi illius formaliter in esse patris, quia paternitas semper in esse patris constituit, & non in esse generantis, aliàs paternitas esset generatio, neque in alio sensu dici potest paternitatem referre fundamentum, vt patrem formaliter reduplicatiuè, quia paternitas nunquam supponit fundamentum, vt partem formaliter, aliàs paternitas, paternitati accideret, & ante illam pater formaliter intelligeretur; sed illum tantùm supponit vt generans, & constituit per se ipsam formaliter, & reduplicatiuè vt patrem. Exemplum, quod adducit Albertinus de vnione, nõ suam doctrinam, sed meam impugationem stabilit, vnio enim nunquam supponit materiam formaliter vnitam, & semper illam formaliter vt vnitam constituit, & non habet alium modum repiciendi materiã, neque illam ad formam ordinandi: ergo paternitas nunquam supponit fundamentum vt patrem, sed semper illud formaliter vt patrem constituit, & non habet alium modum respiciendi subiectum, neque illud ordinandi ad terminum.

Sto sententiæ, quæ asserit relationem omnem, etiam 11
mutuam, terminari ad absolutum, cuius rationem à priori doctè reddit Soar. suprà sect. 19. num. 18. Id quod in vno principio est ratio fundandi propriàm relationem, est ratio eamdem in altero terminandi. Sed principium propriæ relationis illam fundat secundùm esse absolutum: ergo terminus illam terminat secundùm esse absolutum. Probatur maior. Ratio fundandi est illa, per quam redditur ratio cur hoc fundamentũ referatur ad illũ terminum, & ratio terminandi est illa, per quam redditur ratio cur terminus terminet hãc relationem repectu illius termini, sed eadem ratio redditur propter quam vnum extremum referatur ad alterum, & propter quam alterum terminet eamdem relationem: ergo ratio propter quam vnum extremum fundat relationem, & est eadem cum illa, propter quam extremum alterum eamdem terminet. Minor probatur: inquirenti cur hic paries referatur ad illum relatione similitudinis, dicimus, quia est albus: & inquirẽti cur paries, ille terminet relationẽ huius, nõ respõdemus, quia in se relationẽ habet, seu quia hic habet relationem ad illum, sed quia ille in se est albus: ergo eadem ratio redditur et parte vtriusque extremi, propter quam hoc relationem habeat, & alterum terminet, eamdem: ergo in re est eadem ratio fundandi, & ratio terminandi: sed ratio fundandi est absoluta: ergo & ratio terminandi absoluta est. Idẽ contingit in relationibus secundi generis, in quibus si rogemus cur Petrus fundet relationem paternitatis ad Ioannem, dicemus, quia Petrus Ioannem genuit, & si inquiramus cur Ioannes terminet relationem paternitatis in Petro, dicemus, quia Ioannes fuit à Petro genitus: ergo eadem ratio, quæ in vno est ratio fundandi, in altero est ratio terminãdi.

Secundò probatur eadem conclusio. Relatiua sunt simul 12
natura, & vnum relatiuum non est prius alio, vt docuit Aristot. ergo relationes, ex vi quarum constituuntur mutua relatiua non habent ordinem prioris, & posterioris: si enim relationes talem ordinem haberent, eumdem seruarent relata per illas constituta formaliter vt relata: ergo vna relatio non consurgit ex alia: ergo vna relatio non se habet per modum termini formalis respectu alterius, quia relatio necessariò consurgit ex fundamento, & termino. Confirmatur: Omnis relatio supponit terminum formalem quẽ respicit: ergo si paternitas respicit vt terminum formalẽ filiationem, paternitas supponit filiationem, & est illa posterior, & filiatio prior. Rursus filiatio supponeret paternitatem, & paternitas esset prior filiatione & filiatio posterior: ergo paternitas esset prior, & posterior respectu filiationis, & filiatio prior & posterior respectu paternitatis.

Tertiò in relatiuis non mutuis terminus absolutus est 13
capax terminandi relationem: ergo in mutuis non requiritur ex parte termini relatio ad terminandam relationem aliûs extremi. Communis solutio est disparem esse rationem in relatiuis mutuis, & non mutuis, quia in his nulla inuenitur relatio ex parte termini, ex vi cuius possit terminare; in aliis verò, cùm vtrumque sit relatiuum, vtrumque potest ratione propriæ relationis, relationem aliam terminare. Si argumentum attentè inspiciatur modoà me proposito cõstabit hac solutione illi satisfieri nõ posse. Quia nõ immediatè intẽdo probare ex eo quod nõ detur relatio ex parte termini relationis nõ mutuæ nõ posse dari

ex

ex parte extremi relationis mutuæ, sed tantùm infero: terminus non relatus valet terminare relationem non mutuam:ergo etiamsi terminus relationis mutuæ non mutuò referretur, posset eamdem relationem terminare: ergo non requiritur relatio ex parte extremi mutuò relati ad terminandam relationem: ergo hæc non se tenet ex parte termini :quod enim non requiritur superfluum est ad terminandum, & independenter ab illo fit relationis terminatio.

14 Obiicies primò, ex Caietano: Paternitas Ioannis non terminatur ad Petrum,vt filius est formaliter,sed vt est genitus:ergo prius natura est Ioannis pater,quam habeat filium, quod nemo non ridebit. Consequentia probatur: Petrus prius natura est homo,& est genitus,quàm sit filius: ergo Ioannes prius natura est pater,quàm Petrus sit filius. Respondeo negando quod in primo antecedenti sumitur, & hanc vltimam consequentiam, quæ fiebat in illius confirmationem. Paternitas enim Ioannis relata ad Petrum vt genitum,est posterior Petro vt genito, & Petrus vt genitus est prior paternitate Ioannis à quo genitus est. Si tamen comparetur Ioannes vt pater cum Petro,vt filio,seu paternitas Ioannis cum filiatione Petri, nulla inuenitur prioritas,aut posterioritas inter hæc extrema,quia ex eisdem principiis, & fundamentis oritur paternitas Ioannis, & filiatio Petri absque vlla dependentia paternitatis à filiatione,seu filiationis à paternitate. Ex hac doctrina solutum manet aliud argumentũ, quod pro oppolita sententia peti solet ex simultate relatiuorum,quorum vnum non est prius altero, quæ optimè componitur si respectiuũ terminetur ad absolutum,& componi non posset,si ad respectiuum terminaretur,vt pro nostra sentẽtia suprà arguebam.

15 Secundò obiicies ex P. Rub. n. 65. Oppositio relatiua inuenitur inter relatiua formaliter vt relatiua sunt:ergo mutua relatio includit essentialiter mutuã oppositionem relatiuam:sed mutua oppositio relatiua essentialiter includit vtramque rationem referendi,& terminandi:ergo vtrũque officium exercent relatiua per relationes,& non per fundamenta absoluta. Resp. distinguendo primum antecedens: quodlibet relatiuum formaliter vt relatiuum opponitur cum alio secundùm id,quod dicit absolutum tanquam rationem terminandi, & fundandi propriam relationẽ concedo:Quodlibet relatiuum opponitur cum alio formaliter vt relatiuo subdistinguo : opponitur immediatè cum illo vt relatiuo,quia opponitur cum fundamento, ex quo oritur relatio,concedo:quia immediatè opponitur cum relatione termini formaliter sumpta in se ipsa,nego. Deinde distinguo consequens: ergo mutua relatio includit essentialitar mutuam oppositionem,includit oppositionẽ vtriusque extremi ad aliud modo explicato in antecedentis distinctione, concedo:includit oppositionem vtriusque extremi ad alterum immediatè formaliter vt relatiuum,nego. Postea in minori illa,sed mutua oppositio includit vtramque rationem referendi, & terminandi, distinguenda est dictio *terminandi*; terminandi secundum esse absolutum, concedo:secundùm esse respectiuum,nego : & vltimò neganda est vltima consequentia,qua infertur: ergo vtrumque officium exercent relatiua per relationes, & non per fundamenta.

16 Instat P. Rub. relationes essentialiter sunt rationes referendi : ergo mutuæ relationes mutuò se respiciunt : ergo mutuò se terminant. Concedo primum antecedens,& nego priorem,& posteriorem cõsequentiam,quia relationes non dicuntur mutuæ,quia mutuò respiciantur,neque quia hæc aliam respiciat,sed quia inueniuntur in vtroque extremo,& quid extrinsecum est cuilibet relationi esse mutuam quia illi est extrinsecum dari in termino relationem aliam, quæ huius fundamentum respiciat.

17 Arguitur rursus:Relationes diuinæ referuntur ad respectiuum:ergo relationes creatæ ad respectiuum etiam referentur. Nego consequentiam,& disparitatem reddo. Relationes diuinæ non distinguuntur realiter à fundamento relato,potiùs pater,& filius,qui referuntur formaliter cõstituuntur per ipsas relationes,in creatis autem relatio est superaddita fundamento,& filius creatus, qui producitur, non producitur à substantia generante formaliter vt filius est,sed posteaquam est productus à suo principio,resultat relatio superueniens genito iam in esse geniti constituto. Pater autem æternus producit Verbum formaliter vt filiũ, cui Verbo non accidit relatio filiationis postquam est genitum,sed potiùs per ipsam generationem passiuam constituitur in esse filij,& non est prius esse genitum, quàm esse filium aliqua prioritate reali originis, imo in multorũ sententia adhuc formaliter per intellectum distingui non possunt in Verbo passiua generatio,& filiatio eiusdem Verbi.

Vltimò obiicitur Arist. c. 7. de relatione vbi asserit,quod 18
si à seruo auferantur omnia alia,relicto autem quod seruus sit,ad illum domini relationem esse terminandam,& hanc relationem non posse subsistere, etsi reliqua omnia remaneant,si à seruo auferatur hoc,quod est esse seruũ. Ex quo inferunt authores oppositæ sententiæ totam rationem terminandi relationem quam dicit dominus ad seruum esse seruitutem. Resp. hoc non inferri ex Aristotelis doctrina, quia cum dixit relicto in seruo hoc,quod est esse seruũ,reliquis omnibus circumscriptis ad illum esse relationẽ terminandam,non dixit relinquendam esse solam seruitutem, sed seruum in concreto, quod dicit seruitutem, & subiectum absolutum talis seruitutis,quod sufficiens est ad relationem terminandam, dixit autem Aristoteles seruum esse relinquendum, quod dicit subiectum, & seruitutem, etiamsi hæc non terminet relationem domini, quia illum infert eo modo, quo vnum relatiuum infertur ex alio, & valet consequentia,est dominus:ergo est seruus, & è contra. Similiter cùm dixit reliquis omnibus circunscriptis ex eo,quod maneat hoc,quod est esse seruum,manere terminum relationis,non dixit solam seruitutem esse permãsuram,sed seruitutem,& subiectum,hoc vt terminumm relationis,illam tanquam quid,ex quo hæc infertur.

Punctum VI.

Nonnulla expediuntur de relatione.

PRimò inquiri potest quot sunt species relationis : videtur enim in nostra sententia tot esse quot sunt res, quia si relatio identitatis, nihil aliud est præter extrema, relatio identitatis inter duos homines erit diuersa in specie à relatione identitatis inter duos equos, & relatio diuersitatis inter hominem, & leonem erit specie diuersa à relatione diuersitatis inter equum, & canem. Respondeo absque vllo inconuenienti posse totum hoc admitti, nihilominus distinctione esse vtendum, si enim sermo sit de relationibus materialiter sumptis rectè probat ratio facta; si verò de specie logica, prædictæ relationes specie non differunt, quia etsi sint res materialiter differentes considerantur omnes sub eadem ratione, vt patet in numero, qui non distinguitur ab vnitatibus, neque hæ ab entitatibus, & tamen eiusdem speciei est quaternarius numerus hominum,& numerus quaternarius equorum. 1

Secundo inquiritur,an tertium genus relationis ab Aristotele assignatum pertineat ad hoc prædicamentum. Resp. negatiuè, quia scientia,& alia relatiua, quæ ad hoc genus spectant per se ipsa referuntur, ac proinde relatio est illis intrinseca, & cum ipsis fundamentis identificata, quod proprium est relationis transcendentalis distinctæ à prædicamentali. Neque potest dici ex scientia, & obiecto resultare aliam relationem prædicamentalem, quia nullum est fundamentum, quod moueat ad talem relationem admittendam, & quia scientia non exigit obiecti existentiam, sed potest circa illud tendere vt existens etiamsi sit purè possibile, vel chimæricum, ex obiecto autem non existente, & actu scientiæ nulla potest prædicamentalis relatio assurgere. Posset dici relationem hanc consurgere ex scientia, & obiecto, quando hoc est existens, secus quando non est existens, sed hoc fundamento caret, quia nihil apparet in scientia, ratione cuius possit constituere relationem cum obiecto quando est existens, quam non constituat cum illo non existente, cum ipsa ex se non illud exigat existens, & eodem modo se habeat respectu illius existentis,& non existentis. 2

Tertiò inquiritur, quid sibi velit illud axioma *Ad relationem non datur per se motus.* Respondeo in nostra sententia apertam habere explicationem,quia cùm dicamus relationem non esse aliquid distinctum à fundamento, & termino,nulla est ratio peculiaris,penquã ipsa producatur; ac proinde non datur motus ad illam, quia omnis motus includit intrinsecè actionem. In opinione, quæ relationes superadditas admittit,solet explicari de motu sensibilis, qui per sensus percipi possit qualis est motus progressiuus,motus alterationis secundũ primas qualitates,& 3

motus

motus accretionis quantitatiuæ. Posset etiam dici non dari pe se motum ad relationem, quia etsi relatio realiter producatur, non primariò, & per se intenditur à natura: Pater enim, qui producit filium non intendit proudcere paternitatem, au filiationem, sed substantiam genitam, quâ producta resultat relatio paternitatis in substantia generante, & filiationis in substantia genita.

4 Quartò inquiritur, an relationes suscipiant magis & minus. Respondeo relationes identitatis, & diuersitatis, æqualitatis, & omnes relationes secundi generis non suscipere magis, & minus, quia esse eiusdem speciei, vel diuersæ, esse æquale, & esse partem huius, & filium illius in indiuisibili consistunt. De relatione inæqualitatis mihi certum est posse suscipere magis & minus, quia magis inæqualis est palmus vlnæ, quàm semivlnæ: inæqualitas enim consistit in excessu secundum extensionem, & maior est excessus vlnæ, quàm semivlnæ respectu palmi. De relatione similitudinis poterat esse nonnulla difficultas, nihilominus facilè potest tota componi. Qui tantum censent esse similia illa, quæ eodem indiuisibili gradu qualitatis gaudent verbi gratia, duo alba vt quatuor, vel duo nigra vt tria, tenentur dicere similitudinem, non suscipere magis & minus, eadem enim ratione de similitudine, ac de æqualitate philosophari tenentur. Dissimilitudo, quæ huic opponitur magis, & minus sucipit, in hunc sensum, magis enim dissimile est album vt duo, albo vt octo, quàm albo vt quatuor. Qui ad similitudinem tantùm requirunt conuenientiam qualitatum secundum speciem, possunt dicere maiorem, vel minorem conuenientiam in gradu, ad similitudinem non spectare, sed tantùm dicere, æqualitatem in qualitate, vel possunt dicere augeri similitudinem, quo magis accedunt ad eamdem intensionem qualitatis, & hic est modus vulgaris loquendi, quo magis similia vocamus duo alba vt sex, quàm album vt duo, & album vt sex. Iuxta hunc dicendi modum dissimilitudo magis, & minus non recipit, quia tantùm reperitur inter extrema, quæ habent qualitates specie distinctas.

5 Vltimò inquiritur, an possit dari conceptus communis omnibus relationibus. Respondeo affirmatiuè, quod probo ex huius prædicamenti constitutione, & definitione relationis, & diuersitate specierum, quæ in ipsis relationibus reperitur. Ratio dubitandi, quæ in oppositum adducitur, hæc est. Relatiua definiuntur cuius esse est aliud: ergo ex parte relatiui intelliguntur omnia relatiua: ergo vt terminentur ad aliud, debent tantùm terminari ad ea, quæ relatiua non sunt, si enim terminentur ad relatiua non erit terminatio ad aliud, sed ad idem. Multa communiter congerunt authores, vt huic argumento satisfaciant, à quibus abstineo, quia doctrinæ nihil, & fastidij plurimum afferrent. Respondeo breuiter ly *ad aliud* intelligendum esse per distributionem accommodam, non enim omnia relatiua collectiuè sumpta terminanda sunt ad aliud adæquatè ab illis distinctum collectiuè sumptis; sed omnia distributiuè sumpta ad aliud distinctum à quolibet illorum seorsim sumpto, seu distincto à proprio correlatiuo, eodem enim modo, quo in particulari relata ad aliud terminantur, eodem modo de relatiuo in communi intelligendum est illud ad aliud. Neque necessum est relatiuum terminari ad aliud materialiter adæquatè distinctum à ratione communi relatiui, sed formaliter, quia hoc modo nunquam idem respicit se ipsum secundum eandem rationem, quapropter cùm dicimus relatiuum esse ad aliud, relatiua mutua bis in illo complexo collocamus, semel in recto ex parte huius concreti *relatiuum*, & iterum in obliquo ex parte extremi *ad aliud* quatenus sunt termini non ipsorum secundum eamdem rationem, sed quodlibet sui correlatiui. Sic causa definitur à pluribus, *principium influens in aliud*, in qua definitione ex parte principij in recto omnes causæ constituuntur, & tamen illud aliud includit causas creatas, in quas causam aliquam influere necessum est. Vltimò aduerto in nostra sententia adhuc non indigeri his solutionibus, quia cùm relatio prædicamentalis in particulari non sit propriè ad aliud, sed quædam collectio entitatum, relatio in communi ad aliud non erit; sed tantùm dicet ratio illa communis omnes entitatum collectiones confusè cognitas, vt tamen definitionem communem relatiuorum vtcumque teneamus opportet solutionem prædictam tradidisse.

CONTROVERSIA X.

De quarto membro diuidente quatenus dicit relationem transcendentalem.

RELATIO transcendentalis affinis est valdè relationi prædicamentali, ideo ad hunc locum explicandam remisi naturam relationis transcendentalis, de qua agere proprium est Metaphysici, est enim affectio entis vniuersalissimè sumpti. Explicabo in hac Controuersia naturam huius relationis, & quibus entitatibus conueniat definiam, vbi multa de connexione, & relatione causarum cum effectibus, & effectuum cum causis.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit relatio transcendentalis, & quomodo differat à prædicamentali.

EXplicata natura relationis in communi, si modò differentiam explicemus relationis transcendentalis vt distinctæ à prædicamentali, facile erit relationem transcendentalem definire. 1

Nonnulli apud P. Soar. disp. 47. Metaph. sect. 4. existimãt 2 relationem transcendentalem à prædicamentali differre ex eo; quod prædicamentalis petat necessariò terminum realiter existentem, & transcendentalis ferri possit in terminum purè possibilem. Differentiam efficaciter impugnat P. Soar. & cum eo Hurt. Arriag. & plerique recentiores. Actus intentionales intuitiui in communi sententia, vnio extremorum, actio, ex vi cuius terminus producitur, in omnium sententia non possunt existere non existente actu termino, ad quem transcendentaliter referuntur seu cuius sunt relationes transcendentales: ergo de ratione relationis transcendentalis non est posse existere sine termino. Dices has relationes transcendentales non exigere terminum præcisè, quia sunt relationes transcendentales, sed quia sunt tales relationes. Contrà: eo ipso quod de relatione transcendentali in communi sit non exigere terminum, debet hæc ratio reperiri in qualibet relatione specialiter sumpta, quia quidquid est de essentia generis, est de essentia speciei, & differentia contrahens genus, & constituens specié non potest genus destruere: ergo si de conceptu relationis transcendentalis in cõmuni est non exhere terminum non poterit dari relatio transcendentalis, quæ terminum actu existentem exigat. Sed dantur plures relationes transcendentales, quæ possunt existere illorum terminis actu non existentibus: ergo de conceptu relationis transcendentalis in communi non est non exigere terminum realiter existentem.

Respondebis de conceptu relationis transcendentalis 3 esse non exigere terminum actu existentẽ ex vi illius conceptus communis, sed esse indifferentem vt ex vi propriæ differentiæ illum exigat, vel non exigat & ita different relatio transcendentalis, & prædicamentalis, quod relationi prædicamentali repugnet præcisè ex eo, quod sit prædicamentalis existere sine termino actu existente, & relationi transcendentali ex hoc conceptu vniuersali relationis trãscendentalis non repugnet existere sine termino existẽte, licet ratione peculiaris differentiæ possit esse relatio transcendentalis, quæ sine termino actu existente existere non valeat. Admitto huiusmodi esse relationem prædicamẽtalem, & transcendentalẽ, verumtamen ex hoc capite, si aliũde differentiam non assignemus inter relationem transcẽdentalem, & prædicamentalem non poterimus vtrumque relationis genus adæquatè distinguere, quia secundum doctrinam traditam valebit consequentia: hæc relatio existit sine termino: ergo est transcendentalis, & non prædicamẽtalis, non tamen poterit inferri: hæc relatio non potest existere sine termino: ergo est prædicamentalis, quia relatio

transcen

transcendentalis ex conceptu communi relationis transcendentalis indifferens est, vt contrahatur per differentiã, quæ non exigat termini existẽtiam, vel per differentiã, cui repugnet existere sine termino, & dãtur relationes trãscendentales, quæ de facto non possunt existere sine termino, in quibus, si aliunde non cognoscatur differẽtia rationalis transcendentalis in cõmuni à prædicamentali, non poterit cognosci, an illa connexio, quã habent cũ termino oriatur ex prædicato speciali talis relationis transcendentalis, vel ex prædicato cõstitutiuo talis relationis prædicamẽtalis, & ita secundũ hanc differentiã non posset impugnari, qui assereret actionem prædicamẽtaliter terminum respicere, & connexionem inter actionem, & terminum oriri ex prædicato constitutiuo relationis prædicamentalis, non verò ex contractiuo talis relationis transcendentalis.

3 Sentiunt alij relationem transcendentalem, & prædicamentalem distingui ex eo, quod subiectum prædicamentaliter relatum secundùm se sumptum possit existere sine prædicamentali relatione, & subiectum relationis transcendentalis non possit existere sine relatione transcendentali. Non acquiesco: quia creatura prædicamentaliter refertur ad Creatorem relatione diuersitatis, sine qua repugnat existere, quia relatio diuersitatis, tantùm dicit duo extrema diuersæ naturæ, quæ necessariò existunt eo ipso, quod existat creatura, quia Deus ad illã supponitur essentialiter existens: ergo datur relatio prædicamentalis, sine qua non potest existere subiectum prædicamentaliter relatum. Si recuses admittere relationem diuersitatis creaturæ ad creatorem idem argumentum conficiam in relatione diuersitatis, quam dicit actio ad principium actiuum sine quo neque de potentia Dei absoluta nequit existere, & consequenter neque sine eo, quod refertur ad illud relatione diuersitatis; quæ tantùm consistit in coëxistentia productionis, & principij productiui, quibus distincta essentialiter prædicata correspondent

4 Meliùs distinguetur relatio prædicamentalis à transcẽdentali ex eo, quod relatio transcendentalis adæquatè idẽtificetur cum subiecto, quod dicitur relatũ, & relatio prædicamentalis ab illo saltem inadæquatè distinguatur. Differentiã hanc inter vtrãque relationẽ in re assignat Hurt. disp. 15. sect. 8. §. 9. vbi dicit discrimen esse clarum inter vtramque relationem, quia relatio prædicamentalis est accidentaria immediato fundamẽto, quod potest à parte rei sine illa existere: si quod autem non potest, oritur aliundè. Impugnaui nuper hunc modum distinguendi relationem prædicamentalem à transcendentali, quia dantur fundamenta relationum prædicamentalium, quæ non possunt existere sine relatione; quod addit, videlicet quod si detur aliquod fundamentum, quod non possit existere sine relatione prædicamentali, hoc aliundè oriri, difficultatem non euacuat, quia sicuti suprà dicebam de connexione relationis cum existentia termini, ad hoc vt cognoscamus hanc connexionem fundamenti cum relatione prædicamentali non oriri ex natura relationis prædicamentalis, debemus aliundè naturam huius relationis agnoscere, ac proinde ex hoc capite non poterit nobis innotescere differentia relationis prædicamentalis à transcendentali. Hæc contra modum loquendi Hurtadi: in re autem ab illo non dissentio, expressè enim ait Hurtad. relationem prædicamentalem, & transcendentalem in eo differre, quod relatio transcendentalis verè à parte rei est idem cum essentia fundamenti, & relatio prædicamentalis est extra essentiam fundamenti. Eandem distinctionem tradit disp. 12. sect. 2. & 3. quam disertè explicuit n. 10. vbi dixit relationem diuersitatis creaturæ à creatore prædicamentalem esse, quia etiamsi non possit à creatura separari præter ipsius entitatem dicit Dei entitatem, ac proinde adæquata est essentialis creaturæ. Verumtamen non sibi constans videtur Arriaga, dum solutionem statim referendam subdit argumento quod iam subiicio.

5 Obiicit sibi Arriag. Relatio paternitatis, etiamsi distingueretur à fundamento, & termino esset transcendentalis, & nihilominus esset essentialis fundamẽto proximo, nempe generationi à qua non posset separari: ergo non est de ratione relationis prædicamentalis non esse essentialem subiecto. Respondent Arriaga, relationem paternitatis in illo casu, vel posse cõparari cum parte, vel cum ipsa generatione: Si comparetur cum homine, qui est pater, talis relatio prædicamentalis erit, quia ab illo potest separari: Si comparetur cum generatione, est transcendentalis, quia ab illa non potest abesse. Idem dicit esse de actione quæ si comparetur cum causa est relatio prædicamentalis, quia ab illa potest abesse: si verò comparetur cum ipsa actione, est relatio transcendentalis. Contra hanc solutionem ad hominem contra Arriagam efficaciter arguo. Relatio similitudinis, quam habet creatura cum Deo prædicamentalis, etiamsi non possit separari à creatura, quia distinguitur saltem inadæquatè ab ipsa creatura, vt expressè tradit Arriaga: ergo relatio paternitatis comparata cum generatione, casu quo esset modus superadditus inseparabilis à generatione esset relatio prædicamentalis, quia talis modus, seu talis relatio adæquatè distingueretur à generatione. Malè ergo, & parum consequenter affirmat Arriaga relationem similitudinis cum Deo inseparabilem à creatura esse prædicamentalem, quia inadæquatè distinguitur à creatura, & relationem paternitatis casu quo esset accidens superadditum non futuram relationem prædicamentalem respectu generationis, à qua adæquatè distingueretur, quia esset inseparabilis à creatura. Debebat ergo respondisse Arriaga consequenter ad sua principia, casu quo relatio esset accidens superadditum, paternitatem futuram relationem prædicamentalem, etiam respectu fundamenti proximi, principij videlicet generatiui, & generationis, quia licet esset inseparabilis à generatione, ab illa distingueretur, opinio enim quæ asserit paternitatem esse accidens distinctum à fundamento, & termino, hoc accidens in quo consistit ratio formalis paternitatis, etiam ab ipsa generatione distinguit, & asserit transacta generatione physicè inhærere principio, quod genuit, & denominatur Pater dum superstes est substantia genita. Illud etiam quod de actione tradit videlicet esse relationem prædicamentalem respectu principij actiui iuxta omnes sententias falsum est, quia sententia, quæ constituit relationem prædicamentalem in accidenti superaddito tale accidens à principio actiuo, actione, & termino distinguit; Qui asserunt relationem inuoluere fundamentum, & terminum nullam prædicamentalem relationem adæquatè identificatam cum simplici entitate, qualis est actio, possunt agnoscere. * Qui verò defendunt relationem adæquatè esse identificatam cum fundamento tantùm requirunt actionem, vt connotatum, ad hoc vt relatio, quæ erat quoad entitatem identificata cum principio actiuo, incipiat esse quoad formalitatem: ergo in principiis nullius sententiæ dici potest actionem esse relationem prædicamentalem respectu principij actiui. Concludo standum esse prædictæ differentiæ, & dicendum relationem transcendentalem à prædicamentali differre ex eo, quod transcendentalis adæquatè identificetur cum fundamento, & prædicamentalis adæquatè, vel inadæquatè, ab illo distinguatur. In opinione verò connotantium, qui defendunt relationem prædicamentalem adæquatè cum fundamento identificari, & tantum indigere cõnotato extrinseco, vt fit quoad formalitatem, & formaliter relatum constituat, distingui debent hæ relationes ex eo, quod prædicamentalis, quæ quoad entitatem est identificata cum fundamento, indgeat connotato extrinseco, vt sit quoad formalitatem; transcendentalis verò eo ipso, quod existat illius subiectum existit necessariò, non solum quoad entitatem, sed etiam quoad formalitatem.

Contra hanc differentiã sic obiiciunt nõnulli: sicut pater- 6
nitas, quæ est prædicamentalis relatio accidit subiecto, & ab illo distinguitur, sic actus sciẽtiæ, qui est relatio trãscendentalis est subiecto accidẽtalis & ab illo distinguitur, & sicuti relatio trãscendentalis nõ distinguitur ab actu sciẽtiæ, ita prædicamẽtalis nõ distinguitur ab ipsa paternitate: ergo siue respectus hi considerẽtur respectu entitatũ, quas metaphysicè constituũt, siue respectu subiectorũ, quæ afficiunt eodem modo se habent: ergo non possunt distingui hi respectus ex eo, quod transcendentalis identificetur cũ subiecto, & prædicamentalis ab illo distinguatur. Resp. duplex posse considerari subiectum relationis, vnum, cui relatio physicè inhæret: aliud quod formaliter constituit relatum, seu quod relatum denominatur, quæ etsi in relationibus prædicamentalibus non distinguantur, si relatio prædicamentalis accidens est superadditum, quia paternitas idem subiectum, quod afficit partem constituit, vel non reperiantur, si relatio à fundamento, & termino, quæ nullum habent commune subiectum, non distinguatur, in relatione transcendentali sæpè vtrumque subiectum reperitur, & vtrumque distinctum. Actus enim scientiæ, qui est prædicamentalis relatio intellectui inhæret tanquam subiecto receptiuo, relatio verò cum

illo

illo identificata non constituit intellectum relatum, sed ipsum actum scientiæ, qui per se ipsum ad obiectum refertur. Hac distinctione præmissa dicendum est relationes has distingui ex diuerso modo, quo se habent respectu subiecti, quod ex vi relationis dicitur relatum, cum quo semper identificatur transcendentalis relatio, & in quo prædicamentalis semper distinguitur, non verò per ordinem ad subiectum inhæsionis, quod non constituitur relatum per relationem transcendentalem, in ordine ad quod rectè probat obiectio vtramque relationem eodem modo distingui, non verò comparatione facta ad subiecta, quæ formaliter relata dicuntur.

7 Discrimen aliud inter vtramque relationem tradit P. Soar. disp. 47. sect. 4. n. 9. ex Caiet. quod etiam adducit & probat N. Albert. de præd. *ad aliquid* q. 5. videlicet relationem prædicamentalem referri ad terminum, vt purè terminum, & relationem transcendentalem non referri ad terminum, vt purè terminum; sed illum respicere sub aliqua determinata ratione vel subiecti, vel obiecti, vel efficientis, aut finis, quod conuenit omnibus relationibus transcendentalibus: actio enim transcendentaliter ad terminum relata illum denominat productum, cognitio suũ terminum formaliter cognitum constituit, & vnio vnitum, quæ omnes denominationes, & relationibus transcendentalibus tribuuntur ex eo præcisè quod illarum subiecta terminent relationes. Relationes verò prædicamentales nullam denominationem tribuũt propriis terminis, paries enim non præcisè ex eo, quod similitudinem terminet dicitur similis; sed ex eo quod illam fundet, neque substãtia genita ex eo præcisè quod terminet relationẽ paternitatis, dicitur filius, neque aliam denominationẽ trahit ex hac terminatione præter denominationem puri termini.

8 Differentiam hanc impugnat Hurt. disp. 15. sect. 8. n. 90. Cognitio respicit suum obiectum, vt purè terminum, & vnio hypostatica attingit Verbum, vt purè terminum, & tamen sunt relationes transcendentales: ergo relatio transcendentalis, sicuti prædicamentalis, terminum vt purè terminum respicit. Respondet satis benè P. Soar. cognitionẽ denominare terminum cognitum, & vnionem suum terminum constituere vnitum, & hac ratione relationes has non respicere terminos, vt purè terminos. Instat Hurt. cognitionem respicere terminum, quem cognitum constituit, & vnionem attingere terminũ, quem formaliter reddit vnitum esse genera respiciendi terminum, vt purè terminum: quia sicuti cognitio constituit terminum cognitũ; ita similitudo constituit suum terminum similem, & sicuti prædicamentalis relatio similitudo physica, ita cognitio, quæ est transcendentalis relatio, & intentionalis similitudo. Resp. ex dictis, similitudinem physicam, quæ est prædimentalis relatio non respicere terminum illum assimilando ex eo præcisè, quod relationem terminet, quia terminus similitudinis ex eo formaliter dicitur similis, quod eamdem quam terminat, vel aliam eiusdem rationis similitudinem fundet, terminus autem cognitionis ex eo præcisè, quod terminet cognitionem, dicitur cognitus, sicuti vnionis terminus, ex eo quod illius terminus sit dicitur vnitus, & sic de omnibus aliis terminis relationum transcendentalium.

9 Contra eamdem distinctionem, quam affirmat numquã potuisse intelligere, obiicit Arriaga disp. 12. Logicæ sect. 4. n. 15. Relatio patris est relatio prædicamentalis, & tamen pater efficit aliquid circa filium: ergo relatio prædicamentalis non respicit terminum, vt purè terminum. Respond. concedendo maiorẽ, & distinguo minorem. Pater, vt pater est, efficit aliquid circa filium, nego minorem; vt principiũ productiuum, concedo minorem, quia nec paternitas, neque pater, vt pater, aliquid efficiunt circa filium, potiùs paternitas, & consequenter pater, vt pater supponunt iam filium productum, qui tamen supponit principiũ productiuum à quo formaliter procedit. Arguit insuper idẽ Arriag. Creatura respicit Deum, vt purè terminum relatione transcendentali: ergo respicere terminum, vt purè terminum quid commune est relationibus prædicamentalibus, & transcendentalibus. Resp. creaturam relatione transcendentali respicere Deum, non vt purè terminum, sed vt principium productiuum à quo habet esse, & à quo essentialiter dependet. Verum est creaturam posse referri ad Deum, vt purè terminum relatione diuersitatis, vel alia relatione distincta à transcendentali, qua per se ipsam refertur, quæ fundetur in ipsa actuali productione, & in ipsa entitate iam producta, sicuti fundatur relatio filiationis in substantia genita, sed huiusmodi relationes non sunt transcendentales, sed prædicamentales.

Leuis quæstiuncula suboritur, quam definiti necesse est ad prædictam differentiam inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem defendendam. Ea est, an si relatio prædicamentalis est modus superadditus à fundamento, & termino distinctus, sit relatio transcendentalis sui ipsius, respectu termini, necne? Negat Hurt. supra §. 93. quia est accidentalis fundamẽto immediato. Non cõuincit ratio, quia non est quæstio an sit transcendentalis respectu subiecti, cui inhæret, iam enim supponimus prædicamentalem esse, sed an ipsa per se ipsam referatur transcendentaliter ad terminum, quem respicit, sicuti cognitio, quæ accidentalis est subiecto inhæsionis per se ipsam transcendentaliter refertur ad obiectum. Arriag. supra citatus numero decimoseptimo asserit certum omnino esse relationes prædicamentales ex suppositione, quod sint accidentia superaddita, per se ipses transcendentaliter referri ad proprium subiectum, & terminum, quia æquè, intrinsecè, essentialiter, & per suam entitatem respicit relatio superaddita subiectum, & terminum, quàm cognitio suum obiectum: ergo sicuti cognitio transcendentaliter refertur ad obiectum, ita relatio transcendentaliter refertur ad obiectum, & ad terminum.

Assentior modo dicendi Arriagæ ex quo hæc oritur difficultas contra differentiam supra assignatam inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem. Relatio superaddita paternitatis si datur per se ipsam refertur ad terminum, cui nullam tribuit denominationem: ergo relatio transcendentalis refertur ad terminum vt purè terminum: ergo non potest stare differentia suprà assignata inter relationem prædicamentalem, & transcendẽtalem. Posses dicere Paternitatem, vt est relatio transcendentalis nõ respicere terminum, vt purè terminum, quia illum respicit vt quid præsuppositum, & prærequisitum in ratione termini ad hoc vt existat subiectum transcendentaliter relatũ per paternitatem vt relationem transcendentalem, videlicet vt existat ipsa prædicamentalis relatio quæ dicitur transcendentaliter relata: Eamdem verò paternitatem, vt prædicamentalem relationem terminum respicere vt purè terminum, quia non illum respicit tanquam quid prærequisitum, vt terminus est, vt existat subiectum, quod prædicamentaliter denominatur relatum, nempe principium genitum, quod existit deficiente termino relationis prædicamẽtalis & deficiente ipsa prædicamẽtali relatione. Secundò posset responderi differentiam supra assignatam tantum intercedere inter relationes purè transcendentales, & prædicamentales vt prædicamentales sunt; illam verò relationem superadditam prædicamentalem respectu obiecti, quod formaliter refert, & transcendentalem respectu sui non esse purè transcendentalem, sed mixtam, & ita habere ex prædicamentali respicere terminum vt purè terminum, & ex transcendentali identificari adæquatè cum subiecto, quod dicitur transcẽdentaliter relatũ. Cũ enim sint diuersa subiecta, quæ constituit prædicamentaliter, & transcendentaliter relata, potest identificari cum subiecto transcẽdentaliter relato, & distingui à subiecto relato prædicamẽtaliter: at verò cùm eumdem terminum prædicamentaliter, & transcendentaliter respiciat, non potest illum vt purè terminum, & non purè terminum respicere. Si prædictæ solutiones non placent facilius liberiusque respondeo has relationes prædicamentales esse fictitias, & prædictam differentiam rectè assignari inter relationes transcendentales & prædicamentales, quas tua fert opinio, illorum enim erit, qui tales relationes prædicamentales, admittunt iuxta sua principia relationem prædicamentalem à transcendentali distinguere, non tuum, qui oppositam defendis sententiam.

11 Assentior modo dicendi Arriagæ ex quo hæc oritur difficultas contra differentiam supra assignatam inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem. Relatio superaddita paternitatis si datur per se ipsam refertur ad terminum, cui nullam tribuit denominationem: ergo relatio transcendentalis refertur ad terminum vt purè terminum: ergo non potest stare differentia suprà assignata inter relationem prædicamentalem, & transcendẽtalem. Posses dicere Paternitatem, vt est relatio transcendentalis nõ respicere terminum, vt purè terminum, quia illum respicit vt quid præsuppositum, & prærequisitum in ratione termini ad hoc vt existat subiectum transcendentaliter relatũ per paternitatem vt relationem transcendentalem, videlicet vt existat ipsa prædicamentalis relatio quæ dicitur transcendentaliter relata: Eamdem verò paternitatem, vt prædicamentalem relationem terminum respicere vt purè terminum, quia non illum respicit tanquam quid prærequisitum, vt terminus est, vt existat subiectum, quod prædicamentaliter denominatur relatum, nempe principium genitum, quod existit deficiente termino relationis prædicamẽtalis & deficiente ipsa prædicamẽtali relatione. Secundò posset responderi differentiam supra assignatam tantum intercedere inter relationes purè transcendentales, & prædicamentales vt prædicamentales sunt; illam verò relationem superadditam prædicamentalem respectu obiecti, quod formaliter refert, & transcendentalem respectu sui non esse purè transcendentalem, sed mixtam, & ita habere ex prædicamentali respicere terminum vt purè terminum, & ex transcendentali identificari adæquatè cum subiecto, quod dicitur transcẽdentaliter relatũ. Cũ enim sint diuersa subiecta, quæ constituit prædicamentaliter, & transcendentaliter relata, potest identificari cum subiecto transcẽdentaliter relato, & distingui à subiecto relato prædicamẽtaliter: at verò cùm eumdem terminum prædicamentaliter, & transcendentaliter respiciat, non potest illum vt purè terminum, & non purè terminum respicere. Si prædictæ solutiones non placent facilius liberiusque respondeo has relationes prædicamentales esse fictitias, & prædictam differentiam rectè assignari inter relationes transcendentales & prædicamentales, quas tua fert opinio, illorum enim erit, qui tales relationes prædicamentales, admittunt iuxta sua principia relationem prædicamentalem à transcendentali distinguere, non tuum, qui oppositam defendis sententiam.

12 Ex his differentiis aliæ minoris notæ oriuntur, videlicet relationem prædicamentalem non esse intentam per se à natura, sed quasi per accidens resultare: transcendentalem verò esse per se intentam, cuius differentiæ in meis principiis optima ratio redditur, cùm enim prædicamentalis relatio consistat in rerum aggregato ad quod nulla actio immediatè terminatur, sed ad singulas entitates, quas in se continet, sic non per se fieri dicitur aut intendi, sed ratione entitatum, quas includit. Alia differentia est quod relatio transcendentalis per omnia prædicamenta vagatur, ideò transcendentalis dicitur, quia

transcendit

transcendit formalitates aliorum prædicamentorum; relatio verò transcendentalis vnum specie prædicamentum constituit.

13 Ex his facilè erit definire relationes transcendentales, seu relatiua transcendentaliter, quæ à relationibus non distinguuntur. *Relatum transcendentaliter est illud, quod respicit aliud non vt purè terminum*, quod importat modum positiuũ respiciendi aliud tanquam effectum, vel tanquam causam, vel tanquam subiectum alius denominationis distinctæ à ratione termini seu terminantis. Alio modo poterunt relatiua transcendentalia definiri: Relatiuum transcendentale est *illud, quod per suammet simplicem entitatem, & essentiam respicit aliud*. Exprimo in definitione entitatem, & essentiam, quia sæpè essentialia vocamus illa, quæ indispensabiliter entitatem comitantur, etiamsi ab illa distinguantur, sic dicere solemus depẽdentiam actualẽ creaturæ à Creatore esse essentialẽ creaturæ, etsi importet actionẽ superadditam distinctam ab effectu, qui essentialiter depẽdere dicitur. Alio modo relatio, seu relatum transcendẽtaliter est illud *cuius simplex essentia nequit concipi sine alio*. Quæ definitio sumitur ex differẽtiis suprà assignatis, eo enim ipso, quod respectus transcendẽtalis sit intrinsecus, & essentialis subiecto, v.g. visioni, aut vnioni, quæ transcendẽtaliter refertur, nequit sine hoc respectu subiectum illud agnosci, cùm verò respectus sine termino nequeat intelligi, fit subiectum relatum transcẽdentaliter cognosci non posse sine termino, ad quẽ refertur. Neque id competit relationi prædicamentali, quia illi nulla simplex essentia conuenit, cum consistat in aggregato fundamẽti, & termini, quod dicit essentiam fundamenti, & essentiam termini à fundamẽto distincti. Desumitur etiam hæc definitio ex doctrina, quam tradit Caiet. 1. p. q. 77. art. 3. vbi dicit terminum relatiui transcendentalis duo habiturum esse. Primum vt non sit intrinsecus rei, hoc est, vt distinguatur à relatione; secundum, vt sit internus definitioni, hoc est vt ingrediatur illius definitionem, ita vt hæc non possit dari, nec entitas quidditatiuè cognosci sine illo.

14 Vltimò aduerto has relationes transcedentales à pluribus non vocari absolutè relationes, sed respectus, quia existimãt nomen relationis tantũ relationibus prædicamẽtalibus, vel quasi prædicamẽtalibus, sicuti sunt diuinę relationes, cõpetere. Ob hãc forsan rationẽ vulgò dicitur relatiua transcẽdentalia esse simpliciter entia absoluta, & ob eandẽ relatiua transcendẽtalia relatiua secũdùm dici forsan non pauci appellãt, quia quod nõ est prædicamẽtaliter relatũ non dicitur habere relationẽ, sed respectũ, quia tantũ prædicamẽtalis relatio nomine relationis absolutè gaudet. Hũc loquẽdi modũ obseruat P. Vall. in paraphrasi tertiæ partis c. ad aliquid, cõnotat. 3. §. *secunda diuisio*. vbi asserit relatiua secũdùm dici non esse relatiua, sed poni in aliis prædicamẽtis, habere tamẽ habitudinẽ quandã ad aliud, & postea subdit relatiua secundùm dici esse illa, quæ dicunt aliquid absolutũ cum relatione adiũcta. Exẽplum adducit in sciẽtia, quæ dicit qualitatẽ quamdã, quæ sibi habet adiunctam relationẽ ad obiectũ scibile. Quibus clarè docet relatiua transcendẽtalia, quæ vocat relatiua secundùm dici non dicere propriè relationẽ ad terminũ, sed habitudinẽ quandã, vbi distinguit habitudẽ seu respectũ à relatione, quia non quicũque respectus, sed tãtũ prædicamẽtalis absolutè relatio dicitur. Desumpsit Vallius hũc loquẽdi modũ ab Scoto, & Antonio Andrea quos ipse refert asserẽtes diuisionẽ in relatiua secundũ esse hoc est prædicamẽtalia, & secũdum dici quibus transcendẽtalia cõprehenduntur quæ per alia prædicamẽta vagantur, non esse diuisionẽ relatiui, sed entis, quia cũ alterum à mẽbris diuidentibus, videlicet relatiua secundũ dici, seu transcẽdentalia, relatiua non dicuntur, quia non ponuntur in speciali hoc prædicamẽto, ratio ab illis abstracta relatiua dici nequit. Eamdẽ doctrinã expresse tradit P. Didac. Ruiz tom. de sciẽtia Dei disp. 5. sect. 2. n. 5. vbi docet tantũ relationes prædicamẽtales, & quasi prædicamẽtales, quales sunt diuinæ relationes simpliciter dici relationes: ibidẽmq; grauiũ Doctorũ auctoritate intẽdit probare scientiã Dei dicere habitudinẽ seu respectũ ad obiectũ primariũ, & non dicere relationẽ ad illud, & tom. de volunt. disp. 5. sect. 4. n. 4. asserit solum relationẽ prædicamentalẽ esse absolutè relationẽ. Ab hac mẽte non alienus videtur fuisse P. Soar. disp. 7. Met sect. 4. vbi differẽtiam assignat inter relationem prædicamentalem, & raro habitudinem transcendentalem relationem, & frequentissimè respectũ transcendentalem appellat. Quæstio hæc tantum est de modo loquendi, explicui naturam relationis prædicamentalis, & transcendentalis respectus, seu habitudinis: an verò hæc transcendẽtalis habitudo dicenda sit relatio transcendentalis, vel tantum transcendentalis respectus, de nomine tantum est quæstio, in qua standum est loquendi modo, quem ex antiquis recepimus, in quo multum defero Nostro Ruisio propter illius eruditionem, & in euoluendis scriptis antiquorum Patrum, & Scholasticorum supra omnes, quos nostra pertulit ætas, diligentiam.

Pvnctvm II.

An respectus transcendentalis possit esse ad ens non possibile.

FErt communis sententia respectum transcendentalem 1
requirere terminum saltem possibilem, ita P. Vasq. & alij plurimi, qui hanc tradunt differentiam inter relationem prædicamantalem, & transcendentalem respectum: quod illa termino existenti gaudeat, hic verò possibilitate termini, quam necessariò exigit sit contenta.

Oppositam sententiam videlicet respectum realem trã- 2
scendentalem posse ferri in terminum non possibilem, seu repugnantem defendunt Doctores non pauci Soncin. 5. Metaph. q. 29. quam tradidit Philosophus 5. Met. text. 20. vbi asserit scientiam ad scibile referri, constat autem scibile sæpè esse ens rationis. Expresse sententiam hanc amplectuntur Greg. in 1. dist. 28. q. 2. Soncin. 5. Metaph. q. 29. P. Soar. disp. 47. Metaph. sect. 4. n. 5. licèt tantùm id tradat de relatione, quæ ad aliud refertur per modum obiecti, P. Didac. Ruiz de scientia disp. 5. sect. 2. n. 13. & sæpè alibi P. Vallius de prædic. relationis c. 3. q. 6. Eam sententiam vt veram supponit P. Albertinus de prædic. ad aliquid q. 5. n. 10. P. Hurt. disp. 14. Physicæ sect. 2. n. 17. vbi hæc habet. *Respondeo primo ad puram chimæram posse esse relationem realis entis transcendentalis.*

Ab hac sententia, quam verbis relatis tradiderat Hurt. 3
verbis discedere voluit disp. 15. Met. sect. 9 § 101. vbi docet ex P. Vasq. omnem relationem transcendentalem requirere terminum posibilem ea ratione qua est terminus, addit §. 103. *Prudens addidi in conclusione, nisi terminus sit possibilis ea ratione qua est terminus*, præuidit enim cognitionem chimæræ transcendentaliter referri ad suum obiectum, quod posibile non est, quam obiectionem sic præoccupat dicendo cognitionem referri ad chimæram vt obiectum, non verò ad illam vt posibilem, ac proinde asserit terminum relationis, quam dicit cognitio posibilẽ esse ea ratione, quæ est terminus non verò posibilẽ esse in ordine ad existendum. Hurtadum in sua sententia premo, & ad meam vel inuitum traho. Cognitio refertur ad chimæram secundũ id quod ex parte Chimæræ terminat cognitionẽ, sed id quod ex parte Chimæræ terminat cognitionem est posibilitas, & existentia ipsius chimæræ, quia ego apprehendo chimærã posibilem esse, & actu existere: ergo refertur ad illam vt posibilẽ. & vt existentem. Posibilitas, & existentia chimæræ, est purum figmentum: ergo relatio transcendentalis, quam dicit cognitio respicit tanquã terminum formalitatẽ quamdam, quæ est purum figmentum. Si dicas cognitionẽ referri ad posibilitatem, & existentiã chimæræ, quæ in ordine ad se repugnant, & sunt posibiles in ordine ad terminandam relationẽ transcendentalẽ solutionem admittam, quia non est dicere chimærã esse posibilem sub aliqua ratione, quæ se teneat ex parte ipsius, neque posibilem esse formalitatem ad quam terminetur relatio transcendentalis, quam dicit cognitio, sed tantùm dicitur formalitatem, quæ in se posibilis non est, posse terminare relationem realem transcendẽtalem, quod tantùm intendunt authores asserentes respectum realem transcendentalem posse terminari ad obiectum in se repugnans.

Secundò contra Hurtadum arguo, & probo respe- 4
ctum realem transcendentalem posse respicere terminum, qui in se repugnet. Chimæra, quæ est imposibilis in ordine ad se, posibilis est in ratione obiecti, & in ratione termini relationis, quam dicit cognitio ad suum obiectum: ergo etiamsi entitas sit imposibilis in ordine ad se, poterit esse posibilis in ordine ad terminandum quemcumque transcendentalem respectum. Si neges cognitionem referri ad obiectum, dicito, quidnam sit in cognitione esse cognitionem huius obiecti, & non illius, non

posse ipsam cognitionem intuitiuè, & expresse cognosci non cognito illius obiecto : repræsentare formaliter hoc obiectum,& non illud:hoc tantum est intrinsecum cognitioni, & est ad aliud : ergo est respectus transcendentalis. Similis huic respectus est, qui reperitur in virtute productiua ad effectum, quem in se continet, quæ ideo referri dicitur ad effectum,quem potest producere, quia illum in se continet, & diuerso modo se habet respectu illius, ac respectu alius entitatis, ignis enim antecedenter ad omnem productionem est fœcundus ad producendum calorem,& non producendam frigiditatem. Ex quo rectè infertur diuerso modo se habere respectu caloris,quàm respectu frigiditatis, qui diuersus modus se habendi est habitudo quædam,& certus ordo ad calorẽ,quem non habet ignis ad frigiditatem,cúmque ordo iste intrinsecus sit, & identificetur cũ igne,seu virtute productiua cuiusmis causæ,transcendentalis respectus dicitur. Eodem ergo modo dicetur cognitio hircocerui intrinsecum respectum dicere ad hircoceruum, quia speciali modo se habet respectu Hircocerui,quo non se habet respectu Hippocentauri, cũ sit repræsentatio hircocerui &non Hippocentauri.Vrgeo: Siue cognitio dicat relationem transcendentalẽ,siue illam non dicat ad chimæram cuius est repræsentatio, chimæra non existens, & repugnans terminat cognitionem:ergo sicuti id quod in se non existit,& repugnat, potest esse terminus cognitionis, potest etiam esse terminus relationis. Vnde ergo existentiam,& possibilitatem ad terminandam relationem desideras,quam non exposcis ad terminandam cognitionem ? fortius eadem conclusio probanda esset,ex eo quod quælibet virtus productiua creata existit independenter ab existentia,& possibilitate effectus,quem potest producere, & nihilominus retinet ordinem transcendentalem ad talem effectum, ex quo infertur ordinem transcendentalem existere independenter à possibilitate, existentia,seu repugnantia effectus,& consequenter talem ordinem extiturum etiamsi effectus repugnaret. Supersedeo tamen modò ab hac ratione, quia antecedens illud, videlicet virtutem productiuam creatam existere independenter ab existentia,possibilitate, & repugnantia effectus, & adhuc retinere relationem transcendentalem ad illum, longa indiget probatione, quàm vberem, efficacémque præstabo Punct.4. & præcedens conclusio fortius stabilietur. Secundò probabo eodem Punct.4.quod si virtus productiua esset connexa cum possibilitate effectus eamdem connexionem habituram cum existentia eiusdem effectus, inferámque ex eo,quod virtus productiua non sit connexa cum effectu existente, connexionem non habere cum effectu possibili, quæ ratio eamdem vim habet respectu relationis, si enim hæc consequentia est legitima : Virtus productiua non est connexa cum effectu existente : ergo neque cum possibili, eodem modo hæc erit legitima illatio : Relatio transcendentalis non est connexa cum existentia effectus:ergo neque cum possibilitate eiusdem, cũ virtus productiua,& relatio transcendentalis, quam dicit talis virtus eũdem terminum respiciant, & formaliter non distinguantur,relatio enim ideo transcendentalis dicitur, quia est imbibita in ipsis prædicatis, per quæ constituitur entitas, quæ dicitur transcendentaliter relata, quod est transcendere rei essentiam. Vim illationis ostendam Puncto citato,ex qua firmius stabilietur nostra cõclusio,quam placuit in hoc Puncto præmittere grauium Doctorum authoritate firmatam,ne quis existimaret absurdam esse sententiam, quæ cogeret nos asserere, posse dari respectum transcendentalem ad terminum non existentem, neque possibilem, & hoc consequens vi illationis extortum admitti, quod tradendum esset independenter ab omni alia conclusione,propter rationes,quibus efficaciter probatur, quibus suffragatur authoritas Doctorum, quos pro hac retuli sententia,quibus non totidem oppones,qui oppositam sententiam propugnent.

5 Dixi sæpè respectum transcendentalem posse ferri in terminũ,qui in se repugnet,seu qui possibilis non sit,quod si aliquando dixi ferri in ens rationis intelligendum est specificatiuè,non reduplicatiuè,& formaliter,hoc est,respectum posse ferri, in formalitatem illam,quæ denominatur ens rationis,independẽter ab eo quod sit ens rationis, seu ens non repugnans. Rem explico:cognosco modò Hircoceruũ,hæc cognitio fertur in prædicata Hircocerui,quæ modo repugnant,in quæ eodem modo ferretur,si talia prædicata non repugnarent, ex eo enim, quod Hircoceruus, qui modo est impossibilis, possibilis fieret,non sequeretur per locum intrinsecum repugnare cognitionem,quam modo habeo de Hircoceruo:ergo hæc cognitio independens est ab eo quod prædicata Hircocerui repugnent, seu sint possibilia:ergo respectu transcendentalis identificatus cũ cognitione eamdẽ independentiam habet:ergo non petit ferri in ens rationis formaliter,sed tantum petit,& intrinsecè habet ferri in hæc prædicata Hircocerui,siue ipsa repugnent,siue sint possibilia,quod est extrinsecum cognitioni,& respectui cum illa identificato,quibus tantum intrinsecè cõpetit ferri in prædicata Hircocerui, quæ modo repugnant,in quæ ferrentur eodem modo,etiam si talia prædicata non repugnarent. Eodem modo de transcendentalibus respectibus,qui modo terminos non repugnantes respiciunt,qui eosdem respicerent etiãsi tales termini repugnarent. Rem explico eodem cognitionis exemplo. Cognosco modo equum cognitione abstractiua,hæc cognitio intrinsecè habet ferri in hoc obiectum,quod modo non repugnat, non tamen intrinsecè habet,neque petit tale obiectum non repugnare, quia si equus, qui modo possibilis est repugnans esset, eamdẽ possem cognitionem habere, quam modo de illo habeo,sic de omnibus respectibus transcendentalibus iudicium fero terminorum,à quibus respectus non alio modo depẽdent in aliquo genere causæ,quia si deficit terminus à quo relatio essentialiter depender in genere causæ efficiẽtis, deficiet necessariò respectus, non præcisè, quia deficit terminus relationis, sed quia deficit principium effectiuũ talis respectus,sic deficeret respectus, quẽ dicit actio ad principiũ effectiuum principio effectiuo deficiente,non quia actio refertur ad principium actiuum, tanquam ad terminum, quia hac relatione secluſa eodem modo deficeret,sed quia actio essentialiter depẽdet à principio actiuo. Sic dicerem de quacumque creatura, quæ repugnaret si per impossibile repugnaret Deus, à quo tanquam à causa prima essentialiter omnis creatura dependet.

Obiicies repugnante termino relationis transcẽdentalis,v.g.repugnante calore,non est calor : ergo non est aliquid,quod possit terminare respectum transcendentalem, quẽ dicit virtus productiua ad calorẽ, tanquam ad terminum : ergo ex eo præcisè quod repugnet calor repugnat respectus transcendentalis ad calorem. Resp. calore non existente, & positiuè repugnantè non esse aliquid physicè existẽs,aut possibile, quod possit terminare respectum virtutis productiuæ,nihilominus ad hunc posse talẽ virtutem terminari calore non existente,& repugnante,quia id quod non existit, & quod repugnat potest terminare respectum virtutis productiuæ,sicuti illud quod non existit, & repugnat potest terminare cognitionem actu existentẽ,ad terminandum enim non requiritur possibilitas, aut existẽtia. Ex hac doctrina ad formam argumenti potest responderi distinguendo illud antecedens : repugnante calore non existit calor physicè, & in se,concedo,terminatiuè nego: sicut posita cognitione existentiæ chimæræ existentia chimæræ, quæ non est physicè,& in se terminatiuè respecta cognitionis:sic non existẽte effectu physicè, & in se posito respectu ad illum potest esse terminatiuè in ordine ad talẽ respectum.Si dicas chimæram,in quam fertur cognitio, esse in cognitione tanquam obiectum in potẽtia,& prototypus in imagine, & repræsentatione, eodẽ modo dicam ego effectum,qui repugnat, terminantẽ respectum, quem dicit ad illum virtus productiua esse in ipsa virtute productiua,tanquam effectus in causa,& terminus in sua relatione. Si roges quidnam esset effectum repugnantem esse in causa, interrogabo ego, quid sit obiectum cognitum esse in cognitione, sicut enim nihil est aliud quàm cognitionẽ hanc esse repræsentationem talis obiecti, & non posse ipsam cognosci non cognito illo obiecto,sic effectum esse in causa nihil aliud est, quam hanc causam habere ex se sufficientem virtutem ad ponendum talem effectum extra causas,& non posse cognosci tali effectu non cognito.

6

PVNCTVM III.

An eadem entitas possit ad se ipsam transcendentaliter referri.

NIhil posse aliquo respectu reali, neque transcendentali,neque prædicamentali ad se ipsum referri,neq; ad relationes, rationis distinctionem sufficere hucvsque 1

authorum consensu stabilitum est. Id expresè docuit P. Soar. in Metaph. disp. 47. sect. 4. n. 4. quod ferè omnes authores supponunt, non tamen olim defecere, qui aliter sentirent asserentes in eo differre relationem transcendẽtalem, & prædicamentalem, quod transcendentalis possit versari inter extrema quæ per rationem tantũ distinguantur. Hos suppresso nomine refert, & impugnat P. Soar. modo citatus, Eamdem opinionem excinerauit modo P. Didac. Ruiz, illámque in lucem dedit t. de scientia dei, disp. 5. sect. 2. vbi defendit cognitionem, & volitionem diuinã transcendentaliter referri ad suũ obiectum, etiam primarium, & argumento petito ex identitate actus cum obiecto respondet relationem transcendentalẽ non requirere termini distinctionem, sicuti non requirit illius existentiã. Refert pro hac sententia quàm plures Scolasticos, in quibus P. Vasq. apud quem nihil frequentius lego, quam Deum esse absolutum ab omni respectu, & relatione, ita non leui fundamento de respectu rationis possumus Ruiz interpretari, quod expressisse videtur n. 5. vbi affirmat esse meram denominationem extrinsecam, & relationem rationis, quidquid Deus habet relationis. Nihilominus huius authoris mens mihi valdè dubia est, quia tota illa sectione, & sæpe alibi respectum transcendentalem tribuit actibus intellectus, & voluntatis Dei ad ipsum Deum vt obiectum, quem respectũ negat aliis prædicatis, quibus relatio rationis facilè posset concedi, & rationes quas Ruisius adducit de respectu reali videtur procedere, id autem quod modò retuli de relatione rationis forsan dictum est, quia relatio transcendentalis vt ait ipse Ruiz ibid. relatio non est, sed respectus, & hac ratione respectus realis transcendentalis, relatio rationis dici poterit, phrasi illorum, qui conceptum illum realem, quem nos relationem transcendentalem vocamus, omnino eumdem admittunt, & illum non relationem; sed respectum volunt appellari.

2 Quidquid sit de mente Ruisij fundamentum, quod adducit nõ est probabilitatis specie destitutũ, ad affirmandum eamdem entitatem posse ad seipsam transcendentaliter referri. Præcipuum, quod adducit hoc est. Relatio transcẽdentalis in eo cõsistit vt res absoluta (intellige à relatione prædicamentali) in genere substantiæ, vel alterius prædicamenti non possit intelligi, nisi rem aliam intelligendo in obliquo, cum qua habet quidditatiuam connexionem quocumque genere causalitatis, aut concatenationis. Quemadmodum materia non potest intelligi nisi in obliquo intelligendo formam, saltem vt possibilem, & potentia non potest intelligi nisi in obliquo intelligẽdo actum cuius est potẽtia. Sed cognitio Dei, qua seipsum cognoscit talis est, vt non possit intelligi nisi intelligendo simul in obliquo Deum, aut creaturas, tanquam obiectum, quod per illã cognoscitur: ergo cognitio Dei dicit respectum transcendentalem ad ipsum Deum. Confirmatur, sicuti quælibet cognitio creata obiecti distincti est cognitio talis obiecti, sic cognitio reflexiua supra seipsam, siue increata, siue creata est cognitio sui ipsius: ergo sicuti cognitio transcendentaliter refertur ad obiectum distinctum, quia est cognitio talis obiecti, sic transcendentaliter refertur ad se ipsam, quia est sui ipsius cognitio, magis enim intrinsecè est cognita cognitio, quæ per se ipsam cognoscitur, quàm obiectum quod extrinsecè denominatur cognitum à cognitione distincta. Vrgeo: Identitas non obstat vt cognitio, saltem diuina sit sui ipsius cognitio, & vt à se ipsa denominetur cognita, sibique præbeat denominationem obiecti, & repræsentati: ergo identitas non obest vt eadem cognitio se ipsam respiciat, quod si dicitur cognitio se ipsam respicere vt obiectum, cum non se respiciat per aliquid superadditum, sed per se ipsam, ipsa cognitio erit respectus sui ipsius ad se ipsam. Discursum tradidisse videtur Angelicus Doctor 1. p. q. 19. art. 3. in corpore his verbis: *Voluntas enim diuina necessariam habet habitudinem ad bonitatem suam, quæ est proprium eius obiectum.* quibus verbis Angelicus Doctor colligere videtur voluntatem diuinam habere habitudinem ad bonitatem Dei, quia hæc est illius obiectũ vnde aduhuc in extremis identificatis, quorum vnum se habet vt actus, & aliud vt obiectum habitudinem infert Angelicus Doctor ex eo quod vnum se habeat vt actus, & aliud vt obiectum.

3 Iuxta doctrinam hanc respectus transcendentalis concedendus esset omni actui intellectus & voluntatis increato, aut creato, qui supra seipsum reflecteret, & esset amor, seu cognitio sui ipsius. Admittendus etiam esset respectus iste in virtute productiua creata ad se ipsam in probabili sententia multorum, qui asserunt posse eamdem entitatem seipsam per secundam actionem producere; quia sicuti cognitio reflexiua supra seipsam est cognitio sui ipsius, ita talis virtus productiua esset virtus productiua sui ipsius, & virtualis continentia eiusdem in seipsa. Potioríque iure dicendum esset talem virtutem non posse intuitiuè cognosci, quin ipsa etiam in obliquo cognosceretur, quatenus in seipsa contenta, & potens produci à seipsa. Addo virtutem in actu secundo seipsam attingere, & producere per causalitatem superadditam respectu cuius eadem entitas munus obit principij, & termini strictè, & rigorosè, quia actio physicè ab hac virtute erit tanquam à principio actiuo, & physicè eã virtutem attingit tanquã proprium terminum, in cognitione verò reflexa cum non seipsam per aliquid superadditum attingat, neque possit attingere, non ita facile potest hic transcendentalis ordo reperiri. Dices sequi ex hac doctrina intellectum creatum dicere transcendentalem ordinem ad se ipsum, quia sicuti potentia illa ad seipsam transcendẽtaliter referretur, quia se ipsam per actionem attingeret. Resp. virtutem productiuam immediatè referri ad effectus, quos in se continet, potentiam autem intentionalem non referri immediatè ad obiecta, sed tantùm ad actus, quorum est productiua, & qui in virtute illius continentur, sed tantum dicitur potentia ad obiecta referri, quia refertur ad actus, qui ad obiecta referuntur.

Arguit P. Soar. vt probet requiri distinctionem realem 4
extremorum ad relationem transcendentalem, quia si distinctio rationis sufficeret identitas posset dici respectus transcendentalis. Resp. identitatem non esse speciale prædicatum in re identificata, neque adhuc posse dici prædicatum transcendens, quia cognoscere identitatem prædicatorum nihil aliud est, quàm cognoscere simplicem entitatẽ, in qua non sunt distincta, illa quæ vt distincta apprehendũtur, & idem est dicere animal, & rationale idẽtificantur, ac dicere animal rationale, quæ vt duo apprehenduntur, duo non sunt, sed vnus simplex homo. Neque ad hũc respectũ quælibet rationis distinctio sufficit, imò actualis rationis distinctio semper impertinẽs est, quid enim potest præstare pura fictio respectui transcendẽtali reali? Sed requiritur quædam formalitas, quæ realiter omni figmẽto secluso supra seipsam reflectat, quod tantũ ait Ruisius cõuenire intellectioni, & volitioni diuinæ, quæ subtilẽ hunc modum reflectendi supra seipsas habent. Neq; fundamento aliquo dici posset animal transcendẽtaliter ad rationale referri, quia hæc prædicta in se, vt absoluta apprehẽduntur, & necessum non est ad hoc vt cognoscatur vnum, alterũ in obliquo cognosci, neq; potest concipi aliquid reale, quod vnũ habeat respectu alterius: quod enim animal se habeat per modum potentiæ, & rationale per modum actus, & quod animal sit contrahibile, & rationale potens contrahere est totũ opus intellectus, quo secluso animal cõtrahibile non est, neque rationale potens contrahere, neque reperiuntur animal, & rationale capacia harum denominationum, quæ tantum illis competunt in statu præcisionis, quæ habent ab intellectu. Cognitio verò secum identificata realiter est cognitio sui ipsius, & seipsam cognoscit, & realiter est cognita, & omni figmento secluso cognitio diuina est cognoscens, est cognitio, & est cognita per suammet entitatem.

Nihilominus standum est communi sententiæ, quæ asse- 5
rit nullum posse ordinem, neque respectum prædicamentalem, aut transcendentalem, aliúsve generis reperiri, qui sit respectus realis, & non purè rationis. Rationem desumo ex definitione respectus transcendentalis, quam ipse Ruisius adducit. Illud dicitur transcendentaliter referri, quod non potest intelligi sine alio: ergo respectus transcendentalis semper est respectu aliũs. Sed demus sufficere ad relationem transcendentalem rem non posse directè cognosci, quin ipsa etiam oblique cognoscatur, ac si esset alia eo modo, quo cognoscimus cognitionem reflectentem supra seipsam, cùm dicicimus: hæc cognitio est cognitio sui ipsius, in qua cognitione terminata ad cognitionem supra seipsam reflexiuam hæc cognitio directè cognoscitur, & quasi iterum reflexiuè, qui duo modi cognoscendi explicantur, cùm dicimus *cognitio sui ipsius*. Primum enim verbum cognitio significat cognitionem illam reflectentem, vt obiectum directum, illud autem *sui ipsius* eamdem cognitionem, vt obiectum obliquum significat. Adhuc admisso sufficere ad respectum transcendentalem entitatem eamdem obliquè cognoscendam esse, ex eo quod

directè cognoscatur,probo neque ex hoc capite posse adhuc in entitatibus huiusmodi reflexiuis hunc respectũ inferri:in cognitione ad seipsam terminata,& cognita per se ipsã esse cognitionẽ,& esse cognitã ex parte ipsius cognitionis formalissimè est idem, quia per eãdem entitatẽ omnino in se indiuisibilẽ,per quam cognitio dicetur talis,per eãdem est cognita,neque minus intrinsecũ est huic cognitioni supra seipsã reflexiuã esse cognitionẽ, quàm esse cognitã:ergo qui huiusmodi entitatem,vt est in se,intuitiuè cognosceret , non alia ratione in illa cognosceret rationẽ cognitionis, quam rationẽ cognitæ:ergo non in recto cognosceret ipsam,vt cognitionẽ,& in obliquo ipsã,vt cognitã,neque cognitio illa intuitiua cognitionis reflectẽtis supra seipsam hãc semel in recto,& quasi iterũ in obliquo eamdẽ attingeret,sicuti significatur his vocibus *cognitio sui ipsius*, sed tunc quod correspõdet tanquam obiectũ significatũ per has voces *cognitio sui ipsius*,nõ sicuti per illas significatur vnũ in recto,& aliud in obliquo;sed vtrũque æquè in recto,& vt omnino indistinctũ,& indiuisibiliter idẽ eodẽ omnino modo sicuti in re se habet,ex vi intuitiuæ cognitionis repræsentaretur. Neq; adhuc in hac cognitione reflectẽte supra se ipsam fundamentũ reperiri potest quod in actione & passione reperitur,vt possit diuerso modo cõcipi cũ diuersis cõnotatis in recto,&in obliquo,quia entitas physica , quæ actio & passio dicitur cõnotat principia realiter distincta in ordine ad quæ dicitur actio,& passio, & ita,adhuc qui intuitiuè cognosceret talem entitatẽ,cognosceret dici actionẽ per ordinẽ ad principiuum actiuũ, & dici passionẽ per ordinẽ ad principium passiuũ, in illa verò cognitione supra se ipsã reflectente intrinsecè per se ipsam quolibet connotato secluso diceretur cognitio , & diceretur cognita absq; vlla distinctione ex parte ipsius,vt cognitionis,& vt cognitæ. Adeò vera est doctrina tradita, vt si cõsideremus cognitionẽ diuinam reflectentẽ non supra aliquod attributũ distinctũ formaliter à cognitione, aut supra essentiã,si hęc ab essẽtia formaliter distinguitur, sed formalissimè supra ipsam rationẽ formalẽ cognitionis, neq; per intellectũ præscindere poterimus in ipsa cognitione rationẽ actus, & rationẽ obiecti, quia nulla formalitas est in ea cognitione formaliter vt cognitio est, quæ nõ sit cognita,& quæ nõ se teneat quasi ex parte obiecti,neq; aliter cognoscitur quàm est,qua ratione asseruit Henr.tract.1. disp.4.c.1. n.6. rationẽ formalẽ cognitionis diumæ, vt cognitæ per se ipsã non habere rationẽ obiecti , quia in tali cognitione reflectẽte supra suãmet formalitatẽ,non potest, neq; per intellectum reperiri duplex ratio,quarum vna habeat formalitatem actus, & altera formalitalem obiecti.

6 Ex doctrina tradita solutio habet fundamentũ quo intẽdebat P. Ruiz probare huiusmodi entitates supra se ipsas reflectẽtes dicere respectum transcendentalẽ ad seipsas, negandũ enim est ex vi cognitionis qua intuitiuè cognoscerentur, cognoscendas esse obliq; vt possint directè cognosci, quod non ita euenturũ iam probaui. Similiter dicendũ est cognitione supra seipsam reflectente non distingui à ratione formali talis cognitionis rationẽ reflexionis, seu illud quod significatur per illa verba *sui ipsius*,quia cùm dicitur huiusmodi cognitionem esse cognitionẽ *sui ipsius* cognoscitur ex vi intuitiuæ cognitionis per modũ vnius simplicissimæ, & impartibilis entitatis, quæ secundum se totam in recto cognoscitur , & nulla ratione in obliquo. Testimonium Angelici Doctoris rem non probat,& extra intentum Doctoris Angelici adducitur, quia sanctus Doctor loco citato tantũ intendebat explicareDeum quædam obiecta amare necessitate antecedenti,alia necessitate ex suppositione, & verba supra citata dixit ad significandum Deum se ipsum amare necessariò necessitate antecedenti, neque legenti articulum D.Thomæ dubitare licebit hanc fuisse illius mentem, & nihil de transcendentalibus respectibus ex prædictis verbis posse deduci.

PVNCTVM IV.

De connexione causæ cum possibilitate effectus.

§. I.

Aliorum sententia.

1 NOn disputo in præsentiarum, an causa transcendentaliter referatur ad effectum;sed an habeat connexionem cum effectu saltem vt possibili , quæ duo realiter distinguuntur vt probabo Punct.6. vbi dicam causam creatam non connexam cum existentia , neque cum possibilitate effectus transcendentaliter referri ad existentiam effectus,quem in se virtualiter continet.

Causam creatam necessariam habere connexionem docet cõmunis sententia. Idem de increata docent Gran.t.1. in 1.p.lib.3.contr.1.tract.6 disp.1.sect.5.n.25.& cõtr.2.tract. 2.disp.3.P.Soar.c.9.n.13.vbi fatetur deficiẽte qualibet creatura possibili Deum defecturum. P.Her. tract. de scientia disp.5. c.4. P.Salas 1.2.tract.2.disp.4 sect.2.n.13. P.Fasol.1.p. q.12. art.18. n.68. consentit P.Didac. Ruiz tom. de Trinit. disp.63. sect.2. concl.4. vbi docet Verbum Dei futurum esse aliud quidditatiuè diuersum à verbo , quod genitum est,si creaturæ fuissent possibiles. 1

Omnipotentiam nullam habere connexionem cũ creaturarũ possibilitate defendunt P. Vasq. t.1. in 1.p. disp.60. c.2.& disp.50.c.4.5.& 6. & latè disp.104. c.6. Basil.Legion. in quodlib.q.8. Scholastica c.5.& relect.5. P.Arrub. t.1. in 1.p. disp.30.disp.99. cap.3.vbi docet oppositum probabiliter dici non posse , & contendit idem docuisse P.Soar. in Metaph. disp.30. sect.15. & 26. & disp.47. sect.15.17. & 18. *quod fundamento non caret.* Idem tenet P.Alarcon tract. de scientia disp.2. c.4. De causis creatis eadem ratione philosophantur,Basil. Legionens. suprà & P.Fons.5. Met.c.15. sect.4. vbi ait maximam Philosophiæ partem sentire scibiliam non referri ad obiectum,neque sensus ad qualitates, neque materiam ad formam essentiali habitudine;sed accidentali , posseque has entitates in alia vita vt in se sunt sine aliquo respectu cognosci,qui omnes consequenter dicent materiam nullam habere connexionem cum forma, quæ ex illa potest educi, omnes enim entitates creatæ relationẽ dicunt ad illas,cum quibus sunt connexæ,& nulla potest quidditatiuè , adhuc in alia vita , cognosci non cognita alia,cum qua,saltem vt possibili, connexionẽ habet necessariam. Consentiunt plures ex politioribus recentibus,& P.Arriag.communis sententiæ propugnator fatetur disp.6.c.3. nulla experientia,neque ratione à priori, aut à posteriori posse impugnari sententiam,quæ huiusmodi cõnexionem, & relationem inter causam & effectum,vt possibilem negat:ex quo infero absque experientia,& sine ratione à priori , aut à posteriori connexionem istam inter causam, & effectum defendi , si enim aliqua esset ad hanc connexionem propugnandam , eadem impugnaretur sententia,quæ hanc negat connexionem. 2

Mediam aliam sententiam meditatus est P.Ripald.t.1.de supernat.disp.32. sect.2. vbi docet omnem creatam potentiam connexionem habere cum possibilitate effectuum, quos potest naturaliter producere , & respectu cuius potentia naturalis dicitur,nullam tamen connexionem habere cum effectibus,quos tantum supernaturaliter alio principio adiuta valet efficere, respectu quorum potentia obedientialis dicitur. Itaque asserit repugnante quacũque naturali cognitione, quam modo intellectus naturaliter potest producere repugnaturum intellectum,nulla tamen cognitione naturali repugnante,etiamsi omnes actus supernaturales fidei, & charitatis aliarúmque virtutum infusarum repugnarent,intellectum,potentiásque, quæ his actibus supernaturalibus modò se exercent easdem omnino absque vlla repugnantia permansuras. Plures pro hac sententia refert,quos omnes abs re adducit. 4

§. II.

Propria sententia.

CEnseo causam increatam , & creatas omnes nullam habere connexionem cum possibilitate alicuius effectus,quem naturaliter, aut supernaturaliter possit producere,sed quocumque effectu repugnante illius virtute productiuam eamdem omnino permansuram, etiamsi talis effectus non repugnaret. Disponat animũ ad assensum huius conclusionis nullam experientiam, aut rationem à priori, aut à posteriori reperiri,quæ oppositam suadeat,& probet dari huiusmodi connexionem inter causam,& possibilitatem effectus , quem in sua virtute continet,quod fatetur Arriag.suprà citatus. Deinde moneo præcisam possibilitatem effectus,seu effectum,qui non existit,possibilem esse, nihil esse physicum in rerum natura actu existens,& dũ effectus possibilis non existit , æquè non esse ac chimæra, quæ intrinsecè repugnat vt probaui Controu. 2. Punct.1. 5

hoc

hoc posito inquiro quo genere dependentiæ possit dependere meus animus rationalis ab intellectione purè possibili, quam nunquam eliciet; imò neque proximè poterit elicere ex defectu comprincipij, speciei videlicet requisitæ ad talem intellectionem, quam nunquam habebit? Dices, intellectum dependere à possibilitate cuiusvis intellectionis tanquam ab effectu, seu tanquam à termino relationis transcendentalis. Sed rursus inquiro, quæ dependẽtia possit esse tanquam ab effectu, seu tanquã à termino à re neq; existente, neque exitura, quomodo virtus physica causæ possit physicè dependere à re, quæ non est, neque erit? Respondebis causam dependere à possibilitate effectus, quæ possibilitas actu est, etiamsi effectus neque existat, neque sit extiturus. Contrà: possibilitas effectus, qui non existit, physicè non est, sed tantùm obiectiuè, quia intrinseca possibilitas, vt dicebam Controu. 2. Punct. 2. ab existentia non distinguitur, & quando existentia actu non est, neque physicè est possibilitas, licet absolutè dicamus ens esse possibile, & dari possibilitatem rei non existentis, quia hoc loquendi modo tantum intendimus significare obiectiuam possibilitatem, seu quod nulla daretur repugnantia, si res existeret, seu quod existeret, si Deus vellet illam producere, quæ omnia non dicunt aliquid, quod physicè sit, sed tãtum quod esset, & modò æquè non est ac non est chimæra: ergo concipi nequit nunc temporis causam dependere ab effectu, qui nunc non est ac non est chimæra, & tantum differt obiectiuè ab hac, quia esset si causæ applicarentur ad illus productionem, seu si Deus vellet illum producere, quod non habet chimæra: ergo sicuti non potest causa dependere à chimæra, quæ non est, ita non potest dependere à re possibili, quæ non est, sed esset, illud enim quod esset si absolutè non est omnino est impertinens ad hoc vt aliquid hìc & nunc existat de facto. Malè ergo absque vrgenti fundamento dicitur causam habere connexionem cum possibilitate effectus, quod est dicere, habere connexionem cum illo, quod esset, & de facto perstatum absolutum in nihilo differt à chimæra.

6 Arguo secundò: Causa non dependet ab existentia effectus: ergo neque à possibilitate effectus. Antecedens admittunt omnes: Consequentiam probo. Possibilitas, & existentia, vt dicebam loco citato sunt omnino idem; ergo si existentia causæ non dependet ab existentia effectus, non dependet à possibilitate eiusdem effectus. Respondebis causam dependere ab existentia, vt possibili non vt existẽti. Contrà: Existentia vt possibilis, & vt existens formalissimè non distinguuntur, neque existentia vt existens addit aliquid supra existentiam, quia existentia est vltimus actus possibilitatis, supra quem non cadit alius actus, quo magis possibilitas reducatur ad actum. Respondebis secundò existentiam, & possibilitatem formaliter esse omnino idẽ, & ab vtraque æquè dependere virtutem causæ, quæ sicuti non requirit existentiam effectus, ita neque possibilitatem illius intrinsecam, quæ physicè sit, sed quæ tantum sit obiectiuè, qua ratione dependet ab existentia, cuius esse obiectiuũ requiritur, vt sit causa, quia tamen existentia tantum obiectiuè existens absolutè quoad nos non dicitur existẽtia, sed possibilitas: ideo dicere solemus causam non depẽdere ab existẽtia effectus, sed ab illius possibilitate, quod est dicere ad existentiã causæ non requiritur quod existat effectus; sed quod existeret, si applicarentur causæ ad illius productionẽ, seu si Deus vellet illum producere. Magni facio hoc argumentũ, cuius difficultas, licet coincidat cum difficultate præcedentis, & in re sit eadem cum illa, tamẽ extorquet id, quod præcedens argumentũ efficaciter propugnat, videlicet causam dependere ab effectu possibili esse dependere ab illo quod non est, sed esset, quæ dependentia æquè concipitur, quia, vt dicebam supra, illud quod est ab illo quod non est nullo modo dependere potest.

7 Instabis. Veritas conditionata dependet ab obiecto quod esset, quo deficiente veritas non existeret, & tamen veritas conditionata actu est: ergo aliquid quod est, dependet ab obiecto, quod non est, sed esset. Resp. veritatem conditionatam, & quamlibet aliam componi ex actu, & obiecto, & ita deficiente obiecto veritatem defecturam, quia deficeret quædam illius pars, videlicet ipsum obiectũ, non quia deficeret aliquid ædæquatè distinctum ab obiecto, quod deficeret ex eo, quod obiectum deficeret. Veritatem componi ex actu & obiecto probaui Controu. 6. de anima Punct. 1. Adhuc instabis: entitas, quæ actu est, videlicet veritas conditionata potest constitui per id, quod non est sed esset: ergo entitas, quæ actu est potest dependere ab illo, quod non est sed esset. Resp. veritatem esse totum quoddam morale quod potest constitui per illud, quod actu non est, sed esset, vel fuit, vel erit vt dicebam loco citato, virtutem autem physicam causæ esse ens physicum, quod non potest physicè dependere nisi ab aliquo quod physicè existat.

8 Argues secundò: Actus fidei respiciunt plura obiecta, quæ actu non sunt, sed quæ fuêre, erunt, vel essent: ergo aliquid quod actu est dependere potest ab illo, quod actu non est. Resp. reuelationem Dei, cui innititur actus fidei immediatè esse connexam cum cognitione actuali, quam Deus habet de illo obiecto, quia Deus loqui non potest, nisi illud quod cognoscit, aliàs posset nos fallere, & mentiri. Cognitionem autem Dei esse connexam cum obiecto, quia cognitio Dei quatenus est extensio cognitionis, qua Deus seipsum cognoscit, ad hoc obiectum creatũ formaliter includit ipsum obiectum, & quia Deus ex se habet propter suam infinitam perfectionem cognoscere omnia, quæ sunt, fuêre, erunt, aut esse eo modo quo quælibet res se habet in sua differentia temporis. Addo deficiente obiecto, quod Deus cognoscit non defecturam cognitionem, quam Deus modò habet de illo secũdum suam entitatem, seu secundum id, quod cognitio intrinsecè dicit in se, sed secundum formalitatem cognitionis talis obiecti, aut secundum connotationem ad tale obiectum, aut secundum alium modum, quo Theologi defectum huius cognitionis explicabunt absque eo quod aliquid intrinsecum Deo deficiat. Ex his capitibus actus dũ innititur reuelationi actu existenti connexionẽ habet ineuitabilẽ cum obiecto. Est tamen difficultas, quæ nos eodem modo in hac re premit de immediata connexione entitatis physicæ actus fidei cũ reuelatione, quia actus fidei intrinsecè est connexus cum reuelatione, qua deficiente, deficeret actus fidei, & tamen reuelatio non semper est actu, sed fuit, quia actus fidei, quẽ modò habeo, dependet ab hac reuelatione facta tempore Apostolorum: ergo aliquid quod est actu potest dependere ab illo quod non est; sed esset. Resp non sine graui difficultate posse explicari connexionem essentialem actus fidei cum reuelatione actu existente, ita vt implicet actus fidei non existente reuelatione, de qua nonnihil tetigi Contr. 6. de anima, Punct. 1. disputans de veritate actuum supernaturalium, & Controu. 14. Punct. 1. disputans de ipsorum specificatione, quod si hæc connexio adeò stricta ponatur inter actum fidei, & reuelationem, cui innititur, speciale aliquid illius in hac materia reddet Theologus, videlicet quia nequit Deus cum auxilio supernaturali ad actum fidei requisito, vt author supernaturalis, concurrere ad actũ fidei, qui non sit intrinsecè verus, seu cui ex defectu existentiæ obiecti formalis contingat falsitas, quia indecens esset Deo talis concursus, in eo autẽ quod Deus concurrat ad producendam virtutẽ productiuam, cuius obiectum implicet, nulla potest indecẽtia excogitari, neque vllum caput ex quo quatenus est ex parte Dei repugnet exhibitio talis concursus, sicuti repugnat ad actum falsum fidei, iuxta communem sententiam, quæ defendit actus fidei essentialiter esse connexos cum reuelatione, quam respiciũt vt obiectum formale. Quod si hæc ratio non placeat, quæ mihi satis firma non est, aliam quære, vt defendas actus fidei connexos esse cum reuelationis existentia, quod tuum argumentum impugnat, potiùs quàm conclusionem in præsenti traditam.

9 Rursus pro eadem sententia sic arguo: si propter aliquam rationem causa haberet connexionem cum possibilitate effectus, maximè quia dicit relationem ad illam. Sed relatio causæ est ad ipsam formalẽ existentiam, vt actu exercitam, & positam extra causas: ergo ex hoc capite connexio causæ esse debebat cum existentia effectus actu exercita. Probo consequentiam: cum illo debet esse connexio causæ, ad quod causa refertur. Sed causa refertur ad existentiã effectus actu exercitã: ergo connexio causæ debet esse cum existentia effectus actu exercita. Sed causa non habet connexionem cum existentia effectus actu exercita: ergo nullam habet connexionem cum effectu, adhuc vt possibili. Discursus iste integer erit si probetur minor prioris syllogismi, videlicet causam referri ad existentiam effectus exercitam, quam probabo Punct. 6. quod specialiter instituam de relatione causæ ad effectum.

10 Vltimò: Non repugnat virtus productiua creata talis naturæ, vt implicante effectu ipsa possit subsistere: ergo saltem

saltem ex hoc capite posset dici virtutem productiuam effectus connexionem non habere cum effectuum possibilitate, ne sine speciali fundamento hæc adstruatur connexio. Deinde æquè potest percipi connexio ista propter rationes supra adductas: ergo constituenda non est talis connexio inter causas, & effectuum possibilitatem, neque nos debemus gratis conicere in difficultates, quæ in tali connexione defendenda nos premunt.

II Præcedens ratio probabiliter suadet admittendam non esse connexionem ullam in causis creatis, in causa autem increata, seu in omnipotentia Dei intentum efficaciter cõuincere existimo, sic illam circa omnipotentiam expendo. Si respectus admittatur in omnipotentia deficiente possibilitate cuiusvis creaturæ deficeret omnipotentia, & non esset hic numero Deus. Dices totũ hoc esse verum, quod non clamore, sed ratione impugno. Si omnipotentia Dei talis esset naturæ vt deficiente quacumque creatura esset defectura, non esset summè perfecta: ergo in Deo talis omnipotentia constituenda non est. Probo antecedens: Si concipiatur in Deo omnipotentia talis naturæ, quæ in se eminenter contineat omnes effectus, qui in se non repugnant, & aliàs ita existens independenter ab vnoquoque illorum, vt quocumque, & etiam omnibus simul repugnãtibus eadem permaneret, perfectior omnipotentia esset illa, quæ deficeret repugnante effectu. Sed non repugnat concipi talis omnipotentia: ergo si in Deo concipimus omnipotentiam, quæ deficeret repugnante quocumque effectu, non concipimus omnipotentiam perfectissimam, quam possumus absque vlla repugnantia concipere: ergo non concipimus omnipotentiam summè perfectam: ergo si Deo huiusmodi omnipotentiam tribuimus, non illi concedimus omnipotentiam summè perfectam. Perfectiorem concipere omnipotentiam illum, qui concipit omnipotentiam connexam cum possibilitate effectuum, quàm ille, qui concipit omnipotentiam connexam cum illorum possibilitate, ita vt repugnante quocumque effectu repugnet omnipotentia, sic probo. Omnipotentia connexa, quam tu concipis in Deo, & omnipotentia non connexa cum possibilitate effectuum quam ego concipio, non different in virtuali effectuum continentia, quia omnipotentia non connexa, quam ego constituo omnes effectus virtualiter & eminenter continet, quos continet omnipotentia connexa, quam tu assignas: ergo saltem ex hoc capite non esset imperfectior omnipotentia à me assignata: ex alio capite in ordine ad eosdem effectus differt omnipotentia non connexa à connexa ex eo, quod omnipotentia non connexa subsisteret in eodem euentu, in quo omnipotentia connexa deficeret, videlicet casu, quo repugnaret aliquis effectus: ergo perfectior est omnipotentia non connexa, quàm connexa, quia cæteris paribus ex duabus entitatibus perfectior est illa, quæ permanet in eadem rerum peristasi, in qua alia desinit esse, & quæ eadem omnino intrinsecè inuariata cum eadem virtute ex parte sui potest subsistere sine aliquo extrinseco, sine quo altera subsistere non potest. Insuper omnipotentia non connexa, quam ego cõstituo, talis est vt hic, & nunc habeat totum illud, quod requiritur ex parte virtutis causatiuæ ad producendos non tantum effectus, qui modo sunt possibiles, sed etiam ad producendos impossibiles, quos sine noua virtute produceret, si illorum repugnantia non obstaret: ergo longè perfectior est omnipotentia non connexa, quàm connexa, siquidem quatenus est ex parte sui ad plura se posset extendere. Confirmo, & declaro eamdem rationem. Omnipotentia connexa talis esset vt si per impossibile modò hircoceruus, qui repugnat, fieret possibilis, necessariò deficeret: & si rursus fingatur permanere omnipotentiam connexam cum effectibus, qui modo sunt possibiles, facto possibili hircoceruo, qui modò repugnat, & cum quo connexionem non habeat talis omnipotentia non posset hircoceruum producere, quia tantum est virtus productiua illorũ effectuum, cum quibus habet connexionem. Sed omnipotentia non connexa talis est naturæ vt si per impossibile hircoceruus qui modò repugnat fieret possibilis, illum posset producere per eamdem virtutem, quam modò habet: ergo omnipotentia non connexa quatenus est ex se ad plures se extendit effectus, & perfectior est, quam omnipotentia connexa. Rem magis declaro: qui constituunt omnipotentiam connexam possunt dicere: implicat chimæram produci à Deo quia ipsa in se repugnat, & quia ex repugnantia infertur in Deo negatio virtutis ad chimæram producendam, & ita implicat hic & nunc chimæram produci ex repugnantia chimæræ, & ex defectu virtutis productiuæ, licet defectus iste oriatur ex repugnantia effectus producendi, & non ex eo, quod omnipotentia non sit infinita: qui verò constituunt omnipotentiam absolutam dicunt repugnare produci chimæram præcisè ex repugnantia chimæræ, & nullo modo ex defectu virtutis omnipotentiæ, qui inferatur ex hac repugnantia: ergo qui constituunt omnipotentiam absolutam maiorem virtutem illi tribuunt, si quidem asserunt nunc inesse omnipotentiæ quatenus est ex se virtutem ad producendam chimæram, quam virtutẽ negant omnipotentiæ, qui illam connexam constituunt: ergo absolutè constituenda est in Deo omnipotentia non connexa, quæ perfectissima est, & dicendum repugnare omnipotentiã connexam, quia non est perfectissima omniũ, quæ possunt absque vlla repugnantia concipi, & est de conceptu essentiali omnipotentiæ Dei includere summam perfectionẽ, quæ sine repugnantia concipi valet. Restat modo probandum vt discursus iste legitimè concludat nullam inuolui repugnantiam in conceptu omnipotentiæ non connexæ cum effectuum possibilitate, quod præstabo §. sequenti, vbi adducam & soluam omnia argumenta alicuius momenti, quæ fieri possunt non solum contra omnipotentiam non connexam, sed etiam contra quamlibet virtutem creatam huiusmodi connexione carentem.

Decertant Authores vtriusque sententiæ an omnipoten- 11
tia cõnexa cum effectuum possibilitate, quæ deficeret deficiente quocumque possibili effectu dicenda sit dependens ab effectuum possibilitate. Qui omnipotentiam non connexam esse defendunt; intendunt omnipotentiam connexam dicendam esse dependentem à quocumque ente possibili, vt ad hoc absurdum deducant sententiã, quæ omnipotentiam connexã constituit. Qui omnipotentiam connexam propugnant, non dependentẽ dicendam esse defendunt; sed purè connexam tanquã cum extremo relationis transcendentalis, vel tanquam cum aliquo posteriori, à quo non dependet. Quæstio est hæc purè de nomine, certum enim est omnipotentiã ita connexam defecturam deficiẽte possibilitate cuiusque effectus, certum etiam est in illo casu non defecturam ex defectu alicuius causæ, seu conditionis antecedentis, quæ modo supponatur ad omnipotentiæ existẽtiam, quibus statutis tantùm restat quæstio de nomine, an videlicet cum aliquo, quod non se habet per modum causæ, aut conditionis, quæ se teneat ex parte actus primi prærequisiti ad existentiam rei, quæ dicitur connexa, dependentia dicenda sit necne? Ego in negatiuam partem propendeo, quia dependentia sonat causalitatem, seu actum primũ, & ita nihil potest dependere ab illo, quod non se habet per modum actus primi ad sui existentiam. Dices hoc esse verum de propria dependẽtia à priori, posse tamen dari dependentiam impropriam à posteriori ab aliquo, quod non se teneat ex parte actus primi, Contrà: dependentia hæc à posteriori adeò est impropria vt dependentia non sit, implicat enim dependentiam, quæ retineat prædicata essentialia dependentiæ, quæ à priori non sit, quod si connexionem cum aliquo posteriori appelles, etsi cum aliis, qui sic loquuntur, abuteris dependentiæ nomine. Accedit huic sententiæ authoritas D. Anselm. lib. 2. *cur Deus homo*, vbi pulchrè his verbis traditam edocuit sententiam: *Quotiescumque dicitur Deum non posse, nulla negatur in eo potestas; sed insuperabilis signatur sapientia, & fortitudo. Non enim aliud intelligitur, nisi quia nulla res potest efficere, vt agat ille, quod negatur non posse. Nam vsitata est huiusmodi nullum loquutio, vt dicatur res aliqua non posse, non quoniam in illo, sed quia in alia re est impotentia.* Quibus verbis clarè docet eximius Doctor impotentiam vt fiant illa, quæ dicuntur non posse fieri à Deo, esse in ipsis rebus faciendis, non in Deo, qui est infinitè potens, & virtutem habet sufficienter, vt illa fierent ab ipso, si in ipsis non esset repugnantia, & impotentia, vt fiant.

§. III.

Argumenta soluta.

OBiicies primò, ab probandum repugnare virtutem 13
causatiuam, siue creatam, siue increatam non connexam cum effectus possibilitate. Repugnat virtus, quæ in se eminenter contineat ens rationis: sed effectus repugnans est ens rationis: ergo repugnat virtus, quæ in se eminenter contineat effectum repugnantem. Probatur maior: eo ipso quod

quod virtus aliquid producat est ens reale, & non ens rationis: ergo virtus productiua non potest continere in se eminenter ens rationis: Antecedens est certum: illationem optimam esse sic ostendo. Rectè inferimus Deum non continere virtutem creandi alium Deum sibi æqualem, quia eo ipso, quod creetur est inferius Deo: ergo eodem modo possumus inferre Deum non habere virtutem producendi ens rationis eo, quod quidquid physicè producitur, eo ipso quod producitur non est ens rationis; sed reale. Confirmatur. Implicat virtutem productiuam eminenter continere, seu posse producere prædicatum cuius contradictoriè oppositum non potest non dare cuicumque effectui, qui ab illa producatur. Sed eo ipso quod virtus productiua aliquid producat dat illi esse ens reale quod contradictoriè opponitur cum ente rationis: ergo implicat virtutem productiuam eminenter continere, aut posse producere ens rationis.

14 Dixi Punct. 2. posse dari respectum realem transcendentalem respectu termini, qui modò repugnet, seu qui modò sit ens rationis, monui tamen numero quinto non esse dicendum respectum illum respicere ens rationis, quia respectus ille non exigebat suum terminum esse ens rationis, eodem enim modo illum respiceret si esset ens reale, quam doctrinam ibi latius explicatam hîc accommoda, ne dicas virtutem productiuam in se continere ens rationis, aut posse ens rationis producere, quia formalitas entis rationis nunquam continetur in virtute productiua causæ, sicuti neque respectu transcendentali respicitur. Addo insuper non solum virtutem productiuam non continere in se formalitatem entis rationis; sed semper respicere actualem, physicam, & realem existentiam, ad quam tantum adhuc quatenus est ex se, virtutem habet, & huiusmodi esse virtutem productiuam, quam in Deo ponimus respectu hircocerui, quia nos non dicimus Deum modò habere virtutem ad producendum hircoceruum affectum suâ repugnantia, ita vt id, quod in omnipotentia Dei continetur sit hoc concretum formaliter sumptum: *hircoceruus repugnans*, sed tantùm in Deo ponimus virtutem ad producendum hircoceruum purgatum repugnantia, repugnantia enim nunquam in virtute aliqua continetur, & ideo dicimus, casu quo hircoceruus non repugnaret posse ab hac numero omnipotentia produci, quia omnipotentia hæc modò habet virtutem ad producenda non tantum illa, quæ modò non repugnant; sed omnia quæcumque non repugnarent, & ita si illa, quæ modo repugnant, fierent non repugnantia, possent ab illa produci. Neque refert modò non esse hircoceruum non repugnantem, vt possit hircoceruus non repugnans in omnipotentia contineri, quia sicuti de relatione transcendentali dicebam, respicere terminum, qui non est, sic virtus productiua respicit hircoceruũ non repugnantem, qui non est: explicatur etiam hæc doctrina exemplo actus, quo ego desidero existentiam boni, quod modò abest, qui fertur in existentiã, etiamsi existentia non sit, & aliquando etiamsi sit impossibilis, quia ego apprehendo possibilem esse, & verè desidero realiter, & physicè existere id, quod ita existere implicat. Ex hoc fit omnipotentiam non esse virtutem formaliter ad repugnantia, neque hæc formaliter sumpta contineri in omnipotentia, sed tantum contineri illa, quæ non repugnant, & illa quibus adiacet repugnantia, hac tamen repugnantia secluſa, quæ in nulla virute continetur, & ita nunquã dici potest Deum habere virtutem producendi ens rationis, quia posse producere ens rationis sonat posse producere obiectum repugnans affectum formaliter sua repugnantia. Rem explicet appositum exemplum. Sacerdos approbatus pro tota Ecclesia ad confessiones audiendas ex vi potestatis, quã modò habet, nulla alia superaddita, hîc & nunc poterit Turcam absoluere si Turca fiat fidelis, & sic reliquos omnes qui modò sunt infideles, si fideles fiant, & Ecclesiæ Romanæ reconcilientur, poterit postea absoluere, ex vi potestatis, quam modò habeat, non tamen ideò sacerdos iste dicitur habere potestatẽ absoluẽdi Turcam, & reliquos infideles, quia etsi potestatem habeat ex vi cuius possit absoluere homines illos, qui modò sunt infideles, absolutio tamen facienda essentialiter supponit homines illos factos fuisse fideles, & ad illam sine hac circunstantia facta nulla est potestas in sacerdote, quia potestas hæc tantũ est ad absoluendos Christi fideles in nullo à Romana Ecclesia discedẽtes. Sic similiter virtus illa physica, quam in Deo concipimus ad hircoceruum, qui modò repugnat, producẽdũ, est virtus, ex vi cuius poterit produci hircoceruus, si fiat non repugnans, non tamen hircoceruus formaliter repugnans, seu cum repugnãtia cõpositus, quia productio hircocerui, ad quã Deus virtutem habet, supponit hircoceruum factum fuisse non repugnantem, & ita virtus illa non dicenda est virtus ad producenda obiecta repugnantia, seu entia rationis, etiamsi ex vi illius possent produci obiecta, quæ modò repugnant, si fierent non repugnantia, sicuti virtus absoluendi à peccatis non dicitur virtus absoluendi infideles, licet talis sit, vt ex vi illius homines, qui modò sunt infideles, possent absolui, si fiant fideles, & ritè, & rectè disponantur ad absolutionem obtinendam.

Instabis: Deus quatenus est ex se tantùm habet virtutẽ 15
ad producendum hircoceruum, vt non repugnantem, seu casu, quo non repugnaret, sed casu, quo non repugnaret Hircoceruus, non esset hic numero hircoceruus, quem modò apprehendo, & qui de facto repugnat: ergo Deus, adhuc quatenus est ex se, non habet virtutem ad producendum hunc hircoceruum, quem ego apprehendo Obiectio hæc non impugnat conclusionem, quam defendimus, sed destruit casum, quem supponimus ad illius veritatem examinandam. Inquirimus an casu, quo Hircoceruus, aut aliud ens repugnans fieret non repugnans, posset produci à Deo, vt ex hac hypothesi naturam absolutam omnipotentiæ cognoscamus, & modò obiicitur casũ implicare, quia ens non repugans, non esset idem quod modò est repugnans. Respondeo ad conclusionẽ, quam defendimus necessum non esse hircoceruum in illo casu eundem, vel alium futurum, nos enim tantùm defendimus, quod si possit concipi non repugnans, obiectum quod modò est repugnans fiet obiectum huius omnipotentiæ, quæ modò est, & eadem inuariata permanens sufficiens erit ad illum producendũ, quod autẽ ita possit, seu nõ possit concipi, non attinet ad veritatem conclusionis, quam defendimus. Si tamen volumus hypothesim aptã disputationi facere, debemus apprehendere in hircoceruo, qui modo est repugnãs, repugnantiam veluti quoddam prædicatum formaliter ab aliis distinctum, & reliqua repugnantia, nõ per se ipsa, sed per hoc speciale prædicatum, & inquirere an secluso illo speciali prædicato repugnantiæ, per quod totus hircoceruus formaliter constituitur repugnans reliqua omnia possent produci ab hac numero omnipotẽtia? scio repugnantiã non esse speciale prædicatum, sed transcendens omnibus, verumtamen apprehendũ instar prædicati præcisi à reliquis, vt suppositio vtilis fieri possit ad præsentem quæstionem examinandam.

Virtutem hanc suprà explicatam appellant nonnulli po- 16
tentiam sub conditione, vt illius explicent naturã, verumtamen in se ipsa absoluta est, & absolutè existit in Deo, licet illius exercitium supponat tanquã conditionem, non repugnantiam effectus, & in hoc sensu aliquo modo conditionalis dici poterit non intrinsecè, sed extrinsecè.

Id, quod dixi de omnipotentia, quoad modum continen- 17
di effectus, qui de facto repugnant, & quod illi conuenit essentialiter respectu omnium effectuum, potest reperiri in causa creata, quæ ex se potest habere virtutem ad producendũ effectũ, qui de facto implicat, non tamen ita constitui necessum est, quia in Deo tantum ponimus continentiam illam respectu effectuum, qui de facto implicant, quia debemus illi tribuere omnem virtutem productiuam, quam sine contradictione valemus apprehendere vt omnipotentiam summè perfectam cognoscamus, causæ verò creatæ cùm finitæ sint, & limitatæ, non debent hanc continẽtiam includere. In eo tamen cõuenit virtus creata cum increata iuxta nostram sententiam, quod sicuti virtus increata eadem esset repugnãtibus omnibus effectibus, quos de facto potest producere, sic virtus creata eadem esset, etiamsi repugnarent effectus illi, quos de facto producere potest.

Obiic. secundò actus vitales essentialiter dependent à 18
suo principio, ita vt neque de potentia Dei absoluta possint ab illo non dependere, sicuti possunt quicumque alij effectus, qui ab hac causa creata procedunt, ab illa non procedere, sed à Deo produci: ergo diuerso modo se habet principium productiuum actuum vitalium respectu horum, quàm se habet quælibet alia virtus creata productiua respectu aliorum effectuum. Sed hic diuersus modus tantum potest consistere in eo, quod principium vitale sit connexum cum actibus vitalibus, quos potest producere, & non sic alia principia: ergo saltem principium vitale essentialiter est connexum cum possibilitate suorum effectuum. Hoc argumentũ, etsi cõtra nos procedat respectu principij

productiui vitalis, respectu aliorum principiorum non vitalium nostram sententiam probare intendit, neutrum tamen præstat. In primis idem argumentum, quod de actibus vitalibus fit respectu principij vitalis, fieri potest de quocumque effectu respectu causæ primæ, à qua ita essentialiter dependet, vt non possit ab illa non dependere, etsi posset non dependere ab alia causa creata, à qua naturaliter producitur. Ex quo inferretur causam primam habere connexionem cum possibilitate effectuum, quam non haberent aliæ causæ secundæ, quod nullus asseruit, omnes enim, qui asserunt omnipotentiam esse connexam cum effectuum possibilitate, eandem connexionem causis secundis attribuunt, & multi qui defendunt causas secundas esse connexas cum suorum effectuum possibilitate, de causa prima affirmant non huiusmodi habere connexionem. Diuersitas principij vitalis, & non vitalis respectu suorum effectuum stat in mulis aliis seclusa connexione vtriusque principij cum effectuum possibilitate. In primis enim principium vitale essentialiter prærequiritur ad actũ vitalem, & adhuc à Deo illius concursus suppleri nequit, potest autem à Deo suppleri quodlibet principium nõ vitale. Insuper alia plurima diuersitatis capita desumi possũt ex essentia operationis vitalis, seu viuentis in actu primo, quam explico Controuers. secunda de anima Puncto 2.

19 Obiicies tertiò: Essentiale est Deo posse eleuare intellectum ad actus supernaturales: ergo essentiale est intellectui posse eleuari ad eosdem actus: ergo essentiale est intellectui hos actus possibiles esse, quia eleuari nequit ad actus non possibiles. Respondeo essentiale esse Deo posse eleuare quidquid est eleuabile, & quatenus est ex se habere sufficientem virtutem ad eleuandum quodcumque principium creatum ad quemcumque effectum: non tamen esse Deo essentiale principium aliud creatum esse eleuabile, quia cuiuscumque naturæ esset quodcumque principium creatum, Deus intrinsecè inuariatus idem omnino permanebit, non enim est Deo essentiale eleuationem non repugnare, quæ si repugnauerit, vel ratione sui, seu quia repugnat principium eleuabile, Deus non poterit principium aliquod creatum eleuare, & non erit contra illius essentiam, quia non posse tunc eleuare principium creatum non oriretur ex defectu potentiæ Dei, quæ ipsi est essentialis; sed ex impossibilitate effectus, quæ Deo est extrinseca. Eadem ratione intellectui, qui de facto datur, essentiale est habere ex se potentiam vt eleuetur ad actum supernaturalem, quod si actus supernaturalis, & actualis eleuatio repugnaret, nihil fieret contra intellectus essentiam, sed idem omnino permaneret, & in hoc sensu non est de essentia illius posse eleuari, sicuti non est de essentia illius posse producere naturalem intellectionem, quam, si repugnaret, producere non posset, non quia illi quatenus est ex se virtus actiua deficeret, sed quia repugnaret ipsa productio.

20 Obiic. quartò: Possibilitas effectus non est à se; sed ab alio: ergo est à principio productiuo: ergo essentialiter supponit principium productiuum: ergo possibilitas Angeli essentialiter supponit omnipotentiam tanquam principium à quo procedit. Sed non supponit omnipotentiam, vt principium liberè producens possibilitatem Angeli, quia liberum non est Deo Angelum esse possibilem, vel non esse possibilem: ergo supponit omnipotentiam tanquam quoddam principium, à quo ita necessariò dimanat possibilitas, vt non possit hoc principio supposito ab illo non dimanare: ergo eo ipso quod existat omnipotentia, infertur per locum intrinsecum ab illa dimanare possibilitatem Angeli, & liceret à posteriori inferri: Non est possibilitas Angeli: ergo non est virtus in omnipotentia, à qua possit dimanare possibilitas Angeli: ergo omnipotentia, adhuc quatenus est ex se, non habet virtutem ad producendum Angelum, qui repugnat: ergo si verè Angelus repugnaret, deficeret virtus, quam modò habet Deus ad producendum Angelum: ergo virtus productiua Angeli est connexa cum effectus possibilitate. Ex eodem discursu si legitimus est infertur Deum adhuc ex se non habere modò virtutem ad producendũ hircoceruum, siquidem modo non dimanat ab omnipotentia hircocerui possibilitas. Tota difficultas huius argumenti consistit in explicatione modi, quo possibilitas rei nondum existentis dependet à Deo, dum actu non existit ens, quod possibile dicitur, quam præstabo Puncto sequenti, vbi dicam rem puræ possibilem tantum habere dependentiam obiectiuã ab omnipotentia, eo enim modo quo est, eo modo est dependens, & sicuti ens purè possibile non est, sed esset, ita non dependet, sed dependeret à Deo, quod latiùs præstabo loco citato, sufficiat interim ad argumenti solutionem puram possibilitatem, neque liberè, neque necessariò dependere à Deo dum est purè possibile, quia quod non est, non est dependens, vt dicebam, neque aliam dependentiam à Deo habent creaturæ possibiles, præter illam, quæ illis competit, dum actu existunt, quomodo autem hoc possit stare cum connexione possibilitatis effectus cum omnipotentia, difficultate non caret, quam Puncto sequenti explicabo. Moneo insuper hanc non esse legitimam consequentiam: effectus possibilis connexus est cum possibilitate causæ: ergo causa possibilis connexa est cum possibilitate effectus. Sicuti non benè infertur existentia effectus connexa est cum existentia causæ: ergo existentia causæ connexa est cum existentia effectus. Antecedẽs enim est per se notum, & consequens euidenter falsum. Imò ex hoc capite argumentum conficio: Existentia causæ non est connexa cum existentia effectus: ergo neque possibilitas causæ cum possibilitate effectus. Premam vim huius illationis Puncto sequenti ad probandum possibilitatem effectus supponere possibilitatẽ causæ, à qua ita dependet, vt non possit non dependere ab illa, Vbi probabo eodẽ modo se habere causã, & effectũ in ordine ad connexionẽ in statu possibilitatis, quo se habẽt in statu existẽtiæ.

Obiiciunt quintò ex recentioribus, nescio qui apud Ri- 21
pald. t. 1. de ent. supern. disput. 32. sectione 7. Si repugnaret equus, non posset existere omnipotentia: ergo omnipotentia habet connexionem cum non repugnantia equi. Probatur antecedens: si repugnaret equus existeret duplex contradictorium, equus non repugnans, qui essentialiter habet non repugnantiam ad existendum, & equus repugnans, vt supponitur: ergo si existeret omnipotentia existente repugnantia equi, omnipotentia coexisteret duplici contradictorio. Sed omnipotentia non est capax coexistendi duplici contradictorio: ergo non esset capax existendi, casu, quo equus repugnet. Si quid probaret hoc argumentum apertè conuinceret omnia entia, quæ de facto existunt, & existere possunt esse inter se connexa, quia quolibet illorum repugnante daretur duplex contradictorium, cui nullum aliud ens posset coexistere, ac proinde illo existente non posset existere. Respondeo, casu, quo equus repugnaret dandum non esse duplex contradictorium, quia eadem suppositione, qua supponimus equi repugnantiam, supponimus illius non repugnantiam esse auferendam, ac proinde non componeretur in casu hypothesis repugnantia, & non repugnantia equi. Sed esto daretur tunc duplex contradictorium, hoc dato, posset quæcumque entitas naturaliter coexistere duplici contradictorio, quia incapacitas, quam ego habeo coexistendi duplici contradictorio fundatur in incapacitate, quam habet existendi duplex contradictorium, capacitas enim coexistendi dicit duplicem capacitatem duplicis extremi distincti ad existendum certo tempore determinato, & deficiente quacumque capacitate ad existendum in quocumque extremo deficit in vtroque coexistendi capacitas. Cum autẽ deficiat capacitas existendi duplex contradictorium hinc fit in me deficere modò capacitatem coexistendi duplici contradictorio, nõ quia quatenus est ex me aliquid deficiat, vt possim coexistere duplici contradictorio, casu, quo duplex illud contradictorium existeret, quia si modò existeret duplex cõtradictorium, videlicet Petrum currere, & Petrum non currere, modò ego absque vlla eleuatione, & absque vllo nouo existendi modo coexisterem duplici contradictorio, quia coexistentia extrinsecè aduenit cuicũque entitati iam existenti in hoc tẽpore ex eo præcisè quod alteri in eodem tẽpore adueniat existentia. Ex his inferes non ex alio capite repugnare coexistere negationi Petri existentis scientiam, quam Deus habet de Petro existente, nisi quia scientia hæc necessariò coexistit Petro existẽti, & cum negatio Petri existentis non possit coexistere Petro existenti fit non posse scientiam visionis coexistere negationi Petri existentis, quod si fieri posset vt Petrus existeret, & non existeret in eodem tempore, scientia, quã Deus habet de Petro existente essentialiter cum suo obiecto coniuncta, coniungeretur etiam cum negatione eiusdẽ obiecti, & vtrique contradictorio coexisteret, in qua coexistentia tantum esset præter naturæ ordinẽ, vt existeret duplex contradictorium, non verò in eo quod dato duplici contradictorio existente, vtrique coexisteret scientia visionis de altero extremo

extremo contradictionis,& quælibet alia entitas,quæ naturaliter existere posset.

22 Instabis,vt repugnantiam,probes, in Deo ad coexistendum in duplici contradictorio , non solum sumi ex repugnantia, quam in se habent duo contradictoria sibi coexistendi,sed sumi ex parte Dei,ita vt ex se sit incapax intrinsece per suam entitatem præcise sumptam coexistendi duplici contradictorio. Si Deus coexisteret Petro , & carentiæ Petri in hoc instãti esset verum dicere hic Deus in hoc iustanti coexistet Petro , insuper esset verum dicere hic Deus in hoc eodem instanti non coexistit Petro ; ex quo legitime infertur hæc propositio : ergo hic Deus non est hic Deus , quod consequens intrinsece repugnat Deo, qui intrinsece , per se ipsum est hic Deus : vtraque pars antecedentis facile probatur. Hunc Deum coexistere Petro nihil aliud est quam ipsum existere existenti Petro : ergo in eo casu coexisteret Petro. Nec necesse est probare antecedens, quod supponitur , dum supponitur Deum coextiturum duplici contradictorio. Pars altera antecedentis probatur, hunc Deum non coexistere Petro nihil aliud est , quam ipsum existere Petro non existente , seu quam coexistere illius carentiæ. Sed in illo casu existeret Deus non existente Petro , quia cum supponatur in eo casu Petrum existere , & non existere , verum erit dicere Petrum non existere , & coexistere illius carentiæ, vt supponitur: ergo non coexisteret Petro.Iam quod ex hoc antecedenti, videlicet hic Deus coexistit Petro , hic Deus non coexistit Petro inferatur legitime hæc consequentia : ergo hic Deus non est hic Deus facile suadetur subiectum , de quo verificetur hoc contradictorium non est subiectum,de quo verificetur alterum contradictorium , sed de hoc subiecto videlicet hic Deus non verificatur,nõ verificatur hoc contradictoriũ coexistit Petro:ergo hoc subiectũ nõ est illud, dequo verificatur alterũ contradictoriũ non coexistit Petro,sed hoc contradictoriũ non coexistit Petro verificatur de hoc subiecto hic Deus:ergo hic Deus non est hic Deus.

23 Volunt iuniores destruere prima principia formæ syllogisticæ , & illis destructis iuxta eadem principia rigide ad vnguem seruari vim arguendi, & inferendi,quæ illis innitebatur. Omnis forma syllogistica , & arguendi vis innititur his principiis, quodlibet est, vel non est, implicat aliquid simul esse,& non esse, quod est idem, ac implicat duplex contradictorium existere, & ita cum in syllogismo legitimo consequentia negatur , vt de arguente omnino actum esse censeatur , ostenditur duplex illum contradictorium admittere reducẽdo ad illud propositiones ab ipso concessas , in suppositione autem ficta videlicet Petrum existere,& non existere principium arguendi destruitur,& duplexũ cõtradictoriũ admittitur:ergo iam formæ syllogisticæ fidendũ nõ est, nec iuxta vera principia erit instituẽda,sed iuxta alia fictitia, & chymericæ quæ supponuntur.

4 Est etiam mirum in his iunioribus,quod duplex contradictorium , quod in antecedenti ipsi supponunt , idem in consequenti formidant,eodemque nos vrgere præsumunt, dum ipsi supponunt Petrum, & illius carentiam simul existere,seu simul Petrum existere,& non fingunt Deum coexistere, & non coexistere Petro, quia cum aliunde fixum sit Deum existere,idem est Petrum existere,ac supponere coexistere Deo,& consequenter Deum illi coexistere,quæ sunt correlatiua,seu omnino idẽ, eademque ratione idem est supponere existere carentiam Petri,ac supponere hanc coexistere,debet Deum illi coexistere. Similiter dum supponitur Petrum non existere supponitur non coexistere Deo,& Deum illi non coexistere , quia coexistentia essentialiter dicit existentiam vtrius extremi , & ita cuiuslibet existentiam negare formalissime est negare coexistentiam vtriusque. Includit igitur suppositio illa, quod Petrus existat,& non existat,quod Deus illi coexistat , & non coexistat,& sic facta hypothesi impossibili coexistentiæ duplicis contradictorij,exempli gratia quod Petrus existat , & non existat., concedimus non tam vi illationis, quam suppositionis,quod in eo casu Deus coexisteret Petro, & non coexisteret Petro. Deinde negamus consequentiam illam: ergo hic Deus non est hic Deus. Ad illius probationem respondemus distinguẽdo propositionem illam subiectum, de quo verificatur vnum contradictoriũ non est subiectum de quo verificatur aliud contradictorium:distinguo,ex natura rei,nullaque suppositione facta;cõcedo:ex suppositione,quod de eodem subiecto verificetur duplex contradictoriũ,& quod deficiat principiũ,illud implicat idem simul esse,& non esse nego,vt in hoc casu contingit nego. Quomodo autem hoc in prædicto casu contingat, & quomodo supponere Petrum existere , & non existere , & existere simul Petrum , & illius carentiam sit supponere Deum coexistere Petro, & non illi coexistere:& Deum coexistere Petro , & illius carentiæ iam explicui.

Dices iuxta hanc doctrinam nunquam posse vtiliter argui,nec legitime aliquid inferri facta suppositione impossibili.Respondeo facta suppositione impossibili , plura vtiliter, & legitime inferri ex antecedenti impossibili, & inuoluente contradictionem, dum vna pars contradictionis assumitur clarius ponitur omissa v.g.dum vis agnoscere caput distinctionis Spiritus Sancti à Filio , & supponis hunc ab illo non procedere,consequentias debes vnice deducere ex hoc supposito principio , quod Spiritus sanctus non procedat à Filio,& legitimæ erunt iuxta formam syllogisticam,si autem eas deducas ex hoc principio à te supposito, quod Spiritus sanctus non procedat à Filio,& ex alio vero, quod procedat à Filio simul sumptis consequentiæ nullius erunt momenti , destrues enim primum principium syllogisticum,& ita corruet tota syllogistica forma. Doctrinam hanc pro innumeris fallaciis vitandis notauit Sotus lib. Summularum eodem modo respondendum est aliis argumentat iunculis eorumdem Iuniorum , quibus idem probare intendunt inferentes casu,quo daretur duplex contradictorium inferendum esse Deum quodlibet eorũ cognoscere,& non cognoscere,vt velle existere,& non existere.

Obiiciunt ijdem Iuniores;Deus est cõnexus cum aliquo 26
connexo cum possibilitate Petri : ergo est connexus cum ipsa possibilitate. Consequentia est legitima , antecedens probatur,Deus est connexus cum hoc scientiæ actu,quem habet. Si existat Petrus cum his præcise prædicatis , quæ modo habet existet sine contradictione , scientia est connexa cum hoc illius obiecto,sed hoc obiectum est possibile: ergo Deus est coniunctus,cum possibilitate.

Respondeo ; in tantum Deum esse connexum cum illa 27
scientia in quantum illa scientia est necessaria,vt per se notum est. Deinde est etiam per se notum in tantum illam scientiam esse necessariam,in quantum obiectum illius est necessarium, & quia est modo simpliciter necessarium obiectum, scientia est simpliciter necessaria, casu tamen quo obiectum deficeret,scientia illa deficeret quoad formalitatem, & expressionem,& si non quoad entitatem,& Deus idem intrinsece inuariatus permaneret sine illa scientia, quoad formalitatem,& expresionem eodem prorsus modo ac permaneret sine scientia visionis , quam modo habet de mea existentia casu quo non fuissem productus. Vnde infero , Deum solum esse connexum cum illa scientia ex suppositione obiecti ad quod terminatur sicuti est connexus cum scientia visionis ex suppositione obiecti , & non alio modo,neque alia est differẽtia,aut disparitas,nisi quod suppositio obiecti scientiæ visionis est contingens , & ita potuit obiectum deficere,& cum eo scientia,suppositio autem obiecti illius est necessaria,& ita sicuti non potest deficere obiectum , non potest deficere scientia , cuius tota necessitas refunditur in necessitatem obiecti , ac proinde si hoc deficeret deficeret scientia Deo intrinsece inuariato.

Obiiciunt iterum Iuniores ; Deus per suammet entita- 28
tem intrinsece habet distingui ab equo possibili ,& ab hircoeruo impossibili , & ita per suam entitatem habet distingui à possibili,& impossibili,sed si equus non esset possibilis non haberet eandem amplitudinem distinctionis,siquidem tantum distingueretur ab impossibili : ergo illi deficeret aliquid illi intrinsecum,ac proinde non esset idem numero Deus,qui modo est.

Ne certo sciré hoc argumẽto vti Iuniores bonæ notæ,nec 29
referre illud auderẽ,est enim omni difficultatis apparentia nudũ.Respõdeo,Deum per suam entitatẽ habere distingui ab equo,& ab hyrcoceruo , siue vterque sit possibilis , siue vterque impossibilis,vnus possibilis , & alter impossibilis, illorũque possibilitas,aut impossibilitas,Deo esse extrinsecã,quia tamen modo vnus est possibilis,& alter impossibilis,modo Deus distinguitur ab vno possibili , & ab altero impossibili, casu tamen quo equus esset impossibilis distingueretur Deus à duobus impossibilibus equo,& hyrcoceruo,& tunc ex parte Dei eadẽ esset distinctio cũ eadẽ amplitudine ,vt cum Iuniorum terminis loquar,ac modo est.

Obiiciunt insuper. Deus potest absolute producere Pe- 30
trum, & non hyrcoceruum : ergo habet potentiam respectu Petri , quam non habet respectũ hyrcocerui , sed si

Petrus

Petrus non esset possibilis non haberet talem potentiam: ergo si Petrus non esset possibilis aliquid intrinsecum Deo deficeret. Respondeo, Deum quatenus est ex se secundum quod requiritur ex parte virtutis, tam esse potentem producere hyrcoceruum, quam Petrum, non tamen dici absolute potentem producere hyrcoceruum ex defectu possibilitatis termini producendi, non ex defectu virtutis, quâ ex parte sua sufficientem habet etiam respectu hircocerui. Dici tamen absolute potentem producere Petrum, quia virtuti intrinsecæ, quam habet ad illum producendum, adiungitur possibilitas termini producendi: Vnde in hoc conceptu Deus absolute potens producere Petrum duo includuntur virtus productiua ex parte Dei, & possibilitas Petri, quorum primum etiam datur respectu hyrcocerui, quia tamen non datur secundum, nempe possibilitas hircocerui, non datur Deus absolute potens producere hyrcoceruum, sed tantum quasi conditionate ex parte termini potens producere hyrcoceruum pro casu quo hyrcoceruus esset possibilis.

31 Redeunt iuniores ad suum argumentum de amplitudine, quam ad omnipotentiam æquè inutiliter transferunt, ac in distinctione eam posuerunt. Deus ex se est potens producere Petrum possibilem, & hyrcoceruum impossibilem: ergo ex se est potens producere possibile, & impossibile; sed si deficeret possibilitas Petri tantum ex se posset producere impossibile: ergo omnipotentia non haberet eandem amplitudinem; non esset eadem. Argumentum hoc propositum inter Petrum possibilem ex vna parte, & hyrcoceruum impossibilem ex alia posset eodem modo fieri inter omnes creaturas possibiles ex vna parte, & impossibiles ex alia. Respondeo eodem modo, ac de distinctione respondi, Deum ex se habere sufficientem virtutem ad producendum Petrum, & ad producendum hyrcoceruum, siue vterque, siue neuter sit possibilis, siue vnus, & non alter, & in omni casu eandem fore amplitudinem ex parte intrinseca omnipotentiæ; quod enim repugnat, aut repugnet productio propter possibilitatem, aut impossibilitatem effectus Deo est valde extrinsecum.

Punctvm V.

An possibilitas effectus habeat connexionem cum possibilitate causæ.

§. I.

Propria sententia.

1 DIxi sæpè effectum possibilem nondum existentem, nihil esse, seu non esse, & de illo non posse propriè dici verbum *est*, insuper possibilitatem intrinsecã rei creatæ non propriè esse ab æterno, licet ab æterno effectus denominetur possibilis. Ex quo infertur effectum purè possibilem, seu puram possibilitatem cum nullo extremo posse propriè connexionẽ habere, quia quod non est, non est habens connexionem. Eadem ratione colligitur puram possibilitatem non esse dependentem, quia quod non est, non potest esse dependens; non tamen ideo potest dici possibilitatem esse independentem à causa: eadem enim ratione, quâ repugnat propria dependentia puræ possibilitatis, repugnat independentia eiusdem, quia dependentia, & independentia, eodẽ modo supponunt esse rei dependentis, vel independentis. His præmissis statuo quæstionem non posse procedere de propria connexione, seu dependentia actuali, quarum non est capax entitas purè possibilis, quæ nõ est, quod multos decepit, qui ex hac ratione intulerunt possibilitatem esse independentẽ, falso tamen, quia vt sæpè dixi, possibilitas pura propriè nõ est, ac proinde neque dependens, neque independens, poterit tamen dici, non propriè dependens, sicut chimæra dicitur non alba. Procedit tantũ quæstio de cõnexione, siue dependentia in eo genere, in quo effectus possibilis, seu pura possibilitas est, an eodem modo dependeat, & causã eodẽ modo supponat possibilẽ.

2 Recẽtiores aliqui sequuti Basilium Legionensem Punct. præcedenti citatum existimant repugnante quocumque principio productiuo effectum illius non iri repugnatum, hac ratione tuentur, casu quo per impossibile Deus repugnaret non inferendum per locum intrinsecũ creaturarum possibilitatem defecturam; sed omnes adhuc permansuras possibiles. Alij ex nostris doctissimi Magistri asserunt deficiente possibilitate causæ defecturam possibilitatem omnium actionum, & omnium effectuum, qui nulla interiecta actione à tali principio dependebant, non tamẽ defecturã possibilitatẽ effectuũ, qui non immediatè per se ipsos; sed media actione distincta à causa procedebant. Sic casu quo Deus repugnaret repugnarẽt omnes actiones, quia omnes immediatè per se ipsas à Deo dependẽt, & repugnarẽt aliqui effectus, qui à Deo pendẽt sine interiecta actione, sicut sunt termini, qui per se creantur iuxta probabilẽ sẽtentiam; non tamen defecturam possibilitatem illorum effectuum, qui per interiectam actionem dependent à Deo. Sit

Prima Conclvsio. Nulla actio potest esse possibilis, 3
quin possibilis sit illius principium, à quo existente dependeret. Ratio est: Actio per se, & essentialiter habet connexionem necessariam cum suo principio, & habet connexionem essentialem cum illo: ergo non potest actio esse possibilis, quin illius terminus possibilis sit, quia implicat actionem connexionẽ habere cũ principio impossibili, aliàs haberet connexionem cum eo quod nõ est, quod implicat, quia de ratione connexionis est non esse vnum extremum sine altero, cum quo est connexum. Dices actionẽ habere connexionem cum principio in statu existentiæ, non verò in statu possibilitatis. Huius solutionis impugnatio, solida probatio meæ conclusionis erit. Ab his dependet entitas possibilis in statu possibilitatis, à quibus in statu existentiæ non potest non dependere existens. Sed non potest actio existere adhuc de potẽtia absoluta, quin existat principium à quo per se dependet: ergo non potest esse possibilis actio, quin possibile sit principium illud, à quo in statu existentiæ non potest non dependere. Antecedens probo entitas possibilis dicit obiectiuè entitatem cum eisdem prædicatis, eisdemque affectionibus, quibus gaudet in statu existentiæ; sed actio in statu existentiæ per se ipsam habet intrinsecam, & essentialem connexionem actualem cum principio: ergo in statu possibilitatis habet eandem connexionem eo modo, quo ipsa habet esse in illo possibilitatis statu. Vrgeo: esse entitatiuum actionis est actualis connexio cum principio: ergo in quocumque statu cognoscatur cognoscenda est actualis connexio; sed implicat realis connexio cum aliquo, quod reale non sit: ergo implicat actio, quæ essentialiter est connexa, implicante causa, quæ est huius connexionis extremum. Confirmatur: Esse rei purè possibilis, vt sæpe monui, est tantum purum esse obiectiuum, quod ex eo, quod sit possibile, non est, sed esset sine contradictione aliqua, casu, quo Deus vellet illud producere: ergo in illo esse obiectiuo inspiciendum est cum eisdem formalitatibus, quas haberet si actu esset existens. Sed actio si esset existens essentialiter supponeret principium, cum quo essentialiter connectitur: ergo actio dum est possibilis inspicienda est essentialiter cõnexa cum principio à quo existenti dependeret, si ipsa existeret: ergo eo ipso quod actio possibilis sit, seu habeat esse obiectiuum, eodem modo debet illius principium esse possibile, & habere idem esse obiectiuum, quod tantum dicit entitas possibilis, de qua millies dixi non habere esse, & prædicatum possibile esse additum diminuens, cum dicitur *Petrus est possibilis, homo est possibilis.*

Secvnda Conclvsio. Omnis effectus, etiamsi actione interiecta ab ipso distincta producatur, in statu possibilitatis supponit vt possibile omne principium, à quo in statu existentiæ, adhuc de potentia Dei absoluta, non potest non dependere. Hæc conclusio eadem ratione, qua præcedens probanda est: Effectus ita essentialiter à principiis dependentes implicant existere non existentibus principiis illis, à quibus essentialiter dependent: ergo sunt essentialiter connexi cum suis principiis: ergo non possunt videri sine hac connexione actuali cum eisdem principiis. Confirmatur: Omnis effectus habet essentialem, seu ineuitabilem connexionem cum illa causa, à qua implicat non dependere, sed implicat habere connexionem cum aliquo non possibili: ergo supponit vt possibilem causam illam cum qua habet essentialem connexionem. Recurre ad rationes suprà factas de actione respectu principij, quæ omnes eodem modo procedunt de effectu respectu causæ à qua essentialiter dependet. 4

Respondent doctissimi Magistri, qui sentiunt actionem possibilem essentialiter supponere principium, vt possibile, & dissentiunt ab hac conclusione, asserentes non repugnaturum effectum repugnante quacumque causa illius, etiam 5

prima

prima, à qua non per se ipsum immediatè, sed media actione dependeat, disparem esse rationem de actione, ac de effectu, quia hic non per suammet intrinsecam entitatem dependet, sed medio alio (videlicet media actione, actio verò dependet per suammet entitatem nullo alio interiecto. Neque placet disparitatis ratio, neque doctrinæ consequentiam laudo, quia etiamsi verum sit effectum dependere media actione, & actionem per se ipsam immediatè dependere, tamen æquè necessum est effectum dependere à Deo, etiamsi ab illo non per se ipsum immediatè, sed media actione dependeat, ac ipsam actionem dependere à principio, à quo per se ipsam dependet, & æquè repugnat calorem qui modò dependet à Deo media actione, existere, quin à Deo dependeat, & quin supponatur existens à Deo, quem existentem supponit, ac repugnat actionem per se ipsam dependentem non dependere, seu existere non existente Deo: ergo etiamsi dependentia actionis sit per se ipsam, & effectus media actione dependeat, æquè necessaria est connexio effectus cum Deo, à quo non potest non dependere, ac connexio actionis, & æquè inuitabilis est consequentia, & æquè firma vis illationis: Existit effectus: ergo existit Deus, à quo recipiat existentiam, ac ista, existit actio: ergo existit Deus à quo per se ipsam dependet, quia etsi effectus non dependeat per se ipsum; sed media actione à Deo, tamen per se ipsum habet non posse existere, quin actu dependeat à Deo, & per se ipsum habet repugnantiam ad existendum sine actuali dependentia à Deo tanquam à prima causa: ergo æquè essentialiter, & per suam entitatem dicit effectus Deum existentè supponi ad ipsius existentiam, vt principium influens in ipsum effectum media actione, ac dicit actio supponi ad ipsam Deum existentem vt principium, à quo actio per se ipsam dependet: ergo sicuti ratione connexionis essentialis, quam habet actio existens cum principio existente, & ratione repugnantiæ, quam habet actio ad existendum absque principio nõ existente, actio etiam vt possibilis est connexa cum possibilitate principij, sic ratione similis connexionis effectus cum principio, etiam vt possibilis, connexus erit cum possibilitate principij, à quo non potest non dependere. Vrgeo: non minùs requiritur existentia causæ ad influendum media actione in effectum, quàm ad influendum in actionem immediatè per ipsam actionem, vt per se notum est: ergo effectus existens in statu existentiæ æquè necessariò supponit existentem causam, à qua non potest non dependere, ac supponit existentem causam actio, quæ per se ipsam ab illa dependet: ergo in statu possibilitatis non est minus connexa possibilitas effectus cum possibilitate causæ, ac possibilitas actionis cum eiusdem causæ possibilitate: ergo sicuti repugnaret actio repugnante principio, à quo per se dependet, ita repugnaret effectus, à quo in statu existentiæ non potest de potentia Dei absoluta non dependere, etiamsi per actionem superadditam dependeat, & respectu cuius effectus media actione superaddita dependens habet per suammet entitatem repugnantiam ad existendum sine dependentia illi superaddita. Dico effectum dependentem per actionem superadditam habere per se ipsum absque vllo superaddito repugnantiam ad existendum sine hac dependentia, quia non est idem effectum per se ipsum dependere, & effectum habere per se ipsum non posse existere sine dependentia: quo modo autem hæc differant explicui in simili Cont. 76. de Anim. Punct. 1. vbi dixi aliud esse actum per suammet entitatem esse intrinsecè verum; aliud per suammet entitatem non posse non esse verum, & per suammet entitatem habere repugnantiam cum falsitate, & cum negatione falsitatis.

6 Secundùm doctrinam traditam, repugnante Deo per locum intrinsecum repugnaret omnis actio, & omnis effectus, & nulla creatura esset possibilis, quia omnis actio immediatè per se ipsam dependet à Deo, & omnis effectus ita dependet à Deo, vt de potentia Dei absoluta non possit productus ab aliis causis existere, quin actu à Deo dependeat, est enim essentiale omni creaturæ habere repugnantiam ad existendum sine actuali dependentia à Deo. Secundùm eandem doctrinam repugnante quacumque causa creata repugnarent omnes actiones, quæ ab illa possunt dependere, quia actiones dependẽt immediatè, & per se ipsas ab omni principio à quo possunt depẽdere, ac proinde essentialiter cũ tali principio sũt cõnexæ. Repugnaret etiam omnis effectus, qui nulla interiecta actione ab aliquo principio creato dependet, sicuti intellectio, & aliæ huiusmodi operationes vitales in mea sententia à principio viuenti dependent, quia effectus per se ipsum dependens sine interiecta actione habet secum identificatam rationem actionis, & æquè connexus est cum principio, ac quælibet alia actio à termino distincta. Ex effectibus, qui dependent media actione superaddita, si daretur aliquis, qui etiam de potentia Dei absoluta non posset produci à Deo sine concursu causæ secundæ, à qua non posset non dependere, repugnante tali causa, repugnaret effectus ille, qui sine illius concursu, neque à Deo posset supernaturaliter produci. Huius cõditionis est iuxta sententiã P. Vas. qualitas, in qua intellectio cõsistit, quæ media actione ab intellectu dependet, & de potentia Dei absoluta in sententia P. Vasq. non potest existens ab intellectu non dependere. Sit

7 Tertia Conclvsio. Effectus, qui indifferens est vt producatur à Deo tantùm, & à Deo, & à causa secunda, etiamsi naturaliter semper à causa secunda producatur, repugnante causa secunda adhuc possibilis permaneret, Deo non repugnante. Idem dicerem de effectu, qui respectu huius causæ secundæ, possit ab hac, vel ab illa dependere, & sic non posset non ab illarum aliqua dependere, qui dum non repugnaret vtraque causa, etiamsi illarum aliqua repugnaret possibilis esset. Ratio conclusionem depromit. Effectus indifferens, vt dependeat, & non dependeat ab hac causa potest existere non existente tali causa: ergo existentia effectus non habet connexionem cum existentia causæ: ergo neque possibilitas eiusdem effectus connexionem habet cum possibilitate causæ quia vt dicebam suprà, connexio effectus possibilis cum causa possibili sumitur ex connexione effectus existentis cum causa existente, & cum eis prædicatis, formalitatibus, & affectionibus cognoscitur possibilis, quibus gaudet existens. Habemus ex hac conclusione repugnante omni causa creata productiua caloris, calorem non repugnaturum, quia calor potest existere immediatè productus à Deo absque concursu alius causæ secundæ. Insuper etiamsi fingatur calorem non posse à Deo produci; sed necessariò producendum esse ab igne, vel ab alia causa creata, adhuc in hoc casu ficto, repugnante hoc igne, non repugnaret calor, quia calor existens non necessariò dependet ab hoc igne; sed potest hoc igne non existente, à quo de facto dependet dependere ab alio per aliam causalitatem: quotiescumque enim possibilis est aliqua causa, à qua existente potest effectus adæquatè dependere, necessaria non est possibilitas alius causæ, à qua possit etiam dependere effectus, vt hic sit possibilis. Sit

8 Qvarta Conclvsio. Ex repugnantia omnium actionum collectiuè sumptarum per locum intrinsecum infertur repugnantia effectus, si tamen vnica actio remaneat possibilis media qua effectus possit dependere à causa, etiamsi reliquæ omnes repugnent, subsistet effectus possibilitas. Vtraque pars conclusionis eodem modo probatur de causalitatibus, qua similem conclusionem de causa probauimus. Effectus, qui per se ipsum non dependet à causa non potest existere adhuc de potentia Dei absoluta nulla causalitate existente: ergo in statu existentiæ connexionem habet cum hac, vel illa, vel illa causalitate, & verum est dicere, existentia causalitatis requiritur, vt iste effectus sit extra causas, ita vt neque de potentia Dei absoluta possit dari illius existentia sine causalitatis existentia: ergo neque illius possibilitas sine causæ possibilitate. Deinde: existentia effectus potest dari ex vi hujus causalitatis existentis, aliis quibuscumque non existentibus: ergo possibilitas effectus potest dari, data possibilitate huius causalitatis, etiamsi alia causalitas possibilis non inueniatur.

§. II.

Argumenta soluta.

9 Obiicies primò: Prius est effectum esse possibilem, quàm Deum posse illum producere: ergo etiamsi Deus non posset illum producere, effectus esset possibilis. Probatur antecedens: hæc est vera causalis: ideo potest Deus producere effectum, quia effectus est possibilis; & hæc est falsa: ideo effectus est possibilis, quia Deus potest illum producere. Similiter hæc est vera causalis, quia chimæra est impossibilis Deus non potest illam producere; & hæc est falsa, quia Deus non potest producere chimæram, chimæra est impossibilis: ergo possibilitas, & impossibilitas effectus sunt prius, quàm posse, vel non

posse

posse Deum producere effectum : ergo etiamsi Deus non posset producere hominem , qui modo est possibilis permaneret hominis possibilitas,sicuti etiam Deus posset, aut non posset quatenus est ex se producere chimæram , chimæra impossibilis permaneret.Confirmatur ex D.Thom q. 25. art.5. vbi ait obiectum omnipotentiæ esse non quod Deus potest facere;sed quod ex se non repugnat.

10 Ad solutionem huius obiectionis referenda est perillustris doctrina,quam doctè expendit P.Vasq.1.p.dist.40.c.3. & frustra impugnare conatur Heric.disp.5.c.3.n.46. videlicet omnipotentiam posse dupliciter concipi : primò concipi potest secundum rationem intrinsecam , & virtutem Dei tenentem se ex parte actus primi ex se potentem influere in effectum non implicantem. Secundò potest omnipotentia considerari secundùm alium conceptum extrinsecum, quem sumit à possibilitate effectus,per quem dicitur absolutè potens,non quia conceptus iste sit virtus productiua , aut ratio influens in effectum ; sed quia prior ille omnipotentiæ conceptus , in quo consistit tota ratio productiua per modum actus primi , qui supponitur ad possibilitatem effectus , & ad hunc conceptum , potest quasi impediri impossibilitate effectus , vt illum producat , ac proinde requiritur possibilitas , seu non repugnantia effectus , quasi ablatio impedimenti vt Deus ex se intrinsecè potens producere, non tantùm ex se ; sed absolutè potens dicatur, vel requiritur vt exhibitio materiæ, obiecti , seu termini, circa quem omnipotentia se possit exercere, quia effectu repugnante non posset Deus illum producere non ex defectu potentiæ ; sed ex defectu obiecti, seu termini, circa quem tenderet omnipotentia. Ex his duobus omnipotentiæ conceptibus prior antecedit omnis effectus possibilitatem,& de illo non est verum dicere,quia effectus est possibilis Deus potest illum producere,potius est verum dicere :ideo effectus, qui est possibilis , possibilis est , quia Deus est potens illum producere. Posterior omnipotentiæ conceptus constituitur per possibilitatem effectus,& illam inuoluit, & de illo conceptu omnipotentiæ verum est dicere, quia effectus possibilis est Deus potest illum producere , in qua causali non ponitur ex parte consequentiæ omnipotentia præcisè secundum id,quod intrinsecè dicit in se , & secundùm illud tantùm , quod se tenet ex parte actus primi, sed secundùm conceptum actus primi seu virtutis intrinsecæ Dei vt habentis obiectum expeditum,seu terminum in se aptum vt possit à Deo produci.Ex quo inferes causalitatem, quam significamus cùm dicimus, quia creatura est possibilis Deus potest illam producere , esse quasi in genere causæ formalis,quia per ipsam creaturam, quam instar causæ significamus, vltimò,& formaliter constituitur omnipotentia,quæ ponitur ex parte consequentis, quia omnipotentia , quam dicimus conuenire Deo , quia effectus est possibilis non est virtus intrinseca Dei secundùm se sumpta;sed virtus intrinseca Dei,vt coniuncta cum ipsa possibilitate apta ex se terminare actionem,quam omnipotentia valet iaculari,& virtus intrinseca huiuscemodi sumpta , vt coniuncta cum possibilitate constituitur per ipsam possibilitatem effectus,quæ superuenit virtuti intrinsecæ Dei iam existentis.

11 Consultò dixi omnem effectum,qui est possibilis, possibilem esse,quia Deus est potens illum producere per conceptum intrinsecum omnipotentiæ , quia omnipotentia supponitur vt principium ad possibilitatem , quæ per se ipsam formaliter est possibilitas,& non supponitur ad chimæram,quia etsi ex parte Dei non deficiat virtus, quæ debebat supponi ad chimæræ possibilitatem , ex parte chimæræ deficit intrinseca possibilitas , quæ per se ipsam est possibilitas,quia etsi omnipotentia debeat supponi ad omnem possibilitatem, nõ sufficit hanc supponi,vt effectus sit possibilis,quia omnipotentia tantum intelligitur vt causa illorum prædicatorum, quæ per se ipsam habet quæuis entitas.Eadem ratione contingit in statu existentiæ , in quo, quia homo ex se,& per sua prædicata essentialia est rationalis Deus est causa efficiens hominis existentis , qui sit animal rationale,& non potest esse causa hominis existentis,qui sit equus, similiter , quia equus,ex se est hinnibilis, Deus est causa equi existentis,qui sit hinnibilis, & non potest esse causa equi existentis,qui sit rationalis. In hanc doctrinam voco P.Hurt.disp.15.Met. §.107. vbi asserit hominem non esse possibilem eo præcisè , quia Deus potest illum producere,quia licet ad hoc requiratur omnipotentia Dei, requiritur tamen non repugnantia ex parte hominis. Idem tenet Ripald.tom.1.de ente supern.disp.32. sect.7.n. 35. vbi asserit entitates non habere ab alio intrinsecam non repugnantiam existendi ; sed à se ipsis habere non repugnare existere ab aliis.

Obiic.secundò : Non repugnantia rei seorsim ab existentia non potest terminare causalitatem alicuius principij, neque causa operatur secundum esse possibile ;sed secundum esse existens:ergo effectus possibilis nõ potest dependere à causa possibili,neque causa possibilis potest influere in effectus possibilitatẽ : ergo possibilitas effectus non depẽdet à possibilitate causæ,quia secluſa causalitate inter possibilitatẽ effectus,& causæ possibilitatem nullum aliud est caput,ex quo possit oriri dependentia,aut cõnexio possibilitatis effectus cum possibilitate causæ.Hæc obiectio et doctrina tradita n.1.facilẽ solutionem habet,ibi enim prænonui rem purè possibilem nullum habere esse physicum, ac proinde physicè,neque esse dependentem, neque independentem quod probat obiectio , nihilominus eo modo quo entitas possibilis dicitur esse , dicenda est dependens, sicuti eo modo quo homo dicitur esse possibilis dicitur rationalis , etiamsi in statu possibilitatis nullam possit edere ratiocinationem,quia cum dicimus homo possibilis est rationalis,tantum significamus hominem extiturum rationalem, seu cum potentia ad ratiocinãndum casu,quo existeret:sic similiter cum dicimus entitas possibilis est dependens,tantum significamus casu,quo existeret extiturum dependentem, ita necessariò , vt aliter de potentia absoluta non posset cõtingere,quod sufficiens est,vt in statu possibilitatis dicatur depẽdens à possibilitate effectus,quia in statu possibilitatis, etsi verè nihil physicè sit, est obiectiuè illud quod in statu existentiæ physicè existeret, quia illud quod existeret,eo modo quo existeret possibile denominatur. 12

Ex hac doctrina ad formam argumenti facile respondetur distinguendo vtramque partem antecedentis, & consequens illatum per hos terminos physicè , & obiectiuè: effectus enim possibilis terminat causalitatem , non physicè ; sed obiectiuè, hoc est illam terminaret necessariò , si existeret. Similiter causa possibilis influit , non physicè, sed obiectiuè, hoc est influeret ipsa existens, si effectus esset extiturus , eademque ratione possibilitas effectus non dependet physicè , quia physicè nullam habet entitatem; sed obiectiuè , hoc est dependeret necessariò, si existeret, neque aliud volumus significare cum dicimus creaturam possibilem dependere ab alio , ac cum dicimus hominem possibilem esse rationalem,quia tantum possumus intendere significare hominem habiturum virtutem eliciendi ratiocinationem,casu quo existat,quod est illam habere obiectiuè dum est possibilis,non enim potest in alio sensu dici de homine possibili esse rationalem , quia homo purè possibilis verè non est,ac proinde physicè non potest esse dependens neque rationalis,neque habere aliquod prædicatum. Quod si tibi videatur sufficiens, non esse,vt homo possibilis dicatur dependens à causa prima , ex eo quod existens necessariò dependeret , dicito hominem possibilem dicendum non esse rationalem,quia non ex alio capite in statu possibilitatis rationalis dicitur,nisi quia eo ipso quod existat,existet cum virtute ratiocinandi,& sic reliqua alia prædicata poteris præscindere à quocumque ente possibili, quia nullo alio titulo illi competunt in statu possibilitatis , nisi quia illis physicè gauderet in statu existentiæ.Id quod dixi de duplici conceptu intrinseco,& extrinseco omnipotentiæ intelligendum est proportione seruata respectu effectuum, quos continet, de quacumque virtute creata non connexa cum possibilitate effectuum imò de illa , quæ connexionem huiusmodi haberet , licet hæc secundum conceptum intrinsecum esset connexa cum non repugnantia effectus , per quam vltimo constituitur conceptus extrinsecus potentiæ ad tales effectus. Dices re sic intellecta extra quæstionem esse hominem possibilem dependere à Deo , quia extra quæstionem est hominem existentem habiturum dependentiam,& implicare ipsum existere sine hac dependentia.Respondeo re benè inspecta,& intellecta absque controuersia admittendam esse conclusionem , quam defendimus , non tamen posse sine magna disputatione ita reduci ad prima principia , in qua multi discendunt à principiis , in quibus debet procedere disputatio de quocumque prædicato rei possibilis , & ita nostram conclusionem audent negare.

Obiicies tertiò : Ens creatum eo ipso,quod sit ens creatum tantum petit dependere ab aliqua prima causa , à 14

qua

qua recipiat esse : ergo si per impossibile non existeret hic numero Deus, qui modò est ; sed alius æquè omnipotens, creatura, quæ modò est possibilis, permaneret adhuc possibilis : ergo possibilitas creaturarum, quæ modò sunt possibiles non habet connexionem cum hoc numero Deo: ergo si per impossibile existeret alius Deus loco huius, permanerent eædem creaturæ possibiles, quæ de facto possibiles sunt. Respondeo. posse consequentiam concedi, & admitti consequens absque vlla contradictione doctrinæ traditæ, iuxta quam posset dici creaturas possibiles necessariò supponere aliquam primam causam veram, & non fictam, & cùm absolutè tantum sit vera prima causa hic numero Deus, & commentitius omnis alius Deus ab isto distinctus, hinc est creaturam necessariò supponere hunc numero Deum, casu autem ficto, quo daretur alius numero Deus non fictus ; sed realis, & verus & parum referre admittere hoc deficiente, creaturas, quæ modò sunt possibiles, intrinsecam possibilitatem retenturas. Sentio tamen melius dici, adhuc casu ficto, quo existeret alius Deus loco huius numero Dei Optimi Maximi, qui summè necessariò existit, creaturas omnes, quæ modò sunt possibiles, repugnatum iri, quia modò capacitatem non habent quatenus est ex se terminandi actionem ab alia prima causa distincta à vera prima causa, quæ summè necessariò existit, & ita deficiente hoc Deo, & alio adueniente virtutem non haberent terminandi causalitatem exeuntem ab illo Deo, qui tunc esset, quia cum in illa hypothesi creaturæ essent eædem eamdem capacitatem haberent terminandi causalitates, & carerent capacitate, quam modò non habent, quapropter non possent depẽdere ab illa prima causa, quæ tunc esset, quæ respectu illarum perinde se haberet, ac si non existeret, & ita ex repugnantia huius primæ causæ, quæ nunc summè necessariò existit inferretur repugnantia creaturarum, quæ modò sunt potentes tantùm terminare actionem procedentem à Deo vero, qui est, & non à fictis, qui casibus chimæricis supponuntur.

15 Instabis de ratione omnipotentiæ est vt possint ab illa dependere omnes effectus possibiles : ergo de ratione illius omnipotentiæ realis, quæ modò fingitur, esset, vt effectus, qui modò existunt possent ab illa dependere. Resp. de ratione omnipotentiæ esse vt ab illa possint dependere omnes effectus, qui sunt possibiles, si possibiles essent in quacumque suppositione, in qua ipsa existeret ; non verò esse de ratione omnipotentiæ vt possint ab illa dependere effectus, qui tantum essent possibiles, casu quo ipsa repugnaret, & alia omnipotentia existeret. Hac ratione non esset de conceptu illius omnipotentiæ, quæ fingitur, vt ab illa possent dependere effectus, qui possint ab ista dependere, quia casu, quo illa existeret, repugnaret ista cum per locum intrinsecum repugnet coëxistentia duarum omnipotentiarum, sicuti repugnant duo Dij coëxistentes, & consequenter repugnarent effectus, qui modò ab hac omnipotentia possunt dependere.

Pvnctvm VI.

An causæ, & effectus mutuò referantur.

§. I.

De causis creatis, & de effectibus.

1 Sentiunt multi idem esse causam transcendentaliter ad effectum referri, ac esse connexam cum illius possibilitate: ita tenet Ripald. tom. 1. de ente supernat. disp. 2. 3. sect. 1. n. 2. vbi asserit ordinem transcendentem naturæ in actus supernaturales non aliud intelligi, quàm connexionem intrinsecam naturæ cum his actibus ex vi cuius repugnantibus actibus natura repugnaret. Ab hoc vulgari dicendi modo pauci recedunt, quorum Soar. 1. p. lib. 3. cap. 9. n. 13. vbi asserit Deum esse intrinsecè connexum cum creaturis possibilibus, & negat ad illas transcendentaliter referri, quia id quod transcendentaliter refertur ad aliud, debet ordinari in illud tanquam in finem ; omnipotentia verò non potest respicere tanquam finem illius creaturas, & ita non potest in illas transcendentaliter referri, & P. Fasol. 1. part. q. 12. art. 8. dub. 12. n. 68. docet omnipotentiam esse connexam creaturis possibilibus, & non transcendentaliter referri ad illas, quia relatio transcendentalis respicit aliud vt suum perfectibile, sicut materia respicit formam, per quam perficitur, & forma materiam, per quam etiam perficitur, omnipotentia autem in nullo perficitur per effectum ad extra productum, & ita non potest ad illum transcendentaliter referri. Idem tenet Herice, qui docet disp. 5. c. 4. omnipotentiam esse connexam cum possibilitate creaturarum, & negat dicere relationem transcendentalem ad creaturas.

Cæterùm ex alio capite ego dissentio à sententia, quæ 2
relationem transcendentalem cum connexione conuertit: sentio enim omnem entitatem cum alia connexã ad illam transcendentaliter referri, non tamen omnem entitatem transcendentaliter relatam connexionem habere cum termino, ad quem infertur Hanc posteriorem partem conclusionis probaui Puncto 2. vbi statui posse dari relationem transcendentalem ad terminum, qui neque existat, neque possit existere, ex quo infertur relationẽ transcendentalem non habere connexionem cum suo termino, id enim, quod potest existere sine existentia, & sine possibilitate aliûs non potest dici cum illo connexum. Eamdem conclusionis partem rursus confirmabo cùm probem causam non connexam cum effectu, adhuc possibili, ad illius existentiam transcendentaliter referri. Priorem partem videlicet omnem identitatem cum alia connexam ad illam transcendentaliter referri, sic probo. Quidquid per suammet entitatem est cum alia connexum nõ potest intuitiuè cognosci sine illo extremo, cum quo est connexum, quia connexio, est proprium intrinsecum prædicatum, quo nequit sine extremo quidditatiuè cognosci, sicuti non potest vnio quidditatiuè cognosci sine extremo, quod ex vi illius connectitur. Sed transcendentaliter referri ad aliud tantum dicit non posse sine illo quidditatiuè cognosci : ergo quidquid est cum alio connexum ad illud transcendentaliter refertur. Maiorẽ negabit nemo : minor constat ex dictis Punct. 1. vbi essentiam relationis transcendentalis explicui. Consequentia est legitima. Secundo : Causa creata connexa cum his effectibus possibilibus, quos producere potest, connexionem non habet cum possibilitate aliorum effectuum, quos producere nequit: ergo ex vi connexionis diuerso modo se habet respectu illorum effectuum possibilium, quos in se continet, ac repectu aliorum: ergo aliquem respectum transcendentalem habet ad hos effectus possibiles, cum quibus connectitur, qui modus ille diuersus se habendi est repectu aliûs quod est esse respectiuum, seu ad aliud, & insuper est identificatus cum entitate, quæ dicitur repectiua, & transcendẽs illius prædicata essentialia, ac proinde nihil in illo potest desiderari, vt respectus transcendentalis dici possit. Eodem modò philosophandum esset de omnipotentia, si hæc esset connexa cum possibilitate effectuum, quia licèt hæc connecteretur cum possibilitate omnium, qui modò sunt possibiles, & non modo aliquo speciali se haberet repectu vnius, quo non se haberet respectu reliquorum omnium, iam omnipotentia illa talis esset, vt repugnante homine deficeret, & modò non deficit repugnante Hircoceruo, & similiter posita possibilitate Hircocerui repugnaret, & modò posita possibilitate hominis non repugnat. Insuper posita omnipotentia connexa cum effectibus possibilibus, hæc est bona consequentia. Existit hæc omnipotentia : ergo possibilis est homo, & tamen non est bona consequentia : existit omnipotentia: ergo possibilis est hircoceruus: ergo omnipotentia illa aliquid intrinsecũ habet respectu creaturarum, quę modo sunt possibiles, quas in se cõtinet, quod non habet respectu entitatum, quæ repugnant, quas neque quatenus est ex se continet : ergo omnipotentia sic connexa per suam entitatem habet habitudinem aliquam cum creaturis possibilibus, per quam potest inferri iudicium de possibilitate creaturarum de ductum ex existentia omnipotentiæ cũ illis connexæ, quæ omnia arguunt non posse talem omnipotentiam cognosci non cognitis creaturis, cum quibus habet connexionẽ, & formaliter dicunt habitudinem intrinsecam, seu respectũ transcendentalem omnipotentiæ ad creturas possibiles.

Rationes, quas adducunt Soar, & Fasol. ad probandum 3
omnipotentiam connexam cum creaturis possibilibus non trancendentaliter ad illas referri, neque multum premunt, neque difficilè soluuntur. In primis gratis docet P. Soar. relationem transcendentalem debere aliud respicere tanquam finem, quod si verum esset, neque causæ creatæ haberent relationem transcendentalem ad effectus, quos in se virtualiter continent, quia non omnis causa

tanquam finem omnem effectum, quem potest producere, quis enim dicet finem hominis esse possibilitatem,seu existentiam impulsus, quem potest lapidi imprimere. Secundò, Actio transcendentaliter refertur in principium actiuum, passiuum, & terminum, & non hæc omnia tanquam finem respicit.Tertiò : idem P.Soar.disp.46.Metaph.sect.2. n.9.asserit rationem transcendentalem respicere aliud tanquam subiectum,vel obiectum, vel agens,vel finem : ergo de ratione relationis transcendentalis non est determinatè respicere aliud tanquam finem.Neque maiori fundamento dixit P.Fasol.relationem transcendentalē respicere aliud, vt suum perfectibile,quia effectus per actiones transeuntes producti nulla ratione perficiunt principia creata, à quibus procedunt, & tamen terminant illorum transcendentalem respectum,vt fert communis opinio.Effectus productos per actiones transeuntes non perficere principia, à quibus procedunt,videtur per se notum, quid enim perfectionis homini adducit impulsus ab illo in lapide productus? Quod si dicas quemlibet effectum productum à causa creata, esse perfectionem extrinsecam causæ,à qua procedit,adeò extrinsecè, & impropriè effectus isti principia creata perficiunt, vt possit eodem modo dici huiusmodi effectus esse perfectiones extrinsecas principij increati, à quo procedunt.

4 His præmissis Sit Prima Conclvsio. Nulla virtus productiua creata potest intuitiuè, & clarè cognosci, quin cognoscatur effectus virtualiter in illa contentus,siue hic sit impossibilis, siue possibilis existat. Ratio est, quia etiam si virtus causatiua sit independens ab effectu secundum se nihilominus in se specialiter continet hunc effectum,& non alium : ergo,qui intuitiuè virtutem hanc cognoscat,ignem,v.g. dicet ignis ex se est potens producere hos effectus,quicumque sint, quos ignis potest producere, & non alios : ergo ex vi huius cognitionis debet saltem apprehendere calorem,qui potest ab igne produci : implicat enim hoc iudicium : ignis est specialiter productiuus caloris & non aliorum effectuum,quin apprehēdatur. Rem explico. Pono virtutem productiuam caloris in igne, & virtutem productiuam frigiditatis in aqua sine aliqua connexione cum possibilitate effectuum, quos in se continet. Qui cognosceret has virtutes diceret : ignis quatenus est ex se est potens producere calorem,quem producet si ipse non implicet, & si forsan virtutem istam comparet cum frigiditate dicet, quantumuis ex se frigiditas non repugnet, non poterit illam ignis producere.Similiter,qui intuitiuè penetret aquæ naturam necessariò dicet:aqua quatenus est ex se, potens est producere frigiditatem, & illam producet si non repugnet,quod iudicium fieri nequit sine apprehensione frigiditatis;rursus si virtutem aquæ comparet cum calore dicet quantumuis ex se calor non repugnet non poterit illum aquæ producere:ergo virtus creata,quæ tantùm se potest ad certos & determinatos effectus extendere, & non ad omnes, specialiter ducit in cognitionem illorum effectuum, quos in se continet.

5 Secvnda Conclvsio.Omnis virtus productiua creata dicit habitudinem,seu respectum ad effectum,quem in se continet. Hæc conclusio rectè ex præcedenti infertur, quia vt benè docet P.Didacus Ruiz disp.5.de scientia,s.2. relatio transcendētalis in eo cōsistit,quod aliqua res in genere substantiæ, vel aliùs prædicamenti extra relationem non possit cognosci,nisi rem aliam in obliquo cognoscendo : sed nulla virtus creata potest cognosci, quin cognoscatur effectus in illa contentus : ergo ad illos transcendentaliter refertur.Secundò virtus productiua caloris cum igne identificata,etiamsi independens sit à possibilitate caloris,tamen diuerso modo se habet respectu caloris,quem etiā implicantē, quatenus est ex se,virtualiter continebit, quā respectu frigiditatis, vt dicebam numero præcedenti: ergo ex se aliquid habet respectu caloris,quod non habet respectu frigiditatis, quod cū sit in ordine ad aliud respectiuum dici debet, & cùm sit quid identificatum cum virtute ignis respectiuum transcendētaliter purè appellatur.

6 Tertia Conclvsio. Respectus transcendentalis causæ non est ad puram possibilitatem effectus existentia secluſa ; sed ad ipsam formalissimam existentiam effectus. Probatur conclusio ex identitate possibilitatis cum existentia ; ex qua infertur non posse possibilitatem intrinsecam rei terminare respectum aliquem, quem existentia non terminet. Secundò efficaciùs : virtus productiua dicit ordinem ad illud,quod dicitur virtualiter in illa cōtentum, tanquam effectus in causa ; sed id quod est contentum in virtute productiua tanquam effectus in causa est ipsa formalissima existētia rei:ergo virtus productiua ad formalissimā rei existentiā dicit respectū. Maior est certa,non enim alia ratione refertur causa ad effectū,nisi quia illū intra se cōtinet:Minorem probo.Id continet virtus productiua virtualiter in se,quod extra se ponit, & quod attingit media causalitate,sed quod extra se ponit,& quod attingit media causalitate,imò & quod potest ponere extra se,& quod potest attingere media causalitate est formalissima effectus existentia,vt vltimò ad actum reducta:ergo id,quod virtus productiua intra se virtualiter cōtinet est formalissima rei existentia,& non pura possibilitas,vt distincta ab existētia.

Qvarta Conclvsio. Respectus causarum non est ad aliquam rationem communem ab effectibus abstractam, 7
sed ad vltimas differentias indiuiduales cuiuscumque singularis effectus. Conclusionem hanc latè tradit Hurt.disp. 8.Physic. sect.3. per quinque subsectiones vbi plura tradit, quæ ad doctrinam conclusionis traditæ spectant. Paucis ego rem ostendo. Relatio causæ est ad id, quod in se continet,& quod attingit media causalitate,& ponit extra se. Sed causa non in se continet, neque attingit media causalitate, aut ponit extra se rationem aliquam communem omnibus effectibus,sed singulos effectus in particulari cum sua vltima indiuiduali differentia, quæ à causa producitur: ergo non refertur transcendentaliter ad aliquam rationem communem : sed ad singulos effectus indiuiduliter sumptos. Hæc est potissima ; & formalissima huius conclusionis ratio, ideò illi supersedeo, & aliis minùs efficacibus parco, ne illius veritatem omnino certam suspectam reddam. De obiectis potentiarum intentionalium hic agunt nonnulli,quod alienum à causarum disputatione, potentia enim non est causa obiecti:sed actus respiciētis obiectum, ad quem indiuiduliter sumptum refertur relatione transcendeniali,sicuti ignis refertur ad caloré;relatio verò potentiæ ad obiectū non est immediata;sed medio actu,& ita rationem illam obiecti respicit potentia, quam respicit actus, medio quo potentia obiectum respicit,ex quo infertes potentiam intellectiuam producentem intellectionem indiuidualem respicientem rationem indiuiduam obiecti,& medio hoc actu respicere rationem indiuiduam obiecti,& eamdem potentiam producentem alium actum, qui respiciat rationem communem obiecti præcisam à differentia indiuiduali medio illo actu respicere rationem communem præcisam à differentia indiuiduali, quia respicientia potentiæ ad obiectū, non distinguitur à respicientia actus ad obiectum,sed respicientia,quā habet actus per se ipsum tribuitur potentiæ,à qua producitur, quæ immediatè, & per se obiectum non respicit, sed tantum quatenus producit actum respicientem obiectum. Neque respectus iste mediatus potentiæ ad obiectum est respectus causæ ad effectum, quia potentia respicit obiectum medio actu, qui non respicit obiectum relatione causæ ad effectum.

Qvinta Conclvsio. Effectus omnes transcendentaliter referuntur ad causam primam,& ad alias secundas, 8
à quibus procedunt. Ratio est : Quilibet effectus ex se habet capacitatem ad terminandam causalitatem procedentem à causa prima,& ab hac causa secunda,& non ab alia, & virtualiter continetur in causa prima,& in hac causa secunda,& non in alia, ex quo fit illū qui intuitiuè penetret effectū,& cognoscat hanc capacitatē terminandi causalitates,& continentiā passiuam effectuum in causis non posse effectus cognoscere sine habitudine, seu respectu ad causas,quas obliquè cognoscat,vt terminos illius habitudinis.

Præcipua difficultas,quæ in hac materia poterat adduci 9
petenda erat ex eo quod non possit dari realis relatio transcendentalis ad terminum non realem, & repugnantem, quam solui Punct 2. vbi oppositum probaui.

§. II.

De causa increata.

DE omnipotentia difficiliùs potest in hac quæstione 10
iudicium ferri, præcipuè iuxta principia tradita,ex quibus negatio connexionis negationem relationis nō arguit. Authores citati Punct.4. asserentes omnipotentiam non esse connexā cum effectuum possibilitate negant aliquam relationem transcendentalem dicere ad effectus,adhuc vt possibiles,non ex alio capite,nisi quia relationem sine connexione non admittunt. Ex his qui omnipotentiam

connexam

connexam cum possibilitate constituunt, transcendentaliter referri negant P.Soar. P.Fasol.& P.Heric. relati n.1. Cæterùm P.Granad.citatus Punct 4.n.2. & P.Didac.Ruiz de Trinit.disp.62.sect.2. asserunt dari in Deo respectũ trãscendentalem ad creaturas,non solum possibiles,sed etiam existentes,asserúntque prædictum respectum esse realẽ intrinsecam perfectionem Dei Gregor.Ariminens. in 1. distinct.30. q.3. conclus.3. dixit Deum ab æterno referri ad creaturas non existentes, quia illarum est causatiuus,quibus verbis tradidisse puto de omnipotentia conclusionem quam §.præcedenti ego tradidi de causis creatis videlicet referri ad existentias, quas in se virtualiter continent, & quas possunt causare, etiamsi creaturæ non existant, imò etiamsi non sint possibiles,quia ratio, propter quam causa creata ad effectum refertur est, quia illius est causatiua, seu quia illum in se continet, & quatenus est ex se illum potest producere,siue effectus sit possibilis, siue impossibilis,quod est valdè extrinsecum causæ & respectui,qui cum illa identificatur.Gabr.tom.1.in 1.p.disp.104.c.3. suppresso nomine refert recentiores quosdam asserentes omnipotẽtiam dicere relationem transcendentalem ad creaturas,& P.Hurt.disp.15.Met. sect.9. docet probabilem esse opinionem admittentem hos respectus transcendentales in omnipotentia,licèt ipse oppositam amplectatur.

11 In meis principiis faciliùs videtur posse hunc respectum transcendentalem in Deo admitti,quia cum respectus trãscendentalis non dicat connexionem cum termino,absque vlla dependentia Dei à creaturis, & absque vlla imperfectione poterit respectus iste in omnipotentia constitui. Deinde consequenter ad id,quod diximus de causis creatis videtur eodem modo philosophandum esse de causa increata,cum eodem modo constituamus causas creatas,& increatas absque vlla connexione cum possibilitate effectuum,quos in se cõtinet. Vrgeo ex eo quod ignis sit productiuus caloris independenter à caloris possibilitate, qui intuitiuè cognoscit ignem debet cognoscere ignem quatenus est ex se posse calorem producere,quod fieri nequit sine apprehensione caloris:ergo eodem modo,qui cognoscit omnipotentiam esse productiuam caloris, debet apprehẽdere calorem,id quod quælibet virtus creata habet respectu aliquorũ effectuum, habet virtus omnipotentiæ respectu omnium,& sicut virtus creata non potest intuitiuè cognosci non cognitis certis effectibus,quos potest producere,ad quos transcendentaliter refertur, quia sine illis non valet cognosci,sic omnipotentia cognosci non poterit,quin cognoscantur omnes effectus,quos in se continet, saltem sub aliquo conceptu confuso, & vniuersali, & ad illos transcendentaliter referetur, quia sine illis cognosci non poterit.

12 Cæterùm grauis me tenet difficultas ne in hanc abeam sententiam,quia si concedamus omnipotentiã referri trãscendentaliter ad effectus possibiles, cum quibus nullam habet connexionẽ, eo modo concedendum est transcendentaliter referri ad hircoceruum,hippocentaurũ,& aliam quamcumque chimæram. Ratio est facilis:Omnipotentia quatenus est ex se, non solùm est potens producere calorem possibilem;sed hircoceruum impossibilem, quem absolutè ex vivirtutis,quã habet absolutè posset producere,si ille ex se non repugnaret:ergo si ex eo quod omnipotentia ex se sit productiua caloris independenter ab illus possibilitate,vel impossibilitate, non potest intuitiuè cognosci,quin saltem apprehendatur calor, & ad hunc transcendentaliter referatur:sic ex eo quod omnipotentia ex se sufficiens sit producere hircoceruum independenter ab illius possibilitate,vel impossibilitate,non poterit intuitiuè cognosci,quin apprehendatur hircoceruus,& ad illum transcendentaliter referatur omnipotentia, quæ quatenus est ex se,eodem modo se habet respectu effectus possibilis,& impossibilis, ad vtrumque enim Deus ex se sufficientem virtutem habet, quæ ad actum reduci nequit respectu effectus impossibilis,non ex defectu virtutis seu potentiæ,sed ex repugnantia ipsius effectus. Dicere autem omnipotentiam intuitiuè cognitam determinare ad apprehensionem omnis chimæræ excogitabilis paradoxum est. Neque sufficiet dicere tantùm determinare ad cognitionem omnium chimærarum sub conceptu confuso, & vniuersalissimo,quo dicat, qui intuitiuè videt omnipotentiam, omnipotentia ex se virtus est sufficiens ad producendum,quidquid non implicauerit, quia Deus non apprehendit obiecta sub confuso modo;sed vnumquodque valdè distinctè, & ita Deus eo ipso quod suam omnipotentiam cognoscat, tenebitur ex vi omnipotentiæ apprehendere quamcumque excogitabilem chimæram, & habere hoc iudicium : mea omnipotentia ex se sufficiens est producere hircoceruum, quo iudicio obliquè tanget hircoceruum, & sic de omnibus chimæris, quæ confingi possunt. Deinde quidquid sit de modo, quo chimæræ deberent cognosci ex eo quod omnipotentia intuitiuè cognosceretur,si omnipotentia determinat ad illarum cognitionem transcendẽtaliter referri ad illas,quod multis plus quàm temerarium videbitur, licet alij forsan non adeò seuerè de hac re sentirent, cùm relatio transcendentalis iuxta nostra principia non importet aliquam connexionem, neque dependentiam à termino. Deinde cum omnes qui omnipotentiam constituũt non connexam cum creaturis possibilibus, & asserunt hircoceruum esse ab hac numero omnipotentia producendũ si per impossibile fieret non repugnans, concedunt omnipotentiam de facto existentem quatenus est ex se habere modò virtutem sufficientem ad producendum hircoceruũ, & illum in se virtualiter continere,licet de facto possit eũ producere propter repugnantiam, quam inuoluit ipsius existentia, & admittunt omnipotentiam esse ex se continentiam virtualem illorum, quæ de facto implicant, sic non videtur graui censura dignum admitti relationem transcendentalem in omnipotentia.absque vlla connexione, seu dependentia respectu illorum, quorum in eadem omnipotentia virtualis admittitur continentia.

Nihilominus inauditũ hucusq; fuit omnipotentiã trans- 13
scendentaliter referri ad entia,quæ de facto possibilia non sunt,& non sine ingenti paradoxo diceretur. Ideo censeo omnipotentiam ad nullum effectum, quem in se continet, transcendentaliter referri, neque ex vi illius intuitiuè cognitæ debere apprehendi aliquem effectum in illa contentum. Moueor à posteriori ad negandum omnipotentiæ respectum ad creaturas possibiles,ne cogar concedere omnipotentiam referri transcendentaliter ad omnes chimæras excogitabiles,quod nemo admisit,& mihi est valdè absurdum. Rationem à priori eiusdem conclusionis sic confficio: omnipotentia eo ipso,quod virtus est infinita, ex se potens est producere quidquid non implicauerit, & eodẽ modo se habet respectu omniũ producibilium,& nihil speciale habet respectu huius effectus,quod nõ habet respectu aliũs cuiuscumque:omnes enim eminenter in se continet: ergo ad hoc vt beatus, vel Deus intuitiuè cognoscat id, quod nos cognoscimus per hos conceptus, omnipotentia quatenus est ex se,est potens producere hominem,& hircoceruum si non implicent, & præcisè quia hircoceruus implicat non potest illum producere, non ex defectu virtutis, sufficiet intuitiuè cognoscere infinitatem omnipotentiæ,quæ dicit intrinsecè, & in se hanc eminentissimam omnium continentiam, ex vi cuius Deo inest virtus ad producendum quemcumque effectum assignabilem,si ipse in se non repugnet,& tunc non ex defectu virtutis requisitæ ex parte actus primi;sed ex repugnãtia ipsius produci non poterit,sufficiet ergo ad hoc vt omnipotẽtia intuitiuè cognita penetretur,cognosci ipsam esse virtutem productiuam infinitam,cuius infinitatem nos concipere non possumus,nisi cum ordine ad vniuersos effectus,ad quos ipsa se potest extendere,beatus autem,qui omnipotentiam,vt est in se cognoscit,id percipit per simplicissimum conceptum attingentem virtutem productiuam infinitam,cuius infinitas importat extensionem ad omnes effectus, ita vt nullus possit illius actiuitatem subterfugere, neque illius actionem,si ipse in se non repugnet,tunc enim,& actio ad ipsum terminata repugnabit.

Ex hac ratione disparitatem deprehẽdes inter virtutem 14
productiuam creatam,& increatam omnipotentiam,propter quam virtus productiua creata relationem dicat ad effectus,quos cõtinet,quam non dicit omnipotentia, quia virtus productiua creata certos, & determinatos effectus in se continet,quos,& non alios, potest producere, & ita speciali modo se habet ad illos;quos continet, quo non se habet ad alios, quæ specialis habitudo cognosci nequit non cognitis effectibus, quos specialiter virtus illa eminenter continet; omnipotentia verò nullam specialem habitudinem dicit ad aliquem effectum; sed æquè est potens ad omnes effectus,& non solum se extendit ad omnes possibiles,sed etiam eadem existens se extenderet ad omnes,qui modo implicant,si illorũ repugnantia impediméto non esset, vt ab omnipotentia producerentur : si enim ab

hircoceruo repugnantiam præcideres eodem modo posset produci à Deo ex vi virtutis, quam modo habet, nulla alia illi aduenière, ac potest modo produci homo, qui de facto producitur, quod proprium est infinitæ virtutis, nulla enim virtus creata potest dari, ex vi cuius primum esse accipere possit tanquam à causa principali quidquid in rerũ natura producitur, etiam illud quod modò repugnat, si fieret non repugnans. Negandus ergo omnipotẽtiæ respectus aliquis ad effectus, quos in se continet ratione huius vniuersalissimi modi illos continendi nulla habita ratione ad naturam huius, vel illius, cuiuscũque enim naturæ effectus assignatur, Deus ex se habet sufficientem virtutem ad illum producendum, & illum absolutè poterit producere absque vllo impedimento, si effectus in se repugnantiã non inuoluat. Secundum hanc doctrinam non renuerem concedere omnipotentiam dicere respectum transcendentalem ad hos effectus, qui modo sunt possibiles, si illam cum his possibilibus connexam constituerem, quia omnipotentia connexa cum his possibilibus, quæ eadem non esset si hircoceruus fieret non repugnans, adhuc præcisá repugnantia hircocerui diuerso modo se haberet respectu hircocerui non repugnantis, ac se habet modò respectu hominis non repugnantis, quia nunc existente non repugnantia hominis illi coëxistit omnipotentia, & illum potest producere, si tamen daretur non repugnantia hircocerui, omnipotentia, quæ modo consideratur connexa cum his possibilibus, quæ sunt de facto, non posset existere, neque valeret hircoceruum non repugnantem producere, quod iuxta meam sententiam est contra conceptum omnipotentiæ, vt dicebam Punct. 4. num. 11. ideò absolutè pronuncio omnipotentiam nullam habere connexionem cum possibilibus, & eamdem omnino futuram, si effectus omnes, qui modò sunt possibiles, fierent impossibiles, & illi qui modo repugnantiam inuoluunt, in non repugnantiam transirent.

PVNCTVM VII.

Quomodo effectus cognoscantur in causa, & quinam illorum cognosci debeant.

1 CVm natura relationis transcendentalis in eo sita sit, vt non possit vnum sine alio cognosci, plurimum conducet ad perfectam cognitionem relationum, quas dicunt causæ ad effectus agnoscere quo modo effectus cognoscantur in causa, & an in causa intuitiuè cognita cognosci debeant omnes effectus, quos ipsa continet, vel illorum aliqui, & an illi, qui cognoscuntur debeant cognosci sub vniuscuiusque indiuiduali differentia, vel sufficiat ipsos sub aliqua communi ratione cognosci?

2 P. Vasquez 1. part. disp. 50. & 69. locis iam citatis Becan. tract. 1. q. 4 & 8. Albert. q. 2. Theologica, Alarcon tract. 2. de scientia, disp. 2. c. 3. & apud hos Scotus, Bonauentura, Maior, Marsil. Almain. Gabriel, & Ochamus asserunt in omnipotentia nullam creaturam possibilem agnosci. Assentior conclusioni, quam tradidi Punct. præcedenti, verumtamen si rationi horum Doctorum assentirem, non solùm in omnipotentia; sed neque in alia quacumque causa creata effectus aliquis cognosceretur, prædicti enim authores ex eo negant creaturas in omnipotẽtia cognosci, quia omnipotentia indifferens est, vt coniungatur cum possibilitate creaturarum, vel cum ipsarum repugnantia, ac proinde non potest ducere in cognitionem possibilitatis, cum qua connexa non est: cum ergo ego defendam nullam causam creatam connexam esse cum possibilitate effectuum, quos in se continet, quidquid inferatur in omnipotentia ex eo præcisè quod connexa non sit cum effectuum possibilitate, poterit in quacumque alia causa inferri, ideo oportet huius rationis momenta perpendere.

3 P. Heric. disp. 51. tract. de visione c. 3. docet sufficere continentiam virtualem creaturarum in omnipotentia, etiam si relatio, aut connexio non intercederet, vt possent in ipsa omnipotẽtia cognosci, quod docuerat P. Soar. lib. 2. de attributis, c. 25 & P. Arrub. disp. 3 c. 3. docet Deũ ex vi penetrationis essentiæ cognoscere creaturas possibiles, cũ quibus nullam connexionem inesse alicui Dei intrinseco prædicato defendit, in quorum sententia non rectè infertur præcisè ex indifferentia omnipotentiæ, vt coniũgatur cum creaturis possibilibus, vel cum illarum repugnantia non posse creaturas possibiles in omnipotentia cognosci.

4 Censeo in causa siue creata siue increata indifferenti vt coniungatur cum possibilitate effectuum, & cum eorumdem repugnantia non posse iudicatiuè cognosci possibilitatẽ alicuius effectus, id enim quod cum alio connexũ non est, quantumuis intuitiuè cognoscatur non potest intellectum determinare, vt de illo iudiciũ ferat, imò quò magis intuitiuè penetretur, magis cognoscetur indifferentia ad vtrumque extremum, quæ magis suspensum relinquet intellectum ad iudicandum, quod etiã illorum verè existat. Cæterùm hæc indifferentia non impedit tale medium determinare intellectum ad apprehensionem obiecti, cuius est virtus, & virtualis continentia. Sic contingit indicio probabili quod indifferens est vt coniũgatur cum obiecto, & cum negatione illius, & ex hoc capite non potest esse medium sufficiens, vt in illo iudicatiuè cognoscatur illius obiectum, nihilominus non potest intuitiuè cognosci, quin obiectum per illud repræsentatum, cum quo potest non coniungi apprehensiuè cognoscatur, quia ex se intrinsecè, & per suam entitatem est repræsentatio talis obiecti, & est determinatum ad repræsentandum hoc, & non aliud ab isto distinctum, & ita vt intuitiuè cognoscatur debet cognosci vt repræsentatio huius obiecti, quod fieri nequit si hoc determinatum obiectum non apprehensiuè saltem cognoscatur.

5 Ex alio capite creaturas possibiles adhuc apprehensiuè in omnipotentia non cognosci, omnes effectus virtualiter contentos in quacumque alia causa creata in illa tanquam in medio debere apprehẽsiuè cognosci statui Puncto præcedenti, vbi propugnaui relationem transcendentalẽ causæ creatæ ad effectus, quos virtualiter continet, & eamdẽ relationem in omnipotentia impugnaui. Cæterùm ex hac doctrina non leuis insurgit difficultas circa modum cognoscendi in causa creata effectus in illa contentos, & quinam illorum debeant cognosci an omnes, an tantùm illorum aliqui? Exempli gratia: Agnosco intuitiuè ignem, qui virtutem habet producẽdi plures calores numero distinctos, inquiritur an ex vi huius intuitiuæ cognitionis debeã ego apprehendere omnes calores contentos in illa virtute secundum vltimam differentiam indiuidualem illorum, vel sub aliqua ratione communi, vel tantum illorum aliquos, hos vel illos? Similem, imò omnino eamdem quæstionem exagitant Theologi asserẽtes creaturas possibiles cognosci in omnipotentia, qui dubitant, an omnes, an illarum aliquæ, an sub communi aliqua ratione, an sub propria vniuscuiusque differentia cognoscendæ sint? Dicam quod iudicium Theologi, asserentes creaturas in omnipotentia cognosci, ferant de hac quæstione in omnipotentia, quod eodem modo ferendum est in qualibet alia causa creata respectu effectuum, quos in se continet.

6 Videri omnes creaturas possibiles in omnipotentia defendunt Gotfred. quodlib. 9. q. 3. Bassol. q. 4. prolog. 1. art. 3. Durand. in 3 dist. 4. q. 2. & in 4. dist. 49. q. 3. Albert. Magn. in 3. dist. 14. Nõ omnes creaturas possibiles, sed aliquas in omnipotentia videri docent D. Thomas 1. p. q. 12. art. 7. & 8. & ibid. Caiet. Bañez, & Zumel. P. Valent. punct. 6. P. Molina disp. 5. P. Soar. t. 1. in 1. p. lib. 2. cap. 26. Ferrara cum D. Th. tertio contra gentes cap. 56. Capreol. in 4. dist. 49. q. 6. Sot. quæst 3. art. 3. Mouentur hi Doctores quia si omnes creaturas Beatus in omnipotentia cognosceret, Deum comprehenderet. Addunt alij talem cognitionem fore infinitam. Negat P. Heric. disp. 4. cap. 4. talem visionem fore comprehensiuam, & disp. 36. à num. 57. vsque ad 62. negat similiter talem visionem fore infinitam, ac proinde asserit ex his capitibus non repugnare beatum videre creaturas omnes in omnipotentia. Neque his rationibus fidit P. Arrub. quapropter aliam est meditatus ad probandum non posse dari cognitionem terminatam ad Deum, & ad creaturas possibiles, quam non examino, quia ad rem modò non est definire an talis visio repugnet, sed an necessariò danda sit ex eo, quod creaturæ possibiles in omnipotentia cognoscantur, quod si affirmatiuè concludatur, certum est, teneri admitere visionem terminatam ad Deum, & ad omnes creaturas possibiles, Doctores, qui asserunt creaturas possibiles in omnipotentia cognosci; si verò negatiuè, nihil refert ad hanc quæstionem an talis cognitio aliunde possibilis sit necne.

7 P. Vasquez qui negat creaturas cognosci in omnipotentia tãquam in obiecto prius cognito, sic arguit disp. 50. c. 5. Omnipotentia æquè dicit ordinem ad omnes effectus possibiles, æquè continet omnes, & omnino æqualem connexionem

xionem habet cum omnibus; ergo vel omnes debent in omnipotentia cognosci tanquam in medio prius cognito, vel nullus est cognoscendus. Fatetur Herice ipsum argumenti difficultatem cognoscere: fateor ego me non conouisse solutionem ab ipso adductã, quam verbis D.Thom. referre dicit, in quibus eximiam Angelici Doctoris lego doctrinam, & solutionem, quam D.Thom. dare non intendebat, ad prædictam difficultatem non reperio. Venio ad Hericij verba: asserit Deũ posse producere hunc effectum, duo dicere: omnipotentiam, & hunc effectum ab illa distinctum, ac proinde posse illam sine hoc cognosci. Idem dicam ego de omnibus effectibus, & de omnibus simul sumptis: ac proinde secundum hanc solutionem posset concludi omnipotentiam posse cognosci nullo cognito effectu, quod non concedit Herice, neque assignat rationem cur hic effectus, & non alius, in omnipotentia cognoscatur. Mitto longiorem impugnationem, quæ posset peti ex hoc modo cognoscendi effectus, qui nõ dicit cognitionem illorum in omnipotentia; sed in se ipsis, siquidẽ cognoscuntur in hoc quod est Deum posse producere effectus, quod secundum Herice dicit duo, omnipotentiam, & ipsos effectus.

8 Respondet P. Arrubal. disp. 26. cognosci hos effectus, & non alios propter diuersum modum concurrendi, quem habet essentia diuina per modum obiecti, quæ liberè concurrit ad visionem per modum obiecti, ac proinde potest concurrere ad visionem harum creaturarum, potiùs quàm illarum. Non facilè percipio hunc diuersum modum concurrendi per modum obiecti, quem assignat Arrubal, quia essentia per modum obiecti, sicuti quodlibet aliud obiectum tantùm habet terminare cognitionem sui per suammet entitatem: sed omnia prædicata essentiæ eadem indiuisibiliter terminant quamcumque cognitionem beatam, cùm eadem ab omnibus beatis cognoscantur: ergo habet eumdem modum obiectiuum terminãdi respectu omnium visionum, quia essentia diuina non alia ratione liberè terminat visionem, nisi quia liberè Deus in genere causæ efficientis concurrit ad visionem, qua producta, essentia diuina non potest illam non terminare, vel eamdem terminare diuerso modo: male ergo assignat Arrub. differentiam hanc per ordinem ad diuersum modum terminandi, quia libertas in terminando tantùm desumitur ex libertate, quam habet in producenda beati visione.

9 P. Granad. contr. 1. tract. 6. disp. 1. sect. 6. n. 36. docet causam formalem propter quam quædam creaturæ videntur, & non aliæ, esse, ipsam visionem, efficientem verò lumen gloriæ, non ratione maioris intensionis; sed quia ex suo indiuisibili conceptu est repræsentatiuum harum creaturarum, & non illarum. Non quadrat solutio, quia non est quæstio an possit dari visio beata, quæ secundariò repræsentet has creaturas, & non illas, quod certum puto, & facilè potest Granad. formaliter in naturam visionis reducere, & efficienter in luminis naturam; sed an obiectum ex se possit determinare ad cognoscendas has, & non illas, quod fieri nequit ratione luminis, quia si hoc est tota ratio vt cognoscantur hæ creaturæ, quæ de facto cognoscuntur visione beata, iam creaturæ istæ non videntur ex vi obiecti, neque in omnipotentia, seu essentia diuina tanquam in obiecto primario. Si verò obiectum cognitum est ratio, propter quam hæ creaturæ non cognoscantur, & non deseruit, vt cognoscantur aliæ, assignet Granad. rationem aliquam ex parte obiecti, propter quam determinet ad cognitionem harum, potius quàm ad illarum cognitionem.

10 Respondent nonnulli Thom. aliquos beatos cognoscere plures creaturas, quàm alij cognoscunt, qui magis penetrant diuinam essentiam. Contrà: Omnes beati cognoscunt omnia prædicata, quæ sunt in diuina essentia: ergo per hanc maiorem penetrationem non apparet alicui beato ratio aliqua, quam omnes non videant: ergo nihil est ex parte obiecti primarij huius visionis determinans ad cognitionem harum creaturarum, quod non sit ex parte obiecti cuiuscumque visionis beatæ: ergo ex vi obiecti omnium visionum beatarum omnes eadem creaturas possibiles attingent.

11 Dicendum est ex suppositione, quod in omnipotentia intuitiuè cognita à Beato cognoscantur creaturæ possibiles, siue apprehensiuè, siue iudicatiuè omnes cognoscendas esse sub conceptu quodam vniuersalissimo, & confuso, in quo conueniunt omnes creaturæ possibiles. Ita docent Granad. suprà n. 30. P. Arrub. disp. 26. c. 6. P. Soar. 1. part. lib. 2. c. 26. n. 14. Sot. in 4. dist. 49. q. 3. art. 3. concl. 3 Bañez & Albecda q. 52. art. 8. & communiter Thom. Ratio est quia ad conceptum expressum & distinctum entitatis relatiuæ, seu connexæ, necessum non est distinctè cognosci indiuidua, seu species, quæ se tenent ex parte termini illius connexionis, seu relationis; sed sufficit omnia cognosci sub conceptu confuso, quo repræsententur quatenus conueniunt in ratione omnibus communi.

Contra hunc dicendi modum arguit Herice disp. 51. c. 6. 12
Omnipotentia non continet in se producibile in communi, quia nihil in communi produci potest, sed hoc, & illud producibile, & si connexa est cum creaturis possibilibus, non est connexa cum aliquo conceptu vniuersali, sed cum hac, & cum illa creatura possibili, neque relatio causæ est ad rationem communem omnium effectuum, quos potest producere, sed ad singula indiuidua producibilia, & ad vltimas illorum differentias: ergo omnipotentia non debet determinare ad cognoscendam rationem aliquam communem omnibus effectibus quos valet producere, sed ad omnes effectus in particulari cognoscendos, quia ad id debet determinare, quod in se continet, & cum quo habet connexionem, & relationem, si relatio aut connexio inest omnipotentiæ. Hæc obiectio quàm plures malè torsit, quam ego facillimo negotio dissoluo. Concedo causam dicere ordinem ad omnes effectus in particulari, & ad vltimas illius differentias, & hac ratione affirmo cognita intuitiuè quacumque causa, quæ determinet ad cognitionem effectuum, cognosci omnes indiuiduas rationes effectuum ex parte obiecti, nõ tamen ex parte modi, quia sufficit ad cognoscendam intuitiuè causam relatam ad indiuiduos effectus secundum vltimam illorum differentiam cognosci hos indiuiduos effectus, & illorum vltimas differentias cognitione quãdam confusa, & necessum non est quamlibet differentiam indiuidualem cognosci distinctè, ita vt ex vi illius cognitionis discernat intellectus inter hanc, & illam differentiam indiuidualem, sed sufficiet hanc, & illam se tenere ex parte obiecti cognitionis, licet cognitio inter hanc, & illam differentiam indiuidualem, seu inter hanc, & illum indiuiduum effectum non discernat, sed omnes inter se confusè cognoscat. Rem hanc mirè componit sententia negans præcisiones obiectiuas, quam defendo, secundùm quam cùm ego cognosco ens possibile in communi, ex parte obiecti nihil est commune huic, & illi enti possibili, sed hoc ens possibile, & illud ens possibile secundùm suas vltimas differentias indiuiduales, omnia tamen inter se inuolutè, & confusè cognita, & cognitio, qua possibile in communi percipitur, ex parte obiecti attingit vltimas differentias cuiuscumque obiecti possibilis, licet ex parte modi instar vnius omnia indiuidua possibilia attingat, quia ex vi huius cognitionis, etsi attingatur hoc indiuiduum possibile, non tamen secernitur ab alio possibili indiuiduo. Hac ratione si inspiciamus id, quod se tenet ex parte obiecti huius conceptus vniuersalis, quo cognoscitur ens possibile, est idem formaliter quod se tenet ex parte termini connexionis omnipotentiæ, si hæc constituatur connexa cum quocumque indiuiduo singulariter sumpto, & cum illo quod se tenet ex parte termini relationis omnipotentiæ, si hæc constituatur relata ad omnes differentias indiuiduales cuiuscumque effectus, quem in se continet, licet ex modo cognoscendi omnia indiuidua sub conceptu communi, & vniuersali cognoscerentur, ita vt non posset intellectus exprimere conceptum, quo expresè iudicaret, vel apprehenderet hominem possibilem, vt distinctum ab equo, sed confusè eo modo quo dicit hominem esse possibilem, cùm dicit animal esse possibile, quod est dicere hominem, & equum & reliquas species animalis esse possibiles.

Ob hanc rationem dixi ex vi omnipotentiæ cognoscendas esse omnes creaturas possibiles sub aliquo conceptu 13
communi, & vniuersali, si in omnipotentia creaturæ possibiles cognoscuntur, & non dixi cognosci sub aliqua ratione illis communi, quia in mea sententia nulla potest dari cognitio terminata ad aliquid reale multis commune. Neque aliquod inconueniens est asserere ex vi omnipotentiæ cognosci ex parte obiecti vltimas differentias omnium possibilium dum dicatur ex parte modi cognosci sub conceptu communi, & vniuersali absque vlla distinctione possibilium inter se, quia hæc terminatio omnium possibilium ex parte obiecti secundùm omnes differentias indiuiduales ineſt cognitioni abstractiuæ, & imperfectissimæ, qua ego modo

apprehendo ens posſibile, abſque vlla diſtinctione inter Angelum, & hominem, & abſque eo quod poſſim Angelum, vel hominem in particulari exprimere.

14 Ex his quæ ex hypotheſi dixi de omnipotentia, ſeu in opinione illorum, qui aſſerunt in omnipotentia cognoſci creaturas poſſibiles habemus quid dicere debeamus de quacumque cauſa creata tranſcendentaliter relata ad ſuos effectus, & quid eſſet dicendum ſi non ſolùm relata, ſed etiam eſſet cum illis connexa, dicendũ enim eſt determinare ad cognitionem apprehenſiuam ſi tantùm ſit relata, & iudicatiuam, ſi ſit connexa, omnium effectuum quos in ſe continet, ſub quodam conceptu vniuerſali, & confuſo, ex vi cuius non poſſit diſcerni inter hunc, & illum indiuiduum effectuũ, licet ex parte obiecti omnes rationes indiuiduas effectuum terminent cognitionem. Rem declaret exemplum: cognoſco intuitiuè ignem potentem producere calorem, ex vi huius cognitionis cognoſcendi ſunt omnes calores cõtenti in illo cognitione quadam confuſa, & vniuerſali, ex vi cuius non diſcernatur inter hunc & illum calorem, licet ex parte obiecti hic, & ille calor ſecundũ ſuas vltimas differentias terminent cognitionem. Quod ſi cognoſcenti intuitiuè virtutem productiuam repugnet cognitio confuſa effectuum, quos reſpicit virtus productiua, ſicuti repugnat Deo, tunc effectus illi diſtincti cognoſcentur, illa tamen diſtinctio cognitionis reſpectu effectuum, qui ſecundariò cognoſcuntur, non erit ad exigentiam obiecti primarij cogniti, ſed ad exigentiam cognoſcentis, Dei v.g. cui repugnat cognitio, ex vi cuius aliquod obiectum cognoſcat non diſtinctè, & non ſummè perfectè.

CONTROVERSIA XI.

De reliquis membris diuidentibus.

1 RELIQVA membra in quæ ens diuiditur ſunt Actio, Paſſio, Præſentia, Duratio, Situs, Habere. de Actione, & Paſſione dixi Contr. 12. Phyſic. De Præſentia diſputaui Controu. 15. Phyſic. De Duratione egi Controu. 16. Phyſic. nihilque de his dicendum ſupereſt, ſuppoſita doctrina tradita locis citatis.

2 SITVS eſt modus, quo quis talem poſitionem habet in loco, ratione cuius ſtare, ſedere vel cubare dicitur. Modus iſte realiter à Præſentia circumſcriptiua non diſtinguitur, poteſt tamen formaliter diſtingui, in eo quod præſentia tãtùm dicat partes ſui, quarum quælibet proprium reſpicit ſpatium abſque vllo reſpectu ad aliam compartem. Situs verò dicit præſentiam cuius partes inter ſe certam proportionem, & correſpondentiam habent ex vi cuius hæc pars ab illa illam tantùm, & non aliam habet diſtantiam, qui reſpectus, ſeu partium diſtantia in ordine ad ipſas à præſentia ipſarũ, & à totius præſentia realiter nõ diſtinguitur. Præſentia definita neque ſitus eſt neque ſitum fundat, quia corpus, ſiue ſpiritus indiuiſibiliter reſpiciens ſecũdum ſe totum, & ſecundum quamlibet partem ſui ſpatium diuiſibile, neque ſtare, neque ſedere dicitur. Si verò defendas præſentiam definitiuam corporis diuiſibilis exiſtentis in ſpatio diuiſibili dicere repetitiones plurium circunſcriptarum, teneris dicere corpus illud debere præſentiam quamdam ex vi cuius ſedere diceretur: ſi aliam præſentiam non haberet, & aliam ex vi cuius diceretur ſtare, ſi præſentiis aliis careret, & ſic de aliis ſitibus iudicium eſt ferendum. De facto tamen corpus illud non diceretur ſedens, neque ſtans, quia ſeſſio, ſeu ſitus dicit hanc præſentiam, & carentiam aliũs in eodem ſpatio, ex vi cuius partes corporis diuerſa diſtantiæ proportione collocentur.

3 HABERE dici ſolet de quacumque re ad nos pertinenti, ſicuti habere pecunias, amicos, Patrem, vires, manus, &c. Hic tamen ſumitur pro actu habendi aliquid diſtinctum, quo ſenſu dicimus hominem eſſe armatum, vel veſtitum. Hunc modum exiſtimo non diſtingui formaliter ab approximatione veſtis ad ſubiectum, quod veſtitum dicitur. Habere diſtinguitur à Situ, quia Situs dicit præſentiam tantũ, ſtantis, vel ſedentis cum ordine approximationis, vel diſtantiæ partium inter ſe: Habere autem dicit præſentiam duarum rerum habentis, & rei habitæ cum ordine præſentiæ vnius ad præſentiam alterius. Vnde actus habendi, ſeu habitio eſt denominatio reſultans ex præſentiis ipſius habentis, & rei habitæ. Subiectũ habitus, ſeu habendi tantum eſt homo, quia ſolus homo dicitur veſtitus, vel armatus in communi modo loquendi: impropriè tamen ſolet extendi ad alia animalia, & impropriiſſimè adhuc ad res inanimes.

CONTROVERSIA XII.

De ente rationis.

RATER Soares in præfatione diſp. 54. aſſerit errorem eſſe Dialecticum dicere ens rationis ad Dialecticam ſpectare, quod proprium opus eſt Metaphyſici, qui de ente reali diſputat, & ita de ente rationis, quod illi opponitur debet diſputationem conſtituere.

PVNCTVM PRIMVM.

Entis rationis definitio.

CVm plerumque res à poſteriori per effectus, & aliquando à priori per cauſas nobis innoteſcant, antequam illarum eſſentias, & quidditatiuos conceptus ſcrutemur, diſputationem circa illius exiſtentiam præmittere ſolemus, & prius inquirimus, an ſit res, deinde quid ſit? in ente verò rationis, cum effectus nulli nobis ſuppetant, neque aliquam illius extrinſecam cauſam inuenire poſſimus, quæ prius nobis illius exiſtentiam, quàm eſſentiam indicent, nequeunt prædictæ quæſtiones ſeparari, imò ſi ſeparandæ ſunt, neceſſum eſt præcedere, quæ poſterior eſſe ſolet, cognita enim eſſentia entis rationis, poterimus poſtea definire, an ſit vel non ſit. 1

Definitio entis rationis à ferè omnibus recepta hæc eſt: *Id quod ſolùm habet eſſe obiectiuè in intellectu.* Poteſt aliquid habere eſſe in intellectu ſubiectiuè & effectiuè, & obiectiuè. Subiectiuè habent eſſe in intellectu omnes illius actus, qui in intellectu recipiuntur, effectiuè in intellectu, ſeu potius ab intellectu habent eſſe iidem actus intellectus, qui ab intellectu producuntur, item quodlibet artificioſum opus cuius exequutio intellectus operatione fuit directa. De hoc duplici modo habendi eſſe in intellectu modo non agimus, neque pertinet ad conſtitutiuum entis rationis, potius enim illa, quæ huiuſmodi habent eſſe in intellectu neceſſariò ſunt entia realia realiter exiſtentia. Tertiò alia dicuntur habere eſſe obiectiuè in intellectu, quod nihil aliud eſt, quàm intellectui obiici, ſeu illius actum terminare, eſſeque intellectionis obiectum, quapropter omnia, quæ cognoſcuntur, dicuntur actu habere eſſe obiectiuè in intellectu & omnia, quæ poſſunt cognoſci, ſeu ſunt cognoſcibilia, dicuntur habere eſſe poſſibile in intellectu. Cæterùm ex his, quæ habent eſſe obiectiuè in intellectu plura ſunt, quæ præter illud eſſe obiectiuum, quod in intellectu habent, gaudent alio eſſe phyſico, & reali, ſeu propriùs loquendo, quæ non tantum illud eſſe quod obiicitur habent in intellectu, formaliter vt obiectum, ſed etiam extra intellectum independenter ab eo quod illi obiiciantur, equus v.g. qui habet eſſe obiectiuum in intellectu cognoſcentis illum, præter illud obiectiuum ſtatum in ſe habet ſuum eſſe, ratione cuius etiamſi non cognoſceretur, exiſteret in ſe ipſo Huiuſmodi entia non dicuntur entia rationis, ſed realia, neque illis competit prædicta definitio, cum non tantùm habeant eſſe obiectiuè in intellectu; ſed phyſicè in ſe ipſis, & prædicta definitio expoſcat in ſuis definitit habere eſſe obiectiuè in intellectu, & non illud phyſicè in ſe ipſis habere. 2

Ex his eſſentia entis rationis facilè deprehenditur, illud enim dicitur ens rationis, quod cognoſcitur, quod eſt habere eſſe obiectiuè in intellectu, & quod nullum eſſe habet extra intellectum, ac proinde phyſicè in ſe ipſo non exiſtat. Cenſent acuti quidam recentes ens rationis non dicere eſſentialiter actu cognoſci, ſed tantum poſſe cognoſci, quia antequam ens rationis cognoſcatur actu, & habeat eſſe actuale, habet ſuum eſſe poſſibile, ex eo quod poſſit cognoſci, & in illo poſſibilitatis ſtatu retinet totam ſuam eſſentiam, quæ non includit exiſtentiam, ſicuti 3

eſſentia

essentia hominis non dicit illius existentiam, & ita homo possibilis totam suam retinet essentiam. Dupliciter posset intelligi essentiam entis rationis non dicere actu cognosci sed posse cognosci. Primò eo sensu, quo dicere solemus essentiam hominis non consistere in hoc quod est actu ratiocinari, sed in hoc quod est posse ratiocinari, & essentiam quantitatis non consistere in actuali impenetratione, seu extensione, sed in hoc quod est petere extensionem, seu impenetrationem, ratione cuius potest existere homo quin actu ratiocinetur, & quantitas quin actu sit extensa, aut impenetrata eo præcisè, quod homo possit ratiocinari, & quantitas petat extensionem, & impenetrationem. In hoc sensu alienum est ab omni veritate essentiam entis rationis consistere in hoc quod est posse cognosci, quia nullum aliud habet esse præter hoc quod est actu cognosci, & ex eo præcisè quod cognoscatur habet suum primũ esse.

4 Alio sensu potest dici essentiam entis rationis tantum dicere posse cognosci, hoc est essentiam metaphysicam entis rationis vt præcisã ab existentia nõ dicere hoc quod est actu cognosci, seu ipsam terminationem passiuam cognitionis actu existentem, sed tantum vt possibilem, quia sicuti essentia metaphysica entis rationis non dicit ipsum ens rationis existere, ita non dicit existere terminationem passiuam cognitionis, per quam constituitur, sed hanc terminationem vt possibilem eo modo, quo consideratur ens rationis. In hunc sensum videntur loquuti recentiores, in quo neque aliquid impugnandum, neque notandum in illorum doctrina inuenio, nullum enim ens, vt purè possibile, dicit actu existere id per quod essentialiter constituitur, sed eo modo, quo ens intelligitur, intelliguntur omnia illius prædicata constitutiua. Sic homo possibilis non dicit actu existere potentiam formalẽ, aut radicalem ratiocinandi per quam constituitur, neque vnio possibilis dicit actu esse extrema, ex vi illius vnita, licet illius essentia non consistat in hoc quod est posse vniri, sed in ipso formali actu vniendi, & quoties intelligitur vnio intelligitur actus viuendi, si vnio est possibilis, intelligitur actus vniendi possibilis, non dico potentiam physicam ad actum vniendi in statu possibilitatis, seu in potentia metaphysica, in quo nullam dicit formalitatem distinctam ib ipso actu exercito, sic de ente rationis philosophandum est, quod dicit essentialiter actum passiuè cognoscendi, & actualem terminationem cognitionis, seu actu cognosci ita vt implicet existere quin actu cognoscatur, & hoc sit totum suum esse: potest tamen intelligi ens rationis possibile ex eo, quod intelligatur possibile hoc quod est actu cognosci, sicuti actio consistit in determinatione actuali principij effectiui, & intelligi potest possibilis, ex eo quod intelligatur possibilis determinatio principij effectiui, etiamsi nullum principium sit actu determinatum, & vnio dicit essentialiter actu nectere extrema, potest tamen intelligi vnio possibilis ex eo quod possibile intelligatur hoc quod est actu nectere extrema etiamsi nulla extrema existant actu connexa. Ex hoc tamen nemo ausus est asserere essentiam vnionis consistere in hoc quod est posse vnire; sed absolutè dicendum est consistere in actu vniendi, qui intelligetur existens quando vnio sit existens, & intelligetur tantum possibilis quando vnio sit tantum possibilis. Sic absolutè dicendum est essentiam entis rationis consistere in hoc quod est actu cognosci, quod erit existens quando ens rationis sit existens, & erit tantum possibile metaphysicè quando ens rationis tantum sit possibile.

5 Secundùm hanc doctrinam illud erit ens rationis, quod actu cognoscitur, seu habet esse obiectiuè in intellectu, & non habet aliud esse extra intellectum, seu quod est obiectiuè in intellectu, & non physicè in se ipso. Sed insurgit difficultas, an quando ego iudico existere aliquod obiectum, quod re vera non existit, sed posset absque vlla contradictione existere, v.g. quando dico Petrum currere qui posset curere, & potentiam habet ad currendum absq; vlla actus currendi repugnantia, & de facto non currit, an tunc cursus ille actualis obiectiuè existens in intellectu dicendus sit ens rationis. Affirmant Hurt. disp. 19. sect. 5. & Arriag. disp. 6. sect. 3. subsect. 1. quia cursus ille actualis eo modo, quo intellectui obiicitur nullum habet esse præter obiectiuum in intellectu, quia etiamsi in se sit possibilis, non tantum est, vt possibilis; sed vt existens, qua ratione intellectum non habet esse, & ita tantum est obiectiuè in intellectu quod est formaliter esse ens rationis.

6 Huiusmodi obiecta tantùm possibilia actu terminantia circa ipsorum existentiam nõ esse entia rationis fert communis sententia, quã ego, vt veriorẽ amplector. Ratio esto: possibilitas intrinseca rei, & existentia ipsius ex parte obiecti intrinsecè, & in se non distinguuntur: ergo idem obiectum habet iudicium quod fertur in possibilitatem cursus Petri, cum dico *cursus Petri est possibilis*, & iudiciũ quod fertur in existentiam eiusdem cursus cum dico *cursus Petri est existens*: sed obiectum prioris iudicij non est ens rationis: ergo neque obiectum posterioris iudicij erit ens rationis, quia implicat idem obiectum absque vlla formalitate intrinseca inuariata esse ens rationis, & non esse ens rationis. Possibilitatem intrinsecam rei, & illius existentiam formaliter non distingui ex parte obiecti probaui cum Hurtado, & Ariaga Controu. secunda, Puncto secundo. Prior consequutio, videlicet ferri in idem obiectũ actum, qui attingit possibilitatem actus, & qui attingit illius existentiã, ex identitate inter possibilitatem, & existentiam legitimè infertur. Posterior per se nota videtur, quia ex apprehensione terminorum notum est non posse idem obiectum intrinsecè inuariatum esse ens rationis, & non esse ens rationis; esse ens rationis, & esse ens reale.

7 Dices idem obiectum diuerso modo cognitũ posse esse ens reale, & esse ens rationis respectu diuersarum cognitionum, sicuti idem obiectum respectu diuersarum cognitionum potest esse verum, & potest esse falsum. Contra: obiectum esse verum non tantum sumitur ab obiecto, sed ab obiecto & actu, vtrumque enim dicit veritas, & falsitas, ex quo rectè fit hoc obiectũ cum hoc actu veritatẽ componere, & denominari verum respectù illius, & cum alio actu componere falsitatem, & respectu illius denominari falsum; obiectum autem esse reale, aut rationis debet sumi non ab actu per quem cognoscitur, sed ab illo quod intrinsecè dicit obiectum, quod terminat actus vt adæquatè ab actu distinctum: ergo non poterit obiectum dici reale, aut rationis per diuersos actus, quos terminat, si in se vt distinctum ab actibus, manet idem, sed necessariò dum permaneat cum eisdem formalitatibus, quæ se tenent ex parte obiecti, siue eundem, siue diuersos actus terminet, semper habebit eandem omnino naturam entis realis, aut entis rationis, ita vt si respectu vnius actus sit ens reale, respectu omnium ens reale sit, si respectu vnius sit ens rationis respectu aliorum similiter ens rationis, sicuti obiectum quod respectu vnius actus est substantia, respectu omniũ erit substantia, & obiectum quod respectu vnius actus est accidẽs respectu omniũ accidens est, quia non ab actibus, sed à se habet esse substantiam, vel accidens.

8 Dices, obiectũ habere hoc quod est esse ens reale non habere à se, sed ab actibus, quibus cognoscitur. Contra: quidquid obiectum habet ab actu intellectus, quo cognoscitur est illi extrinsecum: sed obiectũ esse reale conuenit illi per suãmet essentiã, & per prædicata summè intrinseca: ergo non habet esse reale ab actu intellectus: ergo obiectũ quod respectu vnius actus est reale, respectu omnium erit reale: ergo respectu nullius actus poterit esse ens rationis.

9 Argumentor secundò: quando ego iudiciũ fero de possibilitate intrinseca Petri non existentis, illa possibilitas non habet esse physicè in rerum natura, sed tantum obiectiuè, & conditionatum, hoc est, quod absque vlla contradictione illud haberet. Sed totum hoc habet existentiam eiusdem Petri possibilis, & non existentis: ergo sicuti possibilitas Petri non existentis, dum terminat iudicium, & actu obiicitur, quin habeat aliud esse absolutum, præter hoc quod est obiici, non est ens rationis, ita neque existentia, etiamsi obiiciatur iudicio, seu sit obiectum iudicii, & nullum habeat esse absolutum præter hoc quod est obiici, ex eo quod illud habeat conditionatum, seu ex eo quod absque vlla contradictione existeret ex vi cuius possibile dicitur, non erit ens rationis, sed reale.

10 Ex his patet solutio ad argumentum Hurtadi & Arriagæ cui respondeo obiectum non existens, quod potuit existere sub illa ratione formali existendi, sub qua determinat iudicium, habere esse possibile, seu conditionatum, quod sufficit vt non sit obiectũ rationis, sed reale. An sit de conceptu entis rationis aliter ac est cognosci dicã Punct. 7. n. 13.

PVNCTVM II.

An detur ens rationis, vbi illius quidditas magis explicatur.

1 EXplicui quid nomine entis rationis intelligatur, & quas formalitates importet; videndum est modò, ans ens

rationis per formalitates explicatas constitutum possit existere. Est ens rationis, vt ex dictis constat *ens cognitum, quod, neque habet esse actuale, neque possibile*, videndum est modò, an possit dari ens cognitum, quod neque habeat esse actuale, neque possibile extra cognitionem, sed totum suum esse sit intra cognitionem, seu in esse obiecti.

2 Vallesius, quem aliqui recentiores sunt sequuti, negant dari entia rationis, de quibus multi hac vnica ratione actũ esse putant. Prædicti authores, aut cognoscunt entia rationis, quæ dicunt non posse existere, aut illa non cognoscunt. Si dicant illa non cognoscere reprehendendi sunt, quia audent iudicare de obiecto quod non valent cognoscere, insuper cõuincentur facilè illa cognoscere, quia omne iudicium, etsi negatiuum sit includit cognitionẽ obiecti, de quo fertur iudicium: si dicant illa cognoscere, ergo conficiunt, & dantur entia rationis, quia facere ens rationis, & hoc existere nihil aliud est, quàm cognoscere ens rationis, & hoc cognitum esse.

3 Alij non apertè negantes entia rationis asserunt ens rationis ex parte obiecti nihil fictum includere, sed tantum plures existentias rerum inexistibilium, in quorum aggregato consistit ens rationis, etsi quælibet entitas in illo inclusa seorsim sumpta, illiusque existentia realis sit. Negant ex parte obiecti aliquid in se absolutè fictum, quod seclusum ab aliis entitatibus, cui adiungatur sit ens rationis contra quos posset fieri argumentum, quod modò faciebam contra illos, qui absolutè entia rationis negabant; necesse enim est ipsos cognoscere illud ens simplex fictũ, quod negant, quod eo ipso quod cognoscatur existit. Hæc omitto, & pergo ad explicationem huius sententiæ. Authores, qui affirmant ens rationis consistere in illo aggregato rerum inexistibilium, quarum quælibet seorsim sumpta existere potest, duplici modo sententiam hanc defendunt. Affirmant quidam extrema, quæ vnita concipiuntur in illo aggregato vniri formaliter per ipsam cognitionem v.g. cum quis apprehendit hominem identificatum cum leone, apprehendit hominem realem, & leonem realem, quos vnit per propriam ipsius cognitionem, per quam hominem, & leonem in se distinctos instar vnius apprehendit eo modo, quo in constructione vniuersalis indiuidua, quæ ex parte obiecti plura sunt, fiunt vnum intentionaliter per cognitionem, ex vi cuius instar vnius apprehenduntur, nulla ex parte obiecti ficta vnitate. Hac ratione explicatam sententiam hanc tradit P. Herice tr. de scientia Dei disp. 8. c. 1 n. 1. pro qua refert nostros Conimbric. quam nullo fundamento confirmat, sed asserit ab ipso in Dialectica propugnatam fuisse. Alij vnionem, seu identitatem extremorum, in quibus vnio. & identitas non potest intercedere, non in cognitione, sed ex parte obiecti in illo aggregato vnionem, vel identitatem aliunde arreptam constituunt, per quam extranea extrema concipiuntur vnita, & identificata: exempli gratiá apprehendit quis hominem identificatum cum leone, in hac apprehensione se tenet ex parte obiecti homo, & leo, & identitas, quæ est inter animal, & rationale, per quam apprehenduntur identificati homo, & leo, quin apprehendatur aliquid per se fictum, quia homo, & leo, & identitas inter animal, & rationale sunt reales entitates. Similiter cũ quis apprehendit Deum album, apprehendit Deum, albedinem, & inter Deum, & albedinem, realem informationem, quæ realiter est inter albedinem, & agnum, in quibus obiectis nihil per se fictum apprehendit, sed tantum ipsum agregatum fictum dici potest.

4 Sententia hæc vtroque modo explicata æquè displicet, quam per partes impugnabo, priùs tamen contra authores vtriusque dicendi modi noto, non rectè dicere ens rationis includere aggregatum rerum inexistibilium, quia omnia illa, quæ in aggregato constituunt, non solùm singula seorsim possunt existere, sed omnia inter se realiter coexistere valent, quia in sententia P. Herice, aggregatum, in quo consistit ens rationis, quo apprehenditur homo identificatus cum leone tantum dicit ex parte obiecti hominem, & leonem, qui non solùm existere seorsim; sed simul inter se, cum identitate ipsorum, quæ in cognitione consistit, coexistere valent. Similiter aggregatum, quod constituitur iuxta secundum dicendi modum includens hominem, & leonẽ, & identitatẽ inter animal, & rationale nullam entitatem includit, quæ nõ possit omnibus aliis coexistere, & de facto omnes coexistunt modo in hoc instãti tẽporis, in quo existunt homo, leo, & idẽtitas inter animal, & rationale: ergo aggregatum, quod constituit vtraque sententia, non solum dicit entitates existibiles; sed coexistibiles, quæ de facto inter se coexistunt, neque aliquid fictum ponitur ex parte obiecti, cum omnia, quæ se tenent ex parte obiecti sint realia, neque ex parte actus quia ipsa cognitio realis est, negat ergo hæc sententia vtroque modo explicata dari entia rationis, quod non clarè illius authores audent affirmare.

Prima Conclvsio. Contra primum dicendi modum 5
quando ego apprehendo identificatum hominem, & leonem, seu rationale, & hinnibile, identitas horum extremorum non consistit in cognitionẽ, sed in aliquo quod se tenet ex parte obiecti. Ratio esto, quando ego affirmo *homo est leo*, non tantum non apprehendo distinctionem inter hominem, & leonem, sed apprehendo positiuam identitatem, quam his externis conuenire affirmo: ergo hæc identitas se tenet ex parte obiecti. Sed cognitio non se tenet ex par obiecti, vt per se notum est, non enim quotiescumque ego per errorem dico *homo est leo*, cognosco cognitionem meam, neque ipsa cognitio est reflexa supra se ipsam: ergo identitas, quam aprehendo, & prædico non consistit in cognitione. Secundò: quando dico hominem esse lapidem, non apprehendo identitatem tantum intentionalem, sed entitatiuam physicam tenentem se ex parte obiecti apprehensi. Sed cognitio non potest esse identitas physica entitatiua tenẽs se ex parte obiecti, sed tantùm intẽtionalis tenens se ex parte actus: ergo non apprehendo identitatem, quæ in cognitione consistat. Maiorem probo: cætera patent. Quando ego apprehendo, seu iudico hominem esse leonem, physicè à parte rei esse idem apprehendo, seu iudico esse idem per identitatẽ physicam existentẽ à parte rei, quæ verè non est, ideoque illud iudicium est falsum, quod verum esset, si tãtum attingeret identitatem intentionalem, quæ verè est dum existit cognitio, in qua consistit: ergo apprehendo, seu iudico identitatem physicam, & realem tenentem se ex parte obiecti.

Secvnda Conclvsio. Quando homo, & leo appre- 6
henduntur identificati, hóc est precisè non apprehensa positiuè identitate, sed tantũ apprehenduntur per quandam apprehensionem ex vi cuius non percipitur distinctio inter vtrumque, sicuti apprehenduntur in hoc complexo *animal*, illorum identitas negatiua consistit in cognitione; tunc autem nullum sit ens rationis, neque positiuè dicitur *homo est leo*, sed tantùm apprehenditur homo, & apprehenditur leo, & non apprehenditur distinctio inter hominem, & leonem. Probaui hanc conclusionem dum de vnitate vniuersalis disputabam, quam hic tradidi, vt notum fieret, quæ vnitas, vel idẽtitas potest in cognitione cõsistere, & ne ex hac vnitate negatiua, quæ cõsistit in cognitione confusa, & quæ ex parte obiecti non apprehenditur, fieret argumentatio ad vnitatẽ, seu identitatẽ positiuá tenentem se ex parte obiecti, quæ positiuè de extremis prædicatur.

Tertia Conclvsio. Quando homo, & leo apprehen- 7
duntur identificati, identitas apprehensa non est illa, quæ intercedit inter animal, & rationale, sed alia ficta, & chimærica, quæ in nullo existit, neque existere potest. Probo hanc conclusionem: identitas inter animal, & rationale tantum identificat animal, & rationale, & non hominem, & leonem, sed identitas apprehensa identificat hominem, & leonem, ergo identitas apprehensa non est illa, quæ reperitur inter animal, & rationale. Dices identitatem, quæ est inter animal, & rationale non identificare realiter hominẽ, & leonem, sed illos identificare per rationem. Contrà: identitas, quæ per rationem identificat hominem, & leonẽ apprehenditur per se ipsã immediate attingens hominem, & leonem: ergo apprehenditur cum quodam prædicato, ex vi cuius immediatè attingit hominem & leonem: sed hoc prædicatũ non reperitur in identitate reperta inter animal, & rationale: ergo identitas apprehẽsa habet aliquod prædicatũ constitutiuum, quod non reperitur in identitate reperta inter animal & rationale: ergo non est eadẽ idẽtitas, sed essentialiter ab illa distincta. quia id, quod habet aliquod prædicatũ cõstitutiuũ distinctũ ab alio, ab illo distingui necesse est. Eandem rationem rursus breuiter expendo: identitas apprehensi inter hominem, & equũ ex prędicato essẽtiali, quod intellectus in illa cõcipit est attingẽtia hominis, & equi, quia per se ipsã apprehẽditur essẽtialiter attingés hominẽ, & equũ, sed idẽtitas, quæ est inter animal, & rationale nõ est attigẽtia hominis, & equi, ergo essentialiter distinguitur idẽtitas, quæ apprehenditur

inter

inter hominem, & equum ab identitate, quæ est inter animal,& rationale. Dices intellectum superaddere identitati, quæ est inter animal, & rationale attingentiam ad hominem, & equum. Contrà: illa attingentia, quam tu vocas superadditam non additur alicui, quod iam supponatur vnio inter hominem, & equum, sed est id,per quod constituitur vnio illa, quæ percipitur inter hominem, & equum: ergo vnio percepta inter hominem, & equum constituitur essentialiter secundum hunc dicendi modum ex identitate inter animal & rationale, & ex illa attingentia,quam intellectus fingit:ergo est identitas chimærica conficta ex identitate reali, & attingentia ficta. Deinde quidquid sit de constitutiuo identitatis,illa attingentia ad hominem, & leonem, quæ superadditur identitati, quæ est inter animal & rationale, vt intelligatur identificans hominem cum leone, neque existit, neque potest existere: ergo est purè ficta: ergo in ente rationis, quod fingitur, quando agnoscitur homo identificatus cum leone, apprehenditur ex parte obiecti aliquid omnino fictum,& chimæricum,quod negant, qui in aggregato rerū inexistibilium ens rationis constituunt,siue hoc obiectum fictum sit identitas, siue modus attingentiæ superadditus identitati,quæ est inter animal,& rationale,vt percipiatur identificans hominem,& equum.Idem,quod dixi de identitate inter hominem & equum intelligendum est eodem modo de vnione ficta inter Deum,& albedinem, & de distinctione reali, seu relatione partis ad partem inter animal, & rationale.

8 Quarta Conclvsio. Quando apprehenditur ens rationis omnino simplex absque vlla compositione totum id, quod ex parte obiecti apprehenditur, est chimæricum, & fictitium. Conclusionem probo,& declaro:Quando apprehendo alium Deum summè simplicè distinctum à Deo Optimo Maximo,& illi similem,apprehēsio terminatur ad obiectū fictū secundum se totum.Ratio est manifesta:Deus ille apprehēditur simplex,& incōpositus ad instar Dei optimi maximi existentis: ergo non est aliquid in illo Deo quod possit esse obiectū reale,& aliud quod sit obiectū rationis terminans apprehensionē: ergo vel totū obiectū est reale,vel totum est fictum,vbi enim neque per rationē est vnū,& aliud,non potest esse vnum reale,& rationis aliud: totū esse fictū,& non reale facile probatur:obiectum illud apprehensum,est quidā Deus, qui non est hic verus Deus existens:sed omnis Deus, qui non sit hic verus Deus de facto vnicè existens, est chimæricus, & repugnans: ergo Deus ille apprehēsus distinctus à Deo Optimo Maximo est simulacrū quoddā mente fictum, & omnino chimæricum.

9 Dices nihil apprehendere ex parte obiecti quando apprehēdo aliū Deum distinctū à Deo Optimo Maximo,quā ipsum Deū verum,vt distinctum à se ipso.Contrà: quando apprehendo Deum distinctum ab isto Deo vero,illū apprehendo distinctum per suammet intrinsecam entitatem à Deo vero existenti:ergo apprehendo in illo aliquod prædicatum positum, quod non est in Deo Optimo Maximo: ergo apprehendo Deum constitutum per alia prædicata ab his quæ sunt in Deo vero existente:ergo non apprehendo eundem Deum;sed alium ab isto distinctum.

10 Ex his inferes ens rationis semper includere aliquid fictum,& aliquando conflari ex rebus veris,& realibus, & ex aliquo rationis,vt contingit in esse rationis,quo concipio Deum album,in quo Deus, & albedo reales entitates sunt;informatio autem albedinis respectu Dei est ficta,ratione cuius totum concretum *Deus albus* dicitur fictum, & in his entibus rationis,non solùm identitas, vnio,seu relatio est rationis;sed aliquando etiam extremum alterum,vt contingit, si apprehendatur Deus alius distinctus à Deo optimo existente informatus albedine,.in quo casu subiectum,quod concipitur albedine informatum est fictū, & informatio similiter est ficta,forma autem,quæ est albedo, realis est.Aliquando verò totum obiectum fictum est, vt contingit quando obiectum apprehensum est omnino simplex.Inferes secundo causalitatem,ex qua resultat ens rationis esse cognitionem,per quam cognoscitur, quæ illius existentia dici potest,non tamē intrinseca,quia existentia entis rationis non distinguitur ab ipso ente rationis,quod à cognitione reali distingui necesse est, quia nihil fictum identificatur cùm aliquo reali, & quia ens rationis consistit in obiecto cognitionis, quod à cognitione distinguitur, cognitio enim, qua hircoceruum agnosco, non ad se ipsam terminatur.

Notabis etiam denominationem cogniti esse superadditam enti rationis prouenientem à cognitione, ex vi cuius est, & cognoscitur, quia licet non habeat aliud esse præter illud, quod habet ex eo quod cognoscatur, seu quod resultat ex cognitione, nihilominus illud esse ex vi cognitionis resultās denominatur cognitum cognitione reali,quæ denominatio ex parte formæ realis est, & ex parte obiecti omnino ficta. Rem clarè percipies exemplo entis realis per physicam actionem producti. Calor productus nullum aliud esse habet præter illud, quod recipit ex vi productionis, nihilominus denominatio producti, etsi ab illo sit inseparabilis,illi est superaddita procedēs ab actione distincta ab ipso calore,sic contingit in hircoceruo,qui ex vi cognitionis recipit illud esse obiectiuum,quod tantū habet denominari cognitum per cognitionem ab illo distinctam,seu per causalitatem,ex vi cuius resultat, quæ in cognitione cōsistit. Inferes ex hac doctrina cū dicitur ens rationis nullū aliud habere esse præter hoc quod est cognosci,nō ita debere intelligi,vt ipsū cognosci sit ipsū esse entis rationis,seu ipsum ens rationis,quia cognosci dicit cognitionem ipsam,quæ ab ente rationis distinguitur. Intelligendum est illo loquendi modo ens rationis non habere aliud esse præter illud quod resultat ex cognitione, cui aduenit denominatio cogniti, neque habere aliud fieri præter cognosci.

Multi molestè inquirunt, & prolixè disputant, quid sit 11
illud fictum obiectum,quod denominatur cognitum,& resultat ex cognitione,in quo cōsistit ens rationis,qui vt benè notat Arriag. disp.6. sect.5. in fine,difficilè percipiunt, quid sit ens rationis,quia existimāt in illo aliquid reale reperturos.Est ergo illud obiectum,in quo formaliter ens rationis consistit,non aliquid reale existens,aut possibile,sed tantum purè terminans cognitionē, in quod fertur cognitio, quæ dicitur factiua entis rationis, quod clarioribus terminis explicari non valet, neque illius quod non est proprium esse amplius est indagandum, esse enim per rationem non est esse: quod enim per rationem tantum est simpliciter non habet esse; sed potius illius non esse supponitur,vt per rationem habere esse dicatur.

Obiic.primò:cognoscibilitas est passio entis realis:ergo 12
ens purè fictum,& non reale non potest esse cognoscibile. Resp.cognoscibilitatē sequi naturā entitatis, & quale fuerit ens,tale esse illius cognoscibilitatem obiectiuam, quia hæc non distinguitur ab ente, & ita cognoscibilitas entis realis est ens reale,& cognoscibilitas entis rationis est ens rationis.Instabis ens rationis est cognoscibile realiter:ergo habet cognoscibilitatem realem. Probo antecedens: ens rationis cognoscitur realiter: ergo est cognoscibile realiter. Antecedens negat nemo, consequentia videtur efficax,quia vnūquodque cognoscitur in quantū est cognoscibile. Resp.magnā committi æquiuocationem in termino *realiter*,quā aufero distinguendo primū antecedens:ens rationis est cognoscibile reliter, sumpto termino *realiter* ex parte cognitionis,quod est dicere,est cognoscibile per cognitionē realem, concedo antecedens:ens rationis est cognoscibile realiter,sumpto termino *realiter* ex parte obiecti,ita vt sit idē,ac dicere:ens rationis habet in se cognoscibilitatē obiectiuam,quæ sit entitas realis, nego antecedens:ergo est cognoscibile realiter distinguo consequens: extrinsecè ratione cognitionis realis, quæ ad illud potest terminari, concedo consequentiam:intrinsecè per propriā cognoscibilitatem entitatiuam, nego consequentiam. Vt rem explicarem distinctionis terminos pluribus exposui verbis,quos paucis arguenti darem distinguendo illud primum antecedens: ens rationis est cognoscibile realiter: ex parte actus concedo:ex partè obiecti nego.

Obiic.secundò:Cognitio supponit obiectū, circa quod 13
versatur.Sed ens rationis per cognitionem factum nō potest supponi ad cognitionem; ergo cognitio non potest ferri in ens rationis tanquam in obiectum.Resp.cognitionem terminatam ad ens rationis esse quasi factiuam sui obiectiui (dico quasi quia ens rationis sicuti propriè non est, propriè non fit) & illud non supponere, nēque ab illo à priori trahit speciem, sicuti productio non supponit terminum,in quem tendit,neque ab illo à priori recipit entitatem,aut specificationem,vt dicebam Contr.14.de anima Punct.4.& 5.

Obiic. tertiò: Intellectus non potest producere speciē 14
expressam obiecti,cuius non habet speciem impressam:sed non habet speciē impressam entis rationis:ergo non potest

producere

producere speciem expressam illius. Resp. intellectum per alienas species producere speciem expressam obiecti, cuius non habet proprias species impressas. Instabis: species impressæ ordinantur ad producendam speciem expressam obiecti cuius propriæ dicuntur : ergo non possunt producere speciem expressam aliorum obiectorum, quorum non sunt propriæ. Intendit probare argumentum non posse à nobis cognosci obiecta quorum species proprias non habemus, ex quo inferretur tantum cognosci à nobis in hac vita accidentia, quæ sensibus externis percipimus, & aliquos internos actus, quos experimur, non verò Deum, neque Angelum, imò neque subitantiam aliquam materialem, quia horum obiectorum species proprias non habemus, quod in nullius mentem potest incidere. Resp. quamlibet speciem impressam ordinari ad producendam expressam obiecti cuius est propria species, per accidens, tamen ex coniunctione aliarum, cum quibus coniungitur, omnes per modum vnius principij, quasi per monstruosum partum producunt speciem expressam, quam nulla species impressa, ex his, quæ principium illud adæquatum constituunt seorsim sumpta intendebat producere.

16 Obiic. quartò: ens reale non potest dependere ab ente rationis : ergo non potest dari cognitio realis de ente rationis. Antecedens est certum, quia nihil reale physicum est dependens ab illo quod non est reale ; sed tantum per fictionem existit. Consequentiam probo : Cognitio de ente rationis implicat existere non existente ente rationis: ergo non existente ente rationis non existeret cognitio circa illud : ergo eo ipso quod detur cognitio terminata ad ens rationis ab illo necessariò dependebit. Resp. verũ esse cognitionẽ de ente rationis non posse adhuc de potentia absoluta existere, quin existat ens rationis eo modo, quo existere dicitur, nego tamen sequi ex hoc cognitionem realem dependere ab ente rationis, quia hæc connexio non est effectus cum causa, neque adhuc causæ cum effectu, qui propriè sit effectus, sed tantum repræsentationis cum obiecto, non secundum esse reale, sed secundum esse terminatiuum, quod in ente rationis nihil reale est, sed purè fictum per se ipsam cognitionem, quæ ad illud quod non est terminatur.

17 Obiic. quinto : ens rationis independenter ab omni intellectu est ens rationis: ergo ante omnem cogoitionẽ: ergo non habet esse ex eo, quod cognoscatur. Resp. falsam esse propositionẽ, si illud *est* dicat existentiã actualẽ, vel potentialem, quia existentia actualis entis rationis necessariò est ab actuali cognitionis existentia, & existentia potentialis seu possibilis ab existentia potentiali, seu possibili cognitionis. Si autem illud *est* dicat connexionem essentialem prædicatorũ, ita vt faciat hunc sensum: ens rationis ita essentialiter est ens rationis, vt eo ipso quòd sit necessariò sit futurũ ens rationis, & non possit facere intellectus, vt sit aliud, vel vt non sit ens rationis propositio est vera, sed eodem modo homo, qui essentialiter dependet à Deo, ita est animal rationale, vt eo ipso quod supponatur existens non possit de potentia absoluta non esse animal rationale aut esse aliquid distinctum ab animali rationali.

PVNCTVM III.

Diuisio entis rationis in ens rationis ratiocinatæ, & ratiocinantis, seu chimæricum.

1 VVlgaris est diuisio entis rationis in ens rationis cum fundamento in re, & ens rationis sine fundamento in re : hoc dicitur ens rationis ratiocinantis, & purè chimæricum, illud rationis ratiocinatæ. De hac diuisione multũ differtant recentiores, quidam illam impugnant, quia existimant omnia habere fundamentum in re. Pro hac sententia referunt P. Soar. disp. 42. Metaph. sect. n. 1. & referre possent P. Vasq. 1. p. disp. 114. n. 15. vbi docet intellectum humanum nullã fingere relationem rationis pro libito suo : sed cogi ad illas fingendas. Alij asserunt nullum ens rationis habere fundamentũ in re, sed omnia absque vllo fundamẽto fingi ab intellectu. His patrocinari videtur Hurt. disp. 19. sect. 4 §. 72. vbi asserit omne ens rationis esse fictum sine fundamento in rebus proximo, vel remoto, quod constare dicit ex D. Thom. opusc. 42. cap. 1. & se ipsum refert §. 64. & 69. & per totam sectionem tertiam vbi eandem tradit doctrinã. Cæterum si attentè inspiciatur Hurt. mens constabit ipsum tantũ docere nullũ dari fundamentũ in rebus, ex quo mediatè ens rationis oriatur, vel in quo proximè aut remotè radicetur, sed tantum immediatè ex cognitione resultare: an verò hæc cognitio fundamentũ habeat in rebus ipsis, vel illo careat, locis citatis Hurtad. non definit.

2 Recentiores, qui asserunt nullum ens rationis habere fundamentum in re, suam sententiam suadent ex eo, quod non fiat ens rationis cum concipitur hircocervus, aliæve huiusmodi chimæra cum exclusione suæ existentiæ, seu per actum, quo iudicetur, vel apprehendatur non existens, sed per actum, quo positiuè apprehendatur, vt existens, & habens verum esse ad quem actum, nullum cogit fundamentum, quia etsi ex eo quod cognoscamus, negationem hircocerui, teneamur hircocerum apprehendere, non tenemur illum apprehendere, aut iudicare vt verè existentem, sed possumus illum iudicare, vt excluſum ab existentia, in quem actum, potius quàm in alium inclinat cognitio negationis illius, ex vi cuius nullum sit ens rationis. Non assentior huic dicendi modo, quia existimo per actũ, quo iudicamus existentiam hircocerui, esse impossibilem, seu esse negatam existendi fieri ens rationis, quia per actũ illum apprehendimus ipsam hircocerui chimæram distinctam à negatione sui, imò de illa iudicium ferimus, cum dicimus non existere, quæ chimæra, vt distincta negatione eo modo quo apprehenditur tantùm habet esse obiectiuè in intellectu, & est purum figmentum. Itaque cum ego dico, hircocerus non existit in rerum natura, duo se tenent ex parte obiecti huius actus: negatio existentiæ, & ipsa existentia hircocerui, cui ego affirmo negationem accidere. Negatio existentiæ hircocerui est ens reale negatiuum, quia realiter à parte rei est negatio existentiæ hircocerui quæ nihil aliud est, quàm non esse existentiam hircocerui, existentia hircocerui tantùm habet esse obiectiuè in intellectu. & est purũ figmentũ. Neque intellectus valet apprehendere chimæram, vt non existentem, quin ipsam chimæræ positiuã existentiã apprehendat, tanquam id, quod remouet negatio, quia chimæra non existens dicit ipsam chimærã, & dicit negationẽ existẽtiæ, & cognitio negationis existentiæ chimæræ respicit tanquã obiectũ directum negationem realem; & tanquam obiectum indirectum, & obliquè cognitum existentiã ipsius chimæræ, quæ est primum figmentum, neque est inconueniens apprehensionem seu iudicium attingere extrema contradictoriè, aut priuatiuè opposita, dum non est formalis assensus circa vtrumque obiectum, potius enim sæpe sæpius id necessarium est, quia non valet intellectus cognoscere priuationem, quin cognoscat habitum, quem priuatio remouet.

3 Recentes, qui asserunt omne ens rationis habere fundamentum in re, sic arguunt, nullum est ens rationis, cuius non detur in re negatio realis, sed quælibet negatio necessariò cogit intellectũ, vt cognoscat habitum, cuius est negatio: ergo nullum est ens rationis, quod non habeat aliquid in re, videlicet sui negationem, quod cogat intellectũ ad illud cognoscendum. Positiuum aliud fundamentum ad omne ens rationis cognoscendum ego designo. Omne ens rationis est obiectum alicuius cognitionis realis : ergo, qui distinctè cognouerit illam cognitionem, cuius ens rationis est obiectum debet illud necessariò cognoscere: ergo aliquid reale datur in rerum natura, quod cogat intellectum cognoscere quodcũque ens rationis. Primum antecedens est per se notum, consequentia facilè probatur. Nulla cognitio potest distinctè cognosci, quin cognoscatur suum obiectum : ergo cognitio illa, quæ terminatur ad hoc ens rationis, quam dari certum est, non potest cognosci, quin cognoscatur hoc ens rationis : ergo datur aliquid reale, quod non possit cognosci, quin cognoscatur hoc ens rationis, & idem dico de quocumque alio.

4 Rationibus prædictis inueniri fundamentum in re, non solum, quæ inuitet intellectum, sed quæ illud cogat ad ens rationis cognoscendum, & fingendum, quod est idem, non inficior, verùm adhuc potest subsistere prædicta entis rationis distinctio, ex eo, quod his fundamentis præcisis, & aliis similibus, si quæ sunt alia communia omni enti rationis cognoscendo, in quibus omne ens rationis excogitabile par fundamentum habet, quod ad illud cognoscendum, & fingendum cogat intellectum apprehendentem illius negationem, vel cognitionem ad illud terminatam : sunt alia entis rationis quorum cognitiones specialia habent fundamenta distincta ab illis, quæ communia sunt omni

cognitioni

cognitioni entis rationis Sic ens rationis,quo fingimus tenebras in se entitatem quandã similem nigredini, vel esse ipsam nigredinem fundamentum habet respectu nostri intellectus imperfectè cognoscentis illa obiecta,quorũ speciebus caret in negatiuo tenebrarum esse,quod ob sui maximam imperfectionẽ,& quia non est esse,sed potius non esse difficile potest, vt nõ ens ab intellectu apprehẽdi,qui omnia instar entiũ sẽper apprehẽdit.Similiter ex visione, & ex modo,quo significamus habitudinẽ visionis ad parietẽ,quẽ dicimus esse visum,fundamentũ desumit intellectus vt percipiat esse visum dicere in pariete intrinsecã aliquã formã illi inhærẽtem.Eadem ratione ex eo,quod videamus hominẽ,& equũ habere quasdam operationes similes, & alias dissimiles,fundamentũ desumit intellectus,vt apprehendat quoddã prædicatũ cõmune homini,& equo,in quo conueniant,& aliud distinctũ in vnoquoq; eorũ, per quod differãt,& vt hoc apprehẽdat vt inferius,& illud,vt superius.Quæ fundamẽta,neq; alia similia nõ habet intellectus vt fingat plures Deos,neq; vt fingat hircoceruũ, aut alias chimæras , quarũ cognitiones solũ possunt habere fundamẽta illa cõmunia omnibus cognitionibus entiũ rationis, quæ suprà recẽsuimus , videlicet cognitionẽ terminatã ad illud ens rationis,& negationẽ eiusdem entis rationis,quæ necessariò determinat intellectum ad illud cognoscendũ.

5 Notare autem oportet differentiam quandam inter illa fundamenta cõmunia omnibus cognitionibus entis rationis,& hæc specialia, quæ modo retuli,quod illa communia non solum inuitant intellectũ,& illi occasionẽ aliquã præbent,vt fingat ens rationis,sed illum quantumuis perfectè cognoscentem cogunt ad ens rationis cognoscendum , & consequenter ad illud faciendum, si omnis cognitio entis rationis illius est factiua ; alia verò specialia fundamenta non cogunt intellectũ ad ens rationis fingendum,quia benè quis cognoscere potest visionem terminatã ad parietẽ, & parietẽ visum,quin apprehendat formam aliquã intrinsecè inhærentem parieti,& similiter potest cognoscere hominẽ,& equum cum aliquibus operationibus similibus,& & aliis dissimilibus , quin apprehendat has operationes oriri in homine , & in equo à principiis inter se distinctis, quorum vnum sit commune homini, & equo,& aliud proprium vniuscuiusq; valet etiã has negationes cognoscere, quin apprehẽdat esse entitates positiuas,&hæc omnia sine his figmentis cognoscit,qui res vt sunt in se apprehendit, nullus tamen neque adhuc Angelus valet cognitionem ad hircoceruum terminatam distinctè apprehẽdere, quin hircoceruum terminantem hanc cognitionem apprehendat. Differentia hæc ex eo oritur , quòd cognitiones entiũ rationis , quæ intellectum cogunt ad entia rationis cognoscenda,fundamentum habent in ipsis rebus,seu in obiectis ipsis,& ita quemcumque intellectum cogunt ad hæc entia rationis cognoscenda;illa verò fundamenta , quæ non cogunt;sed inuitãt ad entia rationis cognoscẽda, potius sunt in ipso intellectu imperfectè cognoscente, quam in obiectis ipsis. Si enim intellectus,vt sunt in se obiecta cognosceret,nunquam ex tenebris,seu ex pariete viso fundamentum desumeret ad fingendum tenebras esse nigredinem, & rationem visi esse formam aliquam intrinsecè inhærentem subiecto,quapropter numquam his ductus fundamentis Angelus hæc entia ratiois apprehendit.

6 Est etiam alia differentia inter cognitiones entium rationis innitentes his distinctis fundamentis , quæ ex modò assignatã originẽ trahit , cũ enim intellectus cognoscit ens rationis ductus fundamento cogente, illud cognoscit eadem cognitione , quã fundamentum cognoscit , cognosci enim est rationis & fundamentum illud in recto,& tanquam obiectum directum , hoc in obliquo , & tanquam obiectum indirectũ, quia nequit intellectus fundamentum cognoscere, quin eadẽ cognitione cognoscat ens rationis tanquã obiectum illius, si illud cognoscat per cognitionem reflexam in cognitione directã ad illud terminata,vel tanquam habitum,quem fundamentum remouet, si in sui negatione cognoscatur. Cùm verò intellectus ductus fundamento inuitante, & non cogente postquam per vnicam cognitionem fundamentum apprehendit , potest per aliam adæquatè distinctam cognoscere ens rationis, tanquam obiectum directum , & adæquatum entis rationis , quia cognitio fundamenti nullam connexionem habet cum cognitione entis rationis,& ita potest ab illa separari : exempli gratia apprehendo parietẽ esse visum cognitione quadam nimis confusã,qua non discerno , neque adhuc ex vi illius dubito,an parietẽ esse visum dicat formã illi intrinsecam,vel extrinsecam,postea ex hac cognitione fundamentum desumo ad inquirendum,quid sit in pariete esse visum,& ex modo, quo hæc denominatio obiecti visi apprehenditur,& significatur instar formæ intrinsecæ fundamentum desumo ad illam apprehendendam,vel iudicãdam,non solum per cognitionem , quæ illam repræsentet instar formæ intrinsecæ,seu per species formæ intrinsecæ, sed etiam ex parte obiecti vt formam intrinsecam, & subiecto inhærentem,ex vi cuius cognitionis ens rationis fingitur. Quomodo verò differant rem apprehendere instar formæ intrinsecæ,seu per species formæ intrinsecæ, & illã apprehendere ex parte obiecti,vt formam intrinsecam,dicam Punct.4.n.3.vbi differentiã istam exponã, in negationibus,quæ instar rerũ positiuarũ,vel vt res positiuæ apprehenduntur.Nota insuper posse intellectum quando nõ occurrit fundamentum , quod cogit cognoscere ens rationis illud cognoscere cognitione non innitente tali fundamẽto,imò postquam fundamentum occurrit , ens rationis intellectus illo fundamento coactus agnouit,potest iterũ ex vi alius cognitionis idem ens rationis agnoscere nullo ductus fundamẽto,non enim quoties quis apprehẽdit plures Deos illos apprehendit,quia prius apprehẽderit negationes illorũ,vel cognitionẽ ad illos terminatã,sed sæpe sine his fundamẽtis per hæc,&alia similia figmẽta ex distractione animi,vel pro libito voluntatis vagatur intellectus.

Punctum IV.

Diuiditur ens rationis in omnes suas species.

CElebris est diuisio entis rationis in priuationẽ,negationem,& relationem,quam totis viribus propugnãt Thomistæ,& admittit P.Vasq.1. p.q 28. art.1. de qua doctè multa P.Soar.disp 54 Metaph.sect.4. Ex duplici capite potest diuisio ista vitiari,vel quia omnia membra diuidentia entia rationis non sint , & ita non comprehendantur sub diuiso:vel quia dentur alia entia rationis, quæ ad nullũ ex his membris diuidentibus pertineant , & ita omnia simul sumpta non æquè pateant ac diuisum:vtrumque breuiter inquiram,& definiam.Dari relationes rationis apud omnes qui relationes admittunt inconcussum est,de negationibus potest esse difficultas circa primam conditionem requisitam,vt possit subsistere assignata diuisio. 1

Mihi est omnino certum dari plura entia rationis negatiua,seu plures negationes rationis.Ratio est facilis:possum apprehendere plures negationes,quæ dari repugnent in rerum natura , seu quarũ habitus necessariò existant in rerum natura,ita vt implicet non existere:ergo negationes illæ tantum habebunt esse obiectiuè in intellectu:ergo sũt pura figmenta.Probo antecedens,quando apprehendo negationem existentiæ Dei,& negationes trium personarum Trinitatis , apprehendo negationes;quarũ habitus sunt summè necessarij, & summè non repugnantes : ergo tales negationes in se sunt repugnantes,cum implicet simul existere habitus,& negatio,& eo ipso , quod non possit non existere habitus,non possit negatio existere:ergo negationes illæ tantum habent esse obiectiuè in intellectu : ergo sunt pura figmenta.Confirmatur:non magis repugnat Deus alius existens distinctus à Deo optimo maximo, quã Deus Optimus Maximus non existens:ergo sicuti,qui apprehendit Deum alium existentem distinctum à Deo Optimo Maximo, apprehendit obiectum repugnans , & facit ens rationis : sic similiter , qui apprehendit Deum Optimum Maximum non existentem,vel negationem existentiæ Dei Optimi Maximi existentis apprehendit negationem quãdam in se repugnantem , & facit ens rationis. Simile figmentum fingit , qui apprehendit Angelum repugnantem produci à Deo , vel negationem alius obiecti necessarij, quia eo ipso quod obiectum ita sit necessarium , vt non possit neque diuinitus deficere, illius negatio implicationem inuoluit,etsi habeat esse obiectiuum,nullum habebit præter istud,& erit ens rationis 2

Negationes aliæ habituũ,qui possunt deficere,& qui de facto deficiunt , sicuti negatio lucis,seu caloris existentis dupliciter possunt apprehendi. Primò apprehendi possunt vt entia negatiua,seu non entia,quod est idem , ita vt dicat intellectus:negatio caloris nihil aliud est , quàm calorẽ non esse,nulla alia entitate positiua superaddita. Alio modo potest intellectus apprehendere negationes istas, 3

v. g.

v.g.negationé caloris, de qua agebamus vt entitaté quandam nigredini ſimilem, vel identificatam cum nigredine phyſicè, & poſitiuè productam,& exiſtentē, ita vt apprehendat negationem caloris, ſeu non eſſe caloris formaliſſimè eſſe entitatem aliam poſitiuam, exiſtere,& produci. Poſteriorem modum apprehendēdi negationes admittunt omnes,prioré impugnant nonnulli,quia nos non valemus negationes,vt ſunt in ſe, ſeu potius vt in ſe non ſunt apprehendere, ſed ſemper illas apprehendimus inſtar rerum poſitiuarum,& per ſpecies rei poſitiuæ,quia non habemus propriam negationis ſpeciem,& ita ſemper hanc, vt rem poſitiuam apprehendimus.Decepit ſic arguentes ipſos nó apprehendiſſe, aliud eſſe nos apprehendere negationem inſtar rei poſitiuæ,vel per ſpecies rei poſitiuæ, aliud apprehendere negationem ipſam in ſe eſſe entitatem poſitiuam,& illam formaliter,vt poſitiuam intrinſecè apprehendere, quæ inter ſe maximoperè differunt, primum enim competit omnibus cognitionibus ,quibus negationes cognoſcimus,quarū ſpecies non habemus:ſecundum aliquibus tantum,quibus non ſolum obiectū per alienas ſpecies cognoſcimus, ſed illud nobis fingimus.Patet prædicta differentia in cognitione, qua ego primam Trinitatis perſonam apprehendo, cuius non habeo ſpecies, ex vi cuius per ſpecies ſenis Patrem æternum apprehendo, & inſtar ſenis mihi obiicitur,adhuc per actum ſupernaturalē fidei, quo agnoſco primam Trinitatis perſonam,nihilominus per illum actum non iudico neque apprehendo Patrem æternum ſenem eſſe, neque verum eſt dicere per illum actum agnoſcere Patrem æternum eſſe ſenem, etiamſi verum ſit dicere me per illum actum Patrem æternum inſtar ſenis, vel per ſpecies ſenis cognoſcere.Similiter quoties cognoſco Angelū, illū inſtar iuuenis agnoſco agnoſco tamen in illo obiecto directè cognito,videlicet in Angelo, non eſſe illud corporeum eſſe iuuenis inſtar cuius Angelum apprehendo,idem dico de omnibus entitatibus,quæ per proprias ſpecies cognoſcuntur. Ex quo inferes aliud eſſe apprehēdere negationem inſtar rei poſitiuæ, & per ſpecies rei poſitiuæ,aliud illā,vt rem poſitiuā apprehendere,&aliud eſſe apprehendere rem ſpiritualem inſtar corporeæ, ſeu per ſpecies rei corporeæ, aliud illam apprehendere,vt formaliter in ſe ipſam intrinſecè corpoream, & in vniuerſum aliud eſſe rem inſtar aliūs apprehendere, & aliud formaliter,vt aliam,ſeu cum aliūs prædicatis in ſe intrinſecè imbibitis apprehendere. His poſitis

4 Cùm negatio non ſolùm inſtar rei poſitiuæ, ſed etiam formaliter,vt rem poſitiuam apprehenditur,talis apprehēſio ad ens rationis terminatur. Ratio præſto adeſt:ex vi talis apprehenſionis impingitur negationi prædicatū quoddam poſitiuum,quod illi repugnat, & nihil negatiuum in negatione apprehenditur,& ſi apprehenditur aliquid negatiuum apprehenditur identificatum cum poſitiuo, ſed negatio habens aliquid purè poſitiuum, vel aliquid poſitiuum identificatum cum negatiuo eſt obiectum in ſe repugnans:ergo obiectum illius apprehenſionis eſt obiectum repugnans, ergo obiectum illius apprehenſionis eſt obiectū repugnans,quod tātum habet eſſe in illa apprehenſione,ex vi cuius fingitur,& eſt formaliſſimè ens rationis.Diſſentiat nullus ab hac concluſione.

5 Negatio apprehenſa per ſpecies rei poſitiuæ, vel inſtar rei poſitiuæ quando apprehenditur ex parte obiecti vt purum non eſſe rei,cuius eſt priuatio,& abſque vlla intrinſeca admixtione rei poſitiuæ,per cuius ſpecies,vel inſtar cuius apprehenditur non eſt ens rationis,neque fictum, ſed reale non eſſe rei, quod abſque vlla fictione cognoſcitur. Probatur concluſio: cognitio illa ex parte obiecti directi non attingit aliquod prædicatum poſitiuum; ſed tantū negatiuum,quod eſt non eſſe rei poſitiuæ,ſed hoc non eſſe nō eſt ens rationis,quia ſecluſo omni figmento ſole occidente eſt non eſſe lucis,quæ anteà erat,& eſt homo cæcus,ſeu non potens videre,& eſt non eſſe cuiuſuis qualitatis,quia quamuis ego me modo ab omni figmento abſtineam,non ſum calidus vt octo, & ſum carens calore vt octo: ergo qui cognoſcit me non eſſe calidum vt octo: ſeu me carere calore vt octo, non cognoſcendo me carere calore vt octo per aliquid poſitiuum,ſed præcisè per non eſſe caloris vt octo non cognoſcit aliquid fictum, quod non ſit antecedenter ad illam cognitionem, & independenter ab illa, quantumuis obiectum illud imperfectè cognoſcat, & per alienas ſpecies,& inſtar alius rei, quia ens rationis ſumendum non eſt ex modo,quo obiectum cognoſcatur,ſed ex obiecto,quod cognoſcitur, & quotieſcumque Deus infinitè,& ſummè perfectè cognoſcens aliquod obiectum non cognoſcit ens rationis,ſed reale, neque ego imperfectiſſimè cognoſcens idemmet obiectum facio ens rationis, quia obiectum, quod in ordine ad vnam cognitionem ens rationis non eſt,non poteſt in ordine ad aliam eſſe ens rationis,vt probaui punct.1.n.7.Confirmatur:quando ego cognoſco Angelum inſtar iuuenis, etiamſi repugnet ipſum eſſe iuuenem,Angelus à me cognitus non dicitur ens rationis:ergo quādo cognoſco negationem inſtar rei poſitiuæ,etiamſi repugnet negationem eſſe non poſitiuam: negatio cognita non erit ens rationis. Si enim quoties rem agnoſco inſtar alicuius, cuius prædicata illi repugnant nō rem veram,ſed ens rationis agnoſcerem, cum ſemper res ſpirituales inſtar rerum corporearum in hac vita agnoſcitur,nunquam res veræ ſpirituales,ſed loco illarum figmenta cognoſcerentur, & ita nunquam Deus à viatoribus cognoſceretur,ſed cognitiones abſtractiuæ,quas dicimus ad Deū terminari,non terminarētur ad Deū,ſed ad ens rationis,quod ſi per abſtractiuas cognitiones nō Deū, ſed loco illius ens rationis cognoſceremus, cū alias cognitiones in via non habeamus,non poſſemus Deū cognoſcere, & cōſequenter,neque illum amare,quod eſt pluſquam erroneū.

Dixi negationem cognitam inſtar nigredinis, & obiectum directum illius cognitionis non eſſe ens rationis,ad- 6
huc tamen poterat eſſe quæſtio,an ex vi illius cognitionis fieret aliquod ens rationis diſtinctum à negatione, quod intellectus ſimul cum negatione reali,vt diſtinctum ab illa apprehenderet.Poſſet quis dicere ex vi apprehenſionis abſtractiuæ, qua apprehenditur negatio inſtar nigredinis apprehendi negationem, vt obiectum directum reale, & apprehendi nigredinem,vt obiectū indirectum reale,& inſuper apprehendi relationem quandam ſimilitudinis inter negationem,& nigredinem,quia negationem ipſam,vt ſimilem nigredini apprehendimus, quæ relatio erit in re repugnans,& purum rationis figmentum. Etiamſi admitteretur talis relatio rationis, adhuc ſtaret negationem ſic apprehenſam non eſſe ens rationis,verumtamen nullo modo talis relatio admittenda eſt, quia cum intellectus apprehendit inſtar nigredinis relationem, neque ex parte obiecti directi, aut indirecti concipit diſtinctionem aliquam inter negationem, & nigredinem, quam concipere neceſſe eſt vt relationem concipiat, & ſimilitudinem poſitiuam, ſed tantum dicitur cognoſcere negationem vt ſimilem,vel inſtar ſimilis cum nigredine,quia ex vi illius cognitionis,ita cognoſcitur ac ſi non haberet poſitiuam diſſimilitudinem,aut diuerſitatem à nigredine, ſicuti dixi in conſtructione vniuerſalis cognoſci individua,vt ſimilia inter ſe ſimilitudine quadam negatiua, hoc eſt in nullo cognoſci vt diſſimilia,aut diſtincta, quod ſit abſque vllo obiecto ficto ex parte obiecti, præcisè ex eo, quod cognitio ſit ita imperfecta, vt ex vi illius non valeat intellectus diſcernere inter obiecta, quæ ex vi illius attinguntur. Ex hoc infero in cognitione abſtractiua eo præcisè quod abſtractiua ſit,non fieri ens rationis, cum plures dentur ad obiecta vndique realia terminatæ, licet aliarum plurimæ ad pura figmenta terminentur.

Statuimus dari negationes reales, de quibus, & de priuationibus indiſcriminatim mentionem feci, quia illarum 7
differentiæ ex pluribus locis notiſſimæ ſunt, & circa præſentem quæſtionem, eadem eſt omnino ratio de priuatione,& de negatione.His tamen negationibus realibus ſtatutis,adhuc poteſt ſubſiſtere diuiſio entis rationis in priuationem,& negationem,ſi ex capite non deficiat,quia ex eo quod ens rationis rectè diuiditur in priuationē,negationē & relationem non debet inferri;omnem negationem eſſe ens rationis, ſicuti non debet inferri omnem relationem eſſe relationem rationis,abſque controuerſia enim admittuntur relationes reales, & nullus ex hoc capite diuiſionē improbat,quapropter miror quàm plurimos impugnantes hanc diuiſionem, ex eo quod dentur negationes reales, aliunde admittentes relationes aliquas rationis, & omnem negationem apprehenſam non ſolùm inſtar rei poſitiuæ,ſed etiam, vt rem poſitiuam eſſe ens rationis. Requiritur ergo, vt prædicta diuiſio ſubſiſtat omne ens rationis in particulari aſſignatum eſſe relationem, vel priuationem,aut negationem,quia membra diuidentia, quæ ſub illo diuiſo debent cōprehendi non ſunt priuatio, aut negatio vtcumque;ſed priuatio rationis,& negatio rationis, ſicuti aliud membrum diuidens non eſt relatio vtcúque,

ſed

sed relatio rationis,diuisionis enim sêsus hic est:ens rationis aliud est priuatio rationis,aliud negatio rationis,aliud relatio rationis:ergo ex eo quod sint priuationes, & negationes reales,dum aliæ supersint priuationes , & negationes rationis,quæ sint mêbra diuidêtia sub illo diuiso contenta,rectè poterit constare diuisio : nihil ergo hucvsque contra prædictam diuisionem ex doctrina tradita actum est. Videndum modò an ex alio capite nonconstet diuisio, videlicet quia dantur entia rationis , quæ relationes non sint,neque priuationes,aut negationes.

8 Sentio intellectum non solùm fingere priuationem, negationem , & relationem rationis, sed etiam subsțantiam, quantitatem,& qualitatem,& reliqua omnia prædicamêta rationis , ita vt entia rationis per omnia prædicamenta vagentur,& sæpe confingi ex entitatibus , ad diuersa prædicamenta pertinentibus,quis enim cohibere potest intellectum,ne apprehendat subsțantiam infinitam cum quantitate identificatam , & quantitatem identificatam cum actione & sic de aliis prædicamentis. Dices in his figmentis tantum fingi identitates extremorum , & has esse relationes , & ita omnia hæc figmenta ad relationem spectare. Contrà : identitas , quæ fingitur inter hircum , & ceruum , cum hircoceruus fingitur eo modo se habet in ordine ad intellectum fingentem respectu extremorũ, ac se habet in re identitas realis animalis , & rationalis in ordine ad sua extrema , concipitur enim ficta illa , similis huic reali identitati : sed identitas inter animal , & rationale non est relatio realis : ergo identitas ficta inter hircum,& ceruum, non est relatio rationis. Sed quidquid sit de his entibus rationis compositis in entitatibus rationis,in quibus simplex entitas apprehêditur , Probatur nostra conclusio : Potest intellectus aphendere Deum alium summè simplicem , & distinctum à Deo Optimo Maximo, qui nunc est, vt dicebam Punct. 2. sed Deus ille erit fictus , & tantum habens esse obiectiuè in intellectu:ergo Deus ille erit ens rationis , & pertinens ad prædicamentum subsțantiæ rationis,seu quidquid sit de prædicamento. Deus ille erit subsțantia rationis. Similiter potest quis fingere præsentiam quandam,ex vi cuius possit entitas secundam easdem partes indiuisibiliter sumptas esse in eodem spatio circumscriptiuè,& definitiuè , & durationem aliam,ex vi cuius entiras duret simul in tempore præsenti,præterito & futuro,& sic in omnibus aliis entitatibus innumera figmenta poterit intellectus comminisci. Defendunt hanc conclusionem ferè omnes Doctores, qui de hac re agunt. Legantur P.Soar.suprà n.10.& P. Vasq. iam citatus n.16.vbi asserit rationis subsțantiam reduci ad negationem, vt defendat diuisionem supra traditam entis rationis in priuationem,negationem,& relationem,& ibidem affirmat subsțantiam rationis non dici simpliciter subsțantiam, sed cum addito , quibus expresșè concedit dari subsțantiam rationis. Adhærent Hurt.disp.19.sect.4. & Arriaga disp.6.sect.1.

9 Restat modò iuxta doctrinam traditam iudicium ferre de diuisione supra addita,de qua si quis dicat exactam nõ esse,facile se ab hac quæstione expediet, neque vllo poterit impugnari.P.Soar. P. Vasq.& alij plurimi subsțantiam, quantitatem, & alia similia entia rationis ad negationem reducunt,quia subsțantia rationis nihil aliud est quam negatio illius relationis,quæ fingitur cognita,non vt nõ esse subsțantiæ,sed vt esse subsțãtiæ,seu subsțantia illa cuius est negatio.Si vera esset hæc doctrina , & ex hoc capite subsțantia rationis ad negationem posset reduci, similiter relatio rationis posset reduci ad negationem,& superflueret in diuisione membrum illud *relationis* , adæquatéque diuideretur ens rationis in priuationem,& negationem, neque aliqua esset specialis ratio,propter quam ens rationis in relationem,& non in subsțãtiam,seu relationem rationis diuideretur. Respondet P. Vasq. disparem esse rationem de relatione rationis,ac de rationis subsțantia , quia licet intellectus faciat subsțantiam rationis,sicuti facit relationẽ. non tamen dicitur subsțantificare , sicuti dicitur referre media relatione rationis,quia munus intellectus est referre vnum ad aliud, non verò subsțantificare, neque qualificare.Non absque difficultate solutionem percipio:intellectus producens relationem rationis non refert formaliter, sed actiuè,media relatione producta , cuius munus est formaliter constituere relatum vnum ad aliud, quod cognoscit intellectus ita relatum , dum cognoscit relationem ipsam,quam facit:cùm verò producit subsțantiam rationis, cum munus subsțantiæ non sit subsțantificare, mirum non est intellectum producentem subsțantiam rationis formaliter non subsțantificantem non actiuè non subsțantificare producendo talem subsțantiam , & non cognoscere aliquod subiectum subsțantificatum , etiam si cognoscat subsțantiam rationis , cum non cognoscat illam efficientem subiectum , quod subsțantificet.Ex quo fit dici posse intellectum actiuè refere producendo relationem rationis, & non actiuè subsțantificare producendo rationis subsțantiã, quod impertinens omnino est;vt ens rationis potius in relationem,quàm in subsțantiam rationis diuidatur. Poterit tamen dicere qualificare subiectum , cum illi qualitatem aliquam rationis impingit,cuius munus est qualificare formaliter:sic cum aliquid laudis , vel vituperij subiecto tribuimus,illud dicimur qualificare,& vulgari sermone dicitur *fulano califico tal cosa*, quando rem illam laude vel vituperio afficit.Neque assequor,cur relatio rationis simpliciter dicenda sit relatio sine vllo addito,& subsțantia rationis semper cum illo addito sit proferenda. Melius diuisio hæc cum P.Soar,& aliis explicari poterit de entibus rationis,quæ specialia in re habent fundamenta distincta ab illis,quæ omnibus entis rationibus sunt communia.

Punctum V.

An denominationes extrinsecæ sint entia rationis.

Dvplex est forma , vna absoluta alia respectiua; forma absoluta dicitur illa , quæ tantum respicit suum subiectum inhæsionis,seu informationis : forma respectiua dicitur,quæ præter subiectum inhæsionis, & informationis respicit aliud tanquam obiectum, terminum, vel principium,cui denominationem aliquam tribuit. Exemplum formæ absolutæ sit albedo,quæ subiectum denominet , & nulli alij denominationem aliquam tribuit:respectiuæ formæ exemplum sit visio,quæ præter subiectum , quod constituit videns , respicit obiectum, quod visum denomiuat. Item actio,quæ præter denominationem passi, quam tribuit subiecto,principium effectiuum à quo procedit denominat efficiens,seu producens,& terminum quem respicit productum constituit. Hæ formæ,quæ diuersa denominant subiecta non omnia intrinsecè afficiunt,sed respectu vnius dicitur hæc forma intrtnseca,& respectu illius extrinseca appellatur , sic visio , quæ potentiam visiuam videntem constituit,&obiectũ visum respectu huius,extrinsecaest,& intrinseca respectu illius , & actio transiens extrinseca est principio,quod constituit efficiens,& intrinseca subiecto, quod passum denominat.Ex his diuersis modis , quos habent formæ respiciendi subiecta intrinsecè , & extrinsecè duplex denominatio , quædam intrinseca , alia extrinseca, suboritur.Denominatio intrinseca dicitur illa , quæ oritur à forma intrinseca subiecto denominato , sicuti denominatio videntis , quæ oritur à visione intrinsecè afficiente subiectum quod denominatur videns.Denominatio extrinseca est illa,quæ oritur à forma extrinseca subiecto, quod denominatur,sicuti denominatio visi orta à visioue extrinseca nimis subiecto albo,quod denominatur visum Denominationes intrinsecas esse entia realia nullus ambigit,de extrinsecis sunt varia Doctorum placita.

Fuit opinio Durandi in 1.distinct.19.q.3. num.7. & q. 6. 2
n.11.& disp.33.q.1.n. 10. asserentis omnes denominationes extrinsecas esse entia rationis.Durandum sequuti sunt omnes Thomistæ,cum quibus loquutus est P.Vasq. qui essentiam peccati,& aliorum,quæ extrinsecas denominationes important per entia rationis explicuit. P.Rub.tr. de ente rationis n.2. quem alij sunt sequuti,asserit dari plures denominationes reales,sicuti esse dexterum,vel sinistrum,esse verò cognitum,apprehensum , & alias huiusmodi denominationes , quæ procedunt à formis extrinsecis intentionalibus esse entia rationis.

Sentio cum P.Soar.disp.42.citata,num.10. Hurt.disp.19. 3
sect.1.& aliis plurimis omnem denominationem extrinsecam prouenientem à forma reali,siue physica , siue intentionali esse realem absque vlla mixtura entis rationis. Probo hanc conclusionem;Denominatio sumitur à forma denominante : ergo si forma est realis , denominatio erit realis.Probo consequentiam. Posita forma à qua procedit denominatio , & posito subiecto,quod dicitur denominatum , & quocumque alio figmento secluso, est subiectum

denominatum, & existit totum illud, quod significamus per nomen, quo subiectum iam denominatum intendimus significare, v.g. per hæc nomina visum, apprehensum, cognitum, amatum: ergo hæ denominationes nullum important ens rationis. Probatur antecedens: Eo ipso quod detur hæc realis cognitio, quæ intrinsecè per se ipsam terminatur ad Petrum existentem, Petrus existens est cognitus: ergo secluso omni figmento datur denominatio cogniti procedens à cognitione reali. Secundò: Cognoscere & cognosci sunt relata: ergo eo ipso, quod ego cognoscam, Petrum, Petrus est cognitus à me sed Petrus est cognitus à me absque vlla fictione præcisè ex eo, quod detur cognitio, quæ intrinsecè, & per se ipsam ad Petrum terminatur: ergo absque vlla fictione Petrus est cognitus: ergo hæc extrinseca denominatio cogniti absque vlla fictione conuenit Petro. 4

Confirmatur: omne ens rationis debet in se includere aliquid, quod non sit entitas realis, sed denominatio Petri cogniti non includit aliquid, quod non sit reale: ergo non est ens rationis. Maior est euidens: Minorem probo: Petrum esse cognitum tantum dicit ipsum Petrum, & cognitionem istam, sed totum hoc est reale: ergo Petrum esse cognitum non est ens rationis, sed tantum dicit ipsum Petrum, qui cognoscitur, & cognitionem ex vi cuius cognoscitur. Addo entitatem, quæ cognoscitur importari materialiter, & formam, à qua procedit denominatio formaliter, quapropter etiamsi entitas denominata aliquando sit rationis, dum forma sit realis, denominatio absolutè dicitur realis, sic ens rationis à cognitione reali realiter denominatur cognitum, potest enim forma realis obiectum rationis afficere. 5

De denominationibus, quæ non procedunt à formis intentionalibus, & de aliis quibuscumque eadem ratione probatur, quia hoc corpus esse dexterum, & illud sinistrum tantum dicit hæc duo corpora habere tales præsentias reales, quibus positis alio quocumque siue reali ficto secluso hoc corpus est dextrum, & illud sinistrum. 6

Non inficior has extrinsecas denominationes fundamentum aliquod præbere non cogens, sed inuitans intellectum imperfectè cognoscentem, vt fingat aliquod ens rationis, quia denominatio visi ex modo significandi significatur instar alicuius intrinsecè, ex quo potest intellectus abstractiuè cognoscens occasionem desumere ad apprehendam vel iudicandam rationem visi, non tanquam aliquid extrinsecum, sed tanquam quid intrinsecum, quâ ratione cognita denominatio illa terminans talè cognitionem erit denominatio rationis, quia apprehenditur ex parte obiecti cum aliquo prædicato repuganti, repugnat enim esse visum importare aliquid intrinsecè cum subiecto quod denominatur visum. Dicit ergo extrinseca denominatio apprehensa formaliter vt intrinseca ens rationis, sicut illud dicet animal rationale apprehensum vt rationale, si tamen vt extrinseca in se cognoscatur, etiamsi instar formæ intrinsecę apprehendatur, non erit ens rationis, sicuti negatio apprehensa vt entitas positiua, & Angelus vt viuenus corporeus sunt entia rationis, & entia realia dicentur etiamsi negatio instar rei positiuæ, & Angelus instar rei corporeæ apprehendantur, dum ex parte obiecti negatio vt ens negatiuum, & Angelus vt ens spirituale appareat. Quæ differentia importetur per apprehensionem ex vi cuius res apprehẽditur vt corporea & apprehẽsionẽ ex vi cuius instar corporeæ apprehẽditur, dixi Punct. 4 n. 3. 7

Obiicit P. Rub. hominem esse cognitum tantum est obiectiuè in intellectu: ergo est ens rationis, & non reale. Proba tantecedens; esse cognitum, & esse obiectum sunt idem: Sed esse obiectum tantum habet esse obiectiuè in intellectu: ergo esse cognitum tantùm habet esse obiectiuè in intellectu. Respondet Hurt. Homo qui est cognitus tantùm habet esse obiectiuè in intellectu: nego; homo vt cognitus non habet esse nisi obiectiuè in intellectu, concedo. Deinde negat consequentiam, quia ens rationis non debet accipi reduplicatiuè in ratione cogniti, sed specificatiuè. Displicet solutio, quia obiectio non intendit probare hominem, qui cognoscitur esse ens rationis, sed hominem vt cognitum, seu denominatũ cognitione esse ens rationis vnde si concedatur hominẽ vt cognitũ tantum habere esse obiectiuè in intellectu arguens ex definitione ad definitum, legitimè inferet hominem vt cognitum esse ens rationis, & habebit intentum. Melius respondetur hominem vt cognitum ex vt cognitionis, qua constituitur cognitũ si alia reflexa per accidẽs non accedat, adhuc non habere esse obiectiuè in intellectu, tantum abest, vt hoc tantum habeat, quia homo vt cognitus dicit duo hominẽ ipsũ, qui habet esse obiectiuè in intellectu ex vi cognitionis, quâ constituatur cognitus, & dicit ipsam cognitionem quæ donec reflexè cognoscatur non habet esse obiectiuè in intellectu, sed tantum habet effectiuè, & subiectiuè in intellectu, à quo efficitur, & in quo recipitur, ex quo fit hominem vt cognitum non habere esse obiectiuè in intellectu quousque adueniat alia cognitio reflexa, per quam cognitio, ex vi cuius constituitur cognitus, fit obiectiuè in intellectu, quia implicat hominem vt cognitum habere esse obiectiuè in intellectu, quin illud habeat cognitio, per quam constituitur formaliter vt cognitus: Quod si accedat illa cognitio reflexa ex vi cuius homo cognitus cognoscatur, & habeat esse obiectiuè in intellectu, non illud habet tantum, sed etiam extra intellectum, totum, quod dicit cõcretum illud *homo cognitus*, habebit suum esse, quia concretum illud nihil aliud dicit præter hominem, qui independenter ab intellectu suum esse habet, & cognitionem, quæ præter esse obiectiuum, quod habet ab intellectu illam reflexè cognoscente, habet esse subiectiuum, & effectiuum in intellectu, qui ex vi illius constituitur cognoscens, à quo producitur, & in quo recipitur. 8

Ad confirmationem respondeo obiectum communiter sumi materialiter pro termino cognitionis seu pro illo, quod cognoscitur, cognitum autem importare non solum terminum cognitionis, seu illud, quod cognoscitur, sed supra hoc addere cognitionem ipsam, iuxta quem modum accipiendi vtrumque terminum, hæc prædicatio *obiectum est cognitum* est prædicatio accidentis de subiecto, quod ad illud supponitur, sicut ista *Petrus est albus*, in quo sensu obiectum tunc tantum habebit esse obiectiuè in intellectu, quando sit ens rationis, vt cum cognoscitur hircoceruus, tunc autem etiam extra intellectum habebit esse, quando id, quod cognoscitur, est reale, sicuti cum cognoscitur homo, quia esse terminum cognitionis, quod nomine obiecti solet significari commune est enti reali, & rationis. Si tamen obiectum sumatur non pro ratione præcisâ terminante cognitionem, sed pro concreto constituto ex hac ratione, & ex cognitione, quod conuertitur, seu est idem cum obiecto cognito, numquam poterit dici tantum habere esse obiectiuè in intellectu, quia ex duobus, quæ dicit hoc concretum, subiectum, quod est terminus cognitionis, & formam, quæ est cognitio, hæc semper est realis, quæ habet esse subiectiuè, & effectiuè in intellectu, & subiectum aliquando est reale, aliquando rationis; vt patet in his duobus concretis *homo cognitus*, *hircocerus cognitus*, quorum vtraque forma realis, & subiectum prioris reale est, rationique posterioris subiectum. 9

Obiicies, Denominatio Creatoris aduenit Deo absque vlla forma reali, ergo non est realis, sed rationis. Respondeo denominationem creatoris aduenire Deo, aduenientę creatione reali procedente à Deo tanquam à principio quæ sicuti extrinseca est illi, extrinsece Deum creatorem denominat.

PVNCTVM VI.

De causa creata entis rationis.

NOtauit benè P. Soar. tantùm posse disputari de causa efficiente entis rationis, quia cũ non sit per se intentũ à natura non habet finalẽ causam, si autem quis intenderet entia rationis fingere, posset ex parte hominis fingentis finalis causa assignari, quæ propriè esset causa suæ intẽtionis, & secundariò actus intellectus, quo ens rationis fingitur, valdè tamen impropriè, & remotè respectu entis rationis ficti. Neque causa materiali, aut formali indiget cum tantum habeat esse obiectiuè in intellectu, poterit ramen entis rationis materialis causa nimis impropriè dici subiectum reale, cui ens rationis impingitur, & si hoc materiã & formã ficta fingatur causam materialem, & formalem fictam habebit. Procedit tota difficultas de causa efficiente: De qua breuissimè. 1

PRIMA CONCLVSIO: Ens rationis fieri non potest per sensus externos. Docet hanc conclusionem P. Soar. disp. 54. sect. 2. n. 17 & Hurtad. disp. 19. sect 5. §. 84. Probo facilè: Sensus externus, v.g. visus (idem dico de aliis) non potest vagari extra suum obiectum colorem videlicet, & lucem: ergo 2

ergo nequit percipere aliquid,quod non sit color, & lux: ergo non potest percipere obiectum, quod non sit reale.

3 Obiicit Arriag. qui oppositam sententiam defendit disput.6.sect.2.subsect.3. Potest Deus creare colorem alligatum alicui loco,& potentia visiua illum alibi videre:ergo potest videre colorem cum præsentia impossibili: ergo videre obiectum non reale, & quod nullum habeat esse præter obiectiuum in potentia visiua. Respondeo: Colorem, qui de facto datur, seu eiusdem speciei cum coloribus existentibus non posse creari à Deo alligatum essentialiter alicui spatio, quia ex se est indifferens vt sit in hoc,vel in illo spatio, quod si Deus vellet talem colorem alicui loco alligare, non ideo ex natura rei illi repugnabit alia præsentia, sed tantum ex decreto Dei volentis illi colori talem præsentiam tribuere, & non aliam,ac proinde si cum alia præsentia videatur præsentia illa ficta non erit, quia non ex natura rei,sed ex Dei decreto repugnabit. Si autem Deus crearet colorem alium distinctum ab omnibus coloribus de facto existentibus, color ille obiectum non esset huius potentiæ visiuæ,quam sine fundamẽto dicemus posse ferri in colores distinctos ab his,qui de facto existunt. Neque ratio est aliqua propter quam qualitas illa immouibilis à Deo producta specie distincta ab omnibus aliis,quas colores appellamus,dicenda sit color, hic enim constituitur essentialiter per prædicatum commune omnibus qualitatibus, quas colores vocamus, per quod hæ ab omnibus aliis differunt. Videtur tamen hanc esse quæstionem de nomine, quæ nulla potest efficaci ratione probari.

4 Secvnda Conclvsio. Sensus internus non potest fingere entia rationis: Docet hanc conclusionem Hurt. cõtra P.Soar.suprà n.18.quem sequutus est Arriag.suprà n.25. Probo hanc conclusionem ratione desumpta ex eodem Soar.n.17. sensus internus non est inquisitiuus circa essentias rerum,neque illas attingit: ergo non potest essentiam huius rei alij ab hac distinctæ tribuere. Confirmo eamdem rationem. Sensus internus tantum percipit illa,quæ præsensêre sensus externi,vt dixi Contr.3. de anima Punct.2. sed sensus externi non percipiunt obiecta non realia, sed tantum hæc accidentia externa:ergo hæc & non illa percipit sensus internus absque aliqua impositione, neque fictione circa rerum essentias.

5 Obiicit P.Soar.sensus internus vim habet componendi obiecta specie distincta, & apprehendit hominem tanquam leonem,& vtriusque prædicata coniungit:ergo facit entia rationis. Resp.sensum internum tantum hæc coniungere per apprehensionem accidentium externorum contiguorum, quæ ita contigua non implicant; benè enim potest figura hominis esse contigua cum figura leonis, quod si figuræ istæ vniri non possent,quod non credo, sensus internus figuras has non apprehendit vnitas, sed contiguas, quia præter contiguitatem, seu præsentiam nullam aliam vnionem percipiunt sensus externi,& internus.

6 Obiicit Arriag.quando canis videt columnam, vel statuam sæpe putat esse hominem:ergo tunc coniungit extrema incompossibilia,videlicet prædicata statuæ vel columnæ cum prædicatis hominis: ergo facit ens rationis. Resp.casu prædicto canem non coniungere prædicata statuæ vel columnæ cum prædicatis hominis, sed ea apprehendere adeo confusè,vt feratur in quodlibet extremũ,ac si esset aliud,non quia dicat hoc est illud, sed quia hoc ab illo distinguit, in quo nulla est fictio, sed tantum apprehendi imperfectio. Neque obstat,quod contra hanc doctrinam instat Arriaga videlicet canem apprehendere simul hæc obiecta, quando vtrumque est præsens, & tunc columnam ab hero distinguere[3], quia per simultaneam præsentiam obiecta illa distinctius apprehenduntur, & distinguuntur inter se.

7 Tertia Conclvsio. Entia rationis fieri non possunt à voluntate neque ab appetitu sensitiuo,ita P. Vasq. & P. Soar. Non probo voluntatem non facere entia rationis, quia supponit illa iam facta ab intellectu, cum enim fieri entis rationis nihil aliud sit quam cognosci, seu attingi alio actu intentionali,sicuti nihil prohibet idem obiectum semel, & iterum diuersis actibus attingi, ita nihil prohibet semel & iterum fieri per eosdem actus. Moueor ad hanc conclusionem ex modo, quo voluntas attingit hæc obiecta, ex vi cuius non dicitur obiectum esse in voluntate, aut in actu amoris, neque voluntatem trahere ad se obiecta, potius voluntas dicitur ferri in obiecta, & esse in illis,amor enim est pondus quoddam quo amans fertur in obiectum amatum, & in illo esset dicitur, & non amatum in amante. Ex quo fit idemmet obiectum cognitum, & amatum habere esse in intellectu, & non in voluntate,& ita si aliud in se non habeat, habet tantùm esse obiectiuè in intellectu,& non in voluntate, & ideo dicitur fingi ab intellectu, & non à voluntate. Scio amorem per metaphoram dici pondus, & per eamdem dici amantẽ esse in amato,verumtamen hoc quod per metaphoram his locutionibus explicatur,aliquid verũ,& reale est in actibus intellectus & voluntatis ratione cuius à parte rei diuersõ modoobiectũ attingũt, ex qua diuersitate fundamentũ sumimus ad affirmandũ,intellectũ fingere entia rationis per actus tendentes in obiecta impossibilia,& non eadem fingere voluntatem per actus,quibus eadem impossibilia appetuntur. Quæ omnia nullum aliud fundamentum habent præter communem modum,quo apprehendimus entia rationis, & de illis loquimur,quia si quis dicat facere ens rationis tantum esse attingere quocũque intentionali actu obiectum in se repugnans, & hac ratione voluntatẽ appetentem chimæram, quam intellectus proposuit, facere entia rationis, difficile poterit ab hac sententia efficaci aliqua ratione dimoueri. Probat hæc ratio eodem modo appetitum sensitiuum non facere entia rationis, quia eodem modo vterque appetitus rationalis, & sensitiuus feruntur in propria obiecta,hic actibus materialibus, & ille spiritualibus. De appetitu sensitiuo alia supereſt ratio, quia hic tantum fertur in illa obiecta, quæ sensus internus proponit, & cum sensus internus nunquam proponat obiecta ficta, nunquam in ficta obiecta ferri potest. 8

Qvarta Conclvsio. Ens rationis fieri potest per apprehensionem etiam simplicem: Probo hanc conclusionem;potest quis per simplicem apprehensionem apprehẽdere quartam personam Trinitatis: ergo potest facere per apprehensionem simplicem ens rationis. Antecedens absque vllo fundamento quisquam negabit, quod ipsius apprehensionis experientia confirmat. Consequentiam probo:obiectum illius apprehensionis tãtum habebit esse obiectiue in intellectu: ergo erit ens rationis. Respondet Hurt.neq;habere esse obiectiuè in intellectu, neque extra intellectum, quia per apprehensionem simplicem non dicitur obiectum habere esse obiectiuè in intellectu. Porrò desinitum non est quid sit esse obiectiuè in intellectu,ideo liberum cuique est asserere per hos tantum actus, & non per illos rem cognitam esse obiectiuè in intellectu: Ex quo fit Hurt. asserentem per apprehensionem rem cognitam non habere esse obiectiuè in intellectu nunquam ab aliquo impugnatum iri,verumtamen quomodo ille me poterit impugnare dicentem rem esse obiectiuè in intellectu, nihil aliud esse quam cognosci,& ita per apprehensionem constitui rem apprehensam obiectiuè in intellectu, & fieri ens rationis, quando apprehensio fertur in obiectum repugnans, in quod ferri posse certum est? Profecto sic ego rem apprehendo, de qua non multum contendam, quia scio neutram partem posse efficaci alia ratione euinci. Moueor ad asserendum ex vi cuiusuis actus rem cognitam esse obiectiuè in intellectu, ex modo,quem habet intellectus tendendi in sua obiecta trahendo illa ad se,quem illi absolutè concedimus respectu omnium actuum. Si hoc fundamentum non placet,assentire cum Hurt.res est enim leuissimi momenti.

Qvinta Conclvsio. Ens rationis sit semper per cognitionem quasi reflexiuam,quæ aliam supponit, etiamsi ad illam non terminetur. Ideo quasi reflexiuã eam vocaui: docet hanc conclusionem Soar.sect.2.n.16.ratio est facilis ens rationis semper à nobis concipitur instar entis realis: ergo illius cognitio supponit cognitionem illius entis realis,instar cuius cognoscitur ens rationis, numquã enim negationem instar nigredinis cognoscerem,si prius nigredinem non cognouissem. Similiter,qui fingit compositionem inter animal, & rationale illam fingit instar compositionis realis, quam cognouit inter subiectum, & formam intrinsecam illi vnitam,& sic de aliis. 9

Hæc conclusio facilè in vnam conciliat duas opiniones Hurt.& Arriag.asserit ille §.82.ens rationis nõ fieri nisi per apprehensionem complexam,addit tamen n.83. per apprehensionem incomplexam vnionis fieri posse. Iste verò multis contendit fieri posse per apprehensionem incõplexam 10

cuiuscumque obiecti, varia adducit exempla in confirmationem huius doctrinæ, quæ videri possunt disp.6. sect.3. à num. 31. quas opiniones sic explico, & compono : Ens rationis fieri potest per apprehensionem obiecti simplicis & incomplexi, quæ apprehensio simplex, & incomplexa dicetur ; semper tamen supponit apprehensionem alius obiecti, & ratione huius aliquo modo potest dici apprehensio factiua entis rationis aliquo modo complexa, importat enim duo obiecta apprehensa, vnum formaliter ex vi illius, aliud præsuppositiuè, & formaliter apprehensum ex vi apprehensionis, quam suppponit.

11 Obiicit Hurt. in simplici apprehensione non reperitur falsitas: ergo non est factiua entis rationis. Concedo antecedens, & nego consequentiam, quia vt fiat ens rationis, non requiritur cognitionem, ex vi cuius fit, falsam esse, sed sufficit dari cognitionem quomodocumque attingentem obiectum, quod nullum esse habeat extra intellectum.

12 Sexta Conclvsio. Etiamsi iudicium omne supponeret apprehensionem eiusdem obiecti, de quo fertur iudicium, per iudicium fieri posset ens rationis, quod simul per actum discursus fieri affirmo ; ratio est quia per hos actus cognoscuntur obiecta, quæ nullum esse habent extra intellectum, ex vi illorum rectè obiecta illa dicuutur obiectiuè esse in intellectu, quæ formaliter, & non alia important fieri entis rationis. Secundò quia si ex aliquo capite per hos actus non fierent entia rationis, esset, quia supponebantur facta per alios actus præcedentes, quod non obstat vt sæpe dixi, quia cum fieri entis rationis nihil aliud sit quàm cognosci ens rationis, quod potest semel, & iterum cognosci, potest semel, & iterum fieri.

13 Septima Conclvsio. Ens rationis fit per dissensum chimæræ, seu per iudicium, quo dicitur, chimæra est non existens, & repugnans. Probo: Per hoc iudicium non solum cognoscitur repugnantia chimæræ, seu non esse chimæræ, sed etiam ipsa chimæra, cuius est negatio, seu de qua prædicatur negatio : ergo hoc iudicium habet duplex obiectum, negationem videlicet, & chimærã : ergo ex vi huius iudicij est obiectiuè in intellectu duplex obiectum, chimæra, & negatio chimæræ. Sed horũ chimæra nullũ habet esse præter obiectiuum in intellectu : ergo ex vi huius iudicij datur aliquod habens esse obiectiuè in intellectu, quod nullum esse habet extra intellectum : ergo ex vi huius iudicij datur ens rationis, quod est id, quod tantum habet esse obiectiuè in intellectu. Discursum hunc doctè confecit Pater Vasquez 1. parte disputat. 81. cap 2. n 6. vbi postquam dixerat Deum non cognoscere non ens, hoc est chimæram, instar entis videlicet per assensum vt ipse explicuerat n.4. subdit postea, cum hoc dicendum esse priuationem entis rationis, de quo loquebatur, non cognosci à Deo, nisi etiam cognito habitu opposito, non tamen per conceptum obiectiuum, quia cum aliud sit habitus, & aliud negatio, & Deus intelligat ea, quæ sunt, aut non sunt, eo modo quo sunt, aut non sunt non potest non vnumquodque per se obiici intellectui diuino, tametsi vtriusque conceptus formalis, qui est in intellectu Dei idem sit.

14 Obiiciunt ferè omnes, qui asserunt per actum dissensus circa obiectum fictum non fieri ens rationis. Per hunc dissensum, exempli gratia, per actum quo dicit intellectus, hircoceruus non existit, intellectus destruit existentiam hircocerui, & illius esse : ergo per hunc actum non dat intellectus existentiam hircoceruo, neque facit, sed destruit illius esse : ergo ex vi illius intellectus non facit, sed destruit ens rationis. Respondeo per hunc dissensum intellectum intentionaliter destruere obiectiuè existentiam physicam hircocerui, & illius esse extra ipsum intellectum, quia negat illi obiecto physicè competere tale esse, tribuere tamen per hanc negationem formalem, seu per hunc dissensum eidem obiecto esse obiectiuè in intellectu, qui ex vi eiusdem actus, quo dicitur, existentia hircocerui non est existens in rerum natura, constituitur existens obiectiuè in intellectu, quod requiritur & sufficiens est suppositа repugnantia hircocerui vt fiat formaliter ens rationis. Addo me eandem existentiam obiectiuam formaliter daturum hircoceruo per actum, quo dicerem, hircoceruus non est obiectiuè in meo intellectu, quia actus ille esset intrinsecè falsus, seu connexus cũ falsitate, cum esset positio obiecti, quod negat, sicuti esset falsus actus, quo dicerem ego, nullo modo hircoceruum cognosco, & actus quo modò dicerem, non apprehendo Petrum : ipsum enim dicere, ego non apprehendo Petrum, esset illum apprehendere. Non loquor de apprehensione vt condistincta à iudicio, sed de apprehensione quatenus conuertitur cum cognitione.

15 Obiiciunt secundò : Hircoceruus vt non existens datur à parte rei : ergo, qui apprehendit chimæram vt non existentem non facit ens rationis. Respondeo chimæram vt non existentem duo dicere, negationem chimæræ, & ipsam chimæram : primum habet esse à parte rei, quia à parte rei est negatio chimæræ : secundum videlicet chimæra non habet esse à parte rei, sed tantùm obiectiuè in intellectu, ex quo fit cognoscentem hoc complexum, chimæra vt non existens, duo cognoscere, negationem chimæræ, ex vi cuius præcisè non facit ens rationis, & ipsam chimæram ex vi cuius facit ens rationis.

16 Obiiciunt tertiò : hoc obiectum, hircoceruus non existens, est verum : ergo non est ens rationis. Resp. distinguendo ly *verum* positum in antecedenti est verum formaliter extrinsecè ac actu formaliter vero, concedo antecedens, est verum provt dicit idem quod reale ficto oppositũ subdistinguo : ratione negationis hircocerui inclusæ in illo complexo, concedo antecedens ; ratione ipsius hircocerui inclusi in eodem complexo, nego antecedens. Deinde nego consequentiam, seu distinguo consequens : non est ens rationis secundùm totum quod includit, quia includit negationem realem, concedo consequentiam : non est ens rationis secundum rationem inadæquatam, quam dicit, videlicet secundum hircoceruum in illo inclusum, nego cõsequentiam. Neque ex eo quod totum obiectum denominetur extrinsecè verum à veritate formali actus infertur esse verum, quatenus verum dicit idem quod reale, quia sicuti obiectum actus formaliter falsi potest esse ens reale, sic obiectum actus formaliter veri potest esse ens rationis. Non fieri entia rationis per actus falsos de obiectis possibilibus probaui Punct. 2.

Pvnctvm VII.

An Deus cognoscat, & faciat ens rationis.

1 Diuersitas opinandi in hac quæstione mea quidem sententia tota oritur ex diuersitate constituẽdi entia rationis, seu assignandi cognitiones per quas cognoscuntur, & fiunt entia rationis. In multorum opinione circa essentiam entis rationis, & naturam cognitionis, per quam debet fieri ens rationis, est fide certum Deum non posse facere entia rationis, quod nullus ex doctoribus Catholicis, qui affirmet Deum facere entia rationis negat, loquuntur enim omnes in alio sensu longè distincto, dum asserunt Deum facere entia rationis, neque duos doctores inuenies requirentes cognitiones humanas, eiusdem rationis ad entia rationis facienda, quorum vnus affirmet, & neget alter Deum facere entia rationis : tota enim diuersitas opinandi in hac materia oritur ex diuersitate assignandi cognitiones factiuas entium rationis, qua ablata nulla decisioni huius difficultatis supereresset difficultas, etsi omnibus eadem mens esset de cognitione factiua entis rationis vix vllus daretur in hac re disputãdi locus. Ré clarè ostendo. Affirmat Pater Herice disp.8. de scientia cap. 1. in fine cognitionem factiuam entis rationis debere esse iudicium falsum de existentia obiecti, quod non sit, vel saltem apprehensionem, quæ inclinet ad hoc iudicium ; certum debet esse apud hunc authorem Deum non facere entia rationis, si enim assereret cognitionem factiuam entis rationis importare iudicium falsum de obiecto non existente, & simul assereret Deum facere entia rationis, apertè diceret Deum habere iudicium falsum de obiecto non existẽte, quod est hæreticum. Hac ratione optimè dixit Hurt. qui iudicium falsum requirit ad entia rationis facienda, fide sanctum esse, Deum non facere entia rationis ab ipso explicata, quod verissimum est. Authores isti, qui Catholicè defendunt Deum non facere entia rationis, & ad sanctã Inquisitionis tribunal essent deferendi, si oppositum diceret, fatentur Deũ cognoscere eadem entia rationis per verũ iudiciũ, ex vi cuius cognoscit illorum existentiã repugnare, & cognitionem humanam terminari ad eadem entia rationis. En quomodo in re conueniant doctores, qui affirmant, & qui negant Deum facere entia rationis, in quibus tantum est dissensio in assignanda cognitione, quæ vocãda sit factiua entis rationis, omnes enim eadem cognitiones

cognitiones circa idem obiectum eodem omnino modo tendentes constituent. Quia illi, qui affirmant, Deum facere entia rationis, dicunt cognitionem quamcumque terminatam ad obiectum repugnans, etiamsi sit iudicium de non existentia talis obiecti, vel quo tantum affirmetur, cognitionem aliam ad illud terminari, esse factiuam entis rationis, quam cognitionem Deo tribuunt doctores negantes Deum facere entia rationis, quin ex illorum principiis inconsequentiæ aliquid notetur; hi vero, qui asserunt quācumque cognitionem terminatam ad obiectum repugnans modo explicato esse factiuam entis rationis, non possunt non consequenter dicere, Deum cognoscentem ens rationis vt factum ab homine, vel per actum, quo iudicat esse obiectum repugnans, facere ens rationis, quod omnes cōcederent, si admitterent quamcumqué cognitionem quomodocumque terminatam ad obiectum repugnans. etiam dissentiendo ab illo esse factiuam entis rationis. His præmissis facilè à nobis tota decidetur difficultas Puncti capite præfixa, quæ placuit etiam prænotare, ne quis religionis specie carpere præsumat doctores asserentes Deum facere entia rationis, qui nihil Deo tribuunt, quod non cōcedant, qui asserunt Deum huiusmodi entia non facere, vt supra notaui, neque huiusmodi religionis specie suam sententiam commendandam, aut præferendam esse præsumāt sententiæ illorum, qui asserunt Deum facere entia rationis per actum, quo ab illorum existentia dissentitur, & dicat illa ab intellectu humano vt vere existentia cognosci, etsi enim Catholica sit laudanda sententia negantiū Deū facere entia rationis, ne cogantur asserere Deum habere iudicium falsum, quo decipiatur, & iudicet existere obiectum, quod in se repugnat, hac laude carere non debent, qui asserunt Deum facere entia rationis tantùm per actum quo iudicat ipsa repugnare, & esse obiectum intellectionis creatæ, & nullo modo per iudicium assertiuum de illorum existentia, aut per apprehensionem, quæ inclinet ad hoc iudicium, quia longè abest à Deo omnis cognitio, quæ aliquam falsitatis vmbram redoleat.

2 Venio iam ad aliorum sententias referendas, & propriā explicandam P. Vasq 1.p. disp. 118. c. 3. affirmat Deum neque cognoscere, neque facere entia rationis. Hunc sequuntur duo illius fidi discipuli Pater Turr. in selectis opusc. 7. dub. 8. & 4. & Pater Alarcon. tract. 2. disp. 3. c. 6. num. 10. Verumtamen hi authores postquam hoc loquendi modo plures in se impugnationes concitarunt, in re tandem sentiunt cum aliis, qui clarè dicunt Deum entia rationis cognoscere non per assensum, quod illæsa fide dici non posset, sed per dissensum. Legatur Alarcon. qui postquam de hac re loco citato diffusè scripserat tandem asserit c 7. n. 8. Deum cognoscere entia rationis per dissensum, & non per assensum, quod disertis verbis docet P. Vasq. disp. 61. cap... num. 4.

3 Deum agnoscere entia rationis, & illa non facere fert communis sententia. Ita P. Heric. disp. 8. c. 2. P. Ruiz t. de scientia disp. 17. c. 2. P. Fasol. 1. p. disp. 14. art. 9. disp. 2. num. 8. P. Hurt. disp. 19. sect. 6. P. Arriag. disp. 6. sect. 5.

4 Deum cognoscere, & facere entia rationis docēt Henrr. Canar. P. Fonsec. P. Molina & alij apud D. Thom. 1. p. q. 14. art. 9. & 10. Accedit P. Arrubal ibid. vbi asserit Deum cognoscere entia rationis vt facta ab homine, ex vi cuius cognitionis illa facit, quia implicat cognosci ens rationis, quin fiat eadem cognitione, cum illius fieri nihil aliud sit quàm cognosci. Qui affirmāt Deum cognoscere entia rationis in duplicem classem sunt diuisi, quidam affirmant hæc tantum à Deo cognosci per ordinem ad nostrum intellectum. Alij asserunt independenter à nostro intellectu huiusmodi entia rationis à Deo cognosci. Rursus illi, qui asserunt Deum entia rationis tantum in ordine ad nostrum intellectum cognoscere in duplicem aliam classem subdiuiduntur, quidam affirmant Deum ex eo præcisè quod huiusmodi entia hac ratione cognoscat, illa non facere, quia cognitio factiua entis rationis debet esse independenter ab alia cognitione in ordine ad quam hoc ens rationis concipiatur. Alij, in quibus est Arrubal, asserunt huiusmodi cognitionem entis rationis in ordine ad nostrum intellectum esse factiuam entis rationis, quia eo ipso, quod ens rationis quomodocumqne cognoscatur, ex vi talis cognitionis fieri necesse est. Ita Pater Arrubal, cui dicendi modo fauent authores, qui asserunt Deum non cognoscere entia rationis, qui ne cogantur asserere Deum cognoscere entia rationis, apertè non audent fateri Deum illa cognoscere, existimantes idem omnino esse fieri, & quomodocumque hæc entia cognosci. Sit

Prima Conclvsio. Eo ipso quod Deus cognoscat 5
cognitionem humanam terminatam ad ens rationis debet cognoscere ens rationis, ad quod cognitio humana terminatur. Dico ad quod cognitio humana terminatur, ne modò contendamus an cognitio realis relationem dicat ad ens rationis, vel cum illo connectatur, nec ne, quidquid enim sit de his quæstionibus certum est hanc meam cognitionem per se ipsam terminari ad hircoceruum, & esse repræsentationem huius obiecti, & non alius: ergo eo ipso quod Deus cognoscat hanc cognitionem tenetur cognoscere per se ipsam terminari ad hircoceruum, & esse repræsentationem hircocerui, sed hoc non potest cognosci quin cognoscatur hircoceruus: ergo eo ipso quod Deus cognoscat hanc meam cognitionem infertur necessario cognoscere hircoceruum. Respondet Alarcon repugnare Deo cognitionem, ex vi cuius cognoscat hircoceruum in mea cognitione ad illum terminata, quia cognitio illa diuina, qua cognoscereturhicoceruus in mea cognitione esset cognitio abstractiua, quæ dicit imperfectionem Deo repugnantem. Vt ab hac quæstione meam conclusionem independentem facerem, non dixi Deum per ordinem ad meam cognitionem, vel in mea cognitione cognoscere ens rationis, sed eo ipso quod Deus cognoscat meam cognitionem debere cognoscere ens rationis, vel in mea cognitione, si hoc non repugnet, vel aliunde si repugnantiam dicat Deum vnum in alio cognoscere, ego enim tantum affirmo hanc esse legitimam consequentiam: Deus cognoscit cognitionem terminatam ad hircoceruum: ergo cognoscit hircoceruum, siue hunc præcognouerit independenter à mea cognitione, siue illud in mea cognitione cognoscat, quapropter, si repugnet Deum cognoscere ens rationis in mea cognitione conuincet ratio facta Deum aliūde illud cognoscere, quod nullā dicit imperfectionem.

Respondet P. Vasq. Deum cognoscere obiecta realia 6
per ordinem ad quæ intellectus humanus concipit obiecta ficta, non vero ipsum obiectum fictum, v.g. cum cognoscit meam cognitionem per quam apprehendo negationem vt nigredinem cognoscit Deus negationem, & nigredinem, quæ sunt entia realia, non verò formalitatem fictam, per quam ego vt vnum apprehendo tenebras, & nigredinem, similiter quando cognoscit Deus cognitionem creatam terminatam ad hircoceruum cognoscit hircum, & ceruum, non verò identitatem illam, quam inter hircum, & ceruum fingit meus intellectus. Contra: quando Deus cognoscit meam cognitionem, necessariò cognoscit id, ad quod mea cognitio terminetur, & quod se habet vt obiectum primarium meæ cognitionis. Sed id, ad quod terminatur cognitio ex vi cuius apprehendo hircoceruum, seu iudico existere hircoceruum non tantum est hircus, & ceruus, sed connexio, seu idētitas inter hircum, & ceruum aliàs mea cognitio non terminaretur ad ens rationis, neque esset falsa, etiāsi esset assertiua: ergo cognitio diuina nō solum terminatur ad hircum, & ceruum, sed ad identitatem, quam ego apprehendo inter hircum, & ceruum.

Vrgeo: Deus cognoscit iudicium, quo ego affirmo exi- 7
stere hircoceruum esse falsum: ergo non solum cognoscit meum iudicium sed obiectum illius, & hircoceruum non existentem, ex vi cuius formaliter iudicium falsum constituitur, veritas enim, & falsitas actus intellectus non solum dicit ipsum actum, sed etiam illius obiectum vt probaui Contr. 7. de anima Punct. 1.

Secvnda Conclvsio. Deus indepēdēter ab intellectu 8
humano cognoscit entia rationis, & illa cognosceret, etiāsi nullus esset intellectus creatus, vel possibilis. Probo hanc conclusionem: Deus independēter ab intellectu cognoscit hircocerui repugnantiam, seu negationem hircocerui. Sed non potest cognoscere negationem, quin cognoscat illud, cuius est negatio: ergo etiamsi nullus esset intellectus possibilis, Deus cognoscens negationem hircocerui necessariò cognosceret hircoceruum. Maior nullo modo potest negari, esset enim imperfectio in Deo non cognoscere negationem realem hircocerui, & nō cognoscere hircoceruum repugnare, nec posse dicere hircoceruus repugnat. Minor probatur. Hæc negatio hircocerui habet esse remotionem & non esse hircocerui, potiùs quàm leonis: ergo Deus cognoscens hanc negationem cognoscit esse remotionem, & non esse hircocerui, quod non habet respectu leonis:

ergo ex vi huius negationis, seu eo ipso, quod cognoscat hanc negationem debet cognoscere hircoceruum. Secundò vt bene notat P. Ruisius de ratione perfectionis intellectus diuini est cognoscere omnem veritatem; seu habere omnem actum verum Sed actus, quo Deus dicat hircoceruus repugnat, erit actus verus: ergo ad perfectionem intellectus diuini spectat habere hunc actum: ergo Deus habet actum, quo dicat, hircoceruus est repugnans: ergo cognoscit hircoceruum per actum dissensus, quod ego contendo quia dici nequit Deum per assensum cognoscere obiectum non existens, & repugnans.

9 Tertia Conclvsio. Si cognitio factiua entis rationis dicat assensum circa existentiam physicam obiecti, quod nullum habet esse extra intellectum, de fide est Deum nõ facere entia rationis, in quo sensu negant Deum facere entia rationis authores, quos supra dedi, quia de fide est Deum non posse falli, seu habere iudicium assertiuum circa rem aliter ac est in se, quod est formaliter falli quod iudicium haberet Deus, si per assensum tenderet circa existentiam realem physicam obiecti, quod nullum esse habet, vel potest habere extra intellectum.

10 Qvarta Conclvsio. Si fieri ens rationis nihil aliud importet quàm cognosci, siue per assensum, siue per dissensum, obiectum, quod nullum habet esse extra intellectum, Deus eo ipso quod cognoscat intellectionem creatam facit ens rationis, quod etiam facit independenter ab omni cognitione creata. Conclusio hæc mihi est certa, & euidens supposita prima & secunda conclusione: est euidens ex suppositione primæ, & secundæ conclusionis, quia his conclusionibus traditur Deum eo ipso, quod cognoscat meam cognitionem terminatam ad hircoceruum, cognoscere hircoceruum, & hunc cognoscendum esse à Deo etiamsi mea cognitio non existeret, etsi aliunde supponatur quamcumque cognitionem hircocerui, etiam per dissensum esse illius factiuam: ex terminis ipsis notum fit Deum cognoscentem hircoceruum eo ipso, quod meam cognitionem cognoscat, quem cognosceret etiamsi talis cognitio possibilis non esset, facere hircoceruum, seu ens rationis, ex eo quod cognoscat meam cognitionem terminatam ad hoc ens rationis, quod eodem modo faceret, etiamsi mea cognitio non esset possibilis, & illam Deus cognosceret. Est absolutè mihi certa conclusio, quia certum existimo Deum teneri cognoscere hircoceruum eo ipso, quod cognoscat meam cognitionem, siue in cognitione, siue quia illud aliunde præcognouerat, & eundem cognoscendum esse à Deo etiamsi mea cognitio possibilis non esset, semper tamen per actum dissensus. quod tantum potest intendere doctor Catholicus, cum dicit Deum entia rationis cognoscere.

11 Dixi Punct. præcedenti concluſ. 7. per dissensum circa ens rationis, hoc est per actum, quo dicitur *hircoceruus non existit*, fieri ens rationis. Ex quo manifestè infertur iuxta mea principia dicendum esse Deum facere entia rationis per cognitiones, quibus iudicet ipsa non existere, v.g. per cognitionem, qua dicit hi coceruus non existit, cum probauerim hanc cognitionem Deo competere; quod concedunt, qui asserunt Deum non facere entia rationis, adhuc illi cuius sententiæ prima conclusio est, Deum non cognoscere entia rationis, à qua modestè discedunt asserentes illa per dissensum cognoscere. Neque huiusmodi entis rationis efficientia aliquam imperfectionem importat in Deo, sed potius pertinet ad perfectionem sui intellectus, sicut pertinet cognitio, qua iudicat repugnare hircoceruũ & alia huiusmodi entia rationis, quia efficientiam entis rationis formaliter ego non distinguo ab hac cognitione, neque vt cognitio hæc sit entis rationis factiua aliquam illi formalitatem impingo, quæ in eadem cognitione non reluceat secundum sententiam illorũ, qui asserunt, cognitionem istam non esse factiuam entis rationis, omnes enim easdem formalitates in cognitione diuina admittimus, in quibus intrinsecè omnino eisdem efficientiam entis rationis contemplamur, qui asserimus hircoceruum cognitum per dissensum importare aliquid rationis ex parte obiecti, & qui eamdem efficientiam inficiantur, qui asserunt hircoceruum cognitum per dissensum non esse obiectum rationis, sed reale.

12 Obiicies Deus non potest cognoscere obiectum aliter ac est: ergo non potest facere ens rationis. Distinguo antecedens, non potest cognoscere obiectum aliter ac est ex parte actus, hoc est per actum, quo iudicet existere, quod non existit, seu non existere, quod existit, concedo: Non cognoscit rem aliter ac est ex parte obiecti, id est non cognoscit formalitatem, quæ non est, subdistinguo: per assensum, concedo; per dissensum, nego.

13 Obiicies secundò: ideo nos facimus entia rationis, quia cognoscimus obiecta per species alienas. Sed Deus non cognoscit per species alienas: ergo non facit entia rationis. Respondeo nos cognoscere obiecta per alienas species in causa esse, vt plura entia rationis à nobis fiant, non tamen hoc esse causam adæquatam propter quam entia rationis fingimus, quia etiamsi intuitiuè cognoscerемus omnia obiecta realia, possemus etiam saltem per dissensum alia confingere.

14 Addo Deum omnia obiecta realia ex parte actus, & ex parte obiecti necessario cognoscere vt sunt in se, quia nihil est reale verum in rerum natura, quod non iudicet Deus eo modo, quo existit, assentiendo obiectis existentibus, & dissentiendo non existentibus. Cum hoc tamen non opponitur ipsa obiecta realia illi obiici aliter ac in se sunt per actum, quo dissentiat ab illo esse, quod obiecta in se non habent, quod contingit quando obiicitur negatio identificata cum nigredine per actum, quo Deus dicit, negatio non est eadem cum nigredine, seu, repugnat identitas negationis cum nigredine. Sunt etiam alia entia rationis simplicia, in quibus nullum ens reale apprehenditur, vt cum apprehenditur alius Deus distinctus à Deo Optimo Maximo, in quibus, neque respectu intellectus humani, neque diuini obiectum aliquod apprehenditur aliter ac est in se, quia totum illud quod apprehenditur non est in se, ac proinde, neque est in se vt apprehenditur, neque aliter vt apprehenditur, quia quod in se non est, nullo modo est in se, & quod in se aliquo modo non est, non potest dici apprehendi alio modo, ac est, quia rem apprehendi aliter ac est in se dicit aprehendi hoc modo, & habere in se modum alium distinctum. Ex his inferes illud quod formalissimè ex parte obiecti est fictum, & ens rationis non apprehendi aliter ac est in se, seu modo distincto ab illo quo in se habet, quod est idem, sed apprehendi modo quem in se non habet, quia in se nullum esse habet, neque aliquo modo est, & cum aliquo modo apprehenditur. Inferes similiter non omnem cognitionem factiuam entis rationis esse apprehensionem obiecti aliter ac est, sed tantum dicere essentialiter cognitionem obiecti, quod nullo modo est. Nunquam loquor de apprehensione, vt distincta à iudicio, sed quatenus se extendit ad cognitionem. Dicuntur tantum ex cognitionibus factiuis entis rationis apprehensiones obiecti aliter ac est in se, cognitiones illæ, quæ respiciunt obiecta complexa, quæ in se aliquid reale includunt. Exempli gratia, apprehendo ego hircum identificatum cum ceruo, hæc apprehensio attingit tria obiecta, duo realia hircum, & ceruum, & vnum fictum, identitatem videlicet inter hircum, & ceruum: hircus, & ceruus apprehenduntur aliter ac sunt in se, quia in se sunt distincti, & apprehenduntur identificati, quod est apprehendi cum alio modo distincto ab illo, quem in se habent, identitas autem, quæ est obiectum fictum, & in qua consistit ens rationis, non potest apprehendi vt est in se, neque aliter ac est in se, quia in se habet modum aliquem, neque identificatum, neque distinctum ab illo cum quo apprehenditur, apprehenditur tamen cum modo, quem in se non habet, quia cum non sit in se neque extra intellectum existat, non existit illo modo, neque cum illis formalitatibus, cum quibus existens apprehenditur. Hæc apprimè obseruanda sunt pro apprehensione entis rationis tam respectu intellectus humani, quam diuini.

15 Sunt alij, qui prætendunt Deum cognoscentem entia rationis non illa facere, non quia per dissensum illa cognoscat, sed quia illa cognoscit vt facta ab intellectu humano. Ex quo fit cognitionem diuinam supponere iam facta ab intellectu humano, & ita non illa posse facere. Propter eandem rationem dicebat recens quidam intellectum humanum cognoscentem entia rationis nunquam illa facere, quia semper illa in tempore cognoscere incipit, & Deus ab æterno illa cognouit, ex quo fit hominem semper iam à Deo per totam æternitatem præcognitum inuenire ens rationis, & consequenter factum à Deo, ac proinde Deum solum entia rationis facere, & cognoscere; hominem verò tantum illa cognoscere, & non facere. Inferebat ergo ex eo, quod tempore, seu per æternitatem

tem durationè præcedit cognitio diuina de obiecto rationis cognitionem creatam circa idem obiectum, cognitionem diuinam, & non creatam esse factiuam entis rationis, sicuti inferunt alij ex præcedentia naturæ, quam habet, etsi impropriè cognitio creata de obiecto rationis respectu cognitionis diuinæ de eodem obiecto, cognitionem creatam, & non diuinam esse factiuam entis rationis.

Vtramque illationem æquè ineficacem esse iudico, quia
16 sæpe dixi non repugnare idem ens rationis semel iterum fieri, postquam iam factum supponitur, sicuti non repugnat semel & iterum cognosci postquam iam est cognitum, & ita nulla prioritas siue temporis, siue naturæ obesse potest quo minus cognitio posterior ens rationis iterum faciat, quod alia cognitione priori factum supponitur, sicuti neque obesse potest quominus cognoscat iterum idem obiectum, quod cognitum supponitur.

Plura alia possent obiici contra vtramque prioritatem
17 nonnulla breuissimè attingam contra prioritatem naturæ, quam primus dicendi modus meditatur, quæ magis apud doctores increbruit. Etiamsi ens rationis supponatur prius natura vt factum ab homine, & vt existens, non supponitur vt existens ab æterno, sed vt existens in illa differentia temporis in qua cognoscetur in tempore, seu vt extiturum in tali tempore: ergo ex vi huius prioritatis non habet ab æterno esse obiectiuum in mente hominis, & verum est dicere in æternitate præcedente durationem creaturarum entia rationis non erant actu, obiectiuè in mente hominum, neque erant facta ab hominibus, licet præuiderentur à Deo facienda ab hominibus tempore futuro, sed in tota illa æternitate habebant esse obiectiuum in mente Dei: ergo prius tempore, quàm in actu exercito haberent esse obiectiuè in mente hominis aliásue creaturę habuerunt esse, obiectiue in mente diuina: ergo habuerunt esse actuale, quod non est aliud, quàm esse obiectiuum, antequam existeret creatura: ergo non habuerunt illud esse actuale à creatura, sed à Deo.

Secundò ad cognitionem actualem creaturæ de obiecto
18 rationis supponitur in Deo scientia simplicis intelligentiæ de illa cognitione: ergo de illo obiecto, cum non solum realiter per eandem cognitionem cognoscatur à Deo cognitio creaturæ, & illius obiectum: ergo prius natura, quam creatura cognoscat ens rationis, supponitur hoc cognitum à Deo scientia simplicis intelligentiæ visionis creatæ, & etiam eiusdem entis rationis vt faciendi ab homine, quæ poterit dici scientia practica visionis eiusdem obiecti vt facti à Deo ex vi illius cognitionis ens rationis, quod respectu creaturæ vt possibile concipitur fit actu existens in mente diuina, quia fit actu cognitum, & esse cognitum, & esse existens in ente rationis est formaliter idem. Neque videor cum Thomistis sentire, dum scientiam visionis practicam voco, quia hoc tantùm potest conuenire scientiæ respectu entis rationis, cuius esse est cognosci, non verò respectu entis realis, quibus præter cognosci aliud esse physicum in est, ad quod faciendum dirigit scientia practica.

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR:

In quo prima littera maiuſcula S, Summulas *ſignificat* : L, Logicam: P, Phyſicam: C, Cælum: G, Generationem: A, Animam: M Metaphyſicam. *Secunda littera quæ ſemper eſt* C, Controuerſiam *monſtrat : tertia, quam* P, *ſemper reperies* Punctum *oſtendit* : n, *quæ vltimum locum obtinebit* numerum *indicat.*

A.

Abſtractum, Abſtractio.

IMpugnatur triplex abſtrahendi modus quem aſſignant Thomiſtæ pro ſcientiarum diſtinctione. L.C.1.P.3.n.3.& ſeqq.

Triplex alia abſtractio aſſignatur. ibidem num. 17.

Non eo ipſo quod natura abſtrahatur ab vno inferiori, abſtrahitur ab omnibus L.C.3.P.7.num.4. & ſeqq.

Quomodo differant abſtractio poſitiua,& negatiua, ibid. P. 8. n.1.

Abſtracta ſuperiora, ſiue accidentalia, ſiue ſubſtantialia, poſſunt de inferioribus abſtractis, & inferiora de ſuperioribus prædicari. ibid. P.9. n.8.

Abſtracta differentiarum non prædicantur de abſtractis differentiarum ſuperiorum, neque de abſtractis generum in ſenſu formali, ſed tantum identico. ibid. n.10.

Abſtracta non poſſunt prædicari de concretis ſubſtantialibus, neque accidentalibus. ibid. n.11.

Abſtracta eſſentialia tranſcendentia poſſunt prædicari de quibuſcumque concretis. ibid.n.12.

Quomodo abſtracta ſubſtantialia prædicentur de concretis ſubſtantiuè ſumptis. ibid. n. 13.

Explicantur aliæ prædicationes inter abſtracta, & concreta primæ, & ſecundæ intentionis. ibid.n.14. & ſeqq.

Accidens.

Definitur accidens, quod conſtituit quintum prædicabile. L.C.6.P.7. per tot.

Definitur vt prædicabile. ibid. P.8.n.1.

Explicatur terminus in ordine ad quem prædicabile dicatur. ibid. n.2.

An requirat plura ſubiecta actu exiſtentia. ibid. n.3.

An requirat in diſtinctis ſubiectis formas diſtinctas, ibid. num. 5.

Accidens immanenter à ſubſtantia produci poteſt. P.C.9. P.3. num.1.

Item tranſeunter. ibid. n.2.

Non obſtat proprium ſubſtantiæ accidens ne ipſa ſimile producat in ſubiecto extraneo. ibid. n.3.

Accidens non poteſt adæquatè ſubſtantiam producere. ibid. P.4. n.3.

Neque inadæquatè id præſtare valet. n.6.

Non repugnat accidens potens inadæquatè producere ſubſtantiam. ibid. n.7.

Accidentia communia à quantitate diſtincta in hac recipiuntur. G. C.1. P.3. per tot.

Eadem accidentia permanent in genito,& in corrupto,& eadem permanerent etiamſi totum compoſitum illorum eſſet ſubiectum. ibid.p.3.n.3 & ſeq.

Poteſt idem accidens numero ſubiecta inadæquatè diſtincta ſucceſſiuè habere. ibid. n.3.

An poſſit habere ſubiecta adæquatè diſtincta. ibid.n.4.

An accidens ſeparatum indigeat modo perſeitatis. A.C.3. P.4. n.5. & ſeqq.

Explicatur conceptus quiditatiuus accidentis vt diſtincti à ſubſtantia. M.C.6. P.1. n.10. & ſeqq.

Accretio accidentalis.

Fit eodem tempore, & in eiſdem partibus viuentis, eadémque deorganizatione, quibus fit nutritio. G.C.3. P.4. n.1.

In accretione accidentali non producitur noua pars quantitatis. ibid. n.3.

Ex eo præcisè quod accretio fiat in materia quantificata viuens dicitur plus quantitatis habere. ibid n.4.

Vt viuens ſit maius quantum requiritur actio terminata ad vnionem quantitatum, in hac tamen non vltimò formaliter, & completiuè conſiſtit accretio, qua viuens fit maius quantum. ibid.n.5.

Conſiſtit hæc accretio in actione per quam producitur informatio, ſeu vnio inter vnitiuum quantitatum, & vnitiuum materierum. ibid. n.6.

Eadem actio accidentaliter denominat maius quantum ſubiectum ſecundarium, quod eſt totum, dum hoc exiſtit. ibid. n.7.

Actio, Paſſio.

Actio,& factio quomodo differant. L.C.1.P.5.n.12. & 15. & C.2. P.4. n.4. & ſeqq.

Quid ſit actio, & paſſio P.C.12. P.1.n.1.

De conceptu vtriuſque eſt diſtinctio realis à principio actiuo, & paſſiuo. ibid. n. 2. & ſeqq.

De ratione actionis eductiuæ, & paſſionis non eſt diſtinctio à termino, ſed cum illo poteſt identificari. ibid.n.7.

De ratione vtriuſque eſt reſpectus ad principium actiuum & paſſiuum. ibid. n.8.

Omnis effectus non vitalis qui producitur à cauſa ſecunda de facto productus eſt per actionem ab illo diſtinctam. ibid. n.9.

Actio eductiua,& paſſio realiter non diſtinguuntur P.C.11. p.2. n.2. & ſeqq.

Diſtinguuntur formaliter. ibid. n.8.

Definiuntur Actio immanens & actio tranſiens, ibidem P.3. n.1.

De ratione actionis non eſt ſubiectari in principio, à quo effectiuè procedit. ibid. n. 3.

INDEX RERVM.

Actio non subiectatur in termino. ibid. n. 5.
Actio eductiua subiectatur in passo: ex vi illius terminum recipit. ibid. n. 7.
Vt actio sit in duplici loco sufficit in altero esse applicatam principio. P. C. 15. P. 10. à n. 10. vsq; ad 13.
An detur actio inter contraria agentia in primo applicationis instanti. G. C. 5. P. 5. n. 20.
An actiones specie distinguantur ex eo quod respiciant principium numero distinctum. A. C. 1. P. 8. n. 20.
Circa specificationem Actionis: Vide *Specificatio.*

Æqualitas.

An possit reperiri æqualitas in prædicatis genericis, & inæqualitas in prædicatis specificis earumdem rerum. A. C. 1. P. 8. n. 13.
Vide *Relatio Prædicamentalis.*

Æquipollentia.

Æquipollentia propositionum quid sit. S. C. 3. P. 7. num. 1.
Quomodo fiat in singulis oppositis. n. 2.
Quomodo fiat in modalibus. ibid. P. 10. n. 1. & seqq.

Æquiuoca.

Definiuntur Æquiuoca. M. C. 1. P. 2. n. 1.
Æquiuocatio tantùm in nominibus, & non in conceptibus reperitur.

Aër.

Est humidus in summo, & calidus propè summum. G. C. 8. n. 3. 6. & 7.

Æternitas, Æternum.

Creatura permanens potuit esse ab æterno. P. C. 19. P. 1. n. 1. & seqq.
Repugnant ab æterno infinitæ generationes, procedentes per naturalem propagationem. ibid. P. 2. num. 1.
Potuit dari tempus, quilibet vel motus successiuus ab æterno. ibid. P. 3. n. 2.
Implicat dari aliquam partem motus ab æterno fluentis, quæ fuerit ab æterno. ibid. n. 5.
Abigitur præsentia rerum in æternitate. A. C. 7. P. 5. n. 3. & seqq.

Agens.

Impugnantur rationes, quibus probari solet simile non agere in simile. G. C. 4. P. 1. à num. 4. vsque ad 17.
Assignatur ratio propter quam Agens non producat in prima parte sphæræ totam intensionem, quam potest in tota sphæra producere. ibid. n. 21.
Assignatur ratio propter quam Agens non producat tantam aut maiorē intensionem, quā in se habet. ibid. n. 22.
Assignatur ratio, propter quam non possit agere in passum aliunde assimilatum, neque vnum gradum producere, quo passum aliunde alteratum simile Agenti constituatur. ibid. n. 24.
An agens in primo instanti applicationis aliquid agat; G. C. 5. n. 20.
Vide *Causa efficiens.*

Alienatio.

Quid sit termini alienatio. S. C. 1. p. 7. n. 7.
A termino alienato, ad non alienatum, aut è contrà nulla fit illatio. ibid.

Alimentum.

Viuens indiget alimento vt ad statum perfectū perueniat. G. C. 3. P. 6. n. 1.
Iam constitutum in statu perfecto non tantum illo indiget vt reparet damna ab extrinsecis agentibus illata, seu inferenda, sed etiam ne partes heterogeneæ in alias eiusdem viuentis agant. ibid. num. 2. & 3.
Alimentum per se est causa mortis. ibid. n. 4.
Non potest dari alimenoum, quo viuens perpetuo duret, seu quod per se mortem non inferat ex sua natura.

Alteratio.

Quid sit alteratio; G. C. 4. n. 1. & 2.
In primo instanti, in quo incipit alteratio necessariò extenditur per partem aliquotam subiecti, & aliquotè intenditur. G. C. 5. p. 4. n. 44.
In mensura diuisibili siue indiuisibili potest qualitas aliquotè intendi, & extendi. ibid. n. 46.
Alteratio fit vniformiter difformiter per partes proportionales. ibid. n. 47.
Alteratio secundùm intensionem decrescit per partes proportionales. ibid. n. 50.
Aliquando poterit alteratio extendi per partes proportionales. ibid. n. 51.
Quotiescumque alteratio extenditur ad nouam partem subiecti omnino nudi qualitate producēda, producenda est intensio aliquota in parte, ad quam extenditur, & in omnibus antecedentibus. ibid. n. 52.
Si agens conseruat qualitatem, quam produxit resistentia actiua præcisè sumpta non inducit successionem alterationis. G. C. 6. p. 4. n. 19.
Secùs si qualitas non conseruetur ab agente, quod primò illam produxit. ibid. n. 22.
Resistentia formalis præcisè sumpta sufficiens est ad successionem intensiuam alterationis inducendam. ibid. n. 24. & seqq.
Si resistentia actiua, & formalis coniungantur, ab vtraque successio intensiua alterationis procedet. ibid. n. 29.
Vnde oriatur successio extensiua relationis. ibid. à num. 31. vsque ad 36.
Alteratio non est adæquatè successiua. G. C. 6. p. 5. n. 15. & 62
In opinione asserente agens agere vneformiter difformiter per partes aliquotas Alteratio non potest esse continua. ibid. p. 6. n. 22.
Alteratio successiua non potest esse continua quoad extensionem etiam si agens agat vniformiter difformiter, per partes proportionales. ibid. n. 23. & p. 7. n. 1.
An alteratio sit continua secundùm intensionem. ibidem p. 6. n. 24. & p. 7. n. 4. 5. & 6.

Amor.

Ex quo capite opponantur amor, & odium circa idem obiectum. A. C. p. 4. n. 12. & seqq.
An diuinitus possit in eodem subiecto componi ibid. per tot. Punct. præcipuè n. 21.
Vide *Voluntas.*

Ampliatio.

Quid sit. S. C. 1. p. 7. n. 2. & 4.
Secundum quæ tempora possit fieri. ibid. n. 3.

Analoga, Analogia.

Analogorum definitio. M. C. 1. p. 3. n. 1.
Explicantur variæ analogiæ, & analogorum acceptiones, ibid. per tot. Punct.

Anima.

Non dantur plures animæ in eodem viuenti. P. C. 3. P. 2. n. 14. & seqq. & A. C. 1. P. 9. n. 3.
Explicatur Animæ definitio. A. C. 1. P. 1. n. 1. & seqq.
Alia animæ definitio expenditur. ibid. n. 20. & seqq.
Quomodo in se differant vtraque definitio. ibid. n. 26.
Explicatur diuisio animæ in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem. ibid. P. 2. per tot.
Animæ plantarum, & animaliumimperfectorum diuisibiles sunt in partes integrantes. ibid. P. 6. n. 3.
Idem tene de formis brutorum omnium. ibid. n. 5.
Possibilis est anima vegetatiua, & sensitiua indiuisibilis integraliter. ibid. n. 14.
Partes animæ diuisibilis extrinsecè tantum sunt heterogeneæ. ibid. P. 7. n. 6.
Intra eamdem speciem possibilia sunt individua, quorum aliqua sint æqualia, alia inæqualia; & alia quæ maiorem similitudinem, & conuenientiam habeant inter se, quàm cum aliis. A. C. 1. P. 8. n. 32.
Quid contingat in animabus de facto existentibus. ibid. n. 33. & 34.
Quid in partibus eiusdem animæ diuisibilis inter se comparatis. ibid. n. 35.
Etiamsi admittantur potentiæ superadditæ, anima immediatè concurrit ad suas operationes. A. C. 3. P. 1. n. 3.
Anima secundum se totam concurrit ad suam operationem; v. g. ad visionem in pupilla tantum exercitam. ibid. n. 7.
Etiamsi dentur potentiæ, brutorum materiales animæ subiectum sunt adæquatè receptiuum suarum operationem. ibid. n. 13.

Animatum.

Quot sint animatorum genera. A. C. 1. P. 2. num. 6. & seqq.
An gradus locomotiuus speciale constituat animatum, seu viuens ibid.

Anima rationalis.

Anima rationalis est propriè anima & forma compositi A. C. 1. P. 2. n. 14. & 15. & P. 3. n. 12. & seqq.
Referuntur varij errores circa animam rationalem. ibid. à n. 1. vsque ad 10.
Referuntur dogmata Catholica circa animam rationalem, ibid. à n. 12. vsque ad 24.
Anima rationalis informat corpus, etiam secundum gradum ratiocinandi. ibid. n. 25.

Anima

Anima rationalis non est conposita ex partibus essentialibus. ibid.P.5.n.18.
Neque ex partibus integrantibus.ibid.n.21.
An anima rationalis includat formaliter, vel eminenter vegetatiuam,& sensitiuam. ibid.P.9.n.7.
Anima rationalis subiectum est adæquatum intellectionum,& volitionum.A.C.3.P.1.n.11.&12.
Non est subiectum adhuc inadæquatum sensationum materialium.ibid.n.14.
Animus rationalis immortalis est. A.C.16. P.1.per totum.
In statu separationis habet innatam inclinationem ad formam. ibid. P.2. n.1.
Non sine violentia separatur à materia ; semel tamen separatus violentus non est, & naturaliter durat.ibid.n.3.
Quas potentias, & quos habitus secum ferat separatus animus. ibid.n.5. & 12.
An secum ferat species quas habuit in hac vita. ibid.n.6.
Quas species acquirat in statu separationis. ibid.n.9.& 10.
Animus rationalis separatus à corpore potest discurrere. ibid. n. 11.
Anima rationalis non potest suam primam vnionem ad materiam producere. G.C.2. P.7.n.7.

Animal.

De conceptu animalis tantùm est gaudere vno sensu interno, & alio externo. A.C.1. P.2. n.13.

Annihilatio.

Quid sit Annihilatio. G.C.2. P.8. n.1. & 2.
An desitio substantiæ panis,& vini in conuersione Eucharistica sit annihilatio. ibid.

Antiperistasis.

Quid sit ? G.C.5.P.3. n.1.
Variæ illius causæ ab aliis assignatæ impugnantur. ibid. n.2. & 3.
Propria assignatur Antiperistasis causa. ibid.n.4.

Appellatio.

Quid sit termini appellatio. S.C.1. P.7. n.8.
Nomen appellatum aliquando sumitur materialiter aliquando formaliter : appellans verò semper formaliter sumi debet. ibid.
Vnde cognoscenda sit appellatio. ibid. n.9. & 10.

Appetitus innatus.

Appetitus, alius innatus, alius elicitus. P.C.2. P.4.n.2.
Actus appetitus innati ab ipsa potentia non distinguitur. ibid.
Potentiæ adhuc in actu primo non constitutæ, appetitum inefficacem habent. ibid. n. 4. & seqq.
Appetitus efficax tantum potentiæ in actu primo constitutæ conuenit. ibid. n. 6.
Explicatur obiectum vtriusque appetitus in causa materiali & efficienti. ibid. n.7. & seqq.
Censent nonnulli causas tantum actu desiderij effectus etiam præsentes appetere. ibid. n.14. & 15.
Appetitus efficax etiam circa obiectum præsens desiderij semper est dicendus. ibid. n.16.
Inefficax circa obiectum præsens complacentiæ, & circa obiectum absens desiderij. ibid. n. 15. & 16.

Appetitus materiæ primæ.

Vide materia prima.

Appetitus elicitus.

Datur appetitus sensitiuus materialis in omnibus sensitiuis, etiam in homine. A.C.4. P.3. n.1.
Diuiditur appetitus sensitiuus in irascibilem, & concupiscibilem. ibid. n.2.
Non dantur plures appetitus sensitiui in eodem viuenti. ibid. n.3. & 8.
Appetitus sensitiuus residet in cerebro. ibid. n. 4.
Appetitus elicitus rationalis. Vide *Voluntas.*

Apprehensio.

Apprehensio est obiectum Logicæ. Log.C.2.P.1.n.27.
Dirigitur & opus in se formaliter artificiosum.ibid.n.33.
Quid sit Apprehensio. A.C.6. P.2. n.1.
Alia simplex, alia conposita. ibid.
Conposita tantùm dicit simplicem qualitatem. ibid.n.9.

Approximatio.

Vt modus sit in duplici loco sufficit in altero approximari rei, cuius est modus. P.C.15 P.10.à n.9. vsque ad 13.
Idem dicito de effectu respectu actionis, & principij à quibus dependet. ibid. n.11.
An modus existens tantùm in vno loco possit distare ab agente.P.C.18.P.1. n.4.5.& 6.
Agens non agit in distans, quin agat in propinquum experientia compertum est, nulla tamen potest ratione probari. ibid. n.2. & 3.
Partes remotiores agentis sufficienter applicantur passo mediis aliis propinquioribus eiusdem agentis in quibus nihil producunt. ibid. P.2. n.2.
Agens potest agere per seipsum in partes remotiores passi dum affectum eiusdem rationis in medio produxerit, etiamsi hoc non adiuuetur. Vide n.3. & 4.
Agens non potest agere in partes remotiores passi si non adiuuatur effectu diuersæ rationis in medio producto. ibid. n.5.
Sol non potest mediis accidentibus in aëre productis producere substantiam aliquam in subterraneis. ibid.n.6.
Agens de potentia absoluta potest agere in distans, & etiam extra sphæram, quin agat in propinquum. ibid. P.3. n.1. & 2.
Nulla entitas indiget præsentia ex parte actus primi, vt propriam præsentiam producat, aut patiatur. Ph. C.18. P.4.n.3.
Principium actiuum supponit præsentiam ex parte actus primi ad hanc producendam in subiecto extraneo.ibid. num. 4.
Vt viuens moueat localiter corpus aliud, non supponitur ex parte actus primi positiua approximatio inter agens & passum. ibid. n.9.
Ex parte actus primi debet supponi approximatio inter agens, & passum ad producendum effectum distinctum à præsentia. ibid. n.10.
Vt passum recipiat effectum productum à Deo,vel à seipso non supponitur præsentia eiusdem passi. ibid.n.11.

Aqua.

Aqua in prima Mundi conditione totam terram operiebat. G.C.8. p.2. n.1.
Comparatione facta inter altiorem partem terræ,& altiorem aquæ, aqua non est altior terra. ibid.n.2. & seqq.
Aqua,& terra eumdem globum conficiunt, & idem centum petunt. ibid. n.2.
Aqua est frigida in summo, & humida prope summum ibid. p.6. n.4. 6. & 7.

Argumentatio.

Quid sit. S.C p.3. n.1. Quotuplex sit? ibid. n. 2.
Rectitudo argumentationis non ex veritate propositionum, sed ex legitima illatione desumitur. ibid.n.3.
Omnis argumentatio ad syllogismum reducitur. S.C.P.2. num. 1.

Ars.

Quid sit.L.C.1.P.5.n.12.& C.2. p.4. n.2. & seqq.
Quomodo à prudentia differat. L.C.1. p.5. n.12. & 13.
An Ars comprehendat scientias practicas. ibid.n.14.
Quomodo differat à scientia. ibid. n.15.

Ascensus.

Quid sit Ascensus, & Descensus. S.C.1. p.6. n. 1.
Vterque est quadruplex, Copulatiuus, Copulatus, Disiunctiuus, & Disiunctus. ibid. n.2. & seqq.

Assensus.

Ex quo capite opponantur Assensus, & dissensus circa idem obiectum. A.C.6. P. 3. n.12. & seqq.
An diuinitus possint in eodem subiecto componi.ibid.per tot.punct.præcipuè num.21.

Auditus, Auditio.

Auditûs obiectum est sonus.A.C. 4.p.1. n.8.
Auditûs organa referuntur. ibid.n.12.
Auditio fit in parte intra tympanum contenta. ibid.

Augmentatio.

Definiuntur Augmentatio,& diminutio. G.C.3. P.1.n.1.
Augmentatio & diminutio essentialiter dicunt rationem mutationis. ibid.
Augmentatio non viuentium hoc tantùm nomine gaudet; viuentium verò Nutritio dicitur.ibid. n.3.
Quot actiones in augmentatione reperiatur. ibid.P.1.n.2.
Quas actiones essentialiter dicat augmentatio.ib. n.4.& 5.
In qua actione vltimò formaliter, & completiuè augmentatio consistat. ibid. n.6.
Circa terminum augmentationis, Vide *Terminus.*

B.

Bonitas, Bonum.

Bonum aliud absolutũ,aliud respectiuũ.M.C.3.P.4.n.1.
Bonum in se, aliud essentiale, aliud integrale, aliud accidentale. ibid. n. 2.

Bonum alteri triplex est, honestum, vtile, & delectabile. ibid. n.3.
Bonum honestum, aliud est in ordine ad mores, aliud in ordine ad naturam honestum dicitur. ibid.
Quod bonum sit transcendens, & passio entis dicatur. ibid. n.13.

C.

Cadaueri.

AN forma Cadaueris sit specialis forma. P. C.3. P.2. num. 8.

Calor.

Caloris definitio. G.C.8.P.5.n.6.
An calor vitalis, elementalis, & cælestis specie distinguantur. ibid.n.11.

Capilli.

Capilli non viuunt. A.C 1.P.4. n.15.

Causa in communi.

Variæ definitiones causæ adducuntur. P.C.7. P.1.à n. 1. vsque ad 8.
Ob quam rationem nomen *causa* in diuinis non admittatur. ibid. à n.9. vsque ad 13.
Alia causæ definitio. ibid. n.14.
Alia exacta causæ definitio expenditur, ibid. n.15. & seqq.
Causa in actu primo dicit omnia comprincipia, & omnes circumstantias, quæ prærequiruntur ad effectum. ibid. P.2. n.2.
An ex parte actus primi liberi & necessarij supponatur remotio impedimenti ad effectum producendum. ibid. n. 4. & 5.
Actio existens non est de ratione causæ in actu primo constitutæ. ibid. n.6.
An causa in actu primo ad effectum dicat possibilitatem effectus, & causalitatis. ibid. n.7. & seqq.
Quid sit causam natura priorem esse effectu. ibid. P.3.n.1.
Per quid cõstituatur causa formaliter prior effectu. ib.n.4.
An actio seu causalitatis sit prior natura effectu. ibid. n.5.
An sit prior origine. ibid. n.6.
Causa requirit ad operandum existentiam pro illo instanti in quo operatur. ibid. P.4. n.1.
An existentia causæ supponatur ad effectum ex parte actus primi, & an vt ratio formalis agendi, vel vt conditio. ibid. n.8. & seqq.
An causa remota sit causa per se, & quomodo influat in effectum. ibid. P.5. per totum.
An possit dari mutua causalitas in eodem genere, quoad primum esse rei. ibid.P.8. per tot.
An possit dari quoad secundum esse, seu ad secundam actionem. ibid. n.7.
An possit dari in diuerso genere causæ. ibid. P.9. per tot.
Nulla causa creata, neq; increata connexionem habet cum possibilitate effectus. M.C.10.P.4.n.5. & seqq.
Omnis causa creata dicit respectum transcendentalem non solum ad possibilitatem, sed ad existentiam effectuum, quos continet. ibid. P.6.n.5. & 6.
Respectus iste non respicit effectus secundum aliquam rationem communem, sed secundum indiuiduales. ib.n.7.
Effectus omnes transcendentaliter referuntur ad omnes causas, à quibus possunt procedere. ibid. n.8.
Qui effectus cognoscantur in causa, & sub qua ratione. ibid. P.6. per tot. præcipuè n.12.
Causa increata non refertur transcendentaliter ad effectus. ibid. P.5.n.12.

Causa intrinseca.

Conceptus causæ intrinsecæ, est conceptus partis. P.C.5. P.1. n.11.
Repugnat causa intrinseca adæquata. ibid. n.12.
An causæ intrinsecæ sint veræ causæ. P.C.8.P.1. n.8.

Causa prima.

Statuitur dependentia causæ secundæ à causa prima secundùm entitatem. P C.10.P.1. à n.1. vsque ad 4.
Statuitur dependentia causæ secundæ à prima in operatione. ibid. n.5. & seqq.
An possit Deus substituere creaturam, quæ loco causæ primæ, hac immediatè non concurrente, concurrat cum aliis causis ad effectus producendos. ibid. n. 9.
Causa prima immediatè influit in effectum per eumdem influxum, per quem influit causa secunda. ibid. n.11.
Non influit per alium distinctum ab influxu causæ primæ distinctum, aut identificatum cum effectu. ibid. n.12.
Causæ primæ danda est determinatio effectuum quoad indiuiduationem etiam in voluntatis actibus. ib. P.2.n.7.
Causa prima tantùm concurrit cum secunda per concursum simultaneum, non verò per aliquam præmotionem, neque physicam prædeterminationem, aut qualitatem. ibid. P.3. n.3.
Indifferentia voluntatis non habuit physicam præmotionem, seu prædeterminationem, qua causa prima secundam prædeterminet. ibid. à n.4. vsque ad 15.
Subordinatio causæ secundæ ad primam non desiderat hanc prædeterminationem. ibid à n.26. vsque ad 30.
Necessitas concursus causæ primæ vt secunda operetur necessitatem non inducit physicæ prædeterminationis, seu præmotionis. ibid.à n.31. vsque ad 45.
Qua ratione Deus causa prima dicatur. ibid.à n.32. vsq; 38.
Vltima actualitas actionis hanc prædeterminationem in actu primo non exposcit. ibid. n. 46. vsque 59.
Explicatur difficultas concursus causæ primæ cum secunda salua huius libertate. P.C.10. P.4.n.3. & 4.
Difficultas hæc non componitur scientia conditionata circa actum liberum, quæ præcedat illius decretum. ibid. num 5. vsque 18.
Vt causa prima concurrat cum causa secunda necessarium non est decretum, quo se obliget ad concurrendum. ibid. n. 26.
Causa secunda libera indiget applicatione omnipotentiæ ad operandum. ibid. n. 29.
Hæc applicatio non consistit in infinitate, nec in immensitate Dei. ibid. n. 30.
Neque in negatione decreti prædefinitiui concurrendi vel non concurrendi independenter à voluntate. ibid. num. 31.
Hæc assistentia omnipotentiæ non dicit decretum aliquod ex parte obiecti conditionatum. ibid. n.32.
Assistentia Omnipotentiæ respectu voluntatis ad actum bonum liberè eliciendum dicit decretum non indifferens ad actum bonum, & malum, sed ad actum bonum, & ad negationem eiusdem, quo Deus decernit actum bonum eliciendum dependenter à voluntate. ibid.n.33. 34. & 35.
Decretum hoc habet in se imbibitum affectum quemdam per modum desiderij circa illius obiectum. ibid.n.36.
Assistentia omnipotentiæ ad eliciendum actum vitij dicit decretum indifferens non ad actum bonum, & malum sed ad actum malum, & negationem eiusdem, quo obiectum decernitur dependenter à libertate voluntatis. ibid. n. 37.
Decretum hoc habet in se imbibitam displicentiam, de actu malo, quem respicit. ibid. n.38.
Causa prima adhuc vt causa prima diuerso modo assistit voluntati ad actum virtutis, quàm ad actum vitij. ibid. num. 39.
Nullum datur decretum simplex quo voluntas constituatur libera libertate contrarietatis, sed talis constituitur per duplex decretum ad duos actus contrarios. ibid. num. 40.
Ad hoc vt assistentia omnipotentiæ relinquat causam secundam liberam impertinenter se habet scientia conditionata, hæc tamen necessaria est ad perfectam Dei prouidentiam. ibid. n.43.
Explicatur effectus primarius & secundarius huius assistentiæ. ibid. n.42.

Causa secunda.

Statuitur virtus actiua in causis secũdis. P.C.9.P.2. per tot.
Circa dependentiam causæ secundæ à prima: Vide *Causa prima.*

Causa efficiens.

Quid sit causa efficiens. P.C.9. P.1. n.6.
Quid illius causalitas. ibid. n.9.
Multipliciter diuiditur. ibid. n.10.
Non rectè à nonnullis explicatur causa adæquata efficiens, per correspondentiam prædicatorum, inter causam, & effectum. ibid. P.9. n.1. vsque ad 4.
In quibus prædicatis debeat hæc correspondentia reperiri. ibid. n.5.
Vnde cognoscenda sit causa adæquatè efficiens. ibid. n.5. & seqq.
Non potest eadem entitas adhuc per secundam actionem seipsam producere. ibid. P.10. per totum.

Causa formalis.

Conceptus causæ formalis explicatur. P.C.8.P.1.n.3.

Causalitas

Causalitas causæ formalis assignatur. ibid.n.4.
An causa formalis sit vera causa.ibid.n.8.
Effectus primarius causæ formalis nihil aliud est quàm compositum. ibid. P.3.n.1.
Effectus iste distinctus est non solùm pro diuersitate formarum, sed etiam subiectorum, ibid.n.2.
Effectus secundarius est expulsio formæ incompossibilis. ibid.n.4.

Causa materialis.

Definitur causa materialis, illiusque proprius conceptus designatur. P.C.8 p.1.n.1.
Assignatur causalitas causæ materialis.ibid. n.4.
An causa materialis vt componens totum sit vera causa. ibid.n.8.
Causa materialis non potest eleuari ad effectum, quem quatenus est ex se,non potest causare.ibid.P.2.n.4.
Potest dari causa materialis ex qua possint educi plures formæ substantiales cum quibus simul plura tota constituat. ibid.n.14.
Possibilis est alia ex qua non possint simul plures formæ substantiales educi, & si possint simul illi vniri. ibid. num. 16.
Causa materialis, seu materia,quæ de facto datur non potest adhuc diuinitus plures formas, plures vniones substantiales simul recipere. ibid.n.17.
Poterit tamen diuinitus vniri pluribus formis substantialibus.ibid.n.19.
Non repugnat materia, cui duplex forma substantialis absque vlla repugnantia possit contingere.ibid.n.22.
Repugnantia formarum accidentalium respectu eiusdem causæ materialis non oritur ex incapacitate causæ, sed ex ipsarum repugnantia.ibid.n.25.
Potest eadem materia recipere simul diuinâ intercedente potentiâ plures formas accidentales etiam contrarias. ibid.n.26.

Causas finalis.

Vide *Finis.*
Vide *Exemplar.*

Causa instrumentalis.

Vide *Instrumentum*

Certitudo.

Certitudo orta ex actu voluntatis imperante hunc assensum, & negationem formidinis circa illius obiectum, est nimis extrinseca actui, & propriè certitudo non est dicenda.A.C.7.P.7.n.2.
Certitudo accepta pro veritate propositionis est nimis impropria ibid.n.3.
Actus reflexus, quo quis iudicat actum directum esse certum non reddit certum talem actum; potest tamen intellectum certum reddere de existentia obiecti actus directi.ibid.n.3. & 4.
Propositio certa est propositio antecedenter necessariò vera cui falsitas non potest contingere.ibid.n.6.
Certitudo propositionis est necessitas veritatis.ibid.n.7.
Omnes actus diuinæ mentis intrinsecè certitudinem habent,nec non extrinsecè si circa obiectum necessarium versentur. ibid.
Omnes actus, qui ex parte principij actiui suum obiectum supponunt sunt intrinsecè certi.ibid.n.8.
Gaudebunt etiam certitudine extrinsecâ si circa obiectum necessarium versentur.ibid.
Quam certitudinem habeant actus fidei diuinæ,ibid.
Omnes actus naturales abstractiui, quorum obiectum distinguitur ab ipsis, & ab ipsorum principiis intrinsecè certi non sunt, ibid.
Quam certitudinem habeant actus intuitiui.ibid
Nonnulla assignantur capita ex quibus certitudo actuum desumitur. ibid.n.9.
Potest in eumdem actum certitudo intrinseca, & extrinseca confluere.ibid.

Cæli.

Cæli non sunt animati. C C.vnica.P.1.n.3.
Non mouentur ab intrinseco. ibid.n.6.&.9
Si rationi standum esset authoritate secluſa, non facile posset demonstrari cælos propria virtute non moueri. ibid.num.7.&8
A quo principio moueantur.ibid.n.10.& 11.
Nulla ratione naturali potest certò definiri an cæli constent materia, & forma; dicendum tamen est propter Patrum authoritatem materia, & forma componi. ibid. P.2. à n.3. vsque ad 8.
An materia cælorum sit eiusdem speciei cum nostrate nulla ratione constat, magis tamen consonum Patrum authoritati videtur, materias omnium cælorum (dempta materiâ cæli Empyrei) eiusdem speciei esse cum sublunaribus, à n.9. vsque ad 13.
Quid de cæli Empyrei materia, ibid. n.13.
Cælorum corruptibilitas, aut incorruptibilitas nulla ratione constat, illorum verò incorruetibilitas authoritate fulcitur. ibid. à n.14. vsque 20.
Cælum Empireum solidum est & immobile. C. C.vnica, P 3. n.1.
Proponuntur variæ sententiæ circa cælorum soliditatem, & fluxibilitatem. ibid. n.1.2.& 3.
Expenduntur fundamenta sententiæ quæ cælos omnes solidos esse defendit.ibid. à n.5. vsque ad 12.
Expenduntur fundamenta sententiæ, quæ cælos fluidos esse propugnat. ibid. à n.13. vsque ad 23.
Expenduntur fundamenta sententiæ,quæ cælum stellarum inerrantium solidum, & reliquos fluidos esse defendit. ibid. n.24.
Huius difficultatis resolutio. ibid. n. 25.
Concors est Patrum sententia dari cælum Empyreum ob nimiam lucem sic appellatum quod Beatorum immobile domicilium sit. ibid. P. 4. n.1.
Cur cælum istud à nobis nunquam videatur, ibid.
Variæ sententiæ circa cælorum numerum proponuntur, ibid. n.2.3. & 4.
Etiamsi cælum stellarum inerrantium duplici, aut triplici ageretur motu necessum non esset superiores alios cælos designare, ibid. n.5.
Etiamsi daretur primum mobile aliúdve quodcumque cælum supra stellarum, non moueret, neque secum ferret inferiores orbes, quos intra se contineret. ibid. n.7.
Nullum corpus cæleste potest moueri duplici motu, ibid. num. 7.
Quomodo stellæ errantes, & inerrantes in cælo moueantur, & cur multiplex motus cælis adscribatur, ibid. num. 9.
Si cæli solidi sint, quinque distincti numero, & non plures sunt assignandi, Empyreo dempto, ibid. n.10.
Stellæ non mouentur per cauitates aliquas in cælis contentas, ibid. n.11.
Si cæli sunt fluidi, vnum tantum ab Empyreo distinctum assignandum est, ibid. n.12.
In modo tantum loquendi differunt plures Patres, qui distinctum cælorum numerum assignant. ibid.

Cognitio.

Duplici modo cognitio confusa dici potest,L.C.3.P.7.n.8. Vide *Intellectio.*
Cognitio intuitiua: Vide *Intuitio.*
Cognitio practica & speculatiua: Vide *Praxis.*

Cometæ.

Visi sunt plures cometæ in ipso stellarum cælo supra omnes planetas, C.C. vnica, P.3. n. 15.
Censent nonnulli Cometas fieri ex siderum coniunctione, ibid.n.16.
Visi sunt aliqui cometæ in partes diuidi, ibid.n.17.
Non semper cometæ in eodem loco apparent. ibid.n.18.
Potest dici Cometas à Deo miraculosè produci, ibid. num.19.

Compositum.

In quo differant compositum in fieri, & in facto esse, Ph. C.1 P.2. n. 1.
Compositum in facto esse tantùm dicit duo principia,ibid. num. 2.
Totum compositum non distinguitur à materia, forma,& vnione simul sumptis. P.C.5.P.1.n.3.
Distinguitur à materia & forma simul sumptis, & vnitis, ibid. n.9.
Compositum etiam viuens nullum viuificationis modum includit distinctum à materia, forma, & vnione. ibid. P.2.n.1. & seqq.
An possit dari totum constans forma & materia spirituali. ibid. P.3. n.1. & seqq.
An possit dari compositum constans forma materiali, & materia spirituali. ibid. n.7.
An possit dari compositum constans duplici parte essentiali, quarum neutra sit materia neque forma, ibid. P.4. n.4.& seqq.
An tale compositum possit esse generabile, vegetabile, & & corruptibile, ibid. n.8.

Compositum non est subiectum quantitatis, neque aliorum accidentium communium, G.C.1.P.1.& 2. per tota.
Etiamsi totum compositum subiectum esset accidentium communium, eadem permanerent in genito, & in corrupto, ibid.P.3.n.3.& sequentibus.
An compositum genitum diceretur casu, quo crearetur vnio,& forma gigneretur.G.C.2.P.1.n.12.

Comprehensio.

Assignantur varij modi explicandi naturam comprehensionis, A.C.6.P.1. per totum.

Conceptus.

Diuiditur in vltimatum,& non vltimatum, S.C.1.P.2.n.6.
Quomodo differant conceptus formalis & obiectiuus, L.C.2.P.1.n.2.

Conclusio.

Ex veris principiis vera semper infertur Conclusio, S.C.4.P.2.n.2.
Ex falsis aliquando vera, aliquando falsa, ibid.n.3.
Ex terminis merè particularibus non infertur conclusio, ibid.n.4.
Ex præmissis vniuersalibus vniuersalis conclusio infertur, ibid.n.5.
Conclusio affirmatiua, non nisi ex duabus præmissis affirmatiuis infertur, ibid n.6.
Conclusio negatiua ex vna præmissa affirmatiua,& alia negatiua necessariò est inferenda, ibid.
Quid sit conclusio directa,& indirecta, ibid.
An assensus conclusionis supponat cognitionem de bonitate illationis, Log.C.9.P.2. per totum.
Assensus conclusionis necessariò attingit obiectum præmissarum tanquam rationem formalem assentiendi, ibid. p.3.n.4.& seqq.
Præmissæ formales necessariò determinant intellectum per se loquendo quoad specificationem, & exercitium ad assensum conclusionis, ibid.P.4.n.2.& 3.
Per accidens poterit aliquando intellectus præstito præmissarum assensu conclusioni non assentiri, ibid.n.4.
An assensus conclusionis & præmissarum debeant coexistere, ibid.P.5.n.1.2.& 3.
Potest altera præmissa esse certa, & euidens, & conclusio nullam habere certitudinem, aut euidentiam, L.C.10.P.3. n.3.
Conclusio non potest certitudine aut euidentia superare præmissam minus certam & euidentem, ibid.n.4.
Qualis certitudo, aut euidentia posit in conclusionem refundi ex maiori certa, & euidenti, quando minor tantum est posibilis, ibid.n.6.& seqq.
Conclusio est æquè certa, & euidens cum vtraque præmissa, ibid.n.12.
Et cum illarum altera quando vtraque est æquè certa & euidens, ibid.n.26.

Concretum.

Quid sit concretum, L.C.3.P.9.n.5.
Quoddam substantiuum, aliud adiectiuum dicitur, ibid.
Vnum substantiale, aliud accidentale appellatur, ibid.
Concreta adiectiua substantialia & accidentalia dicunt subiectum in recto & formam in obliquo. ibid.n.6.
Concreta substantialia substantiuè significata dicunt in recto naturam,& in obliquo subsistentiam, ibid.
Concreta accidentalia substantiuè significata dicunt subiectum in recto & formam in obliquo, ibid.
Concreta superiora possunt prædicari de inferioribus, & inferiora de superioribus, siue accidentalia, siue substantialia, ibid.n.7.
Circa prædicationes inter concreta & abstracta. vide *Abstractum.*

Conditio, Conditionata propositio.

Quid sit conditionata Propositio, A.C.7.P.7.n.1.
Nihil ponit in esse, ibid.
Etsi propositiones omnes conditionatæ vulgò dicantur de futuro conditionato, quædam sunt de præsenti, quædam de præterito, aliæ de conditionato futuro, ibid.n.2.
Ex propositionibus conditionatis, quædam habent virtualem, & implicitam enuntiationem absolutam, aliæ sunt purè conditionatæ, ibid.n.3.
Propositio conditionata quædam constat conditione disparata, alia conditione proportionata cum consequenti, ibid.n.4.
An detur Propositio conditionata vera, cuius conditio disparata sit cum consequenti, ibid.n.4.5.
In omni propositione vera conditionata ponendum est ex parte conditionis totum id, quod ex parte principij requiritur vt sit effectus conditionatus, ibid.n.5.
Referuntur varij modi assignandi obiectum propositionis, seu cognitionis de obiecto conditionato libero, ib.n.6.
Præscribitur modus, quo hoc obiectum iuxta diuersas omnium sententias est assignandum, ibid.n.7.8.
Assignatur iuxta propriam sententiam, ibid.n.9.
Statuitur veritas propositionis de obiecto conditionato libero, ibid.n.10.& sequentibus.

Connotatum, Connotare.

Quid sit connotare? S.C.1.P.3.n.1.
Impugnatur modus defendendi identitatem plurium formalitatum cum fundamentis dependenter à connotatis in ordine ad effectum formalem præstandum, M. C.9. P.4.n.9.vsque ad 18.

Conseruatio, Conseruare.

Nulla creatura potest se ipsam conseruare, P.C.12.P.4.n.1.
Quoties principium actiuum est idem, actio conseruatiua
Quoties principium actiuum est idem, actio conseruatiua & productiua est eadem, ibid.n.3 & 5.
Ablata causa secunda adæquata, vel inadæquata, effectus non potest conseruari ex vi actionis qua primò fuit productus, ibid.n.4.
Non minor influxus requiritur vt effectus conseruetur quàm vt producatur, ibid.n.5.
Neque per se minor virtus actiua, licet aliquando per accidens maior requiratur ad producendum effectum quàm ad eundem conseruandum, ibid.
Nulla potest è priori reddi ratio propter quam aliquæ qualitates dependeant in conseruari à suis causis & non aliæ, ibid.n.6.
An effectus posit dependere in conseruari à causa vniuoca, ibid.n.6.& 7.
Effectus qui non petunt conseruari à causa primo producente ab illa conseruantur dum hæc applicata manet, ibid.n.8.
Causa superueniens effectui iam producto quem illa posit producere, incipit eum conseruare etiamsi adsit alia causa conseruans, ibid.n.8.& 9.
Non dicitur conseruatiua actio ex eo quod hæc incipiat; sed ex eo quod incipiat terminus, ibid.n.12.

Continuum.

In continuo dantur partes actu, P.C.17.p.1.n.2.
Referuntur variæ sententiæ circa continui compositionem, ibid.per totum p.
Sit continuum ex puris indiuisibilibus non constet, necessariò includit Puncta, lineas,& superficies, ibid.n.4.& 5.
Expenduntur varia argumenta contra continuum permanens diuisibile in semper diuisibilia, ibid. P.2. 3. 4. & 5. per tota.
Continuum diuisibile in semper diuisibilia includit Puncta & partes aliquotas simpliciter infinita, ibid. p.2. n.9.& seqq.
Qua ratione continuum diuisibile in semper diuisibilia infinitum simpliciter non euadat, ibid.p.3.n.1.
Assignatur ratio propter quam continuum non posit vltimò diuidi,& repugnantia in coexistentia omnium diuisionum, quæ successiuè fieri possunt, ibid.P.3.n.7.& p.5.n.2.& seqq.
Continui compositio ex finitis indiuisibilibus explicatur, ibid.p.7. per totum.
Continui compositio ex infinitis indiuisibilibus impugnatur, ibid.n.2.3.& 4.
Expenduntur argumenta desumpta ex Punctorum penetratione contra continuum ex indiuisibilibus compositum, ibid.P.8.per totum.
Nonnulla argumenta Mathematica contra continuum compositum ex puris indiuisibilibus expenduntur, ibid. P.10.per totum.
Expenditur auctoritas Concilij Constantiensis, ibid. P.11. n.1.& 2.
Iudicium fertur inter sententiam Zenonis & Arist. ib.n.3.

Conuersio.

Conuersio Eucharistica formaliter vt conuersio respicit vt terminum formalem Christi Corpus, G.C.2 p.4.n.8.
Vt productio est respicit tanquam terminum formalem vnionem accidentium ad Christi Corpus, ibid.
Quid sit conuersio, ibid.p.5.n.1.
Conuersio duplex est, quædã physica, alia moralis, ibid.n.4.

Conuersio physica alia substantalis, alia accidentalis, ibid. num.5.
Conuersio substantialis vulgò diuiditur in formalem, materialem, & vnius substantiæ in aliam, ibid.
Conuersio formalis non tantum est inter concreta, sed etiam inter formas, ibid.n.6.
Terminus formalis *à quo* conuersionis conuersus dicitur, ibid.n.6.& 7.
Conuersio materialis dari nequit, ibid.n.9.
Per conuersionem non debet produci substantia termini in quem fit conuersio, ibid.à n.10. vsque ad 14.
Etiamsi conuersio non diceret definitionem termini *à quo* dicendum non esset Corpus Christi conuerti in substantiam quæ aduenit deficientibus accidentibus Eucharisticis, & recedente corpore Christi, ibid.n.18.
De ratione conuersionis est definitio termini *à quo* secundum suam entitatem, ibid.n.19.
Conuersio non est de ratione generationis substantialis, neque hæc de ratione illius, sæpe tamen eadem mutatio vtriusque rationem habet, ibid.n.22.

Conuersio Propositionum.

Quid sit, G.C.3. P.7.n.4.
Quid sit conuersio simplex & in quibus propositionibus fiat, ibid.
Quid per acidens, & in quibus propositionibus contingat, ibid.n.5.
Quid per per contrapositionem, & in quibus propositionibus locum habeat, ibid.n.6.
Quæ specialiter sunt obseruanda in conuersione per contrapositionem, ibid.n.7.
Quæ in omni conuersione, ibid.n.8.

Copula.

Copula *est* non est terminus, S.C.1.P.1.n.1.& 7.
An reperiatur in propositione mentali, vel locali aut scripta & per quam harum constituatur, ib.P.2.n.2.& 3.

Corpus.

An possit dari corpus completum compositionis essentialis expers, P.C.5.p.5.n.2.& seqq.
An corpus illud esset vegetabile, ibid.n.3.
An esset corruptibile, ibid.n.4.& seqq.
An esset sensitiuum, ibid. n.9.
Potest dari corpus completum expers compositionis integralis ex quo educatur quantitas integraliter diuisibilis, ibid.n.13. & seqq.
Definitur ratio corporis, seu rei materialis in tota sua latitudine, vt distinctæ à re spirituali, A. C.1. P.5.num.8. & seqq.
Res corporea neque inadæquatè potest educi ex subiecto materiali, A.C.3.P.1.n.15.

Corruptio.

Quid sit corruptio? G.C.2.P.8.n.1.
Omnis desitio actionis generatiuæ corruptio dicitur: etiamsi subiectum termini corrupti non perseueret, ibid.n.2.& 3.
Corruptio potest intendi ab agente libero non verò ab agente naturali, ibid.n.5.
An possit dari creatura quæ semel producta non possit corrumpi à Deo, A.C.7.P.1.à n.21 vsque ad 26.

Creatio. Creare.

Quid sit creatio? P.C.13.P.1. per totum.
Creatio neque inadæquatè identificatur cum principio, ibid.n.3.& 4.
Creatio distinguitur à termino educibili, ibid.n.5.
Possibilis est creatio identificata cum termino qui non possit non creati per se ipsum, ibid.n.10.
Terminus qui potest creari à Deo tanquam à principio adæquato & à Deo & à creatura non habet creationem sibi identificatam, ibid.n.11.
Potest dari terminus, qui à nulla alia causa possit dependere nisi à Deo creanti, dependens per creationem superadditam, ibid.n.13.
An creatio Angeli & animi rationalis ab his sit distincta, ibid.n.14.
Creatio nullum habet inhæsionis subiectum, ibid. P.3.per totum.
Expenduntur variæ rationes quibus auctores probant repugnari creaturæ virtutem creãdi, ib.P.4. à n.3.vsq; ad 9.
Propria ratio pro hac conclusione, ibid.n.10.& 11.
Nulli creaturæ existenti inest virtus obedientalis ad creandum, ibid.n.12.
Quid de possibilibus, ibid.
Quæ entitates de facto creentur, ibid.P.5.n.1.
Omnes formæ substantiales & accidentales quæ res sunt creari possunt, ibid.
Potest etiam creari modus vnionis, & quælibet alia forma modalis, ibid.n.2.& 3.
Potest creari totum compositum, ibid.n.6.
Possibilis est forma spiritualis potens educi quæ naturaliter exigat creationem, ibid.P.6.n.3.
Formæ quæ per se ipsas creantur educi non possunt, neque quæ per se ipsas gignuntur valent creari, ibid.n.8.
Potest diuinitus idem terminus simul creari, & educi, ibid. num.9.

Creatura.

Quid importet proloquium hoc: Creatura producitur à Deo in ratione entis, L.C.1.P.1.n.6.
Deus non potest producere creaturam perfectissimam, aut imperfectissimam omnium possibilium, P.C.14.p.7. num.2.
Potest dari creatura permanens ab æterno existens, P.C. 19. p.1.n.1.
Potuit dari creatura ab æterno successiuè fluens, ibid.P.9. num.2.
An possit dari creatura quæ semel producta non possit corrumpi à Deo, A.C.7.P.1.à n.21.vsque ad 26.

D.

Definitio.

Quid sit? S.C.2.P.1. n.1.
Debet constare genere & differentia, vel horum vices habentibus, ibid.
Non dicit integram propositionem sed tantùm prædictum, ibid.n.2.
Definitio alia nominis, alia rei, ibid.n.3.
Definitio nominis potius interpretatio, quàm definitio dicenda erat, ibid.
Definitio, alia essentialis, alia descriptiua, alia causalis, ibid. num.5.
Quid sit definitio essentialis, ibid.
Quid descriptiua, ibid.n.6.
Quid causalis, & quomodo ab aliis differat, ibid.n.7.
Definitionis præcepta, ibid.à n.8.vsque ad 14.
Quomodo indiuidua speciei definitione definiatur, ib.n.9.
Per quod genus, & per quam differentiam possit tradi definitio, ibid.n.13.
Per quæ conuenientiùs tradatur, ibid.n.14.
Quomodo definitio per seipsam definiatur, ibid.n.15.
Definitio formalis non debet clarius definito cognosci, ib.

Demonstratio.

Quid sit? S.L.C.10.P.1. n.1.& 2.
An syllogismus Theologicus sit demonstratio, ibid.n.2.
An demonstratio adæquatè diuidatur in *propter quid*, & *quia*, ibid.n.3.
Demonstratio quædam perfecta, alia perfectissima, ib.n.4.
Demonstratio per causam inadæquatam cum effectu connexa est vera demonstratio, ibid.n.5.
Demonstratio *quia* & *propter quid* specie differunt, ibidem num.6.
Quæ propositiones sint vtiles ad demonstrationem *quia* & *propter quid* & quibus vtraque constare debeat, ibid.P.4. n.2.& seqq.
An omnis demonstratio debeat constare principiis propriis, ibid.n.7 & 8.
An demonstratio necessariò constet propositionibus per se notis, ibid. P.5.n.7.
An demonstratio debeat constare principiis vniuersalibus, ibid.p.6.n.1.& seqq.
An debeat constare principiis necessariis & æternæ veritatis, ibid.n.5.
An principiis secundum quod ipsum, ibid.n.7.& 8. *Densitas.* Vide *Raritas.*

Dentes.

Dentes animantur. A.C.1. P.4.n.12.

Dependentia.

Triplex Dependentia à priori, & à posteriori, & à comitante explicatur, P.C.2.P.7.n.2.
Impugnatio dependentiæ à posteriori, ibid.n.6.
Assignantur varij modi quibus possit defendi, ibid.à n.7 vsque ad 12.

INDEX RERVM.

Descensus: Vide *Ascensus*.
Desiderium: Vide *Intentio*.

Deus.

Quid importet proloquium illud: *Deus potest producere creaturam in ratione entis*. L.C.p.1.n.6.
Dei concursus & influxus in creaturas & harum ab ipso dependentia. Vide *causa prima*.
Dei Omnipotentia vide *Omnipotentia*.

Differentia.

Differentia communis, propria, & propriissima non vniuocè conueniunt secundùm munus faciendi differre. L. C.6 p.1.n.2.
Munus istud propriissimæ tantum simpliciter conuenit. ibidem.
Differentia conuenientiam supponit, in quo à diuersitate discrepat. ibid.p.2.n.1.
Quid sit actus differendi, seu faciendi differre. ibidem. n.2.& 3.
Quid sit speciem ex genere, & differentia constitui. ibid.n.4.
Differentia formaliter, vt differentia genus intrinsecè non contrahit, sed tantùm extrinsecè. ibid.n.8.& 9.
An differentia suscipiat magis, & minus. ibid.p.3.n.1.
An sumatur à forma. ibid. n.2.
An differentia infima, & subalterna sint eiusdem rationis? ibid. n.3.
An possit esse differentia infima constituta ex duabus inadæquatis inter se distinctis. ibid. n.4.
An differentia sit perfectior genere? ibid n.7.
Explicatur diuisio differentiæ in contractiuam generis, & constitutiuam speciei. ibid. n.8.
Explicatur diuisio differentiæ in inseparabilem, & separabilem. ibid. n.9.
Differentia, vt prædicabilis desumitur. ibid.p.4.n.1.& 2.
Talis constituitur per ordinem ad inferiora speciei, quam constituit ibid.n.4.
An differentiæ essentialiter oppositæ debeant esse perfectione inæquales. A.C.1.P.8.n.47.
Differentia inferior non includitur formaliter in genere, neque in alia superiori differentia. M.C.1.p.4.n.11.

Dilemma.

Dilemma quid sit? S.C.2.p.2.n.2.
Continet duos syllogismos. S.C.4.p.2.n.1.
Diminutio: Vide *Augmentatio*.

Diminutio termini.

Quid sit. S.C.1. p.7.n.7.
Inter terminum diminutum, & non diminutum non fit illatio. ibid.
Quid sit. L. C.9.p.1.n.1.
Quidam formalis, alius obiectiuus. ibid.n.2.
An discursus essentialiter includat duplicem præmissam, & triplicem propositionem. ibid.n.3.
An discursus non solùm conclusionem, sed etiam præmissas formaliter importet. ibid.n 5.
An discursus adæquatè diuidatur in *propter quid*, & *quia*, siue à priori, & à posteriori. ibid n.7.
An discursus, & syllogismus in alio differant. ibid. n. 8. & seqq.
Quæ sint præcognoscenda ante totum discursum. ibid.p.6. per totum.
Vide Conclusio, & *Præmissæ*.

Dispositio.

An dispositiones debeant recipi in subiecto formæ ad quam disponunt. P.C.1.p.2.n.7.
Dispositiones receptæ in composito nullo modo possunt ad formam disponere. G.C.1.p.3.n.8.
Dispositiones iam præteritæ non possunt materiam determinare ad hanc formam recipiendam. ibid. n. 10. & 11.
Quantitas disponit materiam ad formam in genere causæ materialis. ibid. p.4.n.3.
Omnes dispositiones per se ipsas exigunt productionem formæ. ibid.n.4.
Dispositiones tantùm influunt in formam, dum hæc à Deo intuitu illarum producitur vel conseruatur. ibid.n.5.
Dispositiones dum actu non influunt in formam possunt ab illa dependere, secus dum influunt. ibid.n.7.
Forma non dependet in conseruari dispositionibus à quantitate distinctis. ibid.n.8.
Ad introductionem huius formæ substantialis supponitur ex parte materiæ carentia dispositionum ad oppositam ibid.n.10.
In quo genere dispositiones sint priores forma. ibid.n.14.
An non solum immediatè, sed etiam mediatè. ibid.

Distantia.

Inter esse rei creatæ & non esse illius non est infinita distantia. P.C.13.p.4 n.5.
Quid sit distantia localis. P.C.15.p.2.n 5.
Vide Approximatio.

Distinctio.

An distinctio inter extrema dicat vtriusque existentiam. M.C.4.p.1 n.2.
An distinctio inter extrema positiua dicat aliquid negatiuum. ibid. n.3.
Quomodo distinguantur in ente esse vnum, & esse distinctum. ibid. n.4.
Quæ distinctio sit passio entis. ibid.n.5.& 6.
An sit oppositio inter vnitatem, & distinctionem. ibid. n.11.
An sit ordo prioris & posterioris. ibid.n.8.
Distinctio absoluta prior est distinctione respectiua. ibid.
Distinctio absoluta adæquatè identificata cum fundamento, respectiua terminum inuoluit. ibid/n.10.
Exactè explicatur distinctio formalis media quam Scotistæ propugnant, & horum in hac re cum Thomistis dissensio. ibid P.2.à n.1. vsque ad 7.
Impugnatur prædicta distinctio. ibid.n 11.& seqq.
Explicatur Scotistarum sententia circa distinctionem graduum Metaphysicorum eiusdem entitatis. ib. P 3.n.3.
Differentia indiuidualis ante intellectus operationem nulla ratione distinguitur à ratione specifica. ibid.n 5.
Prædicata superiora, quæ in eodem indiuiduo reperiuntur ante intellectus operationem nullam inter se distinctionem sortiuntur. ibid. n.8.
Explicatur natura distinctionis virtualis. ibid.p.4.n.1.&.2.
Distinctionis virtualis nomen opportunè impositum est conceptui per illud significato. ibid. n.5.
Conceptum, significatum nomine distinctionis virtualis in Deo esse admittendum certum est. ibid.n 7.& 8.
An vtilis sit ad diuina mysteria explicanda, & illorum difficultas componendas. ibid.n.9 10.& 11.
Conceptus distinctionis virtualis in creaturis relegandus est in ordine ad prædicata physicâ. ibid à n.12. vsq; ad 18.
Item in ordine ad prædicata intentionalia. ibid.à n 19. vsque ad 25.
Separatio non mutua signum est modalis distinctionis. ibid. p 5.n.5.
Quid sit distinctio rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ. ibid.p.7.n.1.
Ad distinctionem rationis reperitur fundamentum, non solum in nostro modo concipiendi sed etiam in ipsis rebus. ibid.p.8.n.3. & seqq.

Diuisio.

Quid sit? S.C.2.p.2.n.1.
Quædam subiecti in acccidentia, alia generis in species, alia totius in partes. ibid.n.2.
Diuisio subiecti in accidentia propriùs diceretur subiecti per accidentia. ibid. n.4.
Diuisio generis per differentias essentialiter oppositas ad diuisionem subiecti in accidentia, seu per accidentia reducitur. ibid. n 5.
Quomodo per diuisionem inuestigetur rei definitio. ibid. n.6.
Quomodo diuisio à definitione differat. ibid.n.7.
Præcepta rectæ diuisionis ibid.n 8.
Diuisio nominis propriè diuisio non est. ibid n.9.
Diuisio dicit non esse vnionis, & extrema positiua, quæ supersint. M.C.3.p.1 n 26.
Non esse diuisionis aliquando in negatiuo, aliquando in positiuo consistit. ibid.
Quid sit negationis diuisio. ibid n 44.

Duratio.

Res non dicitur durare cum primò incipit. P.C.16.p 1.n 1.
Duratio, & inceptio extrinsecè tantum differunt sicuti productio, & conseruatio. ibid.
An successiua durare dici debeant. ibid.
Referuntur variæ sententiæ circa durationis naturam. ibid. à n.2. vsque ad 5.
Duratio non consistit in negatione, neque in ratione mensuræ. ibid.n.2.
Reiicitur sententia, quæ durationem superadditam, siue successiuam,

successiuam, siue permanentem constituit. ibid. à n.6. vsque ad 13.

Specialiter impugnatur sententia, quæ durationem in actione constituit. ibid. n.14.

Duratio nihil addit supra entitatem rei, præter connotationem ad tempus actu, vel potentia existens. ibid. à n. 16. vsque ad 19.

Diuisiones durationis, ibid. P.2.n.1.

An possit entitas existere absque vlla duratione, ib.n.3.

Quibus entitatibus conueniat propria duratio, ibid.n.4.

An possit dari creatura ita essentialiter durans vt semel producta non possit corrumpi à Deo, A.C.7.P.1.à n.21. vsque ad 26.

An Duratio superaddita modus esset vel res, M. C.4. P.6. num.9.

E.

Effectus.

AN effectus dependeat per se à causa remota & quomodo hæc in illum influat, P.C.7.P.5.per totum.

An idem effectus possit dependere diuisim à duplici causa, ibid.P.6. per totum.

An possit simul dependere à duplici causa adæquata, ibid. P.7.n.3.

An possit diuinitus à duplici causa adæquata efficienti simul, & duplici materiali seu per duplicem causalitatem adæquatam dependere, ibid.n.6.

Cur hæc duplex causalitatis naturaliter non possit contingere, ibid.n.7. & seqq.

Vt effectus sit in duplici loco sufficit in altero esse applicatum principio, & actioni, à quibus dependet, P.C.15.P. 10. num.11.

Efficiens, vide *causa efficiens*.

Electio.

Definitur electio, A.C.11.P.1.n.8.

Supponit consultationem, & consilium intellectus, ibid.

An circa medium vnicum propriè detur electio, ibid.n.9.

Obiectum electionis debet esse aliquid, quod à nobis fieri possit, ibid.

Omnis electio formalis respicit motiuum intentionis, saltem vt obiectum *quo*, ibid.P.2.n.9.

Potest etiam illum respicere, vt obiectum *quod*, ibid.n.13.

Si voluntati cùm primò finis proponitur, proponatur media cum omni conuenientia, quam habent, eodem actu feretur in finem, & media propter finem, qui rationem intentionis, & electionis obtinebit, ibid. n.14.

Idem contingit cum media simul cum fine proponantur, etiamsi prius intentio finis ab electione distincta præcesserit. ibid.n.19.

Non potest finis esse obiectum, quo media amentur per electionem, quin sit obiectum *quod* respectu eiusdem actus, ibid.n.2.

Supposita intentione efficaci electio medij vnici vel vnius sub disiunctione si plura occurrant necessaria est, ibid. P.3.n.2.& seqq.

Vnde oriatur hæc necessitas electionis, ibid.n.6.

Prædicta electio necessaria non est donec vrgeat finis executio secundum intentionis decretum, ibid.

An in sententia quæ asserit omnem electionem habere secum identificatam intentionem actus qui simul est intentio & electio, quem intentio sola præcesserit, coniungatur cum intentione præcedenti & ab illa necessitatem trahat, ibid.à num.11.vsque ad 15.

Electio supponens intentionem efficacem facta in instanti in quo vrget executio finis, libera non est, etiamsi in præcedentibus potuerit libera elici, ib.P.4.n.2.& seqq.

Electio facta ante instans in quo vrget executio finis libera est, etiamsi intentionem efficacem supponat, ibid. P.5.n.1.& seqq.

Voluntas ex duobus mediis non debet eligere quod materialiter, hoc est, in se, vel in ordine ad alios fines, melius est, ibid.P.6.n.6.

Potest voluntas è duobus mediis æqualibus æqualiter propositis quod maluerit eligere, ibid.n.7.

Potest etiam eligere minus vtile, vtiliore relicto. ibid.n.8.

Intentio physicè non influitin electionem sed tantùm determinatiuè, ibid.P.7.n.1.& seqq.

Elementa

Definiuntur elementa, G.C.8.P.1.n.2.& 4.

Quomodo mixta in elementa resoluantur, ibid.n.3.

Quot sint elementa, ibid.n.5.6.& 7.

Situs elementorum designantur, ibid.P.2. per totum.

Formæ elementorum non manent formaliter in mixto, ibid.P.4.n.3. & seqq.

Quo sensu dicantur elementorum formæ in mixto permanere, ibid.n.13.

Quæ elementa symbola dicantur, ibid.P.6.n.6.

Elementa non habent duplicem qualitatem in summo, sed vnam in summo & alteram prope summum, ib.n.5.

Elementa non habent qualitatem intensam prope summum contraria admixtam, ibid.n.9.10.

Eleuatio Potentiæ obedientialis, *Vide Potentia obedientialis.*

Emanatio.

Quid sit simplex emanatio, A.C.2.P.1.n.12.

An simplex emanatio sit propria actio, ibid.n.14.& 15.

An simplex emanatio distinguatur à termino, ibid.n.15.

Ens.

Quid importet proloquium illud: *Deus producit creaturam in ratione entis?* L.C.1.P.1.n.3.

Ens transcendit vltimas differentias. ibid.P.4.n.5.& 6.

Datur vnus conceptus communis omni enti reali, ibid.P.5. n.2.& seqq.

Ens non est analogum propter dependentiam, ibid.P.6.per totum.

Neque propter transcendentiam, ibid.P.7.n.10.

Ens vniuocè dicitur de Deo & creaturis, substantia & accidenti, ibid.P.8.n.1.& seqq.

Ens rationis.

Ens rationis non est obiectum Logicæ, L.C.2.P.1.n.38.

Non dari ens rationis quod non cognoscatur contra nonnullos ostenditur, L.C.3.P.4.n.15.& 16.

Explicatur definitio entis rationis, M.C.12.P.1.n.2.

An essentia entis rationis sit actu cognosci, vel posse cognosci, ibid.n.3.& 4.

An obiectum tantum possibile quod secundum existentiam terminat cognitionem, sit ens rationis, ibid. num.5.& seqq.

Dici nequit ens rationis consistere in aggregato rerum incoexistibilium quarum quælibet possit existere, sed necessariò importat aliquid fictum ex parte obiecti, ibid. P.3. per totum.

Explicatur diuisio entis rationis, in ens rationis ratiocinantis & ratiocinatæ, ibid. P.3. per totum.

Assignantur quædam communia fundamenta ad omne ens rationis cognoscendum, & alia non omnibus communia, ibid.n.3. & 4.

Nonnullæ differentiæ assignantur inter fundamenta prædicta, ibid.n.5.& 6.

Dantur negationes rationis, seu entia rationis negatiua, ibid.P.4.n.2.

Negationes & priuationes quæ de facto dantur etiamsi instar rerum positiuarum apprehendantur, entia rationis non sunt, ibid.n.3.

Erunt entia rationis, si apprehendantur vt entitates positiuæ, ibid.n.4.

Potest dari substantia & quantitas fictæ, & sic per omnia prædicamenta ens rationis vagari, ibid.n.8.

Quomodo subsistere potest diuisio entis rationis in priuationem, negationem, & relationem, ibid.n.7.& 9.

Nulla denominatio exirinseca procedens à forma reali etiam intentionali est eas rationis, ibid.P.5. n.3.

Ens rationis non fit per sensus externos, ibid.P.6.n.4.

Neque per appetitum sensitiuum, aut rationalem, ibid. num.7.

Ens rationis fieri potest per apprehensionem etiam simplicem, ibid.n.8.

Semper fit per cognitionem quæ supponat aliam, non verò strictè reflexiuam, ibid.n.9.

Ens rationis fit per actum iudicij & discursus, ibid.n.11.

Fit etiam per dissensum chimæræ, ibid.n.13.

Eo ipso quod Deus cognoscat cognitionem creatam terminatam ad ens rationis, cognoscit ens rationis ad quod terminatur, ibid.P.7.n.5.

Deus cognoscit ens rationis independenter ab intellectu creato, ibid.n.8.

An Deus faciat entia rationis, ibid.n.9.& seqq.

Essentia vide Existentia.

Euidentia.

Euidentia à certitudine distinguitur, L.C.10.P.2.n.2.

Quidsit? ibid.n.2.& 3.

Non

Actus fidei & opinionis euidentiam non habent, ib.n.4.
Euidentia cum formidine non componitur, ibid.
Euidentia triplex est, Moralis, Physica, & Metaphysica, ibid.n.6.
Omnium maxima est Metaphysica, media Physica, Moralis infima, ibid.n.7.

Exemplar.

Quid sit exemplar? P.C.11. p.3.n.1.
Aliud internum aliud externum, ibid.n 2.
Quod exemplar artifex imitari intendat, ibid.n.2.& 6.
An ratio exemplaris in cognitione, vel in obiecto consistat. ibid.n.4.& seqq.
Tum perfectè operatur artifex iuxta exemplar, cum idem numero opus quod concipit executioni mandat, ibid. n. 4.
Ad quod genus causæ reducatur exemplar, ibid n.10.
Causalitas exemplaris assignatur, ibid.n 11.

Existentia.

Existentia causæ necessariò requiritur ad operationem, P. C. 7. p. 4. n. 1.
An requiratur ex parte actus primi, & an vt ratio formalis agendi, vel vt conditio. ibid.n.8. & seqq.
Existentia iam producta non distinguitur, neque physicè identificatur propriè loquendo cum essentia purè possibili, neque eadem ratione formali existentiæ vt purè possibili & modo quo præcessit per totam æternitatem. M.C.2.p.2.n.4.
Essentia actualis seu res existens non dicit existentiam physicè superadditam essentiæ, ibid.n.6.
Essentia actualis formaliter actualis neque ex parte actus neque ex parte obiecti distinguitur ab existentia, ibid. p 3.n.4.
Essentia actualis, & ipsa formalis existentia non distinguitur formaliter ex parte obiecti ab essentia possibili, ibid. n.5.
Quomodo distinguatur obiectum scientiæ visionis terminatæ ad existentiam: & simplicis intelligentiæ terminatæ ad possibilitatem rei, ibid p.4.per totum.
An existentia perfectior sit essentiâ, ibid p.5.n.1.
An existentia substantia sit, accidensve, ibid.n.2.& 3.
An essentia, & existentia ab eisdem principiis & per eandem actionem producantur, ibid.n.4.
An possibilitati & existentiæ rei detur ratio communis, ibid.n.5.
An detur compositio Physica inter essentiam & existentiam, ibid. n.6.
An existentia compositionem Metaphysicam includat, & formaliter diuisibiliter, aut indiuisibiliter essentiam afficiat, ibid. n.8.& 9.
An si daretur existentia superaddita modus esset, vel res. M.C.4. p.6.n.9.

Expellere, expulsio.

Expulsio formæ incompossibilis, est effectus secundarius formæ informantis. P.C.8.p.3.n.4.
Forma expellens aliam non intendit non esse formæ expulsæ secundùm se, ibid n.5.
Terminus per se expulsionis est forma vt informans, etiamsi non inhæreat, neque informationem habeat inhærentem, ibid.n.6.
Est etiam terminus expulsionis forma vt inhærens informatione secluſa, ibid.n.7.
Forma secundum se non est principium expulsionis sed vt informans. ibid. n.9.
Forma vt inhærens informatione seclusâ est principium expulsionis formæ vt inhærentis & vt informantis, ibid. n.10.
Principium exigens producere formam aliûs expultricem eiusdem expulsionem immediatè exigit. ibid.n.11.
An negatio dispositionum sit principium ex quo possit inferri formæ expulsio. ibid.n.12.
Expulsio formæ de facto procedit ab omnibus principiis quæ in actu primo illam possunt inducere, etiamsi in his sit ordo prioris & posterioris, ibid.n.13.& 14.
Expulsio formæ negatiuæ non distinguitur ab informatione habitus. ibid n.15.
Quâ ratione vna forma aliam expellat. ibid n.16.
Quæ sit causalitas formæ expultricis respectu expulsæ. ib.
Assignatur causalitas aliorum principiorum expellentium, ibid.n.17.& 18.

F.

Facultas.

QVid sit habitus qui facultas dicitur? L. C. 10. P. 5. num. 1.

Falsitas, Falsum.

Falsum vero transcendentali oppositum est id quod non est, & probabiliter fundat cognitionem sui. M. C. 3. P. 3. n. 3.
Desumitur semper in ordine ad intellectum qui decipi potest. ibid.n.4.
Non desumitur per ordinem ad apprehensionem incomplexam, secus ad complexam. ibid.n.7.
Non omnis propositio falsa fundat obiectum falsum, ibid. num. 8.
Cur falsum non sit passio entis sicut verum. ibid.n 9.
Ex duobus entibus quorum vnum apparet instar alterius quod imperfectius est falsum dicitur. ibid.n.10.
Falsitas propositionis, vide *Veritas.*

Fides.

Differt à reliquis scientiis ex obiecto formali specificante actus. L.C.1.P.3.n.20.
Quomodo actus fidei diuinæ certitudinem ex obiecto desumit, L.C.10 p.3 n.7.
Potest idem actus habere rationem scientiæ seu opinionis, & fidei diuinæ circa duo obiecta materialia, & etiam circa idem materiale obiectum, A.C.5. P.3. à n.14 vsque ad 15.
Potest idem actus esse fidei diuinæ & fidei humanæ circa idem obiectum, ibid.n.18.
Potest actus fidei diuinæ componi cum actu scientiæ abstractiuæ, opinionis, & fidei humanæ circa idem obiectum, ibid. n.19.
Non potest idem actus esse intuitiuus & actus fidei. ibid. num.20.
Ex natura rei potest componi actus fidei cum actu scientiæ intuitiuæ de eodem obiecto, ibid.n.21.

Figura.

Figura est duplex, alia physica, alia Mathematica. M. C. 8. P.2.n.10.
Figura Mathematica ex vi cuius corpus constituitur triangulare, vel rotundum, non distinguitur à præsentia. ibid.
Figura physica ex vi cuius pars corporis dicitur manus vel caput consistit in vnione partium cum hoc ordine vnitarum, ibid. n.11.

Filius.

Cur filij nomen tantùm sensitiuis tribuatur, G. C. 2. P. 6. num. 1.
Cur secunda persona Trinitatis, & non Tertia filius dicatur, ibid.n.6. & seqq.

Finis.

Quid sit finis, seu finalis causa, P.C.11.p 1.n.1.
Explicatur finis *Cuius*, & finis *qui*, ibid. n.2.
Ex vtroque fit finalis causa adæquata, ibid.
Finis *cuius* conflatur ex fine *qui* & fine *quo*, ibid.n.3.
Finis non vltimus seu intermedius propriè non est finis, ibid.n.4.
Cognitio non est ratio formalis finis. ibid.p.2.n.2.
Cognitio reflexè cognita potest habere rationem formalem finis, ibid.n.3.
Vide *Intentio & Electio.*

Fœmina.

An fœminæ semen emittant, G.C.2.p.7.n.4.
Quomodo harum semen conducat ad generationem, ibid num. 5.
An Fœminæ immediatè concurrant actiuè ad generationem, ibid. n.6.
Quanto tempore Fœminæ prolem in vtero gestant, ibid. num. 10.

Fœtus.

Quæ partes Fœtus prius informentur, G.C.2.p.7.n.2.
Quo tempore formetur, ibid.n.5.
Quanto tempore in vtero Matris feratur, ibid.n.10.

Forma.

Statuitur existentia formæ substantialis, P. C. 3. p. 1. n. 1. & seqq.
Referuntur variæ sententiæ circa multiplicationem formarum in eadem materia, ibid.p.2.n.2.
Non multiplicantur formæ propter diuersas formalitates compositi, ibid.n.4.

An forma cadaueris sit specialis forma, ibid. n. 8.
Forma proprietatis adhuc in homine admittenda non est, ibid. n.10.
In viuentibus quæ de facto dantur plures animæ, aut plures formæ substantiales non existunt. ibid. n.14
Idem dicendum est de quibuscumque aliis compositis. ibid. num.17.
An possit dari compositum cui duplex foma substantialis partialis contingat.ibid.n 18. & seqq.
Conceptus quidditatiuus formæ substantialis explicatur. ibid.P.3.per tot.
Explicatur conceptus communis formæ substantiali & accidentali.ibid.n.5.
Formæ neque secundum se totas, neque secundum aliquid sui præcedunt in materia ex qua educuntur. ibid. P.4. num.2. & 3.
Formæ materiales non dependent à materia tanquam à cõditione,sed tanquã à vera causa.ibid.à n.6.vsque ad.11.
Efficaciter probatur easdem formas educi ex materia. ibid.n. 9.
Potest forma diuisibilis integraliter educi ex subiecto indiuisibili.P.C.5.n.13.
An productio formæ sit generatio G.C.2.P.1.n.12.
An generatio formæ differat à generatione totius. ibid.
An forma & vni[illegible]oducantur per eamdem actionem. ibid.P.3.n.2.& [illegible]q.
Forma materialis neque inadæquatè potest educi ex subiecto spirituali.A.C.3.P.1.n.15.
Circa simultaneam informationeam & inhæsionem formarum: Vide *causa materialis*.

Formido, Formidolosus actus.

Actus deductus ex premissis scientificis & opinatiuis respectu eiusdem materialis obiecti erit tantum euidens, & non formidolosus.A.C.5.P.3.n.7.
Actus deductus ex principiis opinatiuis circa vnum materiale obiectum, & scientificis circa aliud erit formaliter euidens & formidolosus ibid.n.14.&15.

Frigus.

Frigus est qualitas positiua substantiæ superaddita. G. C.8. p.5.num.2.
Habet virtutem actiuam producendi effectum sibi similem. ibid.
Frigiditatis definitio.ibid.n.8.

Futura.

Futura in tempore non sunt ab æterno præsentia in æternitate.A.C.1.P.1.n.3.& seqq.
Futura libera absoluta veritatem determinatam,aut determinatam falsitatem habent, ex vi cuius possunt independenter à decreto præfiniente propositionem veram falsamve constituere.ibid.n.15.& seqq.
Futura conditionata: Vide *Conditionata*.

G.

Generans.

QVid sit operari in virtute generantis. A.C.2.P.1.n.12.

Generatio.

Quot sint principia generationis. P.C.1.P.2.n 5.
Generatio dicit dependentia à subiecto tanquam à vera causa materiali.P.C.3.P.4.n.7 & 8.
Non possunt dari infinitæ generationes per naturalẽ propagationem successiuè fluentes.P.C.19.P.2.n.2.
In generatione substantiali non fit resolutio vsque ad materiam primam. G.C.1.P.3. per totum.
Quid sit generatio substantialis. G C.2.P.1.n.1.& 11.
Accidentaliter illi ratio mutationis contingit. ibid. num. 1.& seqq.
Non omnes generationes quæ modo contingunt,mutationes sunt,ibid.n.8.
An totum genitum dici possit casu quo crearetur vnio, & generaretur forma.ibid.n 13.
An productio formæ sit generatio.ibid.n.12.
An generatio formæ differat à generatione totius.ibid.
Generatio realiter distinguitur ab alteratione. ibid.P.2. per totum.
Quot actiones intercedant in generatione substantiali. ibid.P.3.n.1.
Generatio vt productio est respicit tanquam terminum formalem vnionem. ibid.P.4.n.6.
Vt inductio est respicit tanquam terminum formalem formam compositi. ibid.
Vt communicatio est, respicit eamdem formam tanquam formalem terminum.ibid.
Adducitur & explicatur generatio viuentium.ibid. P.6. per totum.
Dispositiones receptæ in genrante non conducunt ad generationem. ibid.P.7.n.1.
Quid dicendum sit iuxta aliorum sentẽtias. ibid.n.1.2.& 3.

Genus.

Quid sit genus. L.C.4.P.1.n.1.& 11.
Definitur per genus & differentiam.ibid.n.2.
Id quod essentialiter est genus potest accidentaliter species denominari. ibid.n 3.
Quid sit genus prædicari in *eo quod quid*; vbi quid prædicare in *quale*, & in *quale quid*. ibid.n.7.& seqq.
Generis definitione explicatur concretum ex natura & secunda intentione constitutiuum. ibid.n.13. & seqq.
Genus vt genus non est actu totum compositum. ibidem, P.2. num.1.
Vt genus est totum potentiale,& pars potẽtialis. ibid.n.2.
Non prædicatur vt genus, neque vt totum potentiale, neque vt pars potentialis.ibid.n.3.
Genus per prædicationem constituitur pars componens speciem de qua prædicatur. ibid. n.4.
Quo sensu possit dici genus prædicari vt totum potentiale,vt pars potentialis,& vt pars actualis.ibid.n.5.
Quo sensu dicit possit prædicari vt totum actuale.ibid.n.6.
Ratio partis materialis non nisi à pluribus differentibus specie potest abstrahi.ibid.P.3 n.2.
Si tamen abstrahi posset à pluribus tantum numero differentibus,genus non requireret plures species. ibid.
Genus simul abstractum ab indiuiduis plurium specierum in ordine ad indiuidua vnius tantum speciei retinet rationem generis.ibid.n.6.
Natura generica immediatè prædicatur de indiuiduis incompletis,non vt genus sed vt species.ibid.P.4.n.3.
Genus potest prædicari immediatè de indiuiduis.ibid.n.10.
Potest etiam prædicari de indiuiduis media specie, & de specie mediis indiuiduis.ibid.
An eodem respectu genus,&species,& indiuidua attingat. ibid.n.15.
Quid sit genus contrahi ad species. L.C.6. P.2.n.2.
Per eundem actum quo contrahitur genus constituitur species.ibid.n.7.
Genus formaliter vt genus non contrahitur, neque speciem intrinsecè, sed tantum extinsecè componit, ibid. num.8.& 9.
Genus diuidi dicit contrahi ad plures species. ibid.n.9.
Diuisio generis per differentias,etsi essentialiter oppositas est subiecti in accidentia.ibid.n.11 & S.C.2. P.2.n.5.
An genus sumatur à materia, L.C.6.P.3 n.2.
An sit perfectius differentia, ibid. n.7.

Grauitas, & Leuitas.

Definiuntur grauitas & leuitas, G. C.8. p.7. n. 11.
Grauitas & leuitas non identificantut cum substantia, ibid. n.10.
Non distinguuntur à primis qualitatibus permixtis, ibid. num. 13.
Quomodo grauitas & leuitas à raritate & densitate dependeant, ibid.n.14.
In sententia quæ grauitatem & leuitatem speciales qualitates constituit, non oriuntur immediatè à forma substantiali sed à primis qualitatibus, ibid. n.15.
Si grauitas & leuitas speciales sunt qualitates secundum naturam specificam distinguenda sunt, ibid. n.16.
Si grauitas & leuitas speciales sunt qualitates certò definiri non poterit an se mutuò expellant. ibid. n.19.
Primarius effectus grauitatis & leuitatis est motus corporis cui insunt, secundarius verò, impulsus impressus corpori contiguo. ibid. n.25.
Grauitas, sicut & leuitas, quædam est innata subiecto, alia violenta, ibid. n.26.
Grauitas innata subiecto, idem tene de leuitate, illius passio dicitur, non violenta, ibid.
Grauitas & leuitas prædicata sunt absoluta non respectiua, ibid. n.27.

Gustus.

Obiectum gustus est sapor, A.C.4. p.1.n.17.
Gustus residet in cuspide linguæ, necnon in eius radice, seu in palato, ibid.
Distinguitur à tactu, ibid.n.19.

Gustus non sentit saporem sibi connaturalem aut diuturnum, secus indebitum etsi receptum in proprio organo. ibid.n 31.

H.

Habitus naturalis.

Diuiditur habitus in intellectum, scientiam, sapientiam, prudentiam, & artem, L.C.1.P.5.n.1.
In hac diuisione nomine habitus facultas, erroris habitus, & fidei humanæ, aut opinionis non intelliguntur sed tantùm virtus. ibid.
Habitus actiuus & factiuus quomodo differant, ibid. n.12. & 14.
Habitus naturalis non dantur ad simpliciter, sed ad facilius operandum, A.C.14.p.1.n.2. & p.5.n.14.
Multiplicantur non solum ratione diuersorum motiuorum, sed diuersarum materiarum, ibid.p.1.n.3.
Non dantur habitus in potentia locomotiua, ibid.p.2. num.3.
Neque in externis sensibus, ibid.n.4.
Internus sensus non indiget habitu distincto ab speciebus vt facile suos exerceat actus. ibid.n.7.& 9.
Non dantur in intellectu habitus ab speciebus distincti, ibid n.10.
Explicatur modus quo posset defendi non dari in voluntate habitus ab speciebus distinctos à cognitione & habitibus, ibid.p.3.à n.8. vsque ad 22.
Secundum hanc sententiam habitus consistit in facilitate radicali & non in formali, ibid.n.27.
Potest etiam voluntas sine habitu habere facilitatem ad actum, ibid.
Potest etiam secundum eamdem sententiam esse simul facilis & difficilis radicaliter & formaliter, licet non in summo gradu ad actus oppositos, ibid.n.29.
Habitus acquisiti si speciales sunt qualitates, actiuè influunt in actus, ibid p.4.n.2.
Non possunt concurrere ad intensionem actus quin ad ipsius substantiam concurrant, ibid.n.8.
Habitus requisiti ex se sunt propensi & determinati ad productionem actuum, salua libertate voluntatis, ibid.
Habitus acquisitus necessariò requiritur ad substantiam actus in quem influit, ibid.n.14.
An potentia valeat intensiorem actum cum habitu quàm sine illo producere, ibid.n.16.
An habitus possit concurrere ad actum illo intensiorem, ibid.n.17.
Distinguuntur habitus pro distinctione motiuorum, ibid.
Dantur in intellectu diuersi habitus pro diuersitate conclusionum in quas inclinant, etiamsi illarum diuersitas tantum ex obiecto materiali proueniat, ibid p.5.n.1.
An distinguendi sunt habitus voluntatis ex distinctione tantùm materialis obiecti, ibid.n.4.
An intensio habitus fiat per additionem gradus ad gradum. ibid.n.5.& 6.
Habitus acquisitus producitur ab actibus, ibid p.6.n.1.
Conseruatur à Deo etiamsi sit habitus vitiosus, ibid.n.3.
An habitus producatur à primo actu, ibid.n.4.
Si habitus speciales sunt qualitates, corrumpuntur vi mutuæ oppositionis, seu contrarietatis, ibid.n.6.
Poterunt diuinitus contrarij habitus in eodem subiecto componi, ibid.n.8.
Si tantum ratione attenderetur posset defendi habitus inclinantes in contrarios actus non esse incompossibiles, ibid.n.10.& 11.
Ad oppositionem habituum non requiritur oppositio ex motiuo formali actuum, sed sufficit secundum materialia obiecta, ibid.n.14.
Quomodo corrumpantur habitus in opinione, quæ illos non distinguit à cognitione & speciebus, ibidem, n.15. & seqq.
Si ad actus naturales dantur habitus acquisiti, qui speciales sint qualitates, dandæ etiam sunt similes habitu acquisiti ad facilitatem actuum supernaturalium, ibid. p.7. n.5.
Sufficit habitus acquisitus naturalis ad facilitatem actuum supernaturalium, ibid.n.11.
Actus supernaturales producunt habitum acquisitum naturalem, ibid.n.12.
Habitus practicus, & speculatiuus: Vide *Praxis.*

Habitus supernaturalis.

An habitus supernaturalis sit tota ratio agendi. P.C.9.p.6. num.4.
Quid sit habitus supernaturalis, A.C.14.p.1.n.1.
An simpliciter requiratur ad actus supernaturales, ibid. num.2.
Idem simplex habitus infusus deseruit ad omnes actus qui ex eodem motiuo fiunt in quacumque materia, ibid. n.3.& p.5.n.1.& C.15.p.3. n.1.
Habitus supernaturales intenduntur moraliter non solùm propriis actibus, sed quocumque alio habente dignitatem ad gratiam & gloriam, A.C.14.p.1.n.4.
An physicè intendãtur propriis actibus, ib.p.1.n.4. & seqq.
Non repugnat dari vnum habitum infusum pro omnibus actibus supernaturalibus, A.C.15. p.3.n.3.

Homo.

Non datur in homine forma corporeitatis distincta ab anima rationali, P.C.3.p.2.n.10.
Quomodo homo anima spirituali gaudens, potius corporeus quam spiritualis dicatur, ibid.n.10. & seqq.
Quomodo dicatur homo viuere vita corruptibili. P. C.5.p.2.n.5.& 6.

Humiditas.

Humiditas est qualitas positiua à reliquis distincta substantiæ superaddita. G.C.8.p.5.n.3.
Habet virtutem actiuam humectandi alia corpora, ibid.n.5.
Humiditatis difinitio, ibid.n.9.

Ignis.

Datur ignis elementalis iuxta Lunæ concauum, G.C.8.p.2. n.6.& 7.
Ignis in proprio centro non indiget pabulo, ibid.n.9.
Cur elementalis ignis non videatur, ibid.n 11.
Ignis est calidus in summo, & siccus propè summum, ibid. p.6.n.1.6.& 7.

Illatio.

Duplex est illatio alia formalis, alia obiectiua, L.C.9.p.1. num.1.
An assensus conclusionis supponat assensum de bonitate illationis, ibid.per tot.

Imago.

Quid in pictura ratio dicat imaginis? L.C.8.p.2.n.9.

Immanens, Immanentia.

Operatio potest dici immanens ratione identitatis cum principio operanti, A.C.2.p.1.n.4.
Operatio potest esse immanens ratione inhæsionis, vel ratione vnionis, ibid.n.6.
Operatio immanens talis potest esse ratione principij, vel ratione vtriusque, vel tantum ratione ipsius actionis, ibid.n.7.
Immanens operatio alia est respectu eiusdem principij, alia respectu alterius compartis, ibid.n.8.
Operatio immanens ratione compartis rursùs multiplex est, ibid.n.9.& 10.
Possunt in eamdem actionem plures immanentiæ confluere, ibid.11.
An immanentia nutritioni conueniat, & secundum quas partes, ibid p.3.n.4. & seqq.
Actio qua arbor vnit sibi ramum abscissum, vel homo partem nasi, vel digiti omninò diuisam propriè immanens est, ibid.n.11.
Nullus motus localis viuentium habet immanentiam per se ad vtilitatem requisitam, ibid.n.14.

Immaterialis.

Specialis modus, quo à nonnullis explicatur cum dicitur ex illa inferri virtutem cognoscitiuam, A.C.5.p.6.n.3.
An secundum prædictum modum rectè fiat prædicta illatio, ibid.n.4.
Alius modus explicandi hanc immaterialitatem, ibid.n.5.
An iuxta illum eadem illatio rectè fiat, ibid.n.6.
Immaterialitas sumpta pro ratione spiritus, seu spiritualitatis non cõnectitur cum virtute cognoscitiua, ib.n.8.

Imperium.

An imperium intellectus volitionem præcedat, A.C.8.p.9. per tot.
De ratione actus imperantis est influere in imperatũ, & de ratione imperati ab imperãti procedere. A.C.9.p.1.n.2.
Actus imperans, & imperatus non necessariò eumdem finem respiciunt, ibid.
Quod imperium efficax voluntatis & quod inefficax appellatur, ibid.n.3.

Statuitur imperium reflexum voluntatis in actum singularem eiusdem potentiæ, ibid. n. 7. vsque ad 13.
Statuitur imperium inefficax respectu eorumdem actuum. ibid. à n. 14. vsque ad 22.
An actus quo voluntas diceret: volo elicere actum charitatis, vel Religionis possit alterum illorum imperare, ibid. p. 2. n. 4. & 5.
Quomodo actus, quo dicit voluntas: volo elicere actum virtutis possit peculiarem actum imperare? ibid. n. 9.
Quid de actu, quo diceret: volo implere totam legem? ibid. num. 10.
In his omnibus imperiis quædam efficacia, alia inefficacia reperiuntur, ibid. n. 12.
Non potest actus directus immediatè imperare alium directum, intrinsecè respicentem diuersum finem, ibid. p. 3 n. 8.
Actus imperans ex se efficax libertatem adimit singulari actui, quem respicit, A. C. 9. p. 4. n. 3.
Imperium efficax circa vnum è duobus actibus efficiendum destruit libertatem ad vtrumque simul omittendum. ibid. n. 13.
Qua libertate gaudeat determinatus actus, ortus ex hoc imperio indeterminato, ibid.
Influxum actus imperantis in imperatum non consistere in modo superaddito contra nonnullos Thomistas ostenditur, ibid. p. 5. à n 4. vsque ad 9.
Non consistit talis influxus in speciali actione, qua producatur actus imperatus ibid. à n. 10. vsque ad 15.
Non consistit in euentu conditionato, neq; per hunc rectè explicatur, ibid. à n. 16. vsque ad 28.
Influxus inde consistit in coëxistentia actus imperantis potentis influere in imperatum, & eiusdem actus imperati. ibid. n. 29. & seqq.
Imperium inefficax influere non potest in actum non liberũ, seu ex quocumque capite necessariũ, ibid. n. 29. & 54.
Si duo actus imperantes inefficaces, quorum quilibet sufficiens sit influere in imperatum huic coëxistant, eo ipso in eumdem influunt, vterque simul adæquatè, & illorum quilibet inadæquatè, neque aliter, diuinitus potest contingere, ibid. n 39. & seqq.
Positis duobus imperiis efficacibus coëxistentibus actui imperato, illorum quodlibet necessariò influit adæquatè in imperatum, ibid. n. 52.
Posito imperio ex se efficaci, vel physica prædeterminatione imperium inefficax influere nequit, ibid. n. 54.

Impulsus.

Impulsus non potest mouere corpus, in quo recipitur, cum primo producitur ab agente creato, P. C. 18. p. 4 n. 1.
Dum corpus mouet conseruari nequit ab agente extrinseco creato, ibid. n. 12.
Proiecta mouentur medio impulsu. P. C. 20. p. 1. n. 2. & seqq.
Motus vectionis non fit medio impulsu, ibid. n. 6.
Impulsus distinguitur à grauitate, & leuitate, ibid. n. 8.
Qui impulsus inter se distinguantur, ibid.
Viuentia non se mouent medio impulsu, ibid. p. 1. n. 2.
Si potentiæ superadditæ admittantur, non eadem potentia, qua viuens seipsum mouet, producit impulsum in alio corpore, ibid.
Corpus immotum dummodo se mouere intendat impulsum in alio valet producere, ibid. n. 2.
Impulsus contrario caret, ibid. à n. 3. vsque ad 7.
Corrumpitur ex eo quod tantùm petat per determinatum tempus durare. ibid. n. 8.
Motus directus resilientiæ tantùm prouenit ab impulsu obsistentis, ibid. p. 4. n. 2.
Motus obliquus resilientiæ prouenit ab impulsu obsistentis, & proiicientis, ibid. n. 3. & 4.

Indiuiduatio.

Voluntas creata non se determinat ad indiuiduationem suorum actuum, P. C. 10. p. 2. n. 5.
Etiamsi voluntati per cognitionem proponerentur indiuiduationes suorum actuum non posset se ad omnes determinare, neque ad aliquem nisi medio alio actu imperante, ibid. n. 5.
Cur voluntas valeat se determinare quoad specificationem actuum, & non quoad indiuiduationem, ibidem, num 6.
Determinatio actuum quoad indiuiduationem danda est causæ primæ: etiam respectu actuum voluntatis, ibid. num 7.
Quomodo Deus determinet indiuiduationem actuum voluntatis, ibid. n. 9. & p. 4. n. 46. & seqq.

Indiuiduum.

Indiuidua frequenter prius cognoscuntur, quàm vniuersalia, A. C. 1. p. 5. n. 3.
Indiuidua accidentis, prius cognoscuntur, quam indiuidua substantiæ, ibid. n. 4.
Sunt quædam vniuersalissima principia; quæ priusquam indiuidua cognoscuntur, ibid. n. 7.
Indiuiduum quoddam completum, aliud incompletum, L. C. 4. p. 4. n. 1.
Quomodo Genus prædicetur de indiuiduis incompletis, ibid. n. 3.
Quomodo de completis, ibid. n. 10. & 12.
Quomodo indiuiduum generi subiiciatur, L. C. 5. p. 1. n. 5.
Quid sit indiuiduum, ibid. p. 3. n. 1.
In opinione obiectiuè præscindenti non potest dari ratio communis indiuiduis formaliter sumptis, ibidem, p. 3. num. 5.
Potest hæc apprehendi iuxta præscindentes tantum formaliter, ibid. n. 8.
Quid sit indiuiduum prædicabile, seu secundo intentionaliter sumptum, ibid. p. 4. n. 1.
Prædicatur prædicatione formali, sed tantum sensu identico verificatur, ibid. n. 3.
Quid sit indiuiduum vagum? ibid. p. 5. n. 1.
Disiunctio indiuidui vagi semper oritur ex imperfectione cognoscentis, ibid. n. 2.
Quomodo prædicetur indiuiduum vagum? ibid. n. 6.
Datur prædicatum medium inter specificum & indiuiduale, A. C. 1. p. 8. n. 22.
Prædicatum per quod vltimo differunt indiuidua in omnibus est primo oppositum, ibid. n. 25.
Possunt intra eamdem speciem duo indiuidua esse æqualia inter se, & aliis inæqualia, ibid. n. 26.
Intra eamdem speciem possunt duo indiuidua physicè, & Metaphysicè esse inæqualia, ibid. n. 30.
Hæc inæqualitas indiuiduorum non est ponenda necessariò in omnibus speciebus, ibid. n. 31.

Indiuisibile. Vide *Punctum.*

Infinitum.

Quid sit infinitum? P. C. 14. p. 1. per totum præcipuè n. 5.
Infinitum syncategorematicum dicit partes existentes, & possibiles, quarum existentes semper habent terminum, licet non aliquem petant determinatum, ibid. p. 2. n. 1.
Aliud est non infinitè augeri, aliud infinitum crescere, ibid.
An infinitum categorematicum, dicat collectionem possibilium, quibus coëxistentia repugnet, ibid. n. 6.
Infinitum categorematicum, & syncategorematicum non differunt in multitudine vnitatum, sed in diuerso harum statu, ibid. n. 7. & seqq.
Creaturæ possibiles sunt infinitæ, ibid. p. 3. per tot.
Repugnat corpus non penetratum infinitum secundum extensionem. ibid. p. 4. n. 1.
Repugnat infinita multitudo corporum absque vlla penetratione, ibid. n. 5.
Non repugnat corpus infinitè quantum, nec infinita corporum multitudo, quantitatum penetratione posita, ibid. n. 6.
Non repugnat infinita multitudo rerum spiritualium, nec infinita qualitatis intensio, ibid. p. 5. n. 1.
Infinito secundum multitudinem potest fieri additio, & detractio finita, & infinita, ibid. p. 6. n. 2.
An infinito secundum extensionem temporis, & loci possit fieri additio, vel detractio, ibid. n. 4. & 5.
An infinitum possit fieri maius, ibid n. 6.
An infinita qualitas repugnet? ibid. n. 7.
Deus non potest producere creaturam perfectissimam, aut imperfectissimam possibilium, ibid. p. 7. n. 2.
Potest dari creatura permanens habens infinitam durationem, P. C. 19. p. 1. n. 1.
Non possunt dari infinitæ generationes per naturalem propagationem successiuè fluentes, ibidem, punct 2. num 2.
Potest dari creatura successiua cum infinita duratione, ib. p. 3. n. 2.

Instrumentum.

Quid sit instrumentum, seu causa instrumentalis, P. C 3. p. 5. per tot.

Intellectio.

Intellectio non residet in toto corpore, sed tantùm in cerebro, A.C.5. P.1.n.3.

Iudicium fertur de sententia, quæ constituit intellectionem in actione sine termino, A.C.6.P.1. n.3. & 4.

Refellitur sententia, quæ intellectionem constituit in actione respiciente terminum distinctum, ibid.à n.5.vsque ad 10.

Refellitur sententia constituens intellectionem in qualitate producta per actionem distinctam, ibid. à num.11. vsque ad 15.

Refellitur sententia quæ constituit intellectionem in actione,& qualitate distinctis, ibid. n.16.17 & 18.

Probatur sententia quæ constituit intellectionem in qualitate per seipsam producta, vnita, & recepta, ibid. à n.19. vsque ad 25.

In intellectione adhuc formaliter non distinguitur ratio actionis à ratione imaginis, ibid. n.24.

Intellectio identificata cum actione, vnione, & passione dicit actionem,tanquam rationem formalem, vnionem tanquam causalitatem, & passionem materialiter tantum, & identicè, ibid.

An intellectio possit produci à Deo sine concursu potentiæ creatæ. ibid.n.33. & 34.

An possit vniri subiecto extraneo, ibid. n.35.

An possit supra seipsam reflectere. ibid. n.38.

In omni intellectione creata reperitur verbum, & dictio, ibid. n.40. & 41.

Intellectus.

Intellectus agens à possibili realiter non distinguitur, A.C.5. P.1. n.2.

Assignantur & explicantur munera intellectus agentis. ibid. n.3. & seqq.

Per quid differant, & constituantur formaliter intellectus agens & possibilis, n.4. & 11.

Definitio intellectus.ibid.P.2. n.1.

Assignatur obiectum materiale intellectus.ibid.n.4.

Obiectum formale intellectus non est verum formaliter, sed tantum fundamentaliter. ibid.n.12.

An possit dari intellectus potens cognoscere aliqua entia naturalia & supernaturalia, materialia, & spiritualia non tamen omnia;ibid.n.6.

Potest intellectus per plures actus plura obiecta disparata,& etiam opposita simul cognoscere. ibid.P.3.n.2.

Potest intellectus plura obiecta eiusdem rationis materialis,& formalis per eumdem actum attingere.ibid.n.3.

Item plura obiecta materialia specie distincta, si omnium obiectum formale sit vnum.ibid.n.4.

Potest intellectus eodem actu attingere diuersa obiecta materialia, & formalia specie distincta, cum in se non dicant oppositionem.ibid.n.5.

Explicantur variæ denominationes, quæ intellectui tribuuntur.ibid P.4. n.3.

Quæ obiecta prius intellectus cognoscat. ibid.P.5.per tot.

Quid sit intellectus sumptus pro habitu, L.C.1.p.5.n.2.

Intensio.

Quid sit intensio, G.C.4 P.1.n.2.

Quantitas,præsentia,relatio, & duratio intensionem non recipiunt, ibid. n.3. & 4.

Substantia intensionem non recipit. ibid.n.5.6. & 7.

Primæ qualitates,species intentionales, habitus infusi, & acquisiti,actus potentiarum vitalium,lux, sonus,& impulsus, omnéque secundæ qualitates intensionem, & remissionem patiuntur, ibid. n.8.

Potentiæ vitales, siue spirituales, siue materiales sint intensionis non sunt capaces. ibid. n.9.

Intensio non fit per maiorem expulsionè contrarij. ib.n.13.

Neque per nouam qualitatem adæquatè distinctam à remissa, ibid. n.16.

Intensio non fit per maiorem radicationem, ibid. à n. 20. vsque ad 31.

Intensio fit per additionem gradus ad gradum, ibid. n.73.

Quomodo gradus intensionis inter se, & cum subiecto vniantur, ibid. n.41.

Intentio.

Si intentio potest determinare ad materialem electionem, formalis electio necessaria non est. A.C.9. P.3. n.6.

Si intentio per accidens coniungatur cum actu, qui materialis electio dici solet, formalis electio non est necessaria, ibid. n.7.

Intentio non potest in materialem electionem immediatè influere, ibid. n.8.

Poterit illam, tanquam medium, media alia formali electione inducere. ibid. n.9.

Desiderium efficax boni amati propter se media connotans ab omnibus intentio dicitur. A. C.11. P.1.n.3.

Quid si desiderium media non connotet, & inefficax sit. ibid. n.3. & 4.

Affectus efficax finis ad quem obtinendum nullum medium est necessarium propria est intentio, etsi medium aliquod non respiciat, ibid. n.5.

Intentio actus est voluntatis. ibid. n.7.

Non semper intentio est mediorum amor. ibid. P.2. n.8.

Vide *Electio.*

Intrinsecum.

In quo consistat ratio intrinseci respectu entitatis distinctæ, P.C.4.P.2.n.17.

An actio sit intrinseca termino, ibid. n.18.

Intuitio.

Aliorum sententiæ circa naturam cognitionis intuitiuæ, A.C.6.P.4.à n. 1. vsque ad 8.

Propria sententia, ibid. à n. 9. vsque ad 13.

Cognitio intuitiua non opponitur cum præcisiua. ib. n.14.

Rectè potest obiectum per visionem intuitiuam in alio cognosci, ibid. n.15.

Obiecta sensata per sensus externos intuitiuè à nobis cognoscuntur. ibid.n.17.

Obiecta non sensata per sensus externos etiamsi illorum proprias habeamus species abstractiuè, & non intuitiuè cognoscuntur, ibid. n.18.

An in patria aliquod obiectum per speciem alienam intuitiuè cognoscatur, ibid. n.9.

Iudicium.

Quid sit iudicium? A.C.6.P.2.n.2.

An consistat in qualitate simplici, vel composita, ibid.n.2.

Quid de iudicio hypothetico, coniunctiuo, & disiunctiuo. ibid. n.10.

L.

Lac.

Lac non viuit. A.C.2.P.4. n.21.

Leuitas: Vide *Grauitas.*

Libertas.

Statuitur substantiæ rationalis libertas, A. C. 12. P.1. per totum.

Expenditur definitio potentiæ liberæ, ibid. n.2. per tot.

Non potest libertas constitui per ordinem ad passionem, neque principio passiuo formaliter vt passiuo, sed tantùm actiuo competere, ibid. P.3. n.7. & seqq.

Libertas primariò tantùm competit actibus voluntatis & principio volitiuo, non verò intellectiuo, aut alij, ibid. n.12. & seqq.

Libertas in actu primo, seu potentia in actu primo libera dicit formaliter principium volitiuum cum omnibus requisitis positiuè, & negatiuè ad actum secundum exercendum absque vlla determinatione ex parte principij. ibid. P.4. n.4. & seqq.

In requisitis positiuè annumera cognitionem obiecti, ex vi cuius obiectum indifferenter proponitur, decretum applicatiuum omnipotentiæ, etsi actus eliciendus sit supernaturalis, habitum infusum, seu auxilium extrinsecum loco huius, ibid.

Requiritur etiam ad actum primum liberum negatio omnis principij influentis immediatè in actum cum illo ex sua natura connexi, etiamsi absque illo actus fieri posset. ibid.à n.5.vsque ad 8.

Quid si tale principium tantùm mediatè influat? ibid.n.9.

Requiritur insuper ad libertatem in actu primo negatio impedimenti ad actum secundum per hunc inauferibilis, ibid. n.10.

Quid sit liberum arbitrium? ibid. n.12.

Deficiente libertate in causa prima non deficeret per locum intrinsecum id, quod ex parte secundæ requiritur, vt liberè operetur, ibid. P.5. n.3.

An posita causa secunda ex se libera impediretur illius libertas ex eo quod prima operaretur quidquid posset operari;ibid.à n.6.vsque ad 10.

Remaneret liberta, in causa secunda etiamsi deficeret in prima, quæ tantum esset determinata ad producendos effectus dependenter à determinatione voluntatis.ib.n.11.

Explicatur

Explicatur diuisio libertatis in libertatem contrarietatis, & contradictionis secundum diuersas sententias, A. C.12. P.6. n.2.
Nullas est libertas inter extrema contradictoria, quæ non includat libertatem in actu primo ad extrema positiua. ibid. n.6.
Non quotiescumque voluntas est libera ad amandum, vel non amandum obiectum, est libera ad actum reflexum quo dicat volo amorem elicere, vel non elicere. ibid. n.7.
Libertas contrarietatis circa idem materiale obiectum dicit duplicem libertatem contradictionis secum identificatam. ibid. n.9.
Libertas contrarietatis circa duo obiecta materialiter distincta inter se incompossibilia dicit duplicem libertatem contrarietatis includentem quatuor libertates contradictionis. ibid. n.10.
Circa obiectum, quod naturaliter potest amari, & odio haberi, potest contingere de potentia Dei absoluta pura libertas contradictionis circa extrema contradictoria, ibid. n.12.
Idem potest naturaliter contingere circa obiectum quod tantùm supernaturaliter potest amari. ibid.n 13.
Libertas in actu secundo dicit actionem physicam procedentem à voluntate, & supponentem libertatem in actu primo, ibid. P.7.n 1. & seqq.
Libertas extrinseca est volitionis, ita vt eadem, quæ libera fuit, poterit antecedenter esse necessaria, & ex se posset ex libera in necessariam transire. ibid.p.8.

Locus.

Quid sit locus extrinsecus? P.C.15.p.1.n.2.
Cur dicatur immobilis? ibid.n.3.
Quid pro materiali, & pro formali dicat? ibid.n.4.
An sit terminus motus localis? ibid. n.5.
Potest corpus supernaturaliter in duplici loco definitiuè præsentari. ibid p.9.n.1.
An sic constitutum possit moueri? ibid.n.8.
In quo loco esset mouendum, ibid.n.9.
An corpus bilocatum possit in vno loco retinere præsentiam, quam habet altero. ibid.p 10.à n.1.vsque ad 5.
Non potest corpus constitutum in duplici loco habere accidentia, quæ non posset in simplici adquirere. ibid.n.6.
Potest habere corpus in duplici loco accidentia quæ dependent in conseruari à causa, etsi hæc in vno tantùm sit aplicata, ibid.n.9.
Vt actio, seu alius modus sit in duplici loco sufficit in vno applicari principio seu rei, cuius est modus. ibid.à n.9. vsque 13.
Idem dicito de effectu respectu actionum. ibid.n.11.
Eo ipso quod entitas existens in duplici loco corrumpatur moriatúrve in altero, implicat in vtroque non deficere. ibid n.14. & 15.
Accidentia loco non affixa, etsi in conseruari à causis dependeant corpus bilocatum vtrobique comitantur, ibid. n.16.
Potest de potentia absoluta idem corpus in hoc loco habere accidens absolutum, quo careat altero. ibid.n.20.
Omnes actiones vitales intelligendi, amandi, videndi, & sentiendi corpus bilocatum vtrobique comitantur, ibid.n.21.
Non potest duplex corpus esse naturaliter in eodem loco. ibid. P.11 n 1.
Quomodo corpora resistant, ne alia distincta eumdem cum ipsis locum occupent? ibid.n.3.
Possunt supernaturaliter eadem corpora esse in eodem loco, ibid.n.6.
Postquam sic essent simul constituta possent simul moueri; tamen vnum alio immoto, ibid.n.9.

Logica.

Voces non sunt obiectum Logicæ, L.C.2.P.1 n.10.
Obiectum formale Logicæ sunt conceptus formales, ibid n.17.
Conceptus obiectiui non sunt obiectum primarium sed secundarium, ibid. n 19.
Logica dirigit tanquam proprium obiectum apprehensionem, ibid.n.27.& seqq.
Logica non solùm dirigit apprehensionem, vt materiam operis artificiosi, sed & opus artificiosum. ibid.n.33.
Ens rationis non est obiectum Logicæ, ibid.n.38 & seqq.
Totum artificium logicum consistit in directione operationum intellectus, ibid. num.48.
Artificium locum, seu directio operationum intellectus, ab ipsis operationibus non distinguitur, ibid.n.49.
An distinguatur directio operationum ab ipsarum dirigibilitate, ibid.n.52.
Directio actiua & directio extrinseca operationum non est obiectum Logicæ, ibid.n.58.&.59.
Præcepta positiua Logicæ respiciunt tanquam formale obiectum rectitudinem, seu directionem formalem operationum intellectus, ibid.n 60.
Præcepta negatiua positiuè respiciunt irrectitudinem earumdem operationum, tanquam formale obiectum, ibid.n.61.
Obiectum formale logicæ est rectitudo, & irrectitudo operationum, ibid. n.62.
Absolutè tantùm rectitudo dicitur obiectum formale Logicæ, ibid.n 63.
Modus sciendi in communi non est obiectum attributionis Logicæ, ibid.n.73.
Quid sit Logica docens? L.C.2.p.2.n.1.
Quid vtens? ibid à n.2. vsque 6.
Logica non solum dicitur vtens secundùm partem topicam, sed secundùm omnes sui partes, ibid.n.7.
Idem actus Logicæ docentis potest esse Logica vtens. ibid.n.9.
Ratio docentis, & vtentis non est differentia specialis Logicæ, sed cuiusuis scientiæ practicæ, ibid.n.10.
Quomodo distinguantur habitus Logicæ vtentis & docentis. ibid.n.12 & 13.
Quomodo distinguantur habitus? ibid.n 14.
Quomodo actus aliarum scientiarum, & ipsa Logica quatenus vtens dependeant ab actu, & habitu Logicæ docentis, ibid.n 9.& 17.
An Logica sit scientia? ibid.P 3.n.3.
An vt vtens sit scientia? ibid.n.16.
An & docens? ibid.n.17.
An Logica sit ars? ibid.P.4.n.2 & seqq.
An Logica sit scientia practica. ibid.p 5 per tot.
Potest quilibet actus cuiusvis scientiæ sine Logica acquiri. ibid.p.6.n.4.
Possunt etiam Metaphysicè loquendo acquiri omnes actus scientifici sine Logica, ibid.n 5.
Non tamen moraliter, ibid n.6.& 7.
Logica actualis conducit ad faciliùs acquirendas alias scientias, ibid.n.8
Habitualis conducit remotè ad eumdem finem, ibid.n.9.

M.

Materia prima.

AN detur materia prima? P.C.2. p.1.n.5. & seqq.
Materia prima est incorruptibilis, ibid.n.10.
Est entitas simplex, ibid.n.11.
Materiæ primæ definitio, ibid.n.12.
Repugnat materiam primam sibi vnire aut recipere formas substantiales media potentia superaddita substantiali, ibid.P.2.n.2.
Item media potentia accidentali, ibid.n.3.
De conceptu essentiali materiæ primæ Metaphysicè sumptæ non est posse reperire formam aut vnionem substantialem. ibid.P.3.n.4 & 7.
Respectus ad formas substantiales Metaphysicè ad essentiam materiæ nunquam pertinet, ibid.n.8.
Materia non constituitur talis Metaphysicè, quia illi communicet suum effectum formalem, ibid.n.11.
Essentia materiæ primæ non est supponi ad formas, ibid. num. 14.
Neque habere indifferentiam ad plures formas. ibidem n.16.& 17.
Materia non constituitur formaliter per principium passiuum operationum, ibid.n.19,
Neque ex eo quod sit impenetrationis radix, ibid.n.22.
Materiæ essentia Metaphysicè sumpta consistit in hoc quod est esse partem essentialem compositi perfectibilem per aliam compartem, ibi d.n.23.
Quid sit materiam perfici, & esse perfectibilem per formam, ibid.n.24 & seqq.
Appetitus materiæ est duplex: quidam ad formas recipiendas, alius ad easdem sibi vniendas, sicut ad tota componenda, ibid. P.4. n.8.

Quas formas appetat materia appetitu efficaci,& inefficaci, ibid.n.8.& seqq.
Materia prima nuda omni forma habet appetitum ad omnes formas vniendas,& sub disiunctione ad omnia tota, quæ potest componere,ibid.n.19.
Extenditur hic appetitus ad formas corruptas, ibid.
Quomodo materia prima appetat receptionem formarum,ibid.n.21
Materia prima non appetit omnes formas successiuè sibi vniendas,vel recipiendas, ibid.n.22.
Materia appetit formam, quam habet, appetitu inefficaci non desiderij,sed complacentiæ,ibid.n.23.
Materia dum habet aliquam formam, non appetit aliam pro illa mensura,ibid.n.23.
Pro mensura sequenti appetit retinere, quam habet, vel aliam acquirere,ibid.n.27.
Materia prima appetit actu desiderij formas ad quas est in actu primo, ibid.n.28.
Materiam primam habere propriam existentiam, distinctam à forma probatur ex identitate inter essentiam,& existentiam, P.C.2.p.3.n.2.
Alia argumenta pro eadem conclusione expenduntur,ibid. à n.2.vsque ad 13.
Quid in hac re dicendum sit iuxta varias sententias circa distinctionem existentiæ ab essentia,ibid.n.14.& 15.
Quo sensu materia prima pura potentia dicatur, ibidem, n.20.& 21.
Materia non dependet à priori à forma,& potest supernaturaliter sine illa existere,ibid. P.6.n.1.
Etiamsi materia prima de facto existeret per existentiam formæ posset sine hac diuinitus conseruari,ibid.n.3.
An materia existens sine forma,eodem distinctove influxu conseruaretur, quo, cum forma existens conseruatur, ibid.n.7.& 8.
Materia prima quatenus est ex se potest naturaliter existere sine forma à qua neque à posteriori dependet, ibid. num.13.
De facto materia prima non potest existere absque omni forma,ibid.n.21
Possunt dari plures materiæ primæ specie distinctæ, ibid. P.8.n.3.& seqq.
Non dantur de facto plures materiæ sublunares specie distinctæ,ibid.n.6.
An materia prima,quæ de facto datur,virtutem habeat ad recipiendas formas specie distinctas ab his, quæ sunt productæ,ibid.n 8.
An materia cælorum sit eiusdum rationis cum nostrate nullo discursu definiri potest, magis tamen consonum Patrum auctoritati videtur materias horum cœlorum, dempta materia cœli Empyrei eiusdem speciei esse cum sublunari C.C.vnica.P.1.à n.9. vsque ad 13.
Quid de cœli Empyrei materia,ibid n.13.
Vide *Causa Materialis.*
Materiale : Vide *Corpus.*
Medium : Vide *Finis, Electio, Intentio.*

Memoria.

Memoria non est potentia ab intellectu distincta, A.C.5. P.4.n.2.
Omnis actus memoriæ est de obiecto iam cognito, & ex cognitione præterita ibid.n.5.
Actus memoriæ reflexiuus est supra cognitionem iam præteritam, ibid.n.7.
Aliquando reflectit supra voluntatis actum,ibid.n.9.
Propriùs datur in intellectu, quam in sensu interno,ibid. num.10.
Actus memoriæ, quatenus reflexiuus semper respicit obiectum præteritum,& quatenus respicit obiectum actus præteriti supra quem reflectit potest esse de obiecto præterito,præsenti,aut futuro, ibid.n.11.

Metaphysica.

Assignatur obiectum formale, & attributionis Metaphysicæ,M.in præm.
An sit vna vel multiplex,ibid.
Quomodo distinguatur à reliquis scientiis,ibid.
An omnes scientiæ subalternentur Metaphysicæ,ibid.

Mistio, & Mistum.

Quid sit mistum,G.C.8.p.3.n.1.
Mistionem dari certum est,ibid.n.2.
Quid sit mistio? ibid.n.4.& 5.
Quomodo miscibilia sint in misto? ibid.n.4.
An elementa sint formaliter in misto. ibidem P.4. num.3. & seqq.

Modus.

An modus possit creari? P.C.13.P.5.n.3.
Vt modus sit in duplici loco,sufficit in altero applicari rei cuius est modus,P.C.15.p.10.à n.9.vsque ad 13.
An modus existens in vno loco possit in illo distare à re cuius est modus,P.C.18 p.1.n.4. & seqq.
An modi specie differant ex eo quod respiciant res numero distinctas. A.C.1.p.8.n.20.
Explicatur ratio constitutiua modi, M. C.4. p.5. num. 5. 6. & 12.
Actioni,& passioni conuenit ratio modi. ibid.p.6.n.1.
Item omnibus effectibus qui per se ipsos dependent actione non interiecta,ibid.n.2.
Quid de præsentia,& subsistentia. ibid.n.3.& seqq.
Quid de Duratione,ibid.n.9.
Quid de existentia si distinguatur ab essentia,ibid.

Moneta.

Quod obiectum habeat actus Principis,ex vi cuius formaliter Moneta constituitur? Logic.C.8 p.2.n.8.

Mors.

Ex mutua actione, & reactione partium heterogenearum viuentis, quocumque alio extrinseco secluso mortem inferri necesse est,G C.3.p.6.n.3.
Alimentum per se, & excrementa ex illo relicta mortem viuenti necessariò inferunt,ibid.n 3 & 4.
Possibile non est alimentum quod ex se non inferat mortem viuenti, ibid.n.6.

Motus.

Variæ acceptiones Motus naturalis,P.C.6.p.3.n.1.
Motus non potest dici naturalis nisi per ordinem ad principium actiuum,& passiuum simul. ibid.n.3.
Neque talis est qui non prouenit à parte compositi quatenus existenti intra ipsum compositum,ibid.
Datur motus violentus contra motum non propriè naturalem,ibid.n.5.
Quid sit motus naturalis medius, & violentus, ibidem, num.14.
Motus est actus principij actiui, & passiui. P. C. 12. P.6. num.2.
Impugnantur aliquæ explicationes circa definitionem motus,ibid.n.3.& 4.
Vera explicatio definitionis motus,ibid.n.5.
Motus ex suo conceptu distinguitur à subiecto, & à principio;non tamen à termino,ibid.n.6.
Motus quatenus est actus principij passiui:extrinsecè tantùm differt à passione,ibid.n.7.
Quatenus est actus principij actiui extrinsecè tantum ab actione differt.ibid.n.8.
Quomodo differat motus vt actus passiui, à se ipso quatenus est actus actiui.ibid.n.9.
Expenditur difficultas quæ est in maiori,& minori velocitate motus P.C.17 P.9.n.1.& 2.
Proponuntur duo modi explicandi prædictam difficultatem,ibid.n.3 & 4.
Maior minorve motus velocitas prouenit expluribus, vel paucioribus morulis quibus motus intercipitur. ibid. num.12.
Assignatur causa morularum in motu, ibid.n.13.& seqq.
Argumenta nonnulla contra has morulas expenduntur, ibid.n.18. & seqq.
Cur morulæ istæ non percipiantur sicuti percipitur motus? ibid.n.20 & seqq.
Morulæ motus necessariæ sunt ne corrumpantur vniones corporis circulariter se mouentis, ibid. à n.23. & seqq.
Quomodo alij respondeant argumento,quo probari intenditur inferri ex morulis diuisionem continui circulariter se mouentis,ibid.à.n.20.vsque ad 25.
Vera solutio,ibid n.33 & seqq.
Potest dari motus ab æterno. P.C.19. p.2.n.2.
Motus violentus velocior est in medio, quam in fine, & principio:naturalis velocior in fine quam in principio, & medio,P.C.20.p.4.n.1.
Assignantur causæ huius maioris velocitatis. ibid. num.3. & seqq.
Nullus motus localis viuentium vitalis est A.C.2. p.3.n.14.
Circa motum proiectorum, & motum resilientiæ. Vide *Impulsus.*
Circa cælorum motum Vide *Cælum.*

Mutatio.

Quæ sunt principia mutationis, P.C.1.P.2.n.8.
Quomodo principia mutationis ad illam conducant. ibid.n.9.
An mutatio dicat priuationem formæ secundum se, vel formæ vt inhærentis, ibid.n.10.
Quo tempore duret mutatio, ibid.n.18.

N.

Natura.

VAriæ acceptiones naturæ, P.C.6.p 1.n.1.
Propria naturæ definitio explicatur, ibid.n.2.& seqq.
Tam principium actiuum quam passiuum naturam constituit. ibid.p.2.n.2.
Materia propriè natura dicitur. ibid.
Omnis forma rationalis etiam, & cœlestis natura est dicenda, ibid.n.5.& 7.
Totum à ratione naturæ excludendum non est, ibid.n 8.
Variæ acceptiones motus naturalis, ibid p.3 n.1.
Non dicitur motus naturalis, nisi per ordiem ad principium actiuum & passiuum simul, ibid n.3.
Neque talis dicitur, qui non prouenit à parte compositi, quatenus est intra compositum, ibid.

Negatio.

Aliud est negationem, & priuationem apprehendi instar rei positiuæ, aliud vt rem positiuam apprehendi, M. C.12. p.4.n.3.
Negationes & priuationes quæ de facto sunt, etiamsi instar rerum positiuarum apprehendantur entia rationis non sunt, ibid.
Erunt entia rationis si apprehendantur entitates positiuæ. ibid.n.4.
Vide *Priuatio.*

Nomen.

Quid sit nomen? S.C.3. p.1.n.1.
Nominis definitio. Vide *Definitio.*

Numerus.

Numerus nihil dicit ex parte rerum, quibus componitur præter ipsarum vnitates. M C.7. P.4.n.6.
An dicat formaliter actum intellectus numerantis. ibid.
An ex rebus spiritualibus possit componi. ibid.n 7.
Numerus non est species quantitatis. ibid.n.8.

Nutritio.

Quid sit? C.3.p 1.n.1.& seqq.
Quomodo fiat nutritio, & qua ratione differat à simplici augmentatione, ibid.n.3.& 4.
Quot actiones in nutritione reperiantur, ibid.P.2. n.2.
Quæ actiones pertineant ad essentiam nutritionis, ibid. num.6.
In qua actione formaliter, & completiuè consistat nutritio, ibid.n.6.& seqq.
Nutritio essentialiter differt à prima generatione, ibid. P.3. n.1.
Quo tempore & in quibus partibus viuentis fiat nutritio. ibid.n.2.& 3.
An nutritio viuentis sensitiui, & rationalis supponat ex parte principij animam vt sensitiuam, & rationalem, vel tantum vt vegetatiuam. ibid.n 6 & 7.
An nutritio immanens sit, & vitalis, secundum quas actiones? A.C.2.p.3.n.4. & seqq.

Nutritiua potentia.

Si daretur potentia nutritiua superaddita à generatiua esset distinguenda, G.C.3.p.3 n.4.
Etiamsi daretur potentia nutritiua superaddita, anima immediatè in nutritionem influeret, ibid n 5.
Speciali titulo expugnanda est potenia nutritiua superaddita, ibid.
Nutritiua potentia numquam separatur à locomotiua, A. C.1.p.2. n 9.

O.

Obiectum.

QVid sit obiectum scientiæ, & quomodo à subiecto differat? L.C.1 p.1.n 1.
An obiectum dicatur respectu actuum, & respectu potentiæ, speciei, & habituum, ibid.
Effectus potentiæ physicæ impropriè dicuntur illius obiecta, ibid.
Quid sit obiectum materiale, & formale, ibid.n.2.
An detur respectu omnium actuum obiectum materiale, & formale distinctum, ibid.
An detur formale obiectum antecedenter ad actum, vel per hunc formaliter constituatur. ibid n.3.
An actus feratur in obiectum formale, vt formale est, ibid.
Possunt duo obiecta mutuò sibi esse formalia respectum diuersorum actuum. ibid.
Obiectum vnum terminatiuum, aliud motiuum dicitur; formale *quod*, aliud formale *quo*. ibid.n.4.& 5.
Obiectum formale aliud est obiectum *quod*, aliud *sub quo*, ibid.n.6.& 7.
Obiectum aliud mediatum, aliud immediatum, ibid.n.8.
Vnum adæquatum, seu totale, aliud inadæquatum, seu partiale, ibid.n.9.
Vnum attributionis, aliud attributi, ibid.n.10.
Explicantur munera obiecti materialis, & formalis, A.C.3. p.4.à n.7. vsque ad 10.

Odor.

Odor est obiectum olfactus, A.C.4 p.1.n.13.
Odor qualitas est à substantia distincta. ibid.n 14.
Odoris definitio, ibid.n.15.

Olfactus.

Olfactus obiectum odor est. A.C.4 p.1.n13.
Olfactus organa referuntur ibid.
Olfactus residet in carunculis mamillaribus, ibid.

Omissio.

Quæ omissio pura dicatur. A.C.10.in initio.
Refertur sententia Caiet. asserentis voluntatem posse omittere, & non omittere, & omissionem liberam non esse, ibid p.1.n.1.& seqq.
Refellitur prædicta sententia, ibid à n.5.vsque ad 14.
Potest dari pura omissio libera, ibid.à n.15.vsque ad 21.
Cognitio cuius motiuum detestatur voluntas non potest influere in omissionem liberam, ibid.n.31.
Cognitionem posse influere in omissionem dicit negationem omnis principij cum libertate oppositi. ibid n 32.
Cognitio potest influere in omissionem: influit per coexistentiam cum ipsa omissione, ibid.n.34.
Si plures cognitiones coexistant omissioni in quam possunt influere, omnes in illam influent necessariò, ibid.
Omissio non habet motiuum intrinsecum, ibid n.39.
Habet motiuum extrinsecum interpretatiuum, ibid. n 40.
Ex motiuo supernaturali supernaturalis non euadit. ibid. num.45.
Datur realis, & physica potentia ad omissionem, ibidem, n.6.& 48.
Voluntas potest liberè omnes actus suspendere, seu omittere, ibid.p.2.n.2.

Omnipotentia.

Omnipotentia Dei connexa non est cum possibilitate effectuum, quos continet, Metaph. Controu.10. punct.4. n.5 & seqq.
An si omnipotentia esset connexa cum effectuum possibilitate, dicenda esset dependens ab eadem possibilitate effectuum, ibid.n.12.
Omnipotentia repugnante per locum intrinsecum deficeret possibilitas omnis creaturæ, ibid.p.5.n.6.
Duplex omnipotentiæ conceptus designatur, ibid.n.10.
Explicatur quomodo omnipotentia supponatur ad possibilitatem effectuum, ibid n.10. & 11.
Omnipotentia nullam dicit relationem transcendentalem ad effectus quos continet. ibid.p.6.n.12.
An effectus cognoscerentur in omnipotentia posset vnus præ alio cognosci, vel omnes eodem modo deberent cognosci, & sub qua ratione, ibid p.6.per totum.

Operatio intellectus.

Circa directionem operationum intellectus vide *Logica.*

Opinio.

Potest intellectu per eundem actum obiectum cognoscere ex vno motiuo scientifico, & alio opinatiuo. A.C 5. p.5. n.6.
Talis actus non erit formaliter euidens, & formidolosus, ibid n.7.
Prædictus actus erit formaliter scientificus, & opinatiuus, ibid.n.12.
Potest intellectus per eundem actum cognoscere vnum obiectum ex præmissis scientificis, & aliud ex præmissis opinatiuis, ibid.n.9.
Talis actus erit formaliter euidens, & scientificus respectu vnius

vnius obiecti materialis,& formaliter formidolosus respectu alterius.ibid.n.10.11. & 13.
De ratione actus opinatiui non est formaliter esse capax formidinis, sed deduci ex præmissis quæ formidinē non excludant, ibid. n.12.
Possunt in eodem actu componi ratio formalis fidei, & opinionis respectu vnius, & respectu diuersi materialis obiecti,ibid.n.17.
Non potest esse idem actus opinatiuus, & intuitiuus,ibid. n.20.

Oppositio.

Quid sit propositionum oppositio. S.C.2. P.5.n.3.
Quomodo propositiones contrariè & contradictoriè oppositæ secundùm veritatem, & falsitatem opponantur, ibid. n.4.
Quomodo subcontrariæ, ibi. n.5.
Quomodo subalternæ, ibid. n.6.
De legibus oppositarum, ibid.n.7.
Nonnullæ propositiones contradictoriæ ex difficilioribus assignantur,ibid.P.6. per totum.
Quomodo propositiones modales ibi opponantur, ibid. P.10.n.4.& 5.
Quomodo opponantur propositiones exceptiuæ.ibid, P. 11.num 4.
Quomodo opponantur exclusiuæ,ibid.n.6.

Oratio.

Quid sit ? S. C. 3.P.2 n.1.
An in simplici dictione possit reperiri.ibid.n.3.
Quotuplex sit; ibid.n.4.& 5.

Ossa.

Ossa animantur.A.C.1.P.4.n.11.

P.

Pars.

AN possit dari pars essentialis compositi quæ non sit materia neque forma. P.C.5.P.4. n.5.
Quomodo differat pars essentialis ab integrali.ibid.
In continuo Arist. partes proportionales necessariò sunt simpliciter infinitæ.P.C.17.P.2. n.9 & seqq.
Quomodo partibus aliquotis æqualitas, & proportionalibus inæqualitas conueniat, ibid.n.12.
Qua ratione partes proportionales dicantur communicantes,& an ex hoc capite ab aliquotis differant,ib.n.13.
Qua ratione partes proportionales indeterminatæ,& partes aliquotæ determinatæ dicantur, & quomodo ex hoc modo ex hoc capite differant. ibid. n.14.
Explicatur cōceptus quidditatiuus partis aliquotæ,ib.n.15.
Explicatur conceptus quidditatiuus partis proportionalis, ibid. n.16.
Pars eadem respectu eiusdem totius, & earumdem partium diuerso modo considerata proportionalis, & aliquota dici potest, ibid.
Partes aliquotæ,& proportionales extrinsecè tantùm differunt,ibid. n. 17.
Nulla datur pars aliquota, quæ proportionalis dici non possit, neque proportionalis, quæ respectu alicuius totius aliquota non sit, ibid.
In continuo diuisibili in semper diuisibilia tantum inueniuntur finitæ partes inter se aliquotæ, reperiuntur tamen infinitæ inter se proportionales, ibid.n.18.
De conceptu essentiali partis totius diuisibilis in semper diuisibilia est vnio, seu indiuisibile vnitiuum, itavt implicet Deum mente præscindere partem ab omnibus, Punctis, ibid. P.3. n.7.& 8.
Passio: Vide *actio.*

Penetratio, & impenetratio.

Naturaliter non potest contingere corporis penetratio, P.C.15. P.11. n.1.
Quomodo corpora penetrationi resistant. ibid.n.3.
Supernaturaliter non repugnat corporum penetratio. ibid. n.6.
Corpora penetrata possent simul moueri,non tamen vnum altero immoto, ibid. n.9.
An exigentia extensionis, & exigentia impenetrationis distinguantur, M.C.7.P.2 n.23.
Ratio formalis quantitatis consistit in exigentia impenetrationis, ibid. n.24. & seqq.
Persona,Personalitas: Vide *Subsistens, subsistentia.*
Planeta: Vide *Cælum.*

Plantæ.

Plantæ propriam vitam habent, A.C.1. P.2. n.6.

Possibile, Possibilitas.

Creatura possibilis antequam in tempore producatur nullum habet esse actuale aut aliquid productum, ab intellectu diuino tanquam ab efficienti, aut tanquam ab exemplari, M.C.2. P.1.n.5.
Creatura non dicitur possibilis intrinsecè per denominationem deriuatam ab omnipotentia, ibid. n. 7.
Creatura ex eo tantum dicitur possibilis, quod illius prædicata non sint illatiua contradictionis, seu contradictionem non inferrent si de facto existerent, ibid. n.12.
Ens possibile dum non existit, & ens impossibile non distinguuntur per aliquid, quod absolutè sit, sed per illud quod esset, ibid.
Cum dicimus hoc ens est possibile, ly *possibile* est additum præcisiuè diminuens, ibid. n.14.
Effectus possibilis propriè non est dependens neque independens,M.C.10.p.5.n.1.
Possibilitas actionis essentialiter supponit possibilitatem principij, ibid. n.3.
Possibilitas omnis effectus etiam producendi per actionem interiectam supponit possibilitatem principij à quo in statu existentiæ,adhuc diuinitùs non potest non dependere. ibid. n.4.
Vna vel altera causa,vel causalitate repugnante à quibus posset effectus procedere subsistet possibilitas effectus dum permaneat possibilitas vnius causæ & causalitatis à quibus tantùm existentibus effectus posset existere, ibid.n.7.& 8.

Potentia naturalis.

Repugnat potentia substantialis subiecto superaddita. P. C.1.P.2.n.2.
Potentia vitalis attingit effectiuè vitalitatem & supernaturalitatem actuum.P.C.9.P.6.n 5.& seqq.
Repugnat potentia volitiua formaliter libera ab anima & intellectu distinct. A.C.3.p.2.n.3.
Repugnat etiam hæc potentia formaliter volitiua, adhuc non libera,ibid.n.4.
Possibilis est anima, quæ suos actus producat mediis potentis superadditis, ibid.n.6.
Possibilis est anima, quæ nulla potentia superaddita superueniente suas exerceat operationes, ibid.n.7.
Huiusmodi esse animas de facto existentes verisimilius est, ibid. n. 8.
An potentiæ identificatæ cum anima ab illa formaliter distinguantur. ibid. P.4. per totum.
An possit extrahi à proprio subiecto, ibid. p.4. n.1.
An possint extraneo inhærere, ibid. n. 2.
An extra proprium subiectum, & in extraneo constitutæ possint vitaliter operari, ibid. n.4.
An separatæ à subiecto indigerent modo perfeitatis, ibid. n.5. & seqq.
An potentia nutritiua distincta ab anima ab augmentatiua distinguatur, ibid. n. 10.
An distinguatur eadem potentia nutritiua à generatiua, ibid. n.11. & 12.
Potentia materialis obiecta spiritualia percipere non valet, A.C.4. p.6. n.1.

Potentia obedientialis.

Quid sit potentia obedientialis, P.C.9. p.6.n.1.& 2.
Anima per potentiam obedientialem eleuatam immediatè,& per se ipsam actu attingit actiuè, & passiuè actus supernaturales secundum vitalitatem, & supernaturalitatem ipsorum, ibid. n.3.
Nulla creatura potest eleuari secundum potentiam obedientialem ad producendum effectum respectu cuius non habeat ex se potentiam aliquam inchoatam, ibid. p.7. n.3. & seqq.
Poterit eleuari omnis creatura ad effectum ad quem habet ex se potentiam aliquam inchoatam, per potentiam obedientialem producendam, ibid.
Non omnes creaturæ existentes habet potentiam obediētialem ad quemcumque effectum producendum, ib.n.6.
Non repugnat creatura cum potentia obedientiali ad omnes effectus, ad quos producendos possit eleuari,ib.n.7.
Potest dari creatura potens eleuari ad hos effectus, & non ad illos per potentiam obedientialem producendos, ibid. n. 8.
Non potest dari creatura habens potentiam obedientialē ad producendū effectum qui de facto producitur à causis naturalibus eo modo, quo ab ipsis producitur, ibid.n.9.

Duplex est potentia obedientialis, quædam in ordine ad substantiam effectus, alia in ordine ad modum, ib.n.23.
Potentia obedientialis actiua in ordine ad modum effectus producendi potest esse virtus adæquatè productiua effectus, ibid. n.24.
Secus potentia obedientialis in ordine ad substantiam effectus, ibid.
Potentia actiua obedientialis ad substantiam effectus necessariò est eleuanda per aliud comprincipium actiuum: passiua verò non per aliam potentiam passiuam sed per actiuum principium eleuatur, ibid.n.25.
Potest dari potentia obedientialis respectu effectus æquè perfecti, & imperfectioris. ibid.n.27.
Impugnatur sententia P. Ripaldæ circa constitutiuum potentiæ obedientialis. P.C.9.p.8.à.n.1. vsque ad 12.
Potentia obedientialis est omnino indistincta à re quæ dicitur eleuari, ibid.n.13.
Indiget semper vt reducatur ad actum concursu indebito, ibid.n.14.
Potentia obedientialis ad substantiam effectus eleuatur formaliter per aliud comprincipium indebitum, quod illi adiungitur, & per omnia illa requisita ad actum, quibus positis reliqua naturaliter possint contingere, ibid.n.15.& seqq.
Potentia obedientialis respectu effectus tantum quoad modum eleuatur formaliter per decretum, quo Deus decernit exhibere concursum indebitum, ibid.n.18.
Potentia vt eleuata dicit in recto potentiam obedientialem, & in obliquo habitum supernaturalem, vel aliud comprincipium, per quod eleuatur, ibid.n.19.
Potentia obedientialis adhuc vt eleuata est principium inadæquatum, ibid.
Nulli creaturæ existenti inest potentia obedientialis ad creandum, P.C.13 p.4.n.12.

Præceptum.

Quod obiectum habeat actus, in quo formaliter præceptum consistit. L.C.8.p.2.n.5.

Præcisio.

Præcisionis fundamentum reperitur, tum in nostro modo concipiendi, tum in rebus ipsis, M. C. 4. p. 7. n. 3. & seqq.
An fundamentum quod est in rebus intellectum diuinum præscindere cogat, ibid.n.7.
Quomodo differat præcisio formalis, seu ex parte actus, & præcisio obiectiua, ibid p.8.n.1. & 2.
Siue virtutes productiuæ connexionem habeant cum effectuum possibilitate, siue illa careant eodem modo philosophandum de præcisionibus formalibus & obiectiuis, ibid.n.6.vsque ad 10.
Nonnulla expenduntur argumenta contra præcisiones obiectiuas, ibid.n.11.vsque ad 16.
Validissimo argumento præcisiones obiectiuæ in omni ente impugnantur, ibid.à n.17.vsque ad 31.
Soluuntur argumenta, quæ præcisiones obiectiuas in omni ente propugnant, ibid.à n 32.vsque ad 41.
Soluuntur argumenta, quæ specialiter in ente increato obiectiuas præcisiones propugnant, ibid. à n. 42.vsque ad 53.

Præcognita.

Quæ debeant præcognosci ante totum discursum, seu syllogismum, & ante conclusionem, L.C.9.p.9.per totum.

Prædeterminatio, vide causa prima.

Prædicabilia.

Prædicabilia attingunt quinarium numerum, & illum non excedunt, L.C.7.p.1.per totum.
Quartum, & quintum prædicabile specie differunt, ib.n.5.
Prædicabilia vniuocè conueniunt in ratione vniuersalis, ibid.p.2.n.2.

Prædicamentum.

Quid prædicamenti nomine intelligatur, M.C.5.p.1.n.1. & seqq.
Prædicamenta definitio, ibid.n.4.
Decem prædicamenta ab Aristotele fuêre instituta, qui posset plura, paucioráve designasse, & standum tamen est præscripto numero, ibid.n.5
Accidentia omnia, etsi entitates sint incompletæ in prædicamento constituuntur, ibid.p.2.n.2.
Partes essentiales substantiæ præcisæ à totis in prædicamento non ponuntur, ibid.
Quid de partibus integrantibus? ibid.
Genera omnia in recta linea prædicamentali constituuntur, secus differentiæ, ibid.n.3.
An Deus ponatur in prædicamento. ibid.n.5.

Prædicatio.

Quid sit? L.C.3.p.9.n.1.
Alia formalis, alia identica, ibid n.2.
Prædicatio formalis, alia est vera in sensu formali, alia tantum ratione identitatis. ibid.n.3.& 4.
Quid sit prædicatio *in quid, in quale, & quale quid*, L.C.4. p.1.n.7.& seqq.
Explicantur quatuor modi præscindi per se, L.C.10 p.4. n.2.& seqq.
Quæ prædicationes per se sint aptæ, & necessariæ ad demonstrationem, ibid.

Prædicatum Vide subiectum.

Præmissæ.

Præmissarum obiectum attingitur conclusionis assensu, etiamsi præmissæ tantum sint probabiles, L.C.9. p.3.n. 4. &seqq.
Præmissæ formales influunt directè in conclusionem proponendo huius formale obiectum, ibid. n. 7. & punct. 5.num.6.
Præmissæ formales per se loquendo necessariò determinant intellectum quoad specificationem, & exercitium ad assensum conclusionis, ibid.p.4.n.2.& 3.
Per accidens aliquando intellectus poterit conclusioni non assentiri præmisso conclusionis assensu, ibid.n.4.
An assensus præmissarum, & conclusionis coexistere debeant, ibid p.5.n.1. & seqq.
Potest altera præmissa esse certa & euidens, & conclusio nullam habere certitudinem aut euidentiam, L.C. 10.p.3.n.3.
Conclusio non potest certitudine aut euidentia superare præmissam minus certam aut euidentem, ibid.n.4.
Qualis certitudo, & euidentia possit refundi in conclusionem ex maiori certa & euidenti, quando minor tantum est probabilis, ibid.n.6.& seqq.
Conclusio est æquè certa, & euidens, ac vtraque præmissa, ibid.n.12.
Si præmissæ sint æquè certæ, & euidentes inter se, conclusio potest esse æquè certa, & euidens cum illarum altera, ibid.n.16.

Præsentia Dei.

Præsentia Dei de futuris liberis cum nostra libertate componitur, A.C.7.p.5 n.8.& seqq.

Præsentia.

Præsentia est accidens superadditum rei præsenti productum per modum localem, P.C.15. p.4 n.3.
An anima rationalis possit esse definitiuè præsens per præsentiam circunscriptiuam materiæ, cui vnitur. ib.p.5.n.1.
Omnibus entitatibus distinctis existentibus in composito distinctæ præsentiæ correspondent, excepta præsentia, & actione ex vi cuius hæc producitur, ibid.n.7.
Quid sit rem esse circunscriptiuè, quid esse definitiuè præsentem, ibid.p.6.n.1.
An præsentia circunscriptiua & definitiua specie differant vel ex repetitis circunscriptiuis definitiua componatur, ibid.à n.3.vsque ad 7.
Potest eademmet præsentia esse circunscriptiua respectu vnius corporis, & definitiua respectu alterius, ibid.n.8.
Potest creatura ab omni præsentia absolui, ibid. p.7.n.1.
Sic absoluta adhuc esset intimè præsens Deo, ibid.p.8.n.3.
Corpus potest supernaturaliter habere duplicem præsentiam circunscriptiuam, ibid.p.9.n.1.
An præsentia per seipsam affixa huic spatio possit per alium superadditam in alio spatio constitui, ibid. P.10. à n. 1.vsque ad 5.
An presentia sit modus, vel res. M. C. 4.P. 6.n.3.& seqq.
Vide locus.

Præsentia rerum in æternitate.

Angelicum Doctorem non docuisse præsentiam rerum in æternitate ex nobilissimis sancti Doctoris discipulis probatur, A.C.7.p.5.n.2.
Quo illâ admiserint aliqui Doctores nostræ societatis, ib.
Abigitur hæc præsentia rerum in æternitate, ibid.n.3.

Praxis, Practicum, Speculatio, & speculatiuum.

Quid sit actus practicus, & speculatiuus, L.C.1.p.2.n.1.
Quid cognitio practica & speculatiua, ibid.n.2.3.& 4.
Cognitio practica non debet pendere circa actus alias potentiæ, ibid.n.6.

Cognitio

INDEX RERVM.

Cognitio quæ est speculatio respectu sui obiecti potest esse praxis respectu alius cognitionis, ibid. n. 8.
An obiectum cognitionis practicæ debeat esse liberum, & qua libertate? ibid. à n. 10 vsque ad 15.
Scientia, seu cognitio tantum est practica in actu primo respectu obiecti, quod per se attingit, ibid. n. 16.
An actu secundo tantum est practica, respectu effectus producti ex illis in ordine ad quos in actu primo practica dicebatur, ibid. n. 17.
An aliquo modo respectu obiecti similis, & in se non cogniti practica esse possit, ibid. n. 18.
Ratio practici in cognitione essentialiter desumitur ex principio cognoscente potente obiectum producere, & ex obiecto quod produci non repugnat, ibid. n. 22. & 23.
An ratio speculatiui in cognitione desumi possit ex principio & ex obiecto, vel ex illorum altero, ibid. n. 24 & seqq.
Nulla datur de facto cognitio speculatiua creata, neque increata, quæ tantum sit talis ex repugnantia obiecti, ibid. n. 29. & 30.
Ratio practici in in cognitione ex omnibus formalitatibus quæ in obiecto reperiuntur desumenda est, ibid. n. 33.
Ratio speculatiui ex vna, vel altera formalitate obiecti potest desumi, ibid. n. 34.
Desumitur tamen ex omnibus formalitatibus inferioribus, quoties ex aliqua superiori desumitur, ibid. n. 35.
Potest item desumi ex vna, vel altera formalitate principij ratio speculatiui, ibid. n. 36.
Non tamen nisi ex omnibus ratio practici, ibid. n. 37.
Ratio practici in cognitione desumitur ab obiecto, & principio non tanquam ab extrinsecis specificatiuis, sed tanquam à rationibus formalibus constitutiuis, Log. C. 1. p. 3. n. 39. & 40.
Omnis cognitio practica habet connexionem cum principio, per quod formaliter practica constituitur. ib. n. 41.
An eamdem habeat cum obiecto? ibid. n. 42. & 43.
Ratio practici non est adæquatè intrinseca cognitioni, ib.
Cognitio speculatiua potest per se ipsam talis constitui, ibid. n. 45.
Potest etiam constitui formaliter adæquatè speculatiua per impotentiam principij, aut per repugnantiam obiecti, ibid. n. 46.
Cognitio practica dicit formaliter suammet entitatem, virtutem productiuam in principio respectu sui obiecti, & huius non repugnantiam, ibid. n. 47.
Quomodo differant ratio practici, & speculatiui, ibid. n. 48. & seqq.
Eadem cognitio potest esse practica, & speculatiua respectu diuersorum obiectorum, ibid. n. 53.
An respectu eiusdem obiecti possint reperiri in eadem potentia duo actus, quorum vnus sit practicus, & alius speculatiuus, ibid. n. 54.
An scientia practica sit propriè scientia, L. C. 1. P. 5. n. 8. & C. 2. P. 3. n. 4. & seqq.

Principium.

Quibus principiis innitatur figura syllogistica, S. C. 4 P. 1. per tot.
Quid sit principium per se notum. Log C. 10. p. 5. n. 1.
Quotuplex sit, ibid. n. 2. & seqq.
Quæ principia dignitates dicant, ibid. n. 7.
Quid sit principium secundum quod ipsum, ibid. p. 6. n. 8.
Principium latiùs patet quàm causa, P. C. 1. p. 1. n. 2.
Variæ principij acceptiones, ibid. n. 2. & seqq.
Definiuntur principia entis naturalis, ibid. n. 5.
An ab Aristotele tantùm fuerint principia intrinseca entis naturalis definita, vel etiam extrinseca sint dicenda, ibid. n. 10.
Compositum in facto esse tantum dicit duo principia materiam & formam, ibid. p. 2. n. 2.
Quot sint principia generationis, ibid. n. 5.
Quæ sint principia generationis quatenus hæc dicit mutationē, seu quæ sint mutationis principia, P. C. 1. p. 2. n. 8.
Quomodo principia mutationis ad mutationem conducant, ibid. n. 9.
An priuatio formæ secundum se vel formæ vt inhærentis, sit mutationis principium, ibid.

Prioritas.

Quid sit prioritas naturæ, P. C. 7. p. 3. n. 1.
Per quod constituatur formaliter causa prior, & effectus posterior, ibid. n. 4.
An actio sit prior natura respectu effectus, ibid.
An sit prior origine, ibid. n. 6.
In quo differunt prioritas naturæ, & prioritas originis, ib.
Illud quod est altero prius natura necessariò debet tempore coexistere alteri posteriori, ibid. n. 13.
Poterit tempore præcedere, & non præcedere. ibid.
In prioritate naturæ ad effectum neque est effectus, neque huius negatio, ibid. n. 14.

Priuatio.

Priuatio non est principium generationis, P. C. 1. p. 2 n. 5.
Est principium mutationis, ibid.
Quomodo priuatio ad mutationem pertineat, ibid. n. 9.
Priuatio inhæsionis, & non priuatio formæ secundum se mutationis dicitur principium, ibid. n. 10.

Propositio.

Quid sit propositio de secundo, & tertio adiacente, S. C. P. 1. n. 10.
Quæ propositiones sint de subicto non supponenti, ibid. P. 4. n. 6.
Propositio affirmatiua de subiecto non supponenti semper est falsa, ibid.
Quid sit propositio, S. C. 7 n. 5 & 6.
Materia propositionis est subiectum, & prædicatum, ibid. p. 3. n. 1.
Materia propositionis triplex est, naturalis, repugnans, & contingens, ibid.
Quid sit forma propositionis categoricæ, ibid. n. 2.
Quid sit propositio affirmatiua, & negatiua, & quo modo inter se differant, ibid.
Quid sit qualitas propositionis, ibid. n. 3.
Quid, & quotuplex sit quantitas, ibid. n. 4.
Qua ratione signa casus obliqui propositionem afficiant? ibid. n. 4 & 5.
Quid de signis mixtis, veluti *semper*, *aliquando*, *numquam*. ibid. n. 6 7. & 8.
Quid de signis, *neuter*, *alter*, *vterque*. ibid. n. 9.
An coniunctio &, disiunctióque *vel* propositionem vniuersalem, aut particularem reddant, ibid. n. 10.
Quid de signis numeri pluralis, ibid. n. 11.
Propositio hypothetica non constat subiecto, & prædicato tanquam partibus remotis, ibid P. 4. n. 1. & 2.
Neque duabus categoricis, aut earum vicem habentibus, ibid. n. 4.
Propositio hypothetica constituitur per copulam *est*, tanquam per formam, ibid. n. 5.
In ratione hypotheticæ constituitur per particulam *ſ*. ib. n. 6. & 10.
Exacta definitio propositionis hypotheticæ, ibid. n. 7.
Propositiones causales, disiunctiuæ, coniunctiuæ, & rationales hypotheticæ non sunt, ibid. n. 8.
Propositio coniunctiua non est vna, sed multiplex, ib. n. 7.
Idem dicendum de rationali, ibid n. 9.
Quid sit propositio modalis, ibid. P. 8. n. 1.
Quotuplex sit propositionis modus, ibid.
Propositio modalis, quædam de sensu diuiso, alia de sensu composito, ibid. n. 2.
Modus interpositus præpositus, aut postpositus terminis propositionis non diuersum efficit sensum, ibid. n. 3.
Quomodo omnes propositiones modales significentur his dictionibus: *Amabimus*, *Edentulus*, *Illiace*, *Purpurea*. ibid. n. 4. & seqq.
Vnde sumatur affirmatio, & negatio propositionum modalium, ibid. p. 9. n. 2.
Vnde quantitas earumdem desumenda sit, ibid. n. 4 & seqq.
Quid sit propositio exclusiua, ibid. p. 11. n. 1.
Quid, & quotuplex sit propositio exceptiua, ibid. n. 6.
Quid sit propositio per se nota, L. C. 10 p. 5. n. 1.
Quotuplex sit, ibid. n. 2 & seqq.
Quæ propositiones dignitates dicantur, ibid. n. 6.
Propositionum conuersio : Vide *Conuersio*.
Propositionum veritas : Vide *Veritas*.
Propositionum oppositio : Vide *Oppositio*.

Proprium.

Quatuor proprij acceptiones à Porphyrio assignatæ, Log. C. 6. p. 6. n. 1.
Definitio proprij constituētis quartum prædicabile. ib. n. 2.
Secundū quam acceptionem hoc constituat, ib. n. 5. & seqq.
Proprium vt prædicabile definitur, ibid. p. 7. n. 1.
Constituitur tale per ordinem ad inferiora speciei, cuius proprium seu passio dicitur, ibid. n. 2.

Prudentia.

Quid sit ; Log. C.1.P.5.n.9.
Requiritur rectitudinem appetitus, in quo differt ab arte. ibidem.
Quos habitus sub se, & in se includat, ibid.n.11.

Punctum indiuisibile.

Continuum diuisibile in semper diuisibilia includit puncta simpliciter infinita. P.C.17.P.2.n.9 & seqq.
An Punctum sit immediatum partibus, quas vnit, vel cum vtraque alterave earum in continuo diuisibili in seper diuisibilia penetretur, ibid. P.5.per tot.
In opinione quæ continuum ex puris indiuisibilibus componit alia puncta sunt res, alia modi quibus res vniuntur, ibid..P.7.n.5.
Punctum modus est omnino extra locum extremorum quæ vnit, ibid.n.8.
Non dantur puncta intrinsecè terminatiua, ibid.n.9.
Puncta indiuisibilia absque vlla penetratione mutuo se tangunt, ibid. p.8. n.3.
Possunt etiam puncta distincta tertium aliud tangere absque vlla penetratione, ibid. n.5.
Puncta indiuisibilia necessariò habent diuersa latera extrinseca, ibid.n.6.
Iudicium fertur de sententia constituente indiuisibilia quædam virtualiter inflata, seu per ordinem ad locum. G.C.7.p.3.per tot.

Q.

Qualitas.

EXpenduntur varia argumenta quibus propugnatur subordinatio graduum qualitatis. G. C.4.p.2.num. 1. vsque ad 39.
Dissimilitudo, & inæqualitas graduum qualitatis intra eamdem speciē subordinationem non arguit, ibid.n 52.
Subordinatio graduum necessariò infert aliquam dissimilitudinem, ibid.n.53.
Subordinatio, & dissimilitudo non inferunt inæqualitatem eorumdem graduum, ibid n.59.
Potest dari qualitas gradibus subordinatis constans, ibid. num. 59.
Item ex gradibus inæqualibus subordinatis, ibid.num.60.
Ex gradibus etiam similibus, vel dissimilibus subordinatis. ibid.n.61.
Qualitas quæ de facto datur constat gradibus non subordinatis, ibid.n.62.
An qualitatibus quæ de facto dantur permisti erunt gradus æquales & inæquales, similes, & dissimiles, & forsan in nonnulla remissa omnes erunt eiusdem rationis, ibid. num. 63.
Certum non est in gradibus subordinatis superiores inferioribus esse perfectiores, ibid. n.68.
An gradus inferiores virtute contineant superiores, & è contra, ibid.à n.69.vsque ad 72.
Quomodo philosophandum sit in opinione quæ non distinguit quantitatem ab accidentibus materialibus circa subordinationem, similitudinem, & æqualitatem graduum, ibid.n 73 & 74.
Qualitas diuisibilis potest produci in instanti. G.C.6.p.6. numero 14.
In parte temporis potest produci qualitas non solum diuisibilis, sed etiam indiuisibilis, ibid.n.15.
Indiuisibile qualitatis non potest produci in parte aliquota temporis, sed in parte proportionali seu indeterminata, ibid.num.17.
In parte proportionali temporis potest produci pars aliquota qualitatis, dummodo motus continuus successiuus non sit per partem temporis aliquotam, ibid.n.19.
Qualitates primæ definiuntur. G.C.8.p 5. n.1.
An qualitates symbolæ specie distinguantur, ibid. n.11.
Variæ qualitatis definitiones expenduntur. M.C.8.p.1.per t.
Explicatur diuisio qualitatis tradita à Philosopho in habitum, & dispositionem : potentiam, & impotentiam : passionem, & passibilem qualitatem : formā, & figuram, harumque natura, & oppositio expenditur, ibid. P.2. per tot.
Vide *Alteratio.*

Quantitas.

Subiectū quantitatis est materia prima. G.C.1.p.1.per tot.
Quantitas est subiectum reliquorum accidentium, ibid. P.2.per tot.
Quantitas disponit ad formam in genere causæ materialis, ibid.P.4.n 3.
Datur speciale accidens quantitatis distinctum à substantia, & reliquis accidentibus. M. C.7.P.1.per tot.
Explicatur definitio quantitatis tradita à Philosopho quorum vtrumque, &c.ibid. p.2.n.2.& 3.
Quantitas non tribuit partes substantiæ, ibid.n.10.& seqq.
Essentia quantitatis non consistit in ratione mensuræ. ibid. numero 20.
Essentia quantitatis non consistit in exigentia extensionis. ibid.n.21
Ratio formalis quantitatis consistit in exigentia impenetrationis, ibid.n.24. & seqq.
Non repugnat quantitas indiuisibilis, ibid. n.26.
Quem terminum debeat respicere impenetrabilitas quantitatis, ibid.
Exacta quantitatis definitio, ibid. n.28.
Explicatur quid præstet quantitas subiecto, ibid. n.31. & 32.
Tot sunt species quantitatum passibilium quot sunt rerum materialium, quæ per omnia prædicamenta vagantur, ibid p 3.n.1.
Linea, superficies, & corpus sunt species quantitatis iuxta Arist.sententiam, ibid.n.2.
Punctum indiuisibile non est species quantitatis in sententia Philosophi, ibid. n.15.
In sententia Zenonis Punctū est species quantitatis, ib n.6.
Quomodo differant linea, superficies, corpus, & Punctum secundum hanc sententiam, ibid.
Iuxta eamdem sententiam dantur puncta modi punctis rebus distincta, quæ essentiam retinent quantitatis, ibid.
An locus sit species quantitatis, ibid.n.7.
Præsentia non est species quantitatis, ibid.n.8.
Motus alterationis, & motus nutritionis non sunt species quantitatis, ibid.p.4 n.2.
Motus localis non est species quantitatis, ibid.n3.
Tempus non est species quantitatis, ibid.n.4.
Numerus non est species quantitatis, ipid.n.8.
Oratio non est species quantitatis. ibid.

R.

Rarefactio, Condensatio, Raritas, Densitas.

QVid sit rarum, & densum, G.C.7. p.1. n.1.
Idem corpus potest dici rarum & densum, ibid.
Rarefactio, & condensatio sine motu locali fieri nequeunt, ibid. n.2.
Expenditur difficultas, quæ in rarefactione, & condensatione reperitur, ibid. n.3.
In corpore raro nullæ reperiuntur cauitates quæ per condensationem repleantur, ibid.p.2.n.2.
Rarefactio, & condensatio non fiunt per productionem, aut corruptionem partium quantitatis ibid.n.3.& seqq.
Neque per productionem, aut corruptionem quantitatis adæquatæ, ibid. n.6.
Condensatio non fit per penetrationem inadæquatam quantitatis, ibid. n.7.
Iudicium fertur de sententia, quæ rarefactionem componit ex quibusdam indiuisibilibus inflatis, spatio diuisibili respondentibus, ibid. p 3. per tot.
Qualitas superaddita inutilis est ad difficultatem rarefactionis, & condensationis explicandam. ib.P.4.per tot.
An corpus definitiuè existens rarum, vel densum dici possit. ibid. n.7.
Rarefactio fit per intromissionem corpusculorum, in partibus intimis corporis cum separatione continui, ibid. p.5.n.1.
Condensatio consistit in negatione intromissionis horum corpusculorum, seu in ipsorum expulsione, cum partium continui coniunctione, ibid.
Densitas, & raritas distinguuntur à duritie, & subtilitate corporis, ibid. P.6. n.8.

Reactio.

Quid sit reactio ? G.C.5. p.5. n.1.
Datur actio, & reactio inter agentia contraria, ibid.n.2.
Non omne agens in agendo repatitur, ibid. n.3.
Reductio syllogismi: Vide *Syllogismus.*

Reflexio.

Impugnantur aliorum sententiæ in causa reflexionis assignanda, G.C.p.2.n.2 & seqq.
Assignatur vera causa reflexionis. ibid. n.14. & seqq.

INDEX RERVM.

Relatio prædicamentalis.

Expenditur definitio relationis prædicamentalis, M.Contro.9.P.1.per totum.

Conceptus relationis prædicamentalis secundùm esse *in*, & secundùm esse *ad* realis est,ibid.n.4.

Quid sit relatio *secundùm esse*, & *secundùm dici*.ibid.P.2.n.5.

Explicatur diuisio relationis in intrinsecùs,& extrinsecùs aduenientè,ibid.n.6.

Aliæ diuisiones relationis,ibid per tot.Punct.

Quid sit fundamentum , terminus, & ratio fundandi relationis,ibid.p.3.n.1.

Fundamentum , & terminum relationis inter se distingui necesse est,ibid.

An ratio fundandi distinguatur à fundamento,ibid.n.3.

Qualitates,quæ fundant relationes similitudinis,& quantitatis,quæ fundant relationes æqualitatis esse referuntur relatione identitatis,ibid.

An extensiones inter se referantur , non solum relatione identitatis,sed etiam relatione qualitatis, aut inæqualitatis, ibid.n.4.

An qualitates possint inter se relatione similitudinis referri,ibid.n.5.

Existentia fundamenti necessaria est ad relationem prædicamentalem,ibid.n.6.

Quid de existentia termini,ibid.n 8.

Quid de existentia rationis fundandi,ibid.n.11.

Impugnatur sententia, quæ relationem prædicamentalem in speciali modo à fundamento , & termino constituit ibid P.4 à n 2. vsque ad 8.

Impugnatur sententia , quæ identitatem relationis prædicamentales cum fundamento per connotato extrinseca defendit,ibid.à n.9.vsque ad 18.

Relatio prædicamentalis non distinguitur à fundamento, & termino,& ratione fundandi,ibid.n.19.& seqq.

Deo extrinsecè aduenium prædicamentales relationes, ibid.n.22.& seqq.

Per eamdem relationem referuntur relatiua prædicamentalia,quibus mutua ineſt relatio, etiamsi hæc sit disquiparantiæ, ibid.n.27.

Quomodo differat relatio generantis,à relatione patris respectu eiusdem termini,ibid. n.26.

In opinione , quæ relationem prædicamentalem à fundamento & termino non distinguit , neque ad absolutum neque ad respectiuum terminatur relatio,M.C.9.p.5.n.1.

Si relationes superadditæ admittantur mutuæ,& non mutuæ ad absolutam referuntur,ibid.n.11.

Quot sint species relationum prædicamentalium,ibid.P.C. num.1.

Relationes tertij generis ad relationis prædicamentum non spectant,ibid n 2.

An detur per se motus ad relationem,ibid.n.3.

An relationes prædicamentales suscipiant magis , & minus,ibid.n.4.

An detur ratio communis omnibus relationibus , ibid.n.5.

Quo modo differat relatio prædicamentalis à transcendentali,M.C.10.p.1. per tot.

An relatio prædicamentaliter referens subiectum cui ineſt per seipsam transcendentaliter referatur ad terminum, ibid.n.10 & 11.

Respectus,Relatio prædicamentalis.

Quomodo differat relatio prædicamentalis à transcendentali,M.C.10.P.1.per tot.

An relatio prædicamentaliter referat subiectum, cui ineſt per seipsam transcentaliter referatur ad terminum, ibid.n.10. & 11.

An relatio transcendentalis simpliciter relatio,vel tantum respectus sit dicenda,ibid.n.14.

Potest dari respectus transcendentalis ad ens non possibile,ibid.p.2.n.2.& seqq.

An eadem entitas possit dicere relationem,seu respectum transcendentalem ad seipsam,ibid P.3.n.5.

Circa respectum causæ ad effectum,& effectus ad causam, Vide *Causa*.

Reproductio.

Quid sit reproductio?Ph.C.12.p.5.n.1.

Expenduntur rationes propter quas aliqui affirmant non posse reproductionem contingere,ibid à n.2. vsque ad 5.

Reproductio permanentium tantum repugnat ex lege Dei,ibid.n.6 & 7.

Idem dicendum est per productiones successiuorum, ibid. n.7.& 9.

Motus successiuus potest supernaturaliter in instãte reproduci,licet non formaliter vt successiuus,ibid.n.10.

Resistentia, Resistere.

Resistentia adæquatè diuiditur in actiuam , & formalem, G C.6.p.1.n.3.

Resistentia actiua non consistit in actione destructiua contrariæ qualitatis,ibid.n.4.

Explicatur formalis ratio actiua resistentiæ,ibid.n.8.

Causa prima conseruans effectum,quem secunda produxit, non resistet pro conseruatione talis effectus, neque pro non productione contrariæ qualitatis ibid.n.10.

Resistet causa prima pro conseruatione effectus , quam exibet,si ex se verè indepẽdenter ab exigentia effectus illum conseruaret etiam præsente contrario. ib.n.11.

Resistentia actiua in actu secundo non dicit actionem, sed tantum addit suppra resistentiam in actu primo præsentiam contrariam,ibid.n.15.

Resistentia actiua respicit effectu producendum , & negationem effectus producendi à contrario , vtrumque immediatè,ibid.n.16.

Resistentia actiua primario respicit terminum positiuum, & secundario negatiuum,ibid.n.17.

Quid sit formalis resistentia,ibid.p.2.n.2.

Resistentia formalis respicit conseruationem ipsius formæ oppositæ vtramque tanquam terminum immediatum, ibid.n.3.

Resistentia in actu 2.addit supra resistentiam in actu primo essentiam contrarij in hoc instanti , vel in instanti immediatè futuro,ibid.n.4.& 10.

Resistentia formalis in ordine ad propriam conseruationem tantum est pro instanti sequenti,ibid.n 5.

Resistentia formalis in ordine ad negationẽ formæ contrariæ est pro instanti præsenti,& pro sequenti, ib.n.6 & 7.

Qualitas non producitur contra resistentiam , quæ est,sed contra illam,quæ immediatè antea fuit,ibid.n.9.

Resistentia formalis tantum cum actiua , & non cum alia formali opponitur,ibid.n.11.

Ad introductionem qualitatis non tantum resistit gradus expulsus , sed etiam, qui remanent in eodem subiecto, ibid.n.15.

Etiamsi qualitas alteram contrariam virtute , seu resistentia actiua,& simul formali vincat subsistet actio,& reactio,ibid.p.3.n.3. & seqq.

Vna qualitas potest esse magis resistiua, quàm alia, ib.n.4.

Qualitas magis actiua est etiam magis resistiua,ibid.n.12.

Restrictio.

Quid sit ? S.C.1.p.7.n.5.

Quibus modis fiat ? ibid.

Quomodo fiat illatio inter terminum restrictum , & non restrictum,ibid.n.6.

S.

Sanguis.

Sanguis informatur anima,A.C.1.p.4.n.2.& seqq.

Sapientia.

Quid sit sapientia secundum diuersas illius acceptiones, L.C.1.p.5.n.4.& seqq.

Sex conditiones veræ sapientiæ assignantur,ibid.n.7.

Quomodo differat à scientia ibid.n.8.

Scientia.

Diuiditur scientia in actualẽ,& habitualem, L.C.1.p.3.n.2.

An scientia habitualis sit simplex habitus,ibid.n 3.

Non adæquatè explicatur scientiæ vnitas dicendo sumi ex vno formali obiecto,ibid.n 5.

Diuersæ scientiæ non per diuersas abstractiones distingui possunt,ibid.n.7.& seqq.

Scientiæ non possunt distingui per distincta attributionis obiecta,ibid.n.20.& 21.

Neque per distinctas obiectorum scibilitates,ibid.n.22.

Refertur sententia,quæ tot scientias,quot actus,constituebat,ibid.n.24.

Iudicium fertur de sententia Mirandulani , qui vnam tantum scientiam esse dicebat,ibid.n.25.& 26.

Scientiæ vnitas non ex connexione actuum,aut habituum potest desumi,ibid.n.27.

Vera sententia circa scientiæ vnitatem, ibid.n.28. & seqq.

Scientiarum distinctio,etsi sumatur ex natura rei, nihilominus aliter potuit institui , ita vt plures pauciorésve scientiæ assignarentur,ibid.n.33. & seqq.

Scietiæ subalternatio triplex est,ratione finis,ratione principiorum

cipiorum, & ratione obiecti, Log.C.2.P.4.numero 1.
Subalternatio propria scientiæ est ratione obiecti contracti per differentiam accidentalem in esse rei, & in esse obiecti, ibid.n.5 & 6.
Principia scientiæ subalternatæ debent dependere à principiis subalternantis, ibid n.2.
Obiectum subalternatæ scientiæ debet contineri sub obiecto subalternantis, & ab illo intrinsecè dependere in esse, & cognosci, ibid.
Obiectum subalternantis aliquo modo est idem cum obiecto subalternati, ibid.
Subalternatio ratione finis propria non est, ibid.n.3.
Sciétiæ, quæ agunt de ratione inferiori nõ ex eo subalternantur scientiæ quæ agit de ratione superiori, ibid.n.4.
Distinctio inter scientiam subalternantem & subalternatam, ibid.n.8.
Quomodo scientia practica speculatiuæ subalternatur, ibid. n.9.
Quid intelligat Aristoteles nomine scientiæ dum distinguit habitum in intellectum, prudentiam, scientiam, sapientiam, & artem, ibid.P.5.n.3.
Quælibet scientia proprios actus non solum cuidentes, sed etiam probabiles elicitiuè producit, L.C.2.P.2.n.9 & 17.
Quomodo scientiarum actus à Logica procedant. ibid.
An scientia practica fit propriè scientia, L.C.1. P.5. n 8. & C.2.P.3.n.4.& seqq.

Scientia practica, & speculatiua.

Vide *Praxis.*
Vide *Fides*, & *Opinio.*

Semen.

An fœminæ semen emittant, P.C.2.p.7.n.4.
Quomodo semen masculeum, & fœmineum in generationem influant, ibid.n.5.
Semen non viuit, A.C.1.P.4.n.20.

Sensatio.

Sensationes brutorum recipiuntur in ipsorum animis, etiamsi dentur potentiæ superadditæ, A.C.3.p.1.n.13.
Sensationes hominum recipiuntur adæquatè in materia, & vniuntur animæ, ibid.n.14.& 17.
Vide *Sensus.*

Sensibile commune.

Quid sit? A.C.13.p.1.n.22.
Visus, & auditus percipiunt sensibile commune, ibid.n.23.
Olfactus, & Gustus, & Tactus non percipiunt sensibile commune, ibid.n.27.
De facto sensibile proprium sine communi non potest sentire, ibid.n.28.
Quid in variis casibus supernaturaliter contingere possit, ibid.à n.29. vsque ad 33.

Sensus.

Datur sensus internus distinctus ab externis in brutis, & in homine, A.C.4.P.2.n.1.& 2.
Assignantur varia munera sensus interni, ibid. n.3.
Non dantur plures sensus interni, ibid.
Sensus internus nullum percipit obiectum non prius sensatum sensu externo, ibid.n.5.
An in sensu interno detur phantasiæ actus componens obiecta incompossibilia, ibid.n.7.
Non potest sensus externus ferri in obiectum absens, neque per breuissimum tempus, ibid.P.4.n.4.
Potest supernaturaliter ferri sensus externus in obiectum absens, & non existens producente Deo speciem impressam talis obiecti, ibid.n.6.
Poterit etiam nulla intercedente specie impressa, ib.n.10.
Ad sensationem exercitam nulla specie impressa intercedente impertinens esset præsentia, & existentia obiecti, ibid.n.11.
Sensus, qui percipit obiectum formaliter vt præsens poterit illud diuinitus vt absens percipere, ibid.n.13.
Sensus internus negationem non percipit, ibid.p.5.n.1.
An sensus possit percipere obiectum spirituale, ibid.p.6.n.1.
An possit dari error in sensibus, ibid.n.2.
An sensibile supra sensum faciat sensationem, ibid.n.5.
An sensus lædatur vehementi sensibili, ibid.n.8.
Sensus externus non reflectit supra proprios actus, ib.n.9.

Siccitas.

Siccitas est qualitas positiua substantiæ superaddita, G.C. 8.P.5.n.3.
Habet virtutem producendi effectum sibi similem, ib.n.5.
Siccitatis definitio, ibid.n.10.

Signum.

Quid sit? S.C.1.p.2.n.5.& L.C.8.p.1.n.1.
Signum aliud proprium, aliud improprium, & vtriusque conditionis, ibid.
An idem possit esse signum sui ipsius, ibid.n.4.
Cognitio, quæ est signum formale obiecti potest esse signum instrumentale respectu eiusdem, ibid.n.5.
Signum aliud formale, aliud instrumentale, S.C.1.p.1.n.5.
Aliud naturale, aliud ad placitum, ibid.
Vtrumque in rebus & in vocibus reperitur, ibid.
In quo consistat formalis ratio signi, Log.C.8.P.2.n.1.
Quod obiectum habeat voluntatis actus ex vi cuius signum formaliter constituitur, ibid.n.5.
Voces non naturaliter, sed ad placitum res significant. ibid. P.3 n.2.
Vox significatiua triplicem dicit respectum, ad proferentem, ad audientem, & ad rem significatam, ibid.n.3.
Vox prolata à Pisittaco signum non est, etsi ad significandum sit imposita, ibid.
An cum quis verba facit apud flumen, vel apud hominem linguæ ignarum signa dare, & loqui dicatur, ibid.num.3. & 4.
An significatio vocis sumenda sit ex conceptu imponentis significationem voci, vel taxanda ex conceptu proferentis, ibid.n 5.& 6.
An voces res immediatè, vel conceptus significent. ib.n.7.
Quid de Scripturis? ibid.n.12.
De signis afficientibus propositionem: Vide *Propositio.*

Similitudo, Simile.

Recensentur variæ similitudines quæ inter agens, & passum possunt excogitari, G.C.5.P.1. n.3.
Impugnantur variæ rationes, quibus probari solet simile non agere in simile, G.C.4.P.2. n.6. & seqq. & C.5. P.2. n.10 & seqq.
Simile non potest agere in simile producendo maiorem intensionem, quam in se habet, nec tantam adhuc ratione densitatis, G.C.4.p.1.n.22.& C.5.P.1.n.23 & seqq.
Agens non potest agere in passum aliunde simile, G.C.4. P.2.n.24.& 25.& C.5.P.1.n.35.& seqq.
Duo agentia distincta penetrata possunt in aliud tertium simile agere, ibid. n.47.
An possit reperiri similitudo in prædicatis generícis, & dissimilitudo in prædicatis specificis earumdem rerum, A.C.1. p. 8.n.13.
Vide *Relatio.*

Situs.

Quid sit situs, & quomodo à præsentia distinguatur, M.C. 11.n.2.

Sonus.

Soni definitio, Anim.C.4.p.1.n.8.
Corpora dura aptissima sunt, non tamen necessaria ad sonum edendum, ibid.
Subiectum soni est corpus interceptum corporibus se inuicem trudentibus, ibid.n.9.
Non tantùm aër, sed etiam aqua soni & huius speciem subiectum esse potest, ibid. n.10.

Spatium.

Spatium imaginarium loci tantum habet esse obiectiuum, & fictum, P.C.15.p.2.n.1.
Neque Deus, neque Angelus, neque creatura aliqua corporea est in spatio imaginario loci, ibid.p.3.n.5.
Quid sit spatium imaginarium temporis. P.C.16.P.2.n.5.

Species.

Species subiicibilis quid sit? L.C.5.P.1.n.1.& 5.
Definitio speciei vt abstrahentis à subiicibili, & prædicabili, ibid.n.6.
Per quem actum fiat species subiicibilis, ibid.n.7.
An genus & species vt superius, & inferius eodem indiuisibili respectu mutuo respiciantur, ibid.n.8.
Species subiicibilis, vt subiicibilis, vniuersalis non est, ibib.n.10.
Quid sit species prædicabilis, ibid.p.2.n.1 & 2.
An species prædicabilis essentialiter requirat plura individua, ibid.n.4.& seqq.
An tota ratio speciei reperiatur in quolibet individuo, ibid.n.12.
Quomodo species constituatur per genus, & differentiam, & ex vtroque componatur, L.C.6.P.2 n.4.& 10.
An eadem species possit poni sub duplici genere infimo, ibid.p 3.n.4.
Quæ dissimilitudo, seu differentia requiratur ad constituendas species essentialiter differentes, A. C.1.p.8.n.20.

Datur

Datur prædicatum medium inter specificum,& indiuiduale,ibid,n.22.
An omnes species necessariò sint perfectione inæquales, ibid.n 47.

Species impressa.

Species impressæ adsetuantur in intellectu possibili, A.C. 5.P.4.n.2.
Quomodo excitentur,ibid.n.13.
Dantur species in potentia visiua coloris, & lucis, A.C. 13.P.1.n.1. & seqq.
Auditus non percipit sonum mediis speciebus,ibid.n.9.
Dolor non sentitur mediis speciebus,ibid.n.17.
Gustus, & Tactus absque speciebus mediis suas exercent operationes,ibid.n.17.
Sensus internus non indiget speciebus ad percipiendas sensationes externas,ibid.P.2.n.1.
Sensatio interna producit speciem sui, qua illam sensus internus recordatur, ibid.n.2.
Sensatio interna dum actu existit potest sentiri nulla specie impressa intercedente, ibid.n.3.
Non dantur species insensatæ in sensu interno, ibid. n.11.
Dantur in anima species impressæ pro memoriæ actibus, ibid.P.3.n.2.
Huiusmodi species non producuntur ab intellectu, sed adæquatè à suis obiectis,ibid.n.3.
Phantasma immediatè concurrit cum intellectu ad cognitionem ipsius,& sui obiecti absque vlla specie impressa, ibid.n 7.
Anima,illius potentiæ, si dantur, habitus, & species impressæ tantùm cognoscuntur à posteriori,& per species alienas,ibid.n.13.
Species impressæ non sunt eiusdem rationis cum obiecto, ibid.P.4 n.2 & 3.
Species impressa non est formalis similitudo, neque prius cognita ducit in cognitionem sui obiecti,ibid.n.5.
Species impressa actiuè concurrit ad expressam producendam,ibid.n.6.
Quomodo species impressa determinet potentiam ad talem actum,ibid.n.8.
An obiectum simul cum specie impressa actiuè influat in expressam,ibid.n.12.
An species impressa se teneat ex parte potentiæ, vel ex parte obiecti,cuius sit vicaria,ibid.n.13.
Multa de diuisibilitate, extensione, & intensione specierum,ibid.P.6.per tot.
Possibilis est species impressa Dei,ibid.P.7.n.2.& seqq.
Species corrumpuntur ex eo quod petant per tantum tempus durare,A.C.14.P.6.n.17.

Specificatio, Specificare.

Quid sit rem vnam ab alia specificari?A.C.15.p.1.n.1.2.& 3.
Specificatio essentialiter includit dependentiam rei specificatæ à specificante tanquam à principio necessario determinato,vel libero potente se determinare ad prædicatum,cui dicitur speciem tribuere,ibid.
Specificatio quædam est intrinseca, alia extrinseca,ib.n.4.
Alia propria,alia impropria,hæc à posteriori,& illa à priori dicitur, ibid.n.5.
Entitas relatiua respiciens terminum,qui in ipsam non influit tantum potest à posteriori ab illo specificari,ib.n.7.
Specificabitur à priori,si terminus influat in illam,ibid.
Nulla potentia specificatur propriè ab actibus,ib.P.2.n.2.
Quælibet potentia specificatur ab essentia,à qua dimanat, ibid.n.3.
Potest dari potentia visiua in homine, & equo,quæ specificetur formaliter à prædicato communi animalis, & non à differentiis, ibid.n.4.
Possunt dari potentiæ visiuæ in homine, & equo, quæ specificentur ab vtroque secundum vltimas differentias, ibid.n.6.
Si dantur intellectus superadditi in homine,& Angelo,ab vtroque specificantur secundum differentias essentiales & specie differunt,ibid.n.7.
In potentiis & quibusvis entitatibus prædicatum materialitatis, & spiritualitatis specificatur non solum ex principio actiuo,sed etiam ex passiuo,ibid.n.8.
Potentiarum specificatio à posteriori, & quoad nos sumitur à collectione omnium actuum, quos quælibet potentia producere potest,ibid.n.9.
Ab illis, à quibus desumitur à posteriori specificatio distinctarum potentiarum,realiter,si ab anima distinguantur desumenda est specificatio potentiarum distinctarum; formaliter,si cum anima identificentur,ibid.n.11.
Vnde specificentur habitus infusi?ibid.P.3.n.1.& seqq.
Vnde specificentur habitus acquisiti?ibid.n.4.& 5.
Vnde specificentur species impressæ?ibid.n.6.& seqq.
Vnde specificentur aliæ qualitates non vitales, nec operatiuæ,ibid.n.9.
Explicatur specificatio operationum vitalium ex principiis secundùm diuersa ipsarum prædicata,ibid.P.4.n.1.& seqq.
Operationes vitales à priori tantum ab obiecto mediis principiis specificantur,ibid.n.11.& 12.
A posteriori specificantur ab obiectis non solum formalibus,sed etiam materialibus,ibid.n.14.
Operationes naturales possunt specificari ab obiecto supernaturali, & supernaturales ab obiecto naturali,ibid. n.17. & seqq.
Impugnantur varij modi specificandi operationes per obiecta,ibid.n.30.& seqq.
De specificatiuo materiæ,formæ, vnionis, totius substantialis,& accidentalis,ibid.P.5.n.1.
De specificatiuo relationis,ibid.n.2.& 3.
De specificatiuo quantitatis,ibid.n.5.
De specificatiuo præsentiæ,ibid.n.6.
De specificatiuo actionis,& passionis,ibid.n.7.

Speculatio,Speculatiuum, Vide *Praxis.*

Spiritus. Spiritualitas.

Non est de ratione spiritus carere partibus integrantibus, A.C.1.P.5.n.2.& seqq.
Quomodo alij rationem spiritus à ratione corporis,seu rei materialis distinguant.ibid.n.6.& 7.
Propria definitio rei spiritualis,vt condistinctæ ab omni re materiali,seu corporea,ibid.n.8.& seqq.
Entitas spiritualis neque inadæquatè potest recipere formam materialem,A.C.3.p.1.n.15.
Potest dari substantia spiritualis non cognoscitiua, A.C.5. p.6.n.8.

Status.

Quid sit termini status? S.C.1.p.7.n.1.

Subalternatio scientiæ Vide *Scientia.*

Subiectum.

Quid sit subiectũ,& prædicatũ propositionis,S.C.1.p.2.n.2.
An reperiatur in propositione mentali, vocali,vel scripta? ibid.

Subsistentia, Subsistere.

An subsistentia sit modus?M.C.4.P.6.n.3.& seqq.
Subsistentiæ nomen explicatur,M.C.6 p.2.n.2.3.& 4.
Suppositum addit aliquid supra naturam ab hac distinctum,quod subsistentia dicitur,ibid.n.6.
Hoc quod addit suppositum supra naturam non est negatio,ibid.n.10.& seqq.
Distinctio subsistentiæ, à natura non fit tantum ratione connotati distincti, ibid.n.14.
Suppositum addit supra naturam quid reale positiuum, ibid.n.16.
Potest dari suppositum spirituale in quo non distinguuntur realiter subsistentia & natura,ibid.
Quid de suppositis spiritualibus,quæ de facto dantur,ibid. n.19.
Subsistentia non est ratio formalis existendi,ibid.p.3.n.2.
Non est ratio formalis substandi accidentibus,ibid.n.3.
De ratione formali subsistentiæ abstrahentis à completa,& incompleta non est incommunicabilitas, quæ opponitur inhærentiæ,ibid.n.4.
Ratio formalis subsistentiæ non est incommunicabilitas per modum partis in ordine ad totum essentiale, & integrale,ibid.n.9.
Non rectè explicatur ratio formalis subsistentiæ per hoc quod est rendere naturam incommunicabilem alteri supposito,ibid.n.10.
Effectus formalis subsistentiæ non est constituere naturam omnino incommunicabilem, ibid.n.13.
Effectus formalis subsistentiæ non est reddere naturam potentem operari, neque illam complere in ratione principij actiui,ibid.n.14.
Non est conditio ad operandum subsistentia,ibid.n.15.
Ratio formalis subsistentiæ est perficere naturam per modum termini,ibid.n.19.
In homine potest dari subsistentia totalis diuisibilis in duas partes,quarum vna materiæ,& altera formæ correspondeat,ibid.P.4. n.7.

An prædi

An prædictæ partes subsistentiæ possint dici subsistentiæ partiales? ibid.
Possibilis est subsistentia compositi siue forma materiali, siue spirituali præditi, quæ indiuisibiliter afficiat materiam, formam, & vnionem, ibid.n.10.
Forma substãtialis materialis, siue creata siue educta potest terminare partẽ subsistentiæ, quæ adiuncta subsistentiæ materiæ possit subsistentiã totalem componere, ib.n.11.
Prædicta pars subsistentiæ efficiens formam materialem subsistentia partialis dici poterit, ibid.n.12.
Verisimilius est dari in toto cõposito partiales subsistẽtias, quarum vna afficiat materiam & formã altera, ib.n.13.
Si materia & forma in toto composito subsistant per subsistentias partiales, danda est alia subsistentia propria modi vnionis, ibid.n.14.
An natura possit terminari subsistentia aliena? M.C.6.p.5. n.2.& 3.
Natura potest plures subsistẽtias proprias successiuè terminare, & antecedenter ad omnem terminationem indifferens fuit ad hanc vel illam terminandam, ibid.n.4.
Potest diuinitus eadem natura terminari duplici subsistentia, siue vtraque sit propria, siue vtraque sit aliena, siue vna propria, & altera aliena, ibid.n.8.
Quid sit magis miraculosum, seu magis contra naturæ exigentiam naturam terminari duplici subsistentia propria, vel duplici propria; vel vna propria, & altera aliena, ibid.n.11.
An suppositum, cuius natura non distingueretur à subsistentia posset aliena subsistentia terminari, ibid.n.14.
Natura potest à Deo conseruari absque vlla subsistentia, ibid p.6.n.2.
Natura absque omni subsistentia eodem in influxu, quoad subsistentiam, & quoad modum conseruaretur, ac si illam haberet, ibid.n.7.
An subsistentia sit de essentia hominis, vel suppositi, ib.n.8.
Subsistentia formaliter constituit suppositum, ibid.n.9.
Subsistentia simul cum natura componit suppositũ, ib.n.14.
An subsistentia possit separari à natura ibid.n.15.
Accidentia siue in subiecto, siue extra subiectum existant, subsistentia carent. ibid.n.16.
Subsistentia educitur ex natura cuius propria dicitur, & ab eadem producitur, ibid.n.17.& 19.
Subsistentia, & natura non eadem actione producuntur, ibid.n.20.

Substantia.

Potest in se ipsa accidentia producere, P.C.9.p.3.n.1.
Potest in subiecto extraneo plura accidentia producere ex his quæ in seipsa producit, ibid.n.2.
Non impeditur substantia proprio accidenti simile aliud in subiecto extraneo producere, ibid.n.3.
Substantia potest substantiam immediatè producere, ibid. p.4.n.2.
Non potest produci ab accidenti tanquam à causa adæquata, ibid.n.3.
Neque ab aliquo existenti tanquam à causa inadæquata, ibid.n.6.
Non repugnat accidens potens inadæquatè substantiam producere, ibid.n.7.
Potest dari substantia spiritualis non cognoscitiua, A.C.5. p.6.n.8.
Explicatur conceptus quidditatiuus substantiæ provt distinctæ ab accidenti, M.C.6.p.1.n.10 & seqq.
Quid sit prima & secunda substantia, ibid.p.7.n.2.
Qualis sit diuisio substantiæ in primam, & secundã? ib.n.2.
Substantia non habet partes ratione quantitatis, sed ratione sui, M.C.7.p.2.n.10.& seqq.

Successio successiuum.

Explicantur duo genera successiuorum, P.C.17.p.6.n.2.
Indagatur existentia successiuorũ per se, & vnio inter partes ipsorum iuxta Aristotelis sententiam, ib.n.2.& seqq.
Quam vnionem habeant partes successiuorum iuxta sententiam Zenonis, ibid.p.7.n.10.
Ens successiuum potest esse ab æterno, ibid.C.19.p.3.n.2.
Superficies: Vide *Continuum & Quantitas.*

Suppositio, supponere.

Quid sit suppositio? S.C.1.p.4.n.2.& seqq.
Quomodo differant supponere, & significare, ibid.n.4.
Quando suppositio sit pro re existenti, vel pro re abstrahente ab existentia, ibid.n.5.
Variæ diuisiones supositionum, ibid.p.4.n.1.& seqq.
Suppositio particularis & confusa valde inter se differunt, ibid.n.10.
Suppositum: Vide *subsistens.*

Syllogismus.

Quibus principiis innitatur vis syllogistica, S.C.4.p.1. per totum.
Quæ sit materia & forma syllogismi, ibid.p.3.n.1.
Triplex tantùm figura syllogistica reperitur, ibid.n.3.
Primi quatuor syllogismi primæ figuræ perfectissimi sunt, ibid.n.5.
Assignantur distinctiones, quibus syllogismi omnes continentur, ibid.n.4.
Quomodo syllogismus constituatur in quacumque dictione cuiuslibet figuræ. ibid.n.6.
Quid sit syllogismus expositorius? ibid.p.4.n.1.
Quibus præmissis possit constare? ibid.
Quando liceat in syllogismo expositorio affirmatiuè, & negatiuè concludere, ibid.n.2.
De syllogismus modalibus, obliquis, & hypotheticis, ib.n.3.
Omnes syllogismi reducuntur ad quatuor perfectissimos primæ figuræ, ibid.p.5.n.1.
Explicatur modus reducendi per ostensionẽ, ibid.n.2.& 3.
Explicatur reductio per impossibile, ibid.n.4.& seqq.
Syllogismus fallax syllogismus non est, L.C.2.p.1.n.76.
Syllogismus perfectus est obiectum attributionis Logicæ, ibid.n.73.
Vide *Præmissæ, Conclusio, & Discursus.*

T.

Tactus.

TActus sensus est à gustu distinctus, A.C.4.p.1.n.19. Dispersus est per totum corpus, residet in carne, est præcipuè in neruis, non tamen in ossibus, ibid.n.20.
Tactus sentit qualitatem receptam in subiecto extraneo, ibid.n.23.
Vt obiectum mutet intentionaliter tactum necesse non est posse illum physicè mutare, ibid.n.24.
Tactus sentit qualitatem exuperantem proprium temperamentum siue in subiecto extraneo, siue in proprio organo receptam. ibid.n.25.
Tactus non sentit qualitatem debitam receptam in proprio organo, quando immediatè antea non fuit illa priuatus. ibid.n.27.
Secus si immediatè antea sine hac qualitate præcesserit, ibid.n.28.
Tactus non sentit qualitatem receptam in subiecto extraneo sub ea intensione, sub qua illam in proprio organo non sentiret, ibid.n.29.
Cum tactus sentit qualitatem exuperantem, illam secundum omnes sui gradus attingit, ibid.n.30.

Temperamentum.

Temperamenta mixtorum non specie physica sed tantum moraliter possunt dici essentialiter differentia, A.C.1. p.8.n.27.28.

Tempus.

Temporis definitio, P.C.16.p.1.n.1.
Successio extrinseca est partibus tempus componentibus, ibid.n.2.
Tempus dicit pro materiali partes motus, & pro formali ordinem prioris & posteris, ibid.n.4.
Qua ratione tempus dicatur longum aut breue & non velox aut tardum, ibid.n.6.
Inter omnes motus cœlestis præcipuè tempus dicitur, licet alij etiam tempus possint constituere. ibid.n.7.
Indagatur existentia temporis, & vnio partium ipsius iuxta Aristotelis sententiam de continui compositione, P. C.17.p.6.n.2.& seqq.
Quam vnionem habeant partes temporis iuxta Zenonis sententiam, ibid.p.7.n.10.
Potest tempus esse ab æterno, P.C.19.p.3.n.2.

Terminus Propositionis.

Diuersi diuersa intelligunt per hanc vocem *terminus*, S.C.1. p.1. n.1.
Termini definitio, ibid.n.2.& 8.
Copula est non est terminus, ibid.n.3.
Voces expertes significationis termini sunt, ibid.n.4.
Omnes partes propositionis dempta copula est termini sunt, vel terminorum affectiones, ibid.n.7.
Variæ diuisiones terminorum, ibid.p.2.& 3.per tota.
Terminus formalis non semper est forma termini totalis, G.C.2.p.4.n.4.
Quid sit terminus, ibid.n.5.

INDEX RERVM.

Termini suppositio. Vide *Suppositio.*
Termini status. Vide *Status.*
Termini ampliatio. Vide *Ampliatio.*
Termini diminutio. Vide *Diminutio.*
Termini restrictio. Vide *Restrictio.*
Termini alienatio. Vide *Alienatio.*

Terminus rei physicæ.

Quid sit terminus extrinsecus & intrinsecus, magnitudinis & paruitatis, G.C.3.p.5.n.1.
Terminus extrinsecus necessario terminum intrinsecum arguit, si continuum constet ex partis indiuisibilibus, secus si ex partibus semper diuisibilibus, ibid.
Augmentatio substantialis & accidentalis eosdem sibi terminos magnitudinis & paruitatis præfigunt, ibid.
Viuentia necessariò habent terminum saltem extrinsecum magnitudinis & paruitatis, ibid.n.3.
In opinione Aristotelis de continui compositione nulla ratione definiri potest, an viuentia habeant terminos extrinsecos vel intrinsecos, ibid.n.4.
In opinione Zenonis certum est gaudere terminis intrinsecis & extrinsecis, ibid.
Non viuentia nullum sibi terminum intrinsecum aut extrinsecum magnitudinis aut paruitatis intra mensuram finitam sibi præfigunt, ibid.n.5.
Duplex est terminus intensionis & remissionis qualitatis, G.C.4.p.3.n.8.
Omnis qualitas habet terminum extrinsecum intensionis, ibid.n.9.
Qualitates, quæ sunt dispositiones habent terminum intrinsecum intensionis, quem naturaliter non possunt excedere, ibid.n.10.
Nulla qualitas habet terminum intrinsecum intensionis, quem non possit supernaturaliter excedere. ibid.n.12.
Qualitates, quæ dispositiones non sunt neque passiones formæ nullum terminum habent, quem adhuc naturaliter petant non excedere, ibid.n.13.

Terra.

Terra in prima sui conditione tota erat aquis cooperta, G.C.8.p.2.n.1.
Comparatione facta inter altiorem partem terræ & altiorem partem aquæ terra est altior aqua, ibid.n.2.& seqq.
Terra & aqua eumdem globum conficiunt, & idem centrum petunt, ibid.n.2.

Theologia.

Terra est sicca in summo & frigida prope summum, ibid. p.6.n.1.6.& 7.
Conclusio Theologica non respicit reuelationem tanquam formale obiectum sed tanquam applicationem obiecti formalis, L.C.1.p.3.n.28.& 30.
Quomodo differat Theologia à Fide & reliquis scientiis, ib.

Totum.

An possit dari corpus completum expers compositionis essentialis, P.C.5.p.5.n.2.& seqq.
An esset vegetabile, ibid.n.2.
An esset corruptibile, ibid.n.3.& seqq.
An esset sensitiuum, ibid.n.9.
Potest dari totum corporeum expers compositionis integralis, ex quo quantitas integraliter diuisibilis educatur, ibid.n.13 & seqq.
Totum compositum. Vide *Compositum.*

Transcendentia.

Quid sit transcendentia, M.C.1.p.4.n.1.
In opinione tantum præscindente ex parte actus omnia prædicata identificata sunt mutuo transcendentia ex parte obiecti, vide n.2.
Prædicatum superius transcendit omne prædicatum inferius, quod illi directè subiicitur, ibid.n.3.
Prædicata inferiora non transcendunt superiora, ib n.4.
Ens transcendit omnes differentias, ibid.n.5.& 6.
Differentiæ inferiores non transcendunt genera intermedia, neque differentias per quas hæc genera constituuntur, ibid.n.11.
Transcendentia non impedit vniuocationem, ibid.p.7.n.10.

V.

Vacuum.

QVid sit? P.C.15.p.12.n.1.
Dari nequit naturaliter, adhuc vi Angelica, ibid.
Cur corpora intendant vacuum vitare, ibid.n.3.
A qua causa procedat motus ad vitandum vacuum, ib.n.4.
An in vacuo possit dari motus, ibid.n.5.
An motus in vacuo factus esset instantaneus, ibid.n.6.

Vbi Vbicatio. Vide *Præsentia & Locus.*
Velocitas motus. Vide *Motus.*
Vegetatiuum. Vide *Anima.*

Verbum.

Quid sit? S.C.3.p.1.n.2.
Quid sit Verbum cum tempore significare? ibid.

Verbum mentis.

Quid sit? A.C.6.p.1.n.40.
An distinguatur à dictione, ibid.n.42.
Quomodo requiratur ad intellectionem creatam, ib.n.43.

Veritas formalis.

Iudicium fertur de sententia, quæ veritatem & falsitatem propositionis constituit in relatione rationis, A. C.7. p.1.n.1.& seqq.
Impugnatur sententia quæ veritatem & falsitatem, constituit identificatam cum actu, ibid.n 6.& seqq.
Non est idem actiui per se repugnare falsitatem, & esse per se intrinsecè adæquatè verum, ibid.n.9.
In omni iudicio naturali, vt supernaturali creato, vel increato, erroneo vel scientifico, reperitur veritas vel falsitas conflata ex ipso actu iudicij, & ex illius obiecto, ibid.n.10.
Omnis actus distinctus à suo obiecto veritatem habet vel falsitatem partim extrinsecam partim intrinsecã, ib.n.11.
Omnis actus identificatus cum suo obiecto per suam entitatem est intrinsecè & adæquatè verus, ibid.
Nullus actus naturalis abstractiuus siue circa obiectum contingens siue necessarium versetur ex se connexionem intrinsecam habet cum obiecto, neque illi ex se falsitas repugnat, ibid.n.12.& 13.
Non ex eo quod naturalis cognitio intuitiua sit habet connexionem essentialem cum obiecto, ex vi cuius falsitas illi repugnet, ibid.n.15.
Omnes actus diuinæ mentis indispensabiliter cum suo obiecto coniunguntur, & illis per se ipsos repugnat falsitas, ibid.n.8 & 17.
An actui fidei diuinæ repugnet falsitas etiam in ordine ad omnipotentiam, ibid.n.17.
An visioni intuitiuæ supernaturali falsitas repugnet, ibid. n.21.& seqq.
An actibus, quibus intrinsecè repugnat falsitas, veritas adæquatè intrinseca contingat, ibid.n.39.
An idem actus possit simul esse verus & falsus per ordinem ad obiecta partialia inter se distincta, A.C.5.p.3.n.25.& C.7.p.1.n.27.
Eadem propositio non potest transire de vera in falsam, A. C.7.p.2.n.1.& seqq.
Veritas non potest suscipere magis nec minus, ib.p.3.n.2.
Falsitas circa obiectum indiuisibile non potest suscipere magis nec minus, ibid.n.4.
Secus circa obiectum diuisibile, ibid.n.5.
In simplici apprehensione neque imperfecta aut inchoata falsitas reperitur, ibid.p.4.n.1.
Reperitur tamen veritas si ad ens reale terminetur, secus si ad ens rationis, ibid.n.2.
In apprehensione complexa, siue ad ens reale rationis terminetur, veritas, & falsitas possunt reperiri, ibid.n.5.
Abigitur præsentia rerum in æternitate ex vi cuius futura veritatem habent, ibid.p.9.n.1.& seqq.
Propositiones circa obiecta liberè futura ex suo obiecto veritatem habent independenter à decreto prædefiniente, ibid.n.15.& seqq.
Statuitur veritas de obiecto conditionato libero, ibid.p.6. n.10.& seqq.

Veritas, Verum transcendentale.

Quid sit verum transcendentale, M.C.3.p.2.n.4.
Veritas transcendentalis sumitur in ordine ad cognitionem creatam & increatam, ibid.n.5.
Quomodo differant veritas formalis & transcendẽtalis, ib.
An possit obiectum dici transcendentaliter verum per ordinem ad apprehensionem, ibid.n.6.
An verum transcendentale fundamentale sit intrinsecum enti, ibid.n.13.
Non distinguitur ex parte obiecti à ratione entis, ibid.
Veritas transcendentalis intrinsecè connexa non est cum possibilitate cognitionis, ibid.
An veritas transcendentalis formalis vel fundamentalis dicenda sit passio entis, ibid.n.19.
An per ordinem ad distinctas cognitiones distinctæ veritates transcendentales constituantur, ibid.n.20.& 21.

Virtus.

Virtus.
Quid sit habitus, qui virtus dicitur, L.C.1.p.5.n.1.
Violentia, Violentum.
Quid sit violentum? P. C.6.p.3 n.2.
Potest dari motus violentus etiamsi non sit contra motum propriè naturalem, ibid.n.5.
Non potest dari violentia in receptione positiua alicuius formæ contra principium passiuum, ibid.n.6.
Neque in negatione receptionis, nisi supernaturaliter, & passo iam vltimò dispositio ad formam recipiendam, ib. n.7.& seqq.
Circa primarium effectum nulla datur violentia contra principium formale, ibid. n.11.
Circa effectum formalem secundarium tantum potest dari violentia supernaturaliter contra influxum moralem formæ, non vero contra influxum physicum, ibid.n.13.
Deus violentiam potest inferre creaturæ medio aliquo effectu positiuè producto, ibid.p.4.n.1.
Deus propriè violentiam non infert causæ creatæ per negationem concursus ad operandum, ibid.n.2.
Potest tamen dici aliqualem violentiam inferre in negationem huius concursus, ibid.n.5.
Si Deus postquam antecedenter decreuisset cum aqua non concurrere ad frigiditatem producendam, & in illa calorem produceret, nullam aquæ violentiam inferret.
Visus. Visio. Visibile.
Explicantur organa visus, A.C.4.p.1.n.2.
Visio fit in humore crystallino, ibid.n.3.
Obiectum formalis visus est color & lux, ibid.n.4.
Lux sine colore videri potest, non tamen color sine luce quæ tantum ex parte obiecti requiritur ad visionē, ib.n.5.
Visus percipit præsentiam sui obiecti, A.C.13.p.1.n.23.
Non potest videri color absque eo quod videatur præsentia eiusdem, ibid.n.28.
Neque posset videri, si supernaturaliter absque præsentia existeret, ibid.n.29.
Videretur tamen etiam naturaliter, si Deus subtraheret concursum præsentiæ coloris ad producendam speciem impressam sui, ibid.n.30.
An obiectum definitiuè existens supernaturaliter & naturaliter videri valeat, ibid.n.31.32.& 33.
Indiuisibile separatum naturaliter videri non poterit, secus supernaturaliter, ibid.n.34.
Vitalias. Viuens. Vita.
Viuens compositum nullum dicit viuificationis modum distinctum à forma & vnione P.C.5.p.2.n.4.
Variæ sententiæ referuntur circa naturam viuentis in actu primo, A.C.2.p.2. à n.1. vsque ad 24.
Omnium antiquorum sententia est viuens esse illud, quod se ipsum mouet, ibid,n.25.
Explicatur conceptus communis viuentium in actu primo, ibid.n.27.
Explicatur conceptus quidditatiuus operationis vitalis, seu vitæ in actu secundo supponentis vitam in actu primo, ibid. n.32.
Explicatur vniuersalior conceptus comprehendens vitam actualem seu operationem vitalem, quæ vitam in actu primo non supponit, ibid.n.33.
Viuentium animæ, Angelus, & Deus si in ipso datur actus primus intelligendi & amandi, vita in actu primo, seu in actu primo viuere dicuntur, ibid.p.3.n.2.
Quid de potentiis animæ superadditis si dentur, ibid.n.2.
Species impressæ, habitus infusi & acquisiti, neque vita neque viuere dicuntur, ibid.n.3.
Intellectio, volitio & sensatio sunt actiones vitales & illarum quælibet vita in actu secundo dicitur, ibid.n.4.
Quibus actionibus ex iis, quæ in nutritione reperiuntur conueniat vitalitas seu ratio vitæ in actu secundo, ibid. n.4. & seqq.
An actio, qua arbor sibi vnit ramum abscissum, & qua homo vnit sibi partem nasi vel digiti omnino diuisam, immanens sit & vitalis, ibid.n.11.
An intellectio, volitio & sensatio sint immanentes & vitales per se ipsas, ibid.n.13.
Præsentia localis, motus progressiuus, dilatationis & constrictionis cordis vitales non sunt, ibid.n.14.
An possit dari viuens cognoscitiuum non volitiuum. A.C. 5.p.7.per totum.
Vngues.
Vngues non viuunt, A.C.1.p.4.n.18.
Vnio.
Variæ sententiæ circa naturam vnionis compositi substantialis referuntur, P.C.4.p.1. n.1.& 2.
Vnio hæc dicit aliquid distinctum à materia & forma tanquam rationem formalem vniendi, ibid.n.4.
Vnio non consistit formaliter in approximatione locali, ibid.n.8.& seqq.
Vnio non consistit in approximatione secundum virtutem, ibid.n.11.
Neque consistit formaliter aut connotatiuè in dispositionibus, ibid.n.13.
Vnio inter materiam & formam substantialem distinguitur ab eductione formæ, ibid.n.18.
Est modus substantialis per se ipsum annectens extrema, inseparabilis ab illis, ibid.n.19.
Vnionis non datur vnio, ibid. n.20.
Vnio integralis est modus superadditus partibus integratibus distinctus à dependentia formæ à subiecto.ib.n.23.
An formæ accidentales vniantur subiecto vnione distincta ab eductione, ibid.n.24.& seqq.
Quomodo vniantur modi, ibid.n.29.
An possit dari vnio indistincta ab eductione, ibid.n.30.
Vnio non vnit subiectum, cui inest, quatenus subiectum illius est, sed quatenus extremum, ibid.p.2.n.3.& seqq.
Non est excogitabilis vnio annectens vnum extremum alteri quin alterum eodem modo connectat, ibid.
Tantùm est admittenda simplex vnio quæ simul est materializatio & informatio, ibid.
Variæ opiniones referūtur circa subiectū vnionis, ib.p.3.n.1.
Vera sententia, ibid. n.3.
Vnio non constituit subiectum mutatum, P.C.12 p.6.n.10.
An vnio possit creari? P.C.13.p 5.n.2.& seqq.
Vnitas, & Vnum transcendentale.
Vnum non addit supra ens rationem aliquam positiuam nec realiter aut natura rei ab illo distinctū, M.C.3 p.1.n.4.
Vnum non addit supra ens rationem aliquam positiuam ex parte obiecti ab ente præcisam, ibid.n.5.
Vnum non addit supra ens relationem identitatis eiusdem ad se ipsum aut figmentum aliud, ibid.n.7.
Vnum formaliter dicit negationem diuisionis, ibid.n.8.
Quid sit vnū esse indiuisū in se & indiuisum à se, ibid.n.9.
Vnum dicit formaliter indiuisionem, ibid.n.11.
Vnum non dicit formaliter esse diuisum ab alio, quatenus diuisio connotat terminorum existentiam, ibid.n.12.
Vnum dicit formaliter esse diuisum ab alio, quatenus dicit præcisè non habere identitatem cum alio, ib.n.13.
Vtraque indiuisio entis in se & à se transcendit quodcumque prædicatum entis, & pertinet ad formale constitutiuum vnius, ibid.n.15.
Vnum esse diuisum ab alio & indiuisum à se formaliter est idem, ibid.n.21.
Vnum diuerso modo dici diuisionem à suo contradictorio, quàm à reliquis obiectis, ibid.
Negatio diuisionis in se & à se, quam importat vnum est quid positiuum, ibid.n.21.& seqq.
Vnum non addit supra ens rationem aliquam negatiuam, ibid.n.28.
Exacta vnius definitio, Vide n.30.
Vnum in vniuersum est idem ac indiuiduum, non tamen idem quod vnitum. ibid.n.31.
Vnitas compositi non tantum ab vnione, sed à toto composito indiuisibiliter sumitur, ibid.n.32.
Partes compositi vnitæ & non vnitæ eamdem retinent vnitatem, ibid.n.33.
Eadem ratione, qua negatio pertinet ad constitutiuū entis pertinebit ad constitutiuum vnitatis ipsius, ibid.n.34.
Scientiarum vnitas Vide *Scientia.*
Vnitas formalis.
Non datur vnitas positiua communis multis ante operationem intellectus, L.C.2.p.1.n.10.
Neque vnitas negatiua admittenda est ante operationem intellectus multis communis, ibid.p 3 per tot.
Vnitas vniuersalis non consistit in specie impressa, ibid. p.4 n.2.
Neque in aliquo mentis idolo, seu simulacro, ibid.n.4.
Neque est intrinseca naturæ àcōnotato depēdens, ib.n.8.
Neque est vnitas per rationem ficta, ibid.n.11.
Vnitas vniuersalis consistit formaliter in cognitione præscindente formaliter aut obiectiuè naturamba inferioribus, ibid.n.11.& seqq.

Non

INDEX RERVM.

Non datur vnitas media inter singularem & vniuersalem, ibid.p 7.n.3.
Quod dantur prædicata abstracta tot vnitates simul cum illis abstrahuntur. ibid.

Vniuersale.

Definitiones vniuersalis. L.C.3.P 1.n.1.
Variæ acceptiones vniuersalis,ibid.n.2.
Vniuersale debet esse vnum & multiplicabile non verò multiplicatum, ibid.n.4.
Natura vniuersalis extra intellectum à singularibus separata admitenda non est.ibid.P.2.n.2.
Naturam ante operationem intellectus nullam habere indifferentiam vt contrahatur per plures differentias indiuiduales contra Patrem Fonsecam ostenditur .ibid. num.4.& seqq.
Ante operationem intellectus non datur natura vniuersalis, neque vnitas positiua multis communis, ibid.num. 10.& seqq.
Neque admitenda est natura negatiuè vniuesalis, seu non singularis,aut vnitas negatiua multis communis, ibid. P.3.per tot.
Vniuersale non fit ab intellectu agente , neque illius vnitas seu vniuersalitas consistit in specie impressa, ibid. P.4.num.2.
Non fit per aliquod idolum , seu spectrum , in quo cognoscantur singularia,ibid.n.4.
Neque vnitas vniuersalis intrinseca naturæ à connotato dependens,ibid.n.8.
Neque rationis vnitas aut aliquid fictum,ibid.n.11.
Vnitas vniuersalis seu vniuersalitas consistit formaliter in cognitione præscindente ex parte actus aut ex parte obiecti naturam ab inferioribus, ibid.n.11.& seqq.
Non est idem naturam fieri vniuersalem & positiuè vnam, & cognosci vt vniuersalem & positiuè vnam,ibid.
Per cognitionem per quam formaliter natura positiuè fit vna,tantum cognoscitur negatiuè vna. ibid
Ex cognitione per quam fit vniuersale nullum ens rationis resultat,ibid.n.14.
Vniuersalitas non consistit in negatione differentiarum terminantium cognitionem per quam fit vniuersale, ,ibid. num.15.
Nullius præcisionis beneficio potest apprehendi formalitas aliqua indifferens vt secundum se totam ad plura inferiora contrahatur. L.C.3.P.5.n.2.& seqq.
Materia vniuersalis seu obiectum cognitionis per quam fit vniuersale iuxta præscindentes obiectiuè explicatur. ibid num.6.
Iuxta præscindentes tantum formaliter eadem exponitur difficultas,ibidem n.10.
Quomodo differat materia vniuersalis generici , specifici differentialis, ibid.12.
An natura vniuersalis secundum se totam prædiceretur de quolibet inferiori,ibid.n.14.& seqq.
Quid sit naturam vniuersalem esse physice in multis, ibid. P.3.num.3.
An hæc existentia aptitudinem supponat,ibid.n.4.
Multiplex existentia intentionalis naturæ in inferioribus, multiplexque aptitudo ad hanc existentiam explicatur, ibid.à.n.5.vsque ad 10.
An actus existendi in multis destruat vniuersalitatem, ibid. num 11.
Essentia vniuersalis Logici & Metaphysici explicatur, ibid.num.13.
An natura abstracta ab vno indiuiduo sit vniuersalis. ibid. P.7.per tot.
An vniuersale fiat non solum per abstractionem negatiuam sed etiam per positiuam, ibid.P.8. n.1.& 2.
An actus per quem fit vniuersale attingat indiuidua copulatiuè , vel disiunctiuè,ibid.n. 3.
An in actuali prædicatione natura maneat vniuersalis.ibid. n.4.& seqq.
An comparatio per quam fit vniuersale dicat vnum simplicem actum, vel plures. ibid.n.9.
An vniuersale fiat à Deo; ibid.n.10.
An ab Angelo;ibid.n.11.
An à voluntate; ibid.n.12.
An sensu externo, vel interno?ibid.n.13.
Vniuersal est genus ad quinque prædicabilia.L.C.7.P 2.n.2.
Vniuersalia frequenter posterius singularibus cognoscuntur. A. C 5. p.5. n.3.
Sunt aliqua principia vniuersalissima, quæ prius singularibus cognoscuntur, ibid n.7.
Vniuersalitas: Vide *Vniuersale.*

Vniuocum.

Quid sit vniuocum. M.C.1.P.2.n 1.
Quæ identitas in vniuocis requiratur. ibid. n.2.
Dependentia non tollit vniuocationem. ibid.P.6.per tot.
Transcendentia non tollit vniuocationem, ibid.P.7.n.10.

Volitio.

Volitio non efficienter tantum illuminatiuè ab intellectione dependet.A.C 8.P.2.n.1.
Non potest naturaliter dari volitio sine cognitione præeunte,ibid.P.3.n.1.
Secus supernaturaliter,ibid.n.3.
An volitio sufficienter ab apprehensione dependeat , vel indigeat iudicio præeunte, ibid.P.4.per tot.
Intellectionem influere in volitionem nihil aliud est , quam vtriusque coëxistentia. A.C.9.P.5.n.35.
Vide *Voluntas.*

Voluntas.

Voluntas non se determinat ad indiuiduationem suorum actuum. P.C.10. P.2. n.5.
Etiamsi voluntati per cognitionem proponerentur indiuiduationes suorum actuum non posset se ad omnes determinare , neque ad aliquam,nisi medio alio actu imperante,ibid.
Cur voluntas se valeat determinare quoad specificationem & intentionem suorum actuum & non quoad indiuiduationem,ibid. n.6.
Danda est determinatio volitionum, quoad indiuiduationem causæ primæ, ibid.n.7.
Quomodo Deus determinat indiuiduationes volitionum. ibid.n.9.& P.4.n.46.& seqq.
Voluntas non prædeterminatur à Deo vt operetur. ibid. P.3.numero. 3.
Indifferentia voluntatis non arguit physicam prædeterminationem,seu præmotionem, qua causa prima secundam prædeterminet, ibid.n.4.vsque ad 15.
Voluntatis obiectum est bonum & malum. A. C.8.P.1.n.1.
Voluntatis obiectum non tantum est bonum respectiuum, sed etiam absolutum in se bonum sine aliquo ordine ad subiectum. ibid. n.2.
Voluntas in bonum formaliter vt tale tantum prosequutionis actu,& in malum tantum actu fugæ ferri potest. ibid.n.4.
Imperium voluntatis : Vide *Imperium.*
Concursus Dei cum voluntate: Vide *Causa prima.*

Vox.

Voces nihil significantes extra propositionem in propositione posite significatione non carent S.C.1.P.1.n.4.& 5.
Voces ponuntur loco rerum, & loco conceptuum, ibid.P. 4.numero 1. & 2.
Significant tamen inmediatè res ipsas non conceptus.L C.8. P.2. numero 7.
Vide *Signum.*

Quandoquidem à prima huius Operis editione aliqui Neoterici in multas Authoris sententias insurrexerunt : Ideo eos in hoc secundæ Editionis Auctario,locis hîc notatis propugnat , & explodit.

Logic.C.1 p.3.§.1.n.7.& seqq.ibid.Contr.6.p 2.n.13.& seqq.
Phys Contr.1.p.3.n 2.& seqq. ib.p 1.n.8 &seqq ibid Cont.7. p.1.n.19.&seqq.ib.p 6.n.10.ibid Contr.10.p 3 §.1.n.5.ibid. totis duobus paragraphis 9. & 10.
Generat.Contr.1.p.1.n.13 ibid.p 3 n.14.
De Anima. Contr.6.p.4. toto §.4 à n.20. ibid. Contr.7. p 1. § 4.ibid p.2.§.1.n 6. & seqq ibid.p 2 per tot.ibid.p 5.versus finem ibid.p.6.toto §.4. à n.14.ibid.Contr.9 p.5.n.64. & seqq ibid.Contr.10 p.1.§ 3 & 4.
Metaph. Contr. 2. p.2. n 8 & seqq ibid Contr.4. p.4. n. 26. ibid. p 5. n.12 ibid p 8. n.54 ibid.Controu 10. p 4. n.22.

FINIS.



Th
935a